# MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

## A CLEMENTE VIII. USQUE AD GREGORIUM XV.

OPUS ABSOLUTISSIMUM LAERTII CHERUBINI, præſtantiſſimi Juriſconſulti Romani ; & à D. Angelo Cherubino , Monacho Caſſinenſi , noviſſimè verò à RR. PP. Angelo à Lantuſca , & Joanne Paulo à Roma , Ordinis Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ , quinti Tomi editione illuſtratum , & auctum.

## EDITIO NOVISSIMA,

*Quinque Tomis diſtributa , Vitis & Iconibus æneis omnium Pontificum decorata: in qua non ſolùm Conſtitutiones omnes* S. D. N. URBANI VIII. *quotquot reperiri potuerunt , ordine temporis inſertæ , Appendiceſque duæ ſuis reſtitutæ locis ; verùm &* S. D. N. INNOCENTII X. ALEXANDRI VII. CLEMENTIS IX. & CLEMENTIS X. *Conſtitutiones uſque ad hanc diem emanatæ , ſuperadditæ ſunt , Rubricis ſuis , & Scholiis convenientibus , Summariiſque marginalibus exornatæ , ac tandem uberioribus quàm anteà Indicibus locupletata.*

## TOMUS TERTIUS.




LUGDUNI,
Sumptibus PETRI BORDE, JOANNIS & PETRI ARNAUD.

*M. DC. LXXXXII.*

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Law
Canon Law
BULL
1693

56-6[illegible]
Jy 1956
Law Ref

# INDEX TRIUM ROMANORVM PONTIFICUM, QUORUM CONSTITUTIONES

Iuxta temporum ſeriem continentur in hoc Tertio Tomo.

Clemens VIII. Florentinus habet conſt. 123. pag. 1

Paulus V. Romanus conſt. 121. 171

Gregorius XV. Bononienſis conſt. 50. 372

# Summa Privilegii Regis Chriſtianiſſimi.

LUDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis Diplomate ſancitum eſt, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubjectis, intra proximos annos quinque ab exſpiratione præcedentis Privilegii, decima quinta die Novembris ad decennium conceſſi inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quovis modo & ratione conetur Librum qui inſcribitur, *Magnum Bullarium Romanum*, noviter editum, anteà in quatuor Tomos diſtributum, nunc verò Tomo quinto adauctum, in quo omnes Bullæ & Conſtitutiones ab ultimis Pontificibus uſque ad hanc diem emanatæ continentur, & Iconibus æneis omnium dictorum Pontificum exornatum, præter Petrum Borde Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eſt eadem authoritate Regia omnibus ſuis ſubditis idem Opus extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, ubicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Borde. Idque omne ſub confiſcatione Librorum, aliiſque poenis in originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Sancti Germani in Laye, vigeſimaſexta die Novembris 1671.

*De mandato Regis*

Signatum

CADET.

*Hæc ultima editio deſiit excudi die* 15. *Decembris* 1691.

# CLEMENS OCTAVUS
## PONT. CCXXXV.
## ANNO CHRISTI MDXCII.



CLEMENS OCTAVUS, Florentinus, Hippolytus Aldobrandinus anteà dictus, Sylveſtri filius, Presbyter Cardinalis tituli S. Pancratii: Creatus tertio Kalend. Februarii, Coronatus die Dominico Purificationis Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ, Anno Domini 1592. Vixit annos 13. menſem 1. dies 5. Creavit Cardinales 53. Obiit die tertia Martii Anno Domini 1605. Sepultus fuit in Baſilica Sancti Petri. Vacavit Sedes dies 29.

---

1. Comprobatio conſtitutionis Pii V. ab Innocentio I X. declaratæ, de non alienandis, & infeudandis Civitatibus, & Locis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum alterius declarationis adjectione.

*Conſtitutio Pii V. eſt num. 35. fol. 166. & conſtitutio Innoc. I X. eſt 1. fol... & utrobique notavi, ſed plenius in dicta conſt. Pii.*

Habes addita ſup. tom. 1. ad Leon. I. conſt. 1.

*Edita A.D. 1592.* *CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* AD ROMANI Pontificis curam, & ſolicitudinem pertinet hoc quoque inter cætera, non mediocri ſtudio providere, ut quæ ad conſervandam Sanctæ hujus Sedis temporalem ditionem bona, & jura ſalubriter ſancita fuerunt, ea & ab ipſo, & ab aliis inviolata ſerventur.

*Pius V. edidit bullam hic cit.* §. 1. Aliàs ſiquidem fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter literas edidit in hæc verba.

Omittitur, quia eſt in loco cit. in tota.

*Succeſſores approbarunt.* §. 2. Quæ quidem Conſtitutio uti optima, & ad retinendam S.R.E. dignitatem planè ſalutaris, approbata, confirmata, & innovata fuit ab iis qui ſequuti ſunt prædeceſſoribus noſtris, piæ nimirum memoriæ Gregorio XIII. Sixto V. & Gregorio XIV.

§. 3. Et noviſſimè ab Innocentio I X. qui etiam de venerabilium fratrum ſuorum, tunc S.R.E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, de quorum numero nos quoque tunc eramus, declaravit eadem Conſtitutione prohibitam fuiſſe, & prohiberi omnem, & quamcumque infeudationem, ac alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & locorum Sedi Apoſtolicæ, tam mediatè, quam immediatè ſubjectorum, non ſolùm ne fiat, néve attentetur poſt eorum devolutionem, ſed etiam antequam devolvantur, ac omnem, & quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem, ac extenſionem infeudationum, inveſtiturarum, & conceſſionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis nondum finitarum; ipſorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extenſionis hujuſmodi, non à die eorum devolutionis, ſed à die ipſius Conſtitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipſo jure, cum omnibus clauſulis, & decretis in prædicta Conſtitutione contentis, Cameræ & Sedi Apoſtolicæ factam cenſeri, adjecto etiam Decreto, & declaratione, ut promiſſio & juramentum præſtitum, & præſtandum, de ſervanda eadem Pii prædeceſſoris prædicti Conſtitutione, per ipſum Innocentium, & ſucceſſores ſuos Romanos Pontifices, ac prædictos S. R. Eccleſiæ Cardinales, intelligatur de ipſa Pii V. prædeceſſoris Conſtitutione, per eum ut ſuprà declarata, & ſecundum *Innoc. IX. ampliavit, ut notavi ibi:*

hujuſmodi declarationem eandem conſtitutionem ad unguem, & inviolabiliter obſervari oporteret & debere, ſicuti etiam ſe ſervaturum eſſe promiſit, ac etiam, ſolemni more juravit, prout in ejuſdem Innocentii prædeceſſoris, ſub Datum Prid. Nonas Novembris Pont. ſui Anno primo expeditis literis latiùs continetur.

*Hic Pont. approbat, vovet & iurat d. bullam Pii V. extenſam ab Innocent. [illegible]*

§.4. Quare nos cùm primùm ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium divina providentia vocati ſumus, id ipſum ad exequendum noſtri Paſtoralis officii debitum præcipuè pertinere exiſtimantes, præinſertas Pii Prædeceſſoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam juxta declarationem prædictam, per ipſum Innocentium prædeceſſorem factam, ac deſuper confectarum litterarum continentiam, & tenorem, quem pariter præſentibus haberi volumus pro expreſſo, ac ad verbum inſerto, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium comprobamus, confirmamus, & innovamus. Eaſque firmiter, & inviolatè, ac juxta declarationem prædictam nos ſimiliter ſervaturos eſſe promittimus, & juramus, atque per eos ad quos ſpectat, pariter perpetuò obſervari præcipimus, & mandamus. Nulli ergo omninò.

*Dat. P. A. 1. die 14. Feb. Publicatio.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1592. 16. Kal. Martii, Pontif. noſtri Anno 1.

*In nomine Domini, Amen. Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, indictione ſexta, die verò trigeſima Menſis Martii, Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Clementis divina providentia Papæ Octavi Anno primo, retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Sancti Ioannis Lateran. Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, & ibi dimiſſæ per aliquod ſpatium temporis, ut moris eſt, per nos Hieronymum Lucium, & Paſchalem Sanctorium, prælibati S.D.N. PP. Curſ.*

*Andreas Lucius Mag. Curſ.*

*Sequitur declaratio, & extenſio d. Conſtitutionis Pii V.*

*Edita A. D. 1581. Pius V. alienationem locorum Sedis Ap. ſtrictiſſimè prohibuit ut ſup. in eius cõſt. 35. Admonet, fol. 166. ubi etiam id tractantibus pœnas impoſuit.*

§.5. SAnctiſſimus D.N. dixit poſt editam per ſanctæ recordationis Pium Papam V. Sanctitatis ſuæ prædeceſſorem, de fratrum conſilio Conſtitutionem de nõ alienandis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis ſibi, & Apoſtolicæ Sedi in temporalibus mediatè, & immediatè ſubjectis, etiam ad illud uſque tempus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari ſolitis, ad Sedem prædictam quomodolibet devolutis, & pro tempore devolvendis, graviſſimis impoſitis pœnis contra perſonas tractantes, conſulentes, aut aliàs verba facientes de hujuſmodi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & locorum infeudationibus, etiam ſub prætextu neceſſitatis & evidentis utilitatis, ſive illas inſinuantes, & ſuadentes, prout in ipſa Conſtitutione ſub dat. 4. Kal. Aprilis Pontificatus ſui anno II. edita, ſæpius poſtmodùm per prædeceſſores ſuos, ac noviſſimè per ſanctitatem ſuam comprobata latiùs continetur.

*Greg. XIV. declaravit d. prohibitionem non intelligi de feudo non devoluto, ſi evidens extaret utilitas; vel neceſſitas illud iterum infeudandi.*

§.6. Piæ mem. Gregorium XIV. itidem prædeceſſorem ſuum, in Conſiſtorio ſecreto, Romæ apud Sanctum Marcum die Veneris xiii. Septembris 1591. habito, ſententiis tamen S.R.E. Cardinalium, qui tunc aderant, ac de quorum numero etiam Sanctitas Sua erat, minimè requiſitis, quinimò multis eorum expreſsè contradicentibus declaraſſe, & decreviſſe, Pii prædeceſſoris Conſtitutione prædicta non prohiberi, feudum nondum devolutum, quando neceſſitas, aut evidens, & vera Eccleſiæ utilitas poſtulaverit, iterum infeudari, nec juramentum in ea præſtitum ſimilem caſum comprehendere, ac neminem licitè jurare poſſe, quod contra neceſſitatem, aut evidentem utilitatem Eccleſiæ ſit, ſicque prædictam Conſtitutionem intelligendam judicaſſe, ac definiviſſe, ita ut nemini poſtea de ea aliter quàm tunc ab ipſo declaratum fuit, loqui, & ſcribere liceret, prout in eodem decreto, & declaratione pleniùs continetur.

*Hic modò Pont. gravib. iuſtiſque de cauſis hic enunciatis d. declarationem Greg. XIV. revocat.*

§.7. Verùm quia re ipſa compertum eſt, quod ferè omnes alienationes Terrarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum hujuſmodi hactenus factæ, ex quibus magna læſio, & imminutio patrimonii, ac exiſtimationis S.R.E. ſecuta eſt, etiam ſub prætextu, & colore veræ & evidentis neceſſitatis, vel utilitatis, prædeceſſoribus Sanctitatis Suæ inſinuatæ fuerunt, cum tamen vix ulla neceſſitas excogitari poſſit, cui ex aliis bonis, aut redditibus, & proventibus quàm Conſtitutione prædicta alienari prohibitis, [illegible] utilitas [illegible] cui non præponderet [illegible] realis reintegratio in patrimonio [illegible] eaſdem Civitatum, & locorum hucuſque alienatorum; cumque hujuſmodi caſus abſolutæ neceſſitatis, aut [illegible] evidentis utilitatis, faciliùs mente atque animo [illegible], & fingi, quàm uſu venire poſſint, multò magis expedire omnem prorſus alienationum, & inveſtiturarum prorogationum, & aliarum conceſſionum, quomodocumque [illegible] quibuſcumque cauſis, & prætextibus arrendandi viam omnino præcludere, quàm ob rariſſimos caſus, qui vix unquam contingere poſſunt, apertam relinquere, cumque lucrum in tempore negligere maximum quandoque ſit Eccleſiæ lucrum, utilius eſſe radices omnes, ex quibus hujuſmodi alienationes provenire valeant, penitus evellere, quàm ex eo quod aliquando poſſit earum aliqua utilis eſſe, occaſionem præbere, ut multæ præjudiciales, & damnoſæ fiant, cui abſurdo atque incommodo, ipſum Pium prædeceſſorem præfatum dicta conſtitutione non immeritò occurrere voluiſſe, qui longè plures, & graviores jacturas, ex multis perniciofis diſtractionibus ſequi poſſe cenſuit, quàm utilitates ex pauciſſimis, ſi quæ unquam contingerent fructuoſæ. Proinde Sanctitas ſua, habita ſuper hoc cum venerabilibus fratribus S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, & ſingulorum auditis ſententiis, de eorum conſilio, & unanimi aſſenſu, Decretum, & declarationem ſuperius memoratam fel. record. Gregorii XIV. tanquam deſtruens prædicti Pii Conſtitutionem, alienandique occaſionem præbens, ac minimè neceſſariam, & deſuper forſan confectas literas, quarum omnium tenores haberi voluit pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, auctoritate Apoſtolica revocavit, abrogavit, caſſavit, & annullavit, perinde ac ſi nunquam emanaſſent.

*Prohibitionemque Pii V. caſus etiã veræ neceſſitatis & utilitatis comprehendere declarat.*

§.8. Declarans dicta conſtitutione prohiberi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Feudorum, & locorum in ea contentorum, tam quæ nunquam antea in feudum conceſſa, quàm quæ alias etiam ſæpius alienata, vel infeudata, ac poſtmodùm devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, alienationes, infeudationes, prorogationes, & extenſiones inveſtiturarum, feudorum & conceſſionum, etiam ex cauſa neceſſitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis factas, & faciendas: juramentum quoque ſuper ejuſdem conſtitutionis obſervationem per Sanctitatem Suam, & ſucceſſores ſuos, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præſtitum, & præſtandum caſum hunc neceſſitatis, etiam abſolutæ, & evidentis, & veræ utilitatis omninò comprehendere, nec propterea aliquid illicitum jurari, aut quod contra neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ ſit, ſed quod rationi conſonum, atque re utilius eſt, ac ſummopere conducit, prout eadem auctoritate declaravit, ſtatuit, & decrevit, cum clauſulis, & derogationibus opportunis.

*Dat. P. A. 1. die 26. Iunii.*

Actum Romæ in Monte Quirinali, die 26. Julii 1592. In Conſiſtorio ſecreto.

---

II.

## Comprobatio Conſtitutionum à Sixto V. editarum, circa conſervationem pecuniarii præſidii triginta centena millium nummûm aureorum, ab eo in Arce Sancti Angeli repoſitorum, ad Sedis Apoſtolicæ ſubventionem.

*Hæ conſtitutiones Sixti ſunt tres, & leguntur ſuprà, fol...*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A.D. 1592. Exordium.*

QUÆ ſalubri prædeceſſorum noſtrorum providentia pro communi Chriſtianæ Reipublicæ bono, & rei Eccleſiaſticæ fidei noſtræ creditæ conſervatione ſtatuta fuerunt, ea ut firma perpetuò, & inconcuſſa permaneant, libenter noſtræ approbationis munimine roboramus.

*Sixt. V. triginta centena millia nummûm aureorum in ærario repoſuit, [illegible]que promi vetuit in ſuis conſt. cit. in rub.*

§.1. Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixtus Papa Quintus prædeceſſor noſter, graviſſimis de cauſis adductus, & adverſus ingentia, quæ impendebant, & adhuc impendent pericula, opportuna, quantum temporis conditio ferebat, ſubſidia præparans, de fratrum

ſuorum

ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, in quorum numero etiam nos tunc eramus conſilio, primo ſui Pontificatus Anno Decies centena nummûm aureorum millia, ſecundo verò Anno, altera itidem decies centena millia, ac demum tertio Anno tertia ſimiliter decies millia aureorum hujuſmodi, in certum, ſanctiuſque ærarium, quod in Pontificia Sancti Angeli Arce conſtitutum eſt, ſumma diligentia induſtriaque retulit, ac de ſingulis decies centenis millibus nummis perpetuò aſſervandis, nec ullo inde unquam tempore, niſi ad præſcriptos, maximéque neceſſarios uſus depromendis, & erogandis, trinas conſtitutiones edidit, prout in illis, quarum tenores etiam pro expreſſis, & præſentibus literis de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo inſertis haberi volumus, ac decernimus, pleniùs continetur.

*Quas conſt. hic Pont. cõfirmat, vovet, & jurat.*

§. 2. Quasquidem Conſtitutiones cum maximè expediat in futurum ſervari, Nos, & muneris noſtri debito ſatisfacere, & quod in eis diſponitur, ut par eſt, adimplere cupientes, eaſdem Sixti prædeceſſoris literas, & omnia in eis contenta, de venerabilium Fratrum noſtrorum prædictorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, eaſque firmiter, & inviolatè, juxta illarum diſpoſitionem, obſervare etiam nunc de novo per præſentes promittimus, vovemus, & juramus, ac per eos ad quos ſpectat, in futurum obſervari debere ſtatuimus, & ordinamus. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

*D.P.A.1. die 15. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, 16. Kal. Martii, Pont. noſtri anno 1.

---

## III. Declaratio quoad electionem, & qualitates Iudicum Conſervatorum, ad inſtantiam quorumcumque Ordinum, Vniverſitatum, Collegiorum, & locorum piorum, à Sede Apoſtolica conceſſorum & concedendorum.

*De Conſervatoribus Religioſorum in genere, aliquid habetur ſupra in conſt. 22. Leonis X. fol. 432. §. 17.*

Revocavit quaſcumque electiones de Judicibus Conſervatoribus hactenus factas, & novam de eis, eorumque electionibus in poſterum fiendis diſpoſitionem edidit Greg. XV. in conſt. 9. Sanctiſſimus, inf. tom. 4.

*Edita An. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Cauſa huius conſtitut.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus Clemens divina providentia Papa VIII. ne ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & ex eo quod ob locorum diſtantiam, perſonarum quibus cauſæ mandantur, certa notitia haud ita facilè haberi poteſt, per Iudices aliquos minus interdum idoneos in Conſervatores deputatos cauſas ipſas cognoſci contingat, cupiens ſalubriter providere.

*Revocatio quarumcumque deputationum Iudicum Conſervatorum à Sed. Ap. conceſſarum, non habentium qualitates requiſitas in cap. 11. de Reſcript. in 6.*

§. 1. Revocavit ac declaravit nullas, invalidas, & ſubreptitias omnes, & quaſcumque Iudicum deputationes in literis Conſervatoriis, juxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, ſeu aliàs quomodolibet expeditis hactenus per Sedem Apoſtolicam, perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum conceſſas, & directas iis Conſervatoribus, & Iudicibus, qui qualitates non habent requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris ſui, quæ incipit, Statutum.

*Et non electorum in Conciliis provincialibus juxta formã Concil. Trid.*

§. 2. Quique etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis, juxta Decretum Concilii Tridentini, electi, & deſignati non ſunt, ad inſtantiam quorumcumque Conventuum, Capitulorum, Militiarum, Vniverſitatum, Collegiorum, Ordinum, ac in favorem quorumvis Monaſteriorum, hoſpitalium, & aliorum quorumvis piorum, tam ſæcularium, quàm cujuſvis Ordinis, aut inſtituti Regularium locorum, quantumvis exemptorum obtentas, cum quibuſvis præſervativis, reſtitutivis, mentis atteſtativis, derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expreſſis.



*Reſtrictio quod hoc non procedat quoad negotia jam cœpta.*

§. 3. Non tamen quoad negotia jam cœpta, vel quoad ea, in quibus illæ ſuum ſortitæ effectum, ſeu executionem habuerunt.

*Declaratio quod hac diſpoſitio procedat etiam quoad conſervatorias conceden.*

§. 4. Ac etiam inſuper voluit, & ordinavit, quod omnes deinceps literæ Conſervatoriæ hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam concedendæ, ad Conſervatores, & Judices duntaxat dirigantur, qui qualitates juxta dicti Bonifacii Conſtitutionem habeant, quique in præfatis Conciliis electi, & deſignati ſint, & non aliis: aliter verò expeditæ literæ præfatæ nullius ſint roboris, vel momẽti.

*Decretum irritans.*

§. 5. Decernens, &c.

*Papa ſubſcriptio.*

Placet, publicetur, & deſcribatur. Hi.

*Publicatio D.P.A.1. die 19. Martii.*

*Lecta, & publicata fuit ſupradicta revocatio Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, die verò Iovis decimanona Martii, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Anno 1.* *Claudius Ciccolinus Cuſtos.*

---

## IV. Approbatio, novaque conceſſio facultatis Fratrum Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum in diebus S. Catharinæ, ac Cinerum, & Cœnæ Domini, generalem faciendi benedictionem, & abſolutionem.

*Hujus abſolutionis, & benedictionis formam præſcripſit, & etiam in die S. Antonii, & S. Laurentii fieri permiſit hic idem Pont. inf. in conſt. 79. Cum nos, ubi notabo.*

*Edita An. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

INfirma ævi conditio ſæpe efficit, ut res, vel maximè nobiles, ex hominum memoria ſenſim excidant.

*Conſuetudo Ordinis abſolvendi, & benedicendi ſtatis diebus, omnes Religioſos, & ſæculares poſt confeſſionem.*

§. 1. Quo genere incommodi Ordo B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum affectus eſſe dicitur in hoc more antiquiſſimo ab immemorabili tempore obſervato, videlicet quod ipſa Religio poteſt in diebus S. Catharinæ Virginis & Martyris, & Cinerum, & Cœnæ Domini, omnes tam Religioſos, quàm ſæculares, nimirum in Eccleſia præſentes, & genuflexos, poſt confeſſionem à Sacerdote corã omnibus recitatã, de more abſolvere, & benedicere, ut etiã aliæ Religiones facere conſueverunt.

*Et quia ignoratur à quo Pont. iſta facultas fuit Ordini conceſſa.*

§. 2. Sed quia hoc ſolum ex traditione obſervatur, & neſcitur à quo Romano Pontifice ſit hujuſmodi facultas abſolvendi dictæ Religioni conceſſa, eo quòd tractu temporis & literæ Apoſtolicæ, & alia Chirographa dictæ Religionis fuerunt deperdita.

*Ideo ab iſto Pont. approbatur, & de novo conceditur.*

§. 3. Nos de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper ſtatu Regularium deputatorum, ac ſupplicationibus dilecti filii Magiſtri Petri Machado Provincialis Provinciæ Caſtellæ dicti Ordinis, in hac parte inclinati, hanc facultatem prævia dicta confeſſione, ut præfertur, de more à Sacerdote coram omnibus recitata, abſolvendi, & benedicendi omnes præſentes, tam Religioſos, quàm ſæculares, dictis diebus, generalem, & inveteratam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & eidem Religioni, quatenus opus ſit, de novo concedimus.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemplorum bullæ fides.*

§. 5. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P.A.1. die 20. April.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, 20. Novemb. 1592. Pont. noſtri anno 1.

---

## V. Confirmatio conſtitutionum Pii IV. & Sixti V. circa pœnas, & confiſcationes ex maleficiis Status Eccleſiaſtici provenientes; ut in Vrbe omnino ſerventur, præſertim circa eas non alibi quàm apud Depoſitarium Cameræ perſolvendas.

*Edita An. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Motu proprio, &c.*

*Exordium.*

INter cæteras animi noſtri curas, quibus à primordiis aſſumptionis noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem

quotidie ſollicitamur, illam propenſiori animo amplectimur, per quam Cam. noſtræ Apoſtolicæ jurium, redditũ, & bonorum recto & firmo regimini conſulitur.

*Pius IV. pœnas maleficiorum locorum Status Eccleſiaſtici applicavit Cameræ, ut ſupr. fol. 42. in eius conſtitutione 43. Decet.*

§. 1. Aliàs ſiquidem fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter ſtatuit, quod omnes pœnæ, & mulctæ pecuniariæ, ſeu cujuſvis qualitatis bona, quæ Communitatibus, & Vniverſitatibus civitatũ, Oppidorum, & Locorum S.R.E. ditioni in temporalibus ſubjectorum applicatæ eſſent, non amplius eiſdem Communitatibus, & univerſitatibus, ſed Cam. Apoſt. applicatæ exiſtant, & eſſe cenſerentur, nec per alios quam ab eadem Camera ad id ſpecialiter deputatos Officiales, & exactores exigerentur, de *quorum manibus illa reciperent, ſi qui titulo oneroſo, aut ob aliquos pios, vel alios quoſcumque uſus eas ſibi deberi prætenderent.*

*Sixt. V. confirmavit bullam Pii IV. & ampliavit, ut ſup. fol. In eius bul. 93. Ad Romanum.*

§. 2. Et demum bene, & prudenter rec. me. Sixtus Papa V. etiam prædeceſſor noſter ejuſdem Pii conſtitutionem præfatam approbavit, & innovavit, ac opportunè voluit, & mandavit, ut quæcumque Communitates, Vniverſitates, Collegia aut perſonæ, etiam eccleſiaſticæ quavis dignitate fulgentes, aut eorum Magiſtratus, pœnas ſeu mulctas prædictas, ſeu illarum portionem aliquam, quovis titulo, etiam oneroſo aut alia occaſione, vel cauſa, etiam juſtiſſima, ſibi deberi, vel applicatas eſſe prætenderent, intra certum tunc expreſſum, nunc verò elapſum terminum conceſſiones, & applicationes prædictas, ſuaq; jura & privilegia, ſi quæ haberent in Camera Apoſtolica exhiberent, & illorum confirmationem obtinerent, quas nihilominus de manibus depoſitarii uniuſcujuſque Provinciæ, ſeu Civitatis, præcedente ſpeciali mandato, nec aliàs exigere poſſent, ſeu deberent, inſuperque revocavit omnes, & quaſcumque conceſſiones & applicationes dictarum mulctarum, pœnarum, & compoſitionum eiſdem Communitatibus, & Vniverſitatibus, Collegiis, & aliis prædictis titulo oneroſo, & aliàs ut præfertur factas, quæ intra dictum tempus ab eadem Camera approbatæ, & innovatæ non forent, prout in eorundem prædeceſſorum noſtrorum deſuper editis conſtitutionibus latiùs continetur.

*Hic Pont. ex cauſis hic enunciatis.*

§. 3. Ac cum nos acceperimus in hac Alma Vrbe noſtra eorundem prædeceſſorum conſtitutiones uſu receptas non eſſe, immò in grave dictæ noſtræ Cameræ Apoſtolicæ detrimentum pœnæ, mulctæ, & compoſitiones prædictæ, Iudicum, & Præſulum Curiarum, & tribunalium ejuſdem Vrbis arbitrio, penes notarios, & aliàs certas perſonas deponuntur, ex quorum manibus, dictæ noſtræ Cameræ officialibus irrequiſitis, eorundem Iudicum mandato, & juſſione perſolvuntur, & plerumque evenire ſolet, ut dictarum pœnarum, & mulctarum pecuniæ, occurrente aliquando Judicum prædictorum mutatione, cum judices de novo aſſumpti dictarum pecuniarum, illorumque depoſitariorum penitus ſint ignari à depoſitariis, & illa detinentibus facillimè occultentur.

*Dictas conſtitutiones approbat, & quaſcumque pœnas apud Depoſitariũ Cameræ perſolvi jubet.*

§. 4. Nos itaque huic malo mederi, ac malitiis quantum cum Deo poſſimus obviare, ſimulque dictæ noſtræ Cameræ Apoſtolicæ indemnitati conſulere cupientes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eorundem Pii, & Sixti prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones prædictas, & omnia in eis contenta, & diſpoſita harum ſerie confirmantes, & approbantes, illaſque quatenus opus ſit, innovantes, hac perpetuò valitura conſtitutione noſtra ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus pœnæ, ſeu mulctæ pecuniariæ, & cõfiſcationes omnium, ſeu cujuſvis partis bonorum inflictæ, & infligendæ, cauſa & occaſione cujuſvis criminis, exceſſus, delicti, maleficii, vel quaſi per reos quoſcũque in dilectorum filiorum eiuſdem Vrbis Vicarii, Gubernatoris, ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditoris, & aliorum quorumcumque Romanæ Curiæ Tribunalium, & Curiarum, tam ab eorundem Tribunalium, & Curiarum Iudicibus ordinariis, quam ab eis deputatis, tum per ſententias, decreta, proceſſus, tum etiam per viam ſupplicationum, remiſſionum, abſolutionum, liberationum, condemnationum, compoſitionum, gratiarum, abolitionum, ſeu caſſationum, proceſſuum ab ipſis pro tempore conceſſarum tam ex juris communis diſpoſitione, quàm juxta tenorem quarumcumque Apoſtolicarum conſtitutionum, ordinum, ſtatutorum, conſuetudinum ejuſdem Vrbis, & illius Curiarum, aut in vim edictorum, decretorum, bannimentorum à dicta noſtra Camera Apoſtolica, illiuſque officialibus, necnon Iudicibus prædictis promulgatorum proceſſatos, ſeu condemnatos perſolvendæ in manibus dilecti filii Joannis Baptiſtæ Vbertini Florentini, moderni ac pro tempore exiſtentis dictæ Cameræ depoſitarii, non autem penes dictos notarios, aut alias perſonas quaſcumque, realiter, & cum effectu deponantur, & perſolvantur.

*Judicibus hac obſervare mandat.*

§. 5. *Diſtrictè propterea interdicimus, & prohibemus eiſdem Vicario, Gubernatori, Auditori, & aliis Judicibus ſupradictis, ne in poſterum pœnas pecuniarias, ſeu mulctas, & compoſitiones prædictas* in manibus cujuſvis alterius perſonæ quàm depoſitarii pro tempore exiſtentis ejuſdem Cameræ perſolvi mandent, faciant ſeu permittant, nec ex eis partem, ſive ratam vel portionem aliquam ex hujuſmodi pœnis debitam propria auctoritate retinere, aut à partibus exigere valeant.

*Depoſitario formam obſervandam in reddendis rationibus, & in faciendis ſolutionibus praſeribit.*

§. 6. Idem verò Depoſitarius quamcumque pecuniarum ſummam cauſa, & occaſione pœnarum, mulctarum, & compoſitionum prædictarum ei perſolvendam, in libro peculiari more mercatorum tenendo deſcribat, & adnotari faciat, & de eis bonum, & fidele computum teneat, quæ computa ſingulo anno in Camera Apoſtolica exhibeat, juret, & ſolidari curet, pecuniaſque prædictas non aliter quàm in vim mandatorum manu noſtra ſeu Cameralium dilectorum filiorum noſtrorum, & S.R.E. Camerarii, & Theſaurarii generalis manu ſubſcriptorũ perſolvat, & perſolvi faciat, certa quorum annua ſumma tantum excepta per nos pro neceſſariis cujuſcumq; Tribunalis, & Curiæ impenſis ſupportandis, & perſolvendis firmanda & ſtatuenda, quam ab eodem Depoſitario de mandato Judicis, qui Curiæ, & Tribunali pro cujus neceſſitatibus hujuſmodi pecuniarum ſumma veniet perſolvenda præerit, ejus, necnon Procuratoris Generalis Fiſci noſtri manu ſubſcripto, perſolvi poſſe, & debere indulgemus.

*Notariis harum pœnarũ retentionem prohibet.*

§. 7. Ac ſtrictè inhibemus notariis officialibus dictorum tribunalium, & Curiarum, aliiſque perſonis quibuſcumque, ne de cætero in perceptione, & exactione pecuniarum, pœnarum, mulctarum, & compoſitionũ prædictarum, ſub depoſiti, vel aliorum quovis prætextu vel cauſa ſe quomodolibet ingerant, ſeu intromittant, quinimmò omnes, & quaſcumque pecuniarum ſummas penes eos cauſa, & occaſione pœnarum, mulctarum, & compoſitionum prædictarum hucuſque depoſitatas, & ſolutas, in dictæ Cameræ Apoſtolicæ Depoſitarii manu intra triduum proximum realiter, & cum effectu perſolvant.

*Reis Depoſitario ſolvere iubet.*

§. 8. Reis verò, & aliis perſonis, quæ ad ſolutionem pœnarum, mulctarum, & compoſitionum earundem tenentur, ut illas in manibus dicti depoſitarii, non autem in poſſe, & manibus notariorum, & aliarum perſonarum prædictarum, etiam quod aliter à Judicibus habuerint in mandatis, deponant, & perſolvant.

*Contravenientibus pœnas imponit.*

§. 9. Quod ſi ſecus factum fuerit, Depoſitario, & reis, vel aliis perſonis quibuſcumque qui pecunias prædictas aliter quàm ſub ſupradicta forma perſolvent, omnes ſolutiones ſecus factæ non admittantur, nec acceptentur, immo iidem rei, & alii earundem pœnarum, mulctarum, compoſitionum debitores, ad illas in ejuſdem Depoſitarii manibus denuo ſolvendas cogantur, & compellantur, notarii verò qui ſe in earundem pecuniarum receptione ſeu retentione immiſcuerint, ſeu quas hucuſque receperint, intra dictum tempus in ejuſdem depoſitarii manibus realiter, & cum effectu non perſolverint, ducentorum ducatorum auri de Camera eidem Cam. Apoſt. applican. qualibet vice pœnam incurrant. Vicarius autem, Gubernator, Auditor, & alii Judices prædicti, qui circa præmiſſa in culpa fuerint, noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio puniantur.

*Executores huius conſtitut. deputat.*

§. 10. Quocirca dilecto filio noſtro Henrico tituli S. Pudentianæ Presb. Card. Cajetano nuncupato, moderno ac pro tẽpore exiſten. noſtro, & S.R.E. Camerario motu pari per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut præſentes noſtras literas, & in eis contenta omnia, tam in dicta Camera, quàm extra eam, ubi, quando, & quoties opus fuerit

ſolem-

ſolemniter publicari, ac in ejuſdem Cameræ libris regiſtrari, ac per omnes quos illa concernunt, inviolabiliter obſervari, & debitæ executioni demandari faciat, & univerſos prædictos ad illorum obſervationem pœnis prædictis, quacumque mora ceſſante, cum effectu cogat, & compellat, contradictores quoſlibet, & inobedientes auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Clauſulas derogatorias addit.*

§. 11. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum tribunalium, & Curiarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Vt autem tenor præſentis noſtri motus proprii cedulæ ad omnium notitiam deducatur, ac omnes quorum intereſt, & intereſſe poterit afficiat, volumus, & mandamus illius copiam in Cameræ Apoſtolicæ, ac cujuſcumque curiarum prædictarum valvis, ac in acie Campi Floræ affigi, & ibi relicta ejus copia aliquandiu detineri.

*Tranſumptis credi decernit.*

§. 12. Volumuſque ut præſentis noſtri motus proprii cedulæ ſola ſignatura ſufficiat & ubique fidem faciat in judicio, & extra, regula quacumque contraria non obſtante, & quod ejus tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, ea prorſus indubitata fides adhibeatur, in judicio & extra, quæ præſenti cedulæ adhiberetur, ſi foret exhibita, vel oſtenſa. Placet Motu proprio. Hi.

*PP. Subſcr. Publ. A. 1. die 22. Apr.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri IESV CHRISTI 1592. Indictione 5. Pontif. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis Papæ Octavi Anno primo, die verò 22. menſis Aprilis ſupradicta litera affixa, & publicata fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis publicis, ut moris eſt, per me Alexandrum Colangeli S.D.N. PP. Curſ.*

*Baptiſta Preſſinus de Caſis Mag. Curſ.*

---

## VI. Cenſuum à Communitatibus Status Eccleſiaſtici venditorum reductio ad ſcuta ſeptem pro centenario.

*De materia cenſuum notavi ſuprà in conſtit. 79. Pii V. Cum onus, fol. 208.*

*Edita An. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus reductionis.*

QUÆ ad ſublevationem gravaminum, & commoda Populorum noſtræ, & Sedis Apoſtolicæ Ditioni in temporalibus ſubjectorum pertinere dignoſcimus, in iis libenter auctoritatis noſtræ partes interponimus, prout æquitate ipſa, & noſtra erga eos paterna Charitate ſuadente, conſpicimus in Domino expedire. Sanè non ſine magna animi noſtri moleſtia accepimus, pleraſque Communitates, & univerſitates Civitatum, Oppidorum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici ob varias eorum neceſſitates multos cenſus vendendo, grave æs alienum contraxiſſe, hujuſmodi verò cenſuum emptores, illos ad rationẽ non ſex, vel ſeptem, ſed octo, novem, & decem pro quolibet centenario & anno, ferè omnes exigere ſolere. Quare intolerabili onere gravati, ex redditibus propriis aliquando emptoribus cenſuum ſatisfacere nequeunt.

*Reductio omnium cenſuũ per communitates impoſitorum, ad ſeptem pro centenario.*

§. 1. Nos igitur in præmiſſis opportuna ratione aliqua ſaltẽ ex parte providere volentes. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia omnes & ſingulos cenſus hactenus ſuper quibuſcumque rebus immobilibus, tam Vrbanis quàm Ruſticis, in quacumque Provincia, Civitate, Terra, oppido, Territorio, diſtrictu, & Loco ſtatus Eccleſiaſtici nobis, & Sedi Apoſtolicæ, tam mediatè quàm immediatè ſubjecti conſiſtentibus, cujuſcumque pretii, valoris, qualitatis, quantitatis, & denominationis bona & cenſus hujuſmodi extiterint, per quaſcumque Communitates, ſeu Vniverſitates ejuſdem Status, & Ditionis, ſeu etiã ſingulares perſonas, intuitu tamen illarum, & cũ promiſſione indemnitatis ab ipſis Communitatibus, ſeu Vniverſitatibus, quæ pretia cenſuum hujuſmodi venditorum in ſuos uſus acceperint facta, ſeptem pro quolibet centenario & anno quocumque modo excedentes, hactenus creatos, conſtitutos, impoſitos, & venditos, quoad illorum fructus, & nunc deinceps in futurum per primò decurrendos ad rationem ſeptem tantum pro quolibet centenario & anno, ſalva tamen dictos cenſus redimendi facultate, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reducimus & moderamur.

*Liberatio obligatorum à ſolutione majoris cenſus.*

§. 2. Ac ipſas communitates, & Vniverſitates, cenſus prædictos ex nunc perſolventes, & alios pro eis etiã uti principales, principalitèr, & in ſolidum, ſeu alias quovis modo, etiam in forma Cameræ Apoſtolicæ obligatos, à ſolutione cenſuum prædictorum alias quam ad rationem ſeptem pro centenario & anno, hujuſmodi aliquid ulterius pro fructibus in futurum ſolvendum non teneri, nec ad id vigore, quarumcumque obligationum, & quibuſvis juramentis, quæ ipſis Communitatibus, & Vniverſitatibus prædictos cenſus perſolventibus, ut præfertur, & aliis pro eis, etiam in dicta forma Cameræ obligatis, harum ſerie relaxamus, ſeu alias vallatarum, nec ad illarum obſervationem, & cenſuum jam impoſitorum ſolutionem, ultra prædictam ſummam ſeptem pro quolibet centenario & anno, cogi aut compelli poſſe declaramus.

*Clauſula ſublata.*

§. 3. Ac etiam per quoſcumque Judices, & Commiſſarios etiam Palatii Apoſtolici cauſarũ Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, ac Rotæ Auditores, ſeu quoſvis alios Iudices, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri ac interpretari debere. Irritum quoque decernimus, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum ſtatutis, conſuetudinibus, legibus & naturis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon obligationibus in ampliori forma, fidejuſſionibus, renunciationibus, ac juramentis præſtitis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, necnon irritantibus decretis, ex quavis cauſa, etiam per modum legis univerſalis, aut aliàs quomodolibet editis, ſive in favorem Vniverſitatum. Communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum & locorum conceſſis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, quatenus directè vel indirectè præſenti noſtro Motui proprio in toto vel in parte contrarientur, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 1. die 1. Maii.*

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Maii 1592. Pont. noſtri Anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. 1592. indictione 5. die verò 18. menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Clementis divina providentia Papæ VIII. Anno 1. retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Cancellaria Apoſtolica, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Claudium Apoſtolicum Curſ.*

*Io. Baptiſta Bagni Mag. Curſ.*

---

## VII. Ampliatio prohibitionis editæ à Gregorio XIII. contra Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici, favoribus cujuſcumque perſonæ extra ipſum Ordinem utentes, ad dignitates & officia obtinenda.

*Hæc prohibitio Gregorii eſt ſup. in ejus conſt. 62. Cum nihil, fol... Vbi materiam hujus Ordinis indicavi.*

*Edita An. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

RELigioſos Viros, ſicut honorum gradus, cum ad eos aſſumuntur, obedienter ſuſcipere, ſuſceptoſque humiliter adminiſtrare oportet, ſic ad eos mendicatis ſæcularium præſertim perſonarum ſtudiis, aditum ſibi patefacere minimè convenit.

*Greg. XIII. favores extra Ordinem quæri prohibuit in ſua conſtit. 62. Cum nihil, ſup. fol.*

§. 1. Cum itaque fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Brevis literas, die primo Julii 1580. Pontificatus ſui anno nono, datas Magiſtro Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Prædicatorum Prælatis tunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ mandaverit, ne ad inſtantiam & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam Laïcarum, quàm Eccleſiaſticarum extra ſupradictum Ordinem Conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacũque ſæculari dignitate, & excellentia, etiã Ducali, Regali, & Imperiali fulgẽtium, cujuſvis dicti Ordinis Religioſo ullã gratiam cõcedere, vel pœnas aliquas remittere auderent. Quinimo quoſcũque dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta ſuarum Conſtitutionũ hac via, & iis mediis per conquiſitos favores & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint ad talia, & ſimilia, ac etiã majora in eodem Ordine conſequenda, perpetuò inhabiles etiam declaravit, prout latiùs in eiſdem literis continetur.

*Et hic Pont. eã ampliat.*

§. 2. Cumque ut accepimus, à nonnullis ambigatur, an ſub gratiarum vocabulo gradus, honores, dignitates, officia, & munia Ordinis præfati comprehendantur. Nos Ordinis prædicti quieti, ac Religioſorum illius ſaluti opportunè conſulere, aliaſque in præmiſſis providere volentes, ac litterarum præfatarum, necnon Decreti Capituli Generalis ejuſdem Ordinis in executionem earundem literarum facti, quod incipit: Quamobrem ſingulos noſtri Ordinis Prælatos admonemus, veriores, ac totos tenores præſentibus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, Motu proprio, ex certaque noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, literas ac decretum hujuſmodi, ac in eis contenta quæcumque Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quàm facti, & alios defectus, ſi qui in eis intervenerint, ſupplemus. Et nihilominus præfatam Gregorii, de gratiis, ut præfertur, per mendicatos favores minimè concedendis prohibitionem, ad quoſcumque gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, Prælaturas ejuſdem Ordinis perpetuò extendimus, & extendi debere decernimus. Et propterea dilectis Magiſtro Generali, Provincialibus, & aliis Prælatis ac Superioribus ejuſdem Ordinis, ne poſthac aliquod præmiſſorum cuiquam ad inſtantiam, ſeu requiſitionem, vel contemplationem perſonarum ſuperiùs expreſſarum quarumcumque, quovis modo concedere, Religioſis verò, ac Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque, non ſolùm in præmiſſis omnibus ſæcularium favorem minimè procurare, ſed nec etiã ſponte oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere, & ſimiliter, ne ad hunc effectum munera aliqua ſæcularibus impendere, vel exhibere audeant vel præſumant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub eiſdem pœnis in dictis Gregorii litteris contentis præcipimus, & expreſſe interdicimus, & prohibemus, eiſdem auctoritate, & tenore ſtatuentes, quod omnes & ſinguli in præmiſſis delinquentes, nulla monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrant.

*Contraventionem certo modo probari decernit.*

§. 3. Quodque ad illos ſententias, & pœnas hujuſmodi damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omninò convincendum ſolæ præmiſſarum perſonarum inſtantiæ, favores, & preces, etiam oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & ſufficientem, in judicio, & extra fidem faciant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Sicque ab omnibus ejuſdem Ordinis Superioribus, Prælatis, & perſonis, ac aliis Iudicibus ordinariis, & delegatis, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri, ac interpretari debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, perpetuò decernimus, & ſtatuimus.

*Contrariis derogat.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius prædeceſſor in præfatis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Hanc bullã publicari & regiſtrari jubet.*

§. 5. Volumus autem ut præſentes literæ quibuſcumque Capitulis, tam Generalibus, quam provincialibus, & Conventualibus, ut ad ſingulorum notitiam faciliùs deveniant, publicentur, & inter ſtatuta, & ordinationes ipſius Ordinis perpetuò obſervandæ deſcribantur, earumque exemplis etiam impreſſis, manu Secretarii, & ſigillo Magiſtri Generalis, vel manu alicujus Notarii publici, & ſigillo alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem quæ præſentibus fides ubique adhiberi debeat.

*D. P. A. 1. & 24. Maii.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimatertia Maii, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Pont. noſtri Anno primo.

## VIII.

## Indictio Viſitationis omnium Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Locorum Piorum Almæ Vrbis.

Similem indictionem Viſitationis fecit pro anno Jubilæi 1625. S.D.N. Vrbanus VIII. ut in conſtitut. 14. *Militantem*, ſub qua habes alias Conſtitutiones pro eadem cauſa editas circa facultates Viſitatorum, & alias, ubi vide.

*Edita An. D. 1591.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis univerſo Clero & Populo Romano, Sal. & Apoſtolicam bened.*

*Prœmium. & cauſa hujus indictionis.*

SPeculatores Domus Iſraël, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, mirabili ejuſdem providentia conſtituti, qui in humilitate noſtra oſtendere dignatus eſt divitias bonitatis ſuæ, admonemur debito creditæ diſpẽſationis officio, & charitate Chriſti urgemur, ut miniſterium noſtrum divina gratia adjutrice, implere ſtudeamus, quare in hoc ipſo Apoſtolatus noſtri initio, contemplantes ex hac ſublimi ſpecula, non ſine intimo doloris ſenſu calamitates, atque incommoda populi Chriſtiani, cum ad ceteras afflictæ Reip. partes, quantum cum Domino licet ſublevandas animum adjicimus, tum potiſſimum ab hac Alma, & nobis maximè dilecta Vrbe noſtra oculos nunquam deflectimus. Sic enim intelligimus, quam Eccleſiis omnibus paſtoralem ſollicitudinem deberemus eam nos tanto impenſius huic Sanctæ Romanæ Eccleſiæ debere, quanto nobis propinquior, & pluribus charitatis vinculis eſt conjuncta, quam merito, & in oculis, & in corde, & in viſceribus Chriſti præcipuo quodam ac verè paterno affectu gerimus. Itaque non ſolùm de ejus temporalibus cõmodis laboramus, ſed multò magis, ut par eſt, de ejuſdem Vrbis ſpiritualibus bonis augendis, atque amplificandis ſoliciti ſumus, quibus ſcilicet & humana felicitas ſolidius continetur, & vera ac ſempiterna beatitudo comparatur, quod certè dum facimus, etiam aliarum Eccleſiarum, quamvis illæ locorum intervallo ſint disjunctæ, rectam admniſtrationem eadem opera procuramus. Nam cùm omnes unum corpus ſimus in Chriſto, membra cum ſuo capite copulata, eodem ſpiritu pietatis ali & recreari neceſſe eſt. Quemadmodum igitur ſtabilis illa Catholicæ fidei petra, adverſus quam inferorum portæ prævalere non poſſunt, divino conſilio in hac Vrbe, quæ prima Sedes eſt, conſurgit, hic beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri Cathedra collocata, unde omnis exiſtit Eccleſiæ unitas, & commmunio, hic Orthodoxæ fidei integritas & ſana doctrina, & verus Dei cultus ſemper viguit, ac viget, atque ab hac Eccleſia omnium matre, & magiſtra, tanquam ab ipſo fonte in alias Eccleſias promanat, ſic viciſſim ſummopere cupimus, ut omnis ex Vrbe auferatur iniquitas, & ut Clerus, & Populus Romanus vitæ innocentia, eccleſiaſtica diſciplina, omni denique Chriſtianæ pietatis exemplo ceteris præluceat. Illudque in primis optamus, ut in religioſiſſimis, & antiquiſſimis Vrbis Baſilicis nulla in divinis laudibus, & precibus ab eccleſiaſtico ordine Deo perſolvendis negligentia appareat, nemo opus Dei negligenter faciat, ne horribili maledictione feriatur, nulla ſit divini cultus perturbatio, nulla ſacrorum rituum, ac cæremoniarum ignoratio, aut neglectus, quin potiùs decor domus Dei in Vrbis Eccleſiis ubique eluceat, omniaque ordinatè, decenter, & religioſe fiant, ut fideles populi ædificentur

&

& glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Etenim qui in ſortem Domini vocati ſunt, qui à communi populo ſegregati in loco excelſo ſunt poſiti, meminiſſe debent ſe à Domino vocari ſal terræ, & lumen mundi, ut omnium virtutum ſapore, & luce populos condiant, atque illuſtrent, ne peccatorum tabe putreſcant, neve ſempiternæ mortis tenebris obruantur, alioquin ſanguis pereuntium animarum de eorum manibus à juſto judice requiretur. Quare cum fideles omnes, tum potiſſimùm Clericos ea ſanctimonia, & morum integritate præditos eſſe decet, ut reipſa de eis dici poſſit, quod eſt in divinis Scripturis: Genus electum, gens ſancta, regale ſacerdotium, de quibus & illud quoque ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, dicit Dominus. Ceterùm, cùm eadem ſit hominum, quæ & agrorum natura, qui niſi crebro excolantur, nullum, aut perexiguum fructum ferunt, magnamque ſpinarum copiam profundunt, contra verò ſi cultura, & diligentia adhibeatur, & ſteriles agri ſæpè fructuoſi evadunt, & natura boni meliores, & fœcundiores fiunt. Ob eas cauſas jure optimo à ſacris canonibus, & præſertim à ſancta Tridentina Synodo tantopere commendatur Epiſcopalis Viſitatio, quæ veluti ſpiritualis quædam cultura eſt populi Chriſtiani, qua divinarum rerum veneratio augetur, boni mores conſervantur, pravi corriguntur, inſtaurantur Eccleſiæ, populus ad pietatem accenditur, & alia complura ex viſitantium zelo, & prudentia, ad Dei gloriam, & fidelium utilitatem conſtituuntur.

*Indictio viſitationis Eccleſiarum, Monaſteriorum & piorum locorum Urbis, incipienda die Dominico proximè venturo.*

§.1. Quæ cum ita ſe habeant, ſtatuimus pro noſtro paſtorali officio, Deo benè juvante, hunc peculiarem agrum, & gregem noſtrum recognoſcere, & Romanæ Urbis omnes, tam Patriarchales, quam Collegiatas, & Parochiales Eccleſias, earumque Capitula & perſonas, item Monaſteria, Conventus, & Eccleſias quorumvis Ordinum, tam virorum, quàm mulierum, Hoſpitalia, Collegia, Confraternitates laicorum, Montem Pietatis, & omnia quocumque nomine cenſentur loca pia, per Nos ipſos viſitare. Ad hoc autem ſalutare opus piè ſanctèque exercendum atque exequendum, fideles operarios noſtros, & adjutores delegimus, nonnullos ex Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Epiſcopos aliquos, ut eorum conſilio, & adjumento tanto fructuoſiùs in hoc ſalutari Viſitationis officio verſemur, quod certè neceſſario duximus ſuſcipiendum, ſummi & æterni Paſtoris exemplo excitati, cujus illa ſunt: Ecce ego requiram oves meas, & viſitabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum. Et nobis à Domino dictum videtur: Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem. Et alibi Sapiens nos admonet: Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Et Salvator noſter boni paſtoris eſſe ait, proprias oves cognoſcere, & vocare nominatim. Ad laudem igitur, & gloriam Omnipotentis Dei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltationem vobis viſitationem noſtram indicimus, quam proximo Dominico die, qui etiam Sancti Baſilii optimi, & Sanctiſſimi Epiſcopi, atque Eccleſiæ Doctoris commemoratione celebris eſt, in Sacroſancta primaria Lateranenſi Baſilica inchoabimus, & ſtatutis diebus Deo adjutore proſequemur.

*Hortatio ad omnes, ut pravia morū reformatione hanc viſitationem præveniant.*

§.2. Omnes autem per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto, paternè hortamur, & monemus, ut memores vocationis ſuæ, & temporis hujus ſacræ Viſitationis agnoſcentes, vitæ, ac morum emendatione, & vera tam interiori, quam exteriori reformatione Viſitationem noſtram præveniant: quod certè libenter præſtabunt, ſi præter cetera, illud ad animum revocaverint, ſe eſſe Clerum Romanum, quem Beatiſſimi Apoſtolorum Principes Petrus, & Paulus inſtituerunt, atque erudierunt, ſeque in ea Urbe clericalis officii munera obire, quæ tot fortiſſimorum martyrum ſanguine in CHRISTO plantata & irrigata eſt, in qua domicilium fidei, & viſibile Eccleſiæ caput à Deo poſitum eſt, ut hinc omnes non ſolùm doctrinæ, ſed vitæ, & totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ exempla petant, & bonus odor CHRISTI ad vitam ex Romana Eccleſia ad omnes Eccleſias diffundatur.

*Juſſio celebrandi orationem quadraginta horarum, ad divinum implorandum auxilium pro bona directione hujus viſitationis.*

§.3. Quia verò infirmitatem noſtram agnoſcimus, & planè ſcimus nihil nos boni cogitare, nedum efficere poſſe ſine divino auxilio, idcircò ad cœleſtem opem implorandam volumus, ut proxima ſexta feria, in nonnullis Eccleſiis Urbis Patriarchalibus, Collegiatis, & aliis præcipuis ſacroſancta Euchariſtia ſolemni ritu in altari proponatur, & Quadraginta horarum oratio celebretur.

*Hortatio ad ferventer orandum.*

§.4. Univerſos autem Chriſti fideles in hac ipſa Alma Urbe exiſtentes hortamur, atque in Domino requirimus, ut ſollicitudinem noſtram ſuis orationibus ſublevent, & laborem adjuvent, quæ ut gratæ, & efficaces ſint in conſpectu ejus, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit, dignis pœnitentiæ fructibus eum placare ſtudeamus, quem peccatis noſtris ad iracundiam provocavimus.

*Indulgentia pro ibi orantibus, ut ſupra.*

§.5. Quod quidem ut libentiùs, & ſalutarius fiat, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus Romæ degentibus, qui eodem ipſo proximo Dominico die poſt diligentem ſuorum peccatorum confeſſionem ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, ut hæc noſtra Viſitatio ad Dei gloriam, & animarum ſalutem feliciter eveniat, piè in quavis Eccleſia oraverint, plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam concedimus atque elargimur.

*Alia adhortatio ut quiſque Deo ferventer inſerviat.*

§.6. Omnes igitur ſimul, dilecti filii, ſive ex clero, ſive ex populo, veterem hominem exuentes, in novitate vitæ ambulemus, nos ſollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes, Domino in toto corde ſerviamus, ut ejuſdem miſericordiam copioſam, cum ad hoc Sanctæ Viſitationis opus, tum ad ceteras neceſſitates noſtras, fratrumque noſtrorum bonis operibus, & ſedulo pietatis cultu impetremus.

Datum Romæ in Monte Quirinali, die octava Junii, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno primo. *Dat. P. A. 1. die 6. Jan*

---

## Hortatio paſtoralis ad Alumnos Seminariorum Sedis Apoſtolicæ, & alios, ut in ſtudiorum curſu catholicæ fidei, omniumque virtutum generis progreſſu perſeverent, & in dies magis ferventiuſque intendant. IX.

CLEMENS PAPA VIII.

*Dilectis filiis Rectoribus, Præfectis & Alumnis Seminariorum noſtrorum, & Sedis Apoſtolicæ, atque quibuſcumque aliis, qui Catholicorum Regum, Principum, Epiſcoporum, aut aliorum opera, ac liberalitate, ad Chriſtianam Religionem informantur, ſal. & Apoſtolicam benedictionem.*

*Edita A. D. 1592.*

*Pia pt ſlori. enarratio.*

EA ſemper fuit Sedis Apoſtolicæ pro ſalutis animarum cura, & in omnes univerſi Terrarum Orbis homines charitas, ut illos licèt longiſſimis locorum intervallis diſtantes, ac vitæ etiam ratione, & ſermonis genere inter ſe maximè differentes, æqualibus tamen paterni amoris ſui officiis ad Catholicæ Religionis cultum alliciendos, & ſibi adjungendos perpetuò exiſtimaverit. Id cùm permulta Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de Catholica Eccleſia benemerendi ſtudia, & præclara rerum ab eiſdem geſtarum monumenta declarant, tum pleraque adoleſcentium natura & ingenio præſtantium, recenti memoria ad Religionis, & bonarum artium cultum piè liberaliterque inſtituta Seminaria clariſſimè oſtendunt. Quibus quidem Seminariis ſtabilitis jam & firmatis, ipſi etiam pro paſtorali noſtro munere, quantum cum Domino poſſumus, favere cupientes, ut qui in illis exercentur, eo magis Catholicæ Religionis propagandæ deſiderio accendantur, quo clarior eſt creſcentium quotidie noſtrorum & Sedis Apoſtolicæ beneficiorum magnitudo. Idcircò inter alia, quæ graviſſimum Apoſtolicæ ſervitutis onus, divina diſponente clementia tenuitati noſtræ nuper impoſitum à nobis exigit, noſtri etiam muneris hoc tempore eſſe duximus, ut ad vos Sedis Apoſtolicæ Alumnos ſcriberemus.

*Hortatio de qua in rubr.*

§.1. Quocirca, cum Seminariorum erectio, & omnis quæ in ipſis adoleſcentibus piè ſapienterque inſtituendis cura hactenus ſuſcepta eſt, & adhuc ſuſcipitur, eo præſertim tempore ſpectet, ut Sedes Apoſtolica regendarum animarum munus, ſociatis ſibi multorum ſtudiis atque laboribus faciliùs exequatur. Propterea vos omnes & ſingulos paternè monemus, ac in Domino hortamur, et

*facta in primis omnium veſtrarum* cogitationum ſumma, *animum ſtatim ad ea conſilia traducatis*, quæ Na*tionum veſtrarum* benè, & Catholicè vivendi rationes, *ob hæreſum* pravitatem graviſſimis antea difficultatibus *implicatas, hactenus vobis expeditas* reddiderunt. Hiſce *enim propoſitis, diligenterque* vobiſcum conſideratis, *illud etiam, quod eſt* proximum, facillimè intelligetis, *nihil videlicet majori* ſtudio nos & Sedem Apoſtolicam *à vobis expectare*, quàm ut jactis firmiſſimis ejuſdem Catholicæ fidei, pietatis, & *doctrinæ* fundamentis, omnique ſtudiorum curſu planè abſoluto, tales vos præbeatis, ut quantum ipſi & Sedes Apoſtolica de uniuſcujuſque veſtrum ſalute laboramus, tantum etiam vos de veſtra, & eorum qui veſtræ fidei committentur, ſalute laboretis. Quod tum pro ſingulari veſtra in Romanam Eccleſiam fide & in nos obſervantia, tum pro beneficii, quo cumulati eſtis magnitudine, & muneris vobis injuncti adminiſtratione vos omninò præſtituros eſſe confidimus. Neque enim in eo duntaxat tota officii veſtri ratio conſiſtit, ut ipſi in propria benè vivendi diſciplina conſtanter perſiſtatis, ſed illud præterea à vobis optimo jure exigitur, ut ſinguli privatos, tum in ſtudiis, tum *in* omni virtutum genere progreſſus, ad publicam eorum *quibus præfuturi* eſtis, utilitatem, ac ſalutem, etiamſi maximi propterea cruciatus ſubeundi, ac certiſſima ipſiuſmet vitæ pericula ſuſtinenda ſint, libenti, pioque animo (quod ætate noſtra plerique collegæ veſtri, ob divini nominis gloriam piè, ac fortiter fecerunt) ſtudiosè conferatis. In primis verò omni ſtudio danda eſt vobis opera, maximeque curandum ne humani generis adverſario inſtigante, deteſtandam paucorum quorumdam perfidiam, projectamque impudentiam ullo unquam tempore imitandam ſtatuatis, qui obliti promiſſorum, ac violata fide, qua ſe atque operam ſuam Deo, ac Romanæ Eccleſiæ addixerant, ad miſerrimas voluptatum illecebras, & ad ſæcularia deſideria, eluſa quam in Seminariis concitaverant ſpe, turpiſſimè ſeſe converterunt. A cujus ſanè infamiæ periculo, ac ſuſpicione, quo longius abeſſe vos certò ſcimus, eò impenſiùs etiam unumquemque veſtrum diligimus, hunc ipſum amorem libentiſſimo officio, ac reipſa teſtaturi, quotieſcumque veſtra ſtudia, pioſque conatus juvandi aliqua ſeſe obtulerit occaſio.

*Dei auxilium implorandũ ab ipſis Alũnis.*

§. 2. Ceterùm quoniam ea eſt humanarum virium imbecillitas, ut planè infirmi ſimus ad omnia, niſi divina in primis ope fulciamur, propterea quo munitiora vobis præſidia comparetis, vehementer cupimus, atque vos etiam in Domino valde hortamur, ut aliquot dies, eos nimirum, qui vobis à Moderatoribus præſcribentur, in ea cogitatione impendatis, ex qua cognitæ vobis, ac perſpectæ reddantur cauſæ, ob quas in hanc lucem vos Deus produxerit, quantam ad felicitatem creaverit, quid perpetua Moderatorum, ſub quorum diſciplina degitis, de pietate, ac virtutibus veſtris cura, & ſollicitudo à vobis expoſcat, ut deinceps peccatis omnibus expiatis, & nos, & reliquam Chriſtianam rem apud Dominum Deum juvetis.

*Et quomodo.*

§. 3. Propterea hebdomada ea, quam Præfecti eorumdem Seminariorum, vel Collegiorum, & Scholarum ſemel acceptis hiſce noſtris literis, aut ſaltem ſi quod per eos dies impedimenti acciderit, proxima hebdoma tribus diebus, quarta ſcilicet & ſexta feria, ac Sabbato jejunetis, & facta ſacramentali confeſſione, die Dominico dictum Sabbati diem proximè ſubſequente, vel alio dictæ ſequentis hebdomadæ die, arbitrio Confeſſarii, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum devotè percipiatis. Interea verò pro ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, pace, tranquillitate, ſalute Deum oretis, ejuſdem quoque gratiæ præſidium nobis imploretis, poſtuletiſque ab ejus bonitate, ut dignetur ſuo Sanctiſſimo Spiritu in tot, tamque gravibus curis infirmitatem noſtram adjuvare, operarios quamplurimos, & tanto miniſterio dignos in vineam ſuam mittere. Qui autem vel propter corporis infirmitatem, vel propter aliud quodvis impedimentum, ſuperiùs expreſſa facere tunc temporis nequiverint, Confeſſarii arbitrio ea ipſa in aliud, proximum tamen tempus differre valeant.

*Indulgentiarum elargitiò proponitur.*

§. 4. Quæ omnia, ut eo libentiùs præſtare ſtudeatis, quo uberiùs ſpiritualibus muneribus, *& gratiis animas* veſtras refectas eſſe cognoveritis, *de Omnipotentis Dei* miſericordia, ac beatorum *Petri, & Pauli Apoſtolorum* ejus auctoritate confiſi, *Vobis omnibus, & ſingulis* prædictis, qui *præmiſſa adimpleveritis, pleniſſimam peccatorum* veſtrorum indulgentiam, *veniam, & remiſſionem* tenore præſentium damus, concedimus, & elargimur. Qua indulgentia frui volumus Catholica Seminaria omnia, ſive ab Epiſcopis, ſive à Principibus ſæcularibus inſtituta, egentium etiam ſtudioſorum domos, ſive hujus ſanctæ Sedis, ſive aliorum Catholicorum benignitate, atque eleemoſynis ſuſtententur, horumque item Seminariorum, domorumque Præfectos, ac Miniſtros omnes, eos etiam, quorum hactenus opibus atque eleemoſynis ſuſtentari conſueverint, iis ſcilicet, quas præſcripſimus rebus peractis ea hebdomada, aut proxima, ut dictum eſt, qua hujus noſtræ conceſſionis literæ ad eos pervenerint.

*Fides exemplorum hujus bullæ.*

§. 5. Quia verò difficile eſſet has ipſas noſtras literas ad eos omnes ad quos pertinent deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo conſignatis eadem omninò fides adhibeatur, quæ his ipſis literis, ſi ad eos perlatæ eſſent, tribueretur.

*D. P. An. 1. die 23. Iunii.*

Datum Romæ in Monte Quirinali, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Junii, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno primo.

---

## X.

## De bono regimine, rectaque adminiſtratione bonorum & reddituum cujuſque Communitatis locorum ditionis S.R.E. & inſtitutione Congregationis Cardinalium ad cognitionem gravaminum, ac litium earumdem Communitatum.

*Hac bulla eſt confirmata, & juriſdictio Cardinalium hujus Congregationis ampliata, non tamen quoad pœnas maleficiorum, à Paulo V. in conſtitut. 38. Cupientes.*

De nullitate quarumdam obligationum iſtarum Communitatum, vide ſup. in conſt. 18. Pii IV. Quia non ſolum, fol. 22. & Sixti V. conſtitut. 42. In varias, fol... ubi etiam alia continentur. Et circa exemptiones, de quibus agitur in hac bulla, quæ prætenduntur contra Communitates, vide etiam infra Pauli V. conſtit. 2. In maximis.

*Edita A. D. 1592.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus Reformat.*

PRo commiſſa nobis à Domino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, eique etiam in temporalibus ſubjectarum civitatum, & Populorum tutela, paternaque erga noſtros ſubditos charitate præcipuo ſtudio tenemur providere, ut ad eos pertinentia bona, ea qua decet fide & cura, utiliter, & providè adminiſtrentur, præſertim verò tollantur pravi abuſus, qui in publicum, & commune damnum paulatim irrepunt. Ex quibus & hactenus gravi ære alieno communia illorum bona oppreſſa vel ab ipſo noſtri Pontificatus initio comperimus, & malum hoc, niſi celeriter opportuna remedia adhibeantur, quotidie in deterius prolabi videmus. Dum enim pauci ſua privata commoda, & lucra quærunt, atque illicitis modis quod pravè ambiunt, aut concupiſcunt, conſequi affectant, potentiorum, aut vulgi gratiam vanis aſſentationibus aucupantur, ſuas denique cupiditates explere ſatagunt, nulla utilitatis publicæ ratione habita ærarium publicum ipſarum civitatum & locorum exhauriunt, gravi ære alieno implicant, inanibus pompis & oſtentationibus dilapidant.

*Tabella expenſarũ cujuſque Communitatis quolibet anno conficiatur.*

§. 1. Quibus malis atque incommodis (quantum noſtra vigilantia atque auctoritate eniti poſſumus) occurrere cupientes: Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, ut in qualibet Civitate, Terra, Oppido, Caſtro, & loco dicti ſtatus temporalis Eccleſiaſtici univerſi, itaut etiam Bonon. ac Benevent. noſtræ Civitates ſub hac conſtitutione ſint comprehenſæ, tabella aut libellus quotannis initio anni conficiatur, in quo ſumptus omnes ordinarii, & extraordinarii publici, utiles aut neceſſarii, ſint deſcripti. Et earum quidem,

quæ certæ, & ordinariæ ſunt, expenſarum certa etiam taxa, & ſumma exprimatur, quæ verò incertæ, & extraordinariæ videbuntur, earum universè ſumma aliqua annua taxetur, quam toto anni curriculo excedere nequaquam liceat. Sigillatim verò pro rei indigentia, ex universa ſumma ſic taxata, à toto Conſilio, cum interventu Præſidis, Gubernatoris, aut Poteſtatis, portiones neceſſariæ infra annum detrahantur.

*A Gubernatoribus locorum revideatur, & approbetur.*

§.2. Eaque Tabella, aut Libellus per Gubernatorem, ſeu Præſidem Provinciæ, aut Civitatis, & cujuſcumque Terræ, Oppidi, & Caſtri Prætorem, ſeu Poteſtatem ſingulis annis revideatur, & approbetur.

*Et hoc primo anno coram Camerario & Theſaurario Papæ.*

§.3. Hac verò prima vice, non ſolùm ab ipſis, ſed etiam poſt eos triginta dies tunc proximè ſequentes, dilectis filiis Sanctæ R. E. Camerario & Theſaurario generali Cameræ Apoſtolicæ accuratè, & diligenter inſpiciatur, corrigatur, & approbetur, expunctis inde iis omnibus impenſis, quæ præter, aut contra hanc noſtram conſtitutionem, etiam ex ſtatuto vel conſuetudine antiqua fieri ſolebant, ac retento ipſius Tabellæ, ſeu Libelli exemplo, ſeu Regiſtro penes Cameram Apoſtolicam gratis, & abſque ullo earumdem Communitatum, ſeu Univerſitatum diſpendio, ſtatim intra decem dies ab ipſius receptionis die numerandos, ſic reviſa, approbata, & correcta, ad prædictas Communitates, ſeu Univerſitates remittatur.

*Et gratis ab omnibus officialibus hac omnia fiant.*

§.4. Diſtrictè autem inhibemus, ſub indignationis noſtræ, & aliis graviſſimis noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio imponendis pœnis, ne pro ſigillo, vel pro ſcriptura, charta, atramento, céra, capſula, cordulis, aliiſve rebus ad hujuſmodi expeditionem pertinentibus, ſeu pro labore, aut regalibus quidpiam, ne minimum quidem obolum, hac de cauſa prædicti Camerarius, aut Theſaurarius, eorumve Notarii, Tabelliones, Secretarii, Familiares, aut quilibet Officiales vel Miniſter exigere, vel etiam ſponte oblatum recipere præſumant, quinimò volumus, ut ſine ulla mora omnia gratis, & prout in Pœnitentiaria Apoſtolica fieri ſolet, ſine aliqua ſolutione expediantur, & mittantur. Atque in hoc Camerarius & Theſaurarius prædicti ſummo ſtudio invigilent, & ſi aliquem ex ſuis, vel aliis Notariis, Tabellionibus, Secretariis, Familiaribus, Officialibus, aut Miniſtris vel minimum quicquam recepiſſe deprehenderint, aut cognoverint, contra eos, etiam ad privationis officiorum, & munerum quæ obtinent, inhabilitatiſque ad illa vel alia in poſterum obtinenda, exilii perpetui ab Urbe, & ejus diſtrictu, & aliis gravioribus pœnis procedant, ſcituri ſi connivendo, aut tolerando, aut alias quomodolibet receptionum, & exactionum hujuſmodi, per ſe vel alium conſcii, aut participes fuerint, ſe quoque noſtrum, & ſucceſſorum noſtrorum judicium in hac re ſeverum, ut præfertur, ſubituros.

*Tabella ſic approbata Roma ad ſua loca remittatur, & publicè aſſervetur.*

§.5. Verùm eadem Tabella, ſeu Libellus, ejuſve exemplum ſic correctum, approbatum, & intra decem dies remiſſum, nedum in ipſarum Communitatum, ſeu Univerſitatum Archivio aſſervetur, ſed in publico aliquo, omnibus patenti, ac conſpicuo loco, præ foribus Aulæ ubi habetur publicum Conſilium, vel ubi jus dicitur, & frequens populi ſit concurſus, affigatur, & perpetuò retineatur.

*Et nihil ultra contenta in Tabella expendatur abſque licentia.*

§.6, Nec liceat in futurum, niſi de expreſſa Cameræ Apoſtolicæ, aut ſi urgens neceſſitas moram non patiatur, Gubernatoris, aut Præſidis civitatum, & locorum, qui ſtatim poſtea Camerarium, & Theſaurariũ generalem prædictos certiores de eo reddere teneantur, licentia, cum interventu Procuratoris Fiſcalis ejuſdem loci, cauſa cognita, etiam ſimiliter gratis concedenda, Tabellæ ipſius, ſeu libelli tenorem, etiam ſequentibus annis, immutare aut alterare, neque abſque prædicta licentia, etiam in caſibus improviſis, inopinatis, aut inſolitis, aliquid ultra contenta in hujuſmodi Tabella, aut Libello erogare. Quicquid verò ultra præſcriptas ſummas erogatum fuerit, id volumus, ut ab eis quibus exigendi, & ſolidandi computa, & rationes expenſi, ſive illa, ut dicitur, ſindicandi cura incumbit, nequaquam ratum habeatur, neque ipſis communibus ærariis dictorum locorum, aut maſſis, ſed perſonis ſingularibus, quæ ſumptus ipſos fecerint, expenſum feratur, quæ etiam ad illius, tanquam ab eis indebitè ablati, reſtitutionem teneantur.

*Officiales Communitatis, dimiſſis officiis de adminiſtratis ſyndicentur, & indicem debitorũ Gubernatoribus tradant, & per Miniſtros Communitatis illa ſuo tempore exigantur.*

§.7. *Id autem quo accuratiùs ſervetur, & earumdem Civitatum, Terrarum, ac Populorum utilitati amplius conſulatur, præcipimus ut quilibet modernus, aut pro tempore exiſtens Gubernator, Præſes, aut poteſtas, tam ex nunc, ſeu in ipſo primo ingreſſu, quàm deinde ſtatim finito tempore Magiſtratus per quoſcumque Priores, Maſſarios, Camerarios, aut Officiales geſti, intra decem dies ab ipſis Prioribus, Maſſariis, Camerariis, ſeu Officialibus, qui Magiſtratu funguntur, aut fungi deſinunt,* reſpectivè plenariam informationem rerum ad publicum regimen & adminiſtrationem communem bonorum pertinentium, præcipuè verò indicem, & nomina ſingulorum debitorum cujuſcumque Communitatis, ſeu Univerſitatis, tam ex ſupradictis quàm ex aliis quibuſcumque cauſis accuratè, & ſingillatim deſcripta ſibi tradi, eaque poſtmodum cum primùm ſolutionis dies advenerit, tum ſi jam advenerit, intra tres, aut ad ſummum quatuor menſes per Officiales & Magiſtratus earumdem communitatum, ſeu Univerſitatum exigi, & in ærarium communitatis, ſeu Univerſitatis referri.

*Quod in fine anni ſupereſt, detractis expenſis Tabellæ, in ſolutionem æris alieni, vel &c. expendatur.*

§.8. Et ſi quid in fine anni, deductis expenſis, in Tabella, ſeu Libello deſcriptis ſupererit, id in extinctionem æris alieni publicè contracti, aut ſi æs alienum nullum ſit, vel in Annonam ſublevandam, vel pro Monte Pietatis, vel in recuperationem & redemptionem bonorum, & rerum, ſeu jurium per ipſas Communitates, ſive Univerſitates alienatorum, vel denique in aliorum immobilium bonorum emptionem, cum interventu tamen Gubernatoris, ſeu Poteſtatis & Procuratoris Fiſcalis loci, converti curet. Quod ſi prædictas pecunias in Monte Pietatis deponi contigerit, id ea conditione fiat, ut illas poſtea quandocumque eædem communitates, & Univerſitates inde extrahere, & ſi eis videbitur, in uſus per hanc conſtitutionem permiſſos erogare valeant.

*Fiſcus cujuſlibet loci officiales Communitatis cogat ad reddendas rationes coram Gubernatore.*

§.9. Fiſci verò cujuſlibet loci Procurator petat omninò coram Syndicis, & Gubernatore, ſeu Præſide, aut Poteſtate intra decem dies ab iis, qui Magiſtratu perfuncti ſunt, tam de adminiſtratione juxta taxam in Tabella, ſeu Libello præſcriptam, quàm de aliis ſupradictis, præſertim nominibus debitorum inexactis, rationes reddi. Et ſi quid vel in expenſis exceſſum, vel circa exactionem neglectum, aut per negligentiam ultra tempus prædictum dilatum fuerit, contra eoſdem reos Magiſtratu, ut præfertur, perfunctos, ad reſtitutionem debitarum expenſarum, necnon ad ſolutionem de ſuo proprio debitorum per negligentiam inexactorum, ac ulterius etiam ad pœnarum in hac conſtitutione contentarum executionem procedi, quarum pars quarta ipſi Procuratori Fiſcali ſit applicata.

*Gubernatores & Fiſcus in prædictis negligentes contra cenſentur.*

§.10. Si verò poſt hujuſmodi decem dies elapſos Gubernator, aut Poteſtas in exigendis rationibus, vel in cogendo ad ſolvendum, vel reſtitutionem, aut in exequendis pœnis, ſive aliàs in præmiſſis negligens fuerit, ad reſtitutionem & refectionem damni ex indebitis impenſis, vel retardata exactione, communi ærario cujuſlibet loci illati, etiam de ſuo proprio integrè teneatur. Procurator autem Fiſcalis ejus Terræ, Oppidi, aut civitatis Generalem Cameræ Apoſtolicæ Procuratorem Fiſcalem de hujuſmodi negligentia certiorem faciat, ſive etiam cuilibet de Populo id denunciare liceat, ac tam in ſyndicatu per eos ad quos ſpectat, quàm poſtea per Procuratorem Fiſcalem Generalem Cameræ Apoſtolicæ cõtra ipſos Gubernatores, & Poteſtates, ſive etiam contra perſonas, quæ pro ipſis in ſyndicatu fidejuſſerint, procedatur, ita ut tam ab eis quàm ab ipſis reis principalibus illatum damnum, inexacta debita, indebitæque expenſæ, & quæ in hac conſtitutione continentur mulctæ, cum ſimili lucro perſonis prædictis applicando exigantur. Ac propterea tam ipſi Gubernatores, Præſides, Poteſtates, quàm Procuratores Fiſcales in præmiſſis culpabiles, officiis per eos obtentis eo ipſo privati, & ad illa atque alia ſimilia de cetero obtinenda perpetuò inhabiles & incapaces ſint, & eſſe cenſeantur.

*Gubernatores, & alii officiales gratis omnia faciant.*

§.11. Prælati verò, Gubernatores, & Poteſtates, eorumque Cancellarii, Secretarii, Tabelliones, aut Miniſtri, vel familiares, nihil omninò, ne minimum quidem occaſione ſyndicatus hujuſmodi, vel pro ſententia ferenda, aut pro Tabella, ſeu Libello conficiendo, revidendo,

vel

vel licentia, ut præfertur, concedenda, ſubſcribenda, vel taxa facienda emolumenti, aut regalium, neque etiam pro mercede, aut labore, ſive alias, ut præfertur, percipiant, & ſi quid perceperint, etiam tanquam hujus conſtitutionis violatores, pœnas quæ in ea ſunt deſcriptæ, ipſo facto incurrant.

*Communitates earum bona nō alienent, neque obligent, contra formam Bullæ Sixti V. 42. ſup. fol. .... ultra his addita.*

§. 12. *Ceterum omnibus, & ſingulis Communitatibus, Univerſitatibus, & Populis quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & Locorum Status noſtri temporalis Eccleſiaſtici, earumque Senatui, Conſiliis, Adunantiis, & Congregationibus, Magiſtratibus, & Adminiſtratoribus, eorumque ſingularibus perſonis, diſtrictè interdicimus, & prohibemus, ne quis eorum, vel earum, ſub quovis prætextu, aut cauſa, etiam urgenti, & neceſſaria, contra conſtitutionem fel. recordat. Sixti Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Intet varias, & multiplices, quam nos harum ſerie approbamus, innovamus, & ampliamus, bona, aut jura ſua vendat, alienet, hypothecet, aut cenſus ſuper illis imponat, aut pro ſe, præterquam ex cauſa locationis tantum ad modicum tempus, & ſolutionibus non anticipatis, non autem titulo conductionis, nec ullo modo* pro aliis obliget, ſive ære alieno ſe obſtringat.

*Neque Oratores ad Sedem Apoſtol. abſque licētia transmittant, & ne mortale munus ſuſcipiāt contra formam d. bullæ.*

§.13. Neque Legatos, ſeu Oratores, ad nos, & Sedem Apoſtolicam ſumptibus publicis, aut etiam privatis, & propriis ipſorum Legatorum, neque etiam ſi ipſi ſponte id munus ſuſcipere, & de ſuo proprio impenſas ſubire velint, unquam mittant, néve ſub nomine Agentis, aut negotiorum geſtoris, vel Procuratoris, alias quam ad neceſſariam litium proſecutionem in Romana Curia pariter expenſis communibus, aut privatis, retinere, aut mittere, neve quiſpiam id munus ſuſcipere, aut obire audeat, niſi habita prius, quoad obligationes, & alienationes, licentia, juxta prædictæ Sixti prædeceſſoris Conſtitutionis tenorem, quo verò ad mittendos Legatos, ſeu Oratores, à nobis vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice, vel ab eo qui conſultationibus negotiorum Status Eccleſiaſtici pro tempore, præerit dumtaxat in ſcriptis obtenta, ſine qua ſi quis id munus ſuſcipere auſus fuerit, præter alias per Sixtum prædeceſſorem inflictas pœnas, etiam officiis per eum obtentis eo ipſo privatus, & ad illa, & alia quæcumque obtinenda perpetuò inhabilis, & incapax, necnon infamis, & ignominia, atque infamia notatus cenſeatur.

*Donare quicquam quibuſvis perſonis nec præſumant, nec pro eis aliquid de Communitatis pecunia impendere. Conſonat bula 3. Pauli II.*

§.14. Ad hæc, prohibemus pariter ne prædictæ Communitates, Univerſitates, earumve Collegia, Senatus, Adunantiæ, Congregationes, Magiſtratus, Officiales, aut ſingulares perſonæ ullo modo præſumant ex fructibus, redditibus, & proventibus, collectis vel contributionibus, certis vel incertis, ordinariis, ſeu extraordinariis, eorum ærarii, ſeu maſſæ communis, ſive ex pecuniis, etiam privatis, & particularibus ſingulorum civium per viam voluntariæ collectæ, ſeu contributionis in commune congeſtis, etiam cujuſvis ſtatuti, ſeu conſuetudinis, aut veriùs corruptelæ prætextu, ex quavis cauſa, etiam ſolita, & rationabili, munera, aut dona quæcumque cuivis Legato, Vicelegato, Gubernatori, Protectori, Viceprotectori, Præſidi, Officiali, aut perſonæ, etiam quavis, tam Eccleſiaſtica, etiam Pontificali, aut alia majori, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalatus, quàm mūdana dignitate fulgenti, ſeu illius conſanguineis, affinibus, familiaribus, aut miniſtris, mittere, tradere, aut largiri, aut in alicujus, etiam Legati, Vicelegati, Gubernatoris, Præſidis, Benefactoris, aut Protectoris honorem, etiam occaſione hoſpitii, aut tranſitus, vel primi ingreſſus, aut beneficiorū acceptorum memoriam, gratique animi teſtificationem, pro conſtruendis, ornandis, aut erigendis perpetuò, vel ad tempus Portis, Arcubus, Trophæis, Porticibus, Mœnibus, aut aliis monumentis, ſeu pro prædictis perſonis, quavis dignitate vel auctoritate fungentibus, honorificè, lautè, opiparè excipiendis, ſeu pro quibuſvis conviviis, aut hoſpitiis, etiam moderatis, eiſdem, aut cuivis alteri, quacumque occaſione, vel cauſa exhibendis, aut pro perſonis quæ illos comitentur, aut illis miniſtrent, vel obviam procedant, pretioſis veſtibus induendis ullas pecunias erogare.

*Munera ſu... fol. 298. lib. .. Salariaque officialium.*

§.15. Vel pro congiariis, miſſilibus, aut muneribus publicis, ſeu etiam cibariis, eſculentis, & poculentis, epulis, comeſſationibus, aut compotationibus, Populo, aut Magiſtratibus vel Officialibus ultra eorum ſalaria, & emolumenta, *de jure vel ex laudabili* conſuetudine debita largiendis, ſeu pro præſtandis pueris vel adoleſcentibus ſtudiorum cauſa alimentis vel dotibus puellarum non egentium augendis, aut pro exhibendis ſpectaculis, etiam piis, & intra Eccleſias, vel extra eas, in quibuſvis publicis, aut privatis, ſacris, aut prophanis locis, etiam ubi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè geſtæ Populis ſpectandæ proponuntur, ſive etiam piorum operum, & charitatis, ſeu eleemoſynæ prætextu, aut aliàs in prædictis, ſeu aliis rebus ſupervacaneis in dicto Libello, ſeu Tabella non contentis, ſed ad pompam, & oſtentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus, ſumptus, aut impenſas aliquas facere, niſi reipſa pro divino cultu, & veris CHRISTI pauperum indigentiis, de conſilio, & conſenſu loci Ordinarii ſublevādis, aut pro iis tantum piis ludis publicis, qui ex inveterato uſu permittuntur, & in prædicta Tabella, ſeu libello exprimuntur, taxàm à Gubernatore, ſeu Præſide, aut Poteſtate ipſius Provinciæ, Civitatis, aut Loci cui ſubſunt præfigendam, quæ in ſupradicto Libello, ſeu Tabella comprehenſa erit, non excedeutibus, ſumptus hujnſmodi fiant.

*alimenta ſtudentium, dotes puellarum augere, aut alio prætextu quicquam ultra Tabellam expendere non valeant, niſi, &c.*

*Litigantes cum Cōmunitatibus, vel earum debitores, aut bonorum occupatores, & qui rationem adminiſtrationis non reddiderunt, ad publica officia non admittātur.*

§.16. Prohibemus inſuper ne quicumque Cives, Oppidani, aut Incolæ, qui ſuæ communitatis, aut univerſitatis bonorū detĕtores, uſurpatores, occupatores fuerint, quive contra ipſas Communitates litem aliquam, ſeu controverſiam habuerint, quæ ad hunc effectum per ſolam unicam citationem cœpta, & inchoata cenſeatur, eadem lite, ſeu controverſia durante, necnon qui ejuſdem ſuæ Communitatis, ſive Univerſitatis debitores ex quacumque cauſa extiterint, earumve bona, aut pecunias adminiſtraverint, antequam id quod debent, integrè perſolverint, ſeu rationes adminiſtrationis reddiderint, cum ejus reſidui, in quo debitores remanſerint, reali reſtitutione, ad obtinendos, gerendos, aut exercendos aliquos in ea Civitate, Provincia, Oppido, Terra, Caſtro, aut Loco Magiſtratus, aut munera quæcumque, vel officia publica, ullo modo eligantur vel admittantur. Et ſi de facto electi, admiſſive fuerint, Electio, & admiſſio irrita ſit, & nulla, & tam ipſi quàm eligentes, ſive admittentes, necnon Gubernatores, Præſides, & Poteſtates qui id permiſerint, vel etiam exactam ſuper his inquirendis, & prohibendis diligentiam, prout eos teneri volumus, & decernimus, non adhibuerint, pœnis in hac conſtitutione contra illius tranſgreſſores inflictis plectantur.

*Locationes, vel affictus Communitatum fiant cum idonea fidejuſſione, & cum pacto prohibitivo cujuſcumque defalcationis.*

§.17. Porrò locationes, ſeu affictus, tam vectigalium, quæ Gabellæ, aut datia dicuntur, quàm aliorum quorumcumque reddituum, proventuum, jurium, & emolumentorum, ad commune ipſarum Civitatum, & locorum ærarium quomodolibet ſpectantium, ſtatuimus, & jubemus omninò ſervatis ſervandis, atque adhibitis ſolemnitatibus quæ de jure, aut cujuſlibet loci ſtatuto, vel conſuetudine requirūtur, cum perſonis fide, & facultatibus idoneis, quæ idoneas pariter, & in publico conſilio approbatas cautiones præſtent, iniri, & cōtrahi debere. In quibus ſanè locationibus, ſeu affictibus ea ſemper conditio, & pactio addatur, ut ipſæ Communitates, ſive Univerſitates ab omni prorſus detractione, ſeu remiſſione, & ut vulgò dicitur, defalcatione, ex quocumque ac inopinato, & inſolitiſſimo belli, incurſus militum, depopulationis agrorum, direptionis, aut ſiccitatis, alluvionis, grandinis, tempeſtatis, incendii, aut alio quovis maximè fortuito caſu, atque ex quovis capite, ac etiam legitima, & urgenti amiſſionis, aut diminutionis fructuum, etiam omnium, vel majoris partis, aut ſterilitatis, vel alia quavis cauſa cogitata, vel incogitata, cogitabili vel incogitabili, ſint prorſus immunes, nec ad id cogi poſſint, etiamſi de jure tenerentur, ſed integrè ſemper reſponſiones & præſtationes, ſeu penſiones annuæ, abſque ulla diminutione per ipſos conductores eis ſolvi debeant, & quamvis pactum hujuſmodi forſan in contractibus omiſſum fuerit, nihilominus vigore præſentium literarum tacitè ineſſe, & ſubintelligi debere, perinde ac ſi id ipſum inter contrahentes expreſsè cautum, & Conventum fuiſſet: Sublata omnibus Judicibus, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. ac ſacri Palatii Apoſtolici Auditoribus aliter judicandi & interpretandi facultate.

§.18. De

*Depoſitarii Communitatum non admittantur ad officium antequam præſtent idoneam fidejuſſionem.*

§. 18. Depoſitarios quoque pecuniarum, & introïtuum communis ærarii cujuſlibet Communitatis, ſive Univerſitatis, non aliter eligi, deputari, aut admitti volumus, niſi priuſquam id munus aſſumant, idoneam arbitrio Gubernatoris, Præſidis, aut Poteſtatis cautionem præſtent. Alioquin tam ipſas locationes, affictus, ſeu appaltus, quàm Depoſitariorum deputationes, ſive electiones, aut admiſſiones, cum omnibus inde ſecutis, etiam obligationes in forma Cameræ Apoſtolicæ juramento, aut inſtrumento publico vallatas, irritas, & nullas cenſeri. Et nihilominus Magiſtratus, ſeu officiales, qui contractus ipſos inierint, Depoſitarios admiſerint, vel in publico conſilio aſſenſum dederint, unà cum ceteris conſentientibus, pariter pœnis in hac conſtitutione expreſſis teneri decernimus, & declaramus.

*Exemptiones quæcumque à Communitatibus conceſſæ revocantur, & in futurum conceſſi prohibentur. Cauſa movenda ſuper exemptionibus manu regia à Cardd. deputatis cognoſcantur, ut mox infrà.*

§. 19. Prætereà auctoritate Apoſtolica tenore earumdem præſentium revocamus, irritamus & annullamus omnes, & quaſcumque exemptiones, immunitates, remiſſiones, condonationes jurium, atque onerum, realium, & perſonalium, aut mixtorum, Cameræ Apoſtolicæ, ſeu eorum communi ærario debitorum, aut vectigalium, gabellarum, datiorum, portoriorum, dohanarum, collectarum, ſubſidiorum, contributionum, cuivis particulari perſonæ pro rata illos quomodolibet tangenti, ſive prædiis, aut bonis per eas poſſeſſis, per quaſcumque Communitates, ſeu Univerſitates, ex quavis cauſa, etiam legitima, & de jure debita, ſeu permiſſa, qualis eſt ob numerum duodecim filiorum, & quacumque occaſione, etiam ſub prætextu tituli oneroſi, & contractus ultro citroque obligatorii, etiam publico conſilio, & communi omnium conſenſu, perpetuò, vel ad tempus conceſſas, etiamſi id ſine ullo Cameræ Apoſtolicæ damno, aut præjudicio factum fuerit, ratamque ipſam eædem Communitates, & Univerſitates in ſe ſuſceperint.

*Decretum irritans.*

§. 20. Diſtrictiùs inhibentes, ne quid tale in poſterum concedere, aut attentare præſumant, ac revocantes ex nunc in irritum quicquid circa omnia & ſingula præmiſſa, præter, aut contra hæc noſtra interdicta, prohibitiones, ſtatuta, ordinationes, juſſa, voluntates, decreta, mandata, aut præcepta, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contravenientes in prædictis pœnas hic deſcriptas incurrunt.*

§. 21. Quod ſi quis conjunctim cum ceteris, ſeu diviſim, noſtrarum hujuſmodi prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, juſſionum, decretorum, mandatorum, voluntatum, aut præceptorum violator, ſeu tranſgreſſor extiterit, ſtatuimus ut præter ſuperiùs expreſſam reſtitutionem, aut ſolutionem, ſeu damni refectionem, ii qui præeminentia, aut gradu aliquo ceteris ſuperiores fuerint, niſi pro viribus id quod contra hanc conſtitutionem attentatum geſtumve eſt, impedire tentaverint, ſuumque aſſenſum omninò conſtanter denegaverint, omnibus, & ſingulis per eos obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, officiis, & Magiſtratibus eo ipſo privati, ac tam ipſi, quàm alii inferiores, qui id ſuaſerint, procuraverint, petierint, propoſuerint, aut ipſimet fecerint, vel ab aliis fieri juſſerint, ad illa, & alia, ſimilia vel diſſimilia in futurum obtinenda inhabiles perpetuò, & incapaces, ac perpetua infamia, & ignominia notati, & ſinguli eorum, ſi ſolvendo fuerint, ultra prædictam reſtitutionem, ad duplam ejus damni quod communi maſſæ, ſeu menſæ illatum fuerit, de ſuo reficiendum obligati exiſtant, ſin minus pœna exilii, aut carceris ſaltem triennalis plectantur. Alii verò qui ſolummodò conſenſum tacitè vel expreſsè præſtiterint, ſi ſolvendo fuerint, tantumdem pecuniarum quantum erogatum extiterit, de ſuo perſolvant, ſin autem id propter inopiam præſtare nequiverint, pœna aliqua corporis afflictiva Superiorum arbitrio puniantur, & ejuſmodi mulctarũ quarta pars inter eos dividatur, qui quantum in eis fuerit, contradixerint, ſeque oppoſuerint, vel poſt conſenſum præſtitum erroris pœnitentes, Superioribus id primi denunciaverint.

*Contra quos extenditur Bonifacii VIII. conſt. 1. ſuprà, fol. 155. lib. 1. & Gregorii XIII. conſtit. 14. fol. 295. lib. 1.*

§. 22. Sed & conſtitutiones piæ memoriæ Bonifacii Octavi, & Gregorii Decimitertii Rom. Pontif. prædeceſſorum noſtrorum contra paciſcentes, promittentes, dantes, aut recipientes quicquam parvum, vel magnum, pro gratia vel juſtitia pro ſe, vel aliis obtinenda, & contra complices vel dantes in præmiſſis auxilium, conſilium, vel favorem, cum omnibus in eis contentis pœnis, cenſuris, & extenſionibus, quæ ſupradictis aggravatæ, & additæ, non autem per eas imminutæ, aut immutatæ cenſeantur, harum ſerie approbamus, & innovamus, ac ad omnes ſuperiùs expreſſas perſonas, etiam ſpeciali nota dignas, quæ contra ultimò dictas conſtitutiones in quibuſvis caſibus per eas expreſſis, dando, recipiendo, promittendo, paciſcendo, conſentiendo, aut permittendo, non ſolùm apud Sedem Apoſtolicam, ſed in quibuſvis Tribunalibus, & eorum quibuſcumque Judicibus, cum laïcis Almæ Urbis, ac tam in Romana Curia quàm extra eam, in quibuſlibet temporali ditioni noſtræ mediatè vel immediatè ſubjectis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis deliquerint, per eaſdem præſentes extendimus, & ampliamus, pœnis aliis à jure, vel per alias conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria locorum ſtatuta, vel conſuetudines, contra perſonas aliquid præmiſſorum committentes, vel omittentes, forſan decretis, vel inflictis, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

*Executio hujus conſtitut. ab omnibus obſervetur.*

§. 23. Quocirca univerſis, & ſingulis modernis, & pro tempore exiſtentibus ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Theſaurario generali, necnon Legatis, Vicelegatis, Præſidibus, Gubernatoribus, Poteſtatibus, ac Prioribus, Maſſariis, Magiſtratibus, & Officialibus, ceteriſque ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli, quantum ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate, & vigilantia præſentem conſtitutionem firmiter & inviolatè obſervari. Et contra inobedientes vel tranſgreſſores condignis pœnis animadverti.

*Debitores ſive Communitatum manu regia ad ſatisfaciendum compellãtur, quibuſcumque inhibitionibus non obſtantibus. Recurſum habeant ad Cardd. deputatos, ut hic infrà.*

§. 24. Præcipuè verò ipſi Legati, Vicelegati, Præſides, Gubernatores, & Poteſtates, contra quoſcumque Communitatum, ſive Univerſitatum debitores, pro exactione integræ ſummæ, & quantitatis, quæ earum communibus ærariis debetur, & pro tempore debebitur, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, ſine ſtrepitu, & figura judicii, manu regia, in vim præſentis conſtitutionis, etiam quavis inhibitione, tam à prædicto Camerario, ſeu cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditore, quàm à quocumque alio Judice ordinario vel delegato, quavis auctoritate fungente, etiam forſan in vim ſpecialis commiſſionis decreta non obſtante, juris, & facti remediis opportunis procedant, & omni & quacumque appellatione remota exequantur, eoſdem inobedientes, necnon contradictores quoſlibet, & rebelles, per opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſ. derog. contrariorũ.*

§. 25. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictarumque Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Caſtrorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta, effectus præſentis noſtræ conſtitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri. Quæ omnia, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, prorſus tollimus, & abrogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Juſſio publicandi hanc conſtit.*

§. 26. Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis ſancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimiſſis.

*Deſcribendique in libris Statutorum, & quotannis in publicis Conſiliis bis legendi, & in publico loco tenendi.*

§. 27. Quodque earum exempla, ſeu illorum compendia, latino, aut vulgari ſermone conſcripta, in libris quorumcumque Statutorum prædictarum Communitatum, & Univerſitatum inſerantur, & ſaltem bis quotannis in publicis, & majoribus conſiliis, ſive adunantiis cujuſque Communitatis, ſive Univerſitatis, alta & intelligibili voce legantur, atque in publico etiam aliquo omnibus patenti loco, ubi frequenter Cives, aut Oppidani convenire ſoleant, perpetuò affixum retineatur, adeò ut ſi contingat exempla hujuſmodi inde amoveri, aut lacerari, ſeu temporis diuturnitate conſumi, debeant omninò Priores, Maſſarii, Cancellarii, ſive alii earumdem Communitatum ſive Univerſitatum Officiales, ſub privationis officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, vel alia poſtmodùm obtinenda, & aliis etiam gravioribus corporis afflictivis pœnis, ipſo facto incurrendis curare, ut ſtatim eadem

exempla

exempla renoventur, & denuo affigantur, & ſi id commodè fieri poterit, in marmoreo aliquo lapide ad perpetuam memoriam inſculpantur.

*Gubernatores, aliique officiales, ante admiſſionem ad Officium, hanc conſt. obſervare jurent.*

§.28. Demùm à ſingulis Legatis, Vicelegatis, Præſidibus, Gubernatoribus, *Poteſtatibus, necnon* Communitatum, ſeu Univerſitatum *Prioribus, Maſſariis*, Cancellariis, aut quocumque *nomine nuncupatis Officialibus*, initio Magiſtratus, *antequam ad illum exercendum* admittantur, ſuper earumdem *præſentium* literarum obſervatione jusjurandum ſolemne *publicè præſtetur.*

*Omnes hæc conſtit. liget poſt publicationem in Rom. Curia.*

§.29. Et nihilominus poſt *triginta dies à die publica*tionis, ut præfertur, in Rom. Cur. faciendæ, unumquemque perinde arctent & afficiant, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, & per eos juratæ fuiſſent.

*Transſumptorum fides.*

§.30. Quodque earum tranſumptis, etiã impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtẽſæ. Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A. 1. die 15. Aug.*

Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnat. Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, 18. Kal. Septembris, Pont. noſtri anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti* 1592. *indict.* 5. *die verò* 21. *menſis Auguſti, Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. Domini Clementis divina Providentia Papa VIII. anno ejus* 1. *Supradicta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum Sanctorum Petri, & Ioannis Lateran. de Vrbe, necnon in acie Campi Floræ, & ad valvas Cancell. Apoſtolicæ, per nos Ioſephum Spadam, & Paſchalem Sanctorium, prælibati S. D. N. Papæ Curſ.*

*Franciſcus Baron Mag. Curſ.*

---

*Sequitur deputatio Cardinalium ad cognitionem cauſarum ipſarum Communitatum.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Dilectis filiis noſtris Antonio Mariæ, S. Mariæ de Pace, Salviato, ac Mariano, SS. Marcellini, & Petri titulorũ Presbyteris, de Camerino, & Alexandro, S. Laurentii in Damaſo Diacono, Cardinalibus Montalto nuncupatis.*

*Prætenſiones debitorum Communitatum antedictarum.*

CUm per conſtitutionem nuper à Nobis editam ſuper bono regimine, & adminiſtratione reddituum Communitatum, & Univerſitatum ditionis temporalis Eccleſiaſticæ univerſæ, inter alia præceperimus, ut cuncti earũ debitores, ad ſolvendum id quod debent, per earum Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Præſides, aut Poteſtates, omnibus opportunis juris, & facti remediis quamprimùm omninò compellantur, multi autem ex ipſis debitoribus prætendant ſe non teneri, nec debita ipſa liquida eſſe, & à mandatis, ſeu ſententiis per prædictos Judices relaxatis, ad nos & Sedem Apoſtolicam appellantes, ſeu de nullitate dicentes, petant executionem hujuſmodi tandiu ſuſpendi, donec de juſtitia appellationum cognoſcatur. Alii cùm id quod debent, tergiverſatione aliqua nequeunt denegare, executionem ſaltem variis artibus eludere ſatagunt, & ne bona ſua haſtæ ſubjiciantur, diverſa impedimenta excogitent. Proinde nos volentes eorum quidem, quibus minùs juſtæ moleſtiæ inferuntur, indemnitati conſulere, iis contrà, qui ſub prætextu frivolæ appellationis, aut aliàs quoquo modo debitas ſolutiones retardare conantur, omnem fraudis viam præcludere.

*Iuriſdictio Cardd. deputatorum ad cognoſcendas cauſas appellationum, & gravaminum debitorum Communitatum, exemptionumque validitatis. Defalcationum, & remiſſionum, &c. Ampliavit, & poſtea declaravit hãc juriſdictionem S. D. N. Paul. V. indicãs ut ſup. in rubr.*

§.1. Circumſpectioni veſtræ, aut duobus ſaltem ex vobis conjunctim procedentibus, privativè quoad omnes, & quoſcumque alios Judices ordinarios, vel delegatos, quavis dignitate & auctoritate fulgentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, Vicecamerariũ, Theſaurarium generalem, Cameram Apoſtolicã, ejuſque cauſarum generalem Auditorem, aut Præſidẽtes, Clericos, ac Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores, ac etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Legatos etiam de latere, tam in Romana Curia, quàm extra eã juriſdictionẽ exercentes, omnes, & quaſcumque cauſas appellationum, reclamationum, recurſuum, nullitatum, ſeu notoriæ injuſtitiæ, necnon reviſionis, etiã prætextu cujuſvis erroris, etiã calculi, aut reductionis ad arbitrium boni viri, ac reſtitutionis in integrum, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper validitatibus, & invaliditatibus quarumcumque exemptionum, vel immunitatum, quibuſvis perſonis per eaſdem Communitates, ſeu Univerſitates, ſive etiam auctoritate Apoſtolica, & per nos, ſeu prædeceſſores noſtros cõceſſarum, & an ſint admittendæ, necne, ac ſuper prætenſis remiſſionibus, ſeu defalcationibus ſolutionum eiſdem Cõmunitatibus debitarum, ob quoſcumque in dicta conſtitutione expreſſos, vel nõ expreſſos fortuitos caſus, vel ex quacumque alia cauſa, caſu, culpa, vel facto cujuſcumque perſonæ, aut aliàs ad inſtantiam quarumcumque perſonarum, quæ ipſis Communitatibus, ſeu Univerſitatibus aliquid debent, vel debeant prætenditur, aut quippiam ex præmiſſis petunt, tam laïcorum, quàm Clericorum, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtentium, etiam Cardinalatus honore fulgentium, etiamſi Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum, quàm Mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, Eccleſiæ, aut loca pia, quocumque privilegio, immunitate, vel exemptione ſuffulta extiterint, ſive etiam vice verſa ad ipſarum Cõmunitatum, ſeu Univerſitatum inſtantiam, contra prædictos, vel alios quoſcumque, aut inter ipſaſmet Communitates invicem, occaſione cujuſvis laudi, arbitramenti, ſententiæ, decreti, aut mandati, per prædictos Gubernatores, Poteſtates, aut Præſides, vel Legatos, aut quoſcumque alios Judices, ſeu Commiſſarios, etiam ad id delegatos, vel ſubdelegatos, aut arbitros, vel arbitratores, in vim conſtitutionis noſtræ prædictæ, ſeu aliàs quomodolibet lati aut relaxati, motas aut movendas, cum illarum dependentiis, emergentibus, incidentibus, annexis & connexis, ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, etiam terminis ſubſtantialibus non ſervatis, manu regia audiendi, cognoſcendi, & ſine debito terminandi, ac ſuper iis expreſſis, & aliis quibuſvis Judicibus, & perſonis, quoties opus fuerit, ſub cenſuris & pœnis arbitrio veſtro infligendis, moderandis, & applicandis inhibendi, ſive inhibitiones quaſcumque ab eis editas, etiam vigore quarumcumque commiſſionum Apoſtolicarum, non tamen manu noſtra ſignatarum moderandi, aut revocandi, & prout juſtum vobis videbitur, mandata quæcumque neceſſaria & opportuna decernendi, relaxandi, & omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recurſu omninò poſthabitis, exequendi, plenam & liberam facultatem & poteſtatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & impartimur.

*Cogendi quos cõſanguineos debitorũ, ad redimendum eorum bona.*

§.2. Præterea cùm ſæpenumerò contingat debitas executiones mandatorum in favorem earumdem Communitatum relaxatorum, ea ſpecie eludi, quod non reperiatur qui bona debitorum auctioni ſubjecta emere velit, eidem circumſpectioni veſtræ per præſentes committimus, & mandamus, ut tam cauſis hujuſmodi per vos cognitis, quàm etiam non cognitis, eorum, contra quos de prædictorum Judicum, ſeu veſtro mandato, occaſione prædictæ noſtræ conſtitutionis executio aliqua facienda erit, bona vendi, & auctioni ſubjici, & ſi intra brevem terminum nemo qui illa emat, repertus fuerit, conſanguineos, & affines proximiori gradu conjunctos, ad illa emenda cogi, prout in bonis ex crimine, & delicto confiſcatis, & publicatis, ad inſtantiam Procuratoris Fiſci fieri ſolet, ceteraque omnia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna decernere, mandare, & exequi, etiã omni, & quacumque appellatione, reclamatione, & recurſu penitus remotis, vel inhibitione ſuperiùs expreſſorum, vel aliorum quorumcumque, vel litis pendentia non obſtante, auctoritate noſtra curetis, ſuper quo etiam plenam eiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Præſidibus, & Poteſtatibus facultatem tribuatis.

*Clauſula derogativa.*

§.3. Non obſtantibus præmiſſis, ac etiam aliis omnibus, quæ in conſtitutione noſtra prædicta voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 1. die 30. Oct.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Octob. 1592. Pontific. noſtri anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti* 1592. *indict.* 5. *die verò* 5. *menſis Novemb. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Clementis divina Providentia Papa VIII. anno ejus* 1. *ſupradicta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum Sanctorum Petri, & Ioannis Lateran. de Vrbe, necnon in acie Campi Floræ, & ad valvas Cancell. Apoſtolicæ, per nos Ioan. Baptiſtam Bagni, & Franciſcum Baron, prælibati S. D. N. Papæ Curſ.*

*Hieronymus Lutius Mag. Curſ.*

Confir

## Confirmatio, declaratio, & extenſio Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Concilii Tridentini, contra pugnantes in Duello publicè, vel privatim, mittenteſque, ſcribentes, aut divulgantes chartulas provocatorias, aut ſcripta, quæ dicuntur Manifeſta, eorumque complices, & fautores.

*Duellorum prohibitionem in Statu Eccleſiaſtico primùm edidit Iulius II. in conſt. 19. Regis, fol. 476. & deinde Leo X. in conſtit. 31. Quam Deo, fol. 441. Sed generalem prohibitionem primò promulgavit Pius IV. in conſtit. 21. Ea quæ, fol. 24. ac poſtea Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. & poſtremò ante hunc Pontificem, ampliavit Gregorius XIII. in conſtit. 78. Ad tollendum, fol. 24.*

*Edita A. D. 1592.*

### CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

ILlius vices, licet immeriti, gerentes, qui ut animas ſuorum fidelium à peccato, & diaboli laqueis liberaret, de cœlo deſcendens, humana carne aſſumpta, nec proprio quidem ſuo pretioſiſſimo ſanguini pepercit, ſed ſeipſum in Ara Crucis immaculatam hoſtiam æterno Patri offerre voluit, in hanc præcipuè curam ſummo ſtudio incumbimus, ut eaſdem animas inæſtimabili pretio redemptas adverſus Satanæ fraudes, quantum in nobis eſt, illæſas præſervemus, præſertim verò totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus divina Majeſtas graviùs offenditur, quæque eodem fabricante humani generis hoſte, inventa, atque introducta ſunt, ut ex cruenta corporum morte, animarum etiam ſimul interitus, ac pernicies ſequatur.

*Pius IV. contra ubique duellantes, & duellum permittentes, vel auxiliantes pœnas inflixit, in ſua conſt. cit. in rubr.*

§. 1. Rectè ſiquidem, & ſalubriter Fel. rec. Pius Papa Quartus prædeceſſor noſter, poſt alios complures ſuos, noſtroſque prædeceſſores, qui deteſtandum divina, naturalique lege, ac ſacris canonibus damnatum duellorum abuſum ſuis etiam conſtitutionibus ſeverè prohibuerant, graveſque pœnas contra quoſcumque temporali ditioni S. R. E. mediatè vel immediatè ſubjectos, ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non ſolùm in terris prædictis, ſed aliàs ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domicellos permittentes in ſuis Dominiis id patrari, ac etiam extra Terras, & Loca ditioni Eccleſiaſticæ ſubjecta hujuſmodi duella, ſeu ſingularia certamina, aut diffidationes deſuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, conſilium, vel favorem dantes, illiſque aſtantes, & intereſſentes, necnon chartas deſuper ſubſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intromittentes ſingulos, Imperatore, ac Regibus inferiores, majoris excommunicationis, ac ſi Eccleſiaſtici fuerint, ultra eam, etiam privationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, inhabilitatiſque ad illa, & alia in poſterum obtinenda, pœnis ſubjacere, eaſque incurrere voluit, à quibus nonniſi à Romano Pontifice abſolvi poſſint.

*Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 19. Principibus duella permittentibus, pugnantibuſque, & aliis graves pœnas impoſuit.*

§. 2. Sed & poſtmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Chriſtiano Orbe hoc malum, ſtatuit ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione, & Dominio Civitatis, Caſtri, aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta ſacros canones puniri debeant. Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli, tam de jure quàm facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint, necnon ſpectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

*Greg. XIII. ad duella etiam privatim commiſſa extendit in ſua conſtit. cit. in rub.*

§. 3. Quas pœnas noviſſimè piæ mem. Gregorius Papa XIII. pariter prædeceſſor noſter extendit adverſus illos etiam omnes, qui non publicè, ſed privatim, ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento monomachiam commiſiſſent, etiam patrinis, ſociiſve non vocatis, & loci ſecuritate non habita, & provocatoriis literis minimè præcedentibus, etiam contra locorum dominos, ſi id (quantum in ſe fuerit) non prohibuiſſent, ceteroſque ſupradictos criminis ſocios, & ex compoſito ſpectatores, etiamſi pugnam ob aliquod impedimentum non commiſiſſent, ſi ad locum acceſſiſſent pugnaturi, & per eos non ſtetiſſet quominus pugnarent.

*Hic modò Pont. dictas conſt. & Concilium approbat.*

§. 4. Verùm quia cum magna animi noſtri moleſtia intelleximus adhuc in quibuſdam, præſertim tranſalpinis, ac remotis regionibus, & potiſſimùm ubi bella vigent, caſtrenſi quadam, & militari licentia, ſeu veriùs audacia pernicioſum hoc ſcelus inter fideles exerceri, quaſi fas ſit in ſolo hoſtili, ubi Chriſtiani nominis, ſeu Catholicæ fidei hoſtes tyrannidem exercent; ſive hæreſes, & ſchiſmata impunè graſſantur, ſive inter ſigna, & caſtra militaria in caput ſuorum fratrum impios convertere mucrones, quos multò ſalubrius contra Chriſti adverſarios ſtringi par eſſet. Nos nefaria diaboli arma ſalutari Eccleſiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipuè ipſius Domini auctoritate tradito retundere, atque à cervicibus gregis Domini noſtræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adjutore) eniti poſſumus, propulſare cupientes, prædictas omnes Conſtitutiones, ac Decretum Concilii Tridentini, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis cenſuris, & pœnis, decretis, extenſionibus, quarum, & quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & ad verbum inſertis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus.

*Eaſque Bullas, & earum pœnas ad certas perſonas, & loca hic enunciata extendit.*

§. 5. Ac inſuper auctoritate, & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus eaſdem Conſtitutiones, ac Decretũ locũ habere ubique gentium, & terrarũ, inter quaſcumque perſonas, etiã armatas, & in Caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiã ubi noſtrorum, & Sanctæ Rom. Eccleſiæ, aut Catholicæ fidei hoſtium furor impunè graſſatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis. Idem quoque juris cenſendum eſſe, ſi publico, & forſan juſto bello indicto, miles aliquis alterum in adverſariorum exercitu militantem, ſive aliàs in hoſtium caſtris, præſidiis, aut Terris degentem, privatas ſimultates atque inimicitias publicæ cauſæ intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu, ex condicto ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum provocet. Necnon iiſdem pœnis, decreto & Conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ ſint de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit. Vel ſi convenerint, ut non ſinguli, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non ſolùm locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in Caſtris vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo; vel cum militibus exercitus adverſariorum monomachiam in quocumque caſu per præſentem, vel alias Conſtitutiones hujuſmodi prohibitam, permittentes, vel quantum in ipſis eſt, non prohibentes, aut poſt dimiſſum crimen veniam & impunitatem concedentes.

*Scripta quoque omnia ad duellum quaſi præparatoria prohibuit.*

§. 6. Præterea pari ratione prohibemus omnia, & ſingula ejus generis ſcripta, Manifeſta, ſeu fides vulgò appellata, quæ etiam ſine expreſſa provocatione ad certamen, tamen quaſi præparatoria quædam ad chartulas, ſeu libellos provocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices aut ſemina, utplurimùm laceſſendi aliquẽ ad pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis, atque inimicitiæ materiam, & occaſionem præbent. Dum ſcilicet in illis per modum epiſtolæ, libelli, aut publicæ atteſtationis, & intimationis, ſive per authentica documẽta, ſive per unius, pluriumve chirographum, ſubſcriptiones, aut relationes; ſub prætextu proprii, vel alieni honoris & famæ, more militari, atque ut vulgò dicitur, Cavalleresco, tuendi aut lædendi, ſive ad illatæ, propulſatæve contumeliæ, aut injuriæ probationem, ſeu tollendam illius ſuſpicionem rei alicujus geſtæ ad id pertinentis, vel verborum, aut reſponſionum ſeries, & ordo narratur, vel ex ſimili abuſu hac de cauſa aliquid tale adeò firmiter aſſeritur, aut

aut negatur, ut qui *contradixerit iis, ſive nominatim*, ſive in genere, mendacii *arguatur, aut mentiri dicatur.* Aut ad hunc effectum ex militari etiã *conſuetudine quæritur*, declaratur, aut reſpondetur, qua mente, aut *quo ſenſu* quippiam ejuſmodi, quod ad ſuperiùs expreſſa *ſpectet*, geſtum dictumve ſit. Vel denique offert ſe quiſquã con- *tra certam, vel incertam* perſonam, vel generatim contra *quemcumque ad* probandum armis, & verificandum etiam *initio certaminis aliquid in eſſe*, aut fuiſſe, vel non fuiſſe. Necnon quaſcumque *etiam ſine ſcripto factas talium re*rum ſupradicta quoquo modo concernentium, & ob hujuſmodi cauſas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire ſoleat, denunciationes, narrationes, declarationes, & teſtificationes. Volentes, eos omnes, & ſingulos, qui ſuo, vel alieno nomine, ad *effectũ* de quo ſuperiùs dictum eſt, prædicta, vel his ſimilia, multoque magis ad certandum provocatoria ſcripta, libellos, epiſtolas, earumve *exempla dictaverint*, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, *detulerint, divulgaverint*, affixerint, exemplaverint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint, intimaverint, & vel etiam verbo denunciaverint, ſive atteſtati fuerint. Q*uive aliis* ad ſingulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnã, ſive ad hujus generis ſcripta, quæ Manifeſta, quæque chartulæ provocatoriæ appellantur, ſcribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda auxilium, conſilium, operam, vel favorem præſtiterint, ſive id *ſuaſerint*, aut mandaverint, quive in præmiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint, etiamſi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, neque expreſſa, & aperta provocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones prædictæ, quæ Manifeſta dicuntur, in publicum prodicrint, aut cuiquam intimatæ extiterint, ſi per eos non ſteterit, quo minus publicatio, aut denunciatio fieret. Nihilominus cenſuris, & pœnis omnibus in præſenti, & aliis prædictis Conſtitutionibus, & Decreto contentis ſubjacere, tam ſi ſuperiùs enumeratis, quàm ſi aliis etiam majoribus Eccleſiaſticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentiis excellant.

*Iterumque duellantes, duellum permittentes, fautoreſque, &c. excommunicationis pœna ferit, ultra alias eis inflictas.*

§.7. Quinimò de novo, etiam per præſentes ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, excõmunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoſcumque publicè, vel privatim, palam, vel occultè, in quibuſcumque locis, modis, & formis, ac caſibus ſub præſenti noſtra, vel aliis prædictis Conſtitutionibus, ac Decreto comprehenſis, ſingulare certamen (quod Duellum vulgò dicitur) ex cõpoſito ineuntes, necnon id ſcelus ſuadentes, aut provocantes, opem, cõſilium, vel favorem præſtantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, ſeu libellos, literas, nuncios, aut quæcũque alia ſcripta hujuſmodi quomodolibet peccantes, hujuſque delicti ſocios de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores, quacũque, tam ſuperiùs expreſſa, quàm alia Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate. Ita ut ſingulares etiam perſonæ, cujuſlibet Communitatis, Univerſitatis, Collegii, aut Reipublicæ, quæ hujus criminis participes quoquo modo fuerint, nequaquã excuſentur, ſed ſupradictos omnes, eorumque ſingulos ipſo facto abſque ulla monitione, Judicis decreto, aut miniſterio, perpetui anathematis, excommunicationis majoris, & maledictionis æternæ mucrone perculſos, & damnatos harum ſerie declaramus, & ſi in ipſo conflictu obierint, ſepultura Eccleſiaſtica perpetuò privatos eſſe volumus. Ipſas verò Civitates, Terras, Oppida, vel Caſtra, & loca in quorum territoriis id facinus ſcientibus, & tacitè, vel expreſsè permittentibus, aut tolerãtibus Dominis, aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut Populo admiſſum fuerit, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, cujus interdicti relaxationem, aut excõmunicationis abſolutionẽ, ab alio quam à nobis, aut pro tempore exiſtẽte Romano Pontifice, pœnitentia, & ſatisfactione congruè peracta, niſi in mortis articulo conſtituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſvis perſonis, tam Eccleſiaſticis cujuſcumque Ordinis, aut militiæ, ſtatus, aut gradus, aut conditionis exiſtentibus, quàm laïcis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia inſignitis, per Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſorum. Quæ omnia quoad præmiſſa, nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari. *Pœnis aliis* tam ſpiritualibus quàm temporalibus contra *eos inflictis*, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

*Principes hortatur ad duella exterminanda, & delinquentes puniendum.*

§.8. *Univerſos autẽ, & ſingulos* chariſſimos in Chriſto *filios noſtros Imperatorem, Reges, ac dilectos filios* nob. Viros Duces, etiam armorum, & exercituum, Marchiones, ceteroſque Principes Chriſtianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates, & Univerſitates Civitatum, Oppidorum, & Caſtrorum, illorumque Domicellos, & *Dominos* temporales, ac etiam Militum, & copiarum, tam equeſtrium quam pedeſtrium Ductores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuſcumque etiam Nobis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ temporali juriſdictioni non ſubjectis locis conſtitutos, cujuſcumque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis exiſtentes hortamur, rogamus, & obteſtamur per viſcera D.N. Jesu Christi, ut ejus divini nominis intuitu pro ſua erga eumdem Deum, per quem regnant Reges, & à quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, & ſanctam hanc Sedem reverentia, & devotione, non modò nihil tale in ſuis Dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant, ſed hoc malum omni ſtudio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, contra quoſcumque delinquentes, & ut præfertur, quomodolibet complices, & participes, etiam temporalibus pœnis graviſſimis animadvertant, & per ſuos Officiales, & Curiæ Miniſtros procedi curent, ſcituri ſe obſequium Deo pergratum, perque acceptum præſtituros, ſi quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulſandos perditorum conatus ſunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, & ad ſumendas de hujuſmodi criminis reis debitas pœnas exercuerint, contra verò memores, ſi in re tam gravi malè ſe geſſerint, ſe in diſtricto Dei judicio rationem in noviſſimo die reddituros.

*Tranſumptis hujus bullæ credi mandat.*

§.9. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis eadẽ prorſus fides ubique gentium & locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur exhibitis, vel oſtenſis.

*Publicari eã præcipit, & ſanctionem pœnalem addit.*

§.10. Quodque eædem præſentes in Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvis de more publicentur, affixis inibi earum exemplis per aliquem ex Curſoribus noſtris, & dimiſſis, quodque eadem publicatio eos qui in Urbe ſunt poſt triduum, qui verò extra eam, & citra montes, poſt duos menſes, ultra montes verò, poſt quatuor menſes omnes quos concernunt, perinde arctet, & afficiat, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Nulli ergo omninò, &c.

*D. P. An. 1. die 17 Aug.*

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnat. Dom. 1592. 16. Kal. Sept. Pont. noſtri anno 1.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1592. indictione 5. die verò 2. menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Clem. divina Providentia Papa VIII. anno 1. ſupradicta literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicarum S. Petri in Vaticano, Principis Apoſtolorum, & S. Ioan. Lateran. de Vrbe, & Cancell. Apoſt. ibidem illarum copiis affixis, per me Hieronym. Lutium S. D. N. Papæ Curſ.*

*Ioan. Gauce Mag. Curſ.*

---

## Exemptio Congregationis B. Mariæ Fulienſis à juriſdictione omnium aliorum Prælatorum Ordinis Ciſtercienſis Monachorum S. Benedicti. XII.

*Ampliavit Paulus V. ut indicavi ſuprà in conſt. 32. Sixti V. Religioſos, fol. 537. qui illius conſtitutionem approbavit, gratiiſque primùm decoravit.*

*Edita A. D. 1592.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Paſtoralis noſtri muneris ratio poſtulat, ut Religioſorum ſtatui, & profectui, quantum cum Domino poſſumus, libenter proſpiciamus.

*Editio ſtatutorum pro Reformatione hujus Congregatio...*

§.1. Nuper ſiquidem per alias noſtras literas dilecto filio Magiſtro Alexandro de Franciſcis, Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicar. Gen. Theologo, ac familiari noſtro, quem

quem pridem Capituli Generalis Congregationis Reformatæ Beatæ MARIÆ Fulienſis, Ciſtercienſis Ordinis, Aſſeſſorem deputaveramus, nonnulla ſtatuta tunc expreſſa, pro bono dictæ Congregationis regimine condendi facultatem conceſſimus, prout in ipſis literis in ſimili forma Brevis expeditis latiùs continetur. Qui quidem Magiſter Alexander, ut accepimus, nonnulla ſtatuta condidit, & alia quædam pro Reformatione, & proſpero ſtatu ejuſdem Congregationis ſtatuit, & adhuc juxta facultates illi per nos attributas, Reformationi hujuſmodi prudenti ſolicitudine incumbit.

*Exemptio huiuſmodi à iuriſdictione Generalium, & aliorum Prælatorum Ord. Ciſterc. Adverte hãc exemptionem comprehendere etiam Moniales huius Congr. ut ſua conſt. declaravit Paul. V. die 4. Auguſti 1608. eam tamen in hoc opere non poſui.*

§. 2. Nos autem dictæ Congregationis, illorumque Abbatum, & Monachorum, ut majori cum quiete, ac ſpiritus fervore, juxta eorum Regularia inſtituta, Altiſſimo gratum exhibeant famulatum, ſtatui opportunius providere volentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ac certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Congregationem prædictam Fulienſem, ejuſque Vicariũ Generalẽ, Abbatẽque & Monachos Monaſterii Beatæ Mariæ Fulienſis, in quo primùm hujus Cõgregationis Regularis Obſervantia, & Reformatio introducta extitit, alioſq; univerſos eorũ Abbates, Monachos, & Religioſos, eorumque Monaſteria, Domos, Conventus, Grangias, Loca, & bona quæcumque præſentia, & futura, atque ad ea quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, & quæ deinceps ad ea ſpectabũt, & pertinebunt, illiſque cõcedẽtur, vel ad ea devolventur, ab omni ſuperioritate, juriſdictione, gubernio, regimine, adminiſtratione, ſubjectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emendatione Ciſtercii, Claræ vallenſis, & aliorum nunc, & pro tempore exiſtentium Generalium, ac Morimondenſis, & aliorum Abbatum, Prælatorum, Superiorum ejuſdem Ordinis Ciſterc. quacumque auctoritate fungentium, & functurorum, & quantumvis ampliſſimis privilegiis, & facultatibus utentium, & uſurorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò eximimus, & liberamus, ita ut nullã omninò juriſdictionem, facultatem, & auctoritatem in dictam Congregationem, Abbates, Monachos, Religioſos, Monaſteriaque & Loca, atque bona illius habere, exercere, aut prætendere dicti Generales, & alii Abbates, & Prælati Ordinis Ciſterc. aliquo tempore poſſint, minuſque in rebus, & negotiis ejuſdem Congregationis aliquo pacto ſe ingerere, aut immiſcere valeant.

*Receptio Cõgreg. Fulienſis ſub Sedis Apoſt. protectione.*

§. 3. Ipſamque Congregationem Fulienſem, ejuſque Vicarium Generalem, necnon Abbates, Monachos, Religioſos, Monaſteria, Domos, Loca, res, & bona prædicta, ſub immediata Noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione, regimine, ſubjectione, gubernatione, obedientia recipimus, & ſubjicimus.

*Elargitio omnium privilegiorum Ord. Ciſterc.*

§. 4. Illis tamen, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, indulgentiis, aliiſque gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, eidem Ordini Ciſterc. in genere, vel in ſpecie quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Apoſtolicam Sedem, ac Legatos, etiam de Latere, necnon etiam quoſcumque Reges, Imperatores, ac Principes ſæculares conceſſis, vel in futurum concedendis, æquè ac alii dicti Ordinis Ciſtercienſis Monachi, & Religioſi, ſine aliqua prorſus differentia, uti, & gaudere, ac frui liberè & licitè poſſint, valeant ac debeant.

*Declaratio quod Monachi huiuſmodi Congreg. non teneantur ad alia Ciſterc. Ord. Inſtituta.*

§. 5. Nec propterea ad alia dicti Ordinis Ciſtercienſis inſtituta Monachi dictæ Cõgregationis Fulien. teneantur, vel obligentur, ſed tantum Regularem Obſervantiã prædictam, & Cõſtitutiones per nos dictumque Alexandrum declaratas, poſtquam editæ, & per nos confirmatæ fuerint, ſeu in poſterum per Fratres dictæ Congregationis edendas, & ſtatuendas, ac per nos, & dictam Sedem confirmandas, obſervare teneantur, auctoritate Apoſtolica, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus, illiſque ſi opus ſit, ea omnia communicamus, & extendimus.

*Prohibitio in virtute ſanctæ Obedientiæ, quæ fit Abbati Ord. Ciſtercienſis Generali, & aliis, ne de ſuper ſe intromittant.*

§. 6. Mandantes propterea in virtute ſanctæ Obedientiæ, expreſſeque interdicentes Abbati Ciſtercienſis Ordinis Generali, ac aliis Abbatibus, & Prælatis ſupradictis, ne ullo umquam tempore ſe in gubernio, regimine, adminiſtratione, viſitatione, correctione, & Reformatione Congregationis prædictæ, illiuſque Religioſorum aliquo modo intromittere, ac tam ipſis quàm aliis Monachis, & Religioſis ejuſdem Ordinis Ciſterc. ne in rebus, negotiis, ac ſtatu prædictæ Congregationis, ac illius Religioſorum prædictorum ullatenus ſe ingerere, aut immiſcere, præterquam ſi ad illam ſe tranſtulerunt, & in ejuſdem Obſervantia permanſerint, nec aliquo modo invicem commiſceri, ſeu hujus Congregationis Religioſi ad prædictum Ordinem Ciſtercienſem tranſire poſſint, nec debeant, audeantve, ſeu præſumant, cùm dicta Congregatio pro Reformatione dicti Ordinis inſtituta ſit, non autem Ordo prædictus ipſius Congregationis relaxationi, aut impedimento eſſe debeat.

*Clauſ. præſervativa.*

§. 7. Atque decernentes præſentes literas nullo tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut alias quomodolibet infringi, retractari, ſeu invalidari ex quacumque cauſa, vel prætextu minimè poſſe, ſed ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

*Clauſula ſublata.*

§. 8. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, definiri, & interpretari debere, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorũ.*

§. 9. Non obſtãtibus quibuſvis Apoſtolicis, etiã noſtris de non tollendo jure quæſito, ac de non concedendis indulgentiis ad inſtar, ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dicti Ordinis Ciſterc. etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini Ciſterc. illiuſque Generali, ac aliis prædictis Abbatibus & Superioribus, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus plena, & ad verbum mentio habenda eſſet, illis pro expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 1. die 4. Sept.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Septemb. milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Pontif. noſtri anno primo.

---

XIII.

## Declaratio præcedentiæ Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici, in omnibus actibus, & proceſſionibus, tam publicis, quàm privatis, ante omnes Religioſos, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, poſt Canonicos, & Clericos ſæculares, ac antiquos Ordines Monachales.

*Ad hac habes conſt. 84. Gregorii XIII. Expoſcit, ſup. fol.... & aliam Pii V. conſt. 71. Divina, fol. 201. Et ſimilem declarationem hic idem Clem. edidit die 16. Mart. 1600. contra Fratres Eremitas Ordinis S. Auguſtini, ſed ea prætermiſſa, hanc poſui uti generalem.*

*Edita A. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Gregor. 13. edidit conſtitutionem ſuper prædẽtia Fratrum Mendicantium, quæ eſt ſup. fol. Expoſcit.*

INter cetera cordis noſtri deſiderabilia, id intenſis exoptamus affectibus, ut controverſiarum, ac litium materia inter perſonas Eccleſiaſticas è medio tollatur. Sanè nobis nuper innotuit, quod in Regnis Aragonũ, Valẽtiæ, & Cataloniæ, ac tota demum Provincia Aragoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorũ, & præſertim in Civitate Oriolen. & Oppido Civitate nuncupata Alicante, ac loco de Caſtello della Plana prædicti Regni Valentiæ, nonnullæ lites, cauſæ, quæſtiones, & controverſiæ inter prædictos Fratres ex una, & alios Mendicãtes, ſive Regulares quoſcumque ſuper præcedentia, ac ritu incedẽdi in actibus & proceſſionibus tam publicis, quàm privatis, occaſione, ſeu

intuitu quarumdam literarum fel. rec. Greg. Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri in forma Brevis, ſub die 15. Julii 1583. quæ incipiunt, Expoſcit, confectarum, partibus ex altera motæ ſunt, & moveri, ſeu oriri facilè poſſunt.

*Hic modò Pont. extinguit lites deſuper exortas.*

§.1. Nos conſiderantes lites, cauſas, & controverſias hujuſmodi, præſertim inter Religioſas perſonas, quæ relictis Mundi vanitatibus, votum ſuum in humilitatis ſpiritu Domino Deo noſtro perſolvere profitentur, non modicã infundere labem, populoque ſcandalũ generare, ac in hac Urbe noſtra omnium capite, & unde in omnia regimen ſervari cõſuevit, eum ritum, & ordinem ſervari, quod in actibus, & proceſſionibus, tã publicis, quam privatis, poſt Canonicos, & clericos ſæculares, & antiquos Ordines Monachales, Fratres Ordinis Prædicatorum hujuſmodi primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtinent, & ceteros alios Fratres Mendicantes, ſive alios quoſcumque Regulares præcedunt, atque de antiquitate, & præeminentia cujuſlibet Ordinis Fratrum Mendicantium, & aliorum Regularium quorumcumque plenam, & indubitatam notitiam habentes, ac eorum honoris, & jurium conſervationem, ac pacem, & quietem inter eos cõfovere, & ſcandala hujuſmodi removere paterno affectu cupientes, ac ſtatum litium, & merita cauſarum hujuſmodi, nominaque & cognomina Judicum, & collitigantium, & eorum jura, & prætenſiones, necnon tenorem literarũ dicti Gregorii prædeceſſoris perinde ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis habentes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E.Card. ſuper ſtatu Regularium Deputatorum conſilio, & nobis attributæ poteſtatis plenitudine, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia lites, & cauſas quaſcumque, tam motas quàm movendas, ſeu quæſtionum, & controverſiarum materias omnes in quibuſcumque inſtantiis coram quibuſcumque Judicibus indeciſas pendentes, ad nos harum ſerie advocamus, & penitus extinguimus, & aliis Mendicantibus, ſive quibuſcumque aliis Regularibus ſuper his perpetuum ſilentium imponimus.

*Præcedentiãque concedit Fratribus S. Dominici ante ceteros Mendicantes, & non Mendicantes, poſt Canonicos, & Clericos ſæculares, & antiquos Ordines Monachales.*

§. 2. Volumus, & decernimus, in prædictis Regnis Aragonum, Valentiæ, & Cataloniæ, & tota demùm Provincia Aragoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & præſertim in Civitate Oriolen. Oppido & Civitate nuncupato Alicante, & loco de Caſtello della Plana hujuſmodi eum ritum, & ordinem inter Fratres Sancti Dominici prædictos, ac alios Mendicantes, ſive alios Regulares quoſcumque, cujuſvis Ordinis, vel Religionis exiſtentes ſervari debere, qui in hac Urbe noſtra omnium capite ſervatur. Videlicet, quod in omnibus actibus, & proceſſionibus, tam publicis, quàm privatis, poſt Canonicos, & Clericos ſæculares, & antiquos Ordines Monachales, ſi qui inceſſerint, dicti Fratres Ordinis Prædicatorum primum, digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ita ut dicti Fratres Sancti Dominici, immediatè poſt modò dictos ſubſequantur, poſt quos omnes alii Regulares, tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, cujuſcumque Ordinis, vel Religionis exiſtant, incedent, & ſubſequentur, etiamſi Eccleſiæ, Capellæ, Conventûs, Domus, & Loca regularia dictorum Fratrum Prædicatorum in locis prædictis primò inſtituta, & fundata non fuerint, prout nos id de facto obſervari volumus, & præcipimus.

*Et deſuper eos moleſtari prohibet.*

§.3. Diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ eo ipſo per contrafacientes incurrendæ pœna, omnibus, & ſingulis quorumcumque aliorum Ordinum pro tempore Religioſis, ſive Regularibus inhibentes, ne de cetero præmiſſorum occaſione Ordinem Fratrum Prædicatorum hujuſmodi, illiuſque Fratres pro tempore exiſtentes, moleſtare, inquietare, perturbare, aut quoquo modo impedire audeant, vel præſumant.

*Et ita iudicari præcipit.*

§.4. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, ac definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores deputat.*

§.5. Quocirca univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel eorum quilibet per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Prædicatorum fuerint requiſiti, eis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtrã præmiſſa omnia obſervari, juxta præſentium continentiam, & tenorem, contradictores quoſlibet, ac rebelles, & præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachi ſæcularis.

*Obſtantia tollit.*

§.6. Non obſtantibus literis dicti Gregorii prædeceſſoris, aliiſque præmiſſis, necnon quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Conventuum, Domorum, Locorum, & Ordinum Mendicantium, ſive aliorum quorumcumque Regularium hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Mendicantibus Fratribus, ſive aliis Regularibus quibuſcumque, & illorum Superioribus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiam in bulla Aurea, Mare magnum nuncupata contentis, ac Motu ſimili conſiſtorialiter, etiam per modum legis & ſtatuti perpetui, etiam iteratis vicibus, cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, pro tempore in contrarium forſan revocantibus, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod niſi per trinas diſtinctas literas, cum temporis intervallo competenti, ternis diſtinctis vicibus, illis quos concernunt, intimandas derogatum eſſet, aut cenſeatur, conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè latiſſimè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultũ, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenã, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptis credi iubet.*

§.7. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. An. 1. die 25. Sept.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, vigeſimaquinta Septembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimoſecundo, Pontificatus noſtri anno 1.

---

## De reductione Monachorum Ordinis S. Baſilii in unam Congregationem, & ſub regimine unius Abbatis, & de forma recipiendi Novitios.

*Hoc regimen Abbas exercet, etiam quoad Monachos reformatos, ut habetur infra in conſtitut.* 103. Altiſſimi, *ubi alia indicabo.*

*CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*Edita A. D. 1592.*

*Proœmium.*

QUæ ad reſtituendos in priſtinum honorem & dignitatem Ordines Regulares in Eccleſia Dei à SS. Patribus inſtitutos, & collatam in eis diſciplinæ præſertim Monaſticæ obſervantiam modis congruis inſtaurandam, piè ac providè à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſancita fuerunt, in eis confirmandis & innovãdis authoritatem noſtram libenter interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Gregor. XIII. Monachos S. Baſilii in unam Congregationem reduxit, ſub regimine unius Abbatis, ut ſup. in eius conſtit. 58. Benedictus. fol. 326.*

§.1. Quam ſanè piam cogitationem Apoſtolici noſtri muneris propriam impenſiùs ſuſcipimus pro ſalubri directione & profectu inſignis ordinis S. Baſilii, pro cujus reformatione alias fel. rec. Greg. Papa XIII. prædeceſſor noſter, per ſuas ſub Dat. Kal. Novemb. Pontificatus ſui anno 8. editas literas, primùm quidem reductionem

Monaſteriorum

Monaſteriorum Ordinis prædicti, necnon Priorum & Monachorum in Congregationem, & Capitulum tunc recens celebratum, eiſque indictionem, & præſidentiam, & in eo factas Abbatis Generalis, & alias tunc expreſſas electiones de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbavit, & confirmavit, atque inter alia ſtatuit, ut Abbas Generalis pro tempore electus, æquè ut alii aliorum Ordinum in Congregationes reductorum, Abbates Generales, & præſidentes, in ſuis quiſque Capitulis, Congregationibus & Ordinibus, de jure, privilegio, & conſuetudine habent, & exercent, habereque, & exercere poſſunt, plenam, & omnimodam ſuperioritatem, juriſdictionem, & auctoritatem haberet, & exerceret, tam in ea omnia quæ in Italia, & Regnis utriuſque Siciliæ ſunt, quam etiam in alia Provinciæ Hiſpaniæ paulò ante per eundem prædeceſſorem in Regnis Hiſpaniarum inſtituta, & prorſus in cetera quæcumque Monaſteria, Domos & Loca, in eadem Provincia ſub regula ſancti Baſilii eatenus erecta, & in poſterum erigenda, eorumque Abbates, Conventus, Monachos, & perſonas, quæ pridem cum Monachis ejuſdem Ordinis ſancti Baſilii in Italia exiſtentibus, & eorum Congregationi prædictæ, ſub obedientia inde futuri Abbatis, ſeu Vicarii generalis ejuſdem Congregationis, idem Gregorius prædeceſſor perpetuò conjunxerat, eaque, necnon Viſitatorem ejuſdem Provinciæ Hiſpaniæ, Abbati, ſeu Vicario generali Congregationis hujuſmodi in Italia pro tempore eligendo ſubjecerat, & ab eo dependere decreverat inter alia, quemadmodum in ejuſdem Gregorii prædeceſſoris diverſis literis, prioribus videlicet Kal. Junii, ſecundo; poſterioribus verò, 8. Kal. Junii, ſexto Pontificatus ſui annis Dat. pleniùs continetur.

*Aliaque ſtatuit, ut ibidem.*

§. 2. Juſſit præterea ipſe Gregorius prædeceſſor univerſos, & ſingulos ejuſdem, &c.

Omittitur reſiduum, quia ipſa bulla habetur ſup. in loc. cit. in rub.

*Hic modo Pont. ea approbat, cum omnibus inde ſecutis.*

§. 3. Cum autem, ſicut dilectus filius noſter Julius Antonius tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis S. Severinæ nuncupatus, modernus ejuſdem Ordinis apud nos, & Sedem Apoſtolicam Protector, nobis nuper expoſuit, ex literis ſuperiùs expreſſis, quæ ſuum magna ex parte effectum ſortitæ fuerunt, non mediocris utilitas, & fructus ſpiritualis ad reformationem ejuſdem Ordinis provenerit, & tamen adhuc multa reliqua ſint, propter quæ valdè expediat eaſdem literas debitæ executioni omninò atque integrè demandari: Nos, quibus ſummoperè cordi eſt, quantum noſtra Paſtorali vigilantia eniti poſſumus, modis omnibus procurare, ac Deo juvante efficere, ut ejus Ordinis Religioſi in dies quamoptimos, & feliciſſimos in viis Domini progreſſus faciant, atque uberrimos in ſancta Eccleſia fructus, majorum ſuorum, & præcipuè S. eorum Patris, & Patriarchæ Baſilii exemplo proferant: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac deliberatione noſtra ſupraſcriptas Gregorii prædec. literas, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis, & in eis contenta quæcumque, ac potiſſimum quæ illarum vigore circa diſtinctionem menſæ Conventualis à menſa Abbatiali, necnon diſmembrationem, & diviſionem partis bonorum, proprietatum, & jurium à Monaſteriis, & Archimandritatibus prædictis, illorumque pro menſa Conventuali hujuſmodi applicationem, & approbationem ab ipſis Guilielmo, quamdiu in humanis egit, & deinde Julio Antonio Cardinalibus Protectoribus, vel de eorum mandato hactenus geſta ſunt, vel quæ poſthac per eumdem modernum, ac pro tempore exiſtentem Protectorem gerentur, necnon ſtatuta, ſeu conſtitutiones hactenus per dictam Congregationem, ſeu Monachos in Capitulis generalibus facta, ſeu edita, ac de ejuſdē Julii Ant. Card. Protectoris mandato per viros Religioſos, eruditos, & pios reviſa, examinata, & ab ipſo approbata, ex nunc prout ex tunc, & è contra, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, confirmamus & innovamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, eaque præſentis ſcripti patrocinio communimus. Supplentes omnes, & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem.

*Protectoremque Ordinis præmiſſorum executorem deputat.*

§. 4. Ac nihilominus eidem Julio Antonio Card. moderno, & pro tempore exiſten. Protectori, per Apoſtol. ſcripta mandamus, plenamque per præſentes tribuimus facultatem, ut per ſe vel alium, ſeu alios, etiam ſi videbitur, dicti vel alterius Ordinis Religioſos, ad integram executionem earumdem literarum juxta illarum formam & tenorem, præſertim quoad inſtitutionem menſarum Conventualium, & ſeparationem bonorum, proprietatum, & jurium à menſis Abbatialibus, ubi opus erit, ac aliàs in omnibus, & per omnia procedat, atque in omnibus, & ſingulis ſuperiùs expreſſis, & aliis quæ in literis prædictis, etiam nominatim ipſi Guilielmo Cardinali conceſſæ fuerant facultatibus, tam quoad negotia jam cœpta, quàm quoad non cœpta, ubi, quando, & quoties opus fuerit, ſeu expedire judicaverit, liberè & licitè utatur, perinde ac ſi hæc ipſa ſibi ab initio expreſsè demandata, tributa, & nunc harum ſerie de novo ſingillatim conceſſa fuiſſent.

*Novitios certo modo recipi indulget, non obſtante conſt. Sixti V. quæ eſt ſupra ſol. Cum de.*

§. 5. Quoniam verò, ſi quando contingeret recipi Novitios aliquos ſexdecim annis majores, & in ea Provincia capitulum Provinciale aut nunquam celebraretur, aut admodum raro, tunc ſane nimis incommodum eſſet, tum ob hujuſmodi cauſam, tum propter Monaſteriorum paucitatem, & locorum intervalla, quibus inter ſe disjuncta, & remota ſunt Generalis, aut Provincialis, capituli celebrandi tempus expectare, & alias ſervare formam in Conſtitutione piæ mem. Sixti Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri, ſuper modo admittendi Novitios ad habitum regularem, & ejuſdem Sixti prædeceſſoris declaratoria poſtmodum edita præſcripta. Nos unicuique Priori, ſeu Prælato cujuſlibet Monaſterii, Prioratus, Domus, aut Loci regularis, & Conventualis dicti Ordinis, ut de conſilio & conſenſu duorum aliorum ejuſdem Congregationis Priorum, ſeu Prælatorum, qui vicinioribus Conventibus præfuerint, necnon Conventus, ſeu Monaſterii, ſeu Prioratus, aut Domus, vel loci Novitios etiam ſexdecim annis majores, alioquin tamen habiles quandocumque ad habitum regularem ejuſdem Ordinis S. Baſilii recipere & admittere, etiam Capituli Provincialis, aut Generalis, vel cujuſvis alterius licentia, approbatione, aut cōſenſu non requiſito, ac Novitiis ipſis, ut poſtquam, ut præfertur, recepti fuerint, inibi permanere, & legitimo tempore poſt annum probationis, profeſſionem emittere liberè, & licitè valeant, poteſtatem, & licentiam auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus, & impartimur.

*Contraria ſubmovet.*

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris de unionibus committendis ad partes, ac valore fructuū exprimendo, necnon de non tollendo jure quæſito, ac generalis, & uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure præmiſſis fieri prohibentis, noviſſimè celebrati Lateranenſis Concilii, ac rec. mem. Innocentii IV. quæ incipit, Volentes, & Bonifacii VIII. Roman. Pontificum de una, & in eodem Concilio generali edita de duabus dietis, ac prædictis ejuſdem Sixti prædeceſſoris, aliiſque Apoſtolicis cōſtitutionibus, necnon Monaſteriorum, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Monaſteriis, & Ordinibus, eorumque Superioribus, & perſonis, etiam Monaſteria, & Archimandritatus ejuſdem Ordinis in commendam obtinen. per quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, ac nos, & eandem Sedem etiam per modum ſtatuti perpetui, ac initi, & ſtipulati contractus, ac alias ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, & in ſpecie, etiam ab immemorabili tempore quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, ac etiam uſu receptis, ac quocumque tempore factis, & promulgatis, tam quæ aliàs ipſe Gregorius prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit, & decrevit non obſtare, quàm quibuſcumque aliis indulgentiis, & literis Apoſtolicis, ſpecialibus vel generalibus. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio habenda, & quævis alia ad hoc requiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum, forma in illis tradita ad unguem ſervata, inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice, & ad effectum præſentium dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè Motu ſimili derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi Cōmendatariis,

& perſonis prædictis, vel quibuſvis aliis communitet vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, & ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Exẽplis credi iubet.*

§. 7. Poſtremò volumus, ut earumdem literarum exempla etiam impreſſa, Notarii publici manu ſubſcripta, & Prælati Eccleſiaſtici ſigillo obſignata, eamdem illam prorſus fidem ubique locorum, in judicio, & extra illud faciant, quam ipſæmet præſentes facerent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.*

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ſuppletionis, roboris, adjectionis, communitionis, mandati, tributionis, conceſſionis, impartitionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. A. 1. die 29. Oct.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Quarto Kal. Novemb. Pontif. noſtri anno primo.

---

## XV. Inſtitutio Congregationis S. R. E. Cardinalium ſuper gratiis, & remiſſionibus bannitorum, & criminoſorum hominum Status Eccleſiaſtici, eorumque complicum, & fautorum.

*Hanc facultatem gratiandi alias Pontificimet reſervatam fuiſſe, conſtat ex conſt. 27. Pii IV. Nuper, fol. 30.*

De materia autem bannitorum, & exulum, ac receptatorum, & fautorum, plenè notavi ſup. in conſtitut. 6. Sixti Quinti, Hoc noſtri, fol. 374.

*Edita A. D. 1592.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Dilectis filiis noſtris Antonio Maria S. Mariæ de Pace, Salviato, necnon Mariano SS. Marcellini, & Petri titulorum Preſbyteris de Camerino, & Alexandro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinalibus Montalto nuncupatis.*

*Exordium.*

IN regendis Populis S.R.E. temporali ditioni ſubjectis, quorum curam, & tutelam nobis potiſſimum divina providentia commiſit, eam duximus rationem judicandam noſtræ paſtorali ſollicitudini maximè conſentaneam, ut peccantes quidem, & in peccato perſeverantes, publicæ præſertim quietis perturbatores, juſtitiæ gladio nobis ipſius Domini auctoritate tradito coërceamus, pœnitentibus verò, & ad cor reverſis paternæ clementiæ, & miſericordiæ viſcera non claudamus.

*Cauſa huius conſtitutionis. Tu ſcias iſtã Congregationem eſſe perpetuam, aliis pro tempore ſubrogatis Cardinalibus, ſicut ſunt aliæ omnes ſimiles conſtitutiones, ut alibi dixi.*

§. 1. Horum utrumque vel ab ipſo noſtri Pontificatus initio ſpoſtantes, cum Provincias univerſas, & Populos ejuſdem Romanæ Eccleſiæ à numeroſa Exulum, Latronum, Sicariorum, aliorumque ſceleratorum hominum multitudine, omni facinorum genere miſerandum in modum vexatas inveniſſemus, coacti fuimus magnis laboribus, & impenſis adverſus perditorum hujuſmodi hominum pervicaciam atque impœnitentiam, juſtitiæ ſeveritatem dolenter quidem, ſed neceſſariò exercere. Cumque jam pleriſque ex famoſis latronum ducibus, eorumque impiis ſectatoribus, divina favente gratia, & noſtrorum militum opera captis, profligatis, aut de medio ſublatis, publicam quam votis omnibus optabamus tranquillitatem, Deo adjutore conſequuti ſimus, ad eam ſolidius firmandum, ſtabiliendam, & conſervandam non mediocriter pertinere exiſtimavimus, nunc viciſſim iis quæ ſuperfuerunt reliquiis nefariorum hominum, qui humiles, & pœnitentes peccatum ſuum agnoverint, Apoſtolicæ clementiæ ſinum aperire, ut eos quantum in nobis eſt, à via perditionis ad viam ſalutis revocatos, Chriſto Domino, & Patriæ ſalubriter lucremur. Cum igitur intelligamus plurimos ex ſubditis noſtris in illa ſuperiorum temporum calamitate, ſive metu, exulumque minis territos, ſive amicitia, neceſſitudine, aut propinquitate permotos, ſive privatarum inimicitiarum occaſione impulſos, ut affeclas, & propugnatores habere viderentur, aut quibuſvis aliis cauſis inductos, cum ſupradictis exulibus, ſicariis, facinoroſiſque hominibus verſatos eſſe, eoſque domo, & hoſpitio recepiſſe, cibaria præbuiſſe, eiſque variis modis faviſſe, alios etiam, cum delictorum interdum haud ita gravium ſibi conſcii forent, ut legum, & Judicum ſeveritatem vitarent, ad ſocietatem, & contubernium eorumdem perditorum quaſi ad aſylum confugiſſe, nec defuiſſe aliquos, qui vel ſola animi levitate, & juvenili furore impulſi, ad oſtentandum animi, aut corporis robur, vel forſan inopia, & fame oppreſſi, & ferè quotidianis per ipſos facinoroſos latrones ubique impunè graſſantes, ſibi, ſuoque tenui patrimonio illatis damnis, ad extremam tolerandæ vitæ deſperationem adducti, ſe eiſdem ſceleſtis comites adjunxerint. Quibus partim jam damnatis contumaciæ nomine, partim nondum manifeſtò deprehenſis, ſi præteritæ culpæ abolendæ, ac veniæ, & abſolutionis ex Pontificia noſtra benignitate conſequendæ ſpes aliqua tribueretur, non planè arduum, nec difficile foret illos, veteri malitiæ fermento expurgato, ad veram pœnitentiam, Chriſtianam vitam, & bonam frugem revocari.

*Facultates Cardd. deputatorum ſuper remiſſionibus bannitorum, eorumque complicum, & fautorum.*

§. 2. Nos illius vices, licet imparibus meritis, gerentes in terris, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam, paternum erga ſubditos noſtros animum, præcipuumque charitatis affectum, modò ex corde reſipiſcant, ſuſcipere, eiſque nec penitus gratiam denegare, neque rurſus impunitatem ſine ullo defectu largiri decrevimus. Quare de veſtra ſingulari prudentia, conſilio, & integritate plurimum in Domino confidentes, circumſpectioni veſtræ, & duobus ſaltem ex vobis conjunctim procedentibus, plenam, & liberam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem per præſentes tribuimus, omnes, & ſingulas utriuſlibet ſexus perſonas, tam in hac Alma Urbe noſtra, quàm in aliis quibuſcumque Provinciis, Civitatibus, Terris, Oppidis & locis, nobis & Apoſtolicæ Sedi tam mediatè quam immediatè ſubjectis, & ſi eorum incolæ non ſint, & ad illa quoquo modo declinaverint, quæ commercium cum cujuſvis generis bannitis, homicidis, ſicariis, aliiſque ſupradictis facinoroſis hominibus habuerint, eos quoquo modo receptaverint, vel eiſdem cibum, potum, pecunias, veſtimenta, pulverem, pilas plumbeas, plumbum, arma, & alia neceſſaria ſubminiſtraverint, literas, & nuncios eiſdem miſerint, ſive ab eis acceperint, aut equos commodaverint, atque adeò ipſos, etiam latrones publicos, viarum graſſatores, ſicarios, bannitos, & exules, eorumque fautores, & receptatores, etiamſi cum ipſis bannitis delictorum complices, ſocii, participes, & in delictis patrandis vel bannitorum opera uſi fuerint, vel eis auxilium, conſilium, & favorem præſtiterint, tam ſi dictis de cauſis delati, proceſſati, inquiſiti, & in contumaciam, ſeu alias condemnati ſint, quam etiam antequam delicta ipſa in judicium deducta ſint, & antequam proceſſum in quacumque inſtantia, etiam de quibus nulla omninò ad Curiam notitia pervenerit, tam laïcos quam Clericos, & Presbyteros, ſæculares, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium regulares, cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis fuerint, etiamſi ipſi delinquentes juriſdictioni Epiſcoporum, vel cujuſcumque alterius Curiæ Eccleſiaſticæ ſubjecti ſint, & cauſæ ipſæ, & crimina ad forum Eccleſiaſticum pertineant, & in eo proceſſus cœpti, & formati, & forſan etiam condemnationes ſecutæ fuerint, qui de admiſſis dolentes ab intimis, & à ſimilibus abſtinere proponentes, per ſe, vel Procuratorem, aut Conſanguineos, vel affines, aut alios pro eis agentes veniam humiliter petierint, ab homicidii, etiam voluntarii, ac etiam multiplicati, & aliis quibuſcumque atrocibus, graviſſimis, & enormiſſimis criminibus, exceſſibus, & delictis ab eis commiſſis, etiamſi talia eſſent, quæ majori, magiſque ſpeciali expreſſione indigerent, necnon excommunicationis, aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propterea incurrerunt (hæreſis, & læſæ Majeſtatis in primo capite criminibus duntaxat exceptis) in utroque foro, ſi propter paupertatem, aut aliàs vobis videbitur, gratis abſolvendi, & liberandi, capitiſque & ultimi ſupplicii, exilii, etiam perpetui, confiſcationis bonorum, non tamen Fiſco incorporatorum, aliaſque pœnas temporales, corporales, & pecuniarias, tam per noſtras quàm etiam dictorum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, ac alias adverſus talia perpetrantes quomodolibet inflictas, arbitrio veſtro remittendi, commutandi & moderandi, ſive cum illis

quos

quos pro abſolutione ; & gratia hujuſmodi obtinenda ad nos remittendos duxeritis, componendi, & certá bis veſtro arbitrio compoſitionem taxandi, eoſdemque, ſi aut poſtquam pacem ab hæredibus, vel propinquis occiſorum habuerint, ſeu partibus læſis ſatisfecerint, ac alias *prout vobis viſum fuerit, ad patriam, famam*, honores, & bona, *non tamen Fiſco incorporata*, neonon in priſtinum, & eum in quo ante commiſſa delicta erant, ſtatum pleniſſimè reſtituendi, omnemque Inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſeu notam ab eis omnino abolendi, proceſſus quoſcumque contra eos in contumaciam, vel aliàs quomodolibet formatos caſſari, & aboleri mandandi. Necnon univerſis & ſingulis Provinciarum, Civitatum & locorum dicti Status Eccleſiaſtici Legatis, Prolegatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Locatenentibus, Poteſtatibus, aliiſque omnibus Judicibus ordinariis, delegatis, & perſonis cujuſcumque dignitatis, ordinis, & conditionis, & quavis auctoritate fungentibus, ne ſic abſolutos moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant, inhibendi, quinimmo ut proceſſus, decreta, bannimenta, aut condemnationes, & acta quæcumque contra eos facta gratis omnino caſſent, & aboleant, præcipiendi, cæteraque omnia faciendi, & exequendi, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint & opportuna.

*Gratiati ab iis caveant de ſe repræſentando, & & pro eis etiam conſanguinei cogantur.*

§. 3. Volentes & Apoſtolica auctoritate decernentes, quod omnes ii quibus gratias, abſolutiones, remiſſiones, etiam per modum compoſitionis vigore præſentium per eos concedi contigerit, & eorum unuſquiſque idoneas cautiones, & fideiuſſiones de ſe repræſentando, ſub pœnis, & infra tempus arbitrio veſtro declarandum, præſtare teneantur, aut ſi propter inopiam id fieri nequeat, alias arbitrio veſtro ad cavendum pariter, ſive ad ſe obligandum, ſaltem cum juramento de ſe repræſentando tam ipſi quam pro iis conſanguinei, vel affines propinquiori gradu conjuncti cogi, & compelli poſſint & debeant. Quæ quidem cautiones, obligationes, aut fidejuſſiones non temporales ſint, ſed perpetuò durent, neo unquam ex quavis cauſa, etiam juridica à quoquam quavis dignitate vel auctoritate fungente, niſi de ſpeciali gratia Romani Pontificis manu ſignata, caſſari, aboleri, aut quiſquam ab earum vinculis eximi, vel liberari valeat, quin potius omnes, & quæcumque abolitiones, & liberationes, ſi quas forſan de facto attentari contigerit, nullius ſint roboris, & momenti, nec cuiquam ſuffragentur, quominus perſonæ prædictæ, ut prius obſtrictæ remaneant, & eveniente caſu ad obſervantiam promiſſionum arctari & compelli poſſint.

*Inſtrumentum publici Notarii has gratias plene probat.*

§. 4. Inſuper declaramus inſtrumentis tantum authenticis conficiendis per Tabellionem, ſeu Notarium publicum veſtro juſſu coram teſtibus, ut moris eſt, ſuper hujuſmodi gratiis, abſolutionibus, aut compoſitionibus per vos faciendis rogatum, nec alias plenam atque indubitatam fidem in judicio, & extra illud adhiberi, idque ad probandum facultatem vobis per præſentes attributam ſufficere, nec ipſarum præſentium inſertionem, nec aliud omninò adminiculum requiri.

*Gratia de ſubreptione & obreptiones minime notari poſſint.*

§. 5. Neque abſolutiones, & gratias ſupradictas, ac quæcumque decreta, per vos vigore præſentium geſta, de ſubreptionis obreptionis, aut nullitatis vitio, intentionis vel alio quovis defectu notari impgnari, invalidari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci poſſe, ſed illa perpetuò valida, & efficacia fore. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis aliter judicandi facultate, judicari, & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Notarii in prædictis merces moderata ſit.*

§. 6. Ipſum verò Notarium, ſeu Notarios, tam à vobis ad præmiſſa adhibendos, quam in partibus de abolitionibus & caſſationibus proceſſuum, ſeu bannimentorum aut decretorum pro tempore rogatos, jubemus exigua, & tenui mercede per vosmetipſos taxãda in Romana Curia, extra eam vero duobus tantũ juliis pro rogitu cujuſlibet abolitionis, & uno pro rogitu cautionis, ſeu fidejuſſionis omnino contentos eſſe, nec cuiquam ulterius, etiam pro atramento, cera, capſa, cordulis, ſigillo, carta, labore petere, ſeu prætendere, aut oblatum recipere poſſe, & ſi receperit, pœnam privationis officii Tabellionatus, & inhabilitatis perpetuæ ad illud exercendum, ac exilii perpetui à tota ditione prædicta ipſo facto incurrere.

*Confirmatio bullarum prohibentium Legatis, & gubernatoribus remiſſionem bannitorum. Ad hoc vide notata hic in rubr.*

§. 7. Ceterum omnes, & quaſcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, & literas Apoſtolicas, per quas in genere, vel in ſpecie quibuſcũque Legatis, Vicelegatis, Præſidibus, Gubernatoribus, & Officialibus Civitatum, Provinciarum, & locorum dictæ ditionis temporalis Eccleſ. quavis dignitate, & præeminentia, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, necnon Baronibus, & Domicellis, ſeu Dominis temporalibus Terrarum, Caſtrorum, & locorum dictæ ditionis, quavis etiam Marchionali, & Ducali, vel alia majori auctoritate, gradu aut titulo inſignitis, merumque, & mixtum Imperium, & gladii poteſtatem habentibus, bannitos, & ſicarios prædictos abſolvendi, ſeu cum eis componendi, vel ad quamcumque gratiam admittendi facultas adimitur, & denegatur, illarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, harum ſerie approbamus, confirmamus, & innovamus, illaſque firmiter & inviolatè obſervari jubemus.

*Appellatio huiuſmodi remiſſionum.*

§. 8. Diſtrictius inhibentes unicuique ex ſupradictis, ne quis eorum tale quidpiam attentare audeat, vel præſumat, & nihilominus quaſcumque per eos forſan de facto concedendas gratias eo ipſo nullas, irritas, & invalidas eſſe, & cenſeri, viribuſque, & effectu omninò carere, nec ipſis impetrantibus prodeſſe, aut ſuffragari.

*Eaſque concedentium pœna.*

§. 9. Contra ipſos verò concedentes, cujuſcumque ſtatus, gradus, nobilitatis aut conditionis fuerint, etiam per viam inquiſitionis, querelæ, aut ex mero officio, tam in Syndicatu quàm alias quandocumque, ad pœnas non ſolum in prædictis Conſtitutionibus contentas, verùm ad alias etiam graviores, privationis officiorum, dignitatum & feudorum per eos obtentorum, inhabilitatiſque ad illa, & alia in poſterum obtinenda, infamiæ atque ignominiæ perpetuæ, ſine ulla ſpe veniæ procedi debere ſtatuimus, & decernimus.

*Clauſula derogatoria.*

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam contra hujuſmodi homicidas, bannitos, & alios facinoroſos quomodolibet editis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, & innovatis, cujuſcumque tenoris exiſtant, per quæ præſentibus, noſtriſque hujuſmodi literis nõ expreſſa, aut omnino non inſerta effectus gratiarum à vobis earumdem præſentium auctoritate faciendarum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris, vel veſtris literis hujuſmoi mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Limitatio huius facultatis ad biennium, immo perpetua, ut in apoſtil. 1.*

§. 11. Volumus autem facultatem vobis per præſentes conceſſam hujuſmodi, lapſo biennio à data præſentium numerando omnino expirare.

*Abſolutis iniungenda eſt pœna ſalutaris à Confeſſariis.*

§. 12. Quodque ij, qui prædictam libertatem, & indulgentiam in vim præſentium obtinuerint, pœnitentiam ſalutarem ſibi poſtmodùm per Confeſſarios idoneos à locorum Ordinariis approbatos, quibus plenam ſuper prædictis facultatem concedimus, injungendam adimplere teneantur.

*Tranſumptis credi iubet.*

§. 13. Earundem verò præſentium exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici ſigillo munitis eandem prorſus fidem in judicio, & extra illud adhiberi debere, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. N. A. 1. die 3. Nov.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Novembris 1592. Pont. noſtri Anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri IESV CHRISTI* 1592. *Indictione 5. die verò 5. menſis Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Domini Clementis divina providentia Papæ VIII. Anno 1. ſupradicta litera affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Baſilicarum SS. Petri, & Ioannis Lateranen. de Vrbe, necnon in acie Campi Floræ, & ad Valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Franciſcum Baron, prælibati S.D.N. Papæ Curſ.*

*Hieronymus Lucius Mag. Curſ.*

XVI. **Privilegia pro Conclaviſtis, qui in Conclavi in quo hic Pontifex electus fuit, interfuerunt.**

*Similes ac majores gratias quiſque Pontifex concedere hactenus conſuevit, ſed poſui ſolummodò hanc bullam, & aliam Pauli V. num. 3. non omittam, quia vix alia de cætero uſui eſſe poterunt.*

Conclaviſtis qui Conclavibus interfuerunt in quibus creati fuere Summi Pontifices Gregor. XV. & S.D.N. Vrban. VIII. privilegia eis reſpectivè conceſſerunt, & de Greg. XV. videre poteris inter ejus Conſt. 1. Romanus, & S.D.N. Conſt. 1. Circumſpecta, inf. tom. 4.

*Edita An. D. 1592.*

C L E M E N S   E P I S C O P V S, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa indultorum.*

ÆQuitati conſentaneum cenſemus, dilectos filios Conclaviſtas, qui in Conclavi in quo divina favente clementia, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, Nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, ut familiares domeſtici inſerviendo interfuerunt, quique ea de cauſa labores, vigilias, & incommoda plura ſubierunt, habita ratione obſequiorum, congruis favoribus, gratiis & privilegiis pro cujuſque meritis exornare.

*Conclaviſtæ Papæ familiares ſint, Notariique Sedis Apoſt. &c.*

§. 1. Conclaviſtas itaque prædictos, ac eorum quẽlibet à quibuſvis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtũt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendũ, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, eorũ ſupplicationibus hac in parte inclinati, Conclaviſtas præfatos in veros, indubitatos, & non fictos familiares continuos Commenſales noſtros, & eos qui ex illis Clerici ſunt, ſeu militiæ Clericali adſcribi deſiderant, quoſque venerabilis frater noſter Alphonſus Epiſcopus Oſtienſis Jeſualdus, & dilecti filii noſtri tituli S. Mariæ in Tranſtiberim presbyter ab Altaemps, ac Franciſcus S. Mariæ in via lata Diaconus Sfortia, nuncupati Cardinales, gradu, nobilitate, & aliis meritis meritò dignos tali honore judicaverint, in noſtros & Apoſtolicæ Sedis Notarios recipimus.

*Comiteſque Palatini, Nobiles, &c.*

§. 2. Ac tam illos quam alios Conclaviſtas ſingulos, qui ſigillatim ab eiſdem tribus Cardinalibus dignitatis honore approbati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, ac Milites. Ac tam illos quam omnes & ſingulos alios Conclaviſtas indiſtinctè, qui nobiles non ſunt, Nobiles, quique Vrbis, vel alicujus alterius ex aliis Civitatibus temporali dominio noſtro, & dictæ Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubjecti Cives eſſe voluerint, ſingulos in ea ipſa Civitate tantum, quam ſigillatim eorum quiſque elegerit, & ad quam ab eiſdem Cardinalibus ſe admitti petierit, veros Cives ad inſtar, nulla prorſus differẽtia inter eos, & ſingulos alios veros originarios antiquiſſimos, & Nobiles, ac participantes Cives ipſius Vrbis, & Civitatis, ita ut ipſum jus Civitatis, & ipſa civilitas ad quoſcumque illorum hæredes eodem modo tranſeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium creamus, conſtituimus, deputamus, & nobilitatis ac civilitatis titulo, honore, & inſignibus decoramus, aliorumque familiarium continuorum Commenſalium nobis actu in Palatio noſtro Apoſtolico ſervientium, & in illius Tinello comedentium, & bibentium, ac noſtrorum & dictæ Sedis Notariorum, Palatiique, & Aulæ prædictorum Comitum, Militum, ac Nobilium & Civium hujuſmodi originariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis, & non fictis familiaribus continuis Commenſalibus, ac Notariis noſtris, Comitibuſque, Militibus, ac Nobilibus, & Civibus haberi, & reputari volumus, & mandamus.

*Et eorum indultis gaudeant.*

§. 3. Eiſque ut in quibuſcumque impetrationibus, conceſſionibus & literis, tam gratiam quam juſtitiam cõcernentibus, ſe familiares continuos Comenſales noſtros, ac Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, conceſſiones, & literæ ipſæ ſubreptionis vitio ſubjaceant, ſed validæ, & efficaces exiſtant. Necnon ex nunc deinceps in perpetuũ omnibus, & quibuſcumque, ac prorſus ſimilibus antelationibus, & antelationum prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, ſuſpenſionibus, honoribus, gratiis, conceſſionibus, & indultis ac juribus, quibus alii noſtri familiares continui Commenſales tẽpore dictæ aſſumptionis noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem, ac quibus alii ejuſdem Sedis Notarii etiam de numero participantium exiſtentes, etiamſi habitum, & Rochettum Notariorum dictæ Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ prædictorum Comites, ac Milites, & Nobiles, ac etiam originarii, & antiquiſſimi Cives Vrbis, ſeu Civitatis, quam ut præfertur, elegerint, quique ex utroq; parente de Nobile, & Cive originario, & antiquiſſimo procreati de jure, ſtatuto, conſuetudine, vel ex aliquo ſpeciali privilegio, ſeu alias quomodolibet, etiam quoad aſſequutionem quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum, etiam per quaſcumque literas, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicas pro tempore editas, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extra, ſine tamen eorundem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integrè in omnibus, & per omnia, etiamſi in Vrbe, & Civitate hujuſmodi non habitaverint, perinde ac ſi de verè nobili genere ex utroque parente nobili originario, & antiquiſſimo Cive procreati forent, ac hujuſmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, conceſſiones, & indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & civibus originariis emanarunt, & quæ ratione Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eiſdem Conclaviſtis in ſpecie emanaſſent, aut emanarent, & eis naturaliter de jure, ſtatuto, cõſuetudine, fundatione, vel aliàs competerẽt, indulgemus.

*Exemptio à ſolutione decimarum & impoſitionũ, &c.*

§. 4. Necnon eoſdem Conclaviſtas ſingulos à ſolutione, & exactione decimarum, & cujuſcumque pedagii, ſubſidii, gabellæ, & cujuſvis alterius oneris, tam ordinarii quàm extraordinarii, ubicumque locorum, & ex quacumque quantumvis gravi, & urgentiſſima ac excogitabili cauſa, & occaſione impoſitorum, & pro tempore imponendorum, liberamus, & eximimus, liberoſque & exemptos fore, & eſſe decernimus. Diſtrictius inhibentes, ne exactores pedagiorum, decimarum, ſubſidii, gabellarum, & onerum hujuſmodi, ad aliquam ſolutionem cogere, & compellere, aut alii quicumque cujuſcumque eccleſiaſticæ vel ſæcularis dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, eos ſuper præmiſſis, eorumve uſu, poſſeſſione, vel quaſi, directè vel indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio moleſtare, vel aliàs quomodolibet impedire quoquo modo præſumant.

*Remiſſio fructuum indebitè perceptorum ob omiſſionem horarum canonicarum, &c. ac etiam irregularitatis.*

§. 5. Ipſiſque Conclaviſtis ſingulis quoſcumque fructus, redditus & proventus eccleſiaſticos, ac etiam occaſione penſionum annuarum ipſis vel eorum alicui reſervatarum, ratione omiſſionis horarum canonicarum indebitè perceptos, cujuſcumque quantitatis fuerint, gratioſe remittimus, & condonamus. Ac cum eiſdem ſuper inhabilitate propterea quomodolibet contracta, ut etiam ex eo quod cenſuris hujuſmodi ligati miſſas, & alia divina officia (non tamen in contemptũ clavium) celebraverint, & alias divinis ſe immiſcuerint, ut illis, & aliis præmiſſis non obſtantibus, ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus ordines, etiam ritè promoveri, & in illis ac ſuſceptis per eos aliàs ritè ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè poſſint, auctoritate, & tenore præmiſſis de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus.

*Habilitatio illegitimorum ad officia ſecularia, &c.*

§. 6. Necnon eoſdem Conclaviſtas, ſi qui eorum defectum natalium patiuntur, ex quocumque damnato, & illicito, non tamen presbyteri, coïtu forſan procreati ſint, legitimamus, omnemque ab illis geniture maculam ſive notam abſtergimus, & abolemus, ac cum eorum ſingulis, ut in quibuſcumque bonis paternis, & maternis, ac aliorum conſanguineorum, ſeu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, ſine tamen præjudicio venientium ab inteſtato, vel ex fideicommiſſo, vel alia de jure valida diſpoſitione, ſuccedere, & alia donationis, vel alio quovis titulo conſequi, & habere. Necnon ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia ſæcularia, publica, & privata eligi, & aſſumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per

omnia

omnia perinde ac ſi de legitimo matrimonio procreati forent. Ac eodem defectu non obſtante, ſi aliud canonicum eis non obſiſtat, ut clericali charactere, qui illo nondum inſigniti ſunt, inſigniri, & ad omnes & ſacros, & presbyteratus ordines, ſi nondum promoti exiſtunt, promoveri, ac poſtmodum charactere, & ordinibus hujuſmodi illorumque *privilegiis uti, ac in eiſdem ordinibus, etiã in Altaris miniſterio miniſtrare liberè*, & licitè valeant, dicta auctoritate earumdem tenore præſentium, etiam de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus.

*Diſpenſatio circa delationem habitus & tonſuræ, pro Conclaviſtis habentibus penſionem centum ducat.*

§.7. Et inſuper eiſdem Conclaviſtis omnibus, & ſingulis, quod ratione quarumcumque penſionum ipſis & eorum cuilibet (non tamen ultra ſummam centum ducatorum auri de Camera pro quolibet nũc & pro tempore reſervatarum, & reſervandarum) in habitu & tonſura per felicis recordationis Sixti Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri deſuper editam declaratis, & præſcriptis incedere, illoſque deferre minime teneantur, & ob non delationem habitus, & tonſuræ hujuſmodi, amiſſionis earumdem penſionum, vel alias pœnas dicta conſtitutione contentas nullatenus incurrant, aut incurriſſe cenſeantur, dummodo tamen aliàs habitum decentem, & honeſtum deferant, concedimus, & indulgemus.

*Litteræ Apoſt. gratis pro eis expediantur.*

§.8. Præcipimus quoque, & mandamus, quod omnes & quæcumque gratiæ, proviſiones, commendæ, & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ, ac etiam in forma brevis pro *illis expediendæ*, gratis ubique expediantur, & expedidiri debeant.

*Indultum quoad penſiones.*

§.9. Necnon Conclaviſtis prædictis, & eorum ſingulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitani, ſeu aliarum Eccleſiarum, aut perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quam extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque pẽſiones annuas eis, & eorum ſingulis, ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, & proventibus quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani regularium, ſeu fructus, redditus, & proventus beneficiorum hujuſmodi reſervatos, uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera hujuſmodi, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas, tertiam partem omnium fructuum dictorum beneficiorum non excedentes, ſeu fructus, redditus & proventus hujuſmodi uſque ad ſummam prædictam, uni vel pluribus aliis perſonis eccleſiaſticis per eoſdem Conclaviſtas, & eorum ſingulos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia eccleſiaſtica obtinentibus & expectantibus, ſimiliter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eiſdem modo, & forma quibus eiſdem conclaviſtis reſervatæ vel reſervati fuerint, etiam abſque beneficia ipſa obtinentium conſenſu integrè perſolvendas, ſeu per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas, reſervare, conſtituere, concedere, & aſſignare liberè & licitè valeant, concedimus, & indulgemus. Decernentes ipſas tranſlationes, & novas reſervationes, conſtitutiones, & aſſignationes penſionum, ſeu fructuum, redditurum, & proventuum hujuſmodi plenam roboris firmitatem obtinere. Ipſaque beneficia, ſuper quorum fructibus, redditibus, & proventibus reſervata fuerint, obtinentes, ad illas perſolvendas efficaciter obligatos fore.

*Privilegium de non regiſtrandis.*

§.10. Necnon eoſdem Conclaviſtas, eorumve aliquem ad præſentes litteras in Camera prædicta inſinuandas, aut admitti, & regiſtrari petendum minimè teneri, nec illas, etiamſi intra tempus legitimum inſinuatæ, admiſſæ, aut regiſtratæ non fuerint, minus validas cenſeri, ſed ſuos plenarios effectus ſortiri debere.

*Clauſula hujus conceſſionis præſervativa.*

§.11. Ac eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis ſimilium gratiarum revocatoriis, vel qui illas limitarent, aut moderarentur quæ à nobis, & dicta Sede pro tempore, & ex quibuſvis cauſis, etiam urgẽtiſſimis, & in favorem fidei, ac divini cultus augmentum, etiam conſiſtorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel in poſterum emanaverint, comprehenſas, ſed quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes in priſtinum ſtatum repoſitas, & reintegratas eſſe ac cenſeri.

*Clauſula ſublata, &c.*

§.12. Sicque per quoſcumque Judices, & commiſſarios in quavis cauſa vel inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis *auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.*

*Executores deputantur.*

§.13. Quocirca mandamus dilectis filiis Reſcribendario, & Computatori litterarum Apoſtolicarum Scriptorum, ac aliis ad quos pertinet, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna indignationis noſtræ, ut literas Apoſtolicas ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, tam conjunctim quàm diviſim, ac pro ſingulis quibus conceſſa ſunt, & ſeorſim, ac ſeparatim, cum omnibus, & quibuſcũque derogationibus, decretis, & clauſulis in eis contentis, gratis de mandato noſtro, ubique in omnibus officiis, & Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, plumbique & Regiſtri, abſque alia pecuniarũ exactione, etiã per viam compoſitionis facienda, omni contradictione, & dilatione ceſſantibus, ſignent, expediãt, & expediri faciant. Necnon Venerabilibus fratribus Amerin. & Camerinen. Epiſcopis, ac dilecto alio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios literas prædictas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, ubi & quando expedierit, ac quoties pro parte dictorum Conclaviſtarum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant literas, & in eis contenta hujuſmodi inviolabiliter obſervari. Non permittentes Conclaviſtas prædictos per quoſcumque deſuper quomodolibet impediri ſeu moleſtari. Contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

*Derogatio contrariorũ.*

§.14. Non obſtantibus præmiſſis, ac de certo Notariorum numero, etiamſi ad illud nondum deventum ſit, cui per hoc alias non intendimus derogare, ac de noſtra de præſtando conſenſu in penſionibus, necnon piæ memoriæ Pii Papæ Quarti, de ſimilibus vel diſſimilibus gratiis in dicta Camera infra tres menſes præſentandis, & regiſtrandis, ac recolendæ memoriæ Pii V. prædeceſſorum noſtrorum contra illegitimos, necnon in Vniverſalibus, & Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Ordinum, Militiarum, ac etiam Vrbis, aliarumque Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, necnon Cameræ prædictæ, & quarumcumque Vniverſitatum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, naturis, decretis, & etiam novis reformationibus, necnõ etiam legibus, tam Pontificiis quàm Imperialibus, Regiis & Ducalibus, ac etiam ſacris canonibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Superioribus, & perſonis, ac locis quibuſvis in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, necnon derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam vim contractus, & ſtatuti perpetui continentibus, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac conſiſtorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod Sacriſta, & Magiſtri Cæremoniarũ Capellæ noſtræ, ac Medici, ceterique omnes & ſinguli, qui etiam in ipſo Conclavi nobis & Cardinalibus, aut Capellæ prædictis inſerviendo interfuerunt, quibuſcumque privilegiis, & facultatibus per præſentes conceſſis, ad quæ habiles, & idonei à tribus Cardinalibus prædictis judicati fuerint, gaudeant, & ſub illis comprehendi debeant.

*Fides tranſumptorum*

§.15. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis,

preſſis, manu Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ, ſeu in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ perſonæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nomina Conclaviſtarum, &c. Nulli ergo, &c.

*D.P.A.1. die 13. Nov.*

*Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, quinto Id. Novembris, Pontificatus noſtri Anno primo.*

---

## XVII. Inſtitutio Orationis Quadraginta horarum alternatim & jugiter habendæ in Eccleſiis, & piis locis Almæ Vrbis, ad præſcriptam Eccleſiarum & temporis diſtributionem, cum indulgentiarum conceſſione.

*Continuationem hujuſmodi Orationis præcepit Paulus V. die* 10. *Maii* 1606.

Hactenus in Vrbe inſtituta fuit tempore Pii IV. Archiconfraternitas Orationis, & Mortis, quæ ſingulis menſibus hanc celebrat Orationem, ut in ejuſdem Pii conſtitut. 22. Divina, fol. 24. lib. 2.

*Edita A.D. 1592.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Clero, & Populo Romano, Salutem, & Apoſtolicam bened.*

*Cauſa hujus conſtitut.*

GRaves, & diuturnæ Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, quæ peccatis promerentibus quotidie magis ingraveſcunt, paſtoralem ſolicitudinem noſtram, quam univerſæ Eccleſiæ debemus, aſſiduè commovent, magno ſanè cum doloris ſenſu præſentium malorum, & impendentium periculorum metu, ſed præcipuè cor noſtrum, & paterna viſcera noſtra transfigit luctuoſus ſtatus nobiliſſimi, & olim florentiſſimi Galliæ Regni, quod tot jam annos ſumma rerum perturbatione, & omnium malorum acerbitate conflictatur, ſerpunt in dies latiùs hæreſum incendia, jamque pari furore inflammati ſanctæ Eccleſiæ inimici, hinc hæretici, inde Turcæ cervicibus noſtris propius imminent, planè ut manifeſtè omnibus appareat, ad tam multa incommoda repellenda inanem eſſe omnem operam hominum, inanes labores, & imbecilles vires, niſi cœleſtis gratiæ auxilio roborentur, quod ut cōſequi poſſimus, confugiamus neceſſe eſt ad illum deſideriorum noſtrorum fidelem internuntium, atque interpretem, & bonorum omnium conciliatricem Orationē, quæ ex corde humili, & animo cōtrito emiſſa, cælos penetrat, iram Dei mitigat, plagas & flagella avertit, & divinæ miſericordiæ impetrat abundantiam, eſt enim, ut ſancti Patres illam vocant, clavis cæli, & cum aſcendit Oratio, deſcendit Dei miſeratio, & quidem tanto faciliùs, & uberius deſcendit, quanto major fidelium ac piorum multitudo in uno charitatis ſpiritu copulata continuatas adhibet preces.

*Inſtitutio Orationis de qua in rubr.*

§. 1. Quare memores verbi Domini, quod eſt apud Sanctum Prophetam: Invoca, inquit, me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me, ſtatuimus ad placandum Deum, ut avertatur ira ejus à populo ſuo, & ad ejus opem his difficillimis temporibus impetrandam, perpetuam ſine intermiſſione Orationem publicè in hac Alma Vrbe ſic inſtituere, ut in Eccleſiis Patriarchalibus & inſignibus Collegiatis, necnon S.R.E. Cardinalium titulis, & Diaconiis, & Regularium, atque etiam Confraternitatum Eccleſiis, quæ ſeorſum deſcriptæ erunt, certis præfinitis diebus pia, & ſalutaris Quadraginta horarum Oratio celebretur, ea ſervata Eccleſiarum, & temporis diſtributione, ut die, noctuque, quavis hora, toto vertente anno, ſine intermiſſione Orationis incenſum in conſpectu Domini dirigatur.

*Hortatio ad piè ibi orandum pro hic enarratis.*

§. 2. Quamobrem vos omnes, quos uti peculiares filios, præcipuo complectimur affectu, vehementer in Domino hortamur, ut in hoc ſaluberrimo, & perneceſſario orandi ſtudio vos ipſos piè & diligenter exerceatis. Pauperes omnes ſumus, & Dei gratia indigemus, bonorum omnium auctor, & largitor eſt Deus, nihil boni adipiſci, nihil mali evitare ſine eo poſſumus. Petite ergo, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis. Orate pro Eccleſia ſancta Catholica, ut diſſipatis erroribus, unius fidei veritas toto terrarum orbe propagetur. Orate ut peccatores redeant ad cor, & ne ſcelerum fluctibus abſorbeantur, ſed per Pœnitentiæ tabulam ſalventur. Orate pro Regum & Chriſtianorum pace, & unitate. Orate pro afflicto Regno Galliæ, ut qui dominatur cunctis regnis, & cujus voluntati nihil reſiſtit, Regno Chriſtianiſſimo, & optimè de Chriſtiana religione merito veterem pietatem, & priſtinam tranquillitatem reſtituat. Orate ut fidei hoſtes teterrimi Turcæ, qui furore, & audacia incenſi, Chriſtianis omnibus ſervitutem, & vaſtitatem minitari non ceſſant, ipſius Dei Omnipotentis dextera conterantur. Orate denique pro nobis, ut Deus infirmitatem noſtram ſublevet, ne tāto oneri ſuccumbamus, ſed det nobis in populo ſuo verbo, & exemplo proficere, & opus miniſterii noſtri adimplere, ut unà cum grege nobis licèt immeritis credito, ad vitam ſempiternam perveniamus, per aſperſionem ſanguinis Agni immaculati, quem in Altari offerimus, & Deo Patri repræſentamus, ut reſpiciat in faciem CHRISTI ſui, & parcat nobis peccatoribus, intercedente etiam advocata noſtra ſanctiſſima Virgine Dei genitrice MARIA, Sanctiſque omnibus cum CHRISTO Domino regnantibus.

*Hæc oratio initiatur in Palatio Apoſtolico in prima Dominica Adventus.*

§. 3. Hanc autem piam orationem nos ipſi primùm in noſtro Apoſtolico Palatio, prima Dominica ſacri Adventus poſt miſſarum ſolemnia inchoabimus, cum Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, & qui in Vrbe adſunt Epiſcopis, & Prælatis, ut deinceps ſuo ordine in cæteris Vrbis Eccleſiis ad præſcriptam formam celebretur, & ſalutaris conſuetudo ſine intermiſſione orandi ritè ac devotè inducatur.

*Indulgentia pro orantibus Sanctiſſ. D.N. Paul. V. [illegible] tempus ordi arbitrarium eſſe indulſit.*

§. 4. Ceterùm ut eo propenſius in hoc pio inſtituto perſeveretis, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refectis, qui in quacumque Eccleſia, ubi oratio ejuſmodi indicta fuerit, devotè orando unam ſaltem horam perſeveraverint, plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam concedimus, & elargimur, iis verò qui inibi pias ad Deum preces breviori temporis ſpatio effuderint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis ſibi aut aliàs debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus.

*D.P.A.1. die 25. Nov.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die vigeſima quinta Novembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Pont. noſtri Anno primo.

---

## XVIII. Nullitates juriſdictionis, citationis & mandati, & non aliæ, in omnibus Status Eccleſiaſtici Tribunalibus attendantur.

*Hoc idem quoad Tribunalia Vrbis juſſit Pius IV. ſup. in in ejus conſtit. 58. Cum ab ipſo, fol. 60. Et ſpecialiter in Rota, in alia ejus conſt. 44. In Throno, ſup. fol. 44. Et in Commiſſionibus cauſarum id ſpecificari decrevit in altera ejus bulla 59. Cum nuper, ſupr. fol. 63. Et eadem decrevit Paul. V. in ejus conſtitut. 71. Vniverſi, §. 1.*

*Edita A.D. 1593.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

LItium diſpendiis & ambagibus, præſertim inter perſonas curæ, & juriſdictioni noſtræ, etiam in temporalibus ſubjectas occurrere quantum in nobis eſt, cupientes.

*Pius IV. tres tantum nullitates à Iudicibus Vrbis attendi decrevit, ut ſuprà fol. 60 in ejus bulla 58. Cum ab ipſo. & hic Pont. ad omnes Iudices Status Eccleſiaſtici.*

§. 1. Statutum fel. recordat. Pii Papæ quarti prædeceſſoris noſtri, ne Judices Almæ Vrbis nullitates attendant, niſi ex defectu citationis, juriſdictionis, aut mandati, ſed illis non obſtantibus, ad expeditionem cauſarum procedant, ad omnes & quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, Magiſtratus, & Officiales, nedum Vrbis etiam Capitolinos, ſed in quibuſvis ditionis temporalis Eccleſiaſticæ Provinciis, & Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis quamcumque juriſdictionem exercentes, & quavis auctoritate, & dignitate fungentes, hac noſtra perpe-

tuo

tuo valitura conſtitutione extendimus,& ampliamus,atque in quocumque Tribunali aut Curia ſæculari, etiam Capitolina,vel eccleſiaſtica firmiter,& inviolatè ſervari.

*Clauſulas ſublatam &c. apponit.*

§.2.Sicque,& non aliter per quoſcumque ex ipſis Iudicibus,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales,ac Legatos etiã de latere,ſublata eis,& eorum cuilibet quavis aliter judicãdi facultate,in quacumque cauſa,& inſtantia,etiam nunc pendente,aut in futurum movenda, eccleſiaſtica,& profana, civili, & criminali, aut mixta, judicari, & definiri, & quibuſcumque nullitatibus præter ſuperiùs expreſſas nequaquam attentis, ad expeditionem cauſarum earumdem procedi debere præcipimus,& mandamus. Decernẽtes irritũ,& inane ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter,vel ignoranter cõtigerit attẽtari.

*Clauſulas derogatorias addit.*

§.3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,ac in Conciliis etiam generalibus editis, necnon legibus etiam Imperialibus, earumdemque Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, locorum etiam dictæ Vrbis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ipſis,earumve conſiliis, Judicibus, Magiſtratibus, Officialibus, Curiis, & Tribunalibus, Collegiis,vel perſonis quomodolibet conceſſis, etiam ſæpiùs approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, aut quævis alia expreſſio habenda, aut quævis alia forma ad verbum inſerta, & forma in illis tradita,ad unguem ſervata foret,pro plenè,& ſufficienter expreſſis habentes,ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque quibuſcumque.

*Tranſumptis tradi jubet.*

§.4. Volumus autem præſentium literarum exemplis etiã impreſſis,Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Prælati eccleſiaſtici obſignatis eandem fidem haberi, quæ haberetur eiſdem præſentibus exhibitis vel oſtenſis, eaſdemque præſentes in valvis Baſilicæ Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe,& in acie Campi Floræ, ut moris eſt,affigi,& publicari, ac poſt triginta dies cunctos quos concernunt perinde afficere,ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo, &c.

*Dat.P.An.2. die 9. Febr.*

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum,Anno Incarnationis Domicicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio,quinto Idus Februarii,Pont. noſtri Anno 2.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri IESV CHRISTI* 1593. *Indictione 6.die verò 22.menſis Martii,Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris,& D. N.D. Clementis divina providentia Papæ VIII. Anno ejus 2. ſupradicta litera affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Baſilicæ SS. Petri, & Ioannis Lateranen. de Vrbe, & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Franciſcum Baron, Sanctiſſimi D.N. Papæ Curſ.*

*Baptiſta Preſſius Mag. Curſ.*

---

XIX.

## Approbatio conſtit.Pauli IV. & Pii V.circa leges, & ordinationes à Iudæis ubique locorum obſervandas. Et expulſio eorumdem ab omnibus Civitatibus, & Terris Status Eccleſiaſt. Roma, Avenione, & Ancona exceptis.

*Hanc conſtit. quoad Hebræos Orientales, & alios Anconæ domicilium habentes, hic idem Pont. declaravit infra in ejus bulla 26. Ex Apoſtolica.*

De materia Judæorum notavi ſupra in Pauli IV.conſt.3. Cum nimis, fol.589.

*Edita An.D. 1593.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Prooemium.*

CÆca & obdurata Hebræorum perfidia, non ſolùm ingrata eſt in Dominum, ac Redemptorem humani generis JESUM CHRISTUM Dei Filium ipſis promiſſum, & ex ſemine David ſecundùm carnem natum, ſed neque etiam ſanctæ Matris Eccleſiæ, ipſorum converſionem patienter expectantis,magnam erga eos miſericordiam agnoſcit, quinimmò pietati Chriſtianæ pro gratia injuriam reddens,non ceſſat quotidie tot committere enormes exceſſus, tot deteſtanda patrare flagitia in præjudicium ipſorum Chriſti fidelium, qui eos in teſtimonium veræ fidei,& in memoriam paſſionis Dominicæ, atque ut tandem reſipiſcant, benignè tolerant, & recipiunt, ut nos gravibus querimoniis ea de cauſa ad nos perlatis impulſi, cogamur pro debito paſtoralis officii opportunum aliquod huic malo remedium adhibere.

*Prohibitio Iudæis hos libros, & alios impios ſcripta retinendi, vel quovis modo utendi.*

§.1. Sanè jam pridem fel.record.Paulus Papa Quartus prædeceſſor noſter per ſuam ſub dat. pridie Idus Julii, Pontificatus ſui Anno primo editam conſtitutionem prudenti ac ſalubri conſilio certas præſcripſit leges, quas Iudæi in Terris ditionis Eccleſiaſticæ degentes ſervare tenerentur.

*Pius V. approbavit in conſtit. 6. & in ſua conſt. 80. Et poſteà de Statu Eccleſiaſtico expulit in ſua conſt.6. 80. fol. 178.*

§.2.Eaſque poſtmodùm recolẽdæ mem.Pius Papa Quintus itidem prædeceſſor, ſub dat. videlicet tertiodecimo Kalendas Maii, Pontificatus ſui Anno primo, non ſolùm innovavit,ſed etiam complura indulta,& privilegia quorum obtentu Iudæi ſe tuebantur,abrogando, eandem Pauli prædeceſſoris conſtitutionem adverſus illa reſtituit, ac firmiter obſervari præcepit, ac demum per alias ſuas literas eos ab omnibus ditionis temporalis Eccleſiaſticæ Civitatibus,Terris,& locis,Vrbe Roma,& Ancona exceptis,perpetuò exulare juſſit,prout in eorum literis latiùs continetur.

*Sed tamen Iudæi quamplures indulta & tolerantias adverſus prædictas leges extorſerunt.*

§.3.Quæ cum optima ſuadente ratione à ſancta hac Sede emanaverint, ipſi tamen Judæi ſucceſſu temporis paulatim ab hujuſmodi vinculis ſe eximere attentarunt, & forſan ab aliis prædeceſſoribus noſtris,qui ut eos ab eorũ caligine ad agnitionẽ veræ fidei allicerent, manſuetudinem Chriſtianæ pietatis non denegandam eis cenſuerũt, aliquas ſuper hoc tolerantias, ſive indulta extorſerunt. Quibus poſtmodùm contra piam eorumdem prædeceſſorum mentem,& intentionem pravè abutentes,eo tandem ſunt progreſſi,ut adverſus divinas, naturales, humanaſque leges magnis, & gravibus uſuris pecuniarum, quas præſertim à pauperibus, & egenis exigunt, monopoliis illicitis, & fœneratitiis pactis,fraudibus, dolis in contrahendo, ac fallaciis plurimos cives, & incolas ditionis temporalis eccleſiaſticæ, ubi commorantur, miſerè exhauſerint, circumvenerint, bonis ſpoliaverint, ac tenuis potiſſimum fortunæ homines, præſertim ruſticos, & ſimplices,non ſolùm ad extremam inopiam, & mendicitatem, ſed propemodum in ſervitutem redegerint, multa præterea,& quidem graviora ſcelera,& flagitia ipſi commiſerint, & perdito cuique ac nequiſſimo in facinoribus patrandis ſuam licentiſſimè operam,& quamcumque potuerunt opem præſtiterint.

*Hic itaque Pontifex dictas Pauli IV.& Pii V. conſt. innovat, & confirmat.*

§.4. Nos igitur his,& aliis graviſſimis de cauſis adducti, hujuſmodi nationem à pleriſque ex noſtris Populis, apud quos experientia docuit eam multo plus detrimenti afferre, quàm boni ab ipſa ſperari queat, cenſuimus omninò expellendam, & tamen ne à nobis prorſus ejecta ad gentes quæ CHRISTUM non norunt,divertat, atque à via ſalutis reliquiis Iſraël prophetico ore promiſſæ longius recedat, eam ab amplioribus quibuſdam, aut nobis proximis Civitatibus, ubi faciliùs legum vinculis, & Judicum ſeveritate in officio contineri poſſit, duximus non repellendam. Ac proinde nos eorundem Pauli,& Pii prædeceſſorum veſtigiis inhærentes,primùm quidem eorum conſtitutiones & literas, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, harum ſerie approbamus,& innovamus,illiſque perpetuæ, inviolabilis,& inconcuſſæ firmitatis robur adjicimus.

*Privilegia eis in cõtrarium conceſſa revocat.*

§.5. Deinde verò uſu,& reipſa edocti quæ eiſdẽ Judæis præter illorum formam,pia & benigna eorum qui ſecuti ſunt,prædeceſſorum noſtrorum indulgẽtia permiſſa fuerunt,ea ut ſperabatur minimè profuiſſe, quinimmò contra mentem concedentium, malitia Judæorum in damnum Chriſti fidelium retorta extitiſſe, omnia, & quæcumque,ſi quæ forſã à ſim.mem.Pio Quarto,Sixto Quinto,& aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſive de eorum, ut aſſeritur, mandato in favorem eorumdem Iudæorum,tam in Alma Vrbe tantum,quàm in quibuſvis aliis ditionis temporalis Eccleſiaſticæ Civitatibus, Terris, Oppidis, &.locis degentium, etiam ſuper hoc ipſo, ut ubilibet commorari eis liceat,in genere vel in ſpecie,etiam Motu proprio, vel ſub prætextu cauſæ,& tituli onerosi,etiam vim contractus inducentis, aut alias

concessa

conceſſa dicantur, privilegia, permiſſiones, indulta, aut capitula, quorum etiam omnium, & ſingulorum tenores pro expreſſis, ac ad verbum inſertis habemus, in ea parte qua prædictis eorundem Pauli, & Pii V. prædeceſſorum, necnon præſentibus noſtris literis adverſantur, aut ultra illas aliquid concedunt, harum ſerie revocantes, caſſantes, abolentes, & annullantes, irritaque, caſſa, & nulla decernentes.

*Expulſionem præcipit à toto ſtatu Eccleſiaſtico, præterquam ab Vrbe Roma, Ancona, & Avenione. Ad hoc vide quod notavi in rubr.*

§. 6. Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione præcipimus & mandamus, ut omnes, & quicumque Iudæi utriuſlibet ſexus, qui in quibuſvis ditionis noſtræ temporalis univerſæ Civitatibus, etiam Bononien. & Beneventan. Oppidis, Terris, Caſtris, & locis, etiam ſub eadem ditione conſiſtentium Baronum, & Domicellorum quamcumque juriſdictionem, præeminentiam, titulum, inſignia, ſeu exemptionem habentium, ad præſens reperiuntur, debeant omnino intra tres menſes à die publicationis præſentium literarum in Romana Curia faciendæ numerandos, ex ejuſdem ditionis temporalis, & ſtatus Eccleſiaſtici finibus diſceſſiſſe & aliò commigraſſe. Quin potiùs tam illos quàm alios, ſi qui fortaſſe ad prædictum ſtatum accedent, jubemus in poſterum à tota ditione præfata, non ſolum noſtris, ſed etiam perpetuis futuris temporibus ſine ulla ſpe reditus exulare, ita ut quicumque Judæi, ſive incolæ, ſive peregrini, præſentes, aut futuri, in quavis dictæ ditionis Civitate, Oppido, Terra, vel loco, etiã Domicellorum, & Baronum hujuſmodi quandocumque poſt lapſum trium menſium prædictorum inventi fuerint, rebus omnibus ſpolientur, eæque Fiſci juribus applicentur. Eorum verò unuſquiſque, qui ætate, & corporis viribus ſatis firmis ad eam pœnam ſuſtinendam reperietur, ad triremes quoad vixerit ſit eo ipſo damnatus. Idque in toto ſtatu prædicto ubique ſervetur (Vrbe Roma, & Avenionen. atque Anconitan. Civitatibus dũtaxat exceptis) ubi eos, qui ad præſens ibidem, vel alibi intra prædictum ſtatum degunt, ſi ad dictas potius Civitates quàm aliò ſe recipere maluerint, & prædictis de cauſis, & ad proſequẽdas cum Orientalibus mercaturæ negotiationes, & commercia, & quia illos præſertim, qui noſtro, & hujus Sedis conſpectui proximi ſunt, pœnæ formidine à maleficiis temperaturos, atque interdum aliquos lumen veritatis faciliùs agnituros ſperamus, cenſuimus tolerandos.

*Statutis locorum, Apoſtolicisque & canonicis ſanctionibus, & prædictis Pauli IV. & Pii V. conſtitutionibus ligari declarat.*

§. 7. Verùm his ipſis, quos in tribus tantũ prædictis Civitatibus commorari permittimus, Vniverſis, & ſingulis Judæis præcipimus, ut Civitatum Prædictarum in quibus pro tempore habitaverint ſtatuta favorem Chriſtianorũ concernentia, necnon edicta Ordinariorum & Magiſtratuum, præcipuè verò noſtras, ac prædictas Pauli & Pii Quinti prædeceſſorum, & alias Apoſtolicas, & canonicas quæ circa ipſos Judæos aliquid diſponunt, conſtitutiones inviolabiliter obſervent.

*Executores huius conſtit. deputat.*

§. 8. Quocirca tam dilectis filiis noſtris in Alma Vrbe Vicario, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, quam aliis univerſis & ſingulis ſtatus, & ditionis Eccleſiaſticæ Civitatum, Oppidorum, & locorum Ordinariis, necnon Legatis, Vicelegatis, Præſidibus, Gubernatoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eorum unuſquiſque curet quantum in ſe eſt, præſentes literas, nulla alia à nobis expectata juſſione, aut mentis declaratione, debitæ executioni quamprimùm demandari, ac deinde perpetuò firmiter, & inviolatè obſervari, nec ſolum quicquam contra illarum tenorem, etiam prætextu hactenus conceſſorum indultorum, permiſſionum, ſive conſuetudinum tolerare, indulgere, aut permittere, vel licentias aliquas concedere præſumant, ſed contra quoſcumque inobedientes, & tranſgreſſores omni ſeveritate animadvertant, contradictores per opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§. 9. Non obſtantibus præmiſſis, necnon quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, &c. roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, tam per ſuperiùs nominatos, quàm alios quoſcumque noſtros prædeceſſores Vniverſitatibus eorundem Judæorum, ſive eorum aliquibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & ex quibuſvis cauſis, etiam graviſſimis, & urgentiſſimis, atque oneroſis vim contractus ſolemniter initi ultro citroque obligatorii inducentibus, tam in genere ſuper præmiſſis, & ſuper habitando in locis ditionis Eccleſiaſticæ eis bene viſis, & ſuper exercendo quocumque mercaturæ genere, quàm in ſpecie iis qui in tribus prædictis Civitatibus commorantur, ſeu aliàs conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio habenda, aut quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro expreſſis, ac forma ad unguem ſervata ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter, & expreſſe harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Formam publicationis ſubjicit.*

§. 10. Volumus autem præſentes literas in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, & elapſo termino ſuperius deſcripto, eos quos concernunt perinde afficere, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tráſumptiſque credi iubet.*

§. 11. Illarum quoque tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem fidem haberi, quæ ipſis originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

*D. P. A. 2. die 25. Febr.*

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, Kal. Martii, Pont. noſtri Anno ſecundo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D.N.Ieſu Chriſti 1593. indictione 6. die verò 13. menſis Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N. Domini Clementis divina providentia Papa VIII. Anno ejus 2. ſupradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Baſilicarum SS. Petri, & Ioannis Lateranen. de Vrbe, necnon in acie Campi Floræ, per nos Ioannem Baptiſtam Bagni, & Franciſcum Baron, S.D.N. Papæ Curſ.*

*Baptiſta Preſſius Mag. Curſ.*

---

## Contra Hebræos tenentes, legenteſque libros Thalmud, & alios hactenus damnatos, aut blaſphemias, & contumelias in Deum & Sanctos continentes. XX

*De libris Thalmud, prima prodiit prohibitio ab Innoc. IV. in conſt. 2. Impia, fol. 93. & alia de his & ſimilibus libris, prodiit à Iul. III. in conſt. 24. Cùm ſicut, fol. 584. Alia autem de materia Iudæorum indicavi in conſt. præced.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1593.*

CUm Hebræorum malitia novas in dies excogitet fraudes, quibus pernicioſa volumina, libroſque impios, ac planè deteſtabiles, tum antiquitus damnatos, tum recèns conſcriptos in vulgus proferat.

*Approbatio prohibitionis lib. Thalmud & aliorum deteſtabiliũ ſcriptorum*

§. 1. Nos & ipſis exitiale, & Chriſtiano populo periculoſum rati hanc eorum nequitiam conniventibus oculis tolerare, ac pro noſtro paſtorali officio opportunum huic malo remedium adhibere volẽtes, adducti exemplo complurium Romanorum Pont. prædeceſſorum noſtrorum, præſertim fel. rec. Gregorii IX. Innoc. IV. Clementis IV. Honorii IV. Joannis XXII. Iulii III. Pauli IV. & Greg. XIII. qui ſæpius impiũ illud Thalmud nuncupatũ, & alia ſimilia reprobata & deteſtanda ſcripta & volumina damnarunt, & retineri prohibuerunt, ſeu alias ex Chriſtiani Orbis Provinciis & Regnis pro zelo exterminarũt, omnes & ſingulas eorundem prædeceſſorum ſuper hoc editas literas, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, harum ſerie approbantes & innovãtes.

*Prohibitio Iudæis hos libros, & alia impia ſcripta retinendi, vel quovis modo utendi*

§. 2. Atque illis hæc addentes, omnibus & quibuſcumque Vniverſitatibus Hebræorum, eorumque ſingulis, tam in temporali S.R.E. ditione, quàm etiam extra eam ubivis locorum, & in quibuſvis Chriſtiani orbis partibus conſtitutis perpetuò prohibemus, ne quoſvis libros & codices impios Thalmudicos ſæpè damnatos, vaniſſimos, caballiſticos, atque alios nefarios à prædeceſſoribus noſtris prohibitos & condemnatos, necnon opera, commẽtaria, tractatus, volumina & ſcripta quæcumque, tam lin-

gua Hebraïca, quàm quævis alia hactenus conſcripta, aut verſa, edita, & impreſſa, ac in poſterum conſcribenda, aut vertenda, edenda vel imprimenda, continentia ſeu continentes, tacitè vel expreſſe, hæreſes vel errores contra ſacras veteris legis & teſtamenti ſcripturas, necnon contumelias, impietates, blaſphemias contra DEUM, ſanctiſſimam TRINITATEM, & Salvatorem noſtrum Dominum JESUM CHRISTUM, ejuſque ſanctam Chriſtianam fidem ac beatiſſimam ipſius Genitricem ſemper Virginem MARIAM, & beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alioſque Sanctos DEI, ſacratiſſimam Crucem, Sacramenta novæ legis, ſacras Imagines, & ſanctam Catholicam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, ac contra Chriſti fideles, præſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & aliàs eccleſiaſticas perſonas, atque etiam contra nuper ad ejuſdem CHRISTI fidem converſos ac Neophytos, & alias contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ & obſcœnæ narrationes memorantur, etiam ſub prætextu quod expurgata fuerint, vel donec expurgētur, ſive quod de novo typis excuſa fuerint, mutatis nominibus, vel etiam ſub obtentu, ſeu tolerātia aut permiſſione, ut prætendunt, Secretarii, aut cujuſvis perſonæ ſacri Cōcilii Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum, per rec. mem. Pium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum editi, vel cujuſvis indulti Apoſtolici, aut licentiæ per S.R.E. Cardinales, etiam Legatos, aut Camerarium, ſeu Cameram Apoſtolicam, vel nuncios, etiam cum poteſtate Legati de Latere, aut locorum Ordinarios, ſeu Inquiſitores hæreticæ pravitatis forſan quomodolibet conceſſæ, aut quovis alio quæſito colore legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, aut evulgare ullo modo audeant vel præſumant.

*Revocatio quarumcumque facultatum, licentiarum, indultorum illa tenendi.*

§.3. Omnes verò & quaſcumque facultates, litteras, permiſſiones, indulta, tolerantias legendi, tenendi, etiam ad tempus certum vel incertum, vel ad effectum prædictos, & ſub ſimilibus vel aliis prætextibus quæcumque, ut præfertur, prohibita ſcripta, volumina, libros, & alia ſupradicta quibuſvis Iudæis in genere, vel in ſpecie, à prædeceſſoribus noſtris, & dicta Sede Apoſtolica, ſeu ejus Legatis etiam de latere, vel Nunciis, aut Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, aut locorum Ordinariis, vel quibuſvis aliis, quavis dignitate vel auctoritate fungētibus, etiā S.R.E. Cardinalibus, ejuſque Camerario, ſeu Camera prædicta, ſub quibuſvis verborum formis & conceptionibus, & quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, ac vim contractus inducentibus, irritantibuſq; & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu ad quorumcumque Principum, etiam Regali, Ducali, vel alia quacūque præeminentia fulgentium inſtantiam, vel eorum intuitu cōceſſas, auctoritate & tenore præmiſſis revocamus, irritamus, & annullamus, ac pro revocatis, irritis & penitus infectis in perpetuum haberi volumus.

*Prohibitio concedendi has licētias, & eis utēdi.*

§.4. Diſtrictiùs inhibentes, tam quibuſcumque ex prædictis quavis auctoritate & facultate ſuffultis perſonis, ne hujuſmodi licentias, tolerantias, indulta quoquo modo concedere, quàm Iudæis, ne illis ſic per præſentes revocatis, aut poſthac forſan de facto conceden. uti, aut earum prætextu, ſeu aliàs quomodolibet libros prædictos retinere, legere, deferre, emere, vendere, aut de novo edere præſumant.

*Præfixio termini ad eiuſmodi libros conſignandos Inquiſitoribus aut locorum Ordinariis.*

§.5. Quinimmò ſi quos ad præſens habent, eos ſtatim intra decem dies Romæ in officio Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, extra Vrbem verò intra duos menſes à die publicationis præſentium numerandos, locorum Ordinariis, ſeu inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, à quibus poſtmodum abſque alio mandato noſtro, nulla interpoſita mora comburantur, exhibere, tradere & conſignare omnino teneantur & debeant.

*Pœnarum inflictio in contravenientes.*

§. 6. Præcipientes tam ipſis Iudæis quam quibuſcumque Typographis, Bibliopolis, ſeu mercatoribus, & aliis quibuſcumq; Chriſti fidelibus, etiam cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus, ſub pœnis amiſſionis librorum, & publicationis omnium bonorum Fiſco ejus Principis, in cujus ditione libri reperti fuerint, applicandorum, ac aliis etiam gravioribus & corporis afflictivis arbitrio Diœceſani, ac etiam Inquiſitoris, ſi inibi fuerit, ſtatuendis ac moderandis, necnon quoad Chriſtianos, etiam excommunicationis majoris latæ ſententiæ per unumquemque contra facientem eo ipſo incurrendæ, ne hujuſmodi libros & alia ſcripta ſuperiùs prohibita, ut præfertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere, ſeu imprimere, deſcribere, vel exemplare, advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet diſtrahere vel alienare audeat.

*Et in fautores Hebræorum præmiſſis.*

§.7. Neve quiſquam, etiam ſub prædictis & aliis pœnis contra fautores apoſtatarum à fide & hæreticorum, à ſacris canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis inflictis, ipſis Hebræis pro habendis, ſcribendis, ſeu imprimendis hujuſmodi libris, vel undecumque afferendis, ſeu tranſvehendis, aut pro eorumdem legendorum licentia de cætero impetranda opem, conſilium, auxilium vel favorem præſtare, aut impendere quoquo modo audeat.

*Deputatio executorum huius conſt.*

§.8. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris tam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem in toto terrarum Orbe generalibus Inquiſitoribus, quàm etiam Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque locorum Ordinariis, & Inquiſitoribus quibuſcumque ejuſdem hæreticæ pravitatis, in quibuſvis Regnis, Provinciis, & Civitatibus pro tempore exiſtentibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi & eorum ſinguli in Civitatibus, Terris, & locis ubi Judæi cōmorantur, tam in eorum Synagogis & locis publicis, quàm privatis domibus, aut officinis, & alias ubique locorum, etiam apud Bibliopolas Chriſtianos prædictos, ſic prohibitos libros & ſcripta, per ſe vel alium ſeu alios ab eis deputandos diligentiſſimè perquirant, & contra eos qui ſuper retentione hujuſmodi culpabiles reperti fuerint, ad prædictarū & aliarum etiā graviorum eorum arbitrio pœnarum executionem procedant. Contradictores, necnon inobedientes quoſcumque, eiſve auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes per opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogatoria.*

§.9. Non obſtantibus præmiſſis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictis Hebræis, eorumve Vniverſitatibus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi alias pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua mentio habenda, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, necnon formas, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbū inſererentur præſētibus pro ſufficiēter expreſſis & inſertis habētes, illis quoad reliqua in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Formā & effectum publ. huius conſt. habes his in fin.*

§.10. Volumus autem præſentes literas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, in acie Campi Floræ, atque in platea quæ Judæorum nuncupatur, per Curſores noſtros publicari, earum exemplis inibi affixis, ac dimiſſis, ac poſt hujuſmodi publicationem & elapſum terminum ſuperiùs præſcriptum, cunctos & ſingulos quos concernunt, perinde arctare atque afficere, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tranſumpti fides.*

§.11. Illarumque exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem in judicio & extra illud haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.*

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innovationis, additionis, prohibitionis, revocationis, irritationis, annullationis, voluntatis, inhibitionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*D. P. A. 2. die 28. Februar.*

Dat. Romæ apud Sanctū Petrū, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, pridie Kalend. Martii, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate D. 1593. indictione 6. die verò Sabbati 3. menſis Aprilis, Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N. D. Clem. divina providentia Papa VIII. Anno ejus ſecundo, retroſcripta literæ Apoſt. affixæ, & publicatæ fuerunt in Valvis Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, in acie Campi Floræ, & in Platea nuncupata Iudæorum, relictis in eis copiis affixis per nos Ioan. Bapt. Bagni, & Franciſcum Baron, S.D.N. Papæ Curſ.* *Baptiſta Preſſius Mag. Curſ.*

## XXI. Reformatio circa electionem Præpoſiti generalis, aliorumque Prælatorum Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Obſervantia, ſub regula S. Auguſtini, & Capitulorum generalium & Dietarum celebrationem, totiuſque Ordinis ſalubrem directionem.

*Edita A. D. 1593.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

QUæ ad proſperam religioſorum directionem, ac reformationem pertinent, ea libenter concedimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Exordium.* Sanè cum poſt futura feſta paſchalia Capitulum generale Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi in Monaſterio S. Petri de Hoſp. Lauden. diœceſis celebrandum ſit, nos qui Congregationem ipſam ad priſtinam regularis obſervantiæ normam reduci ac reformari maximè cupimus, nonnulla quæ in eodem Capitulo publicari, & deinceps perpetuò in eadem Congregatione obſervari volumus, ſtatuenda cenſuimus.

*Approbatio actorum in Capitulo gen. & Dieta ultimo loco habitis.* §. 1. Motu igitur proprio, ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, & de Apoſtolicæ Sedis plenitudine, cum acceperimus ex diverſarum Apoſtolicarum conſtitutionum diverſis temporibus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, pro eadem Congregatione factarum forſan invicem contrarietate, in Capitulo generali Mantuæ ultimò celebrato, ac in Dieta generali de menſe Octobris proximè præterito habita, omnia in illis geſta juxta patrum conſtitutum præſcriptum ad unguem fieri non potuiſſe, immo forſitan aliquibus earumdē cōſtitutionū aliqua ex parte contraventum extitiſſe, & ideo de illorum validitate ab aliquibus hæſitari potuiſſe, & poſſe: nos omnia & ſingula, tam in prædicto Capitulo quàm in Dieta generali hujuſmodi facta, geſta, ſtatuta & ordinata, quatenus tamen ſacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis, ac regularibus ejuſdē Cōgregationis inſtitutis ſint conformia, etiamſi in illis conſtitutionum prædictarum omnium & ſingularum forma ad unguem minimè ſervata, aut contra aliquarum ex illis diſpoſitionem forſan facta fuerunt, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium validamus, confirmamus, & approbamus, omneſque & ſingulos præmiſſos, & alios quoſcumque juris & facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus, ac valida, firma & efficacia fore, ſuoſque plenarios ſortiri, & obtinere effectus decernimus.

*Juſſio confirmandi Georgium Lucianum Præpoſitum gen. pro alio triennio.* §. 2. Inſuper quia per alias noſtras in ſimili forma brevis literas dilectum filium Georgium Lucianum Cremonen. ejuſdem Congregationis Præpoſitum generalem in prædicta Dieta generali, in Virgilii de Mantua olim ejuſdem Congregationis Præpoſiti generalis prædefuncti locum canonicè electum, ad triennium proximum à die celebrationis proximi futuri Capituli generalis numerandū confirmavimus, prout in illis literis plenius continetur. Dilictis filiis Definitoribus, Conſultoribus, Prioribus, & aliis in dicto Capitulo præſidentibus, ac vocem habentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna præcipimus & mandamus, ne circa electionem novi Generalis quicquam intentare, aut quoquo modo innovare præſumant, ſed juxta præteritarum noſtrarum literarum ſeriem, eumdem Georgium ad hujuſmodi triennium in Generalem confirment & recognoſcant, eidemque Prioratum aliquem ejuſdem Congregationis juxta illius regularia inſtituta per eum dicto triennio durante tenendum, regendum, & gubernandum, qui etiam totius Ordinis caput durante officio Generalatus exiſtat, aſſignent & concedant, irritamque nihilominus & inanem quamcumque electionem, ſeu aliam diſpoſitionem ſecus faciendam fore, nulliſque viribus ſubſtitutam decernimus.

*Gregor. XIII. in eius conſt. 99. Ea qua. fol. 337. nonnulla ad præces Congregationis ſtatuit, quæ eius conſtitutionibus adverſantur.* §. 3. Præterea quia, ut accepimus, in literis ſeu conſtitutione fel. record. Gregorii Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Pro noſtri muneris officio, ſuper ſtatu dictæ Congregationis, ſub dat. die 24. Pontificatus ſui anno quarto expedita, inter alia diſponitur, quod deinceps dictæ Congregationis præpoſitus generalis, Viſitatores, Conſultores & Definitores, ex numero Priorum ab ipſiſmet priorib. tantùm eligerentur, & quod occurrente vacatione alicujus Prioratus, ad illum non eſſet aſſumendus, niſi qui tempore vacationis & electionis alicujus Monaſterii Vicarius eſſet. Quodque Viſitatores Monaſteriorum Sancti Alexii de Vrbe, & Sancti Pauli Albanenſis, in generali Capitulo à Definitoribus eligendi vocem non habeant. Et quod procuratores, qui ab unoquoque Monaſterio ad Capitulum deſtinantur, voce activa & paſſiva in eodem Capitulo generali careant, prout latiùs in eiſdem literis vel conſtitutione continetur, quæ omnia regularibus ejuſdem Ordinis inſtitutis adverſantur, atque in benemeritorum, idoneorumque religioſorum præjudicium tendunt.

*Hic idem decernit Præpoſitum, Conſultores, & Definitores eligi poſſe, tam ex Prioribus, quàm aliis ſubditis.* §. 4. Nos prædictæ, & alii cuicumque conſtitutioni Apoſtolicæ de ſimili materia diſponenti, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, in hac re ſpecialiter & expreſſe derogantes, harum ſerie perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod poſthac tam generalis Præpoſitus, quam conſultores & Definitores, tam ex Priorum quam ſubditorum.

*Prioreſque etiam ex non Vicariis.* §. 5. Ipſique Priores etiam ex eorundem ſubditorum non Vicariorum tantùm.

*Procuratorē generalem ex omnibus ſubditis.* §. 6. Procurator verò generalis ſimiliter ejuſdem Congregationis, tam ex ſubditorum quàm Priorum numero, ſine tamen earum reſidentiarum præjudicio, & dummodo idonei & ſufficientes exiſtant, eligi & deputari poſſint & debeant.

*Vocem quiſque habeat in Capitulis & Dietis, prout habebat ante bullam Gregor. XIII.* §. 7. In generalibus verò & aliis intermediis Capitulis ſeu dietis, omnes qui juxta eorundem regularium inſtitutorum diſpoſitionem locum & vocem habere poſſunt & debent, ſicut antequam conſtitutio Gregor. præterita emanaſſet, poterant ac debebant, locum ac vocem hujuſmodi, ad quem omnes & ſingulos adverſus præteritam conſtitutionem in priſtinum reſtituimus, reponimus & reintegramus, liberè & abſque aliquo impedimento habeant, & habere poſſint ac debeant.

*Præpoſiti gener. & Priorum officia triennio durent, & non confirmentur.* §. 8. Ex præmiſſis tamen eidem, aut aliis conſtitutionibus Apoſtolicis circa ea quæ diſponunt, ut generalis Præpoſitus & Priores, aliique officiales triennales eſſe debeant, minimè derogatum, aut alias præjudicium illatum eſſe aut cenſeri, ſed illorum reſpectivè officia hujuſmodi ad triennium durare debere, ultra quod in illis minimè confirmari, ſed Priores de uno ad aliud Monaſterium transferri tantùm poſſe declaramus & decernimus.

*Ambitus prohibetur.* §. 9. Inſuper omnes & ſingulos prædictæ Congregationis Religioſos, qui pro obtinendis in ipſa Congregatione dignitatibus, muneribus vel officiis literas commēdatitias, favores, gratias, preces à quibuſcumque perſonis, tam eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, etiam Cardinalatus dignitate, & quacumque ſæculari, etiam Marchionali, Ducali, Regali, vel Imperiali poteſtate & præeminentia fungentibus ac fulgentibus, requirere & mendicare, aut alias ab ipſis etiam non requiſitis, ſed ſponte omninò delatis, quoquo modo uti auſi fuerint, omnibus & quibuſcumque dignitatibus, officiis, muneribus, & aliis oneribus & honoribus ipſius religionis per eos obtentis, necnon voce activa, & paſſiva perpetuò privati, ac ad illa & alia quæcumque deinceps obtinenda perpetuò inhabiles & incapaces, etiam abſque alia declaratione, ſed tantummodo ex ipſa literarum, favorum, gratiarum, etiam oretenus porrectarum hujuſmodi probatione exiſtant eo ipſo.

*Contrariis Pontificiis conſtitutionibus derogatur, & non contrariis approbationis robur adjicitur.* §. 10. Ceterum conſtitutiones omnes quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum pro felici gubernio & directione dictæ Congregationis hactenus emanatas, quarum omnium & ſingularum tenores & datas præſentibus pro expreſſis haberi volumus, in his tamen quæ præſentibus noſtris non adverſantur, perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque

&

& ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus: in illis autem in quibus præſentibus noſtris aliquo modo adverſari prætendatur, illis ſpecialiter & expreſſe derogamus ac derogatum eſſe volumus.

*Clauſula conſervativa adjungitur.*

§. 11. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis aut obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut quovis prætextu vel occaſione infringi, revocari, retractari, ſuſpendi, limitari, aut in jus, vel controverſiam revocari, neque ſub quibuſcumque ſuſpenſionibus, revocationibus, limitationibus, moderationibus, aut contrariis diſpoſitionibus pro tempore faciendis cõprehendi, ſed ſẽper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties illæ in priſtinum & validiſſimum ſtatũ reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe & cêſeri.

*Clauſulaque ſublata, &c.*

§. 12. Sicque, & non alias per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, & dicti Ordinis Protectores, & alios Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & de latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritũ & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquã quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Præpoſitus, Viſitatores, Definitores, & alii executores exiſtunt.*

§. 13. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ moderno ac pro tempore exiſtenti Præpoſito generali, ac Viſitatoribus, Definitoribus, Prioribus & Monachis univerſis & ſingulis ejuſdem Congregationis, quatenus omnia & ſingula in præſentibus noſtris, ac in aliis Apoſtolicis literis & conſtitutionibus contenta, quæ per præſentes revocata non ſint, obſervent, & ab aliis ad quos ſpectat, obſervari curent, eaque inter ejuſdem Congregationis regulas & conſtitutiones regulares deſcribi, & adnotari, ac exemplari, regulaſque & conſtitutiones ipſas ad præſentis noſtræ, aliarumque Apoſtolicarum conſtitutionum præſcriptum adaptari faciant.

*Contraria ſubmoventur.*

§. 14. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in provincialibus, ſynodalibus & univerſalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac ejuſdem Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ipſi Congregationi, ejuſque Superioribus, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum inſerta mentio, ſeu alia expreſſio habenda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè, ac latiſſimè derogamus & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P.A.4. die 14. Aprilis.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die decimaquarta Aprilis, milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, Põtificatus noſtri An. ſecundo.

*Subſequitur Reformatio circa totius Ordinis bonum regimen.*

SAnctiſſimus Dominus noſter Dominus Clemens Papa Octavus, &c.

*Edita An. D. 1596.*

*De Chori ſervitio.*

Nullus omnino prætextu cujuſcumque privilegii vel Superioritatis, etiam Generalatus, à ſervitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore quo quis in proprii officii munère actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autẽ & Prædicatoribus Superiores iis tantum diebus quibus eos legere aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos qui negligentes aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant ad præſcriptum conſtitutionum, etiam alimenti, ſi opus fuerit, ſubtractione.

*Sacra ſcriptura lectio &c.*

§. 1. Lectio ſacræ ſcripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſteriis habeatur, ad quam Monachi omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

*Paupertatis voto.*

§. 2. Quo Trident. Concil. decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſervent, præcipit ut nullus ex Monachis, etſi Superior ſit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore & cauſa, & quocumque denique nomine quæſita, etſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Monaſterii poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Monaſterio incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. Neque ſuperioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Regularibus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem vel commendam, etiam depoſiti aut cuſtodiæ nomine concedere, eorum verò, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt nullus quicquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quatenus ad bona immobilia vel mobilia Monachos excuſare poſſint, quominus culpæ & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

*Veſtitu & ſuppellectili.*

§. 3. Monachorum veſtitus, & ſuppellex cellarum, ex cõmuni pecunia cõparetur, & omnino uniformis ſit omnium Monachorum & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, ita ut nihil ſuperflui admittatur, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, alicui denegetur. Quæcumque Monachorum veſtes, ſive laneæ, ſive lineæ, omniſque alia ſuppellex, tam pro veſtitu, quàm pro accubitu neceſſaria, in aliquem commodum Monaſterii locum deferantur, ibique ab uno vel duobus Monachis huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

*Cibo & pitantia.*

§. 4. Omnes etiam Superiores, quicumque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſive eadem ut aiunt pitantia in cõmuni menſa prima vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit. Si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem & aquam.

*Peculiaribus præſtationibus ratione officiorum.*

§. 5. Superiores omnes, etiam Generalis, quia redditus aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, earum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter ac ligenter adnotari curent, neque in alios uſus quàm ratione officii neceſſarios quicquam expendant, quando verò contigerit ipſos in aliquo Monaſterio immorari, eam quantitatem pecuniæ in commune conferant, ex qua ſibi, & iis qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum regulæ ſuppeditetur.

*Adminiſtratione bonorũ cujuſcumque monaſterii.*

§. 6. Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum, & aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditum ſui Monaſterii, etiam nomine Monaſterii per ſe ipſum habere ſive exercere poſſit, ſed univerſum id onus tribus Religioſis ejuſdẽ Monaſterii à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redituumque colligendorum, & exigendorum curã habeat, alter tanquã Depoſitarius pecunias ac cetera ab illo collecta & exacta fideliter aſſervet, alius de pecuniis, & rebus à Depoſitario acceptis, Priori, & Monachis ac Monaſterio univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundum proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam, veluti bonus diſpenſator provideat, Officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta. Cæterũ hi tres, tam impenſi quam accepti ſingulis menſibus ſuo Priori, adhibitis etiam duobus vel tribus Monachis ejuſdẽ Monaſterii probatioribus, rerumq; uſu peritis, deinde ipſimet rurſus præſentibus Priore, & peritis prædictis, Generali vel Viſitatoribus, cum advenerint, denique ipſe Generalis, ac Viſitatores in quolibet proximo Capitulo generali, ſaltem coram tribus Iudicibus ab ipſo Capitulo ad hoc

conſtitutis illorum omnium,& etiam univerſæ admini-ſtrationis ſuæ, tam publicæ quàm privatæ rationem reddere teneantur,cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur,ad hoc ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

*Regularium numero in quolibet Monaſterio generali ſtatuit D.N. Paul. V. in ſua cõſt. Sanctiſſimus.*

§.7. Vt Monaſterii bona & proventus expenſis reſpondeant,in unoquoque Monaſterio is tantùm deinceps conſtituatur, & in poſterum retineatur Regularium numerus,qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus conſuetis,vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus in commune, ut præfertur conferendis, commodè poſſit ſuſtentari.

*Redditu aſſervatione.*

§.8. Redditus verò, & ſupradicta omnia, communi in loco ac tutè & diligenter aſſerventur.

*Declarationis prohibitione,tam de Concil.Trid. quam de ipſius decretis.*

§. 9. Superioribus autem, ne Conc. Trident. aut hæc noſtra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum,&c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioque privatus, & ad ea inhabilis perpetuò exiſtat.

*Lectorum, & Prædicatorũ privilegii uſu.*

§.10. Nullus, niſi actu vel legat, vel prædicet, aliquo ſui gradus privilegio gaudeat.

*Socii alicui adminiſtrãdum concedendi qualitate.*

§.11. Si alicui ex neceſſaria cauſa Generalis judicio probanda, ſocius ex eodem Ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit, is niſi vigeſimum quintum agat annum, & qui communi ſervitio ſit deputatus, non concedatur,& ſi commodè fieri poteſt,ſit laïcus converſus.

*Clauſura obſervantia.*

§. 12. Vt omnis ſcandalorum, & vagationis occaſio tollatur, Monaſterii clauſura perpetuò ac diligenter ſervetur,ac propterea à Superiore Janitor conſtituatur, qui diligentia ac morum integritate maximè commendetur. Is januæ cuſtodiẽdæ ſemper aſſiſtat,eáque nemini Monachorum aperiat,niſi ſocium,& exeundi licẽtiam obtinuerit. Nullus Monaſteria egredi audeat,niſi ex cauſa, & cũ ſocio, impetrataque licentia ſingulis vicibus, ac benedictione à Superiore accepta, qui non aliter eam concedat niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpius. Licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedãtur. Contravenientes autẽ pœna gravi etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur. Eandem etiam Ianitor ſubeat, ſi ſciens èxeundi facultatem fecerit. Cum autem quis in Monaſterium revertetur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem,& quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

*Acceſſus ad Vrbem prohibitione.*

§.13. Nullos Monachos Romam venire Superiores permittant,niſi priùs à Generale vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiã alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas,quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.

*Cellularum & dormitorii qualitate.*

§.14. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit, & propterea nullus cellam etiã noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.In medio dormitorio tota nocte lampas colluceat. Nullus etiam Superior cellas ſive in clauſtro ſive alibi ſeparatas à cõmuni dormitorio habeat, ſed unuſquiſque unica cella, eademque cum ceteris aliorum Monachorum conjuncta, nudis omnino parietibus, ac lectulo & menſa humilibus, uniformique ſupellectili, ut præfertur,quemadmodum Religioſos decet,contentus ſit, poſſit tamen Generalis vel Viſitatores alicui ex Superioribus Monaſteriorum,ſi eorum muneris, & officii neceſſitatem id exigere cognoverint,alteram etiam cellam concedere.Cellæ,ſive ædiculæ, quæ extra dormitorium ſeparatim ſunt,ad officinas,aut alias ad communem uſum, & commoditatem Monaſterii redigantur. Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. In privatis cellis nulli camini permittantur, ſed omnes obſtruantur ſtatim cardinibus etiam è parietibus convulſis, ut res illa non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur. Cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris,ac Prædicatoris exceptis.

§.15. Monaſterii feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſerentur,ut omnino proſpectus impediatur.

*Infirmaria, infirmorumque cura.*

§.16. Valetudinarium præterea in ſingulis monaſteriis certo ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu,& Monachorum numero, quoad fieri poterit,cõmodiſſimum eſſe poſſit,in quo Monachi omnes, cùm ægrotabunt,curentur,neque inde niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti erũt, omni ſedulitate ac charitate operam ſuam præſtabunt,ac curabunt ne quid ægrotis omninò deſit, quod ad ſanitatem recuperandam omnino pertineat.

*Licentiarum extra clauſtra degendi prohibitione.*

§.17. Ineatur ratio, qua ſublatis licentiis, & facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Monaſterii clauſtra, ad ea quamprimum revocentur, nec in poſterum, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda,hujuſmodi facultates concedi poſſint.

*Monaſteriis deputan. ad recipiendum venientes ad Religionem.*

§.18. Nulli de cetero ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Monaſteriis in qualibet provincia per Sedem Apoſtolicam deputandis.

*Largitionis muneris prohibitione ſervanda.*

§.19. Curẽt Superiores,ut cõſtitutio interdicẽs largitiones munerum,& præſcribens hoſpitalitatis formã,ab omnibus in quolibet Monaſterio inviolabiliter obſervetur.

*Hanc lege in conſtit. huius Põt. num. 28. Religioſa. Ambitus prohibitione.*

§.20. Vt omnis officiorum ambitus occaſio præcidatur,cavẽt omnes à directa,vel indirecta vocum ſeu ſuffragiorum procuratione,tam pro ſe ipſis,quàm pro aliis, tum in capitulis locorum,tum in cæteris, præſertim generalibus capitulis,aut congregationibus,& alibi. Quicũque ſecus fecerint,præter alias pœnas,& cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum quæ obtinent,eo ipſo incidant,& ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à nobis vel ſucceſſoribus noſtris,& pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porrò ſupradictas omnes pœnas etiam ad complices, ac ſimpliciter ſcientes,& non revelantes extendimus.

*Electionis officialium forma. Concil. Trid. diſpoſitio hic enunciata eſt in c.6. ſeſſ. 25.*

§. 21. In Superiorum & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à Sacro Concilio Tridentino, & conſtitutionibus Ordinis inviolabiliter ſervetur, jurentque electores ſecundùm veritatem cujuſque conſciẽtiæ, probiores ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia perlegantur Conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum.

*Eligendorum qualitatibus.*

§.22. Ad officia,gradus,& prælaturas illi eligantur qui poſſint, & conſueverint regulas Ordinis, & conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium Chori, ac veſtitum communem.

*Monachorũ peritorum deputatione ad examinandum. Lectores, prædicatores, & promovendos ad Ordines.*

§.23. Eligantur in Capitulo generali, ſeu provinciali aliquot graves, & periti ex Monachis cujuſlibet provinciæ,ſaltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi DEI, vel ad audiendas confeſſiones, etiam ipſorum Monachorum,ac Lectores publicos diligenter ſimul examinent priuſquam probentur, & ad hujuſmodi miniſteria admittantur.Horum etiam curæ ſit examinare,& probare,tam quoad doctrinam,quam quoad mores, promovendos ad quoſcumque ordines, in quo ſervetur decretum Congregationis interpretum ſacri Concilii Tridentini, ea de cauſa nuper editum, & promulgatum.

§.24. Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio invigilent, ut quæ in eorum Ordinis conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, capitulo culpatum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter ac piè ſancita ſunt, ea omnia, & ſingula ad unguem obſerventur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium Congregationum ædificia conſtruẽda, & amplianda eſſe, quæ ut faciliorem exitum ſortiantur, & uberiores fructus in animis Monachorum producant, valde opportunum erit,ſi in quolibet Monaſterio ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſervantia.

*Tabella retentione ſuper his quæ Monachi ſingulis diebus præſtare debent.*

§.25. ut autem omnia ordinate peragantur,appendatur in loco conſpicuo uniuſcujuſque Monaſterii tabella, in qua diſtincte adnotetur quid ſingulis cujuſque diei horis ſinguli Monachi præſtare debebunt,ut certo etiam ſigno præmoniti, majore animi præparatione opportunè ſuis muneribus ſatisfacere queant.

§.26.Quæ

*Decretis Ordinis his non contrariis cuſtodiendis. Contravenientium pœnis.*

§. 26. Quæ Ordinis Conſtitutiones his decretis non adverſantur, inviolatè cuſtodiendæ erunt.

§. 27. Quibus horum decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediatè Superioris infligatur. Vt autem decreta hæc, donec alia, quæ ad pleniorem ſupradicti Ordinis reformationem faciant, edantur, ab omnibus obſervari poſſint, diſtrictè præcipimus, & mandamus Generali, ac omnibus aliis quibuſcumque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, ut curent ac efficiant in generali Capitulo, primo quoque tempore celebrando, ea omnia publicari, & recipi, ac inter alias Ordinis Cõſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta eorum omnino ſingulis facultate illas declarandi, aut adverſus eas unquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus, & officiorum privationis, & inhabilitatis perpetuæ ad alia ipſo facto, & ſine ulla receptione reſpectivè incidiſſe.

*D.P.A.4. die 24. Aprilis.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die vigeſima-quarta menſis Aprilis, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto.

---

## XXII. Confirmatio gratiarum à Pont. prædeceſſoribus conceſſarum Congregationi Clericorum regularium S. Majoli, aliàs de Somaſcha, cum aliorum privilegiorum conceſſione.

*Iſta Congregatio initium ſumpſit à quadam Societate tempore Pauli III. inſtituta, & per eum approbata, ut in ejus conſt. 21. Ex injuncto, ſuprà fol. 531. & tranſlata eſt in regularem obſervantiam, ut habetur in conſt. Pii V. quam tibi indicavi in præc. 1. conſtit. Pauli III. ubi quoque alia adnotavi.*

*Edita An. D. 1593.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEcet ex benignitatis Sedis Apoſtolicæ ſtudio providere, ut ea quæ pro divini cultus augmento, religionis propagatione, & animarum ſalute provida ratione conceſſa ſunt, ſuæ protectionis munimine confoveat: Vnde nos ad ejuſdem apicem divina diſponente clemẽtia aſſumpti, his quæ propterea facta comperimus noſtræ approbationis robur, cum à nobis petitur, libenter adjicimus, ut eo firmius ſubſiſtant, quo Sedis ejuſdem protectione ſæpius fuerint circumfulta.

*Congregatio petit confirmationem conſtitutio: ū indicatarum in rubrica.*

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti, & presbyterorum Congregationis Clericorum Regulariũ de Somaſcha, alias S. Majoli Papien. nuncupat. exhibita nobis nuper petitio continebat, quod cum jam ab anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo, ad gloriam Omnipotentis Dei, &c. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi Præpoſitus, & presbyteri cupiant præmiſſa omnia per nos confirmari, & approbari, nobis humiliter ſupplicari fecerunt quatenus eorum deſiderio annuere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic modo Pontif. eas, omniaque Congr. privilegia confirmat.*

§. 2. Nos attendentes ad diligentem & fructuoſam culturam ipſius vineæ Domini, quam præfati presbyteri & Clerici Regulares ſtudio indefeſſo, multis piis, ac laudabilibus exercitiis in dies faciunt, ac volentes propterea illos & dictam Congregationem amplioribus favoribus, & gratiis proſequi, Præpoſitum, & ſingulares perſonas Cõgregationis hujuſmodi à quibuſvis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſentẽtiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula præfata, & quæcumque alia privilegia, exemptiones, immunitates, conceſſiones, facultates, prærogativas, indulta, favores, & gratias præfatæ Congregationi, ſinguliſque illius domibus, Convẽtibus, Collegiis, Eccleſiis, Capellis, Oratoriis, Hoſpitalibus, & locis, necnõ Præpoſito generali, aliiſque Superioribus, & perſonis, tam profeſſis, quàm non profeſſis, ac familiaribus domeſticis, eiſque alias quomodolibet inſervientibus, tam per ſupradictos quam alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem Apoſtolicam, ejuſque auctoritate quomodolibet conceſſa, ac deſuper confectas literas, omniaque in eis contenta, necnon etiam omnia, & ſingula ſtatuta, ordinationes, regulas, & conſtitutiones in univerſa congregatione præfata hucuſque editas, licitas tamen & honeſtas, ſacriſque Canonibus, & Concilio Trid. minimè contrarias auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſupplentes omnes, & ſingulos, ac quoſcumque, & qualeſcumque juris & facti, ac etiam ſolemnitatum, & alios quantumvis ſubſtantiales, etiam de neceſſitate exprimendos defectus, ſi qui in eis, aut eorũ aliquo quomodolibet intervenerint.

*Præpoſitoque d. Congregationis dat auctoritatē eum eius religioſis diſpẽſandi, &c. Ad hoc vide etiam huius Pont. conſtit. 25. Quæcumque.*

§. 3. Ac inſuper eidem Congregationi, ejuſque Præpoſito generali, quod ipſe Præpoſitus cum voto ejus conſiliariorum à Capitulo generali deputatorum, cum quibuſvis ejuſdẽ Congregationis profeſſis, defectũ natalium patientibus, etiam ad omnes, etiam ſacros, & presbyteratus ordines ſuſcipiendum, ac in eiſdem in altaris miniſterio etiam miniſtrandũ, necnon ad quamcumque ipſius Congregationis adminiſtrationem, officium & dignitatem recipiendum ac retinendum, & exercendum diſpenſare.

*Et loca omnia viſitandi & reformãdi.*

§. 4. Idemquæ Præpoſitus generalis, & Viſitatores ejuſdem Congregationis toties quoties opus eſſe judicaverint, Orphanotrophia, & loca, tam puerorum quàm puellarum, ſub cura, regimine, & adminiſtratione, ac diſciplina dictæ Congregationis exiſtentia, abſque eo quod deſuper à Gubernatoribus, ſive Oeconomis, & adminiſtratoribus rerum temporalium ipſorum impediantur, ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ſtatim per impedientes ipſo facto incurrenda, ſi poſt monitionem ab Epiſcopo faciendam ab hujuſmodi impedimentis non deſtiterint, à qua nonniſi à Sede prædicta, præterquam in mortis articulo abſolvi queant (ſine præjudicio jurium Epiſcopi) viſitare, & quæ reformanda fuerint circa diſciplinam eorumdem puerorum, & puellarum, ac regimen ſpirituale, reformare liberè, & licitè valeant auctoritate & tenore prædictis licentiam, & facultatem concedimus & impartimur.

*Exemptionē etiā elargitur d. Congregationi à cõfeſſione ordinaria Monialium non Orphanarum & aliis eiuſdem Congregationis opera impedientibus.*

§. 5. Vt autem Congregatio ipſa, ac ſub ejus inſtituto militantes perſonæ Orphanis, & Seminariis puerorum liberius, & melius inſervire, & quæ ſui inſtituti ſunt adimplere poſſint, ipſaque diſciplina Regularis in domibus, Collegiis, & locis illius magis vigeat, eamdem Congregationem, ſingulaque illius Collegia, & loca, ac eorum ſuperiores, & alios, ab omni onere audiendi confeſſiones ordinarias quarumcumque Monialium, præterquam Orphanarum, juxta antiquum ipſius Congregationis inſtitutum, necnon ab omnibus aliis oneribus, & curis, quæ ſervituti, & commoditati Orphanotrophiorum, Seminariorum, & diſciplinæ regularis hujuſmodi impedimento, & damno eſſe quoquo modo poſſunt, omninò, & in perpetuum abſolvimus, & penitus liberamus, & etiam ut de cetero nullus, etſi ſit Præpoſitus generalis, aliqua hujuſmodi onera, vel curas, niſi de conſenſu duarum ex tribus partibus Capituli Generalis, ſuſcipere audeat, neque poſſit.

*Profeſſiones omnes in manibus cuiuſcumque presbyteri d. Cõgregationis emiſſas, validas eſſe declarat.*

§. 6. Poſtremò omnes profeſſiones emiſſas uſque in præſentem diem à quibuſvis clericis, & laïcis d. Congregationis, etiamſi non in manibus Præpoſiti generalis, aut ejus Vicarii, ſed aliorum presbyterorum inibi profeſſorum factæ ſint, neque conſtet illos eo tempore auctoritatem tales profeſſiones accipiẽdi habuiſſe, validas, firmaſque, & ratas eſſe, & fore, perinde ac ſi à Præpoſito generali vel ejus Vicario prædicto receptæ eſſent, dummodo tamen aliàs canonicè factæ fuiſſent, & tales profeſſi profeſſioni hujuſmodi hodie acquieſcant.

*Præpoſitoque dat auctoritatē inferioribus committendi receptionem profeſſionis, ſervata in reliquis bulla Sixti V. n. 71. Cum deſuper. fol. fol. 16.*

§. 7. Licereque in poſterum Præpoſito generali prædicto hujuſmodi facultatem admittendi ad profeſſionem, cuilibet Præpoſito vel Rectori inferiori ejuſdem congregationis demandare, ſervata in reliquis forma conſtitutionis ejuſdem Sixti prædeceſſoris deſuper editæ.

*Clauſulas huius bullæ præſervativas apponit.*

§. 8. Præſentes quoque literas ullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quocũque alio defectu notari, impugnari, ſeu quomodolibet infringi, vel in jus aut cõtroverſiã vocari, aut etiã adverſus eas quodcumq; juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, ſeu etiã Motu proprio

*concedi poſſit. Neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus* pro tempore emanatis comprehendi, ſed ſemper, & omni tempore, ac omnino ab aliis excipi, & quoties emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum ſuum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per Generalem, & alios Præpoſitos præfatos pro tempore eligen. conceſſas, illaſque perpetuò validas, & efficaces eſſe, & cenſeri, plenamque roboris firmitatem obtinere. Neque Congregationem, ac præpoſitum generalem, & alios ſuperiores ac perſonas illius ſuper eiſdem præmiſſis, illorumque poſſeſſione, uſu, & commodo pacificis per locorum Ordinarios, aut quoſcumque alios quomodolibet moleſtari, perturbari, ſeu inquietari vel impediri poſſe.

*Clauſulam ſublatam &c. addit.*

§. 9. Sicque, & non alias per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, ac etiam cauſarum Palatii Apoſtol. Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & alios Eccleſiaſticos ac ſæculares, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac dicti prædeceſſoris ſuper admittendis Religioſis edita, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, legibus, reformationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. quibuſvis Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cũ quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiã motu ſimili, & alias in contrarium quomodolibet, etiam pluries, & iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

*D.P.A.2. die 26. April.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, ſexto Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

---

## XXIII. Quod Fratres Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo favores extra Religionem non procurent pro impetrandis dignitatibus, vel officiis ipſius Ordinis.

*Quamplura de hoc ordine notavi ſupr. ad conſtit. 8. Honorii III. Vt vivendi, fol. 83.*

*Edita An.D. 1592.*

### CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Regulares potius promereri quàm dignitates appetere debent.*

QUoniam nemo debet ſibi aſſumere honorem, niſi vocatus à Deo tanquam Aaron, & à regularis vitæ inſtituto valde alienum eſt, ut Religioſi viri, quos honorũ & dignitatum gradus ſanctitate vitæ, ac aliis religioſis virtutibus potiùs promereri, quam appetere, eoſque gradus, cum ad eos aſſumentur, obedienter ſuſcipere, ſuſceptoſque humiliter adminiſtrare decet, mendicatis ſæcularium præſertim perſonarum ſtudiis, ad eos ſibi aditum patefacere contendant, unde magna in Eccleſia Dei pernicies afferri ſolet. Nos qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, ut Eccleſiaſtica, Regulariſque diſciplina priſtino candori reſtituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum cenſuimus.

*Quidam tamen Carmelitas aliter faciebant.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, quidam in ordine Carmelitarum, profeſſionis, & regulæ quam profeſſi ſunt, penitus immemores, nimiaque dignitatum, & officiorum Eccleſiaſticorum in dicto Ordine conſequendorum ambitione ducti, pro iis conſequendis Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Principum ſtudia requirant, & à S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis commendatitias literas, alioſque favores & gratias propterea expetant, quibus adjuti, quos ex ſe ſibi promeruiſſe minimè confidunt, gradus, & dignitates in eodem ordine conſequi valeant, ſicque ejuſdem Ordinis quietem non ſine animarum ſuarum periculo perturbant.

*Hic ideò Pōt. id fieri prohibet.*

§. 2. Nos malum hoc ab eodem Ordine, cujus proſperum regimen, & incrementum ad Eccleſiæ ſanctæ utilitatem ſinceris optamus affectibus, pro noſtra Paſtorali ſollicitudine propellere ſummopere cupientes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis aſſequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, atque aliarum quarumcumque perſonarum, tam ſæcularium quam Eccleſiaſticarum de gremio dicti Ordinis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis, directè vel indirectè, palam, vel oculrè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones & alia officia prædicta obtinenda aſpiraverint, vel aliis minimè legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint, aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis uſi fuerint, illorumque complices, & fautores ad quaſcumque Prælaturas, dignitates, & officia, graduſque, honores, adminiſtrationes, & munera in ipſo Ordine obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privamus, ac privatos voce tam activa quã paſſiva carere decernimus, & declaramus.

*Superioribuſque Ordinis tales favores attendere prohibet.*

§. 3. Atque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus dicti Ordinis Fratribus, Superioribus, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Generalis, præſentibus, & futuris præcipimus, diſtrictèque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, ſeu requiſitionem, vel contemplationem Principum vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum extra dictum gremium exiſtentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum & Ducum, ad cujuſvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prædicti Ordinis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant, ſeu præſumant.

*Electioneſque aliter factas invalidas, & contravenientes abſque proceſſu, &c. eo ipſo pœnas incurrere declarat.*

§. 4. Decernentes electiones, & promotiones ad Monaſteria, ſeu Prioratus vel officia Ordinis contra præſentium diſpoſitionem, quod abſit, quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus invalidaſque fore, & eſſe, nulliſque viribus ſubſtitutas, omnes, & ſingulos in præmiſſis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias, & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere, & ad illos ſententias, & pœnas præmiſſas damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omnino convincendum, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam, & ſufficientem, in judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

*Et ita & non alias indicari mandat.*

§. 5. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Obſtantia tollit.*

§. 6. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac

Ordinis

Ordinis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Fratribus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Hanc conſt. publicari, & eius trāſumptis credi jubet.*

§.7. Ut autem harum literarum notitia ad omnes dicti Ordinis Fratres faciliùs deveniat, volumus illas in Generali Capitulo, ſeu dieta d. Ordinis publicè legi, illaſque in dicto Capitulo vel dieta lectas ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, vel impreſſis, manu Scribæ dicti Capituli, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Rectoris generalis dicti Ordinis, vel alterius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti obſignatis eamdem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur.

*Dat. P. A. 2. die 21. Maii.*

Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Maii 1593. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

---

## XXIV. Prohibitio amovendi libros, & alia monumenta ex Bibliothecis Ordinis fratrum B. MARIÆ de Monte Carmelo.

*Planè de hoc Ordine notavi ſup. ad conſtit. 8. Honorii III. Vt vivendi, fol. 83.*

*Edita A. D. 1593.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

QUæ ad tuenda, & conſervanda bona, & jura ſpectantia ad perſonas & loca Eccleſiaſtica ſunt ſtatuta, in iis auctoritatem noſtram libenter interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Prohibitio amovendi libros, & monumēta quacumque ex Bibliothecis Ordinis Fratrum Carmelitarum.*

§. 1. Volentes itaque conſervationi Bibliothecarum in quibuſvis domibus, & Conventibus Ordinis Fratrum Carmelitarum pro communi eorum uſu inſtitutarum, & inſtituendarum opportunè proſpicere, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, univerſis, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, ac etiam laïcis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica per præſentes interdicimus, ac diſtrictè prohibemus, ne deinceps perpetuis futuris temporibus ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua libros, & monumenta, ſive impreſſa, ſive manuſcripta, ibi exiſtentia amovere, vel ſubtrahere quoquo modo præſumant. Nos enim quoſcumque amoventes, & ſubtrahentes excommunicationis ſententiæ ipſo facto incurrendæ, à qua ab alio quam à Romano Pontifice, niſi dumtaxat in mortis articulo abſolvi non poſſint, ſubjacere volumus, atque decernimus.

*Derogatio contrariorũ.*

§.2. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides huius bullæ tranſumptorum.*

§. 3. Verùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca ubi expediens foret, deferri, volumus, & ſimiliter dicta auctoritate decernimus, quod illarũ exemplis, etiam impreſſis, in dictis Bibliothecis & loco conſpicuo, ubi commodè legi poſſint, affixis, ac manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo ejuſdem Ordinis Generalis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 2. die 29. Maii.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Maii 1593. Pontific. noſtri anno ſecundo.

---

## XXV. Separatio Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, à Fratribus Mitigatis dicti Ordinis. Et declaratio muneris Prælatorum dictæ Congregationis, cum gratiarum communicatione.

*Hanc ſeparationem initiavit Gregorius XIII. ſuprà in ejus conſtit. 64. Pia, ubi videas etiam alia quæ notavi fol. 335. Quinimmò Congregatio Diſciplinatorum Hiſpan. de qua in d. conſtitut. Gregor. XIII. aliaque Congregatio eorumdem in Italia poſtea erecta, ſunt etiam ſeparata, ut infr. in conſtit. 71. In Apoſtolica.*

Horum Diſcalceatorum fundatrix fuit Thereſia Hiſpana, quam in Sanctarum Virginum numerum retulit Gregor. XV. ut in conſt. 20. Omnipotens, infra tom. 4.

*Edita A. D. 1593.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

PAſtoralis officii nobis divinitus injuncti aſſidua ſollicitudo nos admonet, ut omni cura & vigilantia ad ea ſemper intendamus, per quæ Regularium perſonarum, quæ relicto ſeculo, Dei obſequio ſe dedicarunt, quieti conſulitur, & quæ religioſum earum propoſitum impedire poſſunt, removentur, ut nulla re, quæ eas à divino cultu avocet præpediti, ſecundum Ordinum ſuorum Regularia inſtituta tranquillis mentibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum.

*Greg. XIII. Diſcalceatos Hiſpaniæ à Fratribus profitentibus regulam Mitigatam ſejunxit, ut ſup. in conſtit. 64. Pia, fol. 335.*

§. 1. Dudum ſiquidem fel. record. Gregorius Papa XIII. inſtitutum, quod Religioſi Diſcalceati nuncupati Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes, juxta primitivam Regulam profitebantur laudans & approbans, eoſdem Fratres, & Moniales, eorumque domus, Conventus, Monaſteria, & loca tunc & pro tempore exiſtentia, à Provinciis Fratrum, & Monialium ejuſdem Ordinis, per piæ mem. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrũ jam ante Mitigatorum in perpetuũ ſejunxit, ſeparavit & diſmembravit, ac eorumdem Fratrũ, & Monialium Diſcalceatorum Domus, Monaſteria, & loca in unam Provinciam de per ſe Diſcalceatorum nuncupan. per unum Priorem Provincialem in capitulo eorum Provinciali ex eiſdem Diſcalceatis eligendum regendam, & gubernandam in perpetuum erexit, & inſtituit, ac dictam Provinciam Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum, ſub obedientia, & ſuperioritate Prioris Generalis totius Ordinis, ſicuti aliæ Provinciæ ejuſdem Ordinis ſuberant, perpetuò ſubeſſe voluit, qui Prior Generalis per ſeipſum ſolum, vel per alium virum idoneum, ex ipſis Diſcalceatis, & juxta eorum primitivam Regulam, eos viſitare, corrigere, & punire poſſet.

*Sixtus V. aucto numerõ Diſcalceatorum per plures Priores, & unum Vicarium Generalem regi decrevit, ſed eius bullam uti hic benè relatam prætérii.*

§. 2. Et deinde recol. mem. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter audiens numerum Fratrum, & Monialium Diſcalceatorum hujuſmodi non mediocriter auctum fuiſſe, & in dies majora ſuſcipere incrementa, & non ſolùm per univerſam ferè Hiſpaniam, ſed etiam in Indiis complura Monaſteria, & Domos, aliaque Regularia loca Diſcalceatorum inſtituta, & erecta fuiſſe, & per unum Priorem Provincialem non ita commodè regi, & gubernari poſſe, ordinavit ut ex omnibus Conventibus Provinciæ prius erectæ, ut præfertur, fierent plures Provinciæ. Univerſas verò Provincias dicti Ordinis Diſcalceatorũ in unam Congregationem omnium hujuſmodi Provinciarum Diſcalceatorum nuncupan. perpetuò erexit, & inſtituit, ſtatuitque & ordinavit, ut ſingulis hujuſmodi Provinciis ſinguli Priores Provinciales præeſſent, & Vicarius Generalis in capitulo ejuſdem Congregationis electus, ipſis Prioribus Provincialibus, & toti Congregationi præeſſet, & in illis eandem auctoritatem haberet, quam habebat Prior Generalis totius Ordinis prædicti, & alias prout in diverſis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis literis pleniùs continetur, ad quas relatio in neceſſariis habeatur.

*Sed Diſcalceati, & Mitigati cõcorditer poſteà ſe diſjunxerunt.*

§. 3. Cum autem, ſicuti nuper accepimus, in Capitulo Generali Ordinis prædicti in Civitate Cremonenſi hoc præſenti Anno celebrato, in quo Fratres ejuſdem Ordinis tam Diſcalceati, quàm Mitigati nuncupati intervenerunt propter bonum pacis, tranquillitatis, & augmenti tam totius Ordinis, quam Congregationis Diſcalceatorum hujuſmodi, ac ob alias juſtas, & rationabiles cauſas unanimi conſenſu determinatum fuerit, ut ſeparatio Congregationis dictorum Diſcalceatorum omninò ab Ordine Fratrũ

Mitigatorum, & renunciatio juriſdictionis Prælatorum utriuſque partis fieret, ita ut dicta Congregatio Diſcalceatorum, nec votum, nec vocem activam, & paſſivam in Capitulo Generali totius Ordinis Carmelitani amplius haberet, nec quomodolibet in ſuis Capitulis ſe intromitteret, nec Prior Generalis dicti Ordinis Mitigatorum ullam haberet auctoritatem, juriſdictionem, & ſuperioritatem *in* Congregationem *Diſcalceatorum* prædictam, ac *in ejus perſonas* quaſcumque, ſive Superiores, ſive Inferiores, & dilectus filius Fr. Joannes Stephanus Chizzola, Prior Generalis Ordinis Carmelitarum, & reliqui Capitulares in ſuo Capitulo Generali renunciaverint, per ſuffragia ſecreta nomine totius Capituli per ſe, & univerſum Ordinem totam illam juriſdictionem, facultatem, & auctoritatem, quæ ſibi & Capitulo Generali per prædictas, & alias literas Apoſtolicas conceſſa fuerat: ita tamen, ut dicta Congregatio Diſcalceatorum, vel ejus Superiores omninò in perpetuum non præſumerent accipere loca, vel Conventus hujus Religionis Mitigatorum, etiam ſponte à Civitatibus, vel Principibus, vel quibuſcumque aliis ex eis exhibenda, vel offerenda: quod ſi contrarium aliquando ipſos feciſſe compertum foret, nulla eſſet, & irrita iſta conceſſio, & nullum jus omninò acquiſitum eis intelligeretur.

*Quod Pont. motu approbat.*

§. 4. Nos æquum, & rationi congruum ducentes, ut qui arctioris Regulæ Obſervantiam ſectantur, Superioribus eorum, qui in laxiori degunt, non ſubjaceant, ſed Superiores habeant ejuſdem profeſſionis, & ab illis juxta eorum inſtituta Regularia proſperè, & feliciter gubernentur, ac dictarum literarum, & decreti dicti Capituli Generalis, & omnium in eo contentorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, nec de præmiſſis à dilecto filio noſtro Dominico tit. S. Chryſogoni Presbytero Cardinali Pinello nuncupato, dicti Ordinis, necnon præfatæ Congregationis Diſcalceatorũ Protectore plenè informati, Motu proprio, non ad dictorum Fratrum, aut aliorũ pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictæ ſeparationis Decretum in Capitulo Generali hujuſmodi factum, & ordinatum, ac omnia & ſingula in eo contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac idem de novo decernimus, & determinamus.

*Diſcalceatos à Superioribus Magiſtrorum eximit.*

§. 5. Necnon prædictum Vicarium Generalem, ac omnes & ſingulas perſonas præfatæ Congregationis Diſcalceatorum, illiuſque Conventus, Domos, Collegia, & Provincias, tam virorum, quàm mulierum, ab omni ſuperioritate, juriſdictione, gubernio, & adminiſtratione, ſubjectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emendatione, tam Generalis Ordinis Carmelitarum, quàm aliorum Prælatorum, & Superiorum quacumque auctoritate fungentium, & functurorum, & quantumvis ampliſſimis privilegiis, & facultatibus utentium & uſurorum, perpetuò eximimus, & liberamus, ita ut dictus Prior Generalis, aut alii Superiores dicti univerſi Ordinis Carmelitarum nunc & pro tempore exiſtentes, nullam omninò juriſdictionẽ, facultatem & auctoritatem in dictam Congregationem Diſcalceatorum, illiuſque Vicarium Generalem, ac Conventus, Domos, Collegia & Provincias, tam virorum, quàm mulierum, habere, exercere, aut prætendere aliquo tẽpore poſſint, minuſq; in rebus & negotiis ejuſdẽ Cõgregationis aliquo pacto ſe ingerere, aut immiſcere valeant.

*Sub protectione Sedis Apoſt. recipit.*

§. 6. Ipſamque Congregationem Diſcalceatorum, ejuſque Vicarium Generalem, necnon Conventus, Domos, Collegia, & Provincias, ſub immediata noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione, ſubjectione, gubernatione, & obedientia recipimus, & ſubjicimus.

*Eorum Superiorem Præpoſitum generalem vocari decernit.*

§. 7. Sed quia ſicut accepimus, antea ſubordinationem habebat prædictus Cõgregationis Diſcalceatorum Vicarius totius Ordinis Carmelitarum Priori Generali, ac propterea Vicarii nomen obtinebat, & ceſſante illa ſubordinatione, illius cujus vices gerebat, ſit neceſſe nomen quoque mutare. Ideò harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus, eumdem ipſum qui antea Vicarii nomine vocabatur, de cetero Præpoſitũ Generalem nominandũ Ordinis Diſcalceatorum, ſive primitivorum, videlicet primitivam Regulam Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo obſervantium.

*Qui ſex Conſiliarios habeat, totumque Ord. Diſcalceatorum regat.*

§. 8. Qui eandem facultatem habeat, quam Vicario Generali prædicto dictus Sixtus prædeceſſor noſter conceſſerat, cum ſex Conſiliariis, ſive aſſiſtentibus votum deciſivum haben. ab eodem Sixto prædeceſſore, & à piæ memoriæ Gregorio Papa XIV. etiã prædeceſſore noſtro aſſignatis, quos Conſiliarios, ſive Aſſiſtentes huic de novo *inſtituto*, *prædicto Præpoſito generali* adjungimus, & aſ*ſignamus cum voto deciſivo, ut alias juxta formam* præſcriptam in dictis literis prædeceſſorum noſtrorum habetur. Quibus aſſociatus poterit totum prædictum Ordinem Diſcalceatorum regere, & gubernare, juxta præſcriptum Conſtitutionum ſupradicti Ordinis, quæ dudum ſunt à *nobis confirmatæ*, vel earum, quæ ab eiſdem Fratribus *Diſcalceatis in* poſterum fient, & condentur.

*Definitores Capituli ſint etiam ex eligendis, ut hic.*

§. 9. Quia verò conſiliarii, ſive Aſſiſtentes prædicti debent eſſe quoque Capituli Generalis prædicti Definitores in eorum Capitulo Generali eligendi, ordinamus ut ex unaquaque Provincia unus eligatur Definitor, non excedendo ſenarium numerum, qui ſit ex Conventualibus illius Provinciæ, vel qui habeat Officiũ pro ea, aut pro univerſo Ordine, qui durãte Capitulo, Definitoris, extra verò Conſiliarii ſive Aſſiſtentis nomine vocabuntur. Pro Provincia Sancti Alberti, quæ in Indiis Hiſpaniarum exiſtit, vel pro alia, aut aliis, ſi quæ juvante Deo addentur, poſſint propter longinquitatem locorum ex aliis Provinciis deputari, niſi aliqui ex dictis Provinciis Indiarum idonei propinquiores extiterint, ut in Definitores prædictarum Provinciarum eligi poſſint, ſi verò ſub protectione unius Definitoris Conſiliarii cõtingeret plures eſſe Provincias, alternatim eligatur ex eis prædictus Definitor, qui omnes in eodem Conventu, & Domo, ut in Conſtitutionibus ſtatutum eſt, ſimul cum Præpoſito Generali degentes, expeditioni negotiorum, Ordiniſque regimini intendant. Quæ conſeſſio Præpoſiti Generalis, & Aſſiſtentium nomine Congregationis, ſive Conſultæ inſignietur.

*Præpoſito Generali infirmo, aut abſente, vel decedente, eligatur Vicarius de Conſiliariis.*

§. 10. Si autem contingat Præpoſitum Generalem abſentari à Cõſulta, ſive Congregatione prædicta, vel mori, vel ante ſuum diſceſſum, aut ejus obitum, adhuc eo vivẽte, ſi graviter infirmabitur, fiet in præſentia electio Vicarii Generalis per Præpoſitum Generalem, & Aſſiſtentes eiſdemmet Conſiliariis, ſive Aſſiſtentibus, qui dictæ Cõgregationi præſideat, & cũ reliquis Aſſiſtentibus, ut præfertur, expeditioni negotiorum intendat. Quod ſimiliter fiet, ſi hunc contingat infirmari, aut mori, quod ſervabitur in ſimilibus eventibus, quia Vicarius hujuſmodi aliàs non poterit abſentari in abſentia Præpoſiti Generalis, & vocabitur noviter electus etiam Vicarius Generalis, cujus Officium, & nomen ſolùm durabit dum abſens erit Præpoſitus Generalis, vel ſi mortuus fuerit, uſque ad Capitulum Generale intra ſex menſes incluſivè congregandum, in quo præſidebit uſque ad novi Præpoſiti Generalis electionem, quo abſente prorogabitur Capitulum prædictum uſque ad adventum Præpoſiti Generalis, interim tamen ordinaria terminabuntur à Definitorio, electo prius Vicario Generali, ut præfertur.

*Præpoſiti prædicti officium ad ſex annos duret.*

§. 11. Prædictus autem Præpoſitus Generalis ſtatim electus, ſit ipſo facto confirmatus, teneatur tamen certiorem facere Cardinalem dicti Ordinis Diſcalceatorum Protectorem de hujuſmodi electione. Qui per ſexennium, & non ultra durabit, nec poterit reeligi, niſi alio ſexennio tranſacto, ceteri verò Prælati Superiores, ſicuti per Sixtum Quintum, & Gregorium Decimumquartum prædeceſſores prædictos, & Ordinis Conſtitutiones eſt diſpoſitum, à quibus tempora celebrandi Capitula Generalia, & Provincialia, & ea quæ ibi debent fieri, ſunt definita, quæ omnia obſervanda præcipimus.

*Et nunc eius locum tenuit Vicarius uſque ad Capitulum.*

§. 12. Quia verò Capitulum Generale proximè futurum, indictum eſt pro Feſto Pentecoſtes anni ſequentis, videlicet milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti, & antea non poſſent ſine magno Conventuum diſpendio, & Fratrum incõmodo Capitulares accedere ad illud, idcircò ex nunc eum qui jam eſt Vicar. Generalis, conſtituimus & nominamus Præpoſitum Generalem cum plenitudine auctoritatis, & poteſtatis Generalis, ſicuti ſuprà diſpoſitum eſt, ut videlicet ſimul cum Aſſiſtẽtibus regimini Ordinis intendat, ſicuti ſi eſſet per ſuffragia ſecreta electus. Accedente autem tempore Capituli, ipſe præſideat Capitulo uſque ad electionem novi Præpoſiti Generalis,

ſervatis

*ſervatis in reliquis Ordinis Conſtitutionibus, & ſanctionibus Apoſtolicis.*

*Qui modò cū Diffinitoribus opportunas ordinationes faciat, &c.*

§. 13. Necnon Præpoſito Generali, & Aſſiſtentibus, ſeu Definitoribus prædictis, in Capitulo quæcumque ſtatuta, & ordinationes bonum regimen dicti Ordinis Diſcalceatorum ad Dei ſervitium concernentia, dummodo ſacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, & eorum primitivæ Regulæ, & inſtituto non adverſentur, condendi, mutandi, alterandi, & in totum, ſi videbitur, abrogandi, & de novo edendi, ſicuti per Gregorium Decimumtertium, ac Sixtum Quintum, & Gregorium Decimumquartum prædeceſſores præfatos, ac per nos & Conſtitutiones dicti Ordinis eſt diſpoſitum, licentiam & facultatem concedimus. Poterit quoque prædictus Præpoſitus Generalis plures Provincias inſtituere, Domos & Conventus Fratrum ubique Terrarum denuò erigere.

*Ordinis privilegia primitivæ regulæ non contraria confirmat.*

§. 14. Necnon prædicto Præpoſito Generali, ac Ordini Diſcalceatorum hujuſmodi reſpectivè, quæcumque privilegia, indulta, & facultates Provinciæ, ac Priori Provinciali à Gregorio Decimotertio Diſcalceatorum, & Vicario Generali, & Congregationi etiam Diſcalceatorum poſtmodum à Sixto Quinto erectæ, & à Gregorio Decimoquarto prædeceſſoribus prædictis, & à nobis, vel aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt, competere ſtatuimus & declaramus. Omnia præterea & ſingula privilegia, facultates, gratias, prærogativas, indulta, favores, conceſſiones, tam Priori Generali totius Ordinis Carmelitarum, quam prædicto Ordini, ſingularibuſque illius perſonis, tam à Romanis Pontificibus, quam dictæ Sedis de Latere Legatis, necnon quibuſcumque Regibus, Imperatoribus, & Principibus ſæcularibus conceſſa, vel concedenda in futurum, æquè ac aliis dicti Ordinis Carmelitarum Fratribus, & Religioſis, ſine aliqua prorſus differentia conceſſa ſunt, prædicto Ordinis Diſcalceatorum Præpoſito Generali, ſuiſque Fratribus, dummodo primitivæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutionibus, Regularique Obſervantiæ non repugnent, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus, illiſque ſi opus ſit, ea omnia communicamus & extendimus.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§. 15. Decernentes præſentes litteras nullo unquam tempore ſub ullis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, abrogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus à nobis, & quibuſcumque aliis Romanis Pontificibus, vel dicta Sede nunc & pro tempore emanatis comprehendi; ſed ſemper ab aliis exemptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtitutas, & de novo etiam ſub poſteriori data per pro tempore exiſtentem Præpoſitum Generalem Congregationis hujuſmodi eligenda conceſſas eſſe, & fore. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quacumque auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, dictæque Sedis etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique, & in quavis inſtantia interpretari, judicari, ac definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores deputat.*

§. 16. Quocirca Venerabilibus Fratribus univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, necnon Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Capitulis, & aliis ad quos vel quomodolibet ſpectat & pertinet, ac ſpectabit & pertinebit, per præſentes Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut tres eorum, per ſe vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ab omnibus ad quos ſpectat, & pertinere putatur, inviolabiliter obſervari, dictoſque Fratres Diſcalceatos illis omnibus & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, & præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque juris & facti remedia, appellatione *poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.*

*Obſtantia tollit.*

§. 17. Non obſtantibus præmiſſis piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium ad judicium ultra tres dietas non trahatur, ac de non recipiendis novis Domibus, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis quæ dicti prædeceſſores in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptis credi jubet.*

§. 18. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Ordinis Diſcalceatorum, ſeu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 2. die 20. Dec.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Decembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, Pontific. noſtri anno ſecundo.

---

## XXV.

## Indulta & immunitates pro Mercatoribus, etiam Hebræis, ad portum Civitatis Anconæ Status Eccleſiaſtici merces advehentibus, & aliis ibi mercaturæ cauſa domicilium conſtituentibus. Et juriſdictio Conſulum eorum cauſas cognoſcentium.

*Quoad Hebræos Anconæ degentes, vide etiam hic ſupra, fol. 23. conſtit. 19. Cæca, ubi alia indicavi.*

*Edita A. D. 1593.*

*CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſtitut.*

EX Apoſtolicæ ſervitutis officio eam ſuſcipimus ſollicitudinem, in locis potiſſimùm ditioni noſtræ etiam in temporalibus ſubjectis, ut cunctis mortalibus, maximè verò exteris nationibus eò confluentibus juſtitia æquâ lance miniſtretur, neque eorum cuiquam injuria, aut gravamen aliquod inferatur, ſed ut Chriſtianam potius, ac præſertim Apoſtolicam pietatem, ac benignitatem vel in ipſa regiminis forma agnoſcant & admirentur, tum verò ut Civitatum, ac populorum Status Eccleſiaſtici publica & privata commoda, communemque utilitatem, pro ea qua tenemur paterna, ac paſtorali vigilantia modis omnibus procuremus. Quare cùm inter alia quæ huc pertinent, illud certè non mediocris momenti ſit, ut commercium maritimum inter Subditos noſtros, & Mercatores, diverſarum præſertim Orientalium regionum, qui Anconitano, ac reliquis ditionis noſtræ prædictæ Portibus cum Navibus onuſtis mercibus ad victũ, & cõmunem uſum utilibus, ac neceſſariis appellunt, non modò conſervetur, ſed majori in dies, Deo juvãte, Navium multitudine & frequentia, Mercatorũ cõcurſu & celebritate, merciũ copia & ubertate augeatur, operæpretium duximus, & illa de medio tollere gravamina aut impedimenta, quæ ipſos fortaſsè abducere, aut retrahere poſſent, & eos contrâ gratiarum, immunitatum & privilegiorum, benigna ac liberali conceſſione, & promiſſa ſub fide publica ſecuritate invitare, ac ſubditos demum noſtros, qui ad alia externa emporia confluunt, ab alienis ad propria, etiam ſi opus erit, propoſito alicujus damni periculo revocare.

*Exemptio à gabellis pro Mercatoribus exteris ex Orientalibus partibus merces Anconam adducentibus vel diverſa mercatura cauſa domicilium conſtituentibus.*

§. 1. Si qui igitur Mercatores, etiam exteri, ex quacumque Gente & Natione oriundi, Naves comparare & inſtruere, & in eis ultrò citroque commeando merces ex Orientalibus partibus Anconam adducere, vel in ipſa Civitate Anconitana, ut venturarum mercium pericula ſub

certis

certis ſponſionibus ſuſcipiant, ſive ut alias quoquo modo Mercaturæ negotiis operam navent, domicilium ſibi parare & conſtituere voluerint, eos omnes & ſingulos ab omnibus impoſitionibus, datiis, oneribus, gabellis, collectis, ſubſidiis, contributionibus, ad quæ Cives, & Incolæ Anconitani, alias quam ratione mercium ipſarum venalium quomodolibet tenentur, hactenus indictis (illis exceptis, quæ Cameræ Apoſtolicæ debentur) necnon etiam poſthac forſan indicendis quibuſcumque, etiamſi illorum exactionem per eamdem Cameram, ejuſve Officiales, & Miniſtros fieri contingat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò eximimus & liberamus, exemptoſque & immunes eſſe, ac ad illorum ſolutionem nequaquam teneri, neque ad id à quoquam cogi, vel compelli poſſe decernimus & declaramus, perpetuamque immunitatem, & exemptionem ſuperiùs expreſſam eorum ſingulis gratioſè, & liberaliter concedimus & elargimur.

*Salviconductus à Camerario Mercatoribus dari ſoliti confirmantur.*

§. 2. Quoad eos verò Mercatores illarum gentium & nationum quibus per edicta publica, ſeu litteras patentes dilecti filii noſtri moderni, & pro tempore exiſtentis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii, ſalviconductus, ut aiunt, concedi ſolent, eis nos quoque ad Anconitanum Portum, & Civitatem tutum, ſecurum, & liberum commeatum, remeatum, acceſſum & receſſum, commercium, ac veniendi & redeundi, & occaſione mercium quandiu opus fuerit Anconæ commorandi, & cum ipſis ſubditis noſtris liberam occaſionem mercium ipſarum contrahendi licentiam, ac pleniſſimum ſuper præmiſſis omnibus, ut dicunt, Salvumconductum perpetuò concedimus & impartimur.

*Prohibitio hos Mercatores aſſecuratos perturbandi.*

§. 3. Inhibentes ne quis eos, tanquam ſub fide publica præſentium auctoritate aſſecuratos quoquo modo moleſtare præſumat. Quinimmò vehementer etiam hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta monemus univerſos & ſingulos nunc & pro tempore exiſtentes Præfectos, & Milites Claſſium, ac Triremium, tam Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Hiſpaniarum Regis Catholici, & cujuſcumque Regni, Provinciæ, & Inſulæ ei ſubjectæ, quàm etiã Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis & Dominii Venetorum, necnon Magni Etruriæ ſibi ſubjectæ Ducis, & Sancti Joannis Hieroſolymitani, ac Sancti Stephani, & quarumcumque aliarum Militiarum, necnon Dalmatarum Uſchocchi nuncupatorum, & ceterarum omnium Rerumpublicarum, & Principum, ne illis unquam Navigiis onerariis quæ merces ad Civitatem Anconitanam, ac alia ditionis noſtræ loca comportant, ipſiſve Mercatoribus, aut Nautis, ut præfertur aſſecuratis, damni, detrimenti, aut impedimenti aliquid in rem vel in perſonã inferant. Quinimmò habentes eos pro noſtra, & Sedis Apoſtolicæ reverentia propenſiùs commendatos, in exercenda hujuſmodi mercatura omnem illis opem, operam, favorem, auxilium enixè ac benignè impendant, ſcituri ſe in hoc obſequium Nobis, & eidem Sedi gratiſſimum præſtituros, & ſi contra fecerint, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & temporales contra Pyratas, & Prædones noſtra Maria infeſtantes inflictas incurſuros.

*Confirmatio qualificata Statutorum à Paulo III. conceſſorum Hebræis Orientalibus Anconæ commorantibus.*

§. 4. Verùm his qui Anconæ nunc & pro tempore commorantur Hebræis Orientalibus, eorumque Univerſitati per eaſdem præſentes concedimus, & indulgemus, ut Statutis, & Capitulis eis alias per felic. record. Paulum PP. III. prædeceſſorem noſtrum conceſſis, ſive permiſſis, cum ea tamen moderatione quoad primum, & cum eis limitationibus & reſtrictivis quoad reliqua, quæ nuper à dilecto filio noſtro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario adjectæ & editæ fuerunt, & non aliàs, uti liberè & licitè valeant, illaque omnia & ſingula, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, moderatione tamen & limitationibus & reſtrictivis hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, eiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

*Declaratio ſua conſtitutionis contra Hebræos editæ, quoad Hebræos Anconæ degentes.*

§. 5. Declarantes inſuper, litteras noſtras de eiſdem Judæis ex toto Statu prædicto, præterquam Roma, Avenione & Ancona expellendis nuper editas, ipſis Hebræis Orientalibus, vel aliis Anconæ domicilium habentibus non obeſſe quo minùs ad quæcumque Status Eccleſiaſtici loca pro exigendis creditis occaſione mercium prædictarum contractis accedere, & per ea diſcurrere liberè & licitè valeant, nec propterea à quoquam moleſtari queat, dummodò ſuper hoc litteras teſtimoniales de eorum origine, & juſta hujuſmodi itineris cauſa fidem facientes à venerabili Fratre noſtro Epiſcopo Anconitano, ſeu pro tempore exiſtente Gubernatore ejuſdem Civitatis ſubſcriptas ſecum deferant.

*Prohibitio emendi merces ex partibus Orientalibus, per mare Adriaticum, ad alios Portus ejuſdem maris, extra Statum Eccleſiaſticum delatas, & poſtea in d. Statu comportatas, ſub pœna iſta importantibus expreſſa.*

§. 6. Ceterùm quia ſæpè contingit merces ex Oriente per Mare Adriaticum advectas, prius ad alios Portus Maris Adriatici extra ditionem Eccleſiaſticã ſitos appellere & exonerari, deinde verò ad Statum noſtrum Terra Marive comportari, diſtrictè interdicimus & prohibemus, ne quis omninò ex ſubditis noſtris prædictis poſthac unquam perpetuis futuris temporibus merces cujuſque generis, qualitatis, & quantitatis, ex partibus Orientis per Mare Adriaticũ ad alios extra ditionem prædictam ejuſdem Maris Adriatici Portus prius delatas, & exoneratas, ac poſtmodum terra marive ad loca Status Eccleſiaſtici comportatas emere quoquo modo audeat. Cujus quidem prohibitionis ſi quis tranſgreſſor & violator extiterit, ita ut Merces quaſcumque prius quidem ad Portus Adriatici Maris extra ditionem noſtram conſtitutos allatas, & exoneratas deinceps Anconam, vel ad alia Status noſtri loca terra, aut mari importare præſumat: Volumus, ut quaſi cujuſdam mulctæ nomine, ultra ſolita & vetera vectigalia, novum etiam ſolvere teneatur, duodecim nimirum pro centenario ejus pretii quo res ipſæ æſtimatæ erunt. Hujuſque vectigalis novi, quod harum ſerie imponimus atque indicimus, exigendi facultatem ceterorum vectigalium conductoribus, & Exactoribus, de quo tamen Nobis, & Cameræ Apoſtolicæ ſigillatim rationem reddere debeant, per præſentes tribuimus.

*Triticum ad Portum Anconæ advehendum liberè cuique vendi poſſit.*

§. 7. Quod ſi quando triticum, ſeu frumentum ad Portum Anconitanum advehi contigerit, prohibemus dilectis filiis Communitati, & hominibus ejuſdem Civitatis noſtræ Anconitanæ, ne in poſterum cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis, etiam antiquæ & immemorabilis prætextu, etiam pro eorum uſu neceſſario, frumento hujuſmodi Navibus advecto pretium aliquod certum ullo modo præſcribere, & eo oblato, vel ſoluto triticum ſibi vendicare audeant, ſed ſi frumento indiguerint, ad illud coëmendum, ſicuti alii advenæ emptores, nullo prorſus diſcrimine concurrant.

*Mercatores non ſolvant gabellam antequã eas merces vendant, vel alibi aſportent.*

§. 8. Inſuper univerſis & ſingulis Mercatoribus ad eumdem Portum Anconitanum merces undequaque convehentibus indulgemus, ut non prius ad ſolutionem vectigalium pro ipſis mercibus injunctorum teneantur, nec cogi, aut compelli poſſint, quàm eaſdem merces vendiderint, aut aliò aſportaverint, ac pro ea tantum rata, qua res ipſas vendi, aut exportari contigerit.

*Conſules Sanitatis nihil circa perſonas, & merces Navium externarum agant, abſque interventu Gubernatoris Anconæ.*

§. 9. Poſtremò cupientes opportunè providere ne à Magiſtratibus ad purgandum merces ex locis peſtiferæ contagionis ſuſpectis pro tempore advectas, in eadem Anconitana Civitate deputatis, Conſulibus ſanitatis vulgò nuncupatis, ſub prætextu cavendi ab hujuſmodi morbi periculo gravamen aliquod ipſis Mercatoribus inferatur, ſed ut ſalubritati, ut par eſt conſulatur, & tamen debita inter Mercatores æqualitas ſervetur, ac omnes ceſſent querelæ, ſtatuimus & ordinamus, ut deinceps per dictos Conſules in adventu Navium exterarum nihil circa perſonas, & merces in dictis Navibus exiſtentes ſine Gubernatoris pro tempore exiſtentis, cum eis conjunctim procedentis conſenſu, præſentia & interventu prohiberi, permitti, ſtatui, decerni, judicari aut definiri valeat.

*Cauſa ipſorum Mercatorum Anconæ cognoſcantur.*

§. 10. Denique, ne Mercatores, ac perſonæ quæcumque ad Portum ipſum confluentes, vel inibi commorantes, litium diſpendiis, atque incommodis ab hujuſmodi commercio diſtrahantur, omnia privilegia de cauſis inter Mercatores, ſive alios quoſcumque incolas, ſive exteros occaſione Mercaturæ, & negotiorum hujuſmodi pro tempore motis, tam in prima quàm in ſecunda inſtantia intra Civitatem ipſam Anconitanam, nec alibi cognoſcendis, & terminandis per quoſcumque prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſa, auctoritate & tenore præmiſſis perpetuò approbamus & confirmamus, & illa quatenus opus ſit, de novo concedimus, itaut nec

prætextu

prætextu privilegiorum Rotæ Maceraten. quibus in hac parte, & inquantum indultis Civitatis Anconæ quomodolibet præjudicent, harum ſerie ex certa noſtra ſcientia derogamus, nec alio quovis colore alibi extra d. Civitatem Anconitanam in quacumque inſtantia trahi, ſeu conveniri poſſint.

*Forma eligendi Iudi[illegible] ad eas [illegible] facultas ſummariè, &c. procedendi.*

§. 11. Quinimmò ut controverſiæ, & lites hujuſmodi quamcitiſſimè & minimo diſpendio terminentur, ſtatuimus, ut quotannis ex numero Mercatorum inibi commorantium tres Conſules eligantur, alter nimirum ex Florentina, alter verò per Ultramarinos, ac tertius ex alia quavis Natione, arbitrio Univerſitatis Mercatorum in prædicta Civitate degentium eligendum, quorum vel duorum ex eis conjunctim procedentium judicio cauſæ omnes inter Mercatores invicem, ſeu inter illos & alias perſonas, aut etiam inter alios quoſcumque occaſione Mercaturæ quomodolibet motæ & movendæ, ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta cognoſcantur, audiantur, & decidantur. Conſules verò prædicti Aſſeſſorem aliquem juris peritum ſuo arbitrio aſſumant, cujus voto in ejuſmodi cauſis definiendis uti poſſint. Quod ſi res, de quibus agetur, valorem quadraginta ſcutorum non excedunt, à ſententiis vel decretis vim definitivæ habētibus eorumdem Conſulum non liceat provocare. Sin autem prædictam ſummam exceſſerint, non ad alium Judicem fas ſit appellare, quàm ad ſeptem vel octo Mercatores ſorte extrahendos, qui hujuſmodi cauſas appellationum, etiam ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta terminent, nec ulterius quàm ſemel tantum, ut præfertur, ulla omninò appellatio detur. Atque in eligendis Conſulibus modus & forma ſervetur, quæ in Statutis per prædictum S. R. E. Camerarium, ac dilectum filium noſtrum, & Cam. Apoſt. Theſaurarium Generalem edendis præſcribitur, eorumque munus & juriſdictio expiret, prout ejuſdem ſtatutis factis à Camerario & Theſaurario declarabitur.

*Ipſi judices & Gubernator nihil recipiant de Mercibus Navium, neque emant.*

§. 12. Caveant autem iidem Conſules & Gubernator, ne ex Navibus, & mercibus hujuſmodi quicquam, ſive parvum, ſive magnum, etiam emptionis, ſive alio quovis contractus, aut donationis titulo, etiam ſponte oblatum accipere quoquo modo præſumant, alioquin noverint ſe graves arbitrio noſtro pœnas incurſuros.

*Decretum irritans, & clauſula ſublata.*

§. 13. Decernentes ſic in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Civitatis Gubernatorem, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deputatio, & facultates.*

§. 14. Quocirca tam prædictis Camerario & Theſaurario generali, quàm dilectis filiis Cam. Apoſt. præſentibus Clericis, & eorum cuilibet per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum præſentes literas ubi & quando opus erit, & quatenus pro parte eorum quorum intererit, requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eorumque ſingulis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant per ſe, vel alium, ſeu alios auctoritate noſtra illas & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari. Contradictores quoſlibet & rebelles, & præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiã ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogatoria.*

§. 15. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumpti fides.*

§. 16. Volumus autem quod præſentium tranſumptis Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Forma publicationis, & Sanctio pœnalis.*

§. 17. Quodque eædem præſentes in valvis Baſilicæ Principis Apoſt. de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt publicentur, ac deinde quoad ſupradictum prohibitionem emendi merces extra Statum Eccleſiaſticum, elapſis quatuor Menſibus, quoad reliqua verò ſtatim ab ipſa die publicationis hujuſmodi, cunctos quos concernunt non minus afficiant, quàm ſi eorum cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1594. Octavo Id. Martii, Pont. noſtri anno 3. *Dat. P. A. 3. die 8. Mart.*

---

## Canonizatio S. Hyacinthi Poloni, profeſſoris Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, ejuſque relatio in numerum Sanctorum Confeſſorum, & ſuæ feſtivitatis inſtitutio die 16. menſis Auguſti celebrandæ. XXVII.

*CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1594.*

*Sancti qui in Cœlo regnant, in Terra etiam Romani Pont. decreto venerandi ſunt.*

BEnedictus Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui dilectam filii ſui ſponſam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam perpetua regit providentia, atque his luctuoſis temporibus multis ærumnis, & calamitatibus afflictam, multiplici etiam gaudio, ex Sanctorum ſuorum gloria conſolatur. Verè enim magna exiſtit ſpiritualis lætitiæ materia, cùm Deus illuſtria ſervorum ſuorum merita ideò mundo manifeſtat, ut dum illis ubique Terrarum veneratio tribuitur, Deus ipſe in Sanctis ſuis mirabilis prædicetur. Nam cum aliqui ſervi Dei, excellenti vitæ ſanctitate & miraculis inſignes, jam cum Chriſto in cœlo regnantes, in terra quoque ſumma Romani Pontificis auctoritate Sancti eſſe declarantur, Rex ipſe ſempiternæ majeſtatis & gloriæ, in Sanctorum Concilio glorificatur, divini cultus obſervantia augetur, fidelium pietas, & devotio excitatur, deteſtandæ hæreſes magis magiſque convincuntur, plures populo Dei ad virtutis exemplum, & ſuffragii patrocinium proponuntur, ut quod fideliter petimus, id efficaciùs multiplicatis interceſſoribus conſequamur.

*Sixtus V. canonizavit S. Didacum, ut ſupra in eius bulla 28. Rex, fol...*

§. 1. Quare magna Dei benignitate ante paucos annos factum eſt, ut à felicis recordationis Sixto Papa V. prædeceſſore noſtro, ex Seraphici Patris Franciſci Religione Beatus Didacus Hiſpanus in Sanctorum numerum referretur, & nunc viciſſim ex Beatiſſimi Patriarchæ Dominici diſciplina, Beatus Hyacinthus Polonus Sanctis pariter Chriſti Confeſſoribus adſcribatur, nimirum ut duo clariſſimi Ordines, unde tot pii ac Sancti viri Catholicæ Eccleſiæ lumina prodierunt, noſtra quoque ætate, duplicato populi Chriſtiani gaudio, honore conſimili augeantur, ut duæ iſtæ lucernæ, fide & ſignis mirabilibus luminoſæ, & charitate ardentes, ſupra excelſum candelabrum collocatæ, in domo Dei colluceant.

*Et mox proponitur Canonizatio Sancti Hyacynthi.*

§. 2. Et nos quidem cum multis aliis in rebus, tum in hoc etiam divinæ gratiæ abundantiam agnoſcimus, primum quod nos ipſos Deus, veluti oculatos teſtes in hac religioſa cauſa eſſe voluerit: nam cum adhuc ex numero eſſemus venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatione in Polonia fungeremur, vidimus Cracoviæ inſigni loco ſepulchrum Beati Hyacinthi, in quo venerandum illius Corpus in ſomno pacis requieſcit, & Regni illius erga hunc Beatum virum ſingularem devotionem perſpeximus: deinde etiam in eo divitias bonitatis Dei prædicamus, quod ita diſpoſuerit, ut hoc piũ, & ſalutare canonizationis Beati Hyacinthi negotium, ante annos quinque, & ſeptuaginta religioſis Poloniæ Regibus, Regnique Ordinibus ſupplicantibus inchoatum, & à pluribus Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris variis progreſſionibus promotum, tandem per noſtræ humilitatis miniſterium, qui Poloniæ Regnum peculiari paternæ dilectionis affectu complectimur, omni ex parte abſolveretur.

*Leo X. Polonia Rege inſtante, illius proceſſum commiſit.*

§. 3. Anno ſiquidem humanæ ſalutis 1518. felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter, ſupplicationibus recolend. mem. Sigiſmundi Primi Poloniæ Regis tunc in humanis agentis, de Beato Hyacintho Polono, Ordinis Fratrum Prædicatorum, fidei integritate & morum ſanctimonia, & miraculorum fama in univerſo Poloniæ Regno percelebri, in Sanctorum numerum referendo inclinatus, bon. mem. Joanni Epiſcopo Laudicen. & Jacobo Canonico Cracovien. ut in ejus vitam, & miracula diligenter inquirerent, ſuis quibuſdam litteris mandavit. Qui pro ſuo Apoſtolicæ Sedi obtemperandi ſtudio, univerſæ illius vitæ, & miraculorum rationes in

acta retulerunt, eaque anno etiam Domini 1526. Leone prædeceſſore prædicto vita functo, ad piæ mem. Clementem Papam Septimum, etiam prædeceſſorem noſtrum transmiſerunt.

*Interim Leo obiit, & Clemens VII. Fratribus Ord. S. Dominici licentiam dedit in Regno Poloniæ illius officia celebrandi.*

§. 4. Quibus quidem actis diligenter perſpectis, ac etiam ipſius Sigiſmundi Regis ſupplicationibus idem Clemens prædeceſſor adductus, dum de tota re maturè decerneret, Fratribus Ordinis Prædicatorum dicti Regni, ut poſtridie feſtivitatis Aſſumptionis Beatiſſimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ ſolemnitatem atque Officium, ac Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in ejuſdem B. Hyacinthi honorem celebrare, atque etiam imagines, & Altaria illi in omnibus Eccleſiis domorum ſuarum præfati Ordinis ſtatuere poſſent, conceſſit. Et deinde prædicto Sigiſmundo Rege id etiam poſtulante, eandem conceſſionem ad omnes dicti Regni Cathedrales Eccleſias, quoad uſque ad Canonizationem dicti B. Hyacinthi deventum eſſet, extendit.

*Paulus III. iterum negotium d. Canonizationis tribus Card. examinan. commiſit.*

§. 5. Ceterùm conſilio de Canonizatione hujuſmodi ob quaſdã tunc obortas difficultates per id tempus intermiſſo, anno ſimiliter Domini 1539. tunc exiſtentes Præſules ejuſdem Regni in Synodo Petricovienſi per eos celebrata congregati, unanimi conſenſu, dicto Clemente prædeceſſore defuncto, per literas ſanctæ mem. Paulo Papæ III. ſimiliter prædeceſſori noſtro ſupplicarunt, ut ad hujuſmodi Canonizationem perficiendam ſuam, & dictæ Sedis auctoritatem impartiretur. Quorum ſupplicationibus idem Paulus prædeceſſor annuens, tribus venerabilibus Fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, Ordinum Prioribus, negotium Canonizationis hujuſmodi rurſus examinandum commiſit, qui & ipſi pro aſſiduis ejuſdem Sigiſmundi Regis, necnon Prioris Provincialis dicti Ordinis in prædicto Regno tunc deputati ſupplicationibus, quibus nempe id petebant, ut in ipſius Hyacinthi fidei ſinceritatem, vitæ ſanctitatem, & miraculorum, quorum in dies in dicto Regno fama augebatur, excellentiam diligenter iterum inquireretur, ad quoſdam ipſius Regni probatos viros hoc negotium detulerunt, qui conceſſionibus Apoſtolicis ſuper ea re factis, aliiſque omnibus, quæ ad Canonizationem prædictam pertinebant, attentè conſideratis, ſingula maturè examinata in publica documenta redegerunt, denique ſumma fide collecta ad dictam Sedem tranſmiſerunt. Poſtmodum idem Paulus prædeceſſor Fratribus dicti Ordinis ejuſdem Regni etiam conceſſit, ut ipſi Officium de dicto Beato Hyacintho ſingulis quintis feriis, in quas nullum Feſtum proprium incideret, perinde ac ſi eſſet in Sanctorum numerum relatus, quemadmodum de Sancto Dominico ſingulis feriis tertiis fieri ſoleb t, recitare, ac illius oſſa, & corpus exhumare, ipſumque in ſublimiorem Eccleſiæ locum tranſferre poſſent.

*Gregor. XIII. & Sixtus V. de Canonizationis abſolutione requiſiti fuerunt.*

§. 6. Poſtea labente anno Domini 1583. claræ mem. Stephano Poloniæ Rege de eadem Canonizatione apud felic. record. Gregorium Papam XIII. pariter prædeceſſorem noſtrum, dum in humanis ageret, ſupplicatione intercedente, ac interea illo vita functo, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Sigiſmundi Tertii Poloniæ Regis, ac chariſſimæ etiam in Chriſto filiæ noſtræ Annæ Poloniæ Reginæ, necnon dilectorum filiorum noſtrorum, tunc ſuorum, Gregorii tit. S. Sixti, de Radzivil, & Andreæ de Somlio, tit. S. Angeli in Piſcina, Battorii nuncupatorum Cardinalium, & venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ceterorumque totius Regni prædicti Ordinum ſtatus tam Eccleſiaſtici, quam ſæcularis votis ac precibus, à felic. record. Sixto Papa V. etiam noſtro prædeceſſore, per dilectos filios Staniſlaum Reſcium, ejuſdem Sigiſmundi Regis apud eundem Sixtum internuncium, necnon Fratrem Hippolytum Mariã Baccaria de Monte Regali, Magiſtrum Generalem totius Ordinis Prædicatorum, ac ejus nomine Fratrem Bartholomæum de Miranda, tunc Procuratorem Generalem ejuſdem Ordinis, ac demùm Fratrem Severinum Cracov. ejuſdem cauſæ nomine Provinciæ, & Regni Poloniæ ad id conſtitutum Procuratorem, ſupplicatũ fuit ut ipſe eumdem Beatum Hyacinthum pro ſanctitatis ſuæ fama, quam miraculorum acceſſio in dies magis magiſque confirmabat, in Sanctorum numerum veteri Rom. Eccleſiæ ritu, & præſcripta ſolemnitate cooptaret.

*Sixtus V. proceſſum jam perfectum Cardd. deputatis ſuper ſacris ritibus examinandũ commiſit, & deinde tribus Rotæ auditoribus.*

§. 7. Idem verò Sixtus prædictum proceſſum ſuper hujuſmodi re confectum Congregationi venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, S. R. E. Cardinalium, ſuper ſacris ritibus deputatorum examinandum commiſit. Coram quibus idem Sigiſmundus Rex, & univerſi Regni prædicti Status Eccleſiaſtici, necnon ipſius Ordinis Prædicatorum Religionis Profeſſores, nonnulla Scripturarum, ac jurium volumina, duoque proceſſus ſuper ea re formati exempla protulerunt, unum videlicet à fel. rec. Pii IV. etiam prædeceſſoris noſtro, qui unus ex tribus Cardinalibus in ordine prioribus à prædicto Paulo prædeceſſore ad id deputatis fuerat, ſcripturarum monumentis depromptum, alterum verò ex ipſo Regno, ſimul cum libro, tum vetuſtatis auctoritate, tum vitæ, ac miraculorum ejuſdem B. Hyacinthi diligenti expoſitione probato allatum, eò quidem illud ad fidem propoſitis de rebus faciendam firmius, quòd eſſet præſtantium virorum literis obſignatum, & longo annorum ſpatio in Archivio Cracovienſis Conventus ejuſdem Ordinis Prædicatorum tanta cum fidei laude aſſervatum, ut illo tanquam certi teſtis opera ſummæ auctoritatis homines ſemper dubiis in rebus uterentur. Cujus rei fidem vel hoc ipſum augebat, quod alterum alteri, tum rebus, tum ſententiis omnibus tam aptè reſpondebat, ut nihil vel ſimilius, vel congruentius excogitari poſſe videretur. Quæ quidem univerſa, citato Fiſci Procuratore, recognita fuerunt. Idem porrò Sixtus prædeceſſor, tribus cauſarum Palatii auditoribus doctrina, & rerum uſu præſtantibus, ad hoc nominatim deputatis mandavit, ut de iiſdem illis juribus ac proceſſus exemplis diligenter cognoſcerent, & concluſiones inde pro more colligerent.

*Qui Gregorio XIV. d. proceſſus acta omnia retulerunt.*

§. 8. Qua in re cum diu, multumque illi operam ſuam exercuiſſent, eodem Sixto, ſicut Domino placuit, viã univerſæ carnis ingreſſo; fel. rec. Gregorio PP. XIV. prædeceſſori etiam noſtro retulerunt, producta jura pleniſſimæ eſſe fidei atque auctoritatis, proceſſumque omnem ad Canonũ præſcripta fuiſſe confectum, atque ex eo B. Hyacinthi fidei integritatem, vitæ ſanctitatem, & miraculorũ, ex quibus octo potiſſimùm conſideranda propoſuerant, claritatem manifeſtè elucere. Qua quidem re ad venerabilium etiam Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus tunc deputatorum Congregationem, ut & ipſi quid ea de re ſentirent, in medium afferrent, ejuſdem Gregorii juſſu remiſſa, iidem Cardinales attentè examinatis allatarum à prædictis cauſarum Auditoribus concluſionũm argumentis, ac Fiſci Procuratore ſemper citato, atque audito, ſervatiſque etiam ſervandis, unanimi conſenſu eorumdem Auditorum ſuper ſcripturis, juribus, & proceſſus exemplis exhibitis relationem approbarunt, & rationes, quibus de illius fide, vita & miraculis conſtaret, longè firmiſſimas eſſe judicarunt.

*Rex Poloniæ pro d. Canonizationis abſolutione apud hunc Pontif. Clem. VIII. vehementiùs inſtitit.*

§. 9. Acceſſit denique recens, & æquitatis, ac pietatis plena poſtulatio ejuſdem Sigiſmundi III. Regis, qui etiam Sueciæ Rex exiſtit, quique Legatione nobis, ac Sedi Apoſt. obedientiæ præſtandæ cauſa, dilecto filio inſigni viro Staniſlao Mynſxi, Palatino Lencintienſi, apud nos, & d. Sedem Oratori ſuo nuper delata, nihil eum à nobis vehementius hoc tempore flagitare juſſit, quàm ut negotium iſtud ad optatum tandem, & ſuis atque Chriſti fidelium ejuſdem Regni Poloniæ ſupplicationibus conſentientem exitum perducamus.

*Qui Clemens Canonizationi intentus, illius vitã narrativè hic proponit.*

§. 10. Cujus quidem B. Hyacinthi vitæ omnis, ac rerum quas Deus ejuſdem tum viventis, tum defuncti interceſſione ac meritis geſſit, narrationem hoc loco pro noſtro munere toti Eccleſiæ proponendam duximus, ut inde non ſolum ad divinas laudes prædicandas, atque ad Chriſtianam religionem firmiore pietatis zelo conſervandam Chriſti fidelium animi excitentur, verùm etiam eo nomine ingentes gratiæ ab omnibus Chriſti fidelibus Deo agantur, quòd B. Hyacinthi prædicti ſanctitatem, quanquam gravibus de cauſis antea probatam, & multis illuſtrem, publica tamen ipſius Apoſtolicæ Sedis, quam Spiritus Sanctus regit, & gubernat, ac noſtra ſententia omninò confirmari hoc tempore voluerit.

*S. Hyacinthus in Villa Camienſi, Regni Poloniæ, ortus & Canonicus Cracovienſis fuit.*

§. 11. Natus igitur eſt B. Hyacinthus in Polonia, in Villa quæ Camienſis appellatur, Uratiſlavienſis Diœceſis, ante annum Domini milleſimum ducenteſimũ, ex nobilibus, & Chriſtianis parentibus, ſed quibus vitæ, virtutum,

ac

ac miraculorum ſplendore longè ipſe præluxerit. Ineuntis ætatis tempus iis primum litteris, quibus ætas illa informari ſolet, impertivit, in quibus cum tantū profeciſſet, quantum ad altiorem diſciplinam capeſſendam ſatis ſibi eſſe videbatur, animum ſtatim ad Theologiæ, & juris Canonici ſtudia adjunxit, magno ſanè, & admirabili cum fructu, ut qui non multò poſt Cracovienſis Eccleſiæ Canonicus factus, ita inter ordinis ſui viros excelluerit, ut propter eximiam eruditionem cum præclara & inſigni pietate conjunctam, tanquam ardens lucerna ceteros clariſſimos virtutum ſuarum lumine colluſtraret.

*Habitum à Dominico ... ſuſce...*

§. 12. Ab Ivone deinde Cracovienſi Epiſcopo Patruo ſuo Romam perductus eſt, ubi unà cum Ceſlao ipſius conſanguineo, & Hermanno Theutonico familiari ſuo à Sancto Dominico Romæ tunc degente, ejuſdem Ivonis rogatu, qui de Hyacintho, ac duobus aliis regularis vitæ ſuæ inſtituto imbuendis cum ipſo egerat, perexiguo tempore omni illius diſciplina egregiè inſtructus, in ejuſdem S. Dominici Ordinem nomen dedit, habituque de illius manibus ſuſcepto, & expreſsè illius regulam profeſſus, in Poloniam tandem cum ſociis rediit.

*Monaſteria plurima construxit, & Dominici ... & ... verbi ... opere ... [illegible]*

§. 13. Quo in itinere, cum uſque ad Civitatem Frizacenſem proceſſiſſet, verbo ſimul & exemplo tantum illic profuit, ut ipſis ſex menſibus Monaſterium dicti Ordinis, multis ibidem Fratribus, & Hermanno illis Præpoſito, relictis, conſtruxerit. Inde Cracoviam reverſus, alio ibi ejuſdem Ordinis Monaſterio erecto, Dominicanæ Religionis creſcentem paulatim familiam propagavit. Mox ad aliarum ejuſdem Poloniæ Regni Provinciatū ſalutem cogitatione converſa, quatuorque aliis profeſſionis ſuæ Monaſteriis variis in locis ædificatis, omnes tum verbi Dei prædicatione, tum vitæ ſuæ innocentia in ſui admirationē excitavit. Summa denique hæc eſt quam à Sancto Dominico ejuſdem Religioſi inſtituti auctore, tanquam è puriſſimo fonte hauſerat, vivendi rationē eandem ipſum ad extremū uſque vitæ diem ſanctè, & religioſè ſervaſſe. Nā ſive Chriſtianæ humilitatis ſpecies ante oculos proponatur, eo nihil erat demiſſius, nihil modeſtius, ſive caſtitatis, ac virginei pudoris imago pulcherrima deſideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit, ſi denique veræ in Deum, & proximos charitatis forma exquiratur, illius charitate nihil potuit abſolutius, nihil perfectius exoptari. Quāta porrò in corpore caſtigādo, atque in ſervitutem redigendo illius fuerit ſeveritas, ſingulæ noctes indicio fuerunt, quibus ſeſe uſque ad ſanguinis profuſionem affligebat. Qua verò cōtinentia, & moderatione in victu omni fuerit, præter ſextas ferias, Beatiſſimæ etiam Dei Matris Mariæ Virginis, & SS. Apoſtolorum Vigiliæ ad unam omnes declarant, quibus excepto pane, & aqua, nihil omninò guſtabat. Divini autem numinis propitiandi tanta cura, tantaque ſolicitudine tenebatur, ut totas noctes in Templo fundendis ad Deum precibus inſomnis perſæpè conſumeret, & ſi quando inedia, ac ſopore feſſis, & cadentibus membris, ſomnum capere cogebatur, aut ſtans, lapidi tantum Altaris innixus, aut jacens, humi ſcilicet proſtratus quieſcebat. Et quoniam nihil magis quam otium homini, præſertim Religioſo vitandum eſſe ſentiebat, idcircò quicquid temporis vacuum ab oratione ſupererat, id omne partim colendis ſacris ſtudiis, partim habendis concionibus, partim confeſſionibus audiendis, partim etiam ægrotis inviſendis, partim denique Deo, & proximo ſerviendo impendebat.

*Miracula vivens multa fecit, quorum aliqua hic ponuntur.*

§. 14. Cujus quidem ſingularem ſuſceptæ vitæ rationem, qua cœleſtis potius, quam humanus vir meritò reputabatur, frequens multorum, qui ſe ejus precibus, & orationi commendabant, ad eum concurſus, atque adeò nova in dies rerum ab eo geſtarum præſtantia, & pleraque miracula minimè obſcura declarant. In quibus, ut cetera, quæ innumera propè ſunt omittamus, cujuſdam Petri ex Villa Proſſovii oriundi reſuſcitatio proponenda primum occurrit, quem rapidi fluminis impetu ex equo dejectum, & in aquis omninò ſubmerſum, cū ejus corpus altero die jam latens inexpectatò ex ipſo flumine prodiiſſet, Deus ob merita, & preces ejuſdem B. Hyacinthi ſtatim ad vitam revocavit. Ejuſdem quoque ſanctimoniā mulier quædam Judith nomine egregiè oſtendit, quā cum paralyſis morbi vis elinguem prorſus, ac mutam reddidiſſet, nullaque ratione vocem emittere ullam poſſet, tandem Beati viri interceſſione aſſequuta eſt, ut lingua, & ſermone liberè uteretur. Prædicandi autem Evangelii cauſa cùm ad varia paſſim loca ſe conferret, ac propterea ad Vandalum flumen Viſſogradum Maſſoviæ Urbem redundantibus aquis præterfluens aliquando perveniſſet, nullo nauclero, nulloque navigio, quo trans amnem veheretur, ad illius ripas conſpecto, divina ope implorata, & Crucis ſigno communitus, comites ad iter per medios fluctus alacriter proſequendum hortari hunc in modum cœpit: Eia, inquit, filii, ſequimini veſtigia mea in nomine Chriſti. Quo dicto, ſtatim in flumen ſiccis veſtigiis ſe immiſit. Verum ſociis præeuntem illum ſequi renuentibus, extenſo pallio aquam tegens: Agite, inquit, filii chariſſimi, ſit iſte nobis pons Jeſu Chriſti, per quem in nomine ejus tranſeamus. Itaque flumen illud altiſſimum ſimul, ac rapidiſſimum unà cum ſociis incolumis trajecit. Quodam tempore etiam, cum per agros Villæ cujuſdam Diœceſis Cracovien. inopum, ac pauperrimorum hominum ſegetes injuria grandinis læſas paſſim, ac disjectas videret, non prius ſibi ab oratione temperavit, quàm eaſdem incolis intactas, atque integras reddidiſſet.

*Diem ſui obitus prædixit, & die 15. Auguſti 1257. obdormivit in Domino.*

§. 15. Longum eſſet ceteras res ab eo, dum vixit, geſtas percenſere, ut cui toto vitæ curſu nullus umquam dies effluxerit, quo non præclara aliqua ediderit fidei, pietatis, innocentiæ, ceterarumque omnium ſacrarum virtutum documenta. Quo quidem vitæ genere ad quadraginta propemodum annos perducto, cum tandem cuperet diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, in Vigilia Feſtivitatis Aſſumptionis Beatiſſimæ Dei Genitricis, ac Virginis Mariæ, Fratribus Monaſterii Sanctiſſimæ Trinitatis Cracovienſis accerſitis, moriturum ſeſe definito die prædixit, eoſque appropinquantis ſui diſceſſus nuntio perculſos amantiſſimè conſolatus, valere in Chriſto, Deumque in vita perpetuò timere juſſit. Poſtridie igitur piis, ac canonicis precibus recitatis, & Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ſumma cum veneratione perceptis, cum verſum illum extremo jam vitæ ſpiritu protuliſſet, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, in Domino obdormivit, ejuſdem Domini Anno 1257. die 15. Auguſti.

*Miracula etiam poſt mortem claruit, quorum aliqua hic recenſentur.*

§. 16. Audita ejus morte, cum magna hominum multitudo, ſive proſequendi funeris, ſive contingendi corporis, ſive per eū divini auxilii expetendi cauſa, ſive alio Chriſtianæ pietatis officio ad Sanctiſſimæ Trinitatis Monaſterium ejuſdem Ordinis Prædicatorum, ſepulchro ipſius religioſum, ac celebre confluxiſſet, Deus, in cujus conſpectu glorioſa eſt mors Sanctorum ejus, Zegotam quemdam nobilem Polonū, qui ex equo, quem fortè agitabat, miſerrimè excuſſus, effractis, & contuſis totius corporis membris ſtatim obierat, ad B. Hyacinthi ſepulchrum, eo ipſo quo mortuus eſt die, à parentibus allatum, ob ejuſdem B. Hyacinthi merita, & preces, non ſolùm in vitam denuò excitatus, verùm etiam priſtinæ & valetudini, & integritati ita eſt reſtitutus, ut in eo ne minimæ quidem læſionis reliquum ullum veſtigium appareret. Cujus miraculi famam alterius etiam exitus poſtea auxit, infantulus enim, quem mater mortuum ediderat, à patre ad Beati viri tumulum tranſlatus, cum primum is pro filiolo voto ſe Deo piè obſtrinxit, magna cum omnium admiratione valere ſtatim cœpit. Acceſſit aliud quoque admirabile ipſius in Urſulam quandam factum, quæ cum maximis deplorati morbi doloribus toto biennio jactata, eò tandem deveniſſet, ut omnis melioris valetudinis ſpe abjecta, ipſos jam menſes duos nullo amplius cibo, ſed aqua dumtaxat vitam tueretur, Agnete tandem filia B. Hyacinthi opem ſuppliciter implorante, optatam ſalutem recuperavit. Poſtremò cujuſdam Barbaræ Cracovienſis feminæ, quæ ex partu in hydropiſim inciderat, ita ut jam de illius ſalute ab omnibus eſſet deſperatum, valetudo nulla prorſus humana medicina, ſed unius B. Hyacinthi, cui ſeſe commendaverat, pietate, ac meritis redintegrata, eximiam ſervi Dei ſanctitatem clarè confirmavit.

*Ex ſupradictis cenſuit hic Pont. Canonizationis negotium abſolvere.*

§. 17. Quibus ſanè ſignis, multiſque aliis ad eamdem B. Hyacinthi ſanctitatem comprobandam pertinentibus rebus adducti, ac præterea conſtanti omnium Ordinum dicti Regni, & ejuſdem Sigiſmundi Tertii Regis, ac Dominicanæ Religionis petitioni ſatisfacere cupientes, cum id maximè idem Sigiſmundus Rex per prædictum Staniſlaum Myszkiſvum apud nos Oratorem, ipſe

verò Dominicanus Ordo per dilectum filium fratrē Joannem Vincentium Ariſtoricenſem ejuſdem Ordinis Prædicatorum Generalem à nobis poſtulaverit, ut quoniam quæcumque ad acta, & proceſſum B. Hyacinthi ſpectabant, ex hujus ſanctæ Sedis præſcripto expedita, ac perfecta erant: Nos, quibus ea de re ſtatuendi poteſtas à Deo eſt tributa, ad hujuſmodi negotium definiendum omnes auctoritatis ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & noſtræ Partes conferremus, de eo ipſo non prius tamen, quàm rebus omnibus diligenter, ut par eſt, circumſpectis, hoc tempore nobis decernendum eſſe exiſtimavimus.

*Et ideò habitis pluribus deſuper conſultationibus per Cardd. ſacris ritibus deputatos, & dicto proceſſu examinato, in Conſiſtorio ſecreto fuit dictum, B. Hyacinthum Canonizandum fore.*

§. 18. Crebris igitur, ac diuturnis ſupradictorum venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis ſacrorum Rituum conſultationibus hac ipſa de re etiam noſtro tempore habitis, & proceſſu omni ex ſacrorum canonum præſcripto ab eiſdem viſo, & examinato, quin etiā viris in ſacra Theologia, ac Pontificio jure verſatis in conſilium adhibitis, cum nihil jā deſiderari videretur, ſecretum Conſiſtorium indiximus, in quo venerabilis Frater noſter Alphonſus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Geſualdus, cùm ſuo, & ceterorum Cardinalium Congregationis ſacrorum Rituum nomine omnia ad eam rem ſpectantia exactè, ac prudenter explicaſſet, id demum in ſumma retulit. De B. Hyacinthi fide, vita, ac miraculis ſe, & Cardinales collegas ſuos ſentire, omnia probata eſſe, quæ ad Canonizationem ex divini juris præſcripto pertinerent, eamque ob cauſam, poſſe beatum illum (ſi idem nobis videretur) in Sanctorum numerum cooptari.

*In dicto ergo Conſiſtorio publico, Oratio habita fuit de vita, moribus, & miraculis S. Hyacinthi, & Papa ad Deum orationes fieri juſſit pro inſpiratione eius quod agendū eſſet.*

§. 19. Qua quidem re intellecta, vehementer in Domino lætati ſumus, quod ad augendam ſervi ſui dignitatem facultas nobis hoc tempore ſe offerret. Nullam igitur officii partem ad peragendum tanti momenti negotium prætermittendam eſſe cenſentes, veteri Rom. Pontificum prædec. noſtrorum exemplo adducti, mādavimus ut de re ad exitum perducenda pro ipſius gravitate diutius deliberaretur. Itaque aliquot dierum ſpatio interjecto, publicum Conſiſtorium hanc ob rem indiximus, non modò venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſeſſu, ſed etiam Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, ceterorumque Familiarium noſtrorum conventu frequens, in quo quidem dilectus filius Cinus Cāpanus Conſiſtorialis aulæ noſtræ Advocatus, res geſtas, & B. Hyacinthi virtutes, fidei ipſius ſinceritatem, vitæ ſanctitatem, ac miracula oratione de more eſt complexus, ac deinde ejuſdem Sigiſmundi III. Regis, totiuſque Poloniæ Regni, ac Religionis Dominicanæ nomine, ut ipſum in Sanctorum numerum referremus, ſupplicitér à nobis poſtulavit. Quod cùm præſentes ipſi audiviſſemus, inuſitata lætitia viſcera noſtra perfundi ſenſimus, divina enim voluntate eveniſſe intelligebamus, dictum Sigiſmundum Regem, cui nunc maxima duorum præſtantium regnorum moles incumbit, ideo de B. Hyacintho inter Sanctos aggregando incredibiliter laborare, ut nimirum nova ſibi, ſuiſque Regnis firmæ apud Deum interceſſionis patrocinia compararet. Itaque reſpōdimus in tam ſolicita, tamque conſtanti optimi ac piiſſimi Regis poſtulatione, ineſſe eximiæ illius religionis ſignificationem haud ab animi ſui virtute alienam, neque indignam præſtanti ejus divini cultus amplificandi deſiderio. Diximus etiam permagnæ nobis eſſe voluptati, eoque animum noſtrum ad gratias Deo agendas vehementer excitari, quod quibus ſervis ſempiternæ beatitudinis præmia jamdiu in cœlis ſunt tributa, eoſdem etiam in terris ab hominibus coli velit Deus, ut Chriſti fideles, vel illorū interceſſione cœleſtia auxilia faciliùs promereantur, vel eorumdem imitatione expeditius ad cœleſtem, qua ipſi jam perfruuntur, gloriam perducantur. Summa denique reſponſionis noſtræ hæc fuit, nobis quidem eſſe conſtitutum graviſſimæ illius petitioni non deeſſe, cauſæ tamen magnitudinem obſtare, quo minus in ſumma ipſius totiuſque ſui Poloniæ Regni voluntate res ipſa à nobis adhuc præſtari poſſit, ut quibus eadem de re cum venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, & ceteris Epiſcopis diligenter tractandum eſſet. Quocirca eoſdem Cardinales & Epiſcopos etiam, atque etiam monuimus, ut non ſolum quæcumque hac ipſa in cauſa verſarentur, omni ſtudio adhibito examinarent, verum etiam cōjunctis precibus Deum deprecarentur, ut mentibus noſtris lucem præferret ad ea demum agenda, quibus divinæ illius gloriæ amplitudo, & totius Eccleſiæ utilitas augeretur.

*Indixit ... ſtea aliud ... cretum co... ſiſtorium, ... quo omniu... vero conci... ſum fuit Ca... nonizationem ... fiendam, ... ideò prapo... vit diem f... tura Dom... nica in Al... pro ea abſo... venda.*

§. 20. Hiſce deindè perfectis rebus, Conſiſtorium ſecretum rurſus indiximus, in quo etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, qui tunc in Urbe erant, ac noſter, & Sedis Apoſt. Notarii, & Sacri Palatii Auditorés mandato noſtro vocati adfuerūt. Tunc igitur nos pro noſtra, & Sanctæ hujus Sedis, in qua à Deo collocati ſumus, auctoritate & poteſtate, & pro ſingulari Spiritus ſancti in eandē Sedē, cujus ipſa infallibili ſapiētia gubernatur, præſidio ea diximus, quæ ad rem propoſitam, atque ad illius temporis rationem in primis accommodata eſſe videbantur. Poſtremò cū eiſdem Cardinalibus ceteriſque Epiſcopis egimus, ut præcisè reſpōderent, utrum ex proceſſu, & ex rebus in eo cōprehenſis, ac probatis B. Hyacinthus canonizandus videretur. Ac primū quidē iidem Cardinales, deinde etiā Patriarchæ, ac deinceps Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſuo quiſque ordine cōcordibus ſententiis cenſuerūt, B. Hyacinthum ex rebus quibus omnis illius vitæ proceſſus cōſtat, à nobis optimo jure Sanctorum numero eſſe adſcribendum. Itaque quod unum jam reſtabat de talibus, tamque inter ſe conſentientibus ſuffragiis, Deo bonorum omnium Auctori gratias agentes, ac læti rerum tot ab hinc annis cœptarum felici ſucceſſu, diem Canonizationis præfiximus ad decimum quintum Kalendas Maias, Dominicam ſcilicet in Albis, cum nimirum Paſchalis ſolemnitas feſtivitate concluditur, novella germina Sanctitatis regenerantur, neophytorum habitus immutatur, Paſchales denique, ideſt indulgentiæ, ac remiſſionis dies celebrantur, ut tot tantiſque cœleſtibus præſidiis adjuti meliùs, ac faciliùs noſtro munere fungeremur.

*In quo omnibus hic enumeratis, rite, & rectè completis, ipſe Pont. diffinivit Hyacinthum Sanctū eſſe, & Sanctorum Confeſſorum Catalogo adſcripſit, & eius feſtivitatē die 16. Auguſti celebrari juſſit.*

§. 21. Ubi igitur ipſa Dominica in Albis, hodiernus ſcilicet dies illuxit, nos, & iidem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui in capellam noſtram Pontificiam nobiſcum ad id convenerant, ſacris veſtibus induti, Hymno Ave Maris Stella, ad honorē Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cujus opem tunc maximè invocandam duximus, inchoato, eodemque illo ab ejuſdem Capellæ noſtræ Cantoribus ad finem uſque deinceps decantato, aliiſque etiam Romanæ Curiæ Prælatis, & Officialibus, Familiaribuſque noſtris unà cum ceteris totius Eccleſiaſtici ſæcularis & regularis Ordinis viris, longo, pioque ordine præeuntibus, omnes cum ardentibus cereis ad illius gloriam, qui ſua luce, & ſplendore cœlos complet, ex Palatio noſtro Apoſtolico ſumma cum celebritate proceſſimus ad Baſilicam Principis Apoſtolorum, tunc magno undique ornamentorum apparatu inſtructā, adeò ut ſingularis lætitiæ ſpecimen omni ex parte præſeferret. Suggeſtus enim loci amplitudine inſignis, ejuſdem Regis, & Dominicani Ordinis impenſis extructus, ibi primum eminebat, in quo Altare ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſolemni ritu à nobis celebrandum è regione erectum cernebatur. Templi deinde parietes inſignibus aulæis auro, & bombyce intertextis obtecti erant. Omnis præterea interioris Baſilicæ ambitus accenſis undique cereorum flammis collucebat, denique ſuſpenſa de tholo, ac trabibus vexilla B. Hyacinthi, Sanctiſſimam Dei Genitricem Mariam Virginem flexis genibus venerantis effigiem ſpectandam proponebant. Nos igitur in eam Baſilicam magna omnium ordinum frequentia ingreſſi, atque in ea ſupernæ, & Beatæ Urbis Hieruſalem quaſi ſub aſpectu poſitam pulchritudinem intuentes, in ſuggeſtum primùm, ac deinde orandi cauſa ad Altare, ac poſtremò ad Throni ibidem, ut moris eſt, ad dextrum latus erecti ſedem pervenimus, ubi eoſdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos cum ſacris veſtibus obedientiam nobis præſtantes excepimus. Tum idem Staniſlaus præfati Sigiſmundi Regis Orator, ſemel, iterum, ac tertiò poſtulavit, ut B. Hyacinthum in Sanctorum numerum referremus: noſque ad ſingulas ipſius petitiones, Litaniis, ac ſacris Hymnis per tria diſtincta intervalla recitatis, preces adjunximus. Denique omnibus ritè, ac piè peractis, quæ hac in re alii Romani Pontific. prædec. noſtri ſervanda eſſe ſtatuerunt, Sanctoque Spiritu, cujus divino numine Eccleſia afflata nunquam fallitur, multis cum precibus invocato. Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Beatorum Apoſtolorum

Petri,

Petri & Pauli, & noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio decrevimus & definivimus, bon. mem. Hyacinthum Polonum Ord. Fratrum Prædicatorum, Sanctum eſſe ac Sanctorum Catalogo adſcribendum, ſicut per præſentes definimus, decernimus, & adſcribimus. Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet, in die 16. Auguſti Feſtum ipſius, & Officium, ſicut pro uno Sancto Confeſſore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii præſcriptam devotè, & ſolemniter celebretur.

*Indulgentiaſque viſitantibus eius ſepulchrum vel ſacella largitus eſt.*

§. 22. Inſuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis eodem die feſto ad ſepulturam, in qua ejus corpus requieſcit, devotè acceſſerint, necnon Eccleſias, & Altaria in ipſius honorem conſtructa devotè viſitaverint, eaſdem indulgentias, & peccatorum remiſſiones conceſſimus, & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus, & elargimur, quæ ceteris d. Ordinis Monaſteriis, & Eccleſiis in diebus feſtis ejuſdem Ordinis Sanctorum jam conceſſæ ſunt.

*Miſſam de Octava Reſurrectionis celebravit cum commemoratione S. Sancti, & intereſſentibus indulgentiã plenariam conceſſit.*

§. 23. Quibus rebus ad S. Hyacinthi canonizationem neceſſariis abſolutis, & Hymno ad laudem Dei, & gratiarum actionem decantato, ac divina ope per ejuſdem Sancti viri interceſſionem devota, ac pia precatione, quam ipſi recitavimus, implorata, tandem eodem in ſuggeſtu, & Altari Miſſam ſolemniter de Oct. Dominicæ Reſurrectionis, cum ejuſdem S. Hyacinthi Commemoratione celebravimus, & omnibus Chriſti fidelibus, qui huic Canonizationi, & Miſſæ interfuerant, ad laudem Dei, & Sancti ſui gloriam, Plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſimus.

*Hortatur omnes ad Deum collaudandum.*

§. 24. Quocirca omnes Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum collaudemus, agnoſcamuſque ſumma ejus bonitate eveniſſe, ut in hoc perturbato rerum ſtatu, novi apud Deum interceſſoris meritis, ac precibus adjuvari valeamus. Magno quidem illud eſſe debet ad benè ſperandum omnibus argumento, quod rem à tot Poloniæ Regibus, ipſiſque regni ordinibus jamdiu expetitam, communibus piorum, ac religioſorum hominum votis ubique optatam, à pleriſque etiam Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ſuſceptam, hoc tempore perficiendi facultatem nobis tribuerit. Itaque Deum in Sanctis ſuis mirabilem deprecemur, ut Sancto Hyacintho ſuffragante, Eccleſiæ ſuæ pacem, & tranquillitatem, Regibus, & Principibus Chriſtianis unionem, obcæcatis hæreticis Catholicæ veritatis viam oſtendat, miſeris infidelibus Chriſtiani nominis hoſtibus orthodoxæ fidei lucem largiatur.

*Exemplorum bulla fides.*

§. 25. Ceterùm quia nimis difficile foret præſentes noſtras originales litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus, ſi exhibitæ, & oſtenſæ eſſent, haberetur. Nulli ergo omninò, &c.

*Dat. P. A. 3. die 17. Apr.*

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, 15. Kalend. Maii, Pont. noſtri anno tertio.

*Papa ſubſcr.*

Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

*Protector noſter aſpice Deus.*

*Cardd. ſubſcriptiones.*

Ego Alphonſus Epiſcopus Oſtienſis, Card. Geſualdus.
Ego Innicus Epiſc. Portuen. Card. de Aragona.
Ego M. Anton. Epiſcopus Præneſtin. Card. Columna.
Ego Ptolomæus Epiſcopus Tuſculanus, Card. Comenſis.
Ego Gabriel Epiſcopus Sabinen. Card. Palæottus.
Ego Fr. Michaël Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis Alexandrinus.
Ego Julius Anton. tit. S. Bartholomæi in Inſula, Presbyter Card. S. Severinæ, Major Pœnitentiarius.
Ego Hieronymus tit. S. Suſannæ, Presbyter Cardin. Ruſticucius.
Ego Petrus tit. S. Hieronymi Illyricorum, Presbyt. Cardinalis Deza.
Ego Alexander tit. S. Praxedis, Presbyt. Card. Florent.
Ego Auguſtinus tit. S. Marci Presbyter Cardinalis Veronenſis.
Ego Simeon, tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis de Terranova.
Ego Scipio, tit. S. Salvatoris in Lauro Presbyter Cardinalis Lancellotus.
Ego Henricus, tit. S. Pudentianæ Presbyt. Card. Caiet. S. R. E. Camerarius.
Ego Joan. Baptiſta, tit. SS. Jo. & Pauli Presbyter Cardinalis Gaſtruccius.
Ego Dominicus, tit. S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Pinellus.
Ego Anton. Maria, tituli S. Agnetis in Agone Presbyt. Card. Gallus.
Ego Fr. Conſtantius, tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Sarnanus.
Ego Antonius, tit. S. Stephani Presbyt. Card. Saulius.
Ego Evangeliſta, tit. S. Matthæi in Merulana Presbyt. Card. Cuſentinus.
Ego Jo. Franciſcus, tit. S. Mariæ in Via Presbyt. Cardinalis Maurocenus.
Ego Marianus, tit. Sanctorum Petri, & Marcellini Card. de Camerino.
Ego Fr. Gregorius, tit. S. Auguſt. Presbyter Cardinalis de Montelparo.
Ego Paulus, tit. S. Cœciliæ Presb. Card. Sfondratus.
Ego Benedictus, tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Juſtinianus.
Ego Auguſt. tit. S. Laurentii in Pane & Perna Presbyt. Card. Cuſanus.
Ego Franciſcus Maria, tit. S. Mariæ in Aracœli Presbyt. Card. à Monte.
Ego Octavius, tit. S. Alexii Presbyt. Card. Pallavicinus.
Ego Philippus, tit. S. Onuphrii Presbyt. Card. Placentin.
Ego Hieronymus, tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Matthæius.
Ego Flaminius, tit. S. Clementis Presbyt. Card. Platus.
Ego Federicus, tit. S. Mariæ Angelorum Presbyt. Cardinalis Borromæus.
Ego Lucius, tit. SS. Quirici & Julitæ Presb. Card. Saxus.
Ego Franciſcus, tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Presb. Cardin. Toletus.
Ego Alexander, Sancti Laurentii in Damaſo Diaconus Card. Montaltus, S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Aſcanius, S. Mariæ in Coſmedin Diac. Cardinalis Columna.
Ego Guido S. Euſtachii diac. Cardinalis Pepulus.
Ego Odoardus S. Adriani diac. Cardinalis Farneſius.
Ego Antonius diaconus Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum.
Ego Petrus S. Nicolai in Carcere, diaconus Card. Aldobrandinus.
Ego Cynthius diac. Card. S. Georgii.

---

## De Largitione Munerum utriuſque ſexus Regularibus interdicta. XXVII

*Edita D. 15*

*C L E M E N S E P I S C O P U S, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœm.*

Religioſæ Congregationes ab inſigni ſanctitate viris Spiritus ſancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conſervandas, & inſtaurandas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, magnam jure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio, & natura, ut etiam quæ optimè fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum proclivitate, partim dæmonis aſtutia paulatim deficiant, ac niſi cura pervigili ſuſtententur, in deterius prolabantur. Idcircò Summorum Pontificum vigilãtia magnoperè laboravit, ut Regularium Ordinum diſciplina aut labefacta in priſtinum reſtitueretur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum nos veſtigiis pro eodem officii munere inſiſtere, & Paſtoralem illorum ſollicitudinem (quantum poſſumus) divina adjutrice gratia cupimus imitari.

*Munerum elargitio Regularibus prohibetur.*

§. 1. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ profeſſoribus, ex Chriſti patrimonio quibuſvis hominibus quavis ex cauſa ſæpè tribuuntur, gravia incõmoda & mala, etiã boni ſpecie exiſtant, præcavere ſtudentes, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione univerſis

& ſingulis cujuſcumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentium, ſeu cujuſvis Congregationis, Societatis, & inſtituti (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis utriuſlibet ſexus, omnem, & quamcumque largitionem, & miſſionem munerum penitus interdicimus.

*Qui ſint Regulares declarantur.*

§. 2. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, & ſingula Capitula, Conventus, & Congregationes, tam ſingulorum Conventualium, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, Domorum, & Locorum, quàm Provincialia, aut Generalia cujuſlibet Provinciæ, ſive univerſi Ordinis, Societatis, aut inſtituti, eorumque vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quoſcumque Officiales, & ſingulares perſonas: ipſos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum hujuſmodi Superiores quaſcumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, Domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Priores, Præpoſitos, Præceptores, etiam majores, Guardianos, Miniſtros, Rectores, atque Abbatiſſas, Prioriſſas, & alio quovis titulo Præſidentes, tam ipſis Regularibus, quàm Laïcorum Ordinariis, ſeu quibuſvis Superioribus ſubjectas utriuſlibet ſexus ad vitam, vel ad tempus deputatos, adeò ut nemo unquam eorum, vel earum directè vel indirectè, palam vel occultè, tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam ſub quovis Statuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque cauſa, niſi in Generali capitulo, aut alia Congregatione re maturè diſcuſſa, unanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu cauſa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

*Et quid prohibitum ſit, explanatur.*

§. 3. Id autem ita abſolutè, & generatim vetitum intelligatur, ut neque omninò fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, ſive eleemoſynis, aut ſubſidiis certis, vel incertis, ordinariis, ſeu extraordinariis, menſæ, ſeu maſſæ communis, vel cujuſvis Fabricæ, & Sacriſtiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, adminiſtrantur, ſeu quæ rationibus reddendis ſunt obnoxia, quàm ex pecuniis etiam quæ à ſingulis quovis modo acquiſitæ in commune conferendæ omninò ſunt. Nec ſi per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec ſi forſitan privatim, & nominatim cuilibet Religioſo à ſuis Superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel à piis Chriſti fidelibus, etiam eleemoſynæ, aut charitatis, & illius propriæ perſonæ intuitu attributæ, ſeu quoquo modo per quemlibet religioſum ſuo Monaſterio, Domui, aut Loco acquiſitæ, eique ut ad libitum de eis diſponat, per Superiores conceſſæ fuerint. Præterquam leviora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem, vel religionem pertinentia munuſcula, communi tantum, nunquam verò particulari nomine (ubi Superiori de conſenſu Conventus videbitur) tradenda. Sed & hujuſmodi miſſiones munerum ipſis Religioſis utriuſlibet ſexus non ſolum per ſe, verum etiam per alios, tam directè quam indirectè prohibitas declaramus.

§. 4. Neque verò quiſpiam ab hac generali prohibitione ſe excuſare valeat, etiamſi munera miſerit cuivis perſonæ Laïcæ vel Eccleſiaſticæ, cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non ſolum mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Eccleſiaſtica, & Pontificali, aut alia majori, etiam S.R.E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex cauſa, & occaſione benedictionis, vel ſuſceptionis habitus Regularis, tonſuræ aut Profeſſionis Monialium, tam ſibi ſubditarum, aut ipſi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, vel Provinciali, aut cujuſvis Monaſterii, Prioratus, Domus, aut cujuſlibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fungenti, vel cuicumque etiam ſimplici, & particulari Religioſo. Ita ut inter ipſos quoque Religioſos (ne prava ambitione impulſi pro conſequendis in ſua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quæcumque largitio, aut donatio munerum (niſi rerum minimarum, de licentia expreſſa, & in ſcriptis Superiorum) ſit penitus interdicta.

*Excuſatio prohibetur.*

§. 5. Inſuper prohibemus, ne unquam eiſdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquo modo erogare in alicujus, etiam benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occaſione tranſitus, vel primi ingreſſus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi teſtificationem, ſeu pro prædictis quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, ſeu pro quibuſvis conviviis eidem, aut cuivis alteri quacumque occaſione vel cauſa exhibendis, vel pro comeſſationibus, aut compotationibus quibuſvis perſonis, tam ejuſdem Ordinis, Congregationis, Monaſterii, domus, aut Loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis ſpectaculis, etiam piis, intra Eccleſias, Monaſteria, & Domos ſacras, ſeu pias, vel extra eas, in quibuſvis publicis, aut privatis, ſacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè geſtæ, etiam in memoriam Paſſionis Dominicæ populis ſpectandæ proponũtur, aut alias in prædictis, ſive in quibuſvis rebus ſupervacaneis ad pompam, & oſtentationẽ, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus, niſi reipſa pro divino cultu, & veris Chriſti pauperum indigentiis, ſervato in hoc charitatis ordine, & habitâ neceſſitatis ratione, de conſilio, & conſenſu Superiorum ſublevandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forſan præſcriptam non excedentibus, ſumptus hujuſmodi fiant.

*Hoſpitalitatis, & pietatis opera excipiuntur.*

§. 6. Declarantes tamen per hæc laudabilẽ, & Apoſtolica doctrina, ſacriſque Canonibus commendatam hoſpitalitatem, præſertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmò ſi qui redditus ad id vel ex fundatione, vel ex inſtitutis, ſtatutis, aut conſuetudinibus aliquorum Monaſteriorum, Ordinum, aut Regularium hujuſmodi locorum, aut ex teſtatorum, vel donantium voluntatibus, ſive alias applicati, aut donati ſunt, eos omninò, ut decet, integrè in uſus pios hoſpitalitatis hujuſmodi erogandos eſſe, & præſertim in Monaſteriis, ſeu locis deſertis, & ab laïcorum ædibus longius remotis, ubi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur. Si quos verò ditiores occaſione tranſitus, ſive alias ex devotionis, aut neceſſitatis cauſa eò ſe deferre contigerit, eos ſanè deceret Refectorio communi cum Religioſis, menſaque & ferculis communibus, nequaquam à ceteris diſtinctis contentos eſſe. Verum omninò ipſi Regulares in hoſpitibus hujuſmodi potentioribus excipiendis ita ſe gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas religioſa prorſus eluceat.

*Munera recipientibus pœna infliguntur.*

§. 7. Pari etiam ratione diſtrictè inhibemus, ne quiſpiam ex prædictis Laïcus alias quam ut ſuperiùs dictum eſt, vel Clericus ſæcularis, vel regularis quocumque honore, præeminentia, nobilitate aut excellentia, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Vice-protector, loci Ordinarius, Prælatus Generalis, aut Provincialis, aut Monaſterii, Domus vel loci cujuſlibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Miniſtri utriuſlibet ſexus, quicquam contra hanc ſuperiùs expreſſam prohibitionem recipiant. Quod ſi vel ab aliquo particulari Religioſo, vel à Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conventu, Capitulo vel Congregatione, ſive ab univerſo Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint, ſuum non faciant. Verùm ipſo facto, abſque aliqua monitione, Judicis decreto, ſententia, aut declaratione, ad illius reſtitutionem omninò in utroque foro teneantur, adeò ut reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in foro conſcientiæ abſolvi poſſint. Hanc autem reſtitutionem fieri volumus non privatim ei Religioſo, qui donavit, ſed ei Monaſterio, Domui, vel alteri loco, de cujus bonis facta eſt largitio, vel ſi non de eis bonis donatum eſt, in quo idem Religioſus donans profeſſionem emiſit, vel ſi nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, vel univerſi Ordinis, ſeu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi menſæ, aut maſſæ, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera

reſtituantur

reſtituantur, ita ut nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui reſtitutio facienda eſt, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione reſtituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquo modo poſſit.

*Dantibus quoque pœna imponuntur.* §.8. Quod ſi quis ex ſuperioribus Regularibus utriuſlibet ſexus, cujuſcumque gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum exiſtentibus, conjunctim cum ceteris, ſeu diviſim noſtrarum hujuſmodi prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, juſſionum, decretorum, mandatorum tranſgreſſor fuerit, ſtatuimus ut omnibus, & ſingulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eo ipſo privatus, ac ad illa & alia ſimilia vel diſſimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus exiſtat. Et præterea privationem vocis activæ, & paſſivæ abſque ullo Superioris decreto, aut miniſterio, *ipſo facto* incurrat, necnon ultra hujuſmodi pœnas etiam tanquam contra *furti*, & *ſimoniæ* criminum reum, tam per viam denunciationis, accuſationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condigniſque ſuppliciis affici debeat, pœnis aliis à jure ſtatutis, ac per alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria cujuſvis Ordinis, Congregationis, Monaſterii, Domus, aut loci ſtatuta vel conſuetudines, contra perſonas aliquid præmiſſorum committentes forſan decretis, & inflictis, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

*Executores hujus bullæ deputantur.* §.9. Quocirca univerſis, & ſingulis modernis, & pro tempore exiſtentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, & officialibus, necnon quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monaſteriorum, & Domorum Superioribus, etiam Generalibus, ſeu Provincialibus, ceteriſque ad quos ſpectat, per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli, quantum ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate, & vigilantia præſentem conſtitutionem firmiter, & inviolate obſervari, & contra inobedientes vel tranſgreſſores condignis pœnis adverti. Eoſdem inobedientes, necnon contradictores quoſlibet, & rebelles, per opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

*Clauſula derogatoria.* §.10. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Monaſteriorum, Prioratuum, domorum, locorum, necnon Ordinum, Congregationum, Collegiorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus præſentis noſtræ conſtitutionis impediri quomodolibet valeat vel differri, & de quibus, quorumcumque tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Quæ omnia, quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, prorſus tollimus, & abrogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma & effectus public.* §.11. Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimiſſis. Quodque earum exempla, ſeu illorum compendia in libris quorumcumque ſtatutorum prædictorum Monaſteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quoad Moniales in vernaculum, & vulgarem cujuſque Regionis ſermonem verſa) & à Loci Ordinario, qui id quamprimùm fieri curet, ſubſcripta inſerantur, & ſaltem quotannis in Capitulis, ſive Congregationibus cujuſque earum alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus poſt ſexaginta dies à die publicationis, ut præfertur, in Romana Curia faciendæ unumquemque citra montes, ultra montes verò poſt quatuor menſes perinde arctent, & afficiant, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, & per eos juratæ fuiſſent.

*Tranſumptorum fides.* §.12. Quodque earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.* §.13. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, ſtatuti, mandati, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis, &c.

*Dat. P. A. D. die 19. Iunii.* Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, 13. Kal. Julii, Pont. noſtri anno tertio.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate Domini 1594. indict. 7. die verò 2. menſis Iulii, Pont. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis divina providentia Papæ VIII. anno tertio, retroſcripta litera affixa & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum S. Ioan. Lateranenſis, S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, dimiſſis inibi copiis affixis, ut moris eſt, per nos Proſperum Spada, & Franciſcum de Bononis, ejuſdem S.D.N. Curſ.*

*Gabriel Savarellus Mag. Curſ.*

---

## XXIX.

Approbatio Archiconfraternitatis B. MARIÆ de Suffragio, nuper in Urbe inſtitutæ ad orandum pro liberatione Animarum in Purgatorio exiſtentium. Et conceſſio indulti anno quolibet unum reum condemnatum è carceribus liberandi in feſto omnium Sanctorum, vel in die Veneris Sancti.

*Quoad formam aggregandl alias Confraternltates attende diſpoſitionem hujus Pontificis in conſtitut. 115. Quacumque. Et circa Indulgentias vlde moderationem Pauli V. firmatam die 25. Octobris 1606. mox publicandam ſub die 25. Octobr. 1606.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1594. & 1603.*

*Exordium.* EX debito noſtri miniſterii paſtoralis ad ea noſtræ operationis ſtudia diligenter convertimus, per quæ fidelium vota, præſertim animarum Chriſti fidelium ſalutem concernentia optatum conſequantur effectum, & ea quæ propterea per fideles ipſos piè facta, & ordinata fuiſſe dicuntur, firma perpetuò, & illibata perſiſtant, cum à nobis petitur, libenter Apoſtolico munimine roboramus, ac alias concedimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*In Vrbe erecta fuit Confraternitas ſuffragii pro animabus [illegible] Purgatorio exiſtentibus.* §.1. Sanè dilectus filius noſter Franciſcus Sanctæ Mariæ in Via lata diaconus Cardinalis Sfortia nuncupatus, tam ſuo quàm dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis ſub invocatione Animarum Purgatorii, alias ſuffragii, in Parochiali Eccleſia S. Blaſii in via Julia de Urbe canonicè inſtitutæ nominibus nuper nobis expoſuit, quod cùm nonnulli ex dilectis filiis Parochianis dictæ Eccleſiæ ſingulari quodam pietatis affectu erga Chriſti fidelium animas, quæ in Purgatorio futuram beatitudinem expectant commoti, & de ſui ipſius ſalute altiori mente recogitantes, unam utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitatem Animarum Purgatorii, aliàs Suffragii nuncupatã, cujus præcipuũ inſtitutum hoc eſſet, pias ad Deum preces pro dictis animabus in Purgatorio exiſtentibus, & in earum refrigerium effundere, & aliàs ad Dei Omnipotentis laudem erigendam atque inſtituendam ſtatuerint.

*Vicarius Papæ [illegible] ad hoc [illegible]ceſſit.* §.2. Subindeque dilectus filius noſter in dicta Urbe, & ejus diſtrictu Vicarius generalis illam ordinaria ejus auctoritate perpetuò erexerit, ſub certis modo, & forma tunc latiùs expreſſis, prout in patentibus literis dicti Vicarii deſuper confectis pleniùs continetur.

*Hic [illegible] Pontif[illegible] ſtitu[illegible] d. Co[illegible] terni[illegible] [illegible] [illegible] bat.* §.3. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi dicta Confraternitas ſub tam pio, & laudabili inſtituto de novo per nos inſtitueretur, ac aliqua ſpeciali gratia, & titulo ac denominatione Archicõfraternitatis decoraretur, illa exinde amplius ſtabiliretur, optataque in Domino ſuſciperet incrementa. Pro parte Franciſci Cardinalis, & Confratrũ prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ipſos Confratres aſſerentes ſe dictum Franciſcum Cardinalem in ſuum & Confraternitatis hujuſmodi Protectorem elegiſſe, in ſuo laudabili propoſito confovere, eoſque, ac Confraternitatẽ ipſam ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui pium dictorũ Confratrum propoſitũ promovere

ſinceris deſideramus affectibus, eoſdem Confratres ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, erectionem, inſtitutionem dictæ Confraternitatis, necnon quæcumque ſtatuta, & ordinationes ad felix regimen & proſperam directionem dictæ Confraternitatis jam hactenus condita, quatenus ſint licita, & honeſta, ac ſacris canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Concilii Tridentini decretis non contraria, & ab eodem Vicario examinata, & admiſſa, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis Apoſtolicæ robur adjicimus, necnon omnes, & ſingulos, tam juris quam facti, & alios quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus.

*Eamque in Archiconfraternitatem erigit.*

§. 4. Et nihilominus dictam confraternitatem in Archiconfraternitatem aliarum Confraternitatum, ut infra erigendarum, cum omnibus privilegiis, & inſignibus, juribus & juriſdictionibus ſolitis, eiſdem auctoritate, & tenore etiam perpetuò ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus.

*Statuta etiã condendi facultatem tribuit.*

§. 5. Eiſdem Confratribus, ut pro felici gubernio, proſperoque ſucceſſu dictæ Archiconfraternitatis, & illius rerum ac bonorum omnium, omniumque aliorum ad eam nunc, & pro tempore pertinentium, præter jam condita quæcumque alia ſtatuta, & ordinationes, condere, eademque toties quoties pro rerum, & temporum mutatione, & qualitate expediens fuerit, etiam in toto vel in parte mutare, corrigere, & in melius reformare, ac etiam de novo facere, quæ ſic condita, reformata, ac de novo facta per dictum Vicarium examinari, & quatenus ſint licita, & honeſta, ac ſacris canonibus, & conſtitutionibus, ac dicti Concilii decretis non contrarientur, approbari debeant.

*Aliaſque Confraternitates aggregandi.*
*Quoad formam aggregandi, vide hujus Pont. conſtit. 115. Quacumque.*

§. 6. Et inſuper dictæ Archiconfraternitati quaſcumque alias Confraternitates ſub illius inſtituto ubivis locorum & gentium erectas & erigendas, ſi, & poſtquam hoc per eorum procuratorem ad id ſpecialiter conſtitutum in una ex Congregationibus ipſius Archiconfraternitatis petierint, ſimiliter perpetuò aggregare, eiſdemque ſic per eos pro tempore aggregatis Confratribus, ac earum Eccleſiis, Capellæ, Oratoriis, Confratribus, & perſonis omnia, & ſingula privilegia, & indulgentias prædictæ Archiconfraternitati, ejuſque Confratribus, necnon Eccleſiæ, ſeu Capellæ hujuſmodi conceſſas (facultate eligendi confeſſorem, necnon aggregandi, & gratias hujuſmodi communicandi excepta) communicare, concedere, & alia omnia in ſimilibus per alias dictæ Urbis Confraternitates, earumque Confratres fieri, & obſervari ſolita facere liberè & licitè valeant, plenam, liberam, & omnimodam licentiam, facultatem, & auctoritatem harum ſerie impartimur.

*Indulgentias Cõfratribus, & aliis elargitur.*
*Quoad indulgentias vide novam diſpoſitionem S.D.N. Pauli V. cit. in rub.*

§. 7. Poſtremò, ut Chriſti fideles prædicti ad dictam Archiconfraternitatem ingrediendam, & piorum operum in illa exercitium amplius incitentur, & exinde ipſa Archiconfraternitas confratrum numero, & frequentia magis decoretur, prædictaque Eccleſia vel alia, ad quã ipſam Archiconfraternitatem transferri contigerit, in majori habeatur veneratione, & fidelis populi erga illam devotio augeatur, quo ipſi uberioribus cœleſtis gratiæ donis cognoverint ſe inde eſſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacroſancta communione refectis, prædictam Archiconfraternitatem de cetero ingredientibus, die primi illorum ingreſſus, & receptionis hujuſmodi, ac tam illis, quàm jam ingreſſis Confratribus dictæ Archiconfraternitatis pro tempore ubilibet decedentibus, in eorum mortis articulo, ſi verè pœnitentes, & confeſſi ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramẽtum (ſi id commodè fieri potuerit) ſumpſerint, & nomen Jesu ore, vel ſaltem corde invocaverint. Necnon omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſimiliter verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam vel Oratorium dictæ Archiconfraternitatis in omnium Sanctorum, ac per totam octavam, ac Nativitatis beatæ Mariæ Virginis feſtivitatibus annis ſingulis devotè viſitaverint, & pro ſalute Romani Pontificis, paceque, & tranquillitate Sedis Apoſtolicæ, ac omnium Principum Chriſtianorum, ac etiam pro animarum in Purgatorio prædicto exiſtentium liberatione, & aliàs pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem auctoritate, & tenore præmiſſis elargimur. Inſuper qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, durante oratione quadraginta horarum eidem orationi, ſive die, ſive nocte intervenerint, & pſalmũ qui incipit, Miſerere mei Deus, ſive De profundis, cum ipſo reſponſorio, Requiem æternam, aut qui hoc præſtare neſciverint, coronam recitaverint, pro animabus in Purgatorio exiſtẽtibus. Ipſiſque Confratribus, qui itidem verè pœnitentes, & confeſſi qualibet feria ſecunda primæ hebdomadæ cujuſvis menſis dictum ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum devotè, & cum cõtritione pro eiſdẽ Purgatorii animabus, pſalmos & orationes hujuſmodi recitãdo ſuſceperint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quique in Oratorio officiis defunctorum interfuerint, & corpora dictorum Confratrum utriuſque ſexus defunctorum, pſalmum De profundis, vel coronam hujuſmodi recitando ad ſepulturam aſſociaverint, eiſdemque pſalmum De profundis, vel coronam hujuſmodi Chriſti fidelibus, etiam non Confratribus ab hac luce decedentibus devotè etiam recitantibus, vel dictum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum dum ad infirmos defertur aſſociaverint, & proceſſionibus dictæ Archiconfraternitatis ex quavis cauſa de licentia ejuſdem Vicarii pro tempore faciendis intervenerint, & qui ſecũnda, & ſexta feriis cujuſlibet hebdomadæ pſalmũ De profundis, vel coronã hujuſmodi pro animabus prædictis dixerint, quique Miſſas pro animabus eiſdem celebrari fecerint, & quoties infirmos dictæ Archicõfraternitatis viſitaverint, necnon proceſſionibus dictæ Archiconfraternitatis infra octavam commemorationis defunctorum ad Eccleſiam S. Gregorii de Urbe, feria ſexta in Paraſceve ad baſilicam Principis Apoſtolorum de eadem Urbe faciendis devotè interfuerint. Ac tam ipſis Confratribus qui confeſſi, & communicati ſeptem Eccleſias dictæ Urbis viſitaverint, quàm aliis Chriſti fidelibus illos aſſociantibus, centum dies de eis injunctis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus.

*Confeſſorem eligendi licentiam tribuit.*
*Tu vide aliã hujus Pont. bullam cit. in rubr.*

§. 8. Poſtremò eiſdem Confratribus, ut pro indulgentiis prædictis faciliùs conſequendis iidem confratres, ac etiã eorum quilibet, confeſſorem ſibi beneviſum ab Ordinario approbatum, qui audita eorum confeſſione eos à quibuſvis peccatis, criminibus, & exceſſibus, etiam quantumvis enormibus, videlicet in caſibus dictæ Sedi reſervatis, exceptis contentis in literis in die Cœnæ Domini legi ſolitis, bis in vita, & in mortis articulo, in aliis verò eidem Sedi non reſervatis caſibus quoties opportunum fuerit, abſolvere, & pro eis ſalutarem pœnitentiam injungere poſſit, eligere licitè & liberè valeat, eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

*Contrariis derogat.*

§. 9. Non obſtantibus noſtra de indulgentiis ad inſtar non concedendis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod ſi ingredientibus dictam Archiconfraternitatem, aut aliud ex præmiſſis peragentibus, vel aliàs aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tẽpus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes literæ nullius ſint roboris vel momenti.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A 3. die 6. Sept.*

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, quinto Idus Septembris, Pont. noſtri anno 3.

*Sequitur indultum liberandi unum condemnatum.*

*Edita A. D. 1603.*

*CLEMENS PAPA VIII. &c.*

*Cauſa hujus conceſſionis.*

Pias Chriſti fidelium Societates ad charitatis opera exercenda canonicè inſtitutas, ut in eorumdem operum exercitio magis confoveantur ſpecialibus favoribus,

&

& gratiis libenter proſequimur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*ndultum li- erandi car- eratum in ſeſto omnium anctorum, el die Vene- is Sancti, avia pace ffenſorum.*

§. 1. Proinde veſtram Confraternitatem ſpecialis gratiæ favore benignè proſequi volentes, ac vos, & quemlibet veſtrum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, vobis veſtræque Confraternitati, ut ſingulis annis in feſto omnium Sanctorum, vel in ſexta feria Majoris hebdomadæ arbitrio veſtro eligendum unum reum quem petieritis, & à dilecto filio noſtro, & pro tempore exiſtente Almæ Vrbis Gubernatore obtinueritis, capitali pœna, præterquam occaſione criminis læſæ Majeſtatis, falſificationis monetæ, aut literarum Apoſtolicarum, aſſaſſinii, aut ſacrilegii damnatum liberare, & abſolvere, dummodo tamen pacem ab offenſis habuerit, liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem, & auctoritatem concedimus. Mandantes propterea eidem Gubernatori nunc, & pro tempore exiſtenti, ut ſingulis annis in perpetuum vobis unum ex hujuſmodi pœna capitali damnatis liberum dimittat, & concedat, ipſumque per vos pro tempore liberatum, ab omni pœna capitali eo ipſo abſolutum, ac ad patriam, famam, gradus, honores, & bona quæcumque, præterquam Fiſco incorporata, plenariè reſtitutum, & reintegratum eſſe, & cenſeri, nec illum ſuper præteritis delictis, & exceſſibus ulteriùs moleſtari, vel perturbari poſſe decernimus, & declaramus.

*Quibuſcumque non obſtant.* §. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. A. 12. 10. Martii.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Martii, milleſimo ſexcenteſimo tertio, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

---

## XXX. Confirmatio Ordinationum præfinitarum pro bono regimine Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Mercede redemptionis Captivorum, & pro electione Magiſtri Generalis ejuſdem.

*Alias ordinationes habes infrà in conſtitut. 68. Ex paſtoralis: cetera autem de hoc Ordine notavi ſuprà ad conſtit. 9. Ggregor. IX. fol. 88. Devotionis. Mox autem alias reformationes edidit hic idem Clemens infr. in conſtitut. 112. Decet.*

*Edita A. D. 1594.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* IIs quæ pro felici Regularium perſonarum ſtatu, & illarum ſalubri directione providè ſtatuta comperimus, ut firmiora ſubſiſtant, & perpetuò futuris temporibus obſerventur; confirmationis Apoſtolicæ robur libenter adjicimus, prout ipſorum religioſorum vota expoſcunt, & nos conſpicimus in Domino expedire.

*Ordinationes infraſcripta in Capitulo generali edita fuerunt ſuper,* §. 1. Sanè dilecti filii Magiſter Generalis, & Definitores Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum nobis exponi fecerunt, quod nuper in Capitulo Generali dicti Ordinis in Eccleſia Monaſterii ſancti Auguſtini ejuſdem Ordinis in oppido de Calatayud Taraconenſis diœceſis anno proximè præterito cum aſſiſtentia venerabilis fratris noſtri Ildephonſi Archiepiſcopi Cæſarauguſtani in eodem Capitulo Præſidentis, Apoſtolica auctoritate deputati celebrato, ad ejuſdem Ordinis, illiuſque Religioſorum proſperam directionem infraſcripta decreta, ac ſtatuta facta fuerunt.

*Alterna electione Magiſtri gen.* §. 2. Et primò, quod deinceps electio Magiſtri Generalis dicti Ordinis, tam quoad perſonam eligendam, quàm quoad locum in quo electio erit celebranda, alternatim fieret, videlicet quod una vice perſona eligenda ſit ex corona Aragoniæ & Galliæ, alia vice ſit ex corona Caſtellæ, incluſis provinciis Andaluciæ, & Indiarum.

*Loco celebrandi Capituli generale.* §. 3. Quo verò ad locum quando eligenda fuerit perſona ex corona Caſtellæ, celebrari debeat Capitulum in loco Coronæ Aragoniæ, & quando eligenda erit perſona ex Corona Aragoniæ, Capitulum celebretur in loco coronæ Caſtellæ, & quod juxta hoc decretum ſive ſtatutum, primum Capitulum generale celebrari debeat in Provincia Caſtellæ, & perſona eligenda ſit ex corona Aragoniæ.

*Admiſſione Provincialis & Definitorum Indiarum ad d. Capitulum.* §. 4. Præterea circa difficultatem itineris electorum ex Indiis, ſimiliter decretum, & ſtatutum fuit, ut ſemper & quando Provinciales, & Definitores Indiarum accedunt ad Capitulum generale, ut electioni Magiſtri Generalis aſſiſtant, quivis ipſorum admittatur, & recipiatur in definitorio, & in electione, dummodo oſtendant priùs nominationem ſui capituli provincialis, cujus nominationis data non excedat quatuor annorum tempus, & dummodo non conſtet de ipſorum revocatione, aut nova alia nominatione facta per Capitulum Provinciale.

*Procuratore generali & provinciali in urbe.* §. 5. Decretum item fuit, quod quando Magiſter generalis fuerit ex corona Caſtellæ, & habuerit Romæ Procuratorem, & Vicarium generalem ex eadẽ corona, Aragoniæ Provincia poſſit, ſi voluerit curam ſuorum negotiorum dare alteri Procuratori ſuis expenſis Religioſo ſuæ Provinciæ nominato per ſuum Capitulum Provinciale, aut cum mandato Procuratoris Provincialis, & Definitorum ipſius, & id ipſum facere poſſit Provincia Caſtellæ quando Magiſter generalis fuerit ex corona Aragoniæ, & nominaverit Romæ Procuratorem generalem ſuæ coronæ, cum hoc quod Procurator particularis Provinciæ in robur Religionis, & obedientiæ ſit ſubditus Commendatori Monaſterii Romæ ipſius Ordinis, uti Prælato ordinario & Procuratori, & Vicario generali, uti talibus obſervatis in omnibus ſui Ordinis cõſtitutionibus.

§. 6. Ad evitandos item ſumptus ſuperfluos decretum pariter ac ſtatutum, ut provincia Caſtellæ, Andaluciæ, & Aragoniæ non teneantur dare Magiſtro generali ſingulis annis ultra ſeptuaginta quinque ſcuta valoris decem drachmarum Caſtellæ, neque ipſe Magiſter generalis poſſit accipere, vel petere amplius pro ipſius victu, & veſtitu: quæ ſcuta ſeptuagintaquinque unuſquiſque Provincialis per ſuam Provinciam dividat, habito reſpectu redditutum, & proventuum quos quilibet conventus habet, & quod Provinciæ Indiarum ſolvant veſtiarium hucuſque ſolitum, habeatque Magiſter generalis redditus, proventus, & emolumenta loci Algar, quemadmodum hactenus ſemper habuit. Quia etiam domus dicti Ordinis ſunt ita pauperes, ut extraordinaria onera ſufferre non poſſint, decretum fuit, ut Magiſtris generalibus, & provincialibus quando eorum officiis finem impoſuerint, nihil dari debeat. Non obſtantibus decretis in alio capitulo generali Cæſarauguſtæ celebrato factis, per quæ deſignati fuerunt centum ducati ſingulis annis ſolvendi Magiſtro generali, qui officio ſuo finem impoſuiſſet, & ſexaginta octo ducati unicuique Provinciali, qui ſimiliter officium ſuum impleviſſet. Ad dita tamen cohortatio fuit ad commendatores, & Prælatos ordinarios domorum, in quibus habitaverint, ut ipſorum officiis peractis ita illos tractari curent, ut ipſorum perſonas, & dignitates decet.

*Revocatio omnium exemptionum & diſpenſationum à Generali Fratribus conceſſarum.* §. 7. Præterea ut ceſſent multa inconvenientia, quæ ipſa experientia magna eſſe comprobavit circa exemptiones, quas Magiſtri generales pro tempore exiſtentes concedere conſueverunt multis religioſis tam in ſedendo, quam in non aſſiſtendo choro, necnon officiis conventualibus, & ſimiliter circa diſpenſationes ſuper celebratione plurium Miſſarum, quam permittunt Ordinis conſtitutiones, & ſuper uſu lini in veſtibus, necnon ſuper immunitatibus à dictis Magiſtris generalibus aliquando quibuſdam concedi ſolitis, illos ſibi, ac præfato Magiſtro generali pro tempore exiſtenti immediatè ſubjiciendo, revocando in primis dictas exemptiones, decretum & ſtatutum fuit, ut nullus Religioſus poſſit talibus exemptionibus, diſpenſationibus, immunitatibus, & ſubjectionibus uti, nec Prælati ulteriùs illis aſſentiri, ſub pœna privationis officii quoad Prælatum ad annum, quoad reliquos verò illis utentes, ſub pœna carceris, in quo detineri debeant per ſex menſes.

*Hortatio ad Magiſtrum gen. ut eaſdẽ parcè & juſtè concedat.*

§.8. Et inſuper fuit addita cohortatio ad Magiſtrum generalem, quod in conceſſione hujuſmodi exemptionum parcè admodum, & conſideratè procedat, neque illas concedat paſſim, ſed raro, & ex juſtiſſimis cauſis, & cum debitis limitationibus.

*Pecunia pro redemptione certarum Provinciarũ non poſſunt applicari pro Captivis extra eas.*

§.9. Item cum viſum fuerit gravata fuiſſe capitula Provinciæ Caſtellæ, & Andaluciæ in Redemptione Captivorum aliarum Provinciarum, mediantibus pecuniis earumdem Provinciarum Caſtellæ, & Andaluciæ, decretum fuit, quod pecuniæ quæ venerint ex Indiis ad redimendum Captivos, unà cum reliquis quæ aggregabuntur in Provinciis Caſtellæ, & Andaluciæ, deſerviant tantummodo, & applicentur Redemptioni Captivorum dictarum Provinciarum, abſque eo quod Magiſter generalis illas extrahere, aut in Redemptionem captivorum aliarum Provinciarum, vel in alios uſus convertere, ſeu aliter applicare valeat, ſub pœna privationis officii.

*Vnio fienda Collegio Civitatis Illerdenſis.*

§.10. Præterea cum conſideratum fuerit, quod domus Bergæ, Tarragæ, Pradas, & Montblanch in principatu Cataloniæ, & domus Sarriconi, & cujuſdam loci nuncupati Vn caſtillo, Regni Aragoniæ, ſunt ferè inutiles Ordini, & Religioni, nam paucos continent in ſe fratres, & non poteſt in ipſis ſervari Regularis obſervantia, decretum fuit quod ſupradictæ domus Cataloniæ uniantur ſeu incorporentur, & reducantur ad Collegium, quod Ordo ac Religio habet in civitate Illerdenſi, & hoc eo conſilio, ut ex redditibus dictarum domorum conjunctis cum redditibus dicti Collegii, poſſit major numerus Scholaſticorum, & perſonarum, quæ in literis exerceantur, in dicto collegio manuteneri.

*Alia unio fienda Collegio civitatis Oſcenſis.*

§.11. Et ſimiliter quod domus Regni Aragoniæ unirentur, & incorporarentur collegio quod Ordo habet in Civitate Oſcena, ad eundem finem, & effectum. Et quod executio unionis ſeu incorporationis domorũ Cataloniæ, cõmittatur Priori Barchinonenſi, Domorũ verò Aragoniæ Provinciali, ſeu ejus Vicario dictæ Provinciæ.

*Creatio Magiſtrorum, & Præſentatorum qua eſſe debeat.*

§.12. Præterea ut directus gradus Præſentatorum, & Magiſtrorum detur perſonis dignis, qui in ſacris literis ac ſcientiis diu operam præſtiterint, & in illis profecerint, decretum, & ſtatutum fuit, ut nulli Religioſo dicti Ordinis detur gradus Præſentati, niſi ad illum à ſuo capitulo Provinciali prius præpoſitus, ſive nominatus fuerit, & niſi ſaltem ſpatio trium annorum Logicam docuerit, ſive legerit, & poſtquam fuerit expoſitus, & cõfirmatus in Capitulo generali, non poſſit ad Magiſtri munus, & gradũ ſimiliter proponi aut nominari, niſi Theologiam ſcholaſticam, aut poſitivam ſpatio quatuor annorum ſimiliter docuerit, ſive legerit, non comprehenſo inter illos tempore quo legerit caſus conſcientiæ, & obſervata in reliquis omnibus forma conſtitutionis in diſtinctione 2. cap. 15. Et qui aliter fuerint graduati, non habeantur, neque reputentur uti tales, nec habeant nomẽ, nec votum, nec aliud privilegium, ſuper quo per Magiſtrum generalem non poſſit diſpenſari aliqua de cauſa, occaſione, vel prætextu. Et nullus expoſitus fruatur voce, loco, nec aliquo privilegio præſentati, nec Magiſtri, quouſque admittatur in Capitulo generali.

*Magiſter generalis qua capitula poſtponere poſſit.*

§.13. Simulque ut Magiſter generalis adeſſe poſſit capitulis provincialibus quando opus eſſe viderit, decretum pariter, & ſtatutum fuit, quod eidem Generali liceat differre, aut anticipare Capitula provincialia celebranda ante capitulum intermedium quod ſequitur, ea tamen lege, ut anticipatio aut dilatio unius capituli Provincialis ad aliud, non excedat tempus quadraginta dierum, cùm ſit tempus competens ad hoc ut poſſit uni intereſſe, & ad aliud accedere.

*Forma votandi in electione Magiſtri generalis.*

§.14. Necnon ut in electionibus, tam Magiſtri generalis quàm aliorum Provincialium vota libera ſint, decretum, & ſtatutum fuit, quod ii qui præſtituri ſunt votum, non teneantur petere ſchedulas ad effectum votum dandi à Secretario capituli, ſed poſſint ipſi facere ſchedulas arbitrio ſuo, poſtquam congregati fuerint in capitulo ad eligendum, aut illas ex ſuis cubiculis factas afferre, vel ut ipſi voluerint afferendo tantummodo ſchedulam ejus perſonæ, in cujus favorem votum dederint, & ubi hoc pacto vota præſtita fuerint, electus debeat habere ſupra medietatẽ votorũ alia duo vota, ſi electus eſt capitularis.

*Magiſter generalis an poſſit nominare Vicariũ generalem vel provincialem.*

§.15. Similiter decretum, & ſtatutum fuit, quod Magiſter generalis, ſi commorabitur in Hiſpania, non poſſit nominare Vicarium generalem in aliqua Provincia. At vero mortuo Provinciali alicujus provinciæ, licet dictus Provincialis ſubſtituerit alium Vicarium Provincialem, poſſit tamen Magiſter generalis nominare pro illa Provincia alium Vicarium generalem, qui in ea exerceat juriſdictionem quam exerceret ipſe Magiſter generalis, ſi in ea exiſteret.

*Nemo recipiatur ad Ordinẽ abſque eius licentia.*

§.16. Vlterius decretum & ſtatutum fuit, ut nullus Religioſus alterius Ordinis in ipſum Ordinem abſque expreſſa licentia Magiſtri generalis recipi poſſet.

*Vicarii Indiarum non recedant ab eis quouſque ſucceſſores illuc nõ pervenerint.*

§.17. Et quod nullus Vicarius generalis Indiarum poſſit ex Indiis in Hiſpaniam reverſus egredi, quouſque alius in ejus locum deputatus acceſſerit, aut Magiſter generalis per ſuas literas permittat ut recedere valeat antequam ſucceſſor illuc perveniat, providerit, ſub pœna privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum. Et ſub eadem pœna ſucceſſor qui illuc accedit, remittere teneatur viſitationem, ſeu quam dicunt reſidentiam ſui anteceſſoris, cum ejuſdem anteceſſoris culpis, & juſtificationibus, clauſoque proceſſu illum remittat in Hiſpaniam, ut Magiſter generalis ſuper eo videlicet ſententiam ferat, mandato ſupradicto Vicario generali qui ex Indiis fuerit reverſus, ut ſe præſentet coram ipſo Magiſtro generali, ita tamen ut ſi ex proceſſu probatæ extiterint culpæ, & delicta propter quæ eidem anteceſſor videatur carcerandus, poſſit illum carceri mancipare.

*Proximum capitulum gen. ubi celebran.*

§.18. Poſtremò habito tractatu de loco celebrationis capituli generalis intermedii, reſolutum fuit, quod dictum capitulum celebretur in Monaſterio ejuſdem Ordinis oppidi Valliſoleti, Palentinæ diœceſis, ac aliàs prout in ſtatutis, & ordinationibns deſuper, ut præfertur, factis pleniùs contineri dicitur.

*Ordo petit confirmationem Pontificis.*

§.19. Cumque Magiſter generalis, & definitores præfati cupiant præmiſſa omnia Apoſtolico munimine roborari, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum deſiderio hujuſmodi annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui dictas ordinationes comprobat.*

§.20. Nos habita ſuper præmiſſis cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuper conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium deputatis, quibus præinſerta ſtatuta examinanda demandavimus, matura conſultatione, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula præinſerta ſtatuta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti, ac ſolemnitatum quarũcumque quomodolibet omiſſarum, & alios quoſcumque defectus, ſi qui intervenerunt in eiſdem, ſupplemus, eaque omnia, & ſingula perpetuò valida, & efficacia fore, ſuoſque plenarios, & integros effectns ſortiri, ac à modernis, & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Magiſtro generali, aliiſque Superioribus, fratribus, & perſonis quibuſcumque inviolabiliter perpetuò obſervari, eoſque omnes, & ſingulos ad illorum omnium obſervationem cogi, & compelli poſſe.

*Clauſulam ſublata, &c. apponit.*

§.21. Sicque, & non aliter per ipſius Ordinis Magiſtrum generalem, & Superiores, ac quoſcumque Iudices quavis auctoritate fungentes, & Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac etiam de latere Legatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executoreſque huius bulla & dictarum ordinationum deputat.*

§.22. Et nihilominus Venerabilibus fratribus Toletano, & Cæſarauguſtano Archiepiſcopis, ac dilecto filio cauſarum curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditori generali per præſentes cõmittimus, & mãdamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, & quando opus fuerit, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, faciant ſtatuta præfata à Magiſtro generali, & fratribus dicti Ordinis nunc, & pro tempore exiſtentibus perpetuò obſervari, ac eos quos illa concernunt, & concernere poterunt quomodolibet in futurum, ad illorum omnium obſervationem omnibus juris, & facti remediis cogant, & compellant, non

per

permittentes aliquid contra illorum ſtatutorum continentiam, & tenorem per quoſcumque quovis prætextu vel colore, aut alias quomodolibet attentari, contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, & cenſuras eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus ſententias, cenſuras, & pœnas præfatas aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorũ.*

§. 23. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aut dicti Ordinis, illiuſque monaſteriorum, domorum, provinciarum, & locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis contra præmiſſa, aut alias quomodolibet cõceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & ad plenum derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemplorum fides.*

§. 24. Volumus autem ut earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo ipſius Ordinis vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D.P.A. 3. die 8. Nov.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die octava Novembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, Pont. noſtri anno tertio.

---

## XXXI. Inſtitutio feſtivitatis S. Staniſlai Epiſcopi, & Martyris, pro die 7. Menſis Maii duplici officio celebrandæ.

*Hunc Staniſlaum Sanctorum Catalogo adſcripſit, & canonizavit Innocentius IV. ut ſupra in ejus conſtitut. 13. Olim, fol. 103. lib. 1.*

*Edita An. D. 1595.*

*C L E M E N S P A P A VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

QUæ ad Sanctorum venerationem, & fidelium erga ipſos devotionem augendam pertinent, ea nos libenter concedimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Hic Pont. jubet celebrari feſtum S. Staniſlai.*

§. 1. Sanè cum glorioſus Pontifex, & Martyr Sanctus Staniſlaus Polonus in maxima apud univerſos Regni Poloniæ Chriſti fideles veneratione exiſtat, noſque tum ob peculiarem noſtram erga ipſum Sanctum devotionem, tum ob paternam noſtram in dictum Regnum charitatem, noviſſimè de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis ſacrorum Rituum, eundem ſanctum Staniſlaum Epiſcopum, & martyrem in Kalendariũ Romanum referri, ac de illo duplex officium per univerſum Orbem Chriſtianum à clero ſæculari, & regulari eo die, qui ejuſdem Sancti Martyris feſto proximior, nullo alio feſto eſſet impeditus, celebrari juſſerimus, prout etiam per præſentes jubemus.

*Congregatio Cardinaliũ ſuper ritibus d. feſtũ præſcripſit ad diem 7. menſis Maii.*

§. 2. Cumque eadem ſacrorum Rituum Congregatio officium ſic celebrandum ad diem ſeptimum menſis Maii ejuſdem ſancti Martyris diem feſtum proximè præcedẽtem, nullo alio feſto impeditum, adſcribendum eſſe, atque in eodem officio, quod erit de communi unius Martyris, orationem, & tres lectiones de ipſius vita, ab ipſa congregatione diligenter examinatas, & approbatas in ſecundo nocturno recitandas cenſuerit.

*Idem Pont. hoc approbat.*

§. 3. Nos ad Dei gloriam, ejuſdem S. Staniſlai venerationem, & fidelium ſpiritualem cõſolationem, juxta præfatæ congregationis ſententiam officium hujuſmodi de ſancto Staniſlao Epiſcopo, & Martyre, die ſeptima Maii ejus diei feſto proximè præcedenti, quatenus nullo alio feſto ſit impeditus, celebrandum eſſe, & in eo orationem & lectiones prædictas, quas tenore præſentium confirmamus & approbamus, recitandas eſſe: ſi verò dies ſeptimus Maii hujuſmodi alio feſto fuerit impeditus, in alium diem non impeditum juxta rubricas Breviarii Romani transferri debere auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, & ordinamus.

*Quibuſcumque non obſtan.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Breviarii Romani reformatione, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

*Dat. P. An 4. die 4. Iulii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die quarta Iulii milleſimo quingenteſimo nonageſimoquinto, Pontificatus noſtri anno quarto.

---

## XXXII. Inſtitutio feſtivitatis S. Romualdi Abbatis, & Ordinis Camaldulenſis fundatoris, die 7. menſis Februarii duplici ritu de Communi confeſſorum celebrandæ.

*De hujus Ordinis ſtatu, & indultis vide ſuprà in conſt. 1. Alex. II. fol. 48. ubi notavi.*

*Edita An. D. 1595.*

*C L E M E N S P A P A VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Sanctorum feſta ſunt inſtituta ut eorum virtutes imitemur.*

PIa Mater Eccleſia ad hoc Sanctorum cum CHRISTO regnantium memorias à Chriſtianis Populis frequentari inſtituit, ut nos, quos uti filios Deo quotidie parere ſatagit, tantorum Patrum exemplis provocati, eorum ſectemur fidem, imitemur virtutem, gloriamque paribus vitæ lineamentis aut invenire, aut exquirere ſtudeamus. Ad hæc, ut eorum invocatione ſentiamus ipſos, qui ex hac vita diſceſſerunt, habentes adhuc erga nos, qui in hoc mundo relicti ſumus, charitatem, curam de nobis gerere, ſuiſque precibus atque interventu apud Deum nos juvare, cumque de propria ſalute, & immarceſſibili gloria ſint ſecuri, de noſtra multiplici miſeria ſollicitos exiſtere.

*Inter Sanctos S. Romualdus virtutibus & miraculis claruit.*

§. 1. In his ſanè reponendum eſſe in primis judicamus glorioſum Anachoretam Romualdum, patria, familia, vitæ ſanctitate, & divinarum rerum contemplatione, Ordiniſque Camaldulenſis fundatione illuſtrem, cujus tanta fuit in Deum religio, & pietas, ut in cœlis ſolummodo ejus converſatio eſſe videretur, ab hominum cõſpectu, & acceſſu remotiſſima, Sanctorum verò & Beatorum conſuetudine, quorum apparitione, & intuitu ſæpiſſimè dignatus eſt, acceptiſſima. Tanta erga proximos charitas, ut oratione, & lachrymis ſuis Patrem Religioni, & cœlo acquiſiverit, multos clariſſimos etiam viros, Reges, & Principes ſuo exemplo ad humiles caſas in eremo habitandas, & fulgorem purpuræ cum vili tunica commutandum allexerit, plurimos à corporis, & animæ infirmitatibus, ac imminentibus vitæ periculis ſigno Crucis eripuerit, collapſamque in Italia Eremiticam diſciplinam reſtituerit, ac mirificè propagaverit. Tanta verò ſui humiliatio, & contemptus, ut Spiritus Sancti, qui ſuper humiles requieſcit, domicilium effectus, ſacrarum Scripturarum intelligentiam, & Prophetiæ donum conſecutus ſit, & quo magis humilitatem coluit, eo amplius à Deo exaltari meruerit, longitudine dierum in terris, immortalitate & Sanctorum gloria in Cœlis coronatus.

*Hic ideo Pontifex habito conſenſu Card. ſup. ſacris Ritibus ejus feſtum inſtituit.*

§. 2. Vt autem tam inſignis Dei miles debita ab omnibus veneratione, & cultu honoretur, aſſiduiſque precibus invocetur vir dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, ſupplicationibus etiam dilectorum filiorum Abbatis generalis, & Monachorum dicti Ordinis Camaldulenſis, pro præclaro ejuſdem Ordinis Inſtitutore nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum præpoſitorum, quibus hoc negotium examinandum commiſimus, conſilio, & aſſenſu, ejuſdem S. Romualdi nomen, & diem Feſtum in Kalend. Romano quo nunc utimur, die ſeptimo Februarii, quo die ejus tranſlatio facta eſt, adſcribendum, ejuſque Officium à quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, ubique terrarum exiſtentibus, ſub ritu duplici de communi Confeſſorum non Pontificum, ubi proprium

deeſt

deeſt, præter Lectiones ſecundi Nocturni, quæ propriæ aſſignantur, ab ejuſdem Congregationis Cardinalibus approbatæ, celebrandum eſſe, auctoritate, & tenore præſentium perpetuò decernimus, & ſtatuimus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obediētiæ univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Provinciis, Civitatibus, & Diœceſibus præſentes noſtras literas ſolemniter publicare, ac dicta die officium hujuſmodi de S. Romualdo ritu duplici, tam ipſi quàm ceteri omnes presbyteri, & clerici, ſæculares, & regulares utriuſque ſexus, ac aliæ perſonæ, etiam exemptæ, quibus officium dicendi, & pſallendi munus quomodocūque injunctum eſt, celebrare, & pſallere omnino debeant. Decernentes omnes & ſingulas perſonas hujuſmodi ad aliam recitationem Officii ea die non teneri, ſed debito, & obligationi hujuſmodi perinde ſatisfacere, ac ſi divinum officium juxta ſuorum breviariorum præſcriptum recitarent.

*Quibuſcumque non obſtan.*

§. 3. Non obſtan. fel. rec. Pii V. prædeceſſoris noſtri, ac aliis Apoſtolicis, necnon in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis, etiā ſuper nova Breviarii reformatione editis conſtitutionibus, & ordinationibus, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, quodque dies feſtus hujuſmodi in Kalendario Romano deſcriptus hucuſque non ſit, ceteriſq; cōtrariis quibuſcumque.

*Fides exemplorum.*

§. 4. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 4. die 9. Iulii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die nona Iulii, milleſimo quingenteſimo nonageſimoquinto, Pontificatus noſtri Anno quarto.

## XXXIII. De electione Prælatorum, Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci de Pœnitentia, in communi ſub trium votorum ſubſtantialium profeſſione viventium.

*De his Fratribus attende ſuprà conſtit. 42. Leon. X. Inter cætera, fol. 455. cum ibi notatis, lib. 1.*

*Edita A. D. 1595.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEcet Romanum Pontificem in his auctoritatis ſuæ partes libenter interponere, per quæ Religioſorum ſtatui, eorūque proſpero regimini opportunè conſulitur.

*Ratio conſtitutionis.*

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Viſitatoris generalis, & aliorum Superiorum, ac Fratrum Tertii Ordinis Sancti Franciſci de Pœnitentia, nobis fuit expoſitum, quod cum alias prædictus Ordo non ita propagatus eſſet, ſtatutum fuit, dilectos filios Priores, & Diſcretos Conventuum, ac domorum dicti Ordinis, Capitulis generalibus, quæ quolibet triennio pro electione novi Viſitatoris generalis, & quatuor Definitorum generalium fieri ſolent, intereſſe, & vota cum ceteris in eo habere debere. Cum autem dictus Ordo in varias provincias, benedicente Domino, diffuſus, & auctus ad præſens exiſtat, valdeque moleſtum ſit, & diſpendioſum tot Fratres ad Capitula generalia convocare, quinimmò confuſio ob ingentem numerum multoties inde provenire ſoleat.

*Ordo eligendi Viſitatorē generalem & Definitores generales in capitulis generalibus.*

§. 2. Nos cupientes his, & aliis incommodis opportuna ratione occurrere, dicti Viſitatoris generalis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc de cetero perpetuis futuris tēporibus, in electione novi Viſitatoris generalis, ac etiam Definitorū generaliū in ipſis Capitulis generalibus facienda, Viſitator generalis præteritus, necnon in qualibet Provincia unus Provincialis ac Diſcretus, Cuſtos ſimiliter provincialis, & non alii, generalibus Capitulis intereſſe, ac votum habere poſſint.

*Eligendique Provinciales Cuſtodes, & Definitores in Capit. Provincialibus.*

§. 3. In electione verò novorum Provincialium, Cuſtodum, & definitorum provincialium in Capitulis provincialibus facienda, Provinciales præteriti, Diſcreti, Provinciales, Priores, & Diſcreti Conventuum, necnon Definitores generales actuales, ac demum Procurator generalis tunc exiſtens vota habeant.

*Priorumque & Diſcreti provincialis.*

§. 4. Ad Priorum verò, & Diſcreti Provincialis electionem, Provinciales, & quatuor Definitores provinciales tantum procedant.

*Forma dandi vota.*

§. 5. Mandamuſque ut electiones omnium ac quorumcumque ſupradictorum per vota ſecreta in ſchedulis conſcripta fiant, & ſtatim facta electione ſchedulæ comburantur, ita ut eligentium vota nunquam publicari poſſint.

*Provincialium & Priorum electiones non fiant in Capitulo gener.*

§. 6. Ac prohibemus, ut nullo pacto in capitulis generalibus electiones Provincialium, ac Priorum fiant, ſed tantum in qualibet Provincia ſuus Provincialis, Diſcretus provincialis, & Priores creentur.

*Irritatio electionum aliter factarū.*

§. 7. Decernentes omnes, & ſingulas Viſitatoris generalis, Provincialium, Diſcretorum, & Cuſtodum, etiam Provincialium, necnon Priorum, & Definitorum prædictorum, ſeu quorumvis eorum electiones, quas contra hic traditam formam fieri pro tempore contigerit, eo ipſo nullas, & nullius momenti eſſe, ac fore, illiſque non obſtantibus, ad alias electiones, juxta hujuſmodi formam procedi poſſe ac debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiā immemorabilibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. A. 4. die 20. Iulii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimanona Iulii 1595. Pontificatus noſtri Anno quarto.

## XXXIV. Inſtructio ſuper aliquibus ritibus Græcorum pro Epiſcopis Latinis, in quorum Diœceſibus Græci vel Albanenſes Græco ritu viventes degunt.

*Ad hæc & totam materiam Græcorum, attende omnino conſtit. 14. Innocent. IV. Sub catholici, fol. 103. lib. 1. ubi plenè notavi.*

*Edita A. D. 1595.*

*Sacramentū Baptiſmi.*

SAnctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa Octavus.

Presbyteri Græci baptizatos chriſmate in fronte nō cōſignent, & ideo ab ipſis in ordine baptiſmi apud eorum Euchologium prætermittantur quæ ſequuntur poſt illa verba ϗ μετὰ τὴν εὐχήν, &c, uſque ibi, ὅτι τὰ ὀρθῇ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κυκλοῖ. hoc eſt, & poſt orationem, &c. ubi habetur forma hujus conſignationis, uſque ad verba: Poſtea facit ſacerdos figuram circuli, &c.

*Sacramentū Confirmationis.*

§. 1. Epiſcopi Latini infantes, ſeu alios baptizatos à presbyteris Græcis de facto chriſmate in fronte conſignatos cōfirment; & tutius videtur ut cum cautela, & ſub cōditione id faciant, videlicet N. ſi nō es cōfirmatus, ego conſigno te ſigno crucis, † & confirmo te chriſmate ſalutis † in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, præſertim vero cum veriſimiliter dubitari poteſt quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati.

*Sacramentū Euchariſtiæ.*

§. 2. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum quod pro infirmis aſſervatur, ſingulis octo diebus, aut ſaltem quindecim renovetur.

Non aſſervetur idem ſacramentum toto anno, ſi tamen aſſervatum fuerit, ſaltem in fine anni ſumatur.

Tollatur abuſus, fundendi, vel etiam miſcendi ſacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exſiccandi ſpecies Sacramenti ſacræ Euchariſtiæ feria quinta Cœnæ Domini, ut deinde illud aſſervent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Epiſcopis Latinis conſecrata, bene erit; ſin minus, tolerentur eorum throni, ſive throni ſuper altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Corporalia uti Latini habeant, niſi thronis etiam pro corporalibus utantur.

*Sacramentū Pœnitentiæ.*

§. 3. In caſu neceſſitatis presbyteri Græci catholici poſſint Latinos abſolvere.

Vtantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.

Tollendus abuſus, ubi eſt, ut vir atque uxor ſimul &

eodem

eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

Aqua ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die menſis benedicta, conſervetur in Ecclefia, ut illa fideles aſpergantur.

*Circa Oleum Sanctum Catechumenorum, & Infirmorum.*

Non ſunt cogendi presbyteri Græci olea ſancta præter Chriſma ab Epiſc. Latinis diœceſanis accipere, cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & ſacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem quod non niſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab Epiſcopis Græcis externis ſchiſmaticis, ſeu S.R.E. Communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

*Sacramentū Ordinis.*

§.4. Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, aliàs ritè ordinatis, ſervata debita forma recipiunt quidem ordinem, ſed non executionem.

Proinde ipſi ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, correcti vel emendati reconciliandi ſunt, & abſolvendi cum pœnitentiis ſalutaribus, dummodo errores, vel ſaltem ſchiſma Ordinatoris abjurent in judicio, vel publicè, vel ſecretò pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias ſuſceptis miniſtrare non permittantur, niſi cum ipſis ſuper irregularitate hujuſmodi occaſione contracta, auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.

Non ſunt admittendi Epiſcopi ſchiſmatici, ſive pro ordinibus, ſive pro aliis ſacramentis conferendis, ſed detinendi quoad ſancta Sedes Apoſtolica deſuper conſulatur, & reſponſum habeatur.

Græci ſine literis dimiſſoriis Epiſcopi Latini diœceſani ad ſacros ordines promoti, ſuſpenſi ſunt, & ſi ſuſpenſi in ſuis ordinibus miniſtraverint, efficiuntur irregulares, ſicut & Latini.

Super hujuſmodi autem, & ſimilibus irregularitatibus diſpenſandi facultatem à ſancta Sede Apoſtolica obtineri oportet.

Si Epiſcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à presbytero Græco in baptiſmo Chriſmate in fronte de facto fuerit conſignatus, debet illum antea confirmare, ſaltem ſub conditione, videlicet N. ſi es confirmatus, &c. ut ſuprà. Presbyteri vidui, ſeu uxoribus orbatis habitum deferant diverſum ab aliis.

*Sacramentū Matrimonii.*

§.5. Curent Ordinarii locorum, ut decretum ſacri generalis Conc. Trid. de reformatione matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis & parochiis Græcorum, & Albanenſium evulgetur, & publicetur.

Matrimonia inter conjuges Græcos dirimi, ſeu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & ſi qua de facto proceſſerunt, nulla, & irrita declarent.

Maritus Latinus uxoris Græcæ ritum non ſequatur.

Latina uxor non ſequatur ritum mariti Græci.

Græca verò uxor ſequatur ritum mariti Latini.

Quod ſi id fieri non poſſit, quiſque conjugum in ſuo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

Proles ſequatur patris ritum, niſi prævaluerit mater Latina.

Presbyter Græcus conjugatus, ante ſacrum Sacrificium, ſeu ſanctam Miſſam celebrandam, vel per hebdomam, vel per triduum abſtineat ab uxore.

*Aliaque dogmata.*

§.6. Græci credere tenentur, etiam à Filio Spiritum ſanctum procedere, ſed non tenentur pronunciare, niſi ſubeſſet ſcandalum, præſertim ſi degant inter Latinos, aut neceſſitas poſtularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Nunquam monachis Græcis, ſeu Calogeris animarum cura committatur, niſi ex neceſſitate, vel alia juſta cauſa. Presbyteri ſæculares Græci, abjuratis ſchiſmate & erroribus, atque in fide Catholica bene inſtructi, in Parochialibus ſeu Curatis Eccleſiis Græcorum inſtitui poſſunt.

Tolerandus eſt apud Græcos uſus carnium die Sabbati, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt, in locis tamen ipſorum, & inter eos tantum.

Item tolerandum eſt, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadrageſima, excepto uno Sabbato, ex antiqua traditione non teneantur, ſed duntaxat ad abſtinentiam.

In jejuniis biduanis, vel triduanis, vel aliàs à diœceſanis, vel in Jubilæis à Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehenſus vel præſcriptus, in alium diem pro plebibus Græcis ab ipſis diœceſanis, Apoſtolica auctoritate Sanctiſſimi D. N. D. Clementis divina providentiâ Papæ Octavi permittitur commutari.

Si ipſi Græci ad obſervationem jejuniorum, & vigiliarum Latinæ Eccleſiæ induci poſſent, optimum eſſet, ſed non cogantur, cum ipſi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria ſexta jejunent.

Græci exiſtentes inter Latinos, dies feſtos de præcepto ejuſdem Latinæ Eccleſiæ ſervare teneantur.

*Epiſcopus Græcus Romæ ſit, &c.*

§. 7. Inſuper idem Sanctiſſimus D. N. conſtituit, Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adjacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

*Decreta Pōt. An. 4. die 31. Auguſti.*

§. 8. Ita Sanctitas ſua ex ſententia Congregationis ſuper reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mādavit Romæ in Palatio Mōtis Quirinalis apud Sanctum Marcum, die 31. menſis Auguſti, Anno Domini 1595. Pontificatus ſui Anno Quarto.

---

## XXXV.

## Inſtitutio Monaſterii, ſeu domus Refugii nuncupatæ in Alma Vrbe, pro Virginum, honeſtarumque viduarum educatione, & aliarum mulierum ad honeſtam vitam ſe convertentium probatione. Cum ſubſidii aſſignatione, Iudiciſque ſpecialis deputatione, ad ejuſdem Monaſterii, ejuſque perſonarum, & officialium lites dijudicandas.

*Edita An. D. 1595.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN ſupremo curæ paſtoralis munere, quod nullis noſtris meritis, ſed divina ope freti ſuſtinemus, nihil magis curandum eſſe cenſemus, quam ut periclitantium animarum ſaluti, & perſonarum quæ neceſſario auxilio deſtitutæ ſunt, commoditati, quantum cum Domino poſſumus conſulamus. Quæ quidem paternæ charitatis officia ita cum ſuſcepta adminiſtratione ſunt conjuncta, ut ea functionis noſtræ propria eſſe ſentiamus.

*Cauſa huius inſtit. ſeu erectionis.*

§.1. Nos itaque animadvertentes in Alma Vrbe noſtra varia alioquin piorum locorum celebratione referta certam aliquam domum ad tria perſonarum genera recipienda hoc tempore deſiderari, puellarum nimirum ac virginum, quæ variis cauſis antequam nubant, aut vitam religioſè inſtituant in diſcrimine honeſtatis conſtitutæ ſunt; Viduarum deinde, quæ nullum commune domicilium habent in quo degant; ac demùm earum mulierum, quæ à turpi corporis ſui quæſtu ad meliorem frugem ſe recipere volentes, mutandæ quidem vitæ, ac pœnitentiæ agendæ deſiderio quandoque inflammantur, ſed cùm loco indigeant, ubi ab impudica hominum conſuetudine priùs disjunctæ tantiſper commorentur, quamdiu in Monaſterium ad illas recipiendas in Vrbe deſtinatum admittantur, aut aliud honeſtum vitæ genus ineant, ne concepto illo ardore ſenſim refrigeſcente in eadem peſtifera peccandi libidine perſeverent. Conſiderantesque ulterius, ſi hæc domus in Vrbe erigeretur, proculdubio animarum CHRISTI immaculati Agni ſanguine redemptarum ſaluti opportuno admodum remedio conſultum iri, idcirco ceteris locis piis in Vrbe à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris opportunè pro rerum ac temporum ratione inſtitutis, ejuſmodi domum hoc tempore addendam duximus.

*Inſtitutio domus pro pauperibus virginibus recipiēdis in una eius parte: pro viduis alia: ac pro impudicis*

§.2. Ad laudem igitur Omnipotentis Dei, ac virginum & viduarum, aliarumque mulierum ſupradictarum commoditatem, & communem domum, quæ in tres diverſas partes diſtribuatur, in quatum aliam Virgines, quæ vel parentibus orbatæ, vel eorum cura atque omni alia ope deſtitutæ in periculo pudicitiæ verſantur, donec nimirum vel de matrimonio contrahendo, vel de vita religio-

sè

*mulieribus pœnitentibus in altera.*

ſè inſtituenda deliberaverint, illiſque de convenienti dote, aut eleemoſyna, ſive à ſuis, ſive ab aliis proviſum ſit, aut quouſque de viro cum quo matrimonium contrahant, aut de monaſterio in quod admittantur certò conſtitutum fuerit: in aliam vero viduæ honeſtæ conditionis & famæ, quæ in eadem domo ſimul degere voluerint. In aliam denique mulieres impudicæ pœnitentiam agere cupientes, quouſque cum ceteris in Monaſterium pro eiſdem in Vrbe deſignatum recipiantur, aut donec honeſtam vivendi genus compleant, admitti, & ibidem commorari atque educari, ac ſingulæ ſub proprio vitæ inſtituto, ſeorſum Virgines à Viduis, atque à mulieribus prædictis exereen. inſtrui, probari, ac alias regi, & gubernari debeant: in ædibus viridariiſque Bernardi Acciaioli in eadem Alma Vrbe noſtra, in Monte Quirinali ſitis, per nos nuper à dilecto filio Joanne Baptiſta Acciaiolo ejuſdem Bernardi filio & hærede, in uſum prædictæ domus emptis, atque inſtauratis, auctoritate Apoſtolica præſentium tenore erigimus & inſtituimus.

*Denominatio eſt Monaſterium Refugii B. Virginis in Vrbe.*

§.3. Quoniam verò erectionis hujus, atque inſtituti fundamenta, ita demum firma, & ſalutaria fore confidimus, ſi ſanctiſſimæ Dei genitricis, ac Virginis MARIÆ humani generis Advocatæ præſidio ac patrocinio innitantur, in primis nos ejuſdem Beatiſſimæ Virginis, quam ſingulari ſemper pietatis cultu proſecuti ſumus, interceſſione ac meritis freti, eandem domum Beatæ MARIÆ Refugii Vrbis appellari debere ſtatuimus.

*Feſtum eius Aſſumptionis ibidem eſt ſolemniter celebrandum.*

§. 4. Ex omnibus verò illius feſtivitatibus, Aſſumptionis ejuſdem in Cœlum diem anniverſaria ſolemnitate ibi celebrandam eſſe decernimus.

*Officiales pro ejuſdē regimine Monaſterii ad annū eliguntur.*

§.5. Pro ejuſdem autem domus regimine, & gubernio, Adminiſtratores, & officiales neceſſarios ad annum proximum, deinde ad noſtrum beneplacitum duraturos, qui regimini, & gubernio dictæ domus præſint, & alia infraſcripta exequi curent, eligemus.

*Qui opportuna edāt ſtatuta & ordinationes.*

§. 6. Quibus adminiſtratoribus, & officialibus, poſtquam, ut præfertur, electi fuerint, quæcumque ſtatuta, & regulas, ac normam ad hujuſmodi regimen, & gubernium proſperè dirigendum neceſſaria & opportuna, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Trid. decretis conformia, & à nobis, & à Sede Apoſtolica approbanda, & confirmanda, tam è virginibus, viduis, & mulieribus in dictam domum recipiendis, quàm ab ipſis, & aliis futuris adminiſtratoribus, & officialibus obſervanda condendi, & faciendi, interimque domum prædictam regendi, & gubernandi, illiuſque regimini & gubernio præſidendi, inferiores Miniſtros eorum arbitrio conſtituendi, & deputandi, & quando eis expedire viſum fuerit, mutandi & revocandi.

*Qualitateſque virginū, viduarū, & aliarum recipiendarum præſcribant.*

§.7. In primis verò virginum, viduarum, & mulierum in dicta domo recipiendarum qualitates deſignandi, & præſcribendi, eaſdemque virgines, viduas, & mulieres in domum prædictam, donec ſtatuta per eos condita, à nobiſque approbata, & confirmata fuerint, ſimiliter ipſorum arbitrio recipiendi, & admittendi, eaſque dimittendi.

*Eaſdem viſitent, corrigant, &c.*

§.8. Necnon etiam eaſdem cum opus fuerit viſitandi, corrigendi, & reformandi, ipſius domus bona, & redditus adminiſtrandi, ac omnia & ſingula alia ad regimen, & gubernium ejuſdem domus, ipſarumque virginum, viduarum, & mulierum commoditatem neceſſaria, & opportuna faciendi, ordinandi, mandandi, gerendi, & exequendi.

*Congregationes duas pro regimine d. domus ibid. inſtituant.*

§.9. Præterea duas in eadem domo Congregationes, alteram virorum, alteram mulierum, ad infraſcripta peragenda, auctoritate noſtra inſtituendi, & erigendi facultatem, & auctoritatem tenore præſentium concedimus & impartimur.

*Vnam virorum, videlicet Præfecti, & aliorum Deputatorū & miniſtrorum.*

§.10. Ex virorum verò Congregatione unum Præfectum & aliquos aſſiſtentes, & deputatos, necnon ceteros adminiſtratores, & officiales pro regimine & adminiſtratione dictæ domus, ejuſque bonorum & reddituum neceſſaria, juxta ſtatuta, ut præfertur, condenda, & à nobis approbanda ſingulis annis eligen. & deputan.

*Alterā mulierum, videlicet unius Præfectæ, aliarum que matronarum & miniſtrarum.*

§ 11. Ex mulierum etiam Congregatione, ſimiliter unam Præfectam, & aliquas Matronas aſſiſtentes, necnon ceteras Miniſtras, & officiales, ut præfertur neceſſarias, quæ munera pro hujuſmodi operis executione, & ipſarum virginum, viduarum, & mulierum receptione, regimine, & gubernio, eis in eiſdem condendis, & approbandis ſtatutis injungenda, adimplere curent, pariter erigi, & deputari volumus, & ordinamus.

*Nemo alius in d. gubernio ſe intromittat.*

§.12. Inſuper domum & Congregationes prædictas ſub immediata beatorum Petri & Pauli, ac noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, Sediſque Apoſtolicæ protectione, tutela, & patrocinio recipimus, & perpetuò permanere volumus, itaut nullis aliis perſonis, quacumque auctoritate, poteſtate, & dignitate fungentibus & functuris, quantumvis ſpeciali nota dignis, in illorum protectione, regimine, adminiſtratione vel gubernio ullo unquam tempore, quavis occaſione, prætextu, cauſa, vel quæſito colore ſeſe ingerere, vel immiſcere liceat.

*Clauſula ſublata.*

§.13. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ipſoſque S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Indulgentia pro perſonis dictarum Congregationum, & aliis.*

§.14. Decernimus autem ut pii utriuſque ſexus Christi fideles in prædictas Congregationes eo libentius admitti & recipi curent, ac piis domus prædictæ obſequiis ea qua decet charitate vacare ſtudeant, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui in eiſdem Congregationibus pro tempore deſcriben. die quo ſe deſcribi fecerint, ſi verè pœnitentes & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſerint, plenariam, necnon in cujuſque eorum, qui pro tempore in ipſis Congregationibus deſcripti fuerint, mortis articulo, ſi verè pœnitentes, confeſſi, ſacraque communione refecti fuerint, vel ſi hoc facere nequiverint, ſaltem contriti nomen JESU ore vel corde piè invocaverint, etiam plenariam. Necnon tam ipſis, qui in dictis Congregationibus deſcripti fuerint, quàm ceteris Chriſti fidelibus, qui in prædictæ Aſſumptionis, & etiam in Nativitatis, Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Præſentationis, & Viſitationis B. MARIÆ feſtivitatibus, à primis veſperis uſque ad occaſum Solis earum, Eccleſiam dictæ domus devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ſanctæque Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ſimiliter plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper perſonis dictarum Congregationum, quoties divinis officiis, ſeu Congregationibus in dicta domo habendis & celebrandis interfuerint, vel aliquod pium opus pro dicta domo præſtiterint, ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus quoad ipſos, qui in dictas Congregationes recepti fuerint, perpetuis futuris temporibus, quo verò ad ceteros Chriſti fideles, ad decennium proximum valituris. Volumus autem, ut virgines, viduæ, & aliæ mulieres prædictæ in dictam domum receptæ, præmiſſa omnia, & ſingula ſicut ceteri prædicti in omnibus conſequantur.

*D.P.A. 4. die 20. Septemb.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 20. Septemb. 1595. Pont. noſtri Anno 4.

*Sequitur juriſdictio judicis dicti Monaſterii.*

*Edita A.D. 1595.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Relatio prædicta inſtit.*

CUm nuper, diverſarum pauperum puellarum, ac Virginum in Vrbe inopia laborantium, & diverſis periculis expoſitarum, necnon honeſtarum viduarum etiam in cœlibatu vivere ſtatuentium, honoris & pudicitiæ ſecuritati, necnon mulierum, quæ vitam minus honeſtam antea duxerant, quæque poſtea ad cor reverſæ cœnum carnalium voluptatum relinquere, & pœnitentiā agere decreverint commoditati & probationi, donec vel in aliquod Vrbis Monaſterium admiſſæ fuerint, vel illis alias proviſum fuerit, paterna charitate conſuleremus, unam Domum Refugii nuncupatam in Monte Quirinali,

*li, in ædibus & viridariis Bernardi Acciaioli per nos ab ipſius Bernardi hæredibus magno ſumptu comparatis erigendam, ibique unum Collegium pauperum virginum & honeſtarum viduarum, ac pro illis, necnon mulieribus prædictis pœnitentibus, quouſque ſimiliter in aliquod Monaſterium ut ſuprà receptæ fuerint, ſeu alias illis pariter fuerit proviſum recipiendis, manſiones ſeparatas inſtituendas & inſtaurandas decreverimus, jamque magna ex parte ædificia dictæ domus inſtaurata fuerint.*

*Relatio ſubventionis d. Monaſterio per hunc Pont. ſubminiſtratæ.*

§. 1. Verùm cum ad eorum perfectionem, & ſupellectilis, ac rerum neceſſariarum comparationem non mediocris impenſa facienda ſit, nos ut pretium ædium & viridarii prædictorum quãto citius integrè perſolvi poſſit, tria millia per Joffredum Lomellinum Cam. Apoſt. Clericum pro reſiduo pretii officii clericatus dictæ Cam. Apoſt. quod obtinet, & mille & trecenta per Julium, & ejus filium de Philippis Veliternenſes, pro compoſitione cum Camera Apoſt. ac alia ſcuta mille monetæ per equites Angelum, & Alexandrum de Cananis, pro compoſitione ſpolii & bonorum quo. bo. me. Card. Canani ſolvere promiſſa, & conventa. Necnon alia mille quingenta per Univerſitatem Macellariorum, ſeu diverſos eorum particulares dilectos filios, pro reſiduo decem millium, occaſione mutui per Camerã Apoſt. facti debita, & quaſcumque alias pecuniarum ſummas nuper per Cameram Apoſt. ſeu ejus Miniſtros diverſis particularibus macellariis in eorum ſubventionem mutuatas, irrevocabiliter inter vivos donavimus & conceſſimus. Et adminiſtratores d. Collegii, ſeu domus, dilectos etiam filios, Confraternitatem ibidem erectam, ſeu erigendam deputavimus, eoſque procuratores irrevocabiles, ut in rem propriam, ac dictas ſummas, ut præfertur donatas, & earum ſingulas exigendum, & de eis quictan. fecimus & conſtituimus, prout in aliis noſtris litteris pleniùs continetur.

*Cauſa conceſſionis hujus juriſdictionis.*

§. 2. Conſiderantes quod eis valde difficile redderetur, ſi pro conſecutione ſupradictorum creditorum eis, ut præfertur, donatorum, & conceſſorum, & quorumvis aliorum bonorum & pecuniarum, domui, ſeu Collegio hujuſmodi, ac perſonis pro tempore in eo degen. debitarum, manutentioneque & conſervatione omnium bonorum ſuorum, jurium & actionum, nunc & pro tempore, tam ad domum & Collegium hujuſmodi, quàm etiam ſingulas perſonas in eo degentes, illiuſque officiales, Adminiſtratores, & illi deſervientes, ac litium & cauſarum deſuper, tam activè quàm paſſivè jam forſan ortarum, & quæ oriri continget in futurum, in diverſis Almæ Urbis Tribunalibus, & corã diverſis Judicibus agere, ſeu trahi, & ſe, ac eorum & domus, ſeu Collegii hujuſmodi bona, & jura recuperare ac defendere, & tueri cogerentur, ac in diverſis locis moleſtarentur, volentes propterea earum indemnitati, ac jurium & bonorum conſervationi opportunè conſulere, ac paterna diligentia providere.

*Deputatio Judicis cauſarũ d. Monaſterii, & eius perſonarum.*

§. 3. Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie hac prima vice dilectum filium Rodulphum Bónfiolum Bononienſem Senatoré, de cujus ſcientia, providentia, ſolertia, & integritate plurimum in Domino confidimus, in judicem Ordinarium d. domus, ſeu Collegii, ac quarumcumque perſonarum illius, tam virginum & viduarum, & aliarum mulierum ſupradictarum, quàm etiam quarumcumque aliarum perſonarum, tam ibi pro tempore degen. quã etiam ad ſervitia ejuſdem domus, ſeu Collegii commorantium, cujuſvis ſexus, ordinis, conditionis exiſtentium, necnon officialium, & adminiſtratorum illius pro tempore deputatorum, eorum officio & adminiſtratione dumtaxat durante, pro hac prima vice eligimus, conſtituimus, & deputamus, relicta in poſterũ eidẽ Cõfraternitati, & ejus officialibus facultate alium, ſeu alios deputandos amovendi, ſeu revocandi, prout ſibi benè viſum fuerit.

*Conceſſio iuriſdictionis ampliſſima.*

§. 4. Cum plena, ampla, & libera facultate, auctoritate, & poteſtate, ac juriſdictione omnes & ſingulas lites & cauſas, ac differentias, tam civiles, quàm criminales & mixtas, tam ſuper exactione dictarum pecuniarum donatarum, ac ratione domus, ſeu Collegii hujuſmodi, & perſonarum prædictarum, quam etiam eorum bonorum, rerum, jurium & actionum, necnon aliorum quorumcumque inter vivos & cauſa mortis, vel quaſi contractuum, etiam in ſe Camerales obligationes, & ſeu illius vim habentes, activè & paſſivè, ultro citroque, & per appellationem, & in quacumque inſtantia, quavis occaſione, prætenſione, vel cauſa & prætextu, quomodocumque & qualitercumque motas & movendas ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, ac etiã manu regia, & abſque aliqua ſubſtantialium, aut aliorum terminorũ obſervatione, aut alia tela judiciaria, ubicumque & quandocũque principaliter vel incidenter tractabitur, aut agetur de aliquo, etiam minimo jure, aut intereſſe domus, ſeu Collegii, aut perſonarum prædictarum, ſeu cujuſlibet earum, tam activè quàm paſſivè, ac privativè ad omnes & ſingulos alios, tam ordinarios quàm delegatos, Judices & Conſervatores ac executores, cujuſvis ordinis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentes, & quavis auctoritate, privilegio, indulto, & juriſdictione ſuffultos, eorumque Curias & Tribunalia, Eccleſiaſtica & ſecularia, ſingulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, omni & quacumque appellatione remota audien. viden. cognoſcen. deciden. ac fine debito terminan. ac debitæ executioni demandan. & demandari facien. illaſque & eas ſingulas à quibuſcũque Tribunalibus & Judicibus ordinariis & cõmiſſariis, & aliis prædictis, necnon Convertitarum, Neophytorum, S. Jacobi Incurabilium, Cõſolationis, & aliorũ piorũ locorũ, Ripæ & Ripettæ, Burgi S. Petri, Cur. Capitolinæ Almæ Urbis Conſervatoribus, Auditore Cam. & Vicario noſtro generali in dicta Urbe & ejus diſtrictu, ac Palat. Apoſt. Auditoribus, ac dictæ Urbis Gubernatore, Senatore, & quibuſvis aliis Judicibus & cõſervatorib. etiãſi Judices & conſervatores, ac Tribunalia hujuſmodi ſimilia, aut ampliſſimũ privilegium haberent, in ſtatu & terminis in quibus cauſæ ipſæ reperientur, aut alias quomodolibet, prout ei viſum fuerit, avocan. & reaſſumen. & eis ſeſe in cauſa & cauſis hujuſmodi ingerere, & intromittere, ac partibus, ne corã alio comparere, aut procedere audeant, ſub pecuniariis pœnis arbitrio ſuo imponendis, applican. & moderan. inhiben. Et inobedientes & rebelles in pœnas prædictas damnabiliter incidiſſe, & incurriſſe, declaran. aggravan. & reaggravan. Ita quod nullo unquã tempore domus, ſeu Collegium hujuſmodi, ac perſonæ prædictæ, nec earum aliquæ quavis occaſione vel cauſa, aut prætenſione, ſeu prætextu ad inſtantiam quarumvis perſonarum, Communitatum, Univerſitatum, Capitulorum, & Congregationum, Societatum & Confraternitatum ſæcularium, ſeu cujuſvis Ordinis Regularium, & minus Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Hoſpitalium, aut Religionum, ſeu Congregationum, aliarumque Eccleſiarum & piorum locorum, etiã magis privilegiatorum, & ſimilem, vel ampliorem facultatem habentium, ſeu quarumvis perſonarũ aliarum Eccleſiaſticarũ, Regularium, vel ſæcularium, aut etiã laicorum cujuſvis ordinis, dignitatis, & conditionis exiſten. alibi quam coram ſupradicto Rodulpho, & pro tempore Judice eis, ut præfertur, deputato, & ſeu deputan. trahi, aut vocari, nec moleſtari, aut conveniri, cauſæque coram ipſo pro tempore introductæ, ab eo avocari, nec illi, minuſve partibus inhiberi poſſit.

*Facultas procedendi, quacumque alterius inhibitione non attenta.*

§. 5. Decernentes & volentes motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, quod idem Rodulphus, & pro tempore Judex, quacumque reaſſumptione ab eiſdem ſupradictis & aliis quibuſcumque quomodocumque per quoſcumque Judices facta, & inhibitione, ſub quibuſvis cenſuris & pœnis emanata non obſtan. poſſit, & valeat ad ulteriora in cauſis prædictis, uſque ad illarum finalem expeditionem & executionem, abſque alicujus pœnæ, aut cenſuræ incurſu, aut ſpolii, ſeu attentatorum vitio procedere, & exequi facere.

*Clauſula huius conceſſionis præſervativa.*

§. 6. Præſentes quoque deſuper conficiendas litteras, etiam ex eo quod d. Gubernatoris, & aliorum Tribunalium ſupradictorum Notarii, Montiſtæ, aut alii intereſſe haben. ad hoc vocati non fuerint, nec præmiſſis cõſenſerint, aut aliàs de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu, nullo unquam tempore argui, notari, vel impugnari, aut alias ad viam juris reduci poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, & quoties revocatæ, ſeu reductæ forent, toties in priſtinũ ſtatum reſtitutas, & redintegratas exiſtere, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarũ revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per nos, vel alios Romanos Pontif.

prædeceſſores, ſeu ſucceſſores noſtros, ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus & formis, etiam motu & ſcientia ſimilibus pro tempore factis & faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & ſuum plenarium effectum ſortiri debere.

*Clauſula ſublata.*

§.7. Sicque per quoſcúque Judices,& dicti Apoſtolici Palatii Auditores, & S.R.E. Cardinales,ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria contrariorũ.*

§.8. Non obſtan. præmiſſis, ac quarumcumque Congregationum, Societatum, Confraternitatum, Monaſteriorum, Prioratuum, Cœnobiorum, Militiarum, Hoſpitalium, Conventuum, Religionum, Ordinum, & Eccleſiarũ, & aliorum piorum locorum hujuſmodi, necnon dictæ Urbis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & cóſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. Vicario, Gubernatori, & Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus dictæ Urbis, & aliis quibuſcumque Judicibus, & Notariis prædictis, ex quibuſvis aliis, illis & ſingulis illorum, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, necnon quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, etiãſi in eis expreſsè caveatur, quod illis derogari nequeat, niſi derogationes hujuſmodi, & cauſæ in eis forſan expreſſæ ſpecialiter insererentur, ac de conſenſu Superiorum, Monaſteriorum, Ordinum, Congregationum & aliorum piorum locorum, aut Judicum & Notariorum hujuſmodi fierent, aut aliàs factæ derogationes hujuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus & ſingulis, etiãſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idẽ importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permãſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie pari motu ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et quod prædicta donatio inſinuari non debeat, nec minus præſentes in Camera noſtra præſentari & regiſtrari debeant, non obſtantibus conſtitutionibus Pii Quarti de regiſtran. quibus quoad hoc derogamus.

*Exemplorum fides.*

§.9. Volumus autem quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, ac manu unius ex adminiſtratoribus & notariis domus, ſeu Collegii hujuſmodi pro tempore exiſtentis ſubſcriptis, & ſigillo dictæ domus munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 24. Oct.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Octobris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, Pontificatus noſtri anno quarto.

## XXXVI. Approbatio Indicis librorum prohibitorum à Pio IV. jam confirmati, & nuper ſuppleti. Et facultas Cardinalium Congregationis ſuper Indice decidendi dubia deſuper emergenda, cum innovatione aliorum indultorum eis competentium.

*Hunc indicem habes in fine Concilii Tridentini, & ſupplementum habes in libello juſſu iſtius Pontificis mox impreſſo.*

Super hoc Indice Congregationem Cardinalium inſtituit Sixtus V. cum ampliſſimis facultatibus, ut in ejus conſtit. 74. fol. 464. Immenſa, Congregat. 7. fol. 465. lib. 2. ubi notavi.

Libros prohibitos habendi, ſeu legendi licentias quomodolibet, & quibuſvis conceſſas, revocarunt Greg. XV. in conſtit. 40. Apoſtolatus, inf. tom. 4. & S.D.N. Urban. VIII. in conſt. 114. Apoſtolatus, d. tom. 4.

*Edita A. D. 1595.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

SAcroſanctum catholicæ fidei depoſitum, ſine qua Deo placere, aut æternam ſalutem conſequi nemini licet, ut ſalvum in Eccleſia Dei perpetuò conſervaretur, poſteriſque inviolatum traderetur, paſtoralis Romanorum Pontificum vigilantia ſummo ſemper ſtudio & contentione laboravit. Ipſi enim à CHRISTO Domino, hujus tam pretioſi depoſiti auctore, & illud fideliter cuſtodiendi, & bonum ſemen patrisfamilias ab inimici hominis zizaniis diſcernendi, & Eccleſiam ſalutari doctrina ædificandi, præcipuam curam, ſummamque poteſtatem, in beatiſſimo Petro Apoſtolorũ Principe acceperunt. Quocirca ſanctæ mem. Gelaſius Primus, & Gregorius Nonus, aliique complures Romani Pontifices prædeceſſores noſtri zelo zelati pro domo Domini exercituum, ut hanc fidei, catholicæ doctrinæque integritatem ſalvam incorruptamque in Eccleſia Dei retinerent, Apoſtolici animi magnitudine pro muro domus Iſraël, adverſus ejuſdem fidei hoſtes, ſeipſos opponentes, ne illorum dolis & inſidiis imprudentes & ſimpliciores homines caperentur, lucem à tenebris, prava à rectis ſejunxerũt, quæ ſequenda, quæ cavenda eſſent, Chriſti fidelibus declararunt, probatos, laudabiles, orthodoxos libros ab adulterinis, perniciosis, & apocryphis ſingulari diligentia diſtinxerunt, poſtremò hæreticorum impia dogmata, & noxia, ac venenata ſcripta, Conciliorum decretis, Pontificiis conſtitutionibus, aut alio opportuno cenſuræ genere condemnarunt.

*Concilium Tridentinũ, hũc indicem confecit, & Pio IV illius approbationẽ remiſit, ut legitur in d. Concilii.*

§. 1. Sed cùm noſtris hiſce calamitoſis, & noviſſimis temporibus antiquus humani generis hoſtis à ſua malitia nunquam recedens, ad eandem Catholicam doctrinam & veritatem labefactandam, peſtiferas hæreſes, & deteſtabiles errores, aut novos conflaſſet, aut veteres ex inferis excitaſſet, ſacra Tridentina Synodus peſtilentem noxiorum librorum copiã, quæ plus nimio excreverat, cóercere atque auferre cupiens, primùm quidem doctiſſimos aliquot viros delegit, qui de tota ea re cognoſcerẽt & deliberarent, deinde verò, cũ ii in negotio non parũ progreſſi eſſent, juſtis de cauſis eadem Synodus permota, ad ipſam Apoſtolicam Sedem integram rem deferendam ſtatuit.

*Pius IV. approbavit in Conſtit. 76. Dominici, fol. 82.*

§. 2. Itaque fel. rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter, qui tunc ad Eccleſiæ gubernacula ſedebat, Prælatis quibuſdam doctrina & prudentia præſtantibus adhibitis, Indicem librorum prohibitorum, & Regulas quaſdam, per ſuas litteras in forma Brevis promulgavit, & ejuſmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportunè providit. Ceterùm, licèt illa pro temporis ratione prudenter fuerint tunc conſtituta, tamen cùm Satanæ aſtutia in hujuſmodi librorum editione nova in dies mala creſcerent; nam poſt illud tempus alii etiam libri pernicioſi, partim conſcripti atque editi, partim qui ſcripti erant, & antea delituerant, in medium prodiere, quorum lectione ſimpliciores & incauti homines, in errores induci facilè poterant. Propterea piæ mem. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, multis illuſtratis, atque ad regulas adjectis neceſſariis rebus, mandavit ut nonnulli alii ejuſdem generis libri eidem Indici adderentur.

*Sixt. V. alios Libros addi iuſſit, ſed re infecta obiit, & iſte Pont. perfecit.*

§. 3. Verùm cum idem Sixtus, re minimè abſoluta, ab humanis exceſſerit, Nos animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, conſulentes, quod jampridem utiliter cœptum, & à multis diu deſideratum erat, hoc tempore omninò perficiendum, atque in lucem edendum duximus. Venerabili igitur fratri noſtro Marco Antonio Epiſc. Præneſtino de Columna, & dilectis filiis noſtris Auguſtino S. Marci, de Verona, Simeoni S. Anaſtaſiæ, de Terranova, Hieronymo S. Mariæ ſuper Minervam, Aſculano, Federico S. Mariæ Angelorum in Thermis, Borromæo, Franciſco S. Mariæ Tranſpontinæ, Toleto titulorum Presbyteris, necnon Aſcanio S. Mariæ in Coſmedin, de Columna Diacono Cardinalibus, ſuper hujuſmodi Indice per nos deputatis, aliiſque piis & eruditis viris in conſilium adhibitis, ea omnia ac ſingula, quæ à Sixto V. ut ſupra diximus, inſtituta erant, diligenter examinanda commiſimus, quæ cùm magno ſtudio viſa, ac Deo favente, demum abſoluta fuerint.

*Et modò approbat.*

§. 4. Nos tam eandem Pii prædeceſſoris conſtitutionem & indicem, ac Regulas, quorum omnium tenores haberi volumus pro expreſſis, quàm hæc ipſa illis addita, prout inferiùs deſcripta ſunt, omnia & ſingula, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, atque ab omnibus, tam univerſitatibus, quàm ſingularibus perſonis

ubique

ubique locorum exiſtentibus, ſub eiſdem pœnis in dicta Pii conſtitutione contentis obſervari præcipimus & mandamus. Quo autem facilius negotium, cum prohibitionis, tum expurgationis & impreſſionis librorum peragatur, eas omnes facultates, privilegia, & indulta, quæ rec. mem. Pius V. Magiſtro ſacri Palatii primùm, deinde Gregor. XIII. & Sixtus V. Cardinalibus Congregationis prædictæ conceſſerunt, quorum tenores hic volumus haberi pro expreſſis, confirmamus, & quatenus opus eſt, innovamus in his omnibus, quæ additis in hoc Indice non adverſantur.

*Dubia ſuper ea emergentia deciſioni Congregationis remittit.*

§. 5. Volumuſque propterea ac decernimus, ut ſi quæ in poſterum dubitationes, aut controverſiæ circa ipſum Indicem, illiuſque regulas, aliaque illis addita emerſerint, ad Congregationem ſupradictorum Cardinaliũ, ſeu aliorum qui pro tempore ſuper Indice hujuſmodi deputati fuerint, referantur, & ex ſententia eorumdem Cardinalium nobis, aut Succeſſoribus noſtris, ſi rei gravitas id poſtulaverit, conſultis, declarentur, & decidantur, quorũ auctoritatem tum permittendis, tum prohibendis, expurgandis, & imprimendis libris, aliiſque ad eam rem pertinentibus explicandis, volumus eſſe præcipuam, atque ita mandamus ab omnibus venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, & dilectis filiis Inquiſitoribus, Univerſitatibus, Magiſtris, Doctoribus, Bibliopolis, impreſſoribus, Mercatoribus, Gabellariis, ceteriſque omnibus cujuſcumque gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticis, ſæcularibus, vel regularibus, quàm laïcis quocumque honore vel dignitate præditis, inviolabiliter obſervari.

*Contrariis derogat.*

§. 6. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſvis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſt. ſub quibuſcumque tenoribus & formis in contrarium præmiſſorum cõceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & ad verbum inſerta mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemplis credi mandat.*

§. 7. Decernentes earumdem præſentium exemplis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Prælati alicujus Eccleſiaſtici obſignatis eamdem haberi fidem, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 17. Octob.*

Dat. Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 17. Octob. 1595. Pontificatus noſtri anno quarto.

---

XXXVII. Quod in crimine aſſaſſinii contra perſonas Eccleſiaſticas declaratio ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum, & contra Milites, aliaſque perſonas Conventus & Hoſpitalis S. Joan. Hieroſolymitani, pertineat ad eorum Superiores, adjuncto Epiſcopo loci, antequam Judices ſæculares aliquam declaratoriam deſuper ferant, vel ad pœnarum executionem deveniant.

*Cætera de hac Militia & Religione plenè ibi indicavi ſup. in conſtit. 2. Anaſt. IV. Chriſtiana, fol. 60. lib. 1.*

*Edita A. D. 1595.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ne Judices ſæculares in perſonas Eccleſiaſticas ultra quàm deceat manus extendant.*

§. 1. ÆQua & circunſpecta Romani Pontificis providentia, inter cætera quæ ei divinitus incumbunt onera, illud etiam ſollicitè proſpicere, & cavere debet, ne ſæculares Judices in perſonas Eccleſiaſticas, & præſertim Hoſpitalis S. Joan. Hieroſolymitani, pro fidei catholicæ adverſus Chriſtiani nominis hoſtes defenſione aſſiduè laborantes, ſub prætextu criminis aſſaſſinii, ultra quàm deceat, manus extendant.

*Utque Milites Religioſi ſuis privilegiis perfruãtur.*

§. 2. Propterea Nos pro paſtoralis Officii noſtri munere, his malis, atque incommodis, quæ de cetero evenire poſſent, opportuna ratione obviare volentes, & ut Milites Religioſi, ac perſonæ Hoſpitalis prædicti in ſuis immunitatibus & privilegiis, ut par eſt, conſerventur illæſi, Motu proprio, non ad ipſius Religionis, aut alicujus pro ea nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

*Decernit declarationem criminis aſſaſſinii ad Iudicem Eccleſiaſt. pertinere.*

§. 3. Hac noſtra perpetuis futuris temporibus valitura conſtitutione decernimus, declarationem criminis aſſaſſinii ad Judicem Eccleſiaſticum omninò pertinere.

*Et quoad hos Milites ſpectare ad eorum Superiores, adjuncto loci Epiſcopo.*

§. 4. Ideoque omnibus & ſingulis quarumcumque Civitatum, Provinciarum, Terrarum, Regnorum & Dominiorum Curiis, Tribunalibus, Magiſtratibus, necnon Gubernatoribus, Poteſtatibus, Officialibus, Miniſtris, ceteriſque perſonis quacumque etiam Regali, Imperiali, & alia auctoritate & poteſtate fungentibus & functuris auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtrictè prohibemus, atque interdicimus, ne ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi queant, aliiſque pœnis noſtro & ſucceſſorum noſtrorum pro tempore exiſtentium arbitrio infligendis, & per quemcumque eorum ipſo facto, & ipſo jure, ſine aliqua declaratione incurrendis audeant, vel quoquo modo præſumant ex nunc de cetero in perpetuum contra aliquos dicti Hoſpitalis Fratres, Milites, ac Religioſos, donatos, familiares, ſervitores, necnon presbyteros ſeculares eorum Eccleſiis inſervientes, dum eis inſerviunt, & alias quaſvis perſonas dicti Hoſpitalis declaratoriam aliquam ſententiam ferre, quod aſſaſſinii crimen commiſerint, neque ad pœnarum executionem devenire, niſi prius per Superiores eorum, adjuncto ſibi loci Epiſcopo, declaratum fuerit eos tale aſſaſſinium commiſiſſe, non obſtante quavis etiam antiquiſſima & immemorabili conſuetudine in contrarium forſan quomodolibet vigente.

*Clauſ. ſublata, &c.*

§. 5. Decernentes quoque ſic in præmiſſis omnibus per quoſcumque Judices & Commiſſarios Eccleſiaſticos & ſæculares, quavis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia auctoritate & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.*

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore juris clauſis, necnon ſtatutis, legibus, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis hujuſmodi Curiis, Tribunalibus, Magiſtratibus, & aliis ſupradictis, eorumque Judicibus, ac aliis Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica & individua mentio facienda eſſet, illorum hujuſmodi tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſimè hac vice ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§. 7. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 8. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Decemb. 1595. Pontific. noſtri anno quarto.

---

Approbatio Pontificalis Romani, pro ceremoniis, & ritibus per Eccleſiæ Catholicæ Pontifices obſervandis nuper reſtituti. Abolitioque aliorum omnium Pontificalium. XXXVIII.

*Edita A. D. 1596.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

EX quo in Eccleſia Dei multa tum à ſacris Conciliis, tum à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ad Dei gloriam augendam, & ad Catholicæ fidei unita

unitatem ubique retinendam, piè ac ſapienter inſtituta ſunt, nihil magis iidem Pontifices prædeceſſores noſtri curandum ſibi eſſe ſtatuerunt, quàm ut communes Eccleſiaſtici muneris rationes ad propriam normam, ſervata antiquitatis auctoritate revocarent.

*Pius V. Breviarium, & Miſſale reſtituit, ut ſuprà, fol. 196. & fol. 235. lib. 1. in conſtitut. 63. & 106.*

§. 1. Hac ſolicitudine impulſus felic. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, formulam primùm pſallendi horas canonicas, & celebrandi Miſſas, variè prius conſtitutam, & à nonnullis prædeceſſoribus noſtris reſtitui & inſtaurari cœptam, ad unam pariter formam, Romano Breviario, ac Miſſali propterea ſummo ſtudio, ac diligentia edito redigendam curavit.

*Alii Pontif. Pontificale ediderunt, ſed eius forma immutata fuit.*

§. 2. Atque hoc ſanè conſilio alii Romani Pontifices, qui eumdem Pium præceſſerunt, Pontificales etiam ceremonias ac ritus, quibus ejuſdem Catholicæ Eccleſiæ Præſules in ſuorum munerum functione uterentur, certis ſimiliter forma & modo præfinitis, in Romanum Pontificale retulerunt.

§. 3. Ceterùm, quia eædem ceremoniarum, ac rituum formulæ ibi expreſſæ, poſtea, ſive diuturnitatis injuria, ſive Typographorum negligentia, ſive alia de cauſa, in ipſo Pontificali partim immutatæ, partim corruptæ, veteris inſtituti; atque auctoritatis gratiam magna ex parte amiſerant, idcircò neceſſaria res viſa eſt, ut eædem formulæ in ſacris Præſulum Eccleſiaſticorum muneribus ſervandæ, recuperato prioris integritatis ſtatu, omninò reſtituerentur, & ab omnibus præſcripta firma aliqua ratione obſervarentur.

*Illud ergo iſte Pontif. revideri, & reformari fecit, edique Romæ & divulgari juſſit.*

§. 4. Nos igitur ad ſummum Apoſtolatus apicem, meritis licèt imparibus evecti, prædictorum Romanorum Pontific. prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, omni cura, & ſolicitudine adnitendum nobis eſſe duximus, ut errores qui quidem nec pauci, nec leves in idem Pontificale depravatis paſſim locis irrepſerant, quamaccuratiſſimè tollerentur. Idem enim Pontificale corrupti & mendoſi voluminis ſpecié adeò præſeferebat, ut (multis dictionibus hinc inde partim in unam contractis, partim una in plures diſtincta, partim iiſdem malè ac perperam collocatis & trajectis, partim denique ipſo orationis ſenſu mutato) dubium eſſet, quibus tandem officiis, vel laudibus iidem Eccleſiæ Præſules divinum numen proſequerentur, præterquam quod in rubricis, etiam ſparſim turbata ordinis ſerie diſpoſitis, tanta erat varietas & obſcuritas, ut multis in locis recténe ſe haberent, opinione magis quàm judicio eſſet ſtatuendum. Hanc ergo ad rem, tam cum Eccleſiæ cultu officioque noſtro conjunctam, tamque eorum, qui pro impoſiti oneris debito, ſacris Eccleſiæ muneribus vacare debent, concordiæ & unitati congruentem, examinandam & abſolvendam piis quibuſdam atque inſignibus viris diu, multumque in Pontificalibus ceremoniis & ritibus verſatis negotium dedimus, dictum Pontificale undequaque corrigendi & reſtituendi, necnon quæcumque ad exactam illius editionem ſpectare viderentur, perquirendi, & præſtandi. Cumque apud eos paterna hortatione ad hoc opus maturandum quotidie ferè uteremur, re tota tandem ad nos perlata, & in hanc, quæ nunc editur, formam redacta, ſingulari Dei benignitate; neque enim aliter accipimus, Pontificale Romanum tandem reſtitutum, & abſolutum eſt, atque ita ex omni parte diſpoſitum, quod ii etiam qui negotio ac muneri huic præfuere, confirmarunt, ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus Urbis Eccleſiis, tum in noſtra Vaticana Bibliotheca, ac denique in quibuſdam aliis inſignibus locis aſſervantur, alienum, aut diſcrepans irrepſerit. Ad quam operam in vetuſtis libris inter ſe conferendis ſtrenuè, ac fideliter navatam, id commodi quoque acceſſit, quod ii, qui ea in re induſtriam collocarunt, ex graviſſimis ſcriptoribus eos demum auctores, qui omnium probatiſſimi haberentur, ſecuti fuerint, quodque ambiguis omnibus ac dubiis rebus prætermiſſis, eas dumtaxat, quæ eſſent in veteris Pontificalis ſumma comprehenſæ delegerint, iis tamen exceptis, quæ ad Romanum Pontificem attinebant, quòd nimirum in Ceremoniali S. R. E. ſunt expreſſæ. Ex rubricis verò, multis detractis, quæ exactiore methodo in librum ceremoniarum Epiſcoporum ſunt relata, pleriſque etiam, uti neceſſitatis ratio poſtulabat, adjectis, & præterea non paucis quibuſdam in melius commutatis, clariuſque expoſitis, ac denique cantu plano in aptiorem modulationis formam (*permultis ſyllabis, pro temporum natura, ubi ratio eas produci & corripi poſtulabat, contra quàm prius in antiquo Pontificali expreſſum erat, magis appoſitè extenſis vel contractis*) à viris ejus rei peritis, ad hoc juſſu noſtro delectis, diligenter redacto, opus jam abſolutum probavimus, & Romæ edi, editumque divulgari mandavimus.

*Et modò obſervari præcipit, & alia prohibet.*

§. 5. Ut autem ipſius operis labor finem eum ob quem eſt ſuſceptus ſortiatur, utque poſthac in omnibus & ſingulis Eccleſiis, uno eodemque modo ceremoniæ, & ritus Pontificales obſerventur, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula Pontificalia in hunc uſque diem in quibuſcumque terrarum orbis partibus impreſſa & approbata, & quibuſvis privilegiis Apoſtolicis munita, & decretis ac clauſulis roborata, per præſentes ſupprimimus & abolemus, eorumque uſum in poſterum univerſis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, & locis, atque etiam omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ceteriſque omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus utriuſque ſexus interdicimus & prohibemus, & hoc noſtrum Pontificale ſic reſtitutum & reformatum in omnibus univerſi terrarum Orbis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus & locis, etiam exemptis, ſi quæ ſunt, recipi & obſervari præcipimus.

*Immutari prohibet.*

§. 6. Statuentes Pontificale prædictum nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omninò detrahendum eſſe, ac quoſcumque, qui Pontificalia munera exercere, vel aliàs quæ in dicto Pontificali continentur facere, aut exequi debent, ad ea peragenda & præſtanda ex hujus Pontificalis præſcripto, & ratione teneri, neminemque ex iis quibus ea exercendi & faciendi munus impoſitum eſt, niſi formulis, quæ hoc ipſo Pontificali continentur, ſervatis ſatisfacere poſſe.

*Introductionem demandat.*

§. 7. Omnibus igitur & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & cæteris Eccleſiarum Prælatis, necnon aliis quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus utriuſque ſexus, ad quas id ſpectat, præcipimus ac mandamus, ut omiſſis quæ ſic ſuppreſſimus & abolevimus, ceteris omnibus Pontificalibus hoc noſtrum in ſuis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, diœceſibus, & locis prædictis recipiant, illoque poſthac perpetuò utantur.

*Juſſio pu... hanc bu...*

§. 8. Ceterùm, ut præſentes literæ omnibus pleniùs innoteſcant, mandamus illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancell. Apoſt. & in acie campi Floræ publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumuſque præterea, & motu atque auctoritate ſimilibus decernimus, ut qui in Romana Curia ſunt præſentes, lapſis duobus menſibus, qui verò intra montes, octo, & qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integrè excurſis, vel aliàs ubi venalium hujus Pontificalis voluminum notitiam & facultatem habuerint, ſacras ceremonias & ritus in eodem Pontificali præſcriptos, juxta illius modum, & normam, in quibuſcumque actibus exercere & obſervare teneantur.

*Exemp... credi jube...*

§. 9. Ipſarum autem literarum exempla, manu Notarii publici, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, aut illiùs Curiæ obſignata, vel in ipſis voluminibus, abſque prædicto vel alio quopiam adminiculo Romæ impreſſa, eam ubique locorum & gentium fidem faciant, quam præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. ... die 10. Fe...*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die decima Februarii 1596. Pontificatus noſtri anno quinto.

*Publicati...*

*Anno à Nativitate Domini* 1596. *indict.* 9. *Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Papa VIII. anno quinto, retroſcripta litera Apoſt. affixa & publicata fuerunt in valvis Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellaria Apoſtolica, & acie Campi Flora, ut moris eſt, per nos Catherinum Menandi Apoſtolicum Curſorem.*

*Ioſephus Spada Mag. Curſ.*

De

XXXIX. **De executione Concilii Tridentini contra Regulares non ſubditos Epiſcopo, extra clauſtra notoriè delinquentes. Et de pœnis eorum Superiorum illos punire negligentium.**

*De materia autem extra clauſtra vagantium & apoſtatarum, plenè notavi ſuprà in Pauli IV. conſtitut.14. Poſtquam, fol... Et ad iſtam conſtitutionem confert alia conſtitut.34. Pauli V. incipiens Religioſorum.*

Contra Regulares apoſtatas, & ejectos nonnulla ſtatuit S. D. N. Urban. VIII. ut in conſtitut.26. Sacra, infrà tom. 4.

*Edita A. D. 1596.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

SUſcepti muneris ratio poſtulat, ut ea, quæ in ſacro Tridentino Concilio providè conſtituta ſunt, ab iis ad quos ſpectat, inviolate obſervari curemus.

*Concil. Trid. ſeſſ. 25 c. 4. juſſit religioſum extra clauſtra notoriè delinquentem certo modo puniri.*

§. 1. Maturo ſanè conſilio ipſius Concilii decreto proviſum eſt, ut quicumque Regularis non ſubditus Epiſcopo, intra clauſtra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo ſuperiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniatur, & ſuperior de punitione Epiſcopum certiorem faciat; ſin minus, ipſe à ſuo item ſuperiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

*Sed executio d. Concilii deſcribat ex cauſis hic expreſſis.*

§. 2. Verùm quia experientia compertum eſt, interdum in hujuſmodi decreti executione nimis remiſsè procedi, cum enim Epiſcopus inſtat, aliquem regularem, eo quo ſupradictum eſt modo delinquentem, à ſuo ſuperiore puniri, ſæpè fit, ut ſuperior regularem delinquentem ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi diœceſim, ex induſtria impunitum tranſmittat, atque etiam ipſe aliquando ad alias provincias ſe conferat, nec ulterius ſuper delinquentis exceſſibus inquirat, ut de ejus punitione Epiſcopum certiorem reddat. Unde nec regularis delinquens tunc ab Epiſcopo puniri poteſt, cum extra ipſius diœceſim exiſtat: nec ſuperior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur.

*Hic ergo Pont. præſcribit normam, qua d. Concilii decretũ exequi debeat.*

§. 3. Nos pro paſtorali noſtra ſolicitudine præfati decreti executioni, quantum cum Domino poſſumus, favere, & præmiſſis malis, ut par eſt, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium prædicti Concilii interpretum ſententia, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, ~~ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine~~, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnibus, & ſingulis cujuſcumque Ordinis & inſtituti Regularium, etiam mendicantium ſuperioribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis præcipimus & mandamus, ut juxta prædictum decretum quilibet ipſorum regularem non ſubditum Epiſcopo, intra clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipſum in omnibus & per omnia exequatur. Cæterùm, ſi ſuperior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimmò ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca, extra Epiſcopi diœceſim, ut præfertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu atque auctoritate decernimus, ut ſuperior inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum & officiorum obtentorum, necnon & ſub inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, ac ulterius privationis activæ, & paſſivæ vocis, ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtente reſtitui poſſit, ipſo facto ſimiliter incurrendis pœnis, ipſum regularem delinquentem à loco ad quem tranſmiſſus fuit, revocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quod ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, ut Ordinarius loci ad quem regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, aut aliàs de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prædictum Concilii decretum omninò exequi, & in regularem delinquentem ſeverè animadvertere poſſit & debeat.

*Et iſta, & non aliàs judicari poſſe decernit.*

§. 4. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſulaſque contrariis derogatorias apponit.*

§. 5. Non obſtantibus quibuſvis eorumdem Ordinum vel inſtitutorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Formam & effectum publicationis addit.*

§. 6. Ut autem præſentes literæ omnibus ſupradictis innoteſcant, mandamus illas ad valvas Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, & publicari, volumuſque poſt quindecim dies eos qui in Urbe ſunt, qui verò extra eam, & citra montes, intra quatuor, qui demum ultra montes erunt, intra octo menſes à die publicationis hujuſmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Fidemque tranſumptis dari præcipit.*

§. 7. Ac earumdem præſentium literarum exemplis, etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ obſignatis, eandem fidem in judicio & extra illud haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.*

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, voluntatis, decreti & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c.

*D. P. An. 5. die 25. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnat. Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, ſeptimo Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno quinto.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini 1596. indictione 9. die verò 18. Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ VIII. anno ejus quinto, retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, per nos Ioſephum Spadam, & Ludovicum Maſſarutium Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.*

*Gabriel Savarellus Mag. Curſ.*

**Moderatio bullæ Sixti V. contra Clericos malè promotos, & eos promoventes editæ, cum præſervatione pœnarum ibidem ſimoniacè ordinantibus inflictarum.** XL.

*Hæc conſtitutio eſt num.91. ſupr. fol... lib. 2. Sanctum, ubi alia de hac materia indicavi.*

Noviſſimam contra malè ad ſacros, vel minores Ordines, ſeu Clericalem characterem ordinantes, & malè ordinatos, edidit ſanctionem S. D. N. Urban. VIII. ut in conſt.33. Secretis, infrà tom. 4.

*Edita A. D. 1595.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmanum Pontificem decet, ea quæ ob juſtas cauſas interdum ſtatuta ſunt, cùm ipſa rerum experientia ſuadet, moderari, & immutare, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire.

*Sixti V bulla eſt hîc citata.*

§. 1. Alias ſanè emanarunt literæ felic. record. Sixti PP. V. prædeceſſoris noſtri, contra Clericos malè promotos, ac in Epiſcopos in Ordinum collatione peccantes, tenoris, &c.

Omittitur inſertio bullæ, quoniam eam habes in loc. cit. in rub.

*Moderatio d. conſt. Sixti V.*

§. 2. Nos animadvertentes in dictis literis nihil

*ejuſque reductio ad terminos ſacrorum canonum, & bulla Pii II. & Concilii Trid.*

ferè quoad ea quæ in ordinum collatione ſervanda ſunt, diſponi ultra id quod in ſacris Canonibus, & in Concilii Tridentini decretis, ac aliorum Romanorum Pontif. prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diverſas pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Prælatos in ordinum collatione peccantes, & ſimiliter contra clericos, tam ſæculares quàm cujuſvis Ordinis, inſtituti, & militiæ regulares malè promotos conſtitui, abſolutionemque & diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſervari, & alias ſicut in præfatis literis continetur. Conſiderantesque tam promoventes quàm eos qui ad dictos ordines promoventur, ſæpè cenſuris & pœnis hujuſmodi, ob illarum multiplicationem in eorum perniciem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex Prælatis & Epiſcopis in conferendis hujuſmodi ordinibus nimis ſcrupulosè procedere, multoſque metu pœnarum, & cenſurarum præfatarum ab Ordinum collatione prorſus deterreri, adeò ut clericorum & ſacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus ſit, omnium in præmiſſis ſecuritati, ac animarum ſaluti paterna charitate proſpicere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſupradictas literas ad terminos ſacrorum canonum, ac conſtitutionis recol. mem. Pii Papæ II. etiam prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Cum ex ſacrorum ordinum, ſub dat. videlicet quintodecimo Kal. Decembris, Pontificatus ſui Anno quarto, cujus tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem decretorum ſacri Tridentini Concilii reſtringimus, & reducimus, necnon cenſuras & pœnas in eiſdem Sixti literis contra quoſcumque, præterquam contra ſimoniacè ordinantes, & ordinatos inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere (aliis etiam pœnis, & cenſuris per eoſdem canones, ac conſtitutionem Pii II. Conciliumque Tridentinum injunctis ſalvis & firmis remanentibus) moderamur & abolemus.

*Clauſ. ſublata.*

§. 3. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.*

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides exemplorum, & Sanctio pœnalis.*

§. 5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum, &c.

*Dat. P. A. 5. die 28. Febr.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimoquinto, pridie Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno quinto.

## XLI. Inſtitutio Congregationis ſuper Baronibus Status Eccleſiaſtici, cum juriſdictione eorum Caſtra & bona, etiam fideicommiſſis ſubjecta, diſtrahendi pro ſatisfactione ſuorum creditorum.

*Quod autem Barones iſti teneantur eorum Vaſſallos ab obligationibus pro eis contractis liberare, juſſit Pius IV. in conſtitut. 18. Quia, fol. 22. lib. 2. ubi notavi.*

*Edita A. D. 1595.*

*CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

Juſtitiæ ratio, & publicæ fidei cauſa poſtulat, ut eorum qui pecunias noſtris, & S. R. E. ſubditis crediderunt, ſeu quibus aliquid ab eiſdem quavis occaſione vel cauſa debetur, indemnitati pro munere noſtro, opportuno remedio conſulamus.

*Cauſa huius inſtit.*

§. 1. *Cum igitur multorum querelis jamdiu ad nos perlatum ſit, & quotidianis expoſtulationibus perferatur*, nonnullos Barones & Domicellos, noſtros, & S.R.E. ſubditos, tam in Urbe ejuſque diſtrictu, quàm in univerſo ſtatu noſtro Eccleſiaſtico exiſtentes, contracto variis de cauſis ære alieno, nullam prorſus inire rationem illud diſſolvendi, immò nec annuas fructuum præſtationes idcircò debitas, maximo creditorum incommodo, perſolvere, ipſoſque adeò creditores, dum eorum credita à dictis Baronibus, & Domicellis exigere conantur, magnos ſumptus facere, & variis litibus implicari, & nihilominus credita ipſa nullo modo conſequi poſſe, fidejuſſores etiam, qui pro eiſdem Baronibus & Domicellis ſeſe, & bona ſua quoquo modo obligarunt, ab eorum obligationibus minimè poſſe liberari. Præterea, licet alias ad eorumdem Baronum & Domicellorum res aliquo pacto ſublevandas, à nonnullis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ac etiam forſan à nobis ex ſpeciali gratia conceſſa fuerit facultas, quoſdam pecuniarum Montes ſuper eorum Civitatibus, Terris, Caſtris, Caſalibus, & aliis bonis ſtabilibus, ad diverſas ſummas aſcendentes erigendi, cum obligatione etiam per ipſos Barones facta, fructus hoc nomine ſingulis annis conventos ſolvendi, ac certis modo, & forma Montes erectos intra præſcriptum tempus extinguendi, eos tamen qui pecunias in dictis Montibus poſuerunt, hactenus annuas fructuum præſtationes à nonnullis ex dictis Baronibus, & Domicellis conſequi non potuiſſe, neque adhuc poſſe, ac præterea aliquos etiam Barones & Domicellos, eoſdem Montes, vel eorum partem, juxta eorum obligationem ſtatuto tempore non extinxiſſe, nec forſan ulterius de illorum extinctione cogitare, quo fit, ut iidem creditores, ſub fide publica hactenus magno detrimento affecti fuerint, & in dies magis, ac magis afficiantur.

*Inſtitutio Congregationis pro ſatisfactione creditorum cujuſcumque Baronis, iis modis, videlicet.*

§. 2. Nos hiſce malis pro officii noſtri munere occurrere, & debitæ ſupradictorum creditorum (inter quos plerique pauperes, complures etiam pupilli, & viduæ ſunt) ſatisfactioni expedita aliqua ratione providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Dilectum filium noſtrum Bartholomæum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconũ, Cardinalem Cæſium nuncupatum, necnon dilectos filios Tiberium Ceraſium Cameræ Apoſtolicæ Clericum, Paulum Coperchium Fiſci, & dictæ Cameræ Advocatum, Paulum Æmilium Zacchiam ejuſdem Cameræ Commiſſarium generalem, ac Rodulphum Bonfiolum, Senatorem Bononien. ad infraſcripta omnia, & ſingula facienda, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium conſtituimus, aſſumimus, & deputamus, ac eiſdem liberam, amplam, & plenam facultatem & auctoritatem concedimus, & impartimur, ut conjunctim omnes, ſeu ſaltem idem Bartholomæus Cardinalis, & major ipſorum pars, omnibus & ſingulis, tam inſtrumentariis, ſive hypothecariis, quàm Chirographariis, ac etiam Legatariis, & ratione mercedis, cibariorum, & veſtiarii, ſeu aliàs quovis modo privilegiatis, vel mercium, ſive aliarum rerum occaſione, aut etiam ex cauſa fidejuſſionum, pro eiſdem Baronibus, ſeu Domicellis, ac pro qualibet ſumma, & quantitate quorumcumque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronum, & Domicellorum, noſtrorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditorum, in Urbe, ejuſque diſtrictu, & in univerſo Statu noſtro Eccleſiaſtico exiſtentium, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, & ordinis fuerint, etiamſi dignitate quacumque Eccleſiaſtica, etiam Cardinalatus honore præfulgeant, aut ipſorum parentum, ſeu anteceſſorum, vel auctorum quorumcumque creditoribus, etiamſi eorum vaſſalli & ſubditi, aut alii quicumque fuerint, qui de ipſorum creditis ex quavis cauſa, & ad quamcumque ſummam, ut præfertur, aſcendentibus, per mandata executiva à quibuſvis Judicibus Urbis, aut alterius loci Status prædicti decreta & relaxata docuerint, ipſaque mandata exhibuerint, quamprimum, abſque ulla dilatione, non obſtantibus quibuſcumque inhibitionibus, dilationibus, ſuperſeſſoriis in forma Non gravetur, aut alias quomodolibet ab iiſdemmet, vel aliis Judicibus, aut etiam forſan à nobis, ſive de ordine, ac mandato noſtro emanatis, & emanandis, quas omnes, & ſingulas ex

nunc

nunc, auctoritate præſentium revocamus, annullamus, & irritamus, infraſcriptis modis & formis ſatisfieri curent, mandent, & cum effectu faciant, videlicet.

*Exhibitis à creditoribus mandatis executivis per Iudices relaxatis contra Barones, Congregatio illa tanquam executor, abſque alia citatione ſuper quibuſcumque eorum bonis & caſtris nomine Cameræ Apoſtolicæ ad commodum creditorum, & ſtatim ceſſet Baronum iuriſdictio & eius exercitium.*

§.3. Prædictorum Deputatorum Congregatio, exhibitis mandatis prædictis, abſque alia citatione, & tela judiciaria, & ſine ulla cauſæ cognitione ſuper veritate crediti, vel diſcuſſione juſtitiæ, aut nullitatis mandatorum relaxatorum, tanquam meri, & puri executores, & propria auctoritate, & mandato, & ſine vitio ſpolii attentatorum, aut nullitatis, omnium & quarumcumque Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, Caſalium, Palatiorum, & aliorum bonorum immobilium, tam in Vrbe ejuſque diſtrictu, quàm alibi ubicumque in noſtro Statu eccleſiaſtico exiſtentium, ad ipſos Principes, Duces, Marchiones, Comites, vel Barones, aut Domicellos quoſcúque, contra quos vel eorum auctores, parētes, & quoſvis anteceſſores, ſeu hæreditaria eorum bona quæcumque mandata hujuſmodi ex quavis cauſa, ut ſupra dictum eſt, relaxata fuerint, vel eorum partem, arbitrio ipſius Congregationis pertinentium, & per eos quocumque titulo habitorum, & quovis modo tentorum, & poſſeſſorum, realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem nomine Cameræ Apoſtolicæ capi, & retineri, ad commodum tamen, & utilitatem eorumdem creditorum per menſem dumtaxat immediatè ſequentem, à die captæ poſſeſſionis, à qua die omnis ipſorum Principum, Ducum, Marchionum, Baronum ſeu Domicellorum, & aliorum prædictorum juriſdictio, & illius exercitium atque adminiſtratio penitus ceſſet & ceſſare debeat, ita quod ipſi non poſſint per ſe vel alios in Civitatibus, Terris, Caſtris, Caſalibus, Palatiis & aliis locis, & bonis prædictis ſeſe ingerere, aut aliquo pacto intromittere, ſed illorum juriſdictio & adminiſtratio penes dictam Congregationem, ſeu perſonas ab ea deputandas remaneat, omninò curent, & re ipſa præſtent.

*Elapſo menſe Civitates & bona eorum ſubhaſtanda proponat, & abſque expenſis plus offerenti deliberet.*

§.4. Quo menſe elapſo, Civitates, Terras, Caſtra, Caſalia, Palatia, & alia bona hujuſmodi ſubhaſtanda proponant, & plus offerenti, omiſſa penitus omni alia ſolemnitate, & ſine ſolita etiam ſubhaſtatione, & deliberatione, per manus Curſorum, ſeu alias fieri conſueta, & abſque illarum expenſis, prævia dumtaxat unius edicti per dies quindecim in locis publicis affixione, ad deliberationem plus offerenti, cum cedula bancharia idonei Mercatoris, ſervata tamen quoad perſonas quæ Civitates, Terras, Caſtra, & alia bona hujuſmodi emere voluerint, forma Conſtitutionis fel. recor. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri, ſuper prohibitione alienandi Caſtra, & alia bona ſtabilia in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentia ſine Sedis Apoſtolicæ licētia, aliis perſonis quàm vaſſallis ejuſdem Status deveniant, illaque & illa deliberent, & vendant, ac inſtrumentum, vel inſtrumenta quæcumque, & alia deſuper neceſſaria, & opportuna, obligando etiam perſonas Principum, Ducum, Marchionum, Baronum & Domicellorum prædictorum, & bona eorum pro evictione, etiam in forma ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ celebrent, & celebrari faciant.

*Pretium inde reductum creditoribus conſignari faciat.*

§.5. Ac pretium inde redigendum, in ſatisfactionem dictorum creditorum, juxta eorum anterioritatem, & potioritatem, recepta prius ab eis jurium ceſſione, ad favorem emptoris, & ſi eidem Cōgregationi viſum fuerit, præſtita etiam ab ipſis idonea cautione, ſeu facta obligatione de eodem pretio reſtituendo prioribus, & potioribus, ad omne mandatum ſui Iudicis conſignent, & conſignari faciant.

*Cam. Apoſt. inter oblatores admittatur.*

§. 6. Inter oblatores autem Cameram Apoſtolicam, ſeu ejus Commiſſarium, ſi offerre voluerit, ad offerendum admittant.

*Oblatore non reperto Camera adiudicet pro pretio æſtimando, & ipſa creditoribus ſatisfaciat.*

§.7. Sed ſi intra dictos quindecim dies nullus oblator reperiatur, tunc Congregatio prædicta Civitates, Terras, Caſtra & alia bona prædicta, eidem Cameræ noſtræ Apoſtolicæ adjudicet, liberet ac vendat, & ipſa Camera noſtra Apoſtolica, prævia æſtimatione, per unum vel plures æſtimatores ab ipſa Congregatione deputandos, pro illo pretio quod æſtimatum fuerit, illas, & illa pro ſe accipere debeat, & de dicto pretio omnino ſupradictis eorum creditoribus ſatisfacere teneatur.

*Subhaſtatio tantū & deliberatio fiat, ſi extrajudicialiter conſtiterit Montem vel cenſum Baronis non fuiſſe debito tempore extinctum, aut fructus non ſolutos, vel alia per eum promiſſa non impleta.*

§. 8. Declaramus autem, ſi inter dictos creditores reperientur aliqui, qui occaſione quorumvis, tam Montium quàm Cenſuum, intuitu ac contemplatione ipſorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Domicellorum, vel eorum auctorum, & prædeceſſorum ſupradictorum, erectorum, & impoſitorum reſpectivè creditores fuerint, & de fructibus idcirco debitis hactenus integrè ſatisfactum non erit, vel in futurum non ſatisfiet, in præmiſſis eum ſervari debere modum & ordinem, ut capta ſummaria informatione, etiam extrajudiciali per dictam Congregationem de lapſu temporis, & de ſatisfactione non ſecuta, abſque ulla, ut dictum eſt, cauſæ cognitione, ad ſubhaſtationem, deliberationem, venditionem & adjudicationem ſupradictarum Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, & bonorum, pretio, ut ſupra æſtimando, modo & forma prædictis, & ulterius ad extinctionem dictorum Montium, & cenſuum, ac ſatisfactionem dictorum fructuum, uſque ad diem dictæ extinctionis decurſorum, ipſa Congregatio omnino deveniat. Idemque ſervari volumus, & mandamus quoad illos Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones & Domicellos, qui licet dictos fructus ſuo tempore quotannis ſolverint, ſupradictos tamen Montes, ut præfertur, erectos, vel cenſus impoſitos, & venditos intra tempora in electione ipſorum Montium, aut in impoſitione, & venditione cenſuum fidejuſſoribus promiſſa, vel aliàs conventa non extinxerint, aut in futurum debitis temporibus non extinguent, ſeu etiam alia pacta in eiſdem Montium erectionibus, & cenſuum impoſitionibus, & venditionibus appoſita, & alias conventa, ſeu in quibuſcumque contractibus, in quibus, ſeu quorum vigore dicti Barones, & Domicelli, aut eorum auctores, ſeu anteceſſores debitores exiſtunt, adjecta non adimpleverint, vel non obſervaverint, aut in futurum nō obſervabunt, ſive adimplebunt, in toto vel in parte, ipſa Congregatio eos dictorum Montium, & cenſuum integram extinctionem, & debiti ſolutionem, ac creditorum ſatisfactionem, etiamſi dies totius Montium, & cenſuum extinctionis, vel debiti ſolutionis non advenerit, cogat & compellat.

*Fidei commiſſa, &c. hæc non impediant.*

§.9. Volumus etiam, & pari motu, ac poteſtate decernimus, Principes, Duces, Marchiones, Barones, & Domicellos ſupradictos, ſeu illorum quoſcumque pro tempore ſucceſſores, ſubhaſtationem, deliberationem, venditionem, & adjudicationem, & alia prædicta impugnare, impedire vel retardare non poſſe, nec adverſus ea aliquo modo ſe tueri, aut pro illorum revocatione quocumque tempore inſtare, etiam ea ratione, vel prætextu, quod ipſi in Caſtris, & bonis prædictis ſint hæredes cum beneficio legis & inventarii, vel non ſuccedant illis qui debita prædicta contraxerunt, ſed quod loca, & bona ſupradicta ex antiquis inveſtituris, conceſſionibus, fideicommiſſis, donationibus, vel ex contractibus etiam ex cauſa dotium, vel quacumque alia de jure privilegiata conſecuti fuerint, vel ad ea vocati ſint, mandatave a Judicibus fuerint tantummodo decreta ſeu relaxata contra bona hæreditaria illorum qui debitum hujuſmodi contraxerunt, dicta bona quovis titulo & modo tenuerint, & poſſederint, ſeu quod ipſi Barones, & Domicelli ſimili modo illa teneant & poſſideant, aut ex eo quod creditores ex cauſa Montium & cenſuum, reſtitutionem ſortis principalis petere non poſſint, ſe à fidejuſſione eximi, quibus, & aliis quibuſcumque allegationibus, ſeu ſubterfugiis non obſtantibus, ad executionem nihilominus ſubhaſtationis, & deliberationis, & aliorum præmiſſorum, ſupradictarum Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum deveniri omnino debeat, illaque robur perpetuæ firmitatis ſortiantur & obtineant.

*Illiſque pleniſſimè derogatur.*

§. 10. Vt autem præmiſſa omnia, & ſingula ad favorem omnium creditorum prædictorum ſtatuta, & diſpoſitata, ſtatim ſine ulla mora, aut aliquo impedimento executioni demandari poſſint, omnibus, & quibuſcumque inveſtituris, conceſſionibus, donationibus, fideicommiſſis, primogenituris & alienandi prohibitionibus, necnon pactis de ſuccedendo, tam in contractibus quàm in ultimis voluntatibus, purificatis, & purificandis ſuper Civitatibus, Terris, Caſtris, Caſalibus, Palatiis, & aliis bonis immobilibus hujuſmodi, per quoſcumque aſcendentes, ſeu collaterales, ac penitus extraneos, ac forſan ipſos etiam Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiā

Motu proprio, & conſiſtorialiter emanatis, & ſub quibuſvis clauſulis, vinculis & cautelis quomodolibet factis, & confirmatis, quorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, ac etiam regulæ noſtræ de non tollendo jure quæſito, Motu ſcientia & poteſtate ſimilibus, pleniſſimè ac latiſſimè derogamus, ac derogatum eſſe volumus.

*Aliaque bona libera Baronum dictis fideicommiſſis ſuppoſita cōſeantur.*

§. 11. *Quod ſi forſan iidem Principes, Duces, Marchiones, Barones, & Domicelli* aliqua alia bona ſtabilia nulli inveſtituræ, conceſſioni, donationi, fideicommiſſo, primogenituræ vel alienandi prohibitioni, aut pacto de ſuccedendo, aliiſque prædictis ſubjecta, vel alias immunia, exempta, & libera quoquo modo poſſederint, nos pari motu, & auctoritate, eadem bona inveſtituræ, conceſſioni, donationi, fideicommiſſo, primogenituræ, prohibitioni, & pacto prædictis in locum bonorum venditorum prædictorum, in omnibus, & per omnia ſubjicimus, ſubſtituimus, & ſubrogamus, & pereandem Congregationem, ſecuta venditione prædicta, ſubjici, ſubſtitui & ſubrogari debere decernimus & mandamus.

*Clauſ. ſublata.*

§. 12. Declarantes nihilominus Civitates, Caſtra, & bona, ſic ut ſupra, vendita & aſſignata, ſemper, & quocumque tempore penes illorum emptores, & Cameram præfatam, ac ſucceſſores eorundem ab omnibus fideicommiſſis, primogenituris, prohibitionibus, pactis, donationibus, necnon nexibus, oneribus, vinculis, hypothecis, obligationibus, ac aliis prædictis libera, & ſemper exempta remanere debere, ita ut nullo unquam tempore prætextu prædictorum fideicommiſſorum, primogenituraruṁ, prohibitionum, pactorum, donationum, nexuum, onerum, vinculorum, hypothecarum, obligationum vel ſucceſſionum, tam ex teſtamento quàm ab inteſtato, emptores, Camera & ſucceſſores prædicti moleſtari, ſeu inquietari quomodolibet poſſint, ſalvis tamen reſponſionibus, canonibus, cenſibus, ratione directi dominii, ſeu cujuſlibet alterius ſuperioritatis, occaſione dictorum bonorum eidem Cameræ debitis.

*Si de pretio quid ſupererit, inveſtiantur, ut hic.*

§. 13. Ceterum volumus, & eidem Congregationi pariter mandamus, ut ſi ex pretio bonorum vigore præſentium vendendorum aliquid ſolutis debitis ſupererit, id quod ſuperfuit, ſi bona vendita alicui fideicommiſſo, prohibitioni, vel alteri cuicūque oneri, ſeu vinculo ſubjecta eſſe conſtiterit, in aliorum bonorum ſtabilium vel locorum Montium non vacabilium, quæ eidem fideicōmiſſo, prohibitioni, oneri, & vinculo in locum bonorum venditorum omninò ſubjaceant, converti curent, & faciant, eorumque fructus ſingulis annis in aliorum ſimilium bonorum vel locorum Montium emptionem inveſtiri debere declarent, & cum effectu inveſtiri faciant, donec ad valorem, & ſummam bonorum venditorum aſcenderint, quæ pariter omnia fideicommiſſo, prohibitioni, oneri ac vinculo hujuſmodi, in omnibus & per omnia, prout bona vendita hujuſmodi antea erant, ſubjecta exiſtant. Si verò bona eadem vendita nulli fideicommiſſo, prohibitioni, ſeu oneri & vinculo obnoxia fuerint, Congregatio ipſa partem quæ ſupererit ex pretio hujuſmodi, ſolutis debitis, ut præfertur, ipſis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Baronibus & Domicellis ſolvi, & conſignari faciat.

*Caſtra per Cameram ſic emenda comprehenduntur per triennium ſub bulla Pii V. quæ eſt 35. fol. 166. lib. 2. tom. 2.*

§. 14. Civitates vero, Terras, Caſtra & loca juriſdictionalia per Cameram Apoſtolicam in vim præſentium emenda, & acquirenda in conſtitutione fel. rec. Pii Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri, de Civitatibus, Terris, Caſtris & locis S. R. E. non infeudandis, per triennium à die illarum venditionum computandum, minimè comprehendi debere declaramus.

*Clauſula ſublata.*

§. 15. Decernentes ſic & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis, per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Cameræ prædictæ Præſidentes Clericos, S.R.E. Camerarios, necnon eiuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritū & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula cōtrariorū derogatoria, & Sanctio pœnalis.*

§. 16. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac legibus municipalibus Vrbis, necnon Civitatum, Terrarum, Caſtrorum & locorum ſupradictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ac inveſtituris, etiam in remuneratione, aut ex quavis alia cauſa onéroſa, aut ex cōtractu, erectionibus dignitatum, aliiſque quibuſvis conceſſionibus, dictis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & Domicellis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & irritantibus ac aliis decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis, necnon fideicommiſſis, ac ultimis voluntatibus, donationibus, pactis quorumcumque, aliiſque præmiſſis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forēt præſentibus pro expreſſis & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat, & ad effectum omnium, & ſingulorum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè ac latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo, &c.

*Dat. P. An. die 25. Iunii.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, ſeptimo Kal. Julii, Pont. noſtri anno quinto.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini* 1596. *indict.* 9. *die verò ultima menſis Iunii, Pont. SS. in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis divina providentia Papæ VIII. Anno* 5. *Retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum, Sancti Ioannis Lateranenſis, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Catherinum Menandi, & Petrum Aloyſium Peregrinum Curſ.*

*Proſper Spada, Mag. Curſ.*

---

## Quod Itali extra Italiam non habitent in locis ubi liber, & publicus cultus, ſive uſus Catholicæ Religionis non exiſtat. XLII.

*Edita An. D. 1596.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa huius conſtitut.*

CUm ſicut non ſine magno animi noſtri dolore accepimus, quamplures Chriſti fideles ex diverſis Italiæ partibus, eorum patriis, ubi vera, & ſancta Catholica & Apoſtolica Religio viget, & publicè prædicatur, diſcedētes abeant in longinqua loca, ubi non ſolum hæreſes impunè graſsātur, ſed quod pejus eſt, Catholicæ Religionis uſus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, ut perſonæ ibi permanentes, etiamſi Catholicæ ſint, cogantur tamen contra eorum pia deſideria ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificio, aliiſque divinis Officiis, ac Sanctorum ſacramentorum perceptione, in ſuarum animarum diſcrimen diutiùs carere.

*Itali non habitent in locis in quibus Catholicæ fidei cultus liber non permittitur.*

§. 1. Quare nos his & aliis malis, & periculis inde provenientibus, quantū cum Domino poſſumus, obviare cupientes, hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, ut de cetero nullus Italus, ſive Mercator, ſive cujuſvis alterius conditionis vel ſtatus exiſtat, quovis quæſito colore, prætextu vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Civitate, Oppido, ſeu loco, ubi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Paſtore, ſeu Sacerdote Catholico non exiſtat, in qua liberè & ſine omni periculo, palam, & publicè celebrari, & audiri poſſint ſacroſanctæ Miſſæ, & alia divina officia, & conciones, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrari, mortuorum corpora ſpeliri, & cetera fieri juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

*Evitentque hic enarrata.*

§. 2. Vtque iidem Itali abſtineant à Matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis, filios ſuos de ſacro fonte levari per hæreticos non permittāt, nec ipſi viciſſim hæreticorum filios, niſi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, levare præſumant,

mant,

mant. Medicorum quoque hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, ubi adſit copia Catholici Medici idonei, non utantur.

*Ad habitandum ibi non accedant, niſi id prius ſignificent Ordinariis, vel Inquiſitoribus, cum iis hic deſcripta ſervant.*

§. 3. Cum verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum ſeu inhabitandum in partibus prædictis, id ſignificent ſuis Ordinariis vel inquiſitoribus locorum, à quibus ſeriò admoneantur, ut in eis perpetuò Catholicam, & Orthodoxam fidem conſtanter retinentes, & profitentes, piam & Catholicam vitam ducant, Dominicos & Feſtos dies, abſtinentias, & ſacra jejunia ab Eccleſia præcepta religiosè colant, atque omnem hæreſim, & errorem, hæreticos, ſchiſmaticos, & in Orthodoxa fide aberrantes fugiant, & evitent, ac ut ſaltem ſingulis annis de eorum Sacramentali peccatorum confeſſione, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione per eos facta, fidem ſeu teſtimonium ipſis Ordinariis, vel Inquiſitoribus in Italiam tranſmittant, ad quod & nos dictos Italos tenore præſentium teneri, & obligatos eſſe decernimus, & mandamus.

*Inobedientes uti de hæreſi ſuſpecti inquiri poſſunt.*

§. 4. Quod ſi quis propriæ ſalutis immemor, contra præmiſſa facere præſumpſerit, poſſit adverſus eum per locorum Ordinarios, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis, uti de hæreſi ſuſpectum procedi.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumpti fides.*

§. 6. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 5. die 26. Iul.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die vigeſimaſexta Iulii milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, Pont. noſtri Anno 5.

---

XLIII.

## Contra Monachos Congregationis Camaldulenſis Ordinis Sancti Benedicti, ejus officia, & dignitates ambientes, & eorum complices.

*Quoad Eremitas d. Congregationis, vide ſuprà in conſt. 1. Alexandri II. fol. 48. ubi alia, tam de ipſis, quàm de Monachis tibi indicavi.*

*Edita A. D. 1596.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ambitio in religioſis damnatur.*

Ambitioſam honorum, & dignitatum cupiditatem Eccleſiaſticos omnes, ſed Religioſos præſertim, qui in humiliatis ſpiritu Deo ſervire tenentur, ita evitare decet, ut ipſi Prælatutas minimè requirere, ſed ad eas vocati ut Aaron obedienter ſuſcipere, & humiliter adminiſtrare ſtudeant.

*In Ordine igitur Camaldulenſi, ii qui extra gremium Congregationis pro obtinendis dignitatibus & gratiis, favoribus utuntur, gravibus pœnis ſubiiciuntur.*

§. 1. Hujus ſiquidem ambitionis malum in Ordine Camaldulenſi, in quo apud nonnullos qui propriis religioſarum virtutum, ut deceret, meritis inniti non valentes, ad Ordinis ejuſdem dignitates, & gradus etiam majores iis quos forſan obtinent, per mendicatos S.R.E. Cardinalium, & Principum etiam ſæcularium favores aſſumi procurant, vigere, non ſine animi noſtri dolore accepimus, quantum cum Domino poſſumus, evellere cupientes, Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & ſingulos Monachos prædicti Ordinis Congregationis Camaldulenſis, cujuſcumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ, & literaturæ exiſtentes, qui nimirum pro quibuſcumque Prælaturis, dignitatibus, muneribus & officiis, etiam iis quæ obtinent, majoribus in dicta Congregatione conſequendis, ſive pro remiſſione pœnarum eis impoſitarum, aut aliis quibuſcumque gratiis impetrandis, ad Principum quorumcumque, tam Eccleſiaſticorum, etiam S.R.E. Cardinalium, quàm ſæcularium ac Prælatorum de gremio dictæ Congregationis nõ exiſtentium favores recurrerint, eoſque requiſierint, vel eis etiam ſponte delegatis, aut ab aliis etiam ipſis inſciis procuratis uſi fuerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis directè vel indirectè, palam vel occultè, ad dignitates ſeu officia in cõgregatione prædicta obtinenda aſpiraverint, vel aliis minus legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere procuraverint, illorumque complices & fautores, ad quaſvis Prælaturas, dignitates, gradus honores & officia, tam ſpiritualia, quàm temporalia, & præſertim in ipſa Cõgregatione obtenta, vel obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis prælaturis, dignitatibus, adminiſtrationibus vel officiis eo ipſo privamus, ac privatos voce activa, & paſſiva carere, pœnaſque hujuſmodi à nobis tantum, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris remitti poſſe decernimus, & declaramus, omnes & ſingulas ſupradictas pœnas ad eos etiam extendentes, qui ne ex aliquo Monaſterio removeantur, ſeu ut in alterius Monaſterii familia deputentur, contra Capituli, ſeu Superiorum voluntatem ſupradictas literas ſeu favores exquirere, & obtinere præſument.

*Et etiam qui benè ſentiendo promoverint, aut promoverint.*

§. 2. Quocirca in virtute ſanctæ obedientiæ, ac indignationis noſtræ, aliiſque omnibus prædictis pœnis, dilectis filiis Generali, Viſitatoribus, Definitoribus, aliiſque Prælatis quocumque titulo nuncupatis, præſentibus, & futuris præcipimus, ac diſtrictè mandamus, ne aliquos ullo unquàm tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, ſeu aliàs ad inſtantiam, requiſitionem vel contemplationem Principum Eccleſiaſticorum vel temporalium, etiam S. R. E. Cardinalium, aut aliorum quorumcumque extra gremium dictæ Congregationis exiſtentiũ, ad cujuſvis generis Prælaturas, dignitates, officia, adminiſtrationes & gradus promovere, vel pœnas aliquas remittere, aut aliam quamcumque gratiam, ut præfertur, facere audeant, vel præſumant, immò promovendorum meritis, & virtutibus tantum inſpectis, quod Dei cauſam agant memores ſint, quo magis purò, & ſincerò corde, nulla privata aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant.

*Promotiones aliter factæ nullæ ſint.*

§. 3. Decernentes electiones, & promotiones ad Monaſteria, ſeu ad quæcumque alia officia dicti Ordinis ſic literis, aut aliis favoribus Principum, & Prælatorum quorumcumque, vel aliorum extra gremium, ut præfertur, exiſtentium, eorumque precibus aut pollicitationibus injuſtè ac indebitè extortas, ſeu aliàs quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus, invalidaſque fore & eſſe, & adverſus eos qui in his minùs legitimis rationibus ad regenda Monaſteria, ſeu ad alia quæcumque officia eligi aut aſſumi obtinuerint, per ejuſdem Congregationis Superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita condignis pœnis, tanquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores affici poſſe & debere.

*Clauſula ſublata, &c.*

§. 4. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§. 5. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dictorum Congregationis & ordinis, etiam juramento, cõfirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis & illorum Superioribus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis conceſſis & confirmatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generalem idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris; hac vice Motu & ſcientia ſimilibus latiſſi nè derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Congregationi & Monachis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Iuſſio hanc bullam legendi a … qui*

§. 6. Ac ut harum literarum notitia ad omnes dictæ Congregationis Monachos facilius deveniat; volumus

illas

*libet in Capitulo Gener. d. Congregationis.*

illas in generali dictæ Cõgregationis Capitulo quotánis publicè legi, ibique lectas omnes ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, vel impreſſis, manu ſcribæ dicti Capituli, vel notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Generalis ipſius Congregationis, vel alterius in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti obſignatis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Septembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, Pont. noſtri Anno quinto.

---

XLIV.

## Ordinationes pro bono regimine Congregationis Fratrum Ioannis Dei nuncupatæ per univerſam Italiam, proque electione Majoris ejuſdem Congregationis.

*Inſtituta fuit in Hiſpaniis iſta congregatio ad regimen Hoſpitalium pro curandis pauperibus infirmis, ut habetur in conſt. Pii V. 143. Licet, fol. 266. lib. 2. ubi notavi.*

Hujus Congregationis fundator fuit Fr. Joannes de Deo, quem Beatorum Confeſſorum numero adſcripſit S.D.N. Vrban. VIII. in Conſt. 108. in Sede, inf. tom. 4. & de his Fratribus vide quæ addidi ad Pauli V. Conſt. 100. Romanus, hîc infra.

*Edita An. D. 1595.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmani Pontificis providentia circumſpecta, circa piorum Locorum, & virorum, à quibus pia, præſertim circa pauperum infirmorum hoſpitalitatem, opera exercentur, ſtatum reſpiciens, ad eorum conſervationem ea quæ aliàs juſtis ſuadentibus rationibus auctoritate Apoſtolica ſunt ordinata, aliqua ex parte mutat, prout temporum ratio ſuadet, ac aliàs in Domino conſpicit expedire.

*His Pont. locorum Ordinariis Congregationem ſuppoſuit, & profeſſionis emiſſionem, ac ſacrorum ordinum ſuſceptionem prohibuit, & per unum Majorem nuncupatũ ipſam Congregationem regi voluit.*

§. 1. Alias ſiquidem cum pridem Congregatio Joannis Dei in Vrbe, ac diverſis Italiæ, & Hiſpaniæ partibus Apoſtolica auctoritate recepta, & confirmata, cujus Confratres nonnullos pauperes & infirmos, graviterque laborantes hoſpitio recipere, eiſque inſervire conſueverunt, valde aucta eſſet, illiſque diverſa privilegia, & indulta ab hac Apoſtolica Sede, Romaniſque Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, præſertim quod per unum ex ipſis Confratribus Majorem nuncupatum Congregatio ipſa regeretur, quodque ab Ordinariis locorum exempti eſſent, atque illius religioſi profeſſionem emittere, & ad ſacros ordines promoveri poſſent, conceſſa fuiſſent, nos ipſo noſtri Pontificatus initio, accepto quod ejuſdem Congregationis Confratres à ſuo primævo inſtituto paulatim recedebant, ac opus Hoſpitalitatis eorum pauperum infirmorum, cui in primis incumbere tenebantur, intermittebatur, & multi Confratrum literarum ſtudiis intendebant, & ſacris ordinibus initiari, ut à ſervitio Hoſpitalium excuſarentur, procurabant, matura conſideratione præhabita, Congregationem prædictam, ejuſque Hoſpitalia, & Loca ubique exiſtentia Ordinariis locorũ eorumque juriſdictioni, & ſuperioritati ſubjecimus, nec amplius per unum Majorẽ regi vel gubernari voluimus, ac ipſius Cõgregationis Confratribus profeſſionis emiſſionem, & ſacrorum Ordinum ſuſceptionem interdiximus, ita ut deinceps votum paupertatis, & Hoſpitalitatis tantùm præſtare, & obſervare tenerentur, ac alias ſtatuimus, & ordinavimus, prout in noſtris literis ſub Dat. 13. Februarii 1592. in forma Brevis expeditis latiùs continetur.

*At modo regimen maioris reſtituit. Immo S.D.N. Paulus V. aliquid innovavit circa ſacrorum ordinum ſuſceptionem, ut infra in ſua ſua conſtit. 36. Inter.*

§. 2. Cum autem proceſſu temporis experientia compertum ſit, quod Congregationis prædictæ Hoſpitalia & Loca pia in Italia exiſtentia, ſic ab invicem ſeparata, & alicujus communis ſuperioris, qui ea, eorumque Confratres primævi inſtituti obſervantiam reſtituat, & eoſdem in ipſa conſervet, regimine deſtituta, gravia incommoda, & damna paſſa ſunt, & quotidie patiuntur, ita ut niſi de aliqua regiminis forma eis provideatur, facilè evenire poſſit, ut Congregatio ipſa in totum extinguatur, & corruat. Nos propterea Congregationem ipſam, quam ad pauperum infirmorum ſubventionem valde utilem eſſe accepimus, conſervari cupientes, ac quorumcumque privilegiorum, & indultorum eidem Congregationi à quibuſcumque Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, præſertim fel. rec. Pio V. Gregor. XIII. & Sixto V. conceſſorum, ac noſtrarũ literarum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus dilecti filii noſtri Hieronymi tituli Sãctæ Suſannæ Presbyteri Cardinali, Ruſticuccii, noſtri in Alma urbe Vicarii qui ejuſdem Congregationis apud nos protector exiſtit, nobis ſuper hoc eorum nomine porrectis inclinati, eidem Congregationi Joannis Dei, ac ſingulis ejus Hoſpitalibus, & locis in Italia jam receptis, & deinceps recipiendis, eorumque Confratribus, & perſonis, nunc & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, gratiis, facultatibus, indultis & indulgentiis à prædictis Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. aliiſque Romanis Pontificibus Congregationi, hoſpitalibus, & Locis Hiſpaniarum, ac Hoſpitalis S. Ioannis Callibitæ in Inſula S. Bartholomæi de Vrbe, ejuſdem Congregationis Joannis Dei in genere vel in ſpecie conceſſis, confirmatis & innovatis (citra tamen facultatem profeſſionem emittendi, & ſacros ordines ſuſcipiendi, & extra exemptionem à juriſdictione Ordinariorum locorum, quibus eos omnino ſubeſſe volumus, & ſuper quibus literas noſtras prædictas exactè obſervari mãdamus) perpetuò frui, uti, potiri & gaudere in omnibus, & per omnia poſſint, & valeant, perinde ac ſi ipſis nominatim, & æquè principaliter conceſſa fuiſſent.

*Votum inſerviendi Hoſpitalibus ſub Ordinarii obediẽtia emitti præcipit.*

§. 3. Ita tamen ut Confratres in quocumque Italiæ loco jam recepti, ſtatim, & deinceps recipiendi in Congregatione prædicta, debito tempore votum inſerviendi eorum Hoſpitalibus ſub Ordinarii loci obedientia in omnibus ejuſdem Ordinarii aut Majoris confratris, ut infra pro tempore electi emittere, & Hoſpitalitatem pro iis infirmis, quos recipere, & curare conſueverant, quatenus fieri poterit, exercere juxta prædictarum noſtrarum litterarum ſeriem teneantur.

*Maioris electionem & munus præſcribit.*

§. 4. Vtque unus Confrater in Majorem ab omnibus Prioribus quorumcumque Hoſpitalium, & Locorum dictæ Congregationis in Italia exiſtentium, Romæ in Hoſpitali S. Joannis Callibitæ prædicto per ſecreta ſuffragia majoris partis vocalium eligatur, cujus officium ad ſexennium tantum durare debeat, ita ut finito ſexennio, iterum eligi aut confirmari, niſi lapſo altero ſexennio minimè poſſit.

*Conſiliariorumque & Viſitatorum atque Priorum.*

§. 5. Duo item Conſiliarii, & duo Viſitatores in eodem loco, & eiſdem modo, & forma eligantur, quorum Conſiliariorum, & Viſitatorum, necnon etiam ſingulorum Priorum officium ad triennium tantum duret, & finito triennio ad idem officium nemo poſſit iterum eligi, vel in eo confirmari, niſi alterum triennium intercedat.

*Maioris poteſtatem, & Ordinariorũ juriſdictionẽ deſcribit.*

§. 6. Major omnia, & ſingula Hoſpitalia & Loca dictæ Congregationis Italiæ viſitandi, & reformandi, rationes & computa videndi, confratres de uno ad alium locum transferendi, inobedientes, & ordinationum tranſgreſſores corrigendi, mulctandi, & puniendi, cujuſque Hoſpitalis gubernii formam, juxta tamen conſtitutiones faciendas, ſtabiliendi & determinandi, facultatem habeat, reſervata tamen in omnibus ſemper locorum Ordinariis ſuperioritate, ſuperintendentia, liberaque auctoritate viſitandi, puniendi, & caſtigandi eoſdem Confratres in delictis & exceſſibus, præſertim gravibus, tàm intra, quàm extra hujuſmodi Hoſpitalia forſan committendis, ſecretè tamen, & circumſpectè, quoad fieri poterit ad evitandam Congregationis infamiam.

*Licentiam Hoſpitalia erigendi, & eleemoſynas recipiendi Congregationi concedit.*

§. 7. Vtque Congregationis ipſius Confratres alia ejuſdem inſtituti Hoſpitalia de licentia Ordinariorum locorum erigere, & ædificare, eleemoſynaſque pro eorum, & Chriſti fidelium infirmorum ſuſtentatione, eorumdemque Hoſpitalium manutentione omni loco, & tempore ſine aliquo impedimento petere, & recipere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem.

*Habitum deſignat.*

§. 8. Inſuper ut habitum cum ſcapulari, & capucio, prout hactenus geſtare conſueverunt, privativè quoad alios quoſcumque qui de eadem cõgregatione non fuerint

rint

rint, ſub pœnis Ordinariis locorum benevifis, deinceps, etiam perpetuò valeant.

*Incorrigibiles certo modo à Congregatione expelli poſſe cõcedit.*

§.9. Vt Confrater Major, & Conſiliarii de conſenſu Ordinariorum locorum, ob graves cauſas, & ob incorrigibilitatem, Confratres quos indignos judicaverit, ex dicta congregatione expellere & dimittere, ipſoſque ſic expulſos ab emiſſo per eos Hoſpitalitatis voto abſolvere, dummodo tamen pœnitentiam ipſi ob eorum exceſſus & defectus impoſitã adimpleverint, & non aliter poſſint, & valeant. Nec aliquis eorumdem confratrum alia ratione aut modo Hoſpitalia, & Loca, ipſamque congregationem deſerere, aut ab eis recedere, ſeu à voto inſerviendi hujuſmodi pauperibus in eorum Hoſpitalibus ſub Ordinarii obedientia, etiam quorumcumque privilegiorum, aut generalis Iubilæi, ſeu cruciatæ Sanctæ vel alterius cujuſque gratiæ, ſeu generalis facultatis, à nobis, ſucceſſoribuſque noſtris Romanis Pontificibus, & Apoſtolica Sede pro tempore concedendarum virtute abſolvi vel liberari valeat.

*Promotionem ad ſacros ordines prohibet.*

§. 10. Quodque Confratres hujus Congregationis, Sacerdotes, aut in ſacris ordinibus conſtituti eſſe non poſſint, nec ad hujuſmodi ſacros ordines promoveri valeant, ſed juxta primæum eorum inſtitutum in ſimplicitate pauperibus infirmis, ut præfertur, inſervire debeant.

*Ordinationes pro regimine Hoſpitalium conſtituendi facultatem tribuit.*

§. 11. Demùm, ut circa modum & formam obſervandam quoad electiones, & mutationes officialium prædictorum, & receptionem novorum Confratrum, eorumque qualitates, & præſertim quod non ſint Sacerdotes, ſive uxorati, ac circa tempus eorum admiſſionum ad votum prædictum de inſerviendo pauperibus in hujuſmodi Hoſpitalibus, ac pro omni & quacumque alia cauſa bonum regimen, gubernium & adminiſtrationem, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus idem Frater Major cũ conſenſu Conſiliariorum, ac Viſitatorum pro tempore exiſtentium prædictorum quæcumque ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes ad bonum regimen, & Guberniũ quorumcumque, tam erectorum, quàm erigẽdorum Hoſpitalium in quibuſcumque Italiæ partibus, & Confratrum eorundem edere poſſit & valeat, & poſtquam facta & formata fuerint, cum conſenſu eorumdem Conſiliariorum, & Viſitatorum ſemel vel pluries ampliare, corrigere, mutare, moderari, ſeu de novo, prout magis expedire videbitur, edere, dummodo eorum conſtitutionum confirmationem à nobis, & Sede Apoſtolica obtineant, auctoritate, & tenore prædictis pariter concedimus & indulgemus, atque ſtatuimus, & ordinamus.

*Clauſulas preſervativas apponit.*

§. 12. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari, aut in jus vel controverſiam quacumque ratione vel cauſa vocari, aut ad terminos juris reduci, vel quodvis aliud juris ſeu gratiæ remedium contra illa impetrari poſſe, minuſque ſub quibuſcumque ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, tam per nos, quàm per quoſcumque Romanos Pontifices pro tempore exiſtẽtes faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas eſſe, & de novo etiam ſub poſteriori data conceſſas cenſeri.

*Clauſulam ſublata, &c. adjungit.*

§. 13. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis omnibus derogat.*

§. 14. Non obſtantibus prædictis literis noſtris, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus, & quibuſvis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Ordinibus, Eccleſiis, Monaſteriis, & piis locis, illorumque Superioribus, & quibuſvis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac expreſſa mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis habẽtes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemplis credi jubet.*

§. 15. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 9. Septemb. 1596. Pont. noſtri Anno 5.

*D. P. A. 5. die 9. Septemb.*

---

XLV.

## Confirmatio, & declaratio conſtitutionis Gregorii XIII. ſuper reformatione Fratrum Minorum S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ, tam in Italia, quàm Regno Franciæ, & Provinciis Belgiæ.

*Conſtitutio iſta eſt num. 55. ſupr. lib. 2. Cum illius, ubi omnino videas quæ tibi indicavi. Et circa novitiorum receptionem vide aliam hujus Pontif. declarationem in conſt. 106. Sanctiſſimus.*

Has Conſtitutiones Greg. XIII. & hujus Pont. innovavit, & ſuperaddidit alias ordinationes pro feliciori horum Fratrum regiminis progreſſu S.D.N. Vrb. VIII. in conſt. 13. Romanus, inf. tom. 4. ad quam vide alia notata, ſicuti ad ejuſdem Sanctiſſimi Pont. Conſt. præced. 12. In ſupremo, quæ hic repetere longum eſſet.

### *CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1596. & 1603. Exordium.*

PRo injuncti nobis Apoſtolici muneris ratione de ſtatu Religioſorum quorumcumque, qui ſub voluntariæ paupertatis habitu militantes, in humilitatis ſpiritu Deo vota reddere ſatagunt, paterna charitate ſolliciti, conſtitutiones & ordinationes ſummorum Pontificum, ad eorum proſperum regimen & gubernium providè factas, nonnullis mutatis, ſeu adjectis pro locorum & temporum qualitate, libenter confirmamus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Gregor. XIII. edidit cõſtit. circa hos reformatos, ſuprà fol. 323*

§. 1. Dudum ſiquidem à fel. rec. Gregorio Papa XIII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequẽtis, videlicet: Gregorius Papa Decimustertius. Ad perpetuam rei memoriam. Cum illius vicem meritis, &c.

Omittitur bulla Gregorii, quia eam habes in loco cit. in rubr.

*Hic modò Pont. ea ſalvis declarationibus infraſcriptis approbat quoad Fratres Italiæ.*

§. 2. Cum autem noviſſimè nos pro regimine, & gubernio dictorum Fratrum reformatorum nonnulla decreta, ſeu ordinationes ediderimus, aut ſuper his dilecto filio Bonaventuræ Miniſtro Generali Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, nonnullas facultates conceſſerimus, prout in noſtris deſuper in forma Brevis expeditis literis ſub Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 8. Januarii 1594. Pontificatus noſtri Anno ſecundo pleniùs continetur. Cumque pro felici ſtatu, & gubernio dictorum Fratrum Reformatorum expediat præinſertas Gregorii prædeceſſoris literas, & in eis cõtenta, exceptis infraſcriptis per nos confirmari, & à Fratribus prædictis obſervari. Nos prædictarum noſtrarum literarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi, & ſingulares Fratres dicti Ordinis reformatorum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſuper

conſulta

conſultationibus, & negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum ſententias, præinſertas Gregorii prædeceſſoris literas, ac omnia in eis contenta, ſalvis limitationibus infraſcriptis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium quoad Fratres dicti Ordinis Reformatorum in Italia exiſtentes tantum perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus. Et pro majori præmiſſorum firmitate literis noſtris prædictis, quatenus in aliquo obſtent, ſpecialiter, & expreſſe derogamus.

*Novitios.* §.3. Quoad caput circa receptionem Novitiorum per Cuſtodem faciendam, ſervetur etiam forma Conſtitutionis fel. rec. Sixti Papæ Quinti prædeceſſoris etiam noſtri ſuper hoc editæ.

*Monaſteria.* §.4. Quoad Monaſteria ipſis reformatis concedenda, volumus ut ſint apta ad duodecim ſaltem Fratres recipiendos, & retinendos.

*Caſus reſervatos.* §.5. Circa reſervationem caſuum ſervetur Decretum à nobis ſuper hoc editum.

*Statuta.* §.6. Quoad ſtatuta, & ordinationes de cetero faciendas, ultra ea quæ in prædictis Gregorii literis diſponuntur, volumus ut nullo modo decretis per nos in noſtra viſitatione Vrbis editis, neque aliorum ſummorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus adverſentur.

*Prædicatores & alios promovendo.* §.7. Quoad Prædicatores, & Confeſſarios examinandos & approbandos, volumus ut in ſingulis Capitulis Cuſtodialibus aliquot graves & periti viri, ex Fratribus cujuſcumque Cuſtodiæ ſaltem tres, qui unà cum Cuſtode admittendos ad prædicationem Verbi Dei, vel audiendas Confeſſiones, etiam ipſorummet Fratrum, ac Lectores publicos ſimul examinent, neque antea ad hujuſmodi miniſteria exercenda ab aliquo probentur, aut admittantur. Horum etiam cura ſit examinare & probare, tam quoad doctrinam quàm quoad mores, promovendos ad quoſcumque Eccleſiaſticos ordines, qua in re ſervetur decretum Congregationis Interpretum ſacri Concilii Tridentini nuper editum, & promulgatum. Hi verò examinatores in hujuſmodi officio confirmari nequaquam poſſint, ſed in ſingulis Capitulis Cuſtodialibus alii ſemper de novo ad hoc munus obeundum eligantur.

§.8. Si quando autem prædictos Reformatos accedere contigerit ad loca ubi proprias habent domos, ſeu Conventus, volumus & præcipimus, ut ad Conventus & domos illorum de familia quæ in eiſdem locis erunt, divertere aut hoſpitari nullo modo poſſint.

*Hoſpitia Reformatorum.* §.9. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula perpetuò valida, firma, & efficacia eſſe & fore, & per præfatos Fratres Reformatos perpetuò obſervari debere, præſentes quoque literas nullo tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu notari, argui ſeu impugnari, aut ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehẽdi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & fore, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum. & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas cenſeri. Sicque per quoſcumque Judices, & Cõmiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarũ Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter, judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.* §.10. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, etiã Mare Magno, Bulla aurea, vel aliàs nuncupatis, ac quibuſcumque dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis fimitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, tam eidem quàm aliis quibuſcumque Ordinibus, eorum Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis in contrarium præmiſſorum in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, vel aliàs quomodolibet conceſſis, ac pluries confirmatis & approbatis, ac omnibus illis quæ dictus Greg. prædeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores ac ſi de verbo ad verbũ præſentibus inſererentur, pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.* §.11. Volumus autem, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis præſentium literarum, etiam impreſſis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu Notarii publici ſubſcriptis eadem fides, tam in judicio quàm extra illud ubilibet adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. die 12. Octob.* Dat. Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die duodecima Octobris Milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Sequitur extenſio dictæ Bullæ ad Gallos, & Belgicos.*

## *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita Anno 1603.*

PRo injuncti, &c. Vt ſupra in conſtit. præinſerta.

*Extenſio d. bullæ ad Gallos refertur.* §.1. Nunc verò agnoſcentes, pro felici ſtatu, & gubernio Fratrum Reformatorum Minorum S. Franiſci de Obſervantia, Provinciarum Belgicarum, Flandriæ videlicet, Sancti Andreæ, & Brabantiæ, aliàs Inferioris Germaniæ, plurimùm expedire, ut nos præinſertas literas hujuſmodi, quas pridem in favorem Fratrum Reformatorum Italiæ confirmavimus, deinde ad Fratres Reformatos Regni Franciæ extendimus, prout in noſtris deſuper expeditis literis etiam pleniùs continetur, ad ipſas quoque Provincias in omnibus & per omnia, (ſalvis infraſcriptis limitationibus) extendamus, & pro dictis Provinciis confirmemus & innovemus.

*Extenſio quæ ad Belgicos firmatur.* §.2. Ea propter eorumdem Fratrum Reformatorum dictarum Provinciarum id humiliter expoſcentium petitionibus annuendum duximus. Propterea omnes & ſingulos dictarum Provinciarum Fratres Reformatos, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectũ præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, præinſertas Gregorii XIII. literas, ac omnia in eis contenta (ſalvis limitationibus infraſcriptis) ad ipſos Fratres Reformatos Provinciarum ſupradictarum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò extendimus & ampliamus, ac confirmamus & approbamus, & pro majori præmiſſorum firmitate prioribus noſtris literis prædictis (quatenus in aliquo obſtent) ſpecialiter & expreſsè derogamus.

*Modus recipiendi novitios.* §.3. Ceterum quoad caput circa receptionem Novitiorum per cuſtodem faciendam volumus & Apoſtolica auctoritate concedimus, ut in dictis Provinciis tantum, quoſcumque Novitios habitum dicti Ordinis ſuſcipere volentes, ad habitum hujuſmodi extra Capitulum Cuſtodiale, juxta formam literarum à nobis editarum ſub Dat. die 5. Septembris 1602. in favorem Cuſtodum, & Fratrum reformatorum dicti Ordinis, in Regno Franciæ exiſtentium, (quæ incipiunt, Ordinis veſtri) recipere valeant. Quas quidem literas, tam quoad præmiſſa, quàm quoad reliqua in illis contenta, in omnibus & per omnia ad eoſdem Reformatos dictarum Provinciarum, & cujuſlibet earum extendimus perinde, ac ſi in illarum favorem nominatim editæ fuiſſent.

*Numerus Fratrum Monaſterii.* §.4. Quoad Monaſteria ipſis Reformatis concedenda, volumus ut ſint apta ad duodecim ſaltem Fratres recipiendos, & retinendos.

*Caſus reſervati.* §.5. Circa reſervationem caſuum ſervetur decretum à nobis ſuper hoc editum.

*Statuta.* §.6. Quoad ſtatuta & ordinationes de cetero faciendas, ultra ea quæ in prædictis Gregor. literis diſponuntur, volumus ut nullo modo decretis per Nos in noſtra viſitatione Vrbis editis, neque aliorum ſummorum Pontificum

prædeceſſorum

prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus adverſentur.

*Modo inſtituendi Examinatores in Capitulis Cuſtodialibus.*

§.7. Volumus etiam ut ſingulis Capitulis Cuſtodialibus aliquot graves & periti viri, ex Fratribus cujuſcumque Cuſtodiæ ſaltem tres, qui unà cum Cuſtode admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel audiendas confeſſiones, etiam ipſorummet Fratrum, ac Lectores publicos ſimul examinent, neque antea ad hujuſmodi miniſteria exercenda ab aliquo probentur aut admittantur. Horum etiam cura ſit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores promovendos ad quoſcumque Eccleſiaſticos ordines. Qua in re ſervetur decretum Congregationis Interpretum ſacri Concilii Tridentini, nuper editum & promulgatum. Hi verò Examinatores in hujuſmodi officio confirmari nequaquam poſſint, ſed in ſingulis Capitulis Cuſtodialibus alii ſemper de novo ad hoc munus obeundum eligantur.

*Divertere, aut hoſpitari non debent Reformati apud Fratres de Familia, in locis, in quibus habent hoſpitia.*

§.8. Si quando autem prædictos Reformatos accedere contigerit ad loca, ubi proprias habent Domos, ſeu Conventus, volumus & præcipimus, ut ad Conventus & Domos illorum de familia, quæ in eiſdem locis erunt, divertere, aut hoſpitari nullo modo poſſint. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula perpetuò valida, firma, & efficacia eſſe & fore, & per prædictos Fratres Reformatos perpetuò obſervari debere.

*Clauſ. præſ.*

§.9. Præſentes quoque literas nullo tempore, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu notari, ſeu impugnari, aut ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & fore, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas cenſeri. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Deputatio executorum.*

§.10. Quocirca venerabilibus Fratribus Colonienſi, Cameracenſi & Mechlinienſi Archiepiſcopis, & dilecto filio noſtro & Apoſtolicæ Sedis in Inferiori Germania Nuncio, necnon univerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis per præſentes mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Reformatorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos præmiſſis omnibus & ſingulis juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos deſuper per Miniſtrum Generalem, alioſque prædictos quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, omni appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiã iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorũ.*

§.11. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, etiam Mare Magno, Bulla Aurea, vel aliàs nuncupatis, ac quibuſcumque dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, tam eidem, quàm aliis quibuſcumque Ordinibus, eorumque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis in contrarium præmiſſorum in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & cõſiſtorialiter, vel aliàs quomodolibet conceſſis, ac pluries confirmatis & approbatis, ac omnibus illis quæ dictus Gregorius prædeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§.12. Volumus autem & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis præſentium literarum, etiam impreſſis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu Notarii publici ſubſcriptis eadem fides, tam in judicio quàm extrà illud ubilibet adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 12. die 11. Iunii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die undecima Iulii 1603. Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

---

XLVI.

## Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, nullo etiam quarti voti prætextu vel indulto, de cætero recipiant Fratres Minores S. Franciſci de obſervantia, aut alterius ſtrictioris Ordinis profeſſores.

*Ejuſmodi privilegium, quod ſcilicet iſte ordo reſpectu quarti voti, ceteris Ordinibus ſtrictior eſſet, edixerat Calliſtus III. in ſua conſtitut. 3. ſupra lib. 1. Et de inſtitutione ejuſdem Ordinis, aliiſque eum concernentibus notavi ſuprà in conſtit. 9. Gregorii IX. Devotioni, lib. 1. Et poſtremò Paulus V. eandem ferè conſtitutionem edidit pro Capuccinis, huic inhærendo, infrà ſua conſtit. 30. Nuper ad nos.*

Horum Fratrũ Privilegia, & Indulta confirmavit S.D.N. Vrban. III. in Conſtitut. 94. Ex Clementi, infrà tom. 4.

*Edita An. D. 1595.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Hic Ordo reſpectu quarti voti ſtrictior aliis reputabatur.*

NUper ad nos perlatum eſt, Religioſos Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, prætextu cujuſdam indulti Apoſtolici dicto Ordini antiquitus conceſſi, Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia nuncupatorum, & alios Regulæ ſtrictioris, in eorum Sodalitatem, ſeu domos aut Conventus recipere. Quare, cum id ſæpiùs meritas pœnas eludendi cauſa fiat, & ex hoc multa ſcandala in populo generentur, & alia multa incommoda naſcantur.

*Hic Pontif. contrariorum decernit.*

§.1. Nos hujuſmodi ſcandalis obviare, & quieti Religioſorum proſpicere cupiẽtes, tenoremque dicti indulti, perinde ac ſi de verbo ad verbum insereretur præſentibus, pro expreſſis habentes, de venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſacri Tridentini Concilii Interpretum ſententia, ne quis Prælatorum, ſeu Superiorum, aut Fratrum Conventuum, ſeu Domorum dicti Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, tam in Regnis Hiſpaniarum, quàm alibi conſiſtentium, quavis ille dignitate, Præeminentia, prærogativa vel munere fungatur, quemquam Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, aut alicujus ſtrictioris Regulæ, quàm ſit Regula dictorum Religioſorum Beatæ MARIÆ de Mercede, prætextu cujuſvis indulti, ſeu privilegii Apoſtolici recipere audeat, vel præſumat, etiamſi habeat privilegium id faciendi cauſa quarti voti, quod ipſi Profeſſores Ordinis B. MARIÆ de Mercede hujuſmodi faciunt, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium diſtrictè prohibemus.

*Subdent alia ratione quàm quarti voti regulam ſtrictiorem eſſe judicandam.*

§.2. Declarantes, Regulam ſtrictiorem eſſe judicandam alia ratione, quàm reſpectu quarti voti. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derogat.*

§.3. Non obſtantibus privilegio ſeu indulto hujuſmodi, quod harum ſerie proprio Motu revocamus & abolemus, ac quibuſvis conſtitutionib. & ordinationibus Apoſtolicis, necnõ dicti Ordinis B. MARIÆ de Mercede

juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliter in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Trãſump'iſque credi mandat.* §.4. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D.P.A.5.die 24. Decemb.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Decembris milleſimo quingenteſimo nonageſimo Sexto, Pont. noſtri Anno quinto.

---

## XLVII. Iuriſdictio Conſulum Artis Aromatariorum Vrbis cognoſcendi cauſas ad Artem ſpectantes, cum indultorum conceſſione.

*Quoad locum Aromatariorum in cauſis diſcuſſionum vide etiam ſuprà conſtit. 15. Pii V. Sanctiſſimus, lib. 2. ubi notavi. Et juriſdictionem criminalem diminuit Paulus V. infrà in ſua conſtit. 71. §.25. numero 7. & conſt. 46. §.25.*

Hanc bullam non præjudicare juriſdictioni Gubernatoris Vrbis, hic idem Pont. declaravit die 24. Martii 1604. quam non pono, quia hoc tantum continet, quod in praxi notiſſimum eſt, ipſaque bulla penes Notarios civiles Gubernatoris regiſtrata eſt.

S.D.N. Vrban. VIII. declaravit, indulta diverſis Vrbis Tribunalibus, & Iudicibus conceſſa cognoſcendi cauſas criminales privativè quoad alios, non intelligi quoad Gubernatorem Vrbis, ſed cumulativè cum eo, ut in conſt. 93. Decet, infrà tom. 4.

*Edita An.D. 1596.* *CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* LAudabilis Apoſtolicæ Sedis rectitudo, quæ in ſuis actibus provida circumſpectione dirigitur, fidelium quorumlibet, eorum præcipuè, qui ad humani corporis infirmitates curandas pharmaca, & alia medicamenta opportuna operoſæ diligentiæ ſtudio parare, & impendere dignoſcuntur, indemnitati libenter conſulit, & diſpendiis occurrit, ac quæ propterea provide ordinata, ac etiã ab ipſa Sede eis conceſſa fuiſſe dicuntur, ut firmiora ſubſiſtant, ſæpius approbat & confirmat, aliaſque deſuper diſponit, prout rerum & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, ad publicam utilitatem, & ſalutem conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Cauſa hujus conceſſionis.* §.1. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Conſulum, ac univerſitatis & Collegii Aromatariorum Vrbis petitio continebat, quod licèt ipſi, eorumque anteceſſores pro felici Artis Aromatariæ, & illam exercentium ſtatu & adminiſtratione, diverſa ſtatuta, ordinationes & capitula ediderint, eaque deinde Apoſtolica auctoritate confirmata, & nonnulla alia privilegia & indulta ipſis Aromatariis, & eorum Vniverſitati ac Collegio hujuſmodi, per diverſos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ſub certis modo & forma tunc expreſſis conceſſa fuerint. Nihilominus dicti Aromatarii his etiam ſtatutis, ordinationibus, capitulis, privilegiis, & indultis ſuffulti, aliqua in dies damna & incommoda, tam in conſequendis eorum creditis, quàm alias pro temporum ac perſonarum malitia & diverſitate ſubeunt.

*Petitio univerſitatis Aromatariorum.* §.2. Quare pro parte Conſulum ac univerſitatis, & Collegii præfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſtatutis, capitulis, ordinationibus, privilegiis, & indultis hujuſmodi, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, & ne ars ipſa, illamque exercentes, dum aliis proſunt, & prodeſſe ſtudent, ſuaque pharmaca, & alia remedia corpori humano neceſſaria credunt, damnis & incommodis afficiantur, ſed ſuo exercitio debitè in publicam utilitatem adimplendo efficacius intendant, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac aliàs in præmiſſis per infraſcriptæ ordinationis remedium ampliùs providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Confirmatio ſtatutorum, & privilegiorum.* §.3. Nos igitur æquum eſſe cenſentes, ut qui promptè & fideliter ſua miniſteria obire conantur, congruam mercedem recipiant, ac à litium incommodis & diſpendiis releventur, Conſules & ſingulares perſonas Vniverſitatis & Collegii hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, necnon ſtatutorum, ordinationum, capitulorum, privilegiorum & indultorum prædictorum ac literarum Apoſtolicarum, & aliarum ſcripturarum deſuper confectarum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores ac datas præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula Vniverſitatis, & Collegii hujuſmodi ſtatuta, ordinationes & capitula, licita tamen, & honeſta, necnon quæcumque privilegia, conceſſiones, immunitates, gratias & indulta eiſdem Vniverſitati, & Collegio, ac Artem hujuſmodi exercentibus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem, & Cameram Apoſtolicas uſque in hunc diem quandocumque, & quomodocumque conceſſa, quatenus tamen in uſu exiſtant, omneſque & ſingulas deſuper confectas ſcripturas, literas & cedulas, etiam Motu proprio vel alio modo ſignatas, cum omnibus, & ſingulis clauſulis, etiam decretis in eis contentis, & appoſitis auctoritate prædicta tenore earumdem præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac etiam innovamus, & de novo concedimus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis Apoſtolicæ robur adjicimus ac illa omnia per & ad quos nunc ſpectat, & pro tẽpore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, & eiſdẽ ſtari volumus & mãdamus, omneſque & ſingulos juris & facti, ac quoſvis alios etiam ſubſtantiales defectus, ſi in eis, vel aliquo eorum intervenerint, aut interveniſſe dici prætendi poſſint, ſupplemus. Et nihilominus auctoritate & tenore prædictis ſtatuimus & ordinamus, volumuſque & decernimus, ac etiam Aromatariis, eorumque Vniverſitati, & Collegio hujuſmodi concedimus, & indulgemus.

*Aromatarii in eorum conſulatu tantum debitores conveniant.* §.4. Quod nulli prorſus Aromatarii debitores ſuos pro cauſis ad ipſam Aromatariam ſpectantibus in alio Tribunali quàm Conſulatus ipſorum convenire ullo modo poſſint, alioquin qui ex eis hoc forum & judicium declinaverit, toties pœnam ſex ſcutorum, Eccleſiæ & Hoſpitali Sancti Laurentii in Miranda nuncupati de Vrbe applicandorum, irremiſſibiliter incurrat.

*Nemo etiam privilegiatus forum declinare poſſit.* §.5. Quodque omnes & ſingulæ perſonæ, etiam Eccleſiaſticæ, ac quovis privilegio ſuffultæ, in & pro quibuſcumque pharmacis, & rebus medicinalibus ſoli conſulatui in prima inſtantia ſubjectæ ſint & eſſe cenſeantur, omneſque cauſas, in quibus de hiſce rebus quoquo modo agitur, ſeu agi continget pro tempore, in ſolo ipſius Conſulatus Tribunali in dicta prima inſtantia, juxta fel. recordat. Gregorii Papæ Decimertii prædeceſſoris noſtri Motus proprii formam, ac tenorem cognoſci, ac terminari debeant, exceptis tamen illis cauſis, in quibus in vim obligationis Cameræ Apoſtolicæ agetur.

*Facultas Conſulum viſitandi & puniendi Drogherios & alios.* §.6. Et inſuper liceat eiſdem Conſulibus præſentibus & futuris, abſque aliquo cujuſcumque impedimento, Drogherios, & omnes alios, qui Speciariæ, vel alias quaſcumque res medicinales ad prædictam Artem quomodolibet ſpectantes, & illam concernentes, pro quibus rebus eidẽ Conſultatui pari modo ſubſint, exceptis tamen his, quæ cum Protomedici interventu viſitari, & recognoſci debent, ſive in parva, ſive in magna quantitate vẽdiderint, etiam ſi quamvis aliam Artem mixtam exercuerint, viſitare & recognoſcere, ac quidquid corrupti, aut

vitiati, & adulterati in eiſdem repertum fuerit; ſive totum ſive partem, necnō etiam ipſoſmet Aromatariorum libros, in quibus fraudes aliquas commiſſas detectum erit, projici ac comburi facere, necnon dictas res vitiatas quaſcumque ac corruptas vendentes, ſeu venales proponentes & præparantes, juxta delicti & negligentiæ qualitatem debitis pœnis, non tamen corporis afflictivis afficere, quæ etiam pœnæ Eccleſiæ, & Hoſpitali præfatis eo ipſo applicentur, & applicatæ cenſeantur.

*Fides libris Aromatariorum danda.*

§.7. Ac quod Aromatariorum libris quos mercantili more vel ſecundum uſum & conſuetudinem dictæ artis tenuerint, plena & indubia ubique fides, in judicio & extra illud in omnibus juxta formam Motus proprii piæ memoriæ Iulii Papæ Tertii, etiam prædeceſſoris noſtri ſuper hoc diſponentis, uſque ad quinquennium tantum, & non ultra adhibeatur.

*Debitores tenentur etiā pro rebus alteri deſervitis.*

§.8. Ac illi omnes, qui in hujuſmodi libris pro rebus inde habitis debitores ſcripti reperientur, intelligantur, & ſint uſque ad dictum tempus pro re ſcripta obligati, etiamſi res ipſæ non ſuo, ſed aliorum quorumvis uſui, de ipſorum tamen debitorum ordinatione inſerviiſſent, ſeu inſerviiſſe dicerentur.

*Præſcriptio 16. annorum tantum contrà allegari poſſit.*

*Tu vide declarationem in bulla 41. S.D.N. Pauli V. §.15. n.6.*

§.9. Taleſque debitores præſcriptionem aliquam contra hujuſmodi Aromatariorum credita, ſi aliunde quàm ex eorum libris probentur, tam quoad præterita, quam quoad futura, niſi poſt lapſum ſexdecim annorum, juxta prædictæ Vrbis Statuta, allegare ſeu prætendere nequeant, non obſtante quod forſan aliàs quodvis aliud præſcriptionis hujuſmodi tempus, etiam magis breve, per Iulium, ac Gregorium prædictos, ſeu alios Romanos Pontifices ſimiliter prædeceſſores noſtros conceſſum, ſive ſtatutum reperitur.

*Prioritatiſque & potioritatis privilegium, etiam contra privilegiatos, pro ſc. 50. tantum.*

§.10. Præterea quod dicti Aromatarii pro quibuſvis pharmacis, & rebus medicinalibus, ac medelis per eos ad quaſvis infirmitates ſubminiſtratis, præferri omninò debeant omnibus & ſingulis aliis cujuſvis defuncti vel decocti, aut alias quantumvis privilegiati non ſolventis creditoribus, etiam quantumvis potioribus, ac anterioribus, & quaſvis obligationes etiam Camerales, ac publica inſtrumenta, etiam jurata, ac quavis hypotheca vallata, etiam cauſa dotis, & quaſvis alias clauſulas ſeu cautelas in ſe continentes, habentibus uſque ad ſummam quinquaginta ſcutorum tantum.

*Aromatarii non veniunt in diſcuſſionе.*

§.11. Neque ſub aliqua bonorum diſcuſſione comprehendantur, nullaque ceſſio bonorum, ſive quinquennalis, aut alia dilatio, vel Capitulum Odoardus, ſeu aliud quodlibet remedium, à jure vel ex ſpeciali gratia Principis introductum, ſeu conceſſum contra dictos Aromatarios, & in eorum præjudicium ſuper conſuetudine ſuorum creditorum, occaſione medelarum & aliarum rerum medicinalium debitorum uſquam valeat, nec debitoribus ipſis in aliquo ſuffragetur.

*Executio ſub quovis prætextu retardari non poſſit.*

§.12. Et hæres defuncti ſolutionem rerum medicinalium hujuſmodi, pro quibus ipſe defunctus erat deſcriptus debitor, & etiam funeralium, etiam prætextu quod adiverit hæreditatem cum beneficio legis & inventarii, retardare vel differre, aut impedire minimè poſſit, quin executio ſuper bonis hæreditariis interim fiat.

*Mulieres tenentur ſolvere res ipſis deſervitas in vita mariti.*

§.13. Mulieres verò, viris decoctis vel mortuis, ſi hæreditas ſolvendo non ſit, teneantur ſolvere eas omnes res medicinales, quæ pro ipſiſmet mulieribus ſervierunt, licet ſub nomine, & debito viri in dictis libris notatæ reperiantur, uſque ad ſummam tamen vigintiquinque ſcutorum tantum, factis prius per eoſdem Aromatarios debitis diligentiis, etiam judicialibus, contra dictorum virorum ſic defunctorum aut decoctorum bona.

*Mulieres poſſint obligari pro ſe, & familia pro ſc. 15.*

§. 14. Et eædem mulieres pro rebus medicinalibus illarum filiis, familiaribus, reliquæque familiæ de illarum ordine traditis, uſque ad ſummam quindecim ſcutorum obligare ſe poſſint.

*Quando appellari poſſit à ſententia Cōſulum, & à depoſito ſientiae, & [illegible] ſit appellandum.*

§.15. Nominique licitum ſit à ſententia Conſulum prædictorum appellare, ubi de ſumma minori quam decem ſcutorum, prævia debita taxa reductorum agetur, ac minus recurſum habere, niſi priùs facto actuali depoſito penes pro tempore exiſtentem ejuſdem Collegii Notarium. In aliis verò cauſis dictam ſummam excedentibus Laïcis videlicet ad forum, ſeu Tribunal Capitolinum, vel ad Cameram Apoſtolicam, aut ipſius Cameræ Clericorum Decanum pro tempore exiſtentem, Prælatis verò & perſonis Eccleſiaſticis ad Cameram prædictam dumtaxat appellatio permiſſa intelligatur. Semelque, & non ultra appellare vel recurrere liceat, & hoc caſu pro tempore exiſtens Judex appellationum, ſeu Decanus Cameræ hujuſmodi, de eiſdem cauſis ſummariè & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta cognoſcere debeant.

*Tu vide quod de Gubernatore notavi in rub.*

§. 16. Pro præmiſſorum autem faciliori executione, & obſervatione diſtrictius inhibemus atque interdicimus nunc & pro tempore exiſtentibus Gubernatori, & Senatori, ac etiam Vicario dictæ Vrbis, necnon Auditori Cameræ prædictæ, eorumque Locum tenentibus, ac quibuſvis aliis Judicibus & officialibus Eccleſiaſticis, ac ſæcularibus, quacumque auctoritate & facultate ſuffultis, nè aliquas hujuſmodi cauſis reaſſumere, vel ad ſe avocare, aut aliquem præmiſſi de cauſa debitorem ad eos recurrentem audire vel admittere, nec ſeſe in illis contra præſentium tenorem, etiam prætextu quarumcumque facultatum, & privilegiorum eis conceſſorum, etiam ex officio, & ad cujuſcumque inſtantiam, vel alio quovis modo ingerere, ſeu immiſcere, minuſque ipſos Aromatarios, aut eorum Vniverſitatem, aut Collegium hujuſmodi in aliquo ſuper præmiſſis moleſtare vel impedire, ſeu moleſtantibus aut impedientibus favere audeant, vel præſumant.

*Nullus Iudex poſſit reaſſumere cauſas Aromatariorum.*

§.17. Decernentes præſentes nullo unquam tempore ex quocumque capite vel cauſa, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notati, impugnari, in jus vel controverſiam vocari, aut adverſus illas quodvis juris vel facti, aut gratiæ remedium impetrari poſſe, ſed ſemper & omni tempore contra & adverſus quaſcumque impugnationes, validas & efficaces exiſtere, ſuoſque effectus ſortiri & obtinere. Ac ita in præmiſſis omnibus per ſupradictos, necnon alios quoſcumque Superiores & Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, necnon eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſulæ præſervativæ additæ.*

§.18. Non obſtantibus præmiſſis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ſub quavis forma & expreſſione verborum conceptis, necnon prædictæ Vrbis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, necnon indultis, atque literis Apoſtolicis eidem Vrbi, ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Gubernatori, Senatori, & Vicario Vrbis, atque Auditori Cameræ Apoſtolicæ hujuſmodi, necnon aliis Iudicibus, Superioribus & perſonis, ac locis piis, illorum quoque adminiſtratoribus, ſub quibuſcumque tenoribus ac formis, necnon cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, atque aliis efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac efficaciſſimis, irritantibus quoque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam Motu ſimili, necnon ex certa ſcientia, atque de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam iteratis vicibus, necnon aliàs quomodolibet, & quandocumque conceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, necnon expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi perinde ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, necnon forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè harum ſerie derogamus, necnon derogatum eſſe volumus & decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis.*

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, conceſſionis, roboris, adjectionis, mandati

ſuppletionis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, indulti, inhibitionis, interdicti, ſingulorum decretorum derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare.

*Dat. P. A. 5 die 30. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, tertio Kal. Ianuarii, Pontificatus noſtri Anno quinto.

---

XLVIII. Quando S.R.E. Cardinales Diaconi, ad Ordinem Presbyteratus tranſeuntes, locum obtineant ante illos Cardinales Presbyteros, qui poſt eos ad Cardinalatum aſſumpti fuerunt.

*Edita A. D. 1597.*

*Alia de Cardinalibus tam Diaconis, quàm Presbyteris, eorumque munere & electione, plenè notavi ſuprà in Sixti V. conſt. 50. Poſtquam, lib. 2.*

*Declaratio quoad Diaconos præſentes.*

SAnctiſſimus D.N.D. Clemens Papa VIII. decrevit, ut qui in præſenti Cardinales Diaconi exiſtunt, ſi in ordine Diaconatus per integrum decennium à die corũ promotionis ad Cardinalatum perſeverant, tranſeuntes ad ordinem Presbyteratus, locum obtinere valeant ante omnes illos Cardinales Presbyteros, qui poſt illos ad Cardinalatum aſſumpti fuerint, dummodo decem ſaltem Cardinales Diaconi in eodem ordine remaneant.

*Declaratio quoad Diaconos futuros. Act. P. A. 6. die 18. Aug.*

§. In poſterum verò Cardinales Diaconi promovendi eodem privilegio potiantur, uno hoc excepto, quod ipſis decennii tempus, non à die quo ad Cardinalatum evecti fuerint, ſed à die quo ad ordinem Presbyteratus promoveri potuerint, currere incipiat.

Actum Romæ apud Sanctum Marcum, die Lunæ decima octava Auguſti, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, in Conſiſtorio ſecreto.

---

XLIX. Confirmatio, & extenſio conſtitutionum editarum contra extrahentes de ſtatu Eccleſiaſtico animalia, fruges & frumenta, etiam ex bonis Eccleſiaſticis collecta. Et contra mercantes, vel retinentes in d. Statu ſal exterum; Baroneſque ab eorum ſubditis ementes frumentum ultra ſuum uſum neceſſarium unius anni.

*Hæ conſtitutiones hic enunciatæ, in apoſtillis ſunt indicatæ, ibi videas. Iſta autem bulla approbata eſt, & ampliata à Paulo V. in conſt. 12. Inter, ubi etiam notabo.*

Quod autem extrahentes Annonæ ſpecies extra Statum Eccleſiaſticum, in Excommunicationem, & Cenſuras certis caſibus non incurrant, declaravit Greg. XV. in conſt. 30. Romani, tom. 4.

*Edita An. D. 1597.*

*C L E M E N S P A P A VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

FRumenti penuriam, non tam Dei judicio, à quo juſtè pro peccatis noſtris affligimur, quàm hominum avaritia, ac deteſtabili frumentario quæſtu, in locis maximè ditioni noſtræ temporali ſubjectis invaleſcentem, ejuſque pretium hoc præcipuè anno falſis rumoribus, ac diverſis artibus nimis adauctum conſpicientes, in hoc unum præcipuè incumbendum duximus, ut ſubditi noſtri, ac pauperes hujus Almæ Vrbis noſtræ, quos paterna charitate complectimur, quantum in nobis erit, ab iſta Annonæ charitate releventur.

*Multi extrahunt Frumẽta, & Blada de Statu Eccleſiaſtico, contra Gregorii XIII. conſtit. 10. Volentes, ſup.*

§. 1. Intelligentes itaque non ſine animi noſtri maxima perturbatione, quod quamplures, tam ex ipſiſmet ſubditis, quàm alii, propriæ ſalutis penitus immemores, non obſtantibus tot conſtitutionibus per prædeceſſores noſtros, & præſertim fel. record. Gregorium XIII. ſuper prohibitione extrahendi Frumenta, & alia Blada extra Statum Eccleſiaſticum editis, ac pœnis in eis contentis, in dies maximam frumenti quãtitatem extra dictum Statum nobis immediatè ſubjectum, & ad loca, in quibus pretium adauctum eſſe audiunt, vel per ſeipſos comportant, vel his qui illud exportaturi ſunt, ſcienter vendunt, & non ſolùm propria ipſorum Frumenta, Bladaque quæ ex prædiis ſuis, propriaque induſtria, & arte colligunt, verùm etiam quæ ab aliis, & præſertim pauperibus ruſticis, operariis & Agricolis, ac etiam ſubditis qui Barones ſint, vili pretio ex negotiatione compararunt, & congeſſerunt.

*Alii frumẽta recondita ſupprimunt, cõtra bullam 7. Clement. VII. lib. 1. & Pii V. lib. 2.*

§. 2. Alii verò Frumenta prædicta, etſi non extrahunt, ita in horreis & foveis recondunt, ac concluſa ſupprimunt, ut quam Dei benignitas aliquando populis fertilitatem anni concedit, ipſi avare & ſordide perturbare & vitiare non erubeſcant, pœnas, & cenſuras in conſtitutione per fel. recordat. Clementem Septimum, & Pium Papam Quintum prædeceſſorem noſtrum deſuper editis temere incurrentes.

*Alii ſal exterum mercantur, contra bull. 40. Gregorii XIII. lib. 2.*

§. 3. Alii autem ſumpta occaſione, quod aliquibus abhinc annis, ob devaſtationem Salinarum Cervien. Miniſtri Cameræ ut neceſſariam Salis quantitatem populis noſtri Status ſubminiſtrarent, illud ab exteris Regionibus convehi fecerunt, credentes ad inſtar Cameræ idem ſibi licere in præjudicium Cameræ noſtræ & animarum ſuarum perniciem, dictum ſal exterum & mercari & vendere, eoque uti temere audent, nulla habita ratione pœnarum in conſtitutione per fel. recordat. Gregorium XIII. prædeceſſorem noſtrum, contra inobedientes in hujuſmodi materia inflictarum.

*Hic itaque Pontif. bullas Greg. XIII. Pii IV. & Pii V. & Clem. VII. & aliorum deſuper editas approbat cum pœnis ibidem appoſitis, excommunicatione excepta.*

*Adverte S.D.N. Paul. V. innovaſſe excommunicationem quoad extrahentes in ſua bulla cit. in rubr.*

§. 4. Vt his igitur malis radicitus evellendis nova remedia adhibeantur, & quos charitatis vinculo potiùs quã pœnarum ſeveritate in officio hucuſque continere fruſtra ſtuduimus, indignationis noſtræ, ac legum & Magiſtratuum ſeveritas, juſtitiæque gladius, ac debitas luendi pœnas timor exterreat, ac penitus ab his cohibeat, hac præſenti perpetuò valitura conſtitutione, omnes & ſingulas conſtitutiones à Gregorio Decimotertio, Pio Quarto, Pio Quinto, Clemente Septimo, & quibuſvis aliis Rom. Pont. Prædeceſſoribus noſtris ſuo cujuſque tempore ſuper manutentione Annonæ, contra extrahentes Frumenta, Blada, Legumina, & omnia alia cujuſvis generis commeatus, ac mercantes ſal exterum, & alios ſupra nominatos, & infrà dicen. editis, pœnaſque etiam privationis Feudorum, ac confiſcationis aliorum quorumcumque bonorum, quoad Domicellos & Barones, & amiſſionis Frumenti, Bladorum, Salis & animalium, ac ſcutorum quinque pro qualibet ſalma dicti Frumenti, ac duorum pro quolibet capite animalium, quoad omnes cum omnibus aliis & ſingulis in eis contentis, quoad ea quæ præſentibus non adverſentur, & excepta excommunicationis ſententia, quæ cum ad medelam & ſalutem inventa ſit, ne animarum perniciem & interitum afferat, tam ex ſupra expreſſis caſibus, quàm in emendo Frumenta, & alia ultra uſum conſultò tollen. & ſubmoven. duximus, ex certa ſcientia noſtra approbantes & innovantes, illarumque omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis & inſertis haberi volentes.

*Aliaſque pœnas infligit.*

§. 5. Vniverſis & ſingulis tenore præſentium interdicimus, ne ſub indignationis noſtræ, & ſub jamdictis pœnis, nempe quoad Barones, Domicellos, Feudatarios, & ſubditos noſtros, quacumque etiam Ducali dignitate fulgentes, privationis Feudorum, ac confiſcationis aliorum bonorum & rerum quarumcumque; quo verò ad alias privatas perſonas cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, ultra amiſſionis Frumentorum, Bladorum, Leguminum, & animalium illa quomodolibet deferentium, necnon quinque ſcutorum pro qualibet ſalma, & duorum ſcutorum pro quolibet capite animalis, triremium pro prima vice ad decennium, ac deinde ſub capitis, ſive extremi ſupplicii, & confiſcationis omnium bonorum, ipſo facto & abſque alia declaratione incurren. pœnis, Triticum, hordeum, Legumina etiam, ac omnis generis Frumenta, fruges, & animalia, etiam ex bonis Eccleſiaſticis collecta, à Terris & locis dicti Status noſtri Eccleſiaſtici, abſque expreſſa noſtra, & à nobis obtenta in ſcriptis manu noſtra, ſeu ſucceſſorum noſtrorum ſolùm ſignata licentia, extrahere ſeu extrahi facere, vel extrahentibus vendere, neve dictum ſal exterum undecumque intra Eccleſiaſticæ noſtræ ditionis temporalis fines comportare, aut vendere, vel quoquo modo mercari, retinere, vel eo uti audeant, vel præſumant.

*Baronibus prohibet Frumenta, Blada & Legumina ultra uſum Anni à vaſſallis emere, etiam ſub pœna capitis.*

§. 6. Baronibus autem, Ducibus aut Domicellis prædictis, ne ab eorũ ſubditis, per ſeipſos vel per interpoſitam perſonam, Frumenta & Blada, vel Legumina, præterquam

torquam proprio, ſuarumque familiarum unius dumtaxat anni uſu emant, ſub jam dictis omnibus, ac etiam capitis pœnis ſtatuimus atque decernimus.

*Camerario & Præfecto Annonæ jurisdictionem in contravenientes concedit.*

§.7. Mandantes dilectis filiis noſtro & S.R.E. Camerario, & Annonæ Præfecto, quatenus cōtra prædictos delinquētes, ſeu in flagranti fuerint reperti, ſive ad Curiam denunciati fuerint, vel alias etiā ſecretò delati, ex officio ad executionem prædictarum pœnarum irremiſſibiliter procedant, & procedi mandent & faciant, & quoties opus fuerit, bona confiſcata, & feuda devoluta declarent, eaque Fiſco, & Cameræ noſtræ actualiter incorporari faciant.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§.8. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque.

*D.P.A.6. die 14. Sept.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die decimatertia Septembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

---

L.

## Inſtitutio trium Novitiatuum vel Seminariorum in tribus Monaſteriis Ordinis S. Baſilii in Italia, cum aſſignatione ſubventionis, per Commendatarios ipſorum Monaſteriorum eis annuatim præſtandæ.

*In Regnis autem Hiſpaniarum, vide locorum inſtitutionem, quam præfinivit iſte Pontif. cum regulis reformationis infra in eius conſtit. 103. Altiſſimi, ubi cetera remiſſivè indicabo.*

*Edita An.D. 1597.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Inſtitutio trium Novitiatuum pro Novitiis Ordinis S. Baſilii in Italia. Quoad recipiendos & educan. Novitios, vide ordinationes infra in conſtit. 83. In ſuprema.*

CUm ad ſublevandum Ordinem S. Baſilii tria ejuſdem Ordinis Seminaria, ſeu tres Novitiatus, in quibus adoleſcentes & Novitii literis Græcis & Latinis operam dent, unum videlicet in Sicilia, & in Monaſterio magno nuncupato S. Salvatoris Meſſanen. dicti Ordinis, alterum verò in Regno Neapolitano, & tertium in Monaſterio Cryptæ Ferratæ in Agro Romano nullius diœceſis, ſeu in Monaſterio in Vrbe prope diem erigendo inſtitui valde expediat.

*Aſſignatio annui ſubſidii eis præſtandi à Cōmendatariis Monaſteriorum d. Ordinis.*

§.1. Nos quibus ſummopere cordi eſt modis omnibus Deo juvante efficere, ut ejus Ordinis Religioſi in dies optatos & felices in viis Domini progreſſus faciāt, atque uberes in Eccleſia Dei fructus more majorum ſuorum, & præcipuè Sancti eorum Patris & Patriarchæ Baſilii proferant, omnibus & ſingulis Commendatariis quorumcunque Monaſteriorum, Prioratuum, & aliorum Regularium locorum dicti Ordinis in Sicilia, Calabria, & aliis Italiæ partibus, in quibus nimirū Seminaria Eccleſiaſtica Latina non ſunt, ſeu etiāſi erecta ſint, iis per dictos Commendatarios portio aliqua actu non perſolvitur, conſiſtentiū, quavis illi dignitate, auctoritate & conditione, etiā Cardinaltatus honore præfulgeant, in virtute ſanctæ obediētiæ harū tenore præcipimus & mandamus, ut eam omnē ratam portionem vel pecuniam, quam ipſi ratione Commendarum, Monaſteriorum, Prioratuum & locorum hujuſmodi, Seminariis Eccleſiaſticis Latinis pro quolibet centenario ſingulis annis perſolvere tenerentur, quatenus ibidem Seminaria Latina hujuſmodi non ſint, aut ipſi dictis Seminariis Latinis contributionem aliquam actu non perſolvant, de cetero perpetuis futuris temporibus Procuratori, ſeu Procuratoribus dictorum Seminariorum, ſeu Novitiatuum à dilecto filio Theodoro, moderno ac pro tempore exiſtente Abbate Generali Congreg. Italiæ Ordinis præfati, ſeu à Capitulo generali ejuſdem Ordinis pro tempore deputatis & deputandis, pro ſuſtentatione & manutentione dictorum Seminariorum, ſeu novitiatuum Ordinis hujuſmodi, ad omnem illius vel illorum requiſitionem, ac omni & quacumque excuſatione, mora & dilatione poſtpoſitis, perſolvere debeant & teneantur. Quos Commendatarios à ſolutione ratæ ſeu portionis vel pecuniæ hujuſmodi eiſdem Seminariis Latinis in poſterum facienda, perpetuò eximimus & liberamus. Necnon Procuratori ſeu Procuratoribus ſicut præmittitur deputatis, aut deputandis, eam omnem ratam ſeu portionem vel pecuniam ab ipſis Commendatariis, ſeu eorum affictuariis propria auctoritate exigendi levandi, ac in uſus dictorum Seminariorum, ſeu Novitiatuum convertendi, licentiam & auctoritatem per præſentes tribuimus & impartimur.

*Applicatio beneficiorum ſpectantium ad collationem Conventus & Capituli S. Salvatoris pro Novitiatu d. Monaſterii S. Salvatoris.*

§.2. Quoniam verò extant quædam beneficia ſimplicia Eccleſiaſtica, regularia ſive ſecularia, tā in Siciliæ, quā in Calabriæ Provinciis, quæ ad Capituli ſeu Conventus Monachorum dicti Monaſterii Sancti Salvatoris liberam collationem, ſeu proviſionem ſpectant & pertinent, quorum quidem aliqua tantum nunc reperiuntur unita, ſeu applicata Seminario, ſeu Novitiatui ejuſdem Monaſterii, cetera verò, cum vacant, à dicto Capitulo & Conventu liberè conferuntur. Idcirco nos eorundem beneficiorum non unitorum qualitates, ſituationes, confines, vocabula, invocationes, veroſque annuos valores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illa omnia & ſingula cum primum per ceſſum vel deceſſum, aut alias quovis modo vacaverint, dummodo dictorum beneficiorū collatio, ſeu proviſio ad prædictum Capitulum, ſeu Conventum Monachorum dicti Monaſterii S. Salvatoris liberè ſpectet & pertineat, prædicto Seminario, ſeu Novitiatui perpetuò annectimus, unimus & incorporamus.

*Approbatio unionis & applicationis iam factæ.*

§.3. Et eorum quæ hactenus unita, applicata, ſeu incorporata ſunt, unionem, applicationem & incorporationem eadem auctoritate noſtra confirmamus, & approbamus.

*Facultas Procuratoris d. Novitiatus capiendi poſſeſſionem d. beneficiorū, & eorū fructus exigendi propria auctoritate.*

§.4. Ita quod Procuratori dicti Novitiatus liceat propria auctoritate eorundem beneficiorum, & illorum bonorum, ac illis annexorum poſſeſſionem, ſeu quaſi, ex nunc prout ex tunc cum, ut præfertur, vacaverint, dicti Seminarii aut Novitiatus nomine liberè apprehendere, & cum unioni locus factus fuerit, eorum fructus, redditus & proventus propria auctoritate perpetuò exigere, percipere, & levare, ac in Seminarii, ſeu Novitiatus hujuſmodi uſus & utilitatem convertere, alicujus licentia ſuper hoc minimè requiſita.

*Clauſ. præſ.*

§.5. Decernentes unionem, annexionem & incorporationem, aliaque præmiſſa perpetuo valida & efficacia fore & eſſe, nec per quaſcumque noſtras & pro tēpore exiſtētium Romanorum Pontificum, etiam in craſtinum aſſumptionis ad Apoſtolatus apicem editas & edendas conſtitutiones & regulas, etiam unionum effectum non ſortitarum revocatorias, revocari, aut ſub iis comprehendi. Sicque per quoſcumque Iudices & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§.6. Non obſtantibus noſtra de unionibus committendis ad partes, vocatis quorū intereſt, & exprimendo vero valore, ac Lateran. Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, cōfirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus.

*Exemplorum fides.*

§.7. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 6. die 10. Octob.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die decima Octobris milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

---

LI.

## Confirmatio, & innovatio gratiarum & privilegiorum omnium, etiam per viam communicationis conceſſorum Ordinibus tam Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ, quàm S. Claræ, & Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci, in communione & ſub tribus votis eſſentialibus viventiū, in his quæ Concilio Tridentino, & decretis Fratrum Reformatorum non adverſantur.

*Ejuſmodi confirmationem plerique prædeceſſores, & ſignanter Clemens VII. Paulus IV. Gregorius XIII. & Sixtus V. ediderunt: ſed illis conſulto prætermiſſis, hanc poſui uti pleniorem. Regulam verò, & alia de Ordine S. Franciſci, vide ſup. apud conſt. 5. Honorii III. Solet, ubi plenè notavi, lib. 1.*

*Edita An. D. 1595.*

## CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia commendatio.*

RAtio Paſtoralis officii noſtri exigit, atque efflagitat ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apoſt. totique Eccleſiæ non modò illuſtrem, & præclaram, ſed utilem etiam, ac neceſſariam eſſe animadvertimus, eoſdem noſtris, & ejuſdem Sedis Apoſt. honoribus, ac beneficiis libenter proſequamur. Cum verò ex bonis, & commodis ſpiritualibus Ord. Mendicantium ea longè, lateque pateant, ſemperque patuerint, quæ à ſacro Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia, ab ipſis fundatæ Religionis initiis, in omnes Chriſtianæ Reipub. Provincias profluxerunt, quotidie profluunt, & promanant, faciendum nobis eſſe ſtatuimus, ut in eodem Ordine noſtris & Sedis Apoſt. gratiis atque muneribus honeſtando, nihil Romanorum Pont. prædeceſſorum noſtrorum benignitati ac ſtudio concedamus.

*Plurimarum gratiarum, & indultorũ à multis Rom. Pont. conceſſio.*

§. 1. Cum igitur pro parte dilecti filii Io. Bapt. Moles Commiſſarii Generalis in Romana Curia Vltramontanæ Familiæ prædicti Ord. de Obſerv. nobis expoſitum fuerit, ex ipſius Sedis benigna dignatione provenire, ut Romanus Pont. quandoque prædeceſſorum ſuorum Roman. Pont. geſta innovet, ac Apoſtolica auctoritate innovata, & reſtaurata muniat & fulciat, & in priſtinum ſtatũ reponat ac reducat, necnõ propterea nonnulli Romani Pont. prædeceſſores noſtri quaſdam gratias, conceſſiones, indulgentias & peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiã plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia privilegia, & indulta tam prædictis Fratrum Min. quam S. Claræ, ac Tertio de pœnit. nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus & Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis, & Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis & Locis quibuſcumque dictorum Ordinũ nunc & pro tempore exiſtẽtibus, in genere vel in ſpecie, etiam per modum communicationis, ſive extenſionis privilegiorum aliis Ordinibus, eorumque Domibus & Eccleſiis, & utriuſque ſexus perſonis Ordinum mendicantiũ & non Mendicantium exiſtentibus conceſſorum, conceſſerunt, aut jam conceſſa confirmarunt & approbarunt, prout in ſingulis conceſſionibus, declarationibus, & literis eorumdem prædeceſſorum expeditis pleniùs dicitur contineri.

*Generalis commiſſarii pro eorum confirmatione petitio.*

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, illa quæ ſæpiùs Apoſtolica auctoritate prædicta munita exiſtunt, majorem obtineant roboris firmitatem, pro parte prædicti Io. Baptiſtæ Moles nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prædictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conſervatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, cõceſſionibus, indulgentiis & indultis pro illorum obſervantia noſtræ approbationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Huius Pontificis approbatio in his quæ Conc. Trid. non adverſantur, vel decretis Fratrum Reformatorum.*

§. 3. Nos igitur, qui omnium votis, præſertimque illorum qui ſub ſuavi Religionis jugo divinis laudibus, & Chriſtianæ Religionis augmento incumbentium perſonarum tranquillitati & commoditati conſulunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati quæcumque præmiſſa, ac omnia & ſingula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe & cum aliis Ordinibus Mendicantibus & nõ Mẽdicantibus, ejuſdem Fratrum Minorum Regularis obſervantiæ, & S. Claræ, & de Pœnitent. Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione ſub trium votorum ſubſtantialium profeſſione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ hujuſmodi obediendia degentibus, ipſorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriuſque ſexus etiam ſingularibus perſonis, necnon Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis & Locis quibuſcumque in genere & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut aliàs per eoſdem Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & Sedem prædictam ſub quacumque forma & expreſſione verborum conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon omnibus & ſingulis in eis forſan contentis clauſulis, decretis & declarationibus quibuſcumque, ac ſingulas deſuper etiam pluribus vicibus confectas literas, & in eis contenta & inde ſequuta quæcumque, illorum omnium tenores & formas, datas, effectus, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, & in his eſſent inſerta, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes dicta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia (in his omnibus, in quibus decretis Concilii Tridentini non adverſentur, ſalvis etiam decretis à nobis in favorem Fratrum Reformatorum conceſſis) approbamus & confirmamus ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſervari, necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & Sanctæ Claræ, & Tertio de pœnitentia nuncupato, etiam in Congregat. ſub obedientia Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi degen. Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, Perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis & locis prædictis, etiam per modum communicationis, & extenſionis hujuſmodi ſuffragari, illiſque frui, uti & gaudere quando & quoties opus fuerit, poſſe & debere, in judicio & extra, ac etiam in foro conſcientiæ, in omnibus & per omnia, ac ſi ſpecialiter & expreſsè eiſdem Fratrum Minorum, & S. Claræ, & Tertio de Pœnitẽtia Ordinibus per nos conceſſa fuiſſent, decernimus. Supplentes omnes & ſingulos juris, facti, ac ſolemnitatum etiam de juris neceſſitate, aut aliàs quomodolibet requiſitarum, forſan omiſſarum, & alios quoſcumque defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

*Executorum huius conſt. deputatio.*

§. 4. Quocirca venerabilibus Fratribus Mantuæ, & Toy Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per eaſdem præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, plenum eorum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacificè frui & gaudere. Non permittentes quemquam deſuper contra præſentium tenorem ſub quovis prætextu & cauſa, etiam defectu intentionis noſtræ, per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, quinimò quicquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnia ſemper in priſtinum reponi, contradictores quoſlibet & rebelles, etiam per quaſcumque, de quibus eis videbitur, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris & facti remedia, appellatione quacumque poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios, ac S.R.E. Cardinales, necnon ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores, ſublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere.

*Clauſula derogatoria.*

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, dũmmodo ultra tres dietas aliquis præſentium vigore ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, ac Provincialibus & Capitularibus ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam in forma brevis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, ac ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis irritantivis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiorum eorum revocativis, reſtrictivis, reſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarũ derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis, con-

firmatis

firmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, etiam quod in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma derogari poſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus derogamus. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§. 6. Verùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus fortè opus eſſet, deferri, volumus, & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu alicujus ex Secretariis cujuſvis prædictorum Prælatorum Generalium, ac Romanæ Curiæ Commiſſarii, & ſuorum ſucceſſorum, aut Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo officii alterius eorumdem, aut alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 6. die 20. Dec.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima Decembris 1595. Pontificatus noſtri anno ſexto.

---

## LII. Acceptatio devolutionis Ducatus Ferrariæ mox recuperati, ejuſque & reddituum incorporatio Rev. Cameræ Apoſt. ac ſubjectio Bullæ Pii V. de Terris S. R. E. non infeudandis.

*Hac Pii V. conſtitutio eſt num. 35. ſupr. lib. 2. ubi de ſua materia plenè dixi.*

*Edita A. D. 1598.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter Dominus Clemens divina providentia Papa Octavus.

*Ferraria Ducatus ad R. Cam. Apoſt. devolutus eſt per obitum Alphonſi Ducis abſque alia declaratione.*

§. 1. Quoniam per obitum Alphonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis, Ducatus & ſtatus Ferrariæ, cum omnibus Civitatibus, Terris, Caſtris, fortalitiis, Portubus, locis, membris, juriſdictionibus, juribus, ac aliis annexis & connexis, de quibus à Sede Apoſtolica, & ſuis prædeceſſoribus Rom. Pontificibus idem Alphonſus, ſive ejus anteceſſores inveſtiti fuerunt, ſeu aliàs quomodolibet illos & illa à Sede præfata tenuerunt, & habuerunt, ad eandem Sedem & Cameram ſuam Apoſtolicam, tum ex forma inveſtiturarum, ſeu aliarum conceſſionum de eis factarum, tum vigore conſtitutionis felic. record. Pii Papæ Quinti prædeceſſoris, editæ ſub dat. 4. Kalend. April. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimoſexto, Pontificatus ſui Anno ſecundo, reverſi, & reverſa, devoluti & devoluta exiſtunt, & utile eorum dominium cum directo conſolidatum eſt, etiam abſque aliqua alia ulteriori acceptatione, declaratione, ac poſſeſſionis apprehenſione, & aliàs juxta præfatam conſtitutionem Pii V. ad quam in omnibus & per omnia, & in omnibus ejus partibus relationem haberi voluit.

*Hic tamen Pont. d. devolutionem acceptavit.*

§. 2. Nihilominus pro potiori cautela, & jura juribus addendo, conſtitutioni inhærendo, de venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio pariter & aſſenſu, Statum & Ducatum prædictum cum omnibus Civitatibus, Terris, Caſtris, Fortalitiis, Portubus, locis, membris, & aliis annexis & connexis, per obitum præfati Ducis Alphonſi, ſeu alias ad eandem Sedem devolutum, & devoluta, & utile illorum dominium cum directo conſolidatum eſſe declaravit, & hujuſmodi reverſionem devolutionis, & utilis cum directo dominio conſolidationem acceptavit, ipſumque Ducatum & Statum Ferrariæ cum omnibus ſupradictis Sedi Apoſt. & Cameræ reverſum, unitum, & incorporatum eſſe, ac cenſeri decrevit & declaravit omni meliori modo.

*Et d. Ducatum d. Camera incorporavit, & SS. Petro & Paulo dicavit.*

§. 3. Et quatenus opus ſit, eundem Ducatum & Statum de novo eidem Sedi & Cameræ univit & incorporavit, & diſpoſitioni conſtitutionis præfatæ Pii V. ſubjacuiſſe, & ſubjacere ſimiliter decrevit & declaravit, Deoque Omnipotenti, Beatæ Virgini, ac SS. Apoſtolis Petro & Paulo perpetuò tribuit & dedicavit.

*Act. P. A. 6. die 19. Ian.*

Die 19. Januarii 1598. apud S. Petrum in Conſiſtorio ſecreto, Romæ.

*Sequitur alia itidem declaratio, & applicatio.*

*Edita A. D. 1598.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens divina providentia Papa Octavus.

*Idem Pontifex Deo egit gratias de recuperatione d. Ducatus.*

§. 4. Dixit Ducatum & Statum Ferrariæ jam fuiſſe recuperatum, idque ſola Dei Omnipotentis miſericordia factum eſſe, & propterea illi ingentes eſſe gratias agendas, præſertim cum id abſque ulla ſanguinis effuſione contigerit.

*Iteratoque illum Cam. Apoſt. incorporat cū ſuis fructibus, & B. Mariæ, & Paulo conſecrat.*

§. 5. Et iteratò ut magis enixam, & exploratam ejus voluntatem oſtendat, jura juribus addendo, Ducatum & Statum præfatum, omneſque illorum redditus eidem Sedi & Cameræ Apoſtolicæ univit & incorporavit, & diſpoſitioni conſtitutionis Pii V. editæ ſub dat. 4. Kalend. Aprilis, Pontificatus ſui Anno ſecundo, ſubjacuiſſe, & ſubjacere ſimiliter decrevit, Deoque Omnipotenti, Beatæque Mariæ Virgini, & SS. Apoſtolis Petro & Paulo, quorum ope id factum fuit, perpetuò addixit & conſecravit.

*Act. P. A. 7. die 11. Febr.*

Romæ apud Sanctum Petrum, die undecima Februarii milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo.

---

## LIII. Juriſdictio & facultates S. R. E. Cardinalis de latere Legati in Alma Urbe dimiſſi, ob diſceſſum Summi Pontificis verſus Civitatem Ferrariæ, & alia loca Status Eccleſiaſtici.

*Hujuſmodi legationum bullas tres tantummodo de quampluplurimis in hoc opere ponendas duxi, ut ſuprà lib. 1. tibi ſignificavi in Pauli III. conſtit. 16. Licet.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Edita A. D. 1598.*

*Proœmium.*

LIcet poteſtatis plenitudo deſuper nobis commiſſa ſit, & univerſi gregis Dominici, divina diſponente clementia, curam habeamus, finem tamen humanæ poſſibilitatis excedere non valentes, conſiderantesque quod circa ſingula per noſmetipſos Apoſtolicæ ſervitutis debitum abſolvere non poſſumus, nonnunquam aliquos, & præcipuè S. R. E. Cardinales in ſolicitudinis noſtræ partem aſſumimus, ut ipſis vices noſtras ſupplentibus, miniſterium nobis deſuper commiſſum, favente pietate ſuperna, faciliùs & ſalubriùs exequamur. Et quamvis ad cunctorum Chriſti fidelium Provincias, Civitates, & loca paternum ſtudium & diligentiam adhibeamus, ad Almam Urbem tamen noſtram aciem noſtræ conſiderationis paternis affectibus dirigentes, illam, Cives, incolas, & habitatores ejuſdem, tanquam peculiares filios, & devotos diligentiori cura intuemur, & ſuper eorum felici regimine, pacifico & tranquillo, ut præſerventur à noxiis, & optatis perfruantur incrementis, ſpecialiter providere deſideramus.

*Hic Pontifex profecturus Ferrariam, & alia loca ſui Status, Legatum Romæ reliquit Inicum Avalos S. R. E. Cardinalem cū poteſtate.*

§. 1. Cum itaque ex graviſſimis & urgentibus cauſis animum noſtrum moventibus, ad Civitatem & Ducatum noſtrum Ferrarien. ac alias Provincias, Civitates, & loca temporalis ditionis Eccleſiaſticæ, dimiſſis in eadem Urbe Palatii noſtri, & Curiæ Cameræ Apoſtolicæ cauſarum audientiis, necnon Gubernatore, ſeu Vicecamerario, ac Vicario, ſeu ejus Locumtenente, & Senatore, & Dataria, & Cãcellaria noſtra, cum plumbo, Capella, & ejuſdem Cancellariæ, & aliis Curiæ Romanæ officialibus, nos conferre intendamus. Nos interim bono & felici Urbis, & Romanæ Curiæ prædictarum regimini providere volentes, & ad te potiſſimùm, quem etiam in magnis, & arduis Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ negotiis verſatum, eximia probitate & fidelitate, rerumque gerendarum experientia, & præcipua prudentia, ac integritate comprobatum habemus, mentem noſtram convertentes, ac ſperantes, quod ea quæ tibi duxerimus committenda, gratia tibi aſſiſtente divina, circumſpectè, prudenter, juſtè, & fideliter exequeris, Te in Urbe prædicta, ejuſque territorio, & diſtrictu, ac Civitatibus, Terris, & locis illis adjacentibus,

noſtrum & dictæ *Sedis* Legatum de latere, necnon omnium Tribunalium, & Officialium, ac Miniſtrorum etiam juſtitiæ, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus generalem & ſpecialem Superintendentem ſ de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtol. tenore præſentium, uſque ad beneplacitum, vel ad eandem Urbem reditum noſtrum dumtaxat, creamus, conſtituimus, & etiam deputamus.

*Almam Urbem, & in ea degentes etiã exemptos gubernãdi, &c.*

§. 2. Dantes tibi harum ſerie pariter, & concedentes plenam, liberam, & omnimodam poteſtatem, & facultatem, ac auctoritatem Urbem, Civitates, & loca prædicta cum eorum territoriis, diſtrictibus, & pertinentiis, necnon perſonas, cives, habitatores, etiam curiales, & ipſam Romanam Curiam ſequentes, ſeu ad eandem undecumque venientes, dum in ea fuerint, ſeu in ea degentes, & incolas ejuſdem, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, etiam Pontificalis fuerint, ac ejuſdem Romanæ Curiæ officiales exiſtant, etſi ſe exemptos à quocumque Legationis officio prætenderent, noſtro & dictæ Romanæ Eccleſiæ nomine gubernandi, regendi & adminiſtrandi, ac prout cœleſtis gratiæ infuſio, & tua prudentia perſuadebunt, reformandi & corrigendi, occupata recuperandi, necnon illa & alia deformata in priſtinum & debitum ſtatum reducendi.

*Cauſas criminales via appellationis & recurſus cognoſcendi.*

§. 3. Cauſas civiles & criminales, Eccleſiaſticas & ſpirituales, etiam beneficiales, ac matrimoniales, & etiam prophanas, ad forum Eccleſiaſticum & ſæculare quocumque jure ſpectantes, ac mixtas, intra terminos tuæ Legationis, & Vicariatus hujuſmodi, per viam appellationum quarumcumque, vel recurſus, unà cum negotio principali, conjunctim vel diviſim, vel aliàs prout tibi viſum fuerit, ac cum omnibus & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, per te vel alium, ſeu alios audiendi, cognoſcendi, etiam ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, ut præfertur, & cum reïteratione terminorum ex ſtylo Curiæ, ſeu natura obſervari conſuetorum, ac etiam cum illorum omiſſione, illaſque decidendi & terminandi.

*Sententias quaſcumque exequendi.*

§. 4. Et quaſcumque ſententias, per te, ſeu etiam alios Judices quoſcumque latas, tam in Romana Curia, quàm extra eam, etiamſi in rem tranſiverint judicatam, executioni debitæ, cum decreto literarum executorialium, ſeu mandati executivi, & cum invocatione brachii ſæcularis demandandi, & dictarum cauſarum cognitionem, terminationem, & executionem in caſibus recurſus, prout expedire judicaveris, ſuſpendendi.

*Curiales & officiales coërcendi.*

§. 5. Ac etiam in ipſa Urbe, quãdiu ab ea abſentes fuerimus, in quoſcũque Curiales, & ipſam Curiam ſequẽtes, & Officiales quoſcumque ipſius Curiæ noſtræ, ac quæcũque Urbis Tribunalia, & ipſorum officiorum & Tribunalium præſidentes, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis fuerint, omnimodá juriſdictionem, & generalem, ac ſpecialem ſuperintendentiam exercendi.

*Diſcordias componendi.*

§. 6. Necnon etiam inter Comites, Barones & Milites, Dominos temporales & nobiles, & perſonas alias ſæculares & Eccleſiaſticas, necnon Communitates, & Univerſitates, ac Populos & omnes alios ſæculares diſcordes, & differentes, Urbis, Terrarum, locorum & diſtrictus prædictorum pacem & concordiam faciendi, & inter eos pro hujuſmodi pace & concordia inducias indicendi, ipſoſque ad eas, & ipſarum obſervantiam quibuſcumque pœnis, diſtrictionibus, ſententiis & cenſuris, prout tibi videbitur compellendi, concordes in unitatis & charitatis vinculo confovendi & confirmandi.

*Rebelles, bãnitos, & delinquentes puniendi.*

§. 7. Rebelles & delinquentes, ac ejuſdem Romanæ Eccleſiæ hoſtes cẽſuris & pœnis, tam Eccleſiaſticis quàm aliis etiam pecuniariis, & corporis afflictivis coërcendi & corrigendi, ac ad noſtram & dictæ Romanæ Eccleſiæ unitatem reducendi. Ac præterea pro bannitorũ & perditorũ hominum profligatione & extirpatione, Tibi non ſolùm in Urbe & diſtrictu prædictis, ſed etiam in Provinciis noſtris adjacentibus Patrimonii, Campaniæ, & Maritimæ, ac illarum Civitatibus, Terris, & locis quibuſcumque noſtras vices & voces, ac omnimodam facultatem, poteſtatem, auctoritatem, & arbitrium contra quoſcumque bannitos, facinoroſos, eorumque receptatores, fautores, complices, & ſequaces, necnon contra Communitates, Univerſitates, ac Civitates, Terras & Caſtra intra terminos tuæ Legationis & Vicariatus hujuſmodi, & alios cujuſcumque præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant Barones, Feudatarios, Duces, & quavis auctoritate fungentes, etiam extrajudicialiter, ac manu regia, & ſecundùm voluntatem, beneplacitum, diſpoſitionem, ac arbitrium tuũ, appellatione, recurſu, & reclamatione quibuſcumque remotis & rejectis, procedendi ad capturam, torturam, etiã nulla indiciorum decreta copia, aut aliquo præfixo termino ad defenſiones faciendas, illoſque omnes & ſingulos puniendi, tam in rebus & bonis, quàm in perſonis, etiam uſque ad pœnã ultimi ſupplicii incluſivè. Ac ſententias quaſcumque corporales & ultimi ſupplicii, etiam in contumaciam, legitimis indiciis non præcedentibus, à quibuſvis Judicibus latas ſtatim exequendi. Domos, vineas, poſſeſſiones, arces, fortalitia, mœnia, & alia quævis bona rebellium & delinquentium devaſtandi, demoliendi, ac publicandi. Conjunctos, affines, & conſanguineos delinquentium, & aliorum prædictorum ad illorum redemptionem cogendi. Præcipiendi Communitatibus, Domicellis, Baronibus, & particularibus perſonis, ut homines, animalia, & alia neceſſaria pro bannitorum profligatione, & aliis neceſſitatibus ſine aliqua mercede accommodent. Ac præterea quoſcumque alios delinquentes pœnis pecuniariis, exilii, & relegationis, ac etiam ultimi ſupplicii puniendi, ac puniri mandandi & faciendi. Atque ſub eiſdem pœnis, ac privationibus præcipiendi Capitaneis, Ductoribus, Officialibus, & omnibus Militibus, tam Legionariis, quàm etiam ſtipendiariis, ad omnem requiſitionem tuam, ſeu à te deputatorum, ſine aliqua mercede ad arma capien. & ad loca ipſis imperata accedendum, pugnandum, loca invadendum, renitentes occidendum, qui ſine licentia recedere non poſſint. Et in eventum quod dicti ſicarii, banniti, & delinquentes, vel alii inobedientes in aliqua civitate, caſtro, ſeu fortalitio, & alio quovis loco mediatè vel immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecto reperiantur, ſi Communitas, Univerſitas, Barones & alii ad quos ſpectabit, eoſdem ſicarios & inobedientes, & alios quoſcumque, etiam non culpabiles, ad omnem requiſitionem, ſeu tuorum Officialium, vinctos in tuis, vel eorumdem Officialium manibus tradere recuſaverint, ſeu reſtiterint, tormentis bellicis mœnia Civitatis, Oppidi, & Fortalitii hujuſmodi quatiendi, expugnandi, & uſque ad demolitionẽ violenter ingrediendi, etiamſi homicidia, & mortes non culpabilium accidentaliter inde ſecuta ſint, ſine ullo tam ſpiritualium, quam temporalium pœnarum incurſu. Necnon Tibi, tuiſque Miniſtris, Officialibus, & Militibus, in omnes armatos & cõventiculas, niſi ſtatim ſe in dictorum Miniſtrorum manibus dedant, impetum faciendi, & contra reſiſtentes prædictos, ſeu fugientes archibuſia exonerandi, nec propterea de morte ſecuta teneãtur. Novas quoque taleas & nominationes pro bãnitorum & facinoroſorum extirpatione, expenſis Cameræ Apoſtolicæ ad tuum libitum imponendi. Quoſcumque etiam Principes, Duces, Barones, Civitates, Caſtra, Communitates & Univerſitates, auſu temerario conatibus tuis quocumque modo ſe opponentes, anathematis gladio feriendi, illos invadendi, exercitum cogendi, ac contra eos ut publicos hoſtes pugnandi, Ducatibus, Principatibus, Baroniis, & feudis, privilegiis, ac bonis illos perpetuò privandi, ſpoliandi, eorumque Civitates, Caſtra, loca, & feuda quæcumque Cameræ noſtræ Apoſtolicæ perpetuò uniendi, applicandi, & incorporandi ipſo facto, abſque alia Judicis declaratione. Necnon cum quibuſvis Principibus vicinis & longinquis ſuper remiſſionibus bannitorum & aliorum delinquentium hinc inde cõventiones faciẽdi, quæ poſtquã factæ fuerint, à nobis & Sede Apoſtolica approbata cenſeantur, prout ex nunc approbamus. Atque à Cõmunitatibus & Univerſitatibus quarumcumque civitatum & locorum frumentum, vinum, ſtramina, & alia victui neceſſaria arbitrio tuo ſubminiſtrari faciendi. Atque omnia & quæcumque delicta contra quaſcumque perſonas, tam Eccleſiaſticas, quàm ſæculares commiſſa, etiam in crimine læſæ Majeſtatis, exceptis tamen contentis, juxta diſpoſitionem juris communis in primo capite, ſecuta vel non ſecuta condemnatione notoria vel occulta, etiam eorum quibus taleæ & nominationes impoſitæ fuerunt, etiam elapſo anno remittendi. Non obſtan. felic. rec. Pii Papæ Quinti,

&

& aliis conſtitutionibus Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de bannis loquentibus, quibus ad tuum libitum derogare poſſis, ipſoſque delinquentes ad ſuum ſtatum, & honorem reſtituendi, in omnibus caſibus gratiandi & componendi, etiamſi ſint rebelles & diſſidati, impoſito tamen illis donec pacem habuerint, arbitrio tuo, exilio à loco commiſſi delicti. Ac ſalvos conductus ad libitum prædictis concedendi, atque omnia alia in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac circa ea neceſſaria & opportuna, ac tibi beneviſa, etiam ſpeciali nota digna, quæ Nos ipſi facere poſſemus, faciendi, mandandi, & exequendi, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium damus, tradimus, atque concedimus. Volumus autem & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod præmiſſorum occaſione, irregularitatis labem ſive notam minimè incurras, nec incurrere cenſeatis.

*...ſula ...itorum ...lativa.*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, ac quarumcumque Civitatum, Terrarum, locorum, Communitatum, & Univerſitatum ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſcumque perſonis, etiam Pontificali, Ducali, & quavis alia dignitate præditis ac fulgentibus quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, ad effectum præſentium, ſpecialiter & expreſsè, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*...ultas ...ndi certa ...ficia.*

§. 9. Ceterùm, ut erga perſonas noſtri & Apoſtolicæ Sedis devotas te gratioſum ac liberalem valeas exhibere, tibi ut quæcumque beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia dumtaxat, ac perſonalem reſidentiam non requirentia, quorum fructus, redditus, & proventus ſecundum communem æſtimationem verum annuum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera non excedant, in Alma Urbe noſtra, & in illius diſtrictu, durante tua legatione hujuſmodi vacatura ( illis quæ ad collationem alicujus ex venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, reſpectu Epiſcopatuum, titulorum, ſeu Diaconiarum, aut etiam indultorum, vel aliàs quocumque modo pertinent, dumtaxat exceptis ) quorum collatio & proviſio diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs ex quacumque cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, præterquam ratione familiaritatis noſtræ, aut Cardinalium viventium, generaliter reſervata, ſeu ex quavis generali reſervatione affecta fuerint, quibuſvis perſonis idoneis, quibus tibi videbitur, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, invicem tamen compatibilia beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus & expectantibus, auctoritate Apoſtolica conferre, & de illis providere pariter liberè & licitè poſſis & valeas, facultatem & auctoritatem ſimiliter concedimus & indulgemus. Decernentes collationes, proviſiones, & alias diſpoſitiones per te de hujuſmodi beneficiis faciendas perinde validas, firmas, & efficaces fore & eſſe, ac ſi à nobis ipſis factæ forent.

*...auſula ...lata.*

§. 10. Sicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*...ibuſcum... non ob...*

§. 11. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtræ Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Baſilicarum & Eccleſiarum quarumcumque, in quibus beneficia hujuſmodi forſan fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Aprilis, milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo, Pont. noſtri anno ſeptimo. *Dat. P. A. 7. die 3. Apr.*

---

## Declaratio quod Officiales & Curiales, tam ſequentes Sanctitatem ſuam in ejus ab Urbe diſceſſu, quàm in ea remanentes, ſint verè Curiales, eorumque gaudeant prærogativis, & beneficia eorundem Sedi Apoſtolicæ remaneant affecta. LIV.

*CLEMENS PAPA VIII.* *Edita A. D. 1598.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus declarationis.*

CUm ob nonnullas graves & urgentes cauſas ad Civitatem & Ducatum noſtrum Ferrarien. cum pleriſque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & nonnullis noſtris, & Romanæ Curiæ Officialibus propediem, annuente Domino nos conferre, ac ibidem, & in aliis forſan temporalis ditionis Eccleſiaſticæ locis per aliquot menſes commorari ſtatuerimus. Cumque in Alma Urbe noſtra cauſarum, & literarum Audientiam, necnon etiam Cancellariam noſtram Apoſtolicam relinquamus, & prætereà diverſi ejuſdem S. R. E. Cardinales, aliique Romanæ Curiæ Officiales in eadem Urbe remaneant. Nos ne propterea dubitatio aliqua circa Curiales ac Officiales ejuſdem Romanæ Curiæ oriatur, providere volentes.

*Declaratio quod tam ſequentes Papam, quam remanentes in Urbe, curiales remaneant.*

*De diſceſſu habes in conſtit. praeced.*

§. 1. Hac noſtra conſtitutione, tam eos qui nos ſequentur, quàm eos qui in dicta Urbe remanſerint, ſive Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſive Officiales & Curiales, aut alii quicumque eandem Romanam Curiam ſequentes fuerint, unam tantum, & non duas Romanas Curias conſtituere, eoſque omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, antelationibus, prærogativis, declarationibus, indultis, facultatibus, conceſſionibus, & conſuetudinibus, etiam quoad acceptationes & proviſiones beneficiorum faciendas, quibus Cardinales, Officiales, Curiales, & alii prædicti, dum Nos in dicta Curia in eadem Urbe reſidemus, de jure & conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ſic uti, potiri & gaudere poſſe & debere perinde, ac ſi nos in eadem Urbe reſideremus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & declaramus.

*Eorumque beneficia affecta ſint ſedi Apoſtolicæ.*

§. 2. Necnon etiam eandem Curiam cenſeri volumus quoad beneficia, quæ tam in dicta Urbe, & in Civitatibus & locis ad quæ accedemus, & in quibus in itinere, eundo & redeundo pro tempore moram trahemus, quàm per obitum illorum qui Nos & Curiam noſtram ſequentur, ſeu ad Nos, & ad eandem Curiam pro eorum negotiis accedent, & in itinere, ſive eundo, ſive redeundo diem claudent extremum, quomodolibet vacabunt, neminemque de illis præter Nos diſponere poſſe.

*Et ita judicari debere præcipit.*

§. 3. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter cõtigerit attentari, pariter decernimus & declaramus.

*Quibuſcumque non obſtan.*

§. 4. Non obſtan. quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Aprilis 1598. Pont. noſtri anno 7. *D. P. An. 7. die 10. Apr.*

---

## De luctuoſa Tyberis inundatione in Urbe & ejus diſtrictu, indictioneque publicarum ſupplicationum ad Divinam miſericordiam implorandam. LV.

*CLEMENS EPISCOPUS,* *Edita A. D. 1598.*

*Servus ſervorum Dei: Dilectis filiis Clero & Populo Almæ Urbis noſtræ, ceteriſque Chriſti fidelibus in eadem Urbe, ejuſque diſtrictu exiſtentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Tyberis inundatio maxima & luctuoſa.*

§. 1. MAnus Domini, manus Patris, manus illa potens & ſalutaris, quæ ſola dũ juſtè vulnerat, piè medetur

detur, ipſa tetigit nos, filii dilectiſſimi. Fluvius Tyberis extra alveum ripaſque diffuſus, tanta aquarum copia Urbem, ſuburbia, prata, & agros inundavit, & in tantam, non in planis ſolùm, ſed in editioribus etiam locis crevit altitudinem, quantam neque nos, neque majores noſtri meminerunt. Quæ Urbis facies, quis aſpectus per hos dies fuerint, planè luctuoſus & miſerabilis: quæ hominum, ædificiorum, & rerum ad vitam victumque quotidianum neceſſariarum pernicies & jactura extiterit, nec ſine acerbiſſimo doloris ſenſu commemorari poteſt, nec certè commemorari eſt neceſſe. Vos ipſi oculis veſtris cuncta perſpexiſtis, & paſſi eſtis, & nos etiam vidimus, oculiſque & manibus in Cœlum elevatis, cùm præ doloris magnitudine cor noſtrum diſrumperetur, & quaſi cera colliquefactum eſſet, omnium miſerias paterno affectu & miſeratione complexi ſumus.

*Quam propter gentium peccata eveniſſe hic Pontifex enuntiat.*

§. 2. Sed hujus tantæ eluvionis, & calamitatis cauſæ, non ex principiis naturalibus curioſè nimis inquirendæ ſunt, & ex eorum opinionibus, qui dicentes ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, tanquam ſi gentes eſſemus quæ ignorant Deum, ſed potius ut Chriſtianos decet, in timore & tremore veriorem, magiſque intimam harum ærumnarum originem intra noſmetipſos perveſtigemus. Ac niſi nos ipſos fallere, & decipere velimus, peccata ipſa reſpondebunt nobis, & iniquitates quæ multiplicatæ ſunt nimis coram Deo. Abyſſus enim peccatorum abyſſum aquarum, & inundatio inundationem evocavit.

*Quiſque igitur convertatur à via ſua mala, & revertatur ad Dominũ.*

§. 3. Ne tamen, filii, puſillo animo ſitis, neve, quod abſit, cor veſtrum obduretis, ut indomiti & obſtinati peccatores ſolent, qui plagis Dei deteriores fiunt, quorum miſeram & miſerandam conditionem exprimit Jeremias verbis illis: Domine percuſſiſti illos, & non doluerunt, attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti. Vos autem, filii, non ſic, ſed revertimini ad Dominum in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu, & pœnitentiæ ſalutaris tabulam apprehendite, ne pereatis in diluvio aquarum multarum iræ Dei, & juſti judicii ejus. Deus enim noſter pius eſt & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Plaga hæc, ſi ſapitis, ſi intelligitis, ſi noviſſima providetis, non eſt ad mortem, ſed ad ſalutem. Corripuit vos Dominus, ſed non in furore ſuo, immò verò in viſceribus miſericordiæ ſuæ, ut Pater, qui hic in hac brevi & caduca vita filiis flagella adhibet, ut in æternum parcat. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, & tanquam filiis offert ſe vobis. Surgite & vos cum filio prodigo, & ite ad patrem veſtrum, qui vos vocat, qui apertis brachiis vos expectat, & ad complexum & pacem, ac reconciliationem invitat. Clamate ad Dominum in fortitudine, & ex intimo corde verba illa pronunciate: Omnia quæ feciſti nobis, Domine, in vero judicio feciſti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus, ſed da gloriam nomini tuo, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Denique convertatur unuſquiſque à via ſua mala, & qui Ninivitas peccantes imitati eſtis, imitemini pœnitentes.

*Mariæ Virginis, & Principum Apoſtolorum auxilium imploret.*

§. 4. Ite ad Matrem Gratiarum, & Advocatam peccatorum, ad Beatiſſimam ſemper Virginem Dei genitricem Mariam, & illius opem atque auxilium implorate. Ite ad Glorioſiſſimos Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, peculiares Patronos hujus Almæ Urbis, cui Evangelii doctrinam cum ſanguine tradiderunt. Hi enim ſunt Glorioſi Principes Terræ, & Patres & Paſtores Eccleſiæ, præcipuè verò Urbis Romæ, qui eam ad hanc gloriam provexerunt, ut Gens Sancta, Populus electus, Civitas Sacerdotalis & Regia, per ſacram Beati Petri Sedem caput Orbis effecta, latiùs præſideret Religione divina, quàm dominatione terrena. Obite in ſpiritu humilitatis, & animo contrito ſacras Beatiſſimorum Apoſtolorum Baſilicas, & fortiſſimorum Martyrum memorias, quibus velut propugnaculis Roma cincta eſt. Plorate coram Domino, & preces cum lachrymis fundite, ut per merita & interceſſionem Sanctorum, qui cum Christo regnant, veniam atque indulgentiam impetremus.

*Ceſſent vitia & vigeant virtutes.*

§. 5. Pacem igitur cum fratribus habete, ceſſent odia & inimicitiæ, ne ſi manus plenas ſanguine extendatis, avertat Deus oculos ſuos à vobis. Libido, intemperantia, luxuries tollatur, & cetera vitia, quibus iracundia Dei provocatur. Vigeat modeſtia, temperantia, & miſericordia in pauperes. Nunc enim latiſſimus pietati propoſitus eſt Campus, ut ii potiſſimũ qui ditiores ſunt, peccata ſua eleemoſynis redimant, & pauperum inopiam ſua abundantia ſublevent. Quod ut ſincera cum alacritate faciant, omnes quanta poſſumus cum efficacia in Domino hortamur. Nam ſi propter omnium peccata hæc plaga à Deo immiſſa eſt, ad omnes, ſeu pauperes, ſeu divites pertinere debet, vel per miſeriam, vel per miſerationem, ut dum corporis noſtri, quod unum eſt in Domino, membra quædam patiuntur, cetera compatiantur. Sumite igitur arma militiæ noſtræ, non carnalia, ſed potentia Deo, quibus ipſe Deus exercituum fortiſſimus, & omnipotens vincitur, pœnitentiam, orationem, jejunium, & eleemoſynam. His enim placatur Deus, qui ſi viderit opera veſtra bona, & quia converſi eſtis ab omni via mala in ſinceritate cordis veſtri, revertetur & ipſe à furore iræ ſuæ, & non peribitis.

*Indicit [illegible] pterea [illegible] Pontif. ſo[illegible] lemnes ſu[illegible] plication[illegible] & proc[illegible] nes ad Ba[illegible] licas B. M[illegible] ria Maj[illegible] & B. Pe[illegible]*

§. 6. Atque ut tanto ardentiùs ad divinorum Sacramentorum medicinam accurratis, & ut veterem hominem exuentes mente & ſpiritu renovati ambuletis in novitate vitæ: Nos ad Baſilicas Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe proxima hebdomada, quarta videlicet hujuſce menſis Januarii, diebus per Nos eligendis, ſolemnes ſupplicationes & proceſſiones, ut moris eſt, indicimus. Ad quas Baſilicas vel earum alteram, Nos ipſi unà cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis in Romana Curia exiſtentibus, ac Chriſtianorum Regum & Principum Oratoribus in Urbe commorantibus, aliiſque Prælatis atque Officialibus Romanæ Curiæ & Magiſtratibus ejuſdem Urbis, vobiſque Clero & Populo comitantibus, debita animi & corporis demiſſione ſupplices adire, ipſaſque ſupplicationes & proceſſiones celebrare conſtituimus.

*Hortatur [illegible] morantes [illegible] Urbe ad [illegible] alios [illegible] extra mo[illegible] tes ad a[illegible] Eccleſias [illegible] ſitandas, [illegible] alia hic [illegible] preſſa im[illegible] plenda.*

§. 7. Ut verò à divina bonitate atque clementia uberiores communis, ac ſalutaris pœnitentiæ fructus capiamus, vos univerſos & ſingulos, ceteroſque utriuſque ſexus Chriſti fideles, in dicta Urbe ejuſque diſtrictu exiſtentes, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortamur atque obſecramus, ut qui in eadem Urbe erunt, dicta hebdomada, vel ſaltem altera ſequente, poſtquam præſentes litteræ publicatæ fuerint, ſalutari pœnitentiæ Sacramento ad præteritas culpas diluendas ſic ſe præparent, ut Deus placatus flagella ſuæ iracundiæ avertat, Romam ab omnibus periculis eripiat, ac populum in Urbe, ejuſque diſtrictu exiſtentem, ſalvum atque incolumen tueatur. Et vos quidem, & ii qui in Urbe fuerint, prædictas Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Baſilicas, aut earum alteram, qui verò extra Urbem in dicto diſtrictu extiterint, Eccleſiam, ſeu Eccleſias per locorum Ordinarios, ſeu eorum Vicarios, aut de eorum mandato, & iis deficientibus, per eos qui ibi curam exercent animarum, deputandam, ſeu deputandas, quocumque die, vel quibuſcumque diebus ejuſdem vel ſequentis hebdomadæ, ſaltem ſemel devotè viſitent, & quarta ac ſexta feria, & Sabbato ejuſdem hebdomadæ vel ſequentis jejunent; & præterea pauperibus & indigentibus perſonis, aut locis piis eleemoſynas arbitrio ſuo erogent, atque intra hoc tempus, tam primæ quàm ſecundæ hebdomadæ, alicui presbytero ab Ordinario loci approbato, peccata ſua confiteantur, & Dominica prima, aut ſecunda, vel alio dictæ prioris, aut ſequentis hebdomadæ die, ut ſuprà dictum eſt, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſuſcipiant. Regularibus verò perſonis utriuſque ſexus in clauſtris perpetuò degentibus, aut aliis in carcere exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſuperiùs expreſſa, vel eorum aliqua facere & implere nequiverint, Presbyter Cõfeſſarius quem elegerint, prædicta omnia & ſingula, vel eorũ aliqua in alia pietatis opera cõmutandi, vel in aliud proximum tamen tempus prorogandi facultatem habeat.

*Indulgen[illegible] pleniſſima [illegible] gitur.*

§. 8. Quæ omnia, ut vos & prædicti Chriſti fideles eo libentiùs præſtare ſtudeatis, quo uberiùs ſpiritualibus muneribus, & gratiis vos reficiendos eſſe cognoveritis, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi atque ſolvendi poteſtate, quam Deus nobis licèt indi-

gnis,

gnis contulit theſauros Eccleſiæ, quorum diſpenſatores ejus benignitate facti ſumus, copioſè aperientes, Univerſis & ſingulis prædictis, qui præmiſſa modo & forma præſcriptis fecerint & impleverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, veniam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilæi viſitantibus certas baſilicas intra & extra Urbem concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus & impartimur. Necnon iiſdem Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, tam laïcis, quàm Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, ſive cujuſvis Ordinis & Congregationis, ſeu inſtituti Regularibus indulgemus, ut ſibi eligere poſſint quemcumque Presbyterum confeſſarium, tam ſæcularem, quàm cujuſvis Ordinis vel inſtituti Regularem ex approbatis ab Ordinariis locorum, ut præfertur, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris, à jure vel ab homine quovis modo & cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, etiam in caſibus tam locorum Ordinariis, quàm nobis & Sedi Apoſtolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi conſuetis, atque aliàs etiam per quaſcumque noſtras, vel Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodolibet reſervatis, in foro tantum conſcientiæ, hac vice ſolùm abſolvere: & inſuper vota quæcumque (Religionis & Caſtitatis dumtaxat exceptis) in alia pia & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, ac aliis ejus arbitrio injungendis, poſſint & valeant.

*[…]que Or[…] […]i di[…] […]u Vrbis, […]tis hanc […]licent cō[…] […]onem.*

§. 9. Mandantes propterea, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipien. omnibus venerabilibus fratribus Epiſcopis, & aliis quibuſcumque locorum dicti diſtrictus Ordinariis, & aliis ſupradictis, ad quos pertinuerit, ut cùm præſentium literarum tranſumpta, aut exempla acceperint, illa ſtatim per ſuas Eccleſias, Civitates, Oppida, Terras, Loca, Diœc. publicent & promulgent, & publicari, ac promulgari faciant, Cleroque & Populo ſibi ſubjecto ſolemnes proceſſiones & ſupplicationes indicant & celebrent.

*[…]eclaratio […]a conceſ[…]is.*

§. 10. Per præſentes autem non intendimus ſuper aliqua irregularitate, publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, aut in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ. Neque etiam iis præſentes noſtras litteras, qui ab aliquo Judice excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, ſeu aliàs in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi intra tempus celebrationis hujuſmodi Jubilæi ſatisfècerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter hæreticis & ſchiſmaticis ſpecialiter declaratis, ſeu condemnatis ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.

*[…]rogatio […]trariorū.*

§. 11. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus abſolvendi facultas in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Jubilæi, indulgentiarum, aut facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiát, cuiquam ſuffragari queant, necnon regula noſtra de non conceden. indulgentiis ad inſtar, ac quorumcumque Ordinum & Congregationum, ſive inſtitutorum Regularium, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Ordinibus & Congregationibus, atque inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecifica & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut expreſſio habenda, vel quævis alia forma exquiſita ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac forma in illis tradita penitus pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter, nominatim & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſum[…] […]rum fides.*

§. 12. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, vel exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur his litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, decimo Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

*Dat. P. A. 7. die 22. Ian.*

---

## Quod Monachi Congregationis B. MARIÆ Fulien. Ciſtercien. Ordinis S. Benedicti, in Proceſſionibus, aliiſque actibus publicis, omnibus Fratribus Mendicantibus præferantur. LVI.

*Inſtitutionem hujus Congregationis vide ſup. in conſtitut. 32. Sixti V. Religioſos, lib. 1. ubi omnia quæ iſtam reſpiciunt Congregationem indicavi.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1599.*

REgis pacifici qui regnat in Cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ad ea per quæ perſonarum quarumlibet, præſertim vitam Monaſticam ducentium, & mundanis ſpretis illecebris in ſolitudine piæ vitæ, & aſſiduis orationibus vacantium quieti & tranquillitati conſulitur, ac litibus & controverſiis, quæ inter perſonas præfatas, & alios Regularis vitæ profeſſores ortæ ſunt, & oriri poſſunt, occurritur, libenter intendimus, & his quæ propterea providè decreta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuò & illibata perſiſtant, libenter cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem.

*Congregatio S.R.E. Cardinalium deputatorum ſuper controverſiis Regularium cenſuit in actibus publicis Monachos Congregat. Fulienſis præferendos eſſe Fratribus Mendicantibus.*

§. 1. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis à ſancto Nicolao, Procuratoris generalis Congregationis Beatæ MARIÆ Fulienſis, Ciſtercienſis Ordinis petitio continebat, quod aliàs Congregatio Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium deputatorum, ad litibus & controverſiis, quæ tunc ortæ erant, & oriri poterant in futurum, inter Monachos & Fratres dictæ Congregationis Fulienſis hujuſmodi ex una, ac Fratres Ordinum Mendicantium partibus ex altera, ratione præcedentiæ in proceſſionibus & aliis actibus publicis, ſalubriter obviandum & occurrendum, re diligenter & maturè diſcuſſa, Fratres dictæ Congregationis, uti Monachos præferendos eſſe, ac præferri debere Fratribus Mendicantibus, primumque & digniorem locum in functionibus & actibus publicis jure obtinere: nec Monachos dictæ Congregationis à Fratribus Ordinum Mendicantium hujuſmodi in hoc moleſtari poſſe, neque debere cenſuit & ordinavit, prout in ipſo decreto & ſcripturis deſuper confectis pleniùs continetur.

*Sed hoc decretum non ſervabatur in Civitate Burdegalenſi.*

§. 2. Et licèt decretum hujuſmodi ubique inviolabiliter ab omnibus obſervari, nec illi in aliquo contraveniri deberet: nihilominus dilecti Filii fratres dicti Ordinis Mendicantium Civitatis Burdegalenſis illud non aliter obſervantes, dilectos filios Monachos Monaſterii dictæ Congregationis in dicta Civitate exiſtentis, litibus & controverſiis cauſa & occaſione præcedentiæ hujuſmodi involvere, ipſamque præcedentiam ſibi attribuere & arrogare non deſiſtunt in non leve præjudicium Monachorum Congregationis hujuſmodi. Quare pro parte Joannis Procuratoris generalis hujuſmodi, ne amplius Monachos dictæ Congregationis ſuper eadem præcedentia ab ipſis Fratribus Mendicantibus vano prætextu contingat impediri, & ad litibus & cōtroverſiis hujuſmodi jam de præſenti ortis, & in futurum veriſimiliter orituris maturè obviandum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus tranquillitati Monachorum dictæ Congregationis Fulienſis conſulere, ac alias in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic […] Pontif. […] cretum ap[…]probat.*

§. 3. Nos igitur, qui fideles quoſlibet pacis & quietis amœnitate perfrui ſummoperè peroptamus, eumdem Joannem Procuratorem generalem, ſimulque dictā Congregationem Fulienſem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, ipſumque Joannem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque

Eccleſiaſticis

Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentiũ dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; necnon litis & cauſæ, ſi quæ deſuper inter Monachos Congregationis, & Fratres Mendicantes *hujuſmodi ubilibet pendeant, ſtatum & merita, aliorumque hic etiam forſan de neceſſitate exprimendorum*, ac etiam decreti, & ſcripturarum prædictorum, & inde ſecutorum quorumcumque tenores, etiam veriores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habẽtes, necnon cauſam ad Nos avocantes, litemque hujuſmodi penitus extinguẽtes, perpetuumque ſilentium deſuper eiſdem Fratribus Mendicantibus imponentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum & ordinationem prædicta, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in dictis ſcripturis contenta quæcumque, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum, de jure, uſu, vel conſuetudine, aut alias quomodolibet requiſitarum, vel neceſſariarum, ac quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici vel cenſeri poſſint, ſupplemus, ac decretum & ordinationem prædicta perpetuò valida & efficacia fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere.

*Et ubique ſervari præcipit.* §. 4. Necnon à dilectis filiis Ordinis Mendicantium hujuſmodi Superioribus & Fratribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ac quibuſvis aliis, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectare poterit in futurum, perpetuò, firmiter & inviolabiliter, ac ubique, præſertim in dicta Civitate Burdegalenſi, obſervari & adimpleri debere decernimus.

*Excommunicationis pœnam contravenientibus ſtatuit.* §. 5. Et nihilominus pro potiori cautela, omnibus & ſingulis Superioribus & Fratribus quorumcumque Ordinum Mendicantium, præſentibus & futuris, præſertim verò dictæ Civitatis Burdegalenſis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contravenientes eo ipſo, abſque alia declaratione incurrenda, à qua nonniſi per Romanum Pontificem tantùm pro tempore exiſtentem, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, ne dictam Congregationem Fulienſem, ac illius Monachos nunc & pro tempore exiſtentes, ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo moleſtare, inquietare, aut quoquo modo impedire præſumant, ſeu audeant, diſtrictiùs inhibemus.

*Clauſulas præſervativas apponit.* §. 6. Decernentes præſentes litteras ſub quibuſvis ſuſpenſionibus vel derogationibus, etiam à Sede Apoſtolica vel ejus Legatis, & aliàs quomodolibet emanatis & emanandis, comprehendi non poſſe, & quoties eas revocari, ſuſpendi, aut eis in aliquo derogari, ſeu contra illas aliquid concedi contigerit, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas eſſe cenſeri. Et ſic per quoſcumque Judices, & locorum Ordinarios, alioſque Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac ex nunc irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, eiſdem auctoritate & tenore decernimus.

*Executores deputat.* §. 7. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Burdegalenſi, & Epiſcopo Vaſanenſi, ſeu eorum officialibus, & dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorũ, per ſe vel aliũ, ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Joannis Procuratoris generalis, ac Monachorum Congregationis Fulienſis hujuſmodi fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Joannem Procuratorem, ac Monachos prædictos, & eorum ſingulos, confirmatione, approbatione, adjectione, ſuppletione, inhibitione, decreto, ac omnibus præmiſſis, noſtriſque præſentibus literis hujuſmodi pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores, & moleſtatores quoſlibet, ac inobedientes & rebelles per cẽſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, *appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus*, cenſuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Eccleſiaſticum imponendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contr… omnibus … rogat.* §. 8. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii *Papæ* octavi prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodo aliquis auctoritate præſentium ultra tres dietas ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictorum Congregationis & Ordinis Fratrum Mendicantium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis Ordini Mendicantium hujuſmodi, ac illius Superioribus, Fratribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis quomodolibet, etiam Motu Proprio, etiam conſiſtorialiter cõceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi eiſdem Superioribus, & Fratribus Mendicantibus hujuſmodi, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*D. P. A… die 9. Fe…* Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die nona Februarii milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, Pontificatus noſtri anno octavo.

---

## Quod Archiepiſcopi & Epiſcopi Oleum Sanctum exhiberi faciant Ordini B. MARIÆ de Monte Carmelo, pro miniſtranda extrema Unctione ejuſdem Ordinis infirmis. LVI

*Quamplura de hoc Ordine indicavi ſuprà in conſtit.* 8. *Honorii III. Vt vivendi, lib.* 1. *ibi videas.*

*CLEMENS PAPA VIII.* *Edita A… 1599*

*Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis præſentes litteras inſpecturis: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Petitio O…nis Car…tarum.* EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo, quod licèt Regulares prædicti Ordinis conſueverint recipere ab Archiepiſcopis & Epiſcopis Oleum ſacrum pro miniſtranda infirmis Regularibus ejuſdem Ordinis extrema unctione: nihilominus nonnulli Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Suffraganei, Oleum Sacrum hujuſmodi prædictis Religioſis tradere recuſant. Quare nobis humiliter ſupplicari fecit prædictus Procurator generalis, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Papa p… ſio, de qu… rubr.* §. 1. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium ſuper Conſultationibus & negotiis Epiſcoporum & Regularium Præpoſitorum ſententia, Fraternitatibus veſtris per præſentes committimus & mandamus, ut prædicti Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo ubivis exiſtentibus Regularibus, quandocumque Sacrum Oleum pro miniſtranda ejuſdem Ordinis reſpectivè Regularibus infirmis extrema Unctione petierint, illud vos in veſtra diœceſi promptè ac liberaliter exhiberi faciatis, ac quoſcumque Suffraganeos veſtros,

ut

ut ſimiliter in ſua quiſque diœceſi ipſis Regularibus Oleum Sacrum tradi curent & faciant, auctoritate etiam noſtra moneatis. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque.

*...us tranſumptorum.*

§.2. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*...p.A.8.die ... Martii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima quarta Martii, milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, Pôtificatus noſtri Anno octavo.

---

VLII. Indictio Sanctiſſimi Iubilæi pro anno 1600. quo Anni Sancti conceditur plenaria remiſſio peccatorum viſitantibus Baſilicas SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, ac S. Joannis Lateranen. & Beatæ MARIÆ Majoris de Vrbe. Et ſuſpenſio aliarum Indulgentiarum durante d. Anno.

*Antiquum hujus Iubilæi ritum approbavit Bonifac. VIII. pro quolibet centeſimo anno, ut ſuprà in ejus conſtitut. 7. Antiquorum, ſupra lib. 1. Sed ad annum quinquageſimum reduxit Clemens VI. ut in extravag. 2. de Pœnit. & Remiſſ. & ad trigeſimum Vrban. VI. & tandem ad 25. Paulus II. ut ſup. in ejus conſt. 7. Ineffabiles, lib. 1.*

Indictionem Iubilæi pro Anno 1625. fecit S.D.N. Vrban. VIII. ut in conſt. 16. Omnes gentes, infrà tom. 4. ubi multa ſignata de ſimili materia reperies.

*...ita An.D. 1599.*

CLEMENS EPISCOPVS, *Servus ſervorum Dei: Vniverſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*...nus centeſimus Iubilæi antiquo ...frequentatus eſt.*

ANnus Domini placabilis, annus remiſſionis & veniæ, filii in CHRISTO dilectiſſimi jã Dei munere appropinquat, jam tẽpus acceptabile, & dies æternæ ſalutis adveniunt, ad redimenda peccata, ad ſolvendas animas. Annus Chriſtiano populo in primis optabilis & jucundus Sanctiſſimi Iubilæi jam prope adeſt, qui à ſalutifero partu Beatæ Dei genitricis & ſemper Virg. Mariæ ſexcẽteſimus ſupra milleſimum numeratur, tanto majori fidelium gaudio & frequẽtia in Alma Vrbe de more celebrandus, quanto expreſſius, atque efficaciùs ſuam primariam originem repræſentat. Nam, quemadmodum veteri traditione & majorum monimentis teſtatum eſt, antiquiſſimo R.E. inſtituto, per decurrentes ſæculorum ætates, hoc eſt ſingulis centenis annis, à CHRISTI Domini & Salvatoris Noſtri Natali, ampliſſimæ peccatorum Indulgentiæ & remiſſiones propoſitæ erant iis qui ſacra beatorum Apoſtolorum limina piè ac devotè viſitarent.

*...am inſtitutionem Bonifacius VIII. ...robavit, alii d.tt. immutarunt.*

§.1. Quam ſanè vetuſtam inſtitutionem anni centeſimi non vana Gentilium ſuperſtitione, ſed religioſo cultu & Chriſtianorum cõcurſu Romæ celebrandi, fel. rec. Bonifac. Papa VIII. prædeceſſor noſter, ſuo Apoſtolico decreto, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum confirmavit. Ac licèt alii Summi Pontifices prædeceſſores item noſtri, qui poſtea ſunt conſecuti, intra anguſtiores annorum limites, propter vitæ humanæ brevitatem, Jubilæi celebrandi ſpatium contraxerint; ipſa tamen centenarii celebratio, ob antiquæ traditionis primordia, in primis inſignis non immeritò exiſtimatur. Et revera divino conſilio factum videtur, ut poſtremo cujuſvis ſæculi anno, quod longiſſimum etiam humanæ vitæ ſpatium cenſetur, in ipſa Arce, & Domicilio Chriſtianæ Religionis, tanti beneficii memoria à cunctis fidelibus recolatur, quod ſcilicet ad omnes homines illuminandos Sol Juſtitiæ CHRISTUS Deus noſter, qui humano generi ſalutem attulit, ex utero Virginis egreſſus eſt, ex eo etiam, quod Chriſtiani univerſi ad Petri Sedem, & ad fidei petram tanquam filii ad patrem, & oves ad Paſtorem ſummum ſimul confluunt, tanto magis unius ovilis & unius paſtoris unitas appareat, & unius fidei ſplendor latiùs eluceſcat, quæ nullo ſæculorum decurſu, nulla temporũ varietate immutata eſt, ſed ſẽper eiſdẽ à fidelibus populis incorrupta atque inviolata profeſſione retinetur, mẽbra quoque ſuo viſibili capiti tãto arctius charitatis glutino connexa mundus agnoſcat, & denique, idem ille ſpiritus unitatis, quo ſola Eccleſia Catholica, ejuſque corpus admirabiliter compactum & coagmentatum eſt, tanto illuſtrius declaretur, dum veluti ab univerſitate populi Chriſtiani, in ipſa unitatis parente Romana Eccleſia, ſtatis temporibus Annus unus, Sanctus jure optimo nominatus, ſumma religione, rituque ſolemni celebratur.

*Hic Pontif. d. Iubilæi celebrationem collaudat, illud indicit pro an. 1600. & omnes ad eius acquiſitionem hortatur.*

§.2. Hunc autem annum vere ſanctum, Annum Domini acceptum & placabilem, quo homines pœnitentiam agerent, & ad Deum, & Patrem miſericordiarum in corde perfecto converterentur, primus mundo annunciavit ipſe vitæ & ſalutis noſtræ auctor JESUS CHRISTUS Filius DEI, quem Pater unxit Spiritu Sancto, & omni ſuper eum gratiæ plenitudine effuſa, miſit illum evangelizare pauperibus, & manſuetis mederi, & ſanare contritos corde, prædicare captivis indulgẽtiam & remiſſionem, clauſis apertionem, & cæcis viſum. Et nos etiam qui licet humiles & indigni, vices tamen CHRISTI Domini in terris, ipſo ita diſponente, gerimus & tenemus, ex hac ſublimi Apoſtolicæ vigiliæ ſpecula, vobis univerſis Chriſti fidelibus annunciamus, indicimus, & evangelizamus hunc eundem Annum Jubilæi, veræ pœnitentiæ, & ſpiritualis lætitiæ. Et quia charitas CHRISTI, pro quo legatione fungimur ad omnes gentes, urget nos, & zelus ſalutis animarum comedit cor noſtrum, hortamur & obſecramus vos omnes per aſperſionem ſanguinis JESU CHRISTI, & per adventum ejus, & diem tremendi judicii, ut ſacro potiſſimum Jubilæi tempore convertatur unuſquiſque à via ſua mala, & revertatur ad Dominum in corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, quia Clemens & miſericors eſt Deus noſter, & multæ miſerationis, & præſtabilis ſuper malitia. Dum verò ex noſtro Paſtoralis officii munere chariſſimos in CHRISTO filios noſtros, Imperatorem electum, Reges, & Principes Catholicos, & omnes Chriſti fideles toto terrarum orbe, in remotiſſimis etiam Provinciis & regionibus commorantes, ad Iubilæi hujus ſanctam & jucundiſſimam in Domino celebritatem ſummo cum gaudio vocamus, atque invitamus, eodem planè tempore acerbiſſimi doloris ſenſu vehementiſſimè commovemur, mente atque animo recogitantes, quã multæ nationes & populi ſeipſos miſerabiliter abſciderint ab unitate & communione Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, qui proximo ſuperiori centenario in ipſa una Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romana nobiſcum unanimes & cum conſenſu in domo Domini ambulantes, ſanctum illius Iubilæi annum multa cum lætitia & ſpirituali exultatione celebrarũt, pro quorum æterna animarum ſalute vitam noſtram, ac ſanguinem, ſi opus eſſet, libentiſſimè effunderemus. At vos interea filii obedientes & Catholici, à Deo & à nobis benedicti, venite, aſcendite ad locum quem elegit Dominus, ad ſpiritualem Sion, & Hieruſalem ſanctam, non litera ſed ſpiritu, unde ab exordio naſcentis Eccleſiæ lex Domini, & lux Evangelicæ veritatis in omnes gentes & nationes derivata eſt. Hæc eſt illa felix Civitas, cujus fides Apoſtolico ore laudata annunciatur in univerſo mũdo; cui ipſi Beatiſſimi Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus, totam doctrinam cum ſanguine profuderunt, ut per ſacram beati Petri Sedẽ caput orbis terræ effecta, Mater eſſet cunctorum credentium, & Magiſtra omnium Eccleſiarum. Hic fidei petra, hic fons Sacerdotalis unitatis, hic incorruptæ veritatis doctrina, hic Claves Regni Cœlorum, & ſumma ligandi atque ſolvendi poteſtas, hic denique Theſaurus ille Eccleſiæ inexhauſtus ſacrarum indulgentiarum, cujus cuſtos & diſpenſator eſt Romanus Pontifex, qui eas omni quidem tempore diſtribuit, prout ſalubriter in Domino intelligit expedire, ſed Anno potiſſimùm S. Iubilæi, pia & larga profundit manu, quando & Portæ Sanctæ in antiquiſſimis & religioſiſſimis hujus Almæ Vrbis Baſilicis & Eccleſiis aperiuntur more ſolemni, & fideles à peccatorum labe expurgati, intrant in conſpectu Domini in exultatione, ut non jam ex veteris legis inſtituto, quæ umbram tantum habebat futurorum bonorum, neque ex Hebræorum conſuetudine, quibus omnia contingebant in figura, aut

ſervi humanæ ſervituris jugo cōſtricti liberi evadant,aut in carceribus vincti dimittantur,aut gravi ære alieno oppreſſi liberentur, quin etiam ad paternorum bonorum poſſeſſionem redeant; terrena enim hæc ſunt,fluxa,& caduca. Sed fructus Anni Sancti, & ſpiritualis noſtri Iubilæi,illi ſunt uberrimi, quòd animæ Christi ſanguine redemptæ,è jugo ferreo diabolicæ tyrannidis, atque ex tetro carcere, & vinculis peccatorum divina Sacramentorum efficacia abſolvuntur,& dimiſſis debitis ac pœnis, in adoptionem filiorum Dei, & ad cœleſtis Regni hæreditatem, & Paradiſi poſſeſſionem admittuntur, & alia quam plurima Dei beneficia accipiunt. Nos igitur Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, & eorum pium ac ſaluberrimum inſtitutum retinentes, de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium aſſenſu,Jubilæi celebrationem in annum proximum milleſimum ſexcenteſimum à primis veſperis Vigiliæ Nativitatis Domini noſtri Jesu Christi ejuſdem anni milleſimi ſexcenteſimi inchoandam, & per totum annum ipſum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli,ac noſtra, quanto maximo poſſumus animi noſtri gaudio,ad ipſius Dei gloriā, & Catholicæ Eccleſiæ exaltationem indicimus & promulgamus. Quo ipſo Iubilæi Anno durante,omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, & Sancti Joannis Lateran. ac Sanctæ Mariæ Majoris de Vrbe Eccleſias, ſemel ſaltē in die,per triginta continuos,aut intermiſſos dies,ſi Romani vel incolæ Vrbis fuerint,ſeu per quindecim dies, ſi fuerint peregrini,aut aliàs externi,devotè viſitaverint, & pro ipſorum fidelium,ac totius Chriſtiani populi ſalute pias ad Deum preces effuderint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, remiſſionem, ac veniam miſericorditer in Domino concedimus & impartimur.

*Impeditiſque Indulgentiā concedit.*

§.3. Et quoniam evenire poteſt, ut ex iis qui hac de cauſa iter aggreſſi fuerint, vel ad Vrbem ſe contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipſa Vrbe,morbo,vel alia legitima cauſa impediti, aut morte præventi, præfinito dierūm numero nō completo,ac ne quidem fortaſſe inchoato,præmiſſa exequi, & dictas Baſilicas obire nequeant; nos piæ promptæque illorum voluntati,quantum in Domino poſſumus, benignè favere cupientes, eoſdem verè pœnitentes,& confeſſos, prædictæ indulgentiæ & remiſſiōnis participes perinde fieri volumus,ac ſi dictas Vrbis Baſilicas, & Eccleſias diebus à nobis præſcriptis re ipſa viſitaſſent.

*Prælatis præcipit, ut populos moneāt & inſtruant ad hujuſmodi Indulgentias conſequendas.*

§.4. Vos autem Venerabiles fratres noſtri Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi,& Epiſcopi,in partem ſollicitudis noſtræ vocati, Duces & paſtores populorum, lux mundi,& ſal terræ,capite tubas argenteas, quarum uſus eſt in Iubilæo, id eſt adhibete prædicationē verbi Dei, & annunciate populis hoc gaudium, ut ſanctificentur, & Dei juvante gratia,parati ſint ad ea cœleſtia dona capiēdà, quæ bonorum omnium largitor Deus Filiis dilectionis ſuæ, per miniſterium humilitatis noſtræ præparavit: adducite fratres verbo & exēplo parvulos ad hujus chariſſimæ matris ubera,quæ eos per Evangelium in Christo genuit: adducite filios ad patrem,oves ad paſtorem ſummum,membra ad caput,fideles ad fidei petram,in qua omnis ædificatio Catholicæ Eccleſiæ conſtructa conſurgit, adducite populum ad Sanctam Romanam Eccleſiam, & ad glorioſos Principes terræ Petrum & Paulum, qui univerſum mundum legem Domini docuerunt, & quorum fides,dignitas & auctoritas, indigno etiam in hærede non deficit. Ad ſacras igitur indulgentias, earumque ſalutares fructus ipſo Jubilæi Anno Romæ percipiendos vocate cœtum,congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, docete oves fidei veſtræ creditas, quia advenæ,& peregrini ſumus in hac vita, & Civitatem hîc permanentem non habemus, ſed futuram inquirimus. Ideo quia breves dies ſunt hujus noſtræ ærumnoſæ peregrinationis, & neſcimus qua hora paterfamilias, & ſponſus Christus venturus ſit, idcircò vigilent, & lampades ardentes,& plenas oleo charitatis & miſericordiæ geſtēt in manibus,& feſtinent ingredi in illam requiem.Nam ſi unquam aliàs nunc potiſſimum iræ, rixæ, & contentiones, & inveterata odia dimittenda propter Christum: nunc maximè ſervos decet miſereri conſervorum ſuorum, ut *Dominus clementiſſimus omne debitum dimittat eis.* Nunc præcipuè omnes *carnis impuritates abluendæ*, ut templum Dei mundum ſit, & unuſquiſque vas ſuum poſſideat in honore & ſanctificatione,& portet Deum in corpore ſuo. Poſtremò furta, rapinæ, homicidia, adulteria, & omnia peccata exterminanda, ut placetur ira Dei, & eos qui Chriſtiano nomine gloriantur, agnoſcat verè Chriſtianos, & imitatores Christi,& ſectatores bonorum operū. Docete autem eos quemadmodum ad ſalutares indulgentias conſequendas, in animo contrito, & in ſpiritu humilitatis, aſſiduis orationibus & jejuniis,ceteriſque pietatis operibus ſe ipſos præparare atque exercere debeant,& qui ſubſtantiam hujus mūdi habent, aperiant viſcera ſua, & fratrum ſuorum pauperum inopiam ſublevent, præcipuè verò erga peregrinos Romam venientes miſericordes ſint, & ſāctam Hoſpitalitatem Deo gratiſſimam, & quam vetuſtiſſimi illi Chriſtiani etiam inter perſecutionum fluctus diligentiſſimè coluerunt, ipſi quoque multa cum hilaritate ſpiritus renovent atque obſervent. Admonete etiam eos, ut orent pro Regibus & Principibus Chriſtianis, ut quietam & tranquillam vitam agamus, & pax & concordia perpetuò conſervetur.Poſtremò docete eos cum ſanctam peregrinationem ſuſceperint, qua modeſtia, qua devotione,qua fraternæ pacis obſervātia lucere eos oporteat, ut ſint Christi bonus odor in omni loco. Præbete autem vos ipſos fratres Venerabiles, & omnem Clerum, exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis,ut veſtræ virtutis & religionis veluti ſale ceteri condiantur,& omnem peccati putredinem abhorreant,& denique omnes unanimes in uno ſpiritu Chriſtianæ charitatis, atque in omni ſanctitate & juſtitia Deo ſerviamus.

*Princip[…] hortatur […] ſubvenien[…] peregrinis.*

§.5.Hortamur quoque & rogamus in Domino chariſſimos in Christo filios noſtros Imperatorem electum, ac Reges & Principes omnes Catholicos,ut quo plura & magis illuſtria beneficia ab eo per quem Reges regnant acceperunt, tanto ardentiùs, ut par eſt, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur, præcipuè verò fratrū noſtrorum Epiſcoporum & Superiorum Antiſtitum paſtoralem ſedulitatem & vigilantiam adjuvent, & à ſuis Magiſtratibus & Miniſtris adjuvari mandent, ut improborum licentia coërceatur, & bonorum ſtudia, eorum Regia ope & gratia foveantur, maximè autem erga peregrinos beneficentiam & liberalitatem exerceant, curentque ~~ut tutis incedāt itineribus, ut nulla hominum perdi~~torum vexatione perturbentur,ſed Hoſpitalibus, domibus, & publicis hoſpitiis amanter excepti, & commeatu, & rebus ad vitam neceſſariis recreati, ſine ulla concuſſione & injuria inſtitutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur.His enim hoſtiis Reges potiſſimum & Principes Deum ſibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demùm in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipſis pauperibus, erga quos miſericordiam exercuerint, in quibus Christus paſcitur & nutritur.

*Exemplis […] jus bullæ […] di jubet.*

§.6. Vt verò præſentes literæ ad omnium fidelium in quibuſcumque locis exiſten. notitiam faciliùs perveniāt, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis eandem prorſus fidem haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi exhibitæ forent & oſtenſæ.

*Sanctione[…] pœnalem addit.*

§.7.Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis,promulgationis,conceſſionis,impartitionis,hortationis,rogationis,& volūtatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An[…] die 19. Ma[…]*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, Decimoquarto Kalend. Iunii, Pontificatus noſtri Anno octavo.

*Publicati[…]*

*Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti 1599. indict. 12.*

*die*

*die verò Veneris 21. menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N.D. Clementis Papæ VIII. Anno ejus 8. ſupradicta litera affixa, & publicata fuerunt in valvis Baſilicarum SS. Petri & Pauli Principum Apoſtolorum, ac Eccleſiarum S.Io.Lateranen. ac B.Mariæ Majoris de Vrbe, necnon Cancell. Apoſt. & acie Campi Floræ, dimiſſis copiis in eiſdem locis, ut moris eſt, per nos Io.Baptiſtam Bagni, & Catherinum Menandi Apoſt.Curſ.*

*Dominicus Gugnettus Mag.Curſ.*

*Sequitur ſuſpenſio aliarum Indulgentiarum, & abſolvendi facultatum durante hoc Iubilæo.*

*Relatio prædicta indictionis.*

CUm Sancti Jubilæi celebrationem à Vigilia Nativitatis D.N. Jesu Christi anni proximi milleſimi ſexcenteſimi inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, univerſo populo Chriſtiano de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium aſſenſu indixerimus, ac omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Beatiſſimorum Petri & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, & S. Joannis Lateranen. ac Beatæ Mariæ Majoris de Vrbe Eccleſias viſitarent, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, remiſſionem & veniam conceſſerimus, prout in noſtris nuper deſuper confectis literis pleniùs continetur.

*Suſpēſio omnium indulgentiarum, & facultatum abſolvēdi durante Anno Iubilæi.*

§.1. Cupientes, ut Chriſtianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in Alma Vrbe noſtra in fidei ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis ſpiritu Baſilicas & Eccleſias prædictas, quo maximo fieri poterit concurſu, durante eodem Jubileo viſitent & frequentent, multorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo adducti, omnes & ſingulas indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones ac facultates & indulta abſolvendi, etiam in caſibus Sedi Apoſt. reſervatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam S.Io. Hieroſolymitani Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, univerſitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magiſtris, Superioribus, & tam ſæcularibus quã quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus perſonis coroniſque, granis, imaginibus, & numiſmatibus ex metallo, ſeu quacumque alia materia confectis, tam ſingulariter quàm univerſaliter per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipſis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana vel Eccleſiaſtica dignitate, etiam ſpeciali notâ digna fulgẽtibus etiam ad inſtar Jubilæi, aut aliàs quomodocumque, & ex quibuſvis cauſis & occaſionibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac aliàs quomodolibet conceſſis, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis haberi volumus, Apoſt. auctoritate, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus, eaſque & ea eodem anno durante nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere, irritum quoque & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter cõtigerit attẽtari. Quocirca per præsẽtes auctoritate Apoſt. præcipimus & mandamus, ne interim aliæ quàm indicti à nobis prædicti Jubilæi indulgentiæ, ſive publicè, ſive privatim, quovis prætextu, ubivis locorum & gentium, ſub excommunicationis eo ipſo incurrendæ, aliiſque arbitrio Ordinatiorum infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in uſum demandentur.

*Clauſula derogatoria.*

§.2. Non obſtant. præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Vniverſitatum, Collegiorum & locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis illis, eorũque Superioribus & perſonis, ac aliis quibuſcumque per eoſdem Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & dictam Sedem, ejuſque Legatos, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, ex quibuſvis cauſis conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod ſub ſimilibus vel diſſimilibus ſuſpenſionibus nequaquam comprehendantur, niſi de illis ſpecialis & individua mentio fiat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§.3. Et quia difficile nimis eſſet præſentes quócumque ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis etiam impreſſis, Notarii publici manu, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem in judicio & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præſentibus ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenæ. Nulli ergo, &c.

*Dat. P. A. 5. die 21. Maii.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, duodecimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno octavo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1599. indict. 12. die vero Sabbati 29. menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis divina providentia Papæ VIII. Anno ejus 8. ſupradicta litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicarum SS. Petri & Pauli Principum Apoſtolorum, Sancti Ioannis Lateranen. & S. Mariæ Majoris de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, dimiſſis copiis in eiſdem locis affixis, ut moris eſt, per nos Io. Baptiſtam Bagni, & Catherinum Menandi Apoſtolicos Curſores.*

*Dominicus Gugnettus Mag.Curſ.*

---

## Inſtitutio Rotæ in Civitate Ferrariæ Status Eccleſiaſtici, ad decidendas cauſas ejus Civitatis & Territorii, cum indultorum conceſſione. LIX.

*Hanc Civitatem alias infeudatam, hic Pontifex recuperavit, ut ſuprà in conſtit. 52. Sanctiſſimus. Et Studio generali d. Civitatis à Bonifacio IX. inſtituto privilegia conceſſit infra in conſt. 94. Sancta.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1599.*

*Proœmium.*

IN ſupremo juſtitiæ throno divina diſponente clementia conſtituti, illud in primis curare tenemur, ut nimirum noſtris futuris etiam temporibus, juſtitia omnibus æqua lance miniſtretur, & ad id ut decet, exequendum juſti ac rectiſſimi Iudices cũ opportunis facultatibus deputentur, per quos non ſolùm unicuique jus ſuum tribuatur, ſed etiam incommodis, ac impenſis litigantium in quantum fieri poteſt, parcatur. His igitur rationibus adducti, ac populorum Civitatis noſtræ Ferrarien. ac aliarum Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, & locorum Ducatus & Dominii noſtrorum Ferrarien. recto gubernio, & felici regimini proſpicere, ac ſingulorum indemnitati, & commodo opportunè conſulere cupientes, præter alia à Nobis in eiſdem Civitate & Ducatu ordinata, unum Tribunal Judicum, Rotam nuncupandum, in dicta Civitate Ferrarien. inſtituere decrevimus, in quo cauſæ civiles, ut inferiùs diſponetur, cognoſci, & prout juris fuerit, terminari debeant.

*Auditorum numerus præſcribitur, & electio Civitatis Concilio datur, iuriſdictioque eorũ explicatur.*

§.1. Motu igitur proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in Civitate prædicta Ferrarienſi unum Tribunal Audientiæ cauſarum, Rotam nuncupandum, perpetuis futuris temporibus duraturum, quod conſtare debeat quinque Judicibus, Auditoribus nuncupandis, à Conſilio Civitatis prædictæ Ferrarien. ſingulo quinquẽnnio eligẽdis, qui omnes & ſingulas Ferrarien. & Comaclen. Civitatum, & quarumcumque Terrarum, Caſtrorum, & locorũ Ducatus noſtri Ferrarien. cauſas, lites, & controverſias civiles, meras, & mixtas, quomodolibet actitandas inter cives, incolas, diſtrictuales, habitatores, ac Collegia, agricolas quoque, & alios quoſcumque ſub Legatione Ferrarien. ſubditos cognoſcere, decidere, ac fine debito terminare ac judicare poſſint & debeant, auctoritate

*Apoſtolica*, tenore præſentium perpetuò erigimus & *inſtituimus.*

*Auditorum qualitates ſignificantur.*

§.2. Quoniam verò omnia eo magis ſtabilia redduntur, quo ſolidiorem ac certiorem ſtatum, per quem feliciter regi & gubernari valeant, aſſumunt, idcirco hoc ipsũ Rotæ Tribunal infraſcriptis conſtitutionibus & ordinationibus perpetuò firmiter obſervandis fulciendum duximus. Ea propter ſtatuimus, mandamus, & ordinamus, ut prædicti quinque Rotæ Auditores debeant eſſe Juris utriuſque Doctores, non ex Civitate Ferrarien. aut aliquo ex locis prædicti Ducatus, ex aliis tamen ditionis Eccleſiaſticæ & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectis locis oriundi, ſummæ integritatis, prudentiæ, doctrinæ & experientiæ, non minores natu annis triginta; qui ſaltem per quinquennii ſpatium in publica aliqua inſigni Academia legerint, aut in celebri aliquo loco judicando vel advocando, foro operam dederint, neque in his muneribus obeundis inter poſtremos habiti fuerint, ſed præclarè ac laudabiliter ſe geſſerint.

*Iuramentum ab eis præſtãdum, & ſyndicatus de dolo & barratatria tantum ſiendus.*

§.3. Hos omnes à Conſilio Civitatis Ferrarien. ſingulo quinquennio, excepta hac prima vice, eligi volumus, & poſtquam electi fuerint, in principio ſeu ante ingreſſum eorum officii, in manibus pro tempore exiſtentis noſtri & Apoſtolicæ Sedis in Civitate & Ducatu Ferrariẽ. de latere Legati, ſeu ejus Vicelegati, aut Gubernatoris aſſiſtentibus judice Sapientum, & ipſis Sapientibus Cõmunitatis Ferrariæ, jurejurando promittant, ſe ad unguẽ obſervaturos non modo has Rotæ conſtitutiones, verum etiam omnes & quaſcumque Civitatis Ferrariæ proviſiones, ordinationes, & ſtatuta uſu nunc recepta, necnon juſtitiam, qua decet ſanctitate & integritate adminiſtraturos, ſub pœnis arbitrio Superiorum infligendis in ſyndicatu, cui eos omninò finito eorum officio ſubjici volumus, & in quo non niſi de dolo, fraude, barattaria, juxta ſtylum totius Italiæ, & legis diſpoſitionem illos teneri, & de his non niſi in ſingulos inquiri, cùm non ſit præſumendum univerſam Rotam dolum, fraudem, & barattariam commiſſuram, mandamus & declaramus.

*Confirmatio in officio quibus auditoribus, & quando detur.*

§.4. Finito autem officio eorum, & uniuſcujuſque eorum, nolumus eos, vel quenquam eorum poſſe iterum pro alio quinquennio eligi vel confirmari, niſi tres partes ex quatuor ſuffragiorum in Conſilio pro nova electione, ſeu confirmatione obtinerent, concedimus verò, ut poſt quinquennium à die eorum officii finiti elapſum jure & rectè denuo eligi poſſint.

*Tempus officii ad quinquẽnium terminetur, uno tantum ex eis pro ſequẽti biennio electo.*

§.5. Et quoniam, ut præmiſſum eſt, Auditores de quinquennio in quinquennium eligendi ſunt, atque perpetuis futuris temporibus obſervandum, rationique conſentaneum viſum eſt, ut unus ex his qui præcedente quinquennio in Rota fuit, in eadem in hoc, ut novi ingrediẽtes faciliùs & citiùs inſtruantur, quinquennio ſubſequenti remaneat, propterea ſtatuimus, electionem hoc ordine & modo fiendam, hac enim prima vice Auditores quinque eligentur, quorum officio functo, unus eorum à Conſilio ſeligendus per biẽnium in nova Rota perſeverabit, aliis autem vicibus quinque Auditorum quidem fiat electio, & unus eorum, nempe ultimo electus, non ſtatim in principio quinquennii Rotam ingredietur, ſed biennio elapſo, & hic ille erit poſtea, qui in Rota ſuccedentis quinquennii per curriculum biennii pro novis Auditoribus inſtruendis commoratus erit, & ita perpetuis futuris temporibus obſervari mandamus.

*Electio poſt primũ quinquennium ad Civitatẽ Ferrariam.*

§.6. Electionem autem dictorum Auditorum à prædicto Conſilio Civitatis Ferrarien. ut præfertur, faciendã incipere volumus poſt præſens quinquennium, in quo Auditores per dilectum filium noſtrum Petrum Sancti Nicolai in Carcere Diaconum Cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, noſtrum ſecundùm carnem ex fratre germano nepotem, ac in Civitate & Ducatu prædictis noſtrum & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatum jam electos continuare, eorumque quinquennium à die datæ præſentium inchoare, & ut ſequitur finire.

*Prætoris officium anno expleto.*

§.7. Prætorem quoque dictæ Rotæ jam electum per annum, ab eadem die datæ præſentium incipien. Præturæ officium juxta formam inferius deſcribendam exercere debere ſtatuimus.

*Stipendium Prætoris & Auditorum.*

§.8. Sed quia bovi trituranti non eſt os alligandum, & laborum cuique præmium condignum eſt proponendum, ut ad illos ſubeundos alacrior reddatur, Nos propterea cuilibet ex præfatis Judicibus Rotæ Ferrariẽ. præter Prætorem, in ſingulos menſes triginta quinque ſcutorum auri in auro; Prætori verò quinquaginta quinque ſimilium ſcutorum menſtruam proviſionem ex redditibus & provehtibus Cameræ noſtræ Apoſtolicæ per depoſitarium ejuſdem Cameræ in Civitate noſtra Ferrarien. cum mandato Legati, ſeu Vicelegati, aut Gubernatoris ejuſdem Civitatis pro tempore exiſtentis perſolvendam conſtituimus & aſſignamus.

*Habitatio & locus Auditorii eiſdem à Communitate gratis dentur.*

§.9. Ac præterea volumus & ordinamus, ut Communitas Civitatis Ferrarien. Locum Auditorii in quo Rota fieri debeat, & domus in quibus præfati Auditores cõmodè, & juxta gradus decentiam honorificè habitare valeant, gratis aſſignare teneantur.

*Curſores ab eadem eligantur.*

§.10. Vtque Curſores eligant qui in Auditorio prædicto tempore Rotæ aſſiſtere, & illud ab omnibus immunditiis expurgare debeant.

*Sportula & munera Auditoribus permittũtur.*

§.11. Iiſdem præterea Prætori & Auditoribus, ut ſportulas & emolumenta quæcumque ſecundum ſtatuta Ferrariæ, & munera juxta conſtitutiones & conſuetudines Rotæ Bononien. recipere poſſint, permittimus, & gratioſe concedimus, conſtitutione Aldobrandina non obſtãte.

*Conſilia in certis cauſis præſtare poſ ſint.*

§.12. Præterea quo diligentius dicti Auditores cauſis expediendis, id quod ſummopere nobis cordi eſt, operam navent, diſtrictè eiſdem inhibemus ſub pœnis arbitrio Legati, Vicelegati, aut Gubernatoris imponendis, ne in cauſis coram aliis Iudicibus in Civitate Ferrariæ, ac ejus diſtrictu, vel alibi in Legatione vertentibus, ullo modo conſilium dare, aut aliorum conſiliis ſe ſubſcribere audeant: concedimus autem, ut id in cauſis quæ extra Legationem tractantur, aliquando facere valeant.

*Abſentia ex iuſta cauſa permittitur, & quid, ea durante in eius cauſis agen. ſit declaratur.*

§.13. Inhibemus præterea ſub eiſdem pœnis, ne à Civitate & Auditorio diebus non feriatis abſque licentia Cõſilii abeſſe poſſint, niſi fortaſſe eos vel aliquem eorum ratione cauſarum, & officii abeſſe oporteret, vel aliquo juſto impedimento detineretur, quo minus ad Auditorium accedere, & cauſarum expeditioni vacare poſſit, & hoc caſu volumus, ut non obſtante impedimento vel abſentia, ſi cauſa ad totam Rotam pertineat, alii in ea procedant, & ſi Ponens ille eſſet abſens, alius ejus loco ſubrogetur ſorte extrahendus, & ſi Ponens revertatur, vel ceſſet impedimentum, cauſa nondum deciſa, is cauſam ſuam denuo aſſumat in terminis in quibus eam reperierit, & expediat; quod ſi impedimentum, vel abſentia in perſona Prætoris, contigerit, loco ejus ſubſtituatur Auditor ſenior.

*Prætor q de Auditoribus eſſe debeat.*

§.14. Nunc ad Auditorum juriſdictionem propius accedentes, principe loco conſtituimus, ut unus eorum ſit quolibet anno Prætor Civitatis Ferrariæ, ſenior nempe, hoc eſt, qui primò Auditor electus fuit, qui Præturam uno anno obeat, ac eo Prætura functo, alii deinceps ſecundùm ordinem quo electi fuerunt Auditores in Prætura ſuccedant, & ultimus qui ſecundum ea quæ ſuperiùs conſtituta ſunt, anno tertio dumtaxat Rotam ingrediens in nova per bienniũ remanere debet, primo anno in ingreſſu novæ Rotæ Præturã adipiſcatur; & ſic de cetero ſemper obſervetur, excepta hac prima vice, qua ita exigẽte neceſſitate diſponimus, ut finito quinquennio in Rota nova is perſeveret, quem Conſiliũ generale elegerit, & ſic denuò in ingreſſu novæ Rotæ Præturam anno primo obtineat.

*Quas cauſas cognoſcat.*

§.15. Decernimus autem, cauſas omnes primarum appellationum totius Legationis Ferrariæ ad Prætorem ſolum ſpectare, qui de illis cognoſcere, eaſque ſine debito ſolus terminare debeat, & ſportulas ac emolumenta ſolus quoque percipiat, nec eas, cave cum aliis Auditoribus partiri teneatur. Volumuſque ut appellationes omnes & quæcumque à ſententiis quorumcumque judicum in quibuſcumque cauſis civilibus, necnon & reductiones ad arbitrium boni viri, quæ ab arbitris vel arbitratoribus, tam voluntariis, quàm neceſſariis interponerentur, in caſibus tamen permiſſis, ad dictum Prætorem & ejus officium devolvantur, necnon poſſit cognoſcere quaſcumque alias cauſas in Civitate & Legatione Ferrariẽ. prout Prætor Rotæ Bononienſis poteſt in Civitate & Legatione Bononienſi.

*Sententi[illegible] ram q[illegible] terpreta[illegible] ſint.*

§.16. Statuentes interim, ut veteri abuſu appellandi coram bonis viris ceſſante, appellantes omnes coram

judice

judice à cujus ſententia appellatur, omnino interponantur, & aliter interpoſitæ non valeant, nec teneant, niſi verè copia judicis haberi non potuiſſet.

*...pellatio ... cauſa ... modo ... danda.*

§.17. Decernentes pro celeriori cauſarum expeditione, ut ab incidentibus & emergentibus, ſuper quibus Prætorem interloqui contigerit, in caſibus in quibus permiſſa eſt appellatio ab interlocutoriis ex forma juris, ſtatutorum vel proviſionum Ferrariæ, ad Rotam appelletur quæ ſine voto Prætoris ipſam appellationem terminare debeat, ſicuti perpetuo & inviolabiliter ſancimus, ut in quibuſcumque cauſis ad Rotam deferendis, in quibus primo loco aliquis ex Auditoribus judicaverit, is nihilominus in ea cauſa votum habeat.

*...uſa coram ...tore cœ... à quo ...minanda.*

§.18. Demumque jubemus, ut cauſæ coram uno Prætore cœptæ, finito officio, coram eodem quoque, & ab eodem terminentur, dummodo proceſſus & ſcripturæ antequam Præturæ munus deponat, à partibus præſentatæ fuerint, juxta formam ſtatutorum & proviſionum Ferrariæ. Declarantes id quinquennio durante locum obtinere, & cauſas coram ultimo Prætore cœptas, non coram eodem, & ab eodem, ſed coram Prætore novæ Rotæ, & ab ipſo finiendas eſſe.

*...ua cauſa ...antur Ro... & ad ...am ſpe...antes.*

§.19. Ad Rotam autem ſpectare diſponimus cauſas omnes viduarum, pupillorum, ac omnium miſerabilium perſonarum, ſecundum tamen diſpoſitionem legis unicæ, Cod. quand. Imper. inter pup. & non aliter; necnon dotium, & alimentorum, ac præterea omnes cauſas, cumulativè tamen quoad Locumtenentem generalem cauſarum civilium Legati, Vicelegati, aut Gubernatoris, quæ ex forma ſtatutorum ordinum, ac proviſionum Ferrariæ cognoſci debent, ac terminari appellatione remota, exceptis iis quæ ratione perſonæ agentis, vel conventæ, vel ratione cauſæ ex forma eorundem ſtatutorum, ordinum ac proviſionum, vel privilegii alicujus forum habeant particulare, & coram judice aliquo particulari tractari & definiri debent. Inſuper concedimus & indulgemus eidem Rotæ cognitionem ſecundarum appellationum nedum à ſententiis Prætoris, verum etiam quorumcumque Iudicum totius Legationis & Ducatus Ferrariæ, & volumus ut ipſæ ſecundæ appellationes, etiam totius Legationis omnino ad Rotam devolvantur, dummodo quoad eas extra Civitatem valor cauſæ excedat aureos centum à libris quatuor. Necnon poſſint dicti Auditores cognoſcere quaſcumque alias cauſas in dicta Civitate & Legatione Ferrarien. prout poſſunt Auditores Bononien. in Civitate & Territorio Bononien. Declarantes cauſas omnes prædictas, etiam cum voto Prætoris decidendas eſſe, exceptis appellationum cauſis, quæ ab ejus ſententiis interponentur, ut præmiſſum eſt.

*...cultas Ro... in proce...ndo.*

§.20. In prædictis verò omnibus, tam prætorem, quàm Rotam in procedendo ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſe, in decidendo verò proviſiones, & ſtatuta Ferrariæ ab iiſdem obſervari debere præcipimus, exceptis cauſis locorum, ac Civitatum Legationis, in quibus ſtatuta & proviſiones eorum, earumque particularia ad deciſoria pertinentia, ſi quæ vel quas haberent, ſervari mandamus.

*Curatori...ſque & ...toribus ...ndis.*

§.21. Et quoniam ut ſæpenumero dictum eſt, properamus ad cauſarum finem, & litium amputationẽ, jubemus ut ſtatuti Ferrariæ ordine prætermiſſo, tam Prætor quam Rota in cauſis coram eis vertentibus curatores & tutores decernendi poteſtatem habeant, hæreditatibuſque jacentibus, & vacan. abſentibus minoribus, & pupillis, & aliis quibuſcumque qui curatore ſeu tutore indigerent, ita tamen ut tutoris ſeu curatoris electio præſentibus per binas cedulas cum debito unius diei intervallo notificetur, & abſentibus, ac hæreditatibus jacentibus & vacantibus ſuper Podiolo Palatii communi Ferrariæ alta voce, & ſono cornu præmiſſo, & cedulæ poſtea affigantur valvis ejuſdem Palatii, & ſi ii quibus tutor vel curator decretus fuerit comparuerint, & curatorem alium vel tutorem petierint, vel tutorem ſeu curatorem ſibi legitimè conſtitutum nominaverint, teneatur Prætor vel Rota alium dare vel mandare, ut cum tutore vel curatore nominato judicium peragatur.

*Reſtitutio ...verſus pe...mptam in...ſtantiã quando & quomodo concedenda.*

§.22. Et cùm aliquando uſu veniat, ut ob negligentiam litigantium inſtantia appellationis pereat, fiatque ipſa appellatio deſerta magna ſæpe cum negligentis jactura, qui plerumque in meritis jus fovet optimum. Nos æquitatem præ oculis habentes, decernimus, ut lege, ſtatuto, vel conſtitutione aliqua non obſtante, facta prius executione ſententiæ, à qua fuerat appellatum, & refectis parti expẽſis uſque ad quadrãtem, is cujus appellatio deſerta fuit, ſuper meritis audiatur per viam reſtitutionis in integrum committendæ à Legato, ſive à Prolegato pro tempore. Declarantes id ſemel obſervandum, nam iterum deſerta appellatione, ſententiam in judicatum omninò tranſire, & plenum ſortiri effectum mandamus, ne cauſæ in infinitum protrahantur. Et cùm accidere poſſit ut ſẽtentia prima retractetur, ideo volumus ut pars, in cujus gratiam fiet executio prædicta, idoneè cavere teneatur de reſtituendis omnibus, quæ de jure eam reſtituere oportebit in caſu ſuccumbentiæ & retractationis.

*Appellatio à ſententiis Rota non datur, ſed ſola reviſio in eandem Rotam.*

§.23. Poſtremò à ſententiis omnibus, & quibuſcumque, quas Rota vel hujus noſtræ conſtitutionis tenore, ac virtute, vel alias ex noſtra, aut Legatorum, Vicelegatorum aut Gubernatorum delegatione tulerit, volumus ut nullo modo poſſit appellari, de nullitate quantumvis notoria dici vel opponi, ſupplicari, nec recurſus peti vel concedi, aut etiam ad Sedem Apoſtolicam reſtitutio efflagitari, etiam ex capite minoris ætatis, aut officium judicis implorari, vel quoquo modo illis cõtraiiri poſſit, ſed prout latæ extiterint, omnimodo executioni demandari debeant, & caſu quo propter aliquam graviſſimam cauſam remedium aliquod adverſus prædictas ſententias concedendum ſit, ſancimus nullum aliud concedi poſſe præter ſolam reviſionem ad eandem Rotam coram eiſdem Auditoribus, quibus ut univerſis neminem adjunctũ, ſed ipſis uti ſingulis cum opus fuerit de eadem Rota tantum adjunctum dari volumus, quoniam id unum noſtræ Civitatis Ferrariæ, ac ejus diſtrictui, ac Legationi indulgemus, ut cauſæ illius nullo unquam tempore, ſub quovis prætextu aut quæſito colore, vel cauſa quantumvis gravi extrahi poſſint à Civitate ipſa, etiam ad Curiam Romanam, ſed in ea atque in ipſius Rota, quam in ejus gratiam & in ſignum noſtræ erga illam dilectionis ereximus, decidi, & fine debito terminari, Camerali obligatione, & aliis quantumvis urgentioribus quibuſcumque non obſtan. Concedentes ipſi Prætori, & Auditoribus facultatem reaſſumendi cauſas omnes prædictas, etiam à quibuſcumque Judicibus & Tribunalibus, quoties opus fuerit, illaſque etiam in ſtatu & terminis in quibus reperientur, proſequendi, ac ſub pœnis arbitrariis in Legatione & extra inhibendi, ac prædictas pœnas exequendi.

*Cauſa Status Ferrariæ extra non trahantur.*

§.24. Nunc cùm Auditoribus juriſdictionem conceſſerimus, non abs re eſt, ut certam quoque formam, quà citiùs & accommodatiùs lites expedire valeant, eiſdem præſcribamus. In primis itaque volumus, ut Prætoris, quem ſupremum Rotæ, ac Civitatis Magiſtratum conſtituimus, partes ſint cauſas omnes Rotales ſorte dividendi inter auditores.

*Prætor cauſas ſorte dividit.*

§.25. Quos Auditores & Prætorem ſingulos Judices cauſarum ſuarum ordinarios deputamus, ita tamẽ ut abſque voto Collegarum, nec ad terminationem cauſarum, nec articulorum quidem relevantium devenire queant.

*Prætor & Auditores ſunt Iudices Ordinarii.*

§.26. Sportularum vero ac emolumentorum per Notarium fiat diviſio, & idem Notarius lata ſententia ſingulis Iudicibus, ſeu Auditoribus ſuam det portionem. Prætore tamen nullam portionem in ſportulis, ac emolumentis ſecundarum appellationum ſibi vendicante.

*Notarius ſportulas dividit.*

§.27. At quia Iudex cauſæ, quem Ponentem vocari volumus, ſatis elaborabit in ſtudendis proceſſibus, cum velimus ab eo ſtatũ & merita cauſæ digeſta Coauditoribus proponi, & ideo quæſtionum reſolutioni commode vacare non poterit, ſtatuimus Ponentem ipſum nullum habere votum in ſua cauſa, ſed juxta majoris partis Coauditorum votum quemcumque articulum, & ipſam cauſam diffinire teneri, niſi tamen Auditores eſſent diſcordes, & vota forent æqualia, quo caſu diſponimus, ut tunc votum habeat, cùm uni parti adhærere teneatur.

*Ponens non votat in cauſa, niſi aliorũ vota ſint æqualia.*

§.28. Volumus autem dictam Rotam fieri bis in hebdomada, videlicet die Lunæ, ac Veneris ſummo mane, ac ſi dies Lunæ fuerit feriata, mandamus eam fieri Mercurii,

*Rota quando & ... fieri & informari debeant.*

Mercurii,&c veneris proxima; ſi autem dies Veneris feriata fuerit,& dies Lunæ ejuſdem hebdomadæ fuerit juridica, tūc fiet ipſis diebus Lunæ & Mercurii, & in ſumma bis in hebdomada diebus non feriatis fieri decernimus, ita tamen ut pro unaquaque Rota uno die partes cum Advocatis & procuratoribus informēt ſingulos Auditores domi, relictis etiam informationibus in ſcriptis, & Ponenti duplicatis,ut parti petenti copiam dare poſſit, & unuſquiſque in ſero ejuſdem diei ad omnes Coauditores trāſmittat ſua dubia,quæ proponere decrevit in proxima futura Rota, ſequenti verò die cauſis ſtudeant, & memorialia partium ſuper reſponſione informationibus die præcedenti datis accipiant, tertia verò die quoad fieri poterit decidant.Numerum autem cauſarum,& articulorum emergentium,proponendorum & proponendarum in qualibet Rota,arbitrio ipſorum Auditorum relinquimus & relaxamus.

*Propoſitio cauſa quomodo fiat.*

§.29. Vt autem dubiorum inanium otioſa evitetur diſputatio, ſancimus ut cauſa in Rotam introducta, actor porrigat Ponenti ſuum memoriale ſuper dubio diſputando, quod juxta naturam & exigentiam celerioris expeditionis cauſæ formabit,partem adverſam coram eo Iudice citabit ad concordandum de dubio, & ipſa parte comparente,& illud acceptāte,ipſi dubio ſubſcribet,copiamque utrique parti concedet, ut ſuper eo informare valeat, quod ſi alia pars non comparuerit, judex duplicatam dubii copiam inſtanti ſubſcribet, ut unām penes ſe retinere,aliam ſuo adverſario per Nuncium notificare & tranſmitere poſſit. Et ſi in acceptatione dubii partes diſcordes fuerint, ipſe Ponens eas, ut ſibi juſtum videbitur, concordare ſtudebit,& altera parte petente,quatenus ſic res poſtulet, ſuper dubio dando adhibebitur votum totius Rotæ.

*Termini citationum quando ſervandi & declarandi.*

§. 30. Termini citationum pro perficiendo proceſſu, coram eiſdem Auditoribus, finita ſtatim Rota per Notarios,Actuarios & Procuratores ſervabuntur, quos Auditores pro ſervato habere poſſe infra decennium proximum etiam domi declarandos decernimus.

*Summarium teſtium quomodo firmandum.*

§.31. Ac ut facilius depoſitiones teſtium inſpiciantur, & ne Auditores magis quàm expediat fatigentur,mandamus,quoties ab utraque parte,vel altera eatum examinati fuerint, & Ponenti viſum fuerit,eorum dicta in ſummarium redigantur; & quoniam à nemine accuratius perpenduntur, quàm à partibus intereſſe habentibus,fiet ab Actore Summarium,illudque Ponenti exhibebit, & pars adverſa coram eo citabitur ad concordan. de ſummario, aliàs videndum pronunciari ſtari debere ſummario per inſtantem porrecto, ac illud per dictum Ponentem ſubſcribi, & adverſario comparente, ſi approbabit ſummarium, erit concordatum, ſin minus, addet vel minuet in folio ſeparato, prout viderit convenire, & ipſe Ponens differentias dirimat, ipſiuſque ſummarii copiam ſingulis Auditoribus à Ponente ſubſcriptam partes exhibebunt.

*Citationes quæ in actis redigendæ.*

§.32. Citationes autem productæ ad concordan. de dubio, & ad concordan. de ſummario, nolumus quod in actis redigantur, nec aliæ citationes ac intimationes, quæ non ſint neceſſariæ ad validitatem judicii,ſed acceſſoriæ dumtaxat.

*Deciſiones in quibus cauſis dandæ.*

§.33. Demumque poſt cauſarum expeditionem teneatur Rota parti petenti in cauſis exceden.ſummam ſcútorum ducentorum,tradere deciſionem. In cauſis videlicet executivis infra decem dies continuos,in ceteris verò quibuſcumque infra triginta dies continuos, à die prolàtionis ſententiarum in dictis cauſis immediatè decurrendos.

*Præcedentia Prætoris & Auditorum præſcibitur.*

§.34. Et quoniam Rotæ Tribunal tanquam ſupremum in judicando, in Civitate & tota Legatione meretur aliquam prærogativam; ideo ſancimus ut Prætor Rotæ in omnibus actionibus, tam publicis quam privatis præcedere debeat ceteros Iudices, tam Civitatis, quàm totius Legationis,etiam Locatenentes generales cauſarum civilium & criminalium,quos poſt Prætorē ſupra ceteros Auditores incedere,vel ſedere volumus. Auditores verò ipſius Rotæ præcedere volumus omnes & quoſcumque Iudices ipſius Civitatis & legationis,præter ipſos duos Locatenentes,nunc & pro tempore generales ſupradictos.

*Indulta eidē concedantur.*

§.35. Necnon eoſdem Prætorem, & ſingulos Auditores Rotæ immunes conſtituimus à portu literarum,& ab omnibus datiis, gabellis, ac gravaminibus quibuſcumque. Inſuperque etiam potiri volumus omnibus privilegiis, immunitatibus, præeminentiis & prærogativis, quibus Conſiliarii juſtitiæ, in quorum locum ipſi Prætor & Auditores ſubrogantur,hucuſque potiti ſunt.Demùm eidem Rotæ Ferrarien.ejuſque Prætori ac ſingulis Auditoribus, ut omnibus & ſingulis privilegiis,gratiis, facultatibus & præeminentiis, quibus Rotæ Bononien. ejuſque Prætor, & Auditores quomodolibet fruuntur,potiūtur & gaudēt, pari modo,& abſque aliqua differētia frui,potiri & gaudere poſſint & valeant,perpetuò concedimus & indulgemus. Declarantes quatenus dictæ facultates,& privilegia Rotæ Bononien. & Conſilii juſtitiæ olim Ducalis eſſent minora ſuprà expreſſis, & ipſa Rota Bononienſis minori privilegio & facultate potiretur quàm ipſum Conſilium juſtitiæ,& è contra,nullatenus intendimus majori privilegio derogare,ſed prout per prædicta & unumquodque eorum uberius proviſum eſt,eo majori etiam privilegio, immunitate, preæminentia, emolumento, prærogativa, facultate & gratia, Rotam noſtram Ferrarienſem,eiuſque Prætorem & ſingulos Auditores decorare,illiſque potiri decernimus & mandamus.

*Deputa[tio] Cardina[lis] Protector[is].*

§.36. Ceterum dilectum filium noſtrum Petrum tituli Sancti Nicolai in carcere Diaconum Cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, noſtrum ſecundum carnem ex fratre germano nepotem, quoad vixerit,in dictæ Rotæ & ejus Prætoris, ac Auditorum, eorumque jurium & privilegiorum, ac indultorum quorumcumque protectorem, cum omnimoda facultate & auctoritate omnia & ſingula, quæ ad Prætoris & dictorum Auditorum officiū quomodolibet vigore præſentium, & aliàs de jure vel conſuetudine ſpectant & pertinent, & quæ alii ſimiles S.R.E.Cardinales protectores facere & exercere poſſunt & conſueverunt, faciendi, dicendi, & exrcendi, dicta auctoritate perpetuò etiam conſtituimus & deputamus.

*Clauſula [pr]æ ſervativa.*

§.37. Decernentes præſentes literas ex quacumque cauſa nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari,ſive eas infringi,invalidari, ſeu revocari poſſe,ſed illas ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere,necnon inviolabiliter perpetuò obſervari.

*Clauſ. ſubl[a]ta, &c.*

§.38. Sicque per quoſcumque Iudices & Cōmiſſarios etiā ejuſdem Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos,ſeu Vicelegatos,aut Cameræ Apoſtolicæ Præſidentes & Clericos,vel quoſvis alios, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique locorum judicari, definiri & interpretari debere. Irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Deputatio executorum eiuſdem [bul]la.*

§.39. Ac mandantes omnibus & ſingulis totius Status Eccleſiaſtici prædicti Commiſſariis, Gubernatoribus, Poteſtatibus & eorum Locatenentibus, Legatis, Vicelegatis, necnon venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis,ac dilectis filiis eorum Vicariis in ſpiritualibus generalibus, ac aliis juriſdictionem exercentibus quibuſcumque, ut quoties ſuper hoc fuerint requiſiti ſententias, decreta,ſtatuta, ſequeſtra, mandata, exequutoriales literas, remiſſoriales, citationes,& alia à dicta Rota, & ejus Auditoribus emananda pro tempore, omnibus opportunis remediis executioni demandari faciant realiter & cum effectu, prout opus fuerit, & eis commiſſum extiterit.

*Clauſ [...]*

§.40. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,& præſertim facultatibus dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori conceſſis, ac ſupradicta Conſtitutione Aldobrandina, necnon ejuſdem Civitatis Ferrarien. ac aliarum Civitatum,Terrarum & locorum prædicti Ducatus Ferrarien. etiam juramento,cōfirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus,legibus etiam municipalibus, uſibus & naturis, privilegiis quoque,indultis & literis Apoſtolicis,etiā eiſdem Provinciæ, Civitatib.Oppidis,Terris,Caſtris,Villis & Locis, eorumque Communitatibus,Vniverſitatibus, Juriſdictionibus,

Gubernatoribus, Poteſtatibus, Officialibus, Incolis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium forſan quomodolibet cóceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, eorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur & inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque cótrariis quibuſcumque.

*[..]p. An. 8. [..]19. Maii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Maii 1599. Pontific. noſtri anno 8.

*[..]dmiſſio in [..]mera A[..]olica.*

*Die 2. Iunii 1599. ſuprascriptum Breve in plena Camera Apoſtolica præſentatum fuit, illudque de ipſius Camera decreto Reverendiſſ. D. Horatio Ceulo dicta Camera Clerico commiſſum, & ſucceſſivè die 14. ejuſdem, Camera ipſa citato deſuper Illuſtriſſ. D. Laudivio Zacchia, dicta Camera generali Commiſſario, referente prædicto Reverendiſſ. D. Ceulo, illud admiſit, & in ejuſdem Camera libris regiſtrari mandavit, prout regiſtratum fuit, ſcilicet libro Signat. Sanctiſſ. D. N. & collat. concordat.*

*Ludovicus Martini Cam. Apoſt. Not.*

## LX. Decreta generalia pro Reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium, cujuſcumque Ordinis, & inſtituti.

Circa innovationem, declarationem, & obſervantiam horum Decretorum Conſtitutionem edidit S. D. N. Urban. VIII. quam habes inf. tom. 4. n. 26. Sacra Congr.

*[..]ita A. D. [15]99. & [16]04.*

### CLEMENS PAPA VIII.

*[D]e Servitio [Ch]ori.*

NUllus omninò prætextu cujuſcumque privilegii vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſervitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem & Prædicatoribus, Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant, ad præſcriptum Regulæ & Conſtitutionum, alimenti etiã, ſi opus fuerit, ſubtractione.

*[Le]ctione Sa[cræ] Scripturæ [ve]l caſuum [con]ſcientiæ [in] Conventi[bus].*

§. 1. Lectio Sacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada, præſcriptis diebus in ſingulis Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque abſoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

*[P]aupertatis [vot]o obſer[va]ndo.*

§. 2. Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur, præcipitur ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex Lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quàm ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. Neque Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiã ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti, aut cuſtodiæ nomine concedere. Eorum verò quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multò graviores, Superiorum arbitrio imponendas incurrat. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, fratres excuſare poſſit, quo minus culpæ & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

*Veſtitu & ſupellectili.*

§. 3. Fratrum veſtitus, & ſupellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò uniformis ſit fratrum, & quorumcumque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, ita ut nihil ſuperflui admittatur, nihil etiam quod ſit neceſſarium alicui denegetur. Quæcumque fratrum veſtes, ſive laneæ, ſive lineæ, omniſque alia ſuppellex, in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

*Cibo.*

§. 4. Omnes etiam Superiores, quicumque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſive eadem, ut aiunt, pitantia, in communi menſa, prima vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit: ſi quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem & aquam.

*Adminiſtratione, ratione officiorum.*

§. 5. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præſtationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta & expenſa in libro diſtincto fideliter & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quàm ratione officii ſui neceſſarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipſos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi, & iis qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ & Conſtitutionum ſuppeditetur.

*Adminiſtratione bonorũ Conventus.*

§. 6. Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum & reddituum ſui Conventus, etiam nomine Conventus, per ſeipſum habere, ſive exercere poſſit, ſed univerſum id onus tribus fratribus ejuſdem Conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum & bonorum, reddituumque colligendorũ, ac exigendorum curam habeat, alter tanquã Depoſitarius, pecunias ac cetera ab illo collecta & exacta fideliter aſſervet, alius de pecuniis & rebus à Depoſitario acceptis Priori & fratribus, ac Conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore, non ſecundùm proprium affectum, ſed juxta charitatis regulam veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta. Ceterùm hi tres, tam impenſi quàm accepti ſingulis menſibus ſuo Priori, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus ejuſdem Conventus probatioribus, rerumque uſu peritis, rationem reddant. Deinde ipſimet rurſus præſentibus Priore & peritis prædictis, Generali cùm advenerit, denique ipſe Generalis in quolibet proximo Capitulo Generali, ſaltem coram tribus Judicibus ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, univerſamque ſuæ adminiſtrationis, tam publicæ, quam privatæ rationem reddere teneantur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur, ad hoc ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

*Numero Fratrum cujuſque Conventus.*

§. 7. In unoquoque Conventu fratrum is tantum deinceps conſtituatur, & in poſterum retineatur numerus, qui ex redditibus illi propriis, vel ex communibus conſuetis, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus in commune, ut præfertur, conferendis commodè poſſit ſuſtentari, redditus verò & ſupradicta omnia in communi loco, ac diligenter aſſerventur.

*Tu ad hoc habes etiam bullam 7. S. D. N. Pauli V.*

*Prohibitione declarandi Concilium Tridentinũ, & iſtas reformationes.*

§. 8. Superioribus autem ne Concilii Tridentini, aut hæc noſtra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo poſſint, & omninò interdicimus & prohibemus. Decernentes irritum, &c. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, is eo ipſo omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis exiſtat.

*De Prædicatoribus & Lectoribus.*

§. 9. Nullus niſi actu legat vel prædicet, aliquo ſui gradus privilegio gaudeat.

*Socio ex cauſa neceſſaria alicui concedendo.*

§. 10. Si alicui ex neceſſaria cauſa Generalis judicio probanda, ſocius ex eodem Ordine, qui illi miniſtret, concedendus erit, is niſi vigeſimum quintum agat annum, & qui communi ſervitio ſit deputatus, non concedatur,

& ſi commodè fieri poteſt, ſit laïcus converſus.

*Clauſura.*

§. 11. Ut omnis ſcandalorum, & vexationis occaſio tollatur, Conventus clauſura perpetuò, ac diligenter ſervetur, ac propterea à Superiore Janitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur, is januæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit.

*Exitu à Conventu, & reditu.*

*Hoc infr. declaratur.*

§. 12. Nullus à Conventu egredi audeat, niſi ex cauſa & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata, ſociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eumdem ſæpiùs. Licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur, eandem etiam Janitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit. Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à ſocio itineris rationem, & quid rei actum ſit, diligenter perquirat.

*Adventu ad Vrbem.*

*Hoc declaratum eſt infrà in §. 31.*

§. 13. Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, niſi prius à Generali vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.

*Viſitatione Cellarum.*

§. 14. Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit; & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.

*Lampade in Dormitorio.*

§. 15. In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.

*Cellis, & ſupellectili.*

§. 16. Nullus etiam Superior cellas, ſive in clauſtro, ſive alibi ſeparatas à communi Dormitorio habeat, ſed unuſquiſque unica cella, eadem cum ceteris aliorum fratrum conjuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto & menſa humilibus, uniformique ſuppellectili, ut præfertur, quemadmodum Religioſos decet, contentus ſit. Poſſit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, ſi eorum muneris & officii neceſſitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere. Cellæ ſive ædiculæ, quæ extra Dormitorium ſeparatim ſunt, ad officinas, aut alias ad communem uſum & commoditatem Conventus redigantur. Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire poſſint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. In privatis cellis nulli camini permittantur, ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus convulſis, ut res illa non ad tempus facta, ſed perpetuò duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

*Feneſtris Conventus.*

§. 17. Conventus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laïcorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, ut omninò proſpectus impediatur.

*Hoc infrà declaratur.*

*Infirmaria.*

§. 18. Valetudinarium in ſingulis Conventibus certo ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodiſſimum eſſe poſſit, in quo fratres omnes, cùm ægrotabunt, curentur, nec inde niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt ne quid ægrotis omninò deſit quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.

*Degentibus extra clauſtra.*

§. 19. Ineatur ratio qua, ſublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuſcumque conceſſis, degentes extra Conventus clauſtra, ad ea quamprimùm revocentur, nec de cetero niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda hujuſmodi facultates concedi poſſint.

*Receptione Novitiorum.*

§. 20. Nulli in poſterum ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conventibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Provincia deputandis.

*Hoſpitalitatis obſervantia, & largitione munerum.*

§. 21. Curent Superiores, ut conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter obſervetur.

*Ambitu.*

§. 22. *Ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſeipſis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in ceteris, præſertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus,* in pœnam privationis officiorum quæ obtinent eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit niſi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Portò ſupradictas omnes pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes extendimus.

*Superiorum & officialium electione.*

§. 23. In Superiorum & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à ſacro Concilio Tridentino, & Ordinis Conſtitutionibus inviolabiliter ſervetur, jurentque Electores ſecundùm veritatem cujuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deveniatur, in primis & ante omnia prælegantur Conſtitutiones de qualitate & requiſitis eligendorum. Ad officia, gradus & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſint & conſueverint regulas Ordinis, & Conſtitutiones obſervare, præſertim quæ pertinent ad ſervitium Chori, ac veſtitum & victum communem.

*Probatione Prædicatorum, Lectorum, Confeſſorum & promovendorũ ad ordines ſacros.*

§. 24. Eligantur in Capitulo Generali vel Provinciali aliquot graves, & periti ex fratribus cujuſlibet Provinciæ, ſaltem tres, qui admittendos ad Prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confeſſiones, etiam ipſorum fratrum, ac Lectores publicos diligenter ſimul examinent priuſquam probentur, & ad hujuſmodi miniſteria admittantur. Horum etiam curæ ſit examinare & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promovendos ad quoſcumque ordines, in quo ſervetur decretum Congregationis Interpretum ſacri Concilii Tridentini, hac de cauſa nuper editum & promulgatum.

*Obſervantia regularum & conſtitutionum.*

§. 25. Illud portò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores ſint rationis quam in noviſſimo die reddituri ſunt pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio invigilent, ut quæ in eorumdem Ordinis regulis & Conſtitutionibus de oratione mentali, ſilentio, jejuniis, Capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis prudenter, ac piè ſancita ſunt, ea omnia & ſingula ad unguem obſerventur, intelligantque ſuper his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conſtruenda & amplianda eſſe, quæ ut faciliorem exitum ſortiantur, & fructus uberiores in animis fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conventu ſingulis hebdomadis habeatur ſermo de religioſa diſciplina, regularique obſervantia.

*Tabella muneris diei explendi.*

*Hoc infrà declaratur.*

§. 26. Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo uniuſcujuſque Conventus, in qua diſtinctè adnotetur quid ſingulis horis cujuſque diei quilibet frater præſtare debeat, ut certò quoque ſigno præmonitus, majori animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones his decretis non adverſantur, inviolatè cuſtodiendæ erunt.

*Pœna inobedientium.*

§. 27. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur.

*Prohibitio has Reformationes declarandi.*

§. 28. Ut autem hæc Decreta (donec alia, quæ ad pleniorem ſupradicti Ordinis reformationem facient, edantur) ab omnibus obſervari poſſint, diſtrictè præcipimus Generali, ac omnibus aliis quibuſcumque Superioribus, ad quos hoc ſpectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorumdem Ordinis Conſtitutiones perpetuò vaſituras redigi, interdicta omninò eorum ſingulis facultate illas declarandi, & adverſus eas unquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera, ipſo facto, & ſine ulla exceptione reſpectivè incidiſſe.

*Tempore ligare incipiunt.*

§. 29. Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſervatio quoquo modo differri poſſit, aut impediri, volumus, ut poſt illorum publicationem in Conventu

Sancti

*Sancti Marcelli de Urbe factam, Generalem, alioſque Ordinis Superiores, ceteroſque quoſcumque fratres præſentes ſtatim, reliquos verò abſentes citra Montes, unius menſis, ultra Montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.*

*...licatione ...adem.* §. 30. *Inſuper mandamus, quod Generalis in ſingulis Conventibus citra Montes unius menſis, ultra verò Montes trium menſium curſu Decreta ſupradicta publicari faciat, ſub pœna privationis Generalatus, aliiſque arbitrio noſtro imponendis.*

*...p. An. 8. ...25. Iulii.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die vigeſima quinta menſis Julii milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono.

*...claratio ...a licen... venien... ad Vrbē, ...pœnam ...vationis ...trafacit... ...s infli...* §. 31. Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis & Protectoris licentia dumtaxat permiſſum eſt, Sanctitas ſua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut Provincialis ipſe ex cauſa communi totius Provinciæ dumtaxat facultatem hujuſmodi facere valeat. Declaravitque pœnam privationis vocis activæ & paſſivæ contrafacientibus inflictam, Sanctitati ſuæ reſervatam eſſe, interdicta omninò eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illa moderandi, ac relaxandi.

Datum Romæ die 20. Martii 1601.

*Adduntur decreta Reformationis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ, quæ alibi opportuniùs intexere non valui.*

*...ſequuntur ...ditiones ...formatio... Apoſtolica ...r* §. 32. EX iis, quæ S. D. N. Clemens Papa VIII. ad Regularium Monaſteriorum rectam gubernationem inſtituit & decrevit, eorumque Superioribus adamuſſim exequenda præcepit, nihil fuit vel reipſa ſanctius, vel neceſſitatis occaſione opportunius, vel religioſæ utilitatis ratione optabilius, quam ut vetus & regularis diſciplina viris Religioſis ſalutaris ac neceſſaria, ubi collapſa eſt inſtauretur, & ubi conſervata eſt perpetuò cuſtodiatur, ut nihil eſſet, quod obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac peculiarium votorum obſervantiam, necnon communem vitam, victum & veſtitum impediret, aut per calumniam inficeret: cum autem compertum ſit à fratribus Ordinis Servorum, Superiorum incuria ſaluberrima Sanctiſſimi Paſtoris decreta penitus neglecta eſſe, ut hujuſmodi incommodo occurratur, Congregatio Viſitationis Reformationis Apoſtolicæ ejuſdem Ordinis Priori generali nuper electo, ejuſque pro tempore Succeſſoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, & privationis officii pœna propoſita præcipit, ac mandat, ut ſtatim prædicta decreta Pontificia inter ipſius Ordinis Conſtitutiones redigi, & ab omnibus ſuis fratribus obſervari, ac præter illa quæ decretis ipſis præſcripta ſunt, hæc quæ ſequuntur, ſpeciali Sanctitatis Suæ mandato conſtituta inviolabiliter, ac perpetuò obſervari curent.

*...cii divini ...itatione.* §. 33. Primum ad ea quæ de divino Officio perſolvendo ſtatuta ſunt, illud additur, ac decernitur, ut pœna ſubtractionis alimenti contrafacientibus propoſita, nec à Priore, nec ab eo qui ejus vices gerit, remitti poſſit illi, qui horis Canonicis, ſive diurnis, ſive nocturnis, ceſſante legitima cauſa, non interfuerit. Deinde ut qui Officii initio ad Chorum non convenerit, genuflexus in medio Chori tamdiu maneat, quandiu ſurgendi licentiam à Priore impetrarit; tum in refectorio horam canonicam quam ob hujuſmodi negligentiam omiſit, aliis cibum ſumentibus, etiam genuflexus recitare teneatur. Curæ ſit Priori, ut Officium divinum in Choro à fratribus ſuis locis conſidentibus devotè cum punctis & pauſis perſolvatur, & ut Miſſæ nonniſi ex Miſſalis Romani præſcripto, nec nimia celeritate celebrentur: qua in re obſervabit, an in recitatione Canonis tantum temporis quantum ad illius verba devotè exprimenda exigitur, à ſingulis inſumatur; & contrafacientes moneat, ac ſalutaribus pœnitentiis coërceat. Ad Salve Regina, poſt Completorium cantandum, omnes quotidie etiam Officiales & Converſi omninò conveniant, & poſt Salve Regina Litaniæ Beatæ MARIÆ Virginis pro felici ſtatu S.R.E. pro populo, & pro Religionis augmento devotè recitentur. Diebus verò feſtis poſt Veſp. & Salve Regina ſtatim cantentur: qui defuerint, eos Prior publicè corrigat, ac etiam cibi ſubtractione puniat. Quæ omnia an ſervata fuerint, Provincialis in viſitatione diligenter inquiret, & ſi Priorem negligentem invenerit, illum officio Prioratus abſolvet.

§. 34. Prior curet, ut Eccleſia diebus feſtis hora competenti pro locorum conſuetudine claudatur, & aperiatur, cum autem eam patere neceſſe fuerit, Sacriſta, vel alius probatæ vitæ ſemper adſit, qui indigna ibi fieri prohibeat, peractis divinis Officiis fores Eccleſiæ feriatis diebus omninò claudantur, nec niſi ex præſcripto Conſtitut. aperiantur: quod etiam de foribus Monaſterii cautum intelligatur. Provincialis in viſitatione pœnam privationis officiorum tranſgreſſoribus imponet. Caveant autem fratres, ne quacumque de cauſa tempore divinorum Officiorum perſonas aliquas in Eccleſia, vel ad illius, Sacriſtæve, aut Monaſterii januas, niſi de licentia Prioris alloquantur, ſub pœna unius publicæ diſciplinæ. *Eccleſiis aperiendis, & claudendis, & allocutione fratrum prohibita tempore divinorum officiorum.*

§. 35. Neque Prior pœna ſuſpenſionis ab officio eo ipſo incurrenda per ſex menſes propoſita, quemque fratrem ſolum, aut cum ſocio, extra clauſtra, in via, aut ædibus Monaſterio proximis tunc temporis, aut aliàs commorari permittet. *Exitu à Monaſterio.*

§. 36. Neque bannitos, criminoſos & delinquentes, ſeu decoctores in Conventu retineat, aut retineri patiatur, ſub pœna privationis officii perpetuò eo ipſo incurrenda, eandemque pœnam ſubeat, qui aliquem ex prædictis, etiam annuente Priore, in cella aliqua Conventus exceperit. *Delinquentibus non recipiendis.*

§. 37. Confugientes verò ad Eccleſiam, & ad alia eorum loca ſacra, Superiores teneantur quamprimùm commodè potuerint deferre Epiſcopo, ſeu alii loci Ordinario. *Confugientibus.*

§. 38. Nullus puerorum ſæcularium, etiam Clericorum ſcholam Grammaticæ, aut cujuſcumque artis liberalis intra Monaſterium ſub pœna amiſſionis utriuſque vocis ipſo facto incurrenda exerceat, ſeu aliquem ipſorum doceat, quam pœnam etiam Prior qui id permiſerit, incurrat. Nec extra Conventuum ſepta quidquam docere liceat, niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia, eadem pœna propoſita. *Scholis puerorum non admittendis.*

§. 39. Prior nullo modo, neque prætextu ſervitutis Eccleſiæ, in Monaſterio extraneum quemquam commorati ad edendum vel ad diſcendum, ſive aliud quidpiam agendum permittat, pœna illi ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes ipſo facto propoſita. *Extraneis non permittendis.*

§. 40. Verùm nemo rectè legendi munus ſuſcipiat, niſi is qui duplici doctrina diſcipulos ſibi ſubjectos inſtituat, ſcientia nempe, & innocentiæ converſatione. Idcircò deinceps huic muneri præficiatur is, cujus prohibitas, ac mores ſeniorum patrum teſtimonio commendentur, ac diligenti adhibito examine de vitæ innocentia & doctrina, à Priori generali facultatem in ſcriptis habeat, qui in Lectoribus & Magiſtris conſtituendis non ingenii ſolùm & eruditionis, ſed etiam regularis diſciplinæ, mortificationiſque rationem habeat. *Lectorum electione.*

§. 41. Ad Bacchalaureatus gradum nemo deinceps promoveatur, niſi ſpectatæ vitæ, religionis & diſciplinæ regularis obſervantiſſ. qua in re diligens fiat à Generali, ſive ejus Vicario, Provinciali & ſocio in Viſitationibus inquiſitio per ſecretum examen, cum juramento Prioris & fratrum ejus Conventus, in quo proximo triennio commoratus fuerit, ac niſi concluſiones publicè egregiè ſuſtinuerit, circa illas prius ſigillatim à Generali, ſive ab eo deputandis interrogatus, ac idoneus repertus ad eas honorificè ſuſtinendas, nec item eo gradu aliquis decoretur, quem ſcientiæ & aliarum virtutum ſpes magiſteriatus honore dignum non oſtendat. Quæ omnia in actis referantur, ac in literis patentibus exprimantur, & ſi ſecus factum fuerit, promotio ipſo jure nulla ſit, ac promoventes pœnam privationis officii ipſo facto incurrant. Quod etiam in promovendis ad Magiſterium eiſdem propoſitis pœnis ſtrictiùs ſervari decernitur. *Bacchalaureatus gradibus concedendis.*

§. 42. Nullus in Studentium numero adſcribatur, niſi bona indole, ac probis moribus excultus, habita fide cum juramento à Priore, & fratribus Conventus, in quo majori ex parte reſederit, ac niſi Grammaticam adeò calleat, ut Latinè expeditè loquatur, ac ad Latinos auctores approbatos intelligendos aptus exiſtat, cujus quidem intelligentiæ *Studentibus recipiendis.*

intelligentiæ

telligentiæ periculum ita fiat: objiciantur examinando duo auctores, nempe ex difficilioribus, ex quibus caput unum ſaltem ex improviſo per alia verba Latina interpretetur, pœna privationis vocis utriuſque ipſo facto incurrenda per biennium ipſis adſcribentibus, ſi ſecus fiat, propoſita. Neque aliquis ad Philoſophiam audiendam, niſi probè in Dialectica verſatus, neque ad Theologiam, niſi Phyſica plenè inſtructus admittatur.

*Libris non retinendis in Studiis.*

§.43. In Studiis verò præſertim humanioribus, nullus liber adhibeatur, ex quo mores depraventur, & vitæ innocentiæ periculum immineat.

*Qui & quando legere debeant.*

§.44. Regens Bacchalaureus Conventus, & Magiſter Studii quotidie legant ſpatio unius horæ, diebus feſtis, & die Jovis, ſi feſtum nullum in hebdomada occurrat, exceptis à ſecunda Dominica poſt Paſcha, uſque ad 15. Julii, à prima die Septembris, uſque ad 20. diem Decembris, atque à prima die Januarii, uſque ad Septuageſimam. Quibus diebus nulli Studentium abeſſe liceat, neque de licentia Provincialis, quavis de cauſa, ſub pœna privationis ſtudii ipſo facto incurrenda. Ea verò ratione legent, ut Regens toto triennio tres priores libros Magiſtri ſententiarum ex ſententia D.Thomæ interpretetur (quarto ſingulis diebus feſtis poſt Veſp. ab eodem explicato) teneaturque ſaltem ſemel in hebdomada lectionem ex Metaphyſica, vel ex libris Ethicorum Ariſtotelis, prout ſibi magis expedire videbitur, habere. Bacchalaureus Conventus libros Phyſ. de Cœlo, Generatione, & Anima, iis omiſſis quæ ob facilitatem omitti ſolent, eodem tempore explicabit. Magiſter totam Logicam, hoc eſt librum Prædicab. Prædicam. Perihermenias, & Poſt. exactè, Priorum verò, Elenchorum, Topicorum per compendium declarabit. Concluſiones ſingulis diebus, quibus legitur, ex Theologia, Philoſ. & Logica ab unoquoque Studentiũ ex Ordine ſuſtineantur, aliis de more per vices arguentibus.

*Silentio in diſputationibus.*

§.45. Nec liceat alicui ad evitandam confuſionem, niſi Bacchalaureo, qui partes ſuſtinentis adjuvabit, & Magiſtro ſtudii, qui partes arguentis fovebit, aliquid, niſi de Regentis licentia, dum diſputatur dicere.

*Regens omnia Studia viſitet.*

§.46. Regens ter in anno, expletis Lectionibus per literas, quid & quantum lectum fuerit, Priori generali ſignificare teneatur, qui ſemel in anno ſtudia omnia viſitare, Studenteſque ſingulos, ejectis iis qui non profecerint, per ſe vel per alium idoneum examinare debebit.

*Qui & quando prædicare poſſint.*

§.47. Nullus ad prædicandum, niſi Magiſter, aut Bacchalaureus mittatur: poſſit tamen Generalis aliquem ex Studentibus in Sacra Theologia diu verſatum, & ad id munus diligenti examine idoneum repertum mittere tempore dumtaxat Quadrageſimali, aliis verò temporibus nulli, neque Bacchalaureo, neque etiam Regenti liceat, neque etiam in propria Eccleſia prædicare, ne ſtatutæ Lectiones deſerantur, aut intermittantur.

*Theologia tractatione ſemel in hebdomada.*

§.48. Et quia ſacrarum, & humanarum litterarum ſtudia cum pietate, bonitate & virtutum omnium exercitatione conjuncta eſſe debent, ideo ſemel in hebdomada, die à Priori generali conſtituto, de Theologia practica habeatur tractatio, in qua præcipuè de virtutibus, quibus alimur in vita ſpirituali, & de vitiis oppoſitis, quæ tanquam morbos animæ caveamus, agatur.

*Recognitione progreſſus in Studiis.*

§.49. Quotannis certo ſtato tempore, à Priore generali ſingulorum Studentium progreſſus recognoſcatur, cui recognitioni, præter Priorem Conventus, etiam Provincialis interſit, ſeu alius à Generali delectus, & ii de omnibus, quæ circa ſtudia providenda erunt, & præcipuè de promovendis diſcipulis ad ſuperiores claſſes, & de Lectoribus & Regente, ac ipſiſmet Studentibus mutandis, cum Priore generali communicent, neque circa ſtudia aliquid ſtatuatur ſine ejuſdem Patris Generalis conſenſu.

*Generalis examinatione de Bacchalaureis in viſitatione.*

§.50. Generalis in viſitatione Bacchalaureos quoſcumque diligentiſſimè examinabit, & ſi quos minus idoneos invenerit, itaut ſufficienti ad hujuſmodi gradum eruditione careant, illos pro ignorantiæ modo aut ſuſpendet, aut privabit. Quod etiam circa alios Studentes obſervetur.

*Lectio ſacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ qualibet hebdomada habeatur.*

§.51. Curet Prior cujuſcumque Conventus, ut Lectio ſacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ, ex præſcripto decreti Apoſtolici ſingula hebdomada habeatur. Neque ipſe prior ab hujuſmodi lectione aliquem abeſſe permittet. Lectio autem cum collatione non minus ſpatio unius horæ durabit, tentanturque ſinguli Sacerdotes circa propoſitas à Lectore dubitationes interrogati, quid ſentiant ex ordine reſpondere, quibus etiam liceat circa materiam prælectam dubitationes excitare, iiſque Lector ſatisfacere teneatur, ac propterea ſummam ſaltem aliquam caſuum cõſcientiæ habere ſinguli debebunt. Si Lector non legitimè impeditus à legendo per hebdomadam ceſſaverit, voce activa & paſſiva per annum privatus exiſtat: ſi per aliam hebdomadam in munere ſuo obeundo defecerit, per biennium eandem ſubeat pœnam. Si in contumacia per tertiam hebdomadam ſteterit, ultra vocis activæ & paſſivæ privationem, per quinquennium jure legendi ſuſpenſus ſit. Si fratres verò ſtudio adſcripti Lectioni non adfuerint, pro prima & ſecunda vice in Refectorio panem, & aquam publicè edant. Si tertia deliquerint, voce activa & paſſiva per triennium, aliiſque etiam pœnis arbitrio Provincialis plectantur.

*Prim... gendi ... tatibus...*

§.52. Ut autem fratres omnes in conſcientiæ caſibus magis verſati fiant, nullus deinceps in Priorem eligatur, qui non priùs ad confeſſiones audiendas admiſſus fuerit, aut ſaltem ſpatio ſex menſium proximè futurorum, ab Epiſcopo loci in quo Prior eſt electus, admitti ſe curaverit, aliàs officium illius ipſo jure vacare intelligatur.

*Con... eligend... litatibu...*

§.53. Neque aliquis ad confeſſiones audiendas, antequã præſentetur Ordinario, minor triginta annis à Generali admittatur, & qui prius rigoroſo examine circa doctrinã, mores & diſciplinã à Provinciali, & duobus Magiſtris, onerata ipſorum conſcientia non fuerit approbatus.

*Veſtim... rum f... qualita... bus.*

§.54. Etſi veſtitus exterioris, qui unus eſſe debet, ſicuti una eſt Religio, & interioris qualitas in Conſtitutione Ordinis cap.19. ſatis exprimitur, quia tamen quorumdam temeritas, & regularis diſciplinæ contemptus ita inolevit, ut potius laïci quam religioſi ex habitu videãtur, Prioribus Conventuum ſub pœna privationis Officii, ac inhabilitatis ad alia officia ipſo facto incurrẽdæ præcipitur, ut omni abuſu ſublato, veſtes fratrum tam interiores quàm exteriores ad præſcriptum Conſtitutionum corrigant, itaut tunicæ talares ſint, non longiores, neque breviores, neque apertæ, niſi ante pectus, manicæ non rugoſæ, zona non niſi coriacea, caligæ tantum albæ, veſtes interiores albi, aut nigri, nõ mixti, aut alterius coloris, camiſiæ laneæ, lineæ verò (quæ non niſi ob infirmitatẽ permittuntur) omninò exteriùs non appareant. Cappæ non ſint rugoſæ, pilei uniformes, non eminentes, bireta non ſint angularia, ſed potius rotunda, quæ intra clauſtra tantum à Paſchate Reſurrectionis uſque ad feſtum omnium Sanctorum permittantur: pallia, quibus non niſi cum pluit, ac in itinere utendum eſt, ſimplicia, habitus per Urbem ſemper integer, omnis denique ornatus ſericus, argenteus, aut aureus, & color in omni re, quamvis minima, præter in Conſtitutione expreſſum, omniſque luxus & ſuperfluitas tollatur, pœna fratribus non exeundi ſepta Monaſterii per ſex menſes propoſita. Nullus præterea, quamvis Magiſter, quacumque de cauſa annulos aureos, aut argenteos, vel alterius materiæ in digitis geſtare præſumat, ſub pœna privationis vocis utriuſque ipſo facto incurrenda, quas pœnas Prior remittere non valeat, teneaturque ſemel ſaltẽ in menſe cellas, & indumenta fratrũ quorumcũque diligenter viſitare, neque ullo modo aliquid ſericum, vel ad arcendum ſudorem in biretis, aut pileis, aut in alia quavis re permittet. Nemo item barbam ſibi circa maxillas, & mentum abradi faciat, ſed illam prout natura protulit, deferat, neque capillos circa tempora prominentiores, aut longiores geſtet, quàm in occipite, ſub pœna privationis vocis utriuſque ad arbitrium Generalis, pœna quoque Priori qui permiſerit, privationis propoſita. Provincialis etiam diligenter in viſitationibus perquiret, an Priores circa prædicta aliquid adverſus Conſt. permiſerint, ac eos qui in culpa fuerint, officio privabit. Quod ſi Generalis Provincialem quoque in re hac negligentem fuiſſe deprehenderit, poſſit illum ab officio ſuſpendere, aut etiam pro culpæ qualitate privare. Curæ ſit Prioris Generalis, abuſus omnes tollere, & maximè in literis familiaribus deſcribendis, ut non ſæculari, ſed religioſo more ſe invicem tractent, aliqua præſcripta forma, quæ humili Religionis ſtatui conveniat.

*Syndici O... ficio.*

§.55. Syndicus omnem pecuniam ad manus fratrum quomodolibet pervenientem, in libro redditus, in quo

aliæ

aliæ Conventus pecuniæ adnotari ſolent, deſcribet, atque cum pecuniis Conventus prorſus confuſam Depoſitario ſervandam tradet, ut inde communis victus & veſtitus, ut præfertur, ſuppeditetur, aliiſque fratrum neceſſitatibus de Prioris licentia ſuccurratur, juxta Decretum Sanctiſſimi Domini noſtri.

§. 56. Confeſſarii Prædicatores & Lectores, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ ad biennium ipſo facto incurrenda, eleemoſynas, ſalaria, ſive mercedes integras Priori, ſive Syndico cum aliis bonis Conventus cõfundendas conſignare teneantur, teneantur tamen Superiores Religioſorum neceſſitatibus præcipuè, & ea qua decet charitate, & providentia ſupplere, & providere.

§. 57. Nemini liceat ante refectionem communem, & benedictionem præſertim in Refectorio aliquid comedere, aut habere: qui ſecus fecerit, aut diſciplina publica plectatur, aut cibo ea vice careat, quas pœnas Prior ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, Provincialis, ſeu Generalis arbitratu infligenda, irrogare teneatur.

§. 58. Ne Deo militantes ſæcularibus negotiis implicentur, omnibus & ſingulis fratribus cujuſcumque gradus exiſtant, inhibetur ne quis alicujus Principis, aut nobilis viri, vel alterius, etiam conſanguinitatis prætextu, Procurator aut negotiorum geſtor ſit, nec in negotiationibus ullo modo, aut mercaturis, interpretis, ſive mediatoris vices, aut aliud ſæculare negotium gerat, pœna privationis activæ, & paſſivæ vocis incurrenda illi propoſita, præter alias arbitrio Generalis irrogandas.

§. 59. Nullus frater quovis prætextu arma cujuſcumque generis geſtare, vel apud ſe retinere, etiam ſibi in cuſtodia ab aliis tradita, ſub pœna vocis utriuſque eo ipſo amittendæ per annum, ac per ſex menſes è Monaſterio non exeundi præſumat, quod ſi arma ex prohibitis, uti ſunt ſclopi rotarii, fuerint, pœnam triremium per triennium eo ipſo incurrat, quam pœnam Provincialis, omni excuſatione remota, ſub pœna privationis Officii exequi teneatur. Prior autem qui ſcienter permiſerit, officio omninò privetur.

§. 60. Caveat autem prior, ne ſub Pœna privationis officii ipſo facto incurrenda fratribus exeundi licentiam, niſi ad præſcriptum Conſtitutionum, hoc eſt, niſi bis in hebdomada, ac niſi genuflexis, benedictionemque petentibus, & cum ſocio concedat, nec quemquam diebus feſtis exire permittet, niſi ob caſum neceſſitatis, quæ differri non poſſit.

§. 61. Decretum S. D. N. de feneſtris, quæ in vias publicas, aut vicinas laïcorum ædes proſpiciunt, muro obſtruendis quãprimùm executioni mãdetur, & ſi lux aliunde venire non poſſit, ſaltẽ ita obturentur, ſive fixè aptentur, ut nulla ratione à vicinis fratres videri queant, Priori pœna privationis officii propoſita, ſi ſecus factum fuerit.

§. 62. Prior cujuſque Conventus non Collegiati, expleto biennio in Conventum Collegiatum reducatur, niſi ad alterum biennium ejus officium pro loci utilitate contingat prorogari. Familia verò ultra biennium in hujuſmodi Conventibus commorari non permittatur, ſed in aliquo Collegiato, ubi diſciplina regularis vigeat, omninò collocetur, neque Prior, aut quiſquam ejuſdem familiæ frater poſſit in Conventu non collegiato, niſi poſt ſex annos collocari. Provincialis autem, qui hujus decreti temerarius extiterit violator, per annum ab officio ſuo noverit ſe ſuſpenſum, quam etiam pœnam Prior ipſe Generalis, ſi contrafecerit, omninò luat.

§. 63. Fratres ab eo Conventu in quo degunt, ad alium abſque Prioris licentia in ſcriptis cum termino ad redeundum præfixo, ſub pœna carceris non tranſeant, pœna ſuſpenſionis ab officio per menſem Priori, qui hujuſmodi licentiam non perquiſierit & legerit, aut aliquem ſine illa, & Breviario, aut Corona, ſi Laïcus fuerit, receperit, propoſita.

§. 64. Prior non modò Tabellam Decreto Apoſt. præſcriptam, in qua horarum diſtributio contineatur, appendi curabit, ſed & ſub pœna ſuſpenſionis, vel etiam privationis officii, quam Provincialis relaxare non poſſit, quæ de ſilentio in Conſtitutione præcepta ſunt, omninò ſervari faciat, fratreſque ſub eadem pœna ſtrepitantes, aut mutuò contendentes, vel etiam obſcœna verba proferentes, minaſque aliis intentantes publica diſciplina, aut relegatione è Monaſterio, vel etiam carceratione, pro modo culpæ puniantur.

Datum Romæ die 22. Auguſti 1604.

Antonius Seneca Refor. Apoſt. Secretarius. — *Die 22. Aug.*

*Forma à Generali præſcripta Fratr. dicti Ord. in ſcribendo.*

*Formã ſcribendi aliis Fratribus.*

§. 56. NOs Frater Philippus Prior Generalis, Decreto Sacræ Congregationis Viſitationis, & Reformationis Apoſt. inhærentes, omnibus & ſingulis Ordinis noſtri Fratribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna privationis vocis utriuſque per annum ipſo facto incurrenda præcipimus, ne poſthac in ſcribendo, aut etiã loquendo quemquam, quamvis Generalem, dominum ſuum, aut patronum vocare, aut ſe alicujus ſervitorem, ſive ſervum dicere præſumant. Sed pro perſonarum conditione Patris, aut fratris, aut filii, vel etiam ſervi in Domino nominibus utantur. Neque in ſcribendo aliquem multum Reverendum, præter Procuratorem Ordinis Generalem, Vicarium Generalis, & Provincialem, nec Reverendum niſi Priorem, & Magiſtrum, neque Venerabilem, niſi Sacerdotem quadragenarium, ac Bacchalaureum nominare velint, ſub eadem pœna.

---

## Hortatio paſtoralis ad Epiſcopos Regni Galliæ, ut pace jam compoſita inter Regem Galliæ, & Regem Hiſpaniarum, eorum muneri, animarumque ſaluti, & Catholicæ fidei augmento ardentius de cetero incumbant. — LXI.

Similem adhortationem ad Catholicæ Eccleſiæ Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos non diſſimilibus de cauſis fecit S. D. N. Urban. VIII. in conſtitut. 38. Tonitrua, inf. tom. 4.

*CLEMENS PAPA VIII.* — *Edita A. D. 1599.*

*Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Epiſcopis in eadem Provincia conſtitutis.*

*Proœmium.*

DIves in miſericordia ſua Deus, quamvis peccatis hominum promerentibus, multis Eccleſiam ſuam perturbationibus concuti, & tanquam tempeſtatibus jactari permittat, quibus cor noſtrum gravi moleſtia & ſollicitudine conficitur, qui in hac puppi militantis Eccleſiæ, meritis licet & viribus imparibus, Deo ipſo ita diſponente, clavum tenemus: idem tamen miſericors & miſerator Dominus, ſecundùm divitias bonitatis ſuæ, nos ſtillicidiis conſolationis ſuæ mitigare quandoque non ceſſat.

*Pax compoſita fuit hoc Pontifice auctore inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ, unde Catholicæ Religionis gloria augetur.*

§. 1. Nam pace inter duos potentiſſimos Reges filios noſtros in Chriſto chariſſimos, admirabili Dei benignitate conciliata, quod crebrò, & multa cum gratiarum actione commemorandum eſt, jam ex ea in iſto potiſſimùm nobiliſſimo Franciæ Regno, quod in viſceribus Chriſti gerimus, commoda illa, ut audivimus, & ſpiritales utilitates emanare incipiunt, quas à ſumma Dei clementia, & à veſtra etiam paſtorali vigilãtia, Fratres venerabiles, expectabamus. Jam enim optatiſſimæ, & divinitus collatæ pacis beneficio Regnum iſtud ampliſſimum tanquam ex gravi & periculoſo morbo, quo diu eſt afflictatum, recreari videtur, jam divino illius munere, qui eſt pax noſtra, qui non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit cum tentatione proventum, reſpirat, & quodammodo reſurgit Chriſtianiſſima Gallia, & Catholicæ Religionis gloria, & vetus ille ſplendor divini cultus, ut audivimus, paulatim redit, & refloreſcit, paſtores complures vigilant ſuper gregem ſuum, & oves paſtorum vocem audiunt, & ab alienis fugiũt, & Spiritus ſancti numine corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres convertuntur.

*Ideoque idem Pont. in Deo exultat.*

§. 2. Quæ cum nobis nunciantur, exultat in Deo ſpiritus noſter, eumque ex intimo cordis affectu oramus, ut ipſe, cujus perfecta ſunt opera, quemadmodum cœpit, ita in vobis opus & gratiam ſuam perficiat.

*Epiſcopoſque hortatur, ut eorum muneri diligenter intendentes, animarũ ſaluti, & fidei Catholicæ augmento ardenter incumbant.*

§. 3. Quod igitur anno ſuperiore fecimus, per Apoſtolicas noſtras literas, te frater Archiepiſcope, & vos fratres Epiſcopi iterum ſalutamus, iterum ex noſtra Paſtorali ſollicitudine, & zelo permoti charitatis Chriſti, qui cor noſtrũ excedit, ad opera & labores Epiſcopal. vos invitamus, ad quos à ſummo Patrefamilias vocati, & conducti ſumus magnis ſanè præmiis & coronis: atque hoc ipſum paterni erga vos amoris noſtri officium tanto nunc libentiùs & jucundiùs repetimus, quanto majorem apud vos admonitiones & cohortationes noſtras vim habuiſſe perſpicimus,

ſpicimus, quæ certè ex ardenti ſtudio, & deſiderio ſalutis animarum promanant. Nunc ergo vos currentes magis magiſque incitamus, ſic currite in hoc ſpiſituali ſtadio, ut comprehendatis. Nunquam enim ceſſandum, nunquam in medio curſu inſiſtendum, neque cura & diligentia veſtra remittenda, ſed quæ retro quidem ſunt, & prætериere, quodammodo obliti, ad remotiora, quæ in conſpectu veſtro ſunt, vos ipſos extendite, donec gratia Dei adjutrice perveniatis ad deſtinatum ſcopum & præmium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Vobis enim non corruptibilis corona propoſita eſt, ſed incorrupta, & quæ nulla temporis diuturnitate marceſcit. Quod ſi ii qui terrenis & caducis divitiis congregandis inhiant, tantos labores ſuſcipiunt, tantis ſudoribus ſeipſos exercent, agros novant, terram arant, ſulcos altius imprimunt, & iteratis arationibus ſolum proſcindunt, ut fœtus uberiores edat, quid vos tandem facere oportet in hac ſpirituali cultura, qui labores non ſubeundi? etiãſi cum fletu & lachrymis arandum & ſerendum ſit, ut venientes paulo poſt, veniatis cum exultatione animarum, quas Chriſto lucrati eritis manipulos lætiſſimos reportátes. Nunc ergo levate oculos veſtros, & videte regiones iſtas, quæ antea erant ſicut Paradiſus Domini, ſed vepres multi, & ſpinæ ſuccreverũt, & dormientibus colonis, inimicus homo ſuperſeminavit zizania, multi morum errores, multæ corruptelæ, & quod luctuoſius eſt, multæ hæreſes, tanquam ſtirpes, & herbæ venenatæ & peſtiferæ in Regno iſto ampliſſimo exortæ ſunt, ſed nativa illa Francorum bonitas, & tanquam ingeneratus animorum candor, quaſi quædam agrorum ubertas adhuc remanet: modò vos Epiſcopi in illorum culturam magna induſtria, magna diligentia incumbatis, confidimus in Domino, quod gratiæ ſuæ rore fœcundabit terram iſtam, & germinare eam faciet ſicut priùs germina pietatis & Religionis, & quæ vos ſeminaveritis pia & ſancta, eadem benedicente Domino metetis, & fructum multum congregabitis in vitam æternam.

*Clericorumque delectum habeant.*

§. 4. Sed quoniam ad agrum Domini, & ad vineam Dei Sabaoth excolendam operariis multis fidelibus & ſtrenuis opus eſt, propterea hortamur vos etiam atque etiam fratres, & commonemus, ut in Clericis conſcribendis, quorum opera in Eccleſia, & in omni ſpirituali miniſterio uti debetis, magnam curam, magnum delectum habeatis.

*Simonia labem extermінẽt, avaritiaque ſuſpicionẽ amb-veant.*

§. 5. In primis verò date operam, omnique ſtudio, ope, conatu, vigilantia contendite, ut deteſtabilem ſimoniæ labem à domo Dei, quam decet ſanctitudo, penitus exterminetis, neque vos ipſos modò puros atque incorruptos à fœdiſſimi & pernicioſiſſimi morbi cótagione conſervate, abſit enim ut Epiſcopalis dignitatis caſtitas atque integritas, tantæ impuritatis macula violetur atque fœdetur, ſed cæteros etiam cohibete quamdiligentiſſimè, ne tantum ſcelus admittant, nihil immundum, nihil coinquinatum in Sanctuarium Dei ingredi oportet, alioquin ira Dei ſupra modum provocatur, & Eccleſia Dei detrimentis graviſſimis afficitur. Itaque ſimoniæ lepra contaminatos, arrepto diſciplinæ flagello, ejicite à templo Dei foras canes: foras operarii ſubdoli, qui dona Dei, qui Spiritum Sanctum exiſtimant pecunia poſſideri. Denique fratres, divini honoris zelo incenſi, vigilate, agite atque efficite, ut à Cathedralibus, & ſuperioribus Eccleſiis, à beneficiis Ecclèſiaſticis, ab Ordinum collatione, poſtremò à cujuſvis Eccleſiaſtici muneris functione omnes illicitæ pactiones, omnis execrandæ ſimoniæ abſit labes, & pernicies, omniſque ſordidæ avaritiæ ſuſcipio ab Eccleſiaſtico ordine quamlongiſſimè arceatur.

*Sacris ordinibus probos viros aſcribant.*

§. 6. Jam verò quanti momenti ſit Clericorũ ordinatio, quantam ea in re Epiſcoporum curam & ſollicitudinem ſacri Canones requirant, non ignoratis fratres, hæc enim prima aut bonorum, aut malorum multorum, quæ poſtea conſequuntur, cauſa eſt & origo. Niſi enim is qui ad clericalem militiam adſcribitur, aut ſacris ordinibus initiatur, talis ſit, & tali propoſito ad hoc vitæ genus accedat, ut in corde vero & ſimplici cultũ Deo præſtare, & illi fidelẽ ſervitutem ſervire cupiat, atque ita in ſortem Domini adſcribatur, ut verè, & ex animo Deum ipſum ſortem ſuã, & portionẽ habere deſideret, profectò ſi aliter fiat, quãplurima, & graviſſima incómoda, & mala exiſtere neceſſe eſt.

*Ordinationum tempora, & alia obſervent.*

§. 7. Hinc illa veterum ſanctorum Patrum, & ſacrorum Conciliorum tam exquiſita diligentia, & veluti anxietas, quam in hac ipſa ordinandorum materia ab omni Eccleſiæ antiquitate obſervare licet, ut ſtatutis anni temporibus, quando Spiritus ſancti gratia per totius fidelis populi orationem & jejunium præcipuè imploratur, ordinationes habeantur, ut in Cathedrali, & primaria Eccleſia à proprio Epiſcopo publicè ritu ſolemni celebrentur, ut non niſi probati, & examinati initientur, ita ut Epiſcopus ipſe piis, & prudentibus Sacerdotibus, & divinæ legis peritis, atque in Eccleſiaſticis functionibus exercitàtis ſecum adhibitis, de ordinandorum genere, natalibus, ætate, inſtitutione, vita, moribus, doctrina & fide diligenter inquirat, atque inveſtiget, ut nonniſi digni & probati, bonum teſtimonium habentes, qui Deo auctore ſperent ſe continere poſſe, qui piè & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, paulatim, & per temporum intervalla ad altiores gradus aſſumantur, & ad ſacratiſſima myſteria, quibus nihil eſt divinius, meritò admittantur.

*Semina... Cleric... & Coll... inſtitu... & pie... mandi... deant.*

§. 8. Denique in Collegiis, & Seminariis Clericorũ inſtruendis, & Clericis ipſis ab ineunte ætate ad pietatem & religionem informandis, magna omni tempore ab Epiſcopis diligentia eſt adhibita, idque meritò, propterea quod optimè perſpicerent, Eccleſiaſticam diſciplinam iis fundamentis niti, & bonorum operariorum copiam in primis in Eccleſia neceſſariam eſſe intelligerent.

*Clerico... neos a... eros ... promo...*

§. 9. Quas ob cauſas fratres, quanta maxima poſſumus efficacia vos hortamur, monemus, & rogamus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut non niſi idoneos, & Eccleſiis veſtris utiles Clero adnumeretis, & ad ordines præſertim ſacros promoveatis. Ætas quidem, ut ſcitis, unicuique ordini præſcripta eſt, ſed nó ea ſufficit, niſi in vita & moribus eorum, qui ſacris ordinibus initiandi ſunt, ſenectus ſit, niſi Chriſti bono odore compleant domum Dei, & niſi ea eruditione, & ſcientia ſint inſtructi, quæ ad ordinem exercendum pertinet, quod cùm in aliis ſacris ordinibus obſervandum eſt, tum maximè in Presbyteris initiandis, qui ſublimiore loco ſupra candelabrum ponuntur, & tanquã lucernæ accenduntur, ut luceant omnibus qui in domo ſunt, quibus animarum cura committitur, quæ eſt ars artium, qua nulla difficilior, aut majoribus periculis obnoxia. Hi nimitum adjutores veſtri ſunt, qui ad populum regendum, & ſalutaribus Sacramentis paſcendum eliguntur, qui doctrina, pietate, caſtis moribus & illuſtribus bonorum operũ exemplis ita aliis prælucere debent, ut verè lux, & ſal populi ſint, & habeantur. Nunc autem crebrò apud vos ſacris ordinibus initiari audimus, & multò cum animi dolore accipimus homines viles, infimæ & abjectæ conditionis, nulla eruditione, nullis meritis, nulla generis honeſtate commendatos, imò verò rudes, illiberales, ſordidos, ineptos, vitiis plerumque commaculatos, à quibus nihil planè boni, aut ad virtutem, aut ad prudentiam, aut ad rerum uſum ſit expectandum, multum verò mali jure optimo ſit metuendum. Itaque videte fratres, ne contra Apoſtoli præceptum manus cuiquam nimis properè imponatis, & ne communicetis peccatis alienis; neque enim aliam ob rem, quàm ob collatos ordines, gravius judicium apud juſtum Judicem ſubibitis.

*Præſer... locis u... tholica... gio ... tur.*

§. 10. Quia verò, ut initio diximus, admirabili Dei benignitate Franciæ Regnum paulatim, ut audimus, & in Domino confiſi ſperamus, reſurgit, & errorum denſæ tenebræ, quæ loca multa pervagaverant, atque obſederant, cœleſtis gratiæ Sole exoriente, & veritatis lumine diſſipãtur, ob eam cauſam vos fratres magnoperè hortamur, ut ad eas regiones, civitates & loca, in quibus Catholicæ Religionis uſus reſtituitur, & divini cultus ſacræ functiones renovantur, & Sacramentorum adminiſtratio iterum in mores inducitur, atque inſtauratur, Clericos & Sacerdotes probatiſſimos mittatis, qui non ſolùm doctrina, & rerum Eccleſiaſticarum uſu, ſed vitæ integritate & prudentia præſtent, qui zelo honoris Dei, & ſalutis animarum ſint incenſi, qui verè omni ſua actione fidelem populum ædificent, & non deſtruant, qui non terrena compendia, ſed animarum lucrum quærant, qui denique novellas plantationes colant, rigent in ſpiritu charitatis, & patientiæ, ut ab eo, qui eſt fons perennis bonorum omnium accipiant incrementum.

*Eccl... Diœ... ſiten...*

§. 11. Sed quoniam in omni rei domeſticæ cura nihil eſt utilius, quàm ſi ipſemet paterfamilias omnia frequenter inſpiciat, ſuaque vigilantia ſuorum induſtriam & diligentiam

diligentiam alat, propterea vos hortamur fratres, vobiſque præcipimus, ut Eccleſias, & Diœceſes veſtras vos viſitetis, vos ipſi ſtate in medio ovium veſtrarum diſſipatarum, & congregate eas, vos ipſi imitatores facti boni paſtoris illius, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, paſcite gregem veſtrum, & pecoris veſtri vultum agnoſcite, ut non jam furum & alienorum, ſed patris & paſtoris ſui vocem audire, & ſequi aſſueſcant, vos congregate agnos, & in brachiis veſtris, & in ſinu veſtro levate, & geſtate eos, & fœtas oves vos ipſi portate, mirum eſt enim quanta vis ſit, quanta utilitas Epiſcopalis viſitationis, quod alteris etiam literis noſtris paſtoralibus, quas anno ſuperiore ad vos dedimus, accuratè pro rei gravitate conteſtati ſumus.

§. 12. Sed in univerſum in omni ſacra & Eccleſiaſtica functione vos auctores, vos duces & magiſtros eſſe oportet, ut quaſi de veſtræ ſanctitatis ſplendore Clerus omnis lumen hauriat, & veſtræ charitatis igne incaleſcat. Itaque in tremendi Sacrificii frequenti & devota oblatione, in Miſſarum ſolemni celebratione, in Sacramentis adminiſtrandis, in divinis officiis obeundis, in cultu & nitore Eccleſiarum, in diſciplina domus & familiæ veſtræ, in pauperum amore, & miſericordia, in omni denique opere pietatis, religionis & virtutis eſtote forma gregis veſtri, ſicut decet Epiſcopos ſervos Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

§. 13. Implete igitur fratres gaudium noſtrum, reficite viſcera noſtra, ambulate in dilectione, & laborate ſtrenuè in vinea Domini in omni patientia & doctrina, aſpicientes in remunerationem magnam, & in gloriam illam, quæ exuperat omnem ſenſum: nam magni quidem ſunt labores, ſed magna erunt præmia bonorum Epiſcoporũ, in quibus poſuit Deus verbum reconciliationis, qui legatione funguntur pro Chriſto ad populum. Ergo honorificate, & implete miniſterium veſtrum, adjuvate patriam nobiliſſimam, adjuvate animas pretioſo Chriſti ſanguine redemptas, arcete lupos ab ovilibus veſtris, reſiſtite miniſtris ſathanæ, prædicate verbum, docete errantes, & eos in viam veritatis & ſalutis adducite, aderit vobiſcũ Deus, qui nos confortat, & in quo omnia poſſumus, non deerit etiam vobis, ut confidimus, auxilium Chriſtianiſſimi Regis veſtri Henrici, filii noſtri chariſſimi, filii deſideratiſſimi, quem cum multis lacrymis parturivimus, & multo cum gaudio iterum genuimus in Chriſto: nam à nobis, & ab hac ſancta Sede, in qua indigni & immeriti præſidemus, ubi noſtra Apoſt. auctoritate opus fuerit, omnia vobis parata erunt adjumenta: venite ad nos, qui vos ut fratres amamus in viſceribus Jesu Christi, venite ad matrem, ad Romanam ſanctam Eccleſiam veſtram, & omnium Eccleſiarum matrem, caput & magiſtram: nihil nobis optatius, nihil jucundius, quam unà vobiſcum Dei gloriæ, & Catholicæ fidei propagationi ſervire, & animas multas ad Chriſtum adducere. Adjuvantes ergo exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, tantam ſalutiferæ pacis opportunitatem ne effluere patiamini, ſed fructum ex ea capite uberrimum, nunc enim populi admonendi efficaciter ſunt, ut Dei optimi beneficia agnoſcant, eumque deinceps peccatis ad iracundiam ne provocent, ſed convertantur ad eum in corde perfecto, & ambulent rectè coram Deo, abjicientes opera carnis, & opera tenebrarum, induti arma lucis, & opera ſpiritus perficientes, ut tranquillam vitam agamus, & pace diuturna perfruamur, & fidei Catholicæ incremento in Domino gaudeamus. Invitat etiam Anni ſancti, & pleniſſimi Jubilæi jam proxima celebritas, quando Spiritus unitatis Eccleſiæ magnopere apparet, & fidelium omnium pietas & devotio, quaſi communi quodam calore, & gratiæ impulſu excitata, vehementiùs exardeſcit: quam ſanctam Jubilæi celebritatem, jam per literas noſtras Apoſt. omnibus Chriſti fidelibus indiximus & promulgavimus, & præcipuè fratres noſtros Epiſcopos & ſuperiores Antiſtites admonuimus, ut nunc maximè ſtudeant, Dei adjutrice gratia, parare Domino plebem perfectam. Hoc ipſum vos etiam, atque etiam hortamur fratres, idque tanto impenſiùs, quanto plura & majora à patre luminum beneficia accepiſtis. Attendite igitur vobis & univerſo gregi, & talenta vobis credita negotiamini fideliter & fructuosè, ipſo benedicente à quo ſolo eſt omnis ſufficientia noſtra, & cujus vicem in terris nos quamvis indigni gerentes, fraternitates veſtràs pariter benedicimus, & Clero ac populo veſtro fideli eandem Apoſt. benedictionem noſtram paterno affectu impartimur.

§. 14. Tu verò frater Archiepiſcope cura, quod te anno quoque ſuperiore feciſſe non dubitamus, ut hæ literæ noſtræ ad fratres noſtros Provinciæ tuæ Epiſcopos diligenter perferantur. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Christo Jesu, ipſe vos regat, perficiat & confirmet in omni opere bono, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen. *Archiepiſcopus has literas ad ſuæ Provinciæ Epiſcopos perferri curet.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Auguſti 1599. Pontificatus noſtri anno octavo. *Dat. Rom. die 20. Aug.*

---

## Inſtitutio Congregationis Fratrum Reformatorum & Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, primitivam d. Ordinis Regulam obſervantium. LXII.

*Hanc primitivam regulam vide ſuprà in conſtit. 1. Innocentii III. Operam, fol. 71. lib. 1. qui illam inſtituit, & ibi de toto hoc Ordine materiam poſui. Iſtamque inſtitutionem approbavit, duoque vota ab iſtis Diſcalceatis, ultra alia emitti juſſit Paulus V. inf. in ſua conſt. 61. Quæ piè.*

### *CLEMENS PAPA VIII.* *Edita A. D. 1599.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

AD militantis Eccleſiæ regimen divina diſpoſitione, meritis licet imparibus, evecti illud nobis præ ceteris curandum propoſuimus, ut Eccleſiaſticorum, & religioſorum Ordines quoſcumque ad priſtini regularis cujuſcumque eorum inſtituti normam, à qua non parum deflexerunt, quantum in Domino poſſumus, reduceremus. Ac propterea, qui ſua ſponte Religionis ac arctioris vitæ zelo ducti, priſtinæ regulæ, quam ſuæ Religionis auctores inſtituerunt, obſervantiam cum antiquo illo rigore amplecti, ac de cetero ſectari conſueverunt, eoſdem non ſolùm in eorum propoſito confovere, ſed etiam opportunis gratiis, & favoribus libenter proſequi ſolemus. *Exordium.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli pii & religioſi Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum profeſſores, piè conſiderantes præfatum Ordinem, qui à fel. rec. Innocentio Papa III. prædeceſſore noſtro inſtitutus & confirmatus fuit, prout in ejus literis ſub datum in Laterano 5. Idus Februarii, Pont. ſui Anno 1. expeditis continetur, temporum injuria, & hominum tepiditate à primi ejus inſtituti regulari obſervantia deflexiſſe, & laxiorem vivendi modum ſuſcepiſſe, & adhuc retinere, ac propterea divina inſpirante gratia, arctioris vitæ zelo ducti, primum dicti Ordinis regulare inſtitutum imitari cupientes, poſtpoſitis quibuſcumque corporis commoditatibus, dummodo Chriſtum lucrifacerent, primitivam ipſius Ordinis regulam à præfato Innocentio prædeceſſore inſtitutam, cum priſtino illo rigore obſervare cœperint, & nonnullas ejuſdem Ordinis domos ad hujuſmodi primitivam regulam reduxerint, & ſeu de novo inſtituere ſperent, ac alii quamplures eorum veſtigia ſectantes, ſub eadem primitivæ regulæ obſervantia Altiſſimo famulari deſiderent. *Quidam Fratres hujus Ordinis primitivam regulam ab Innoc. III. inſtitutam in ſuo rigore obſervare cœperunt in Regnis Hiſpaniarum.*

§. 2. Nos qui pro noſtri Paſtoralis officii debito religioſorum quorũcumque ſtatui proſperè dirigendo libenter intendimus, pium dictorum religioſorum propoſitum ſummopere in Domino commendantes, ac eorum laudabilia principia felicioribus progreſſibus, quantum cum Domino poterimus, augere cupientes, & eorũ quemlibet à quibuſlibet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolvẽtes & abſolutos fore cenſentes, ex venerabiliũ fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinaliũ, ſuper Epiſcoporum & Regulariũ conſultationibus & negotiis deputatorum, quibus hoc negotium examinandum, & nobis referendum commiſimus *Hic Pont. eorum inſtitutum comprobat, & ipſorum Reformatorum Congregationem erigit, & per unum Priorem ex eis eligendum regi decernit.*

miſimus, ſententia, Motu proprio, & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, unam Provinciam, ſeu Congregationem Frattum Reformatorum, & Diſcalceatorum Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum nuncupandam, quæ primitivam regulam Ordinis præfati perpetuò obſervet, habitu quem modò geſtant, utentes, in eiſdem Hiſpaniarum Regnis per unum Priorem Provincialem, in Capitulo dictæ Provinciæ, ſeu Congregationis, poſtquam ut in Domino ſperamus, eorumdem Religioſorum Reformatorum numerus auctus fuerit, canonicè pro tempore celebrando, ex eiſdem Reformatis & Diſcalceatis eligendum, regendam & gubernandam in perpetuum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

*Eumque à ſuperioritate omnium officialium regula modificata eximit, præterquam Magiſtri generalis.*

§.3. Eamque ſic erectam & inſtitutam ab aliis Provinciis præfati Ordinis modificatæ regulæ perpetuò ſejungimus, ſeparamus, & diſmembramus, ipſoſque Fratres Reformatos, & eorum domos & Monaſteria, tam hactenus erecta, quàm in poſterum erigenda, ab omni, & quacumque juriſdictione, viſitatione & ſuperioritate, tam Commiſſarii generalis, quàm aliorum Miniſtrorum Provincialium, aut localium, & aliorum quorumcumque Superiorum modificatæ regulæ ejuſdem Ordinis, ſuper dictis Reformatis, & eorum domibus eis competente, excepto Miniſtro Generali, ut infrà dicitur, perpetuò eximimus & liberamus, ipſamque tamen Provinciam, ſeu Congregationem Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum, ejuſque domos & Monaſteria præſentia & futura, ſub obedientia & ſuperioritate Miniſtri Generalis totius Ordinis præfati., ſicut aliæ ejuſdem Ordinis Provinciæ ei ſubſunt & ſubjacent, perpetuò ſubeſſe, atque ſubjectam remanere, & ſubjacere volumus.

*Qui eos viſitare & corrigere poſſit, ut hic declaratur.*

§.4. Qui per ipſum tantum, vel alium virum idoneum, ex ipſis tamen Fratribus Reformatis ab eo eligendum, eos juxta eorum primitivam Regulam & inſtituta regularia viſitare, reformare, corrigere & punire poſſit, in Monaſteriis tamen, domibus & locis eorumdem Fratrū Reformatorum, extra quæ nullatenus dicti Fratres Reformati, vel aliqui eorū ab eodem Miniſtro Generali quovis prætextu vel occaſione amoveri, aſſignari, mutari, extrahi, aut tráſferri, vel ad alias Provincias mitti, aut in eis retineri poſſint, nec ipſe Miniſter Generalis aliqua ejuſdem Ordinis Fratrum Reformatorum ſtatuta, auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmata, ſeu confirmanda, vel quæ ipſe Nuncius nunc fecerit, vel quæ poſtea à quocumque Capitulo Provinciali dictorum Fratrum Reformatorum facta fuerint, ſi auctoritate noſtra, ut dictum eſt, fuerint confirmata, mutare, nec aliquas gratias, exemptiones, aut privilegia alicui, vel aliquibus adverſus ipſa ſtatuta concedere valeat.

*Ex Conventibus laxioribus ad hos Reformatos tranſiri, ſervata forma hic tradita indulget, & Reformatos ad Carthuſianos tantū tranſire permittit.*

§.5. Quia verò nonnulli præfati Fratres Reformati, ex prædicto Ordine Regulæ modificatæ, quam profeſſi olim fuerunt, ſunt aſſumpti, volumus & mandamus, ut his & aliis, qui ut dictum eſt, ex Conventibus laxioribus ad hos Reformatos in poſterum recipientur, anni ſpatium concedatur loco probationis, intra quem, ſi qui præfati inſtituti, vitæque auſteritatem tolerare non poſſint, ad Priores Conventus Regulæ modificatæ reverti liceat, & ſi Reformati ſibi minus expedire eorum ſocietatem exiſtimaverint, miſſos facere valeant; poſt annum verò elapſum, (quod ad experimentum, periclitationemque conceditur) ſine nova profeſſione, nulli Fratrum Reformatorum hujuſmodi liceat ad alium, præterquam Carthuſianum, neque etiam ſanctiſſimæ TRINITATIS modificatæ Regulæ Ordinem abſque apoſtaſiæ nota tranſire.

*Ad formandam hanc Reformatorum Congregationem Viſitatorem à ſuo Nuncio eligi iubet, qui hic deſcripta exequatur.*

§.6. Ut autem in hujuſmodi Monaſteriis ii tantummodò admittantur, qui ad onera ſupradictæ primitivæ Regulæ ſupportanda habiles & idonei futuri ſint, Dilecto filio noſtro & Apoſtolicæ Sedis in eiſdem Hiſpaniarum Regnis Nuncio nunc & pro tépore exiſtenti per præſentes committimus & mandamus, quatenus aliquem Religioſum ex Fratribus Ordinis Diſcalceatorum B. MARIÆ de Monte Carmelo, aut Diſcalceatorum Sancti Franciſci, pietate, prudentia, doctrina & experientia, ac in primis Religionis zelo præſtantem, quem ad hoc munus magis aptum & idoneum judicaverit, in Viſitatorem præfatorum Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis ſanctiſſimæ TRINITATIS eligat, qui Monaſteria prædictorum Fratrum Reformatorum perſonaliter viſitet, & in ſingulorum Fratrum prædictorum, qui hujuſmodi primitivæ regulæ obſervantiam amplexi ſunt, vitam, mores & qualitates diligenter inquirat, ac eorum quos verè arctioris vitæ zelo ductos, ad hanc primitivæ regulæ normam tranſire judicaverit, profeſſionem per eos (ut ſuprà dictum eſt) emittendam recipere curet, ceteros verò quos minùs idoneos & aptos eſſe compererit, ut habitum Fratrum Reformatorum dimittant, & ex eorum domibus exeant, & ad modificatæ regulæ prædictæ domus revertantur, auctoritate noſtra, etiam excommunicationis, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis cogat & compellat.

*Eidem Nuncio ſtatutorum Congregationis ſtabilimentum committit.*

§. 7. Præterea idem Nuncius cum conſilio prædicti Viſitatoris, ac aliorum piorum & eruditorum virorum dictorum Ordinum Diſcalceatorum Carmelitarum, aut Sancti Franciſci, & etiam ex ipſiſmet Reformatis ſanctiſſimæ TRINITATIS, ſtatuta & conſtitutiones pro felici dictæ Provinciæ Reformatorum, ejuſque domorum & Monaſteriorum gubernio, primitivæ regulæ prædictæ, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adverſantes, auctoritate noſtra faciat, & obſervari mandet.

*Miniſtrorumque & Vicariorum, & electionem concedit.*

§. 8. Miniſtros inſuper, domorum Vicarios & Magiſtros Novitiorum, tam ex prædictis Reformatis, ſi alioquin idonei fuerint, quàm etiam in ſupplementum, ex dictis Carmelitis, aut Sancti Franciſci Diſcalceatis, prout felici hujus novæ Provinciæ progreſſui in Domino magis expedire judicaverit, eadem auctoritate noſtra eligat.

*Nuncio præfato, & perſonis ab eo deputandis Novitiorum receptionem permittit.*

§. 9. Dantes & concedentes eidem Nuncio, & ab eo deputádo Viſitatori prædicto, aut alii vel aliis, quos idem Nuncius ad hoc ſemel, aut iterum, ut præmittitur, duxerit deputádos reſpectivè, tam præmiſſa faciendi, quàm etiam domos, ſeu Monaſteria ejuſdem primitivæ regulæ exigédi, ac Miniſtris, ſeu aliis eorum Superioribus, ut eos qui relicto ſæculo ad prædictam Religionem confugere divina inſpirante gratia ſtatuerint, & alios qui ex prædicto Ordine modificatæ regulæ ſanctiſſimæ TRINITATIS, aut ex aliis, laxioris tamen regulæ Ordinibus, ad præfatum Reformatum Ordinem tranſire voluerint, ſervatis ſervandis admittere poſſint, concedendi; dummodo quoad eos qui ex aliis Ordinibus ad hunc tranſitum facere voluerint, major pars vocalium domus, in qua recipiendi erunt, votis in illum conſentiant, & Viſitatoris prædicti licentia accedat; & nihilominus integrum Novitiatus annum, prout alii de novo recipiendi, antequam profeſſionem emittant, perficiant.

*Nuncio præcipit ut Capitulo poſtea congregando præſideat, & Prælatorum electionem curet.*

§. 10. Poſtquam autem, benedicente Domino, prædictorum Fratrum Reformatorum Ordinis ſanctiſſimæ TRINITATIS numerus creverit, itaut prædictorum externorum Religioſorum auxilio non indiguerint, & octo ſaltem domos, ſeu Monaſteria habuerint, in quorum ſingulis duodecim ſaltem Fratres Reformati hujuſmodi exiſtant, prædictus Nuncius eos ad Capitulum celebrandum convocari faciat, & in dicto Capitulo ipſe præſideat, & tam Viſitator, quàm Miniſtri & eorum Procuratores canonicè electi, vocem & locum habeant, ac Miniſtrum Provincialem, ceteroſque Miniſtros domorum ex eiſdem Fratribus Reformatis, juxta præſentium tenorem & regularia ejus Ordinis inſtituta.

*Miniſtri hujus Congreg. auctoritatem hic Pont. præfinit.*

§. 11. Ipſe verò Miniſter Provincialis primò electus, auctoritate noſtra prædicta, ea vice dumtaxat ab ipſo Nuncio confirmetur, & tam ipſe, quàm ejus ſucceſſores eandem Provinciam Fratrum Reformatorum (ſalva ſemper Miniſtri Generalis, tam in ipſam Provinciam, quàm in eumdemmet Miniſtrum Provincialem pro tempore eligendum, ut ſuprà dictum eſt, ſuperioritate) ita ut viſitandi, regendi & gubernandi plenam & omnimodam habeat poteſtatem. Ceteri autem Miniſtri Provinciales pro tempore in Capitulis Provincialibus, quæ de triennio in triennium, tam pro ſtatutis faciendis, moderandis, aut ea cauſa abrogandis, quàm electionibus Superiorum, & aliis ad bonum regimen ejuſdem Provinciæ pertinentibus faciendis & ordinandis, celebrari debeant, eligendi, à Miniſtro Generali confirmationem quamprimùm petere, ac obtinere curabunt, ſtatim tamen ac electi fuerint, præfatam auctoritatem habeant, & exercere poſſint.

*Eidem Congreg. facultatem eligédi Procuratorem generalem tribuit.*

§.12. Concedimus quoque eidem Provinciæ, ut cùm creſcente numero domorum & Fratrum, prout ſupra

dictum

dictum eſt, Provincialem elegerint, Procuratorem Generalem apud Sedem Apoſtolicam, pro ejuſdem Provinciæ negotiis tractandis deputare, & perpetuò retinere valeant.

*Privilegia Ordinis communicat.*

§. 13. Præterea omnibus & ſingulis dictæ Provinciæ perſonis, nunc & pro tempore exiſtentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indulgentiis, exemptionibus, & immunitatibus, prærogativis, favoribus & indultis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus Fratres dicti Ordinis de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis ſacri Concilii Tridentini, conſtitutionibus Apoſtolicis, ac primitivæ regulæ prædictis non contrariis, uti, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, indulgemus.

*Reformatos in præmiſſis ab aliis Fratribus non moleſtari prohibet.*

§. 14. Inhibentes Miniſtro Generali Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, Commiſſario Generali, Miniſtris Provincialibus & localibus, & aliis quibuſcumque præfatæ Regulæ modificatæ, ne per ſe, aut alios prædictos Reformatos ejuſdem Ordinis, aut etiam Viſitatores prædictos ſuper præmiſſis quoquo modo moleſtare, ſeu inquietare audeant vel præſumant, etiamſi nondum profeſſionem prædictam regulæ primitivæ emiſerint: quod ſi ſecus fecerint, eos & eorum ſingulos excommunicationis ſententia ipſo facto incurrenda innodamus. Dicti verò reformati nullo modo parere aut deferre teneantur, ſalva tamen in reliquis obedientia dicti Miniſtri Generalis, cui eos perpetuò ſubjectos eſſe, & ſubjacere volumus, ut dictum eſt.

*Hanc conceſſionē præſervari mādat.*

§. 15. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu, etiam ex eo quod omnes intereſſe habentes forſan vocati non fuerint, notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam ab eadem Sede emanatis, & in poſterum emanandis comprehendi poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri debere, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores hujus conſtit. deputat.*

§. 16. Quocirca dilectis filiis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio, nunc & pro tempore exiſtenti, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſt. Generali Auditori, necnon Generali Carmelitarum Diſcalceatorū nunc & pro tempore exiſtenti per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, aut quoties pro parte Fratrum Reformatorum prædictorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos auctoritate noſtra præmiſſis omnibus & ſingulis, juxta præſentium continentiam, & tenorem pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per Miniſtrum Generalem, alioſque prædictos quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis omnibus derogat.*

§. 17. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac etiam juramento, confirmatione Apoſt. & quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & cōſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, præfatis vel quibuſvis aliis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiā derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiā Motu proprio, & aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptis credi jubet.*

§. 18. Ceterùm, quia difficilè foret earumdem præſentium literarum notitiam ad quaſcumque perſonas pervenire, & ubique illas præſentare, eadem auctoritate volumus & decernimus, quatenus tranſumptis earumdem præſentium literarum manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillatis, eadem fides ubique, tam in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 8. die 20. Aug.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Auguſti 1599. Pontificatus noſtri anno octavo.

---

LXIII.

## De receptione & profeſſione Novitiorum ad Congregationem Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini nuper in Urbe inſtitutam.

*De iſtorum habitu, vide infrà conſtit.* 111. *Paſtoralis, ubi alia de hoc Ordine Eremitarum indicabo.*

De hujuſmodi Fratribus vide inf. tom. 4. ad conſtitut. 3. Greg. XV. Paſtoralis, & conſt. 36. Ad ſacram, necnon S. D. N. conſt. 58. Ad uberes, ubi multa notavi.

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

DEcet Romanum Pontificem ea benignè concedere, per quæ Religioſorum quieti, & in Regulari obſervantia progreſſui, ac Religionum propagationi opportunè conſulitur, prout in Domino ſalubriter conſpicitur expedire.

*Approbatio receptionis Novitiorum hucuſque factæ.*

§. 1. Nos itaque cupientes propagationi Congregationis fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini nuper in Alma Urbe per nos admiſſæ, ac inſtitutæ, opportunè proſpicere, ac dilectos filios Vicarium Generalem, ac ſingulos fratres ejuſdem Congregationis à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, profeſſiones per ipſos fratres, & quemlibet eorum uſque in præſentem diem in dicta Congregatione emiſſas, & receptiones quaſcumque Novitiorum in ipſa Congregatione hucuſque factas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, approbamus & validamus, ac validas, firmas & efficaces fuiſſe, eſſe ac fore, ipſoſque fratres, qui profeſſionem emiſerunt, verè profeſſos exiſtere, & uti tales in eadem Congregatione perſeverare poſſe, ac debere.

*Licentia emittendi profeſſionem, Novitioſque alios recipiēdi, & ad profeſſionem admittendi juxta conſt. Sixti V. quæ eſt ſup lib 2.*

§. 2. Novitios verò profeſſionem regularem emittere liberè pariter poſſe declaramus.

§. 3. Præterea eiſdem Vicario & fratribus, ut in ipſa Congregatione alios Novitios, ſervata tamen forma Conſtitutionis felicis recordationis Sixti Papæ Quinti prædeceſſoris, ac decretorum noſtrorum recipere, & expleto Novitiatus Anno ad profeſſionem, etiam regularem admittere, ſine alia noſtra licentia liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate & tenore prædictis licentiam concedimus & indulgemus.

*Quibuſcūquē non obſtan.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis noſtris prædictis hu-

jusſmodi Novitios ad profeſſionem ſine ſpeciali noſtra licentia admitti poſſe prohibentibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat.P.A.8. die 5. Nov.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 5. Novemb. 1599. Pontific. noſtri anno 8.

---

LXIV. Facultas eligendi Confeſſorem, quæ à Sede Apoſtolica datur in bulla Cruciatæ, & aliis indultis, non ſuffragatur perſonis Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo, neque aliis quibuſcumque Ordinibus.

*Alia de Ordine Carmelitarum indicavi tibi ſupra in conſt. 8. Honorii III. Vt vivendi, lib. 1.*

De facultate verò eligendi Confeſſarium ad Regulares utriuſque ſexus, & cujuſcumque Ordinis non extendenda, nec extra forum conſcientiæ, edidit S. D. N. Urb. VIII. conſt. 105. In ſpecula, inf. tom. 4.

*Edita A. D. 1599.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* ROmani Pontificis circumſpecta benignitas honeſtis petentium votis, quæ perſonarum ſub Religionis jugo Altiſſimo famulantium ſtatum, & ſalubrem directionem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, & favoribus proſequitur opportunis.

*Sedes Apoſt. dat quandoque facultatem eligendi Confeſſorem in bulla Cruciatæ & aliis.* §. 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis fratrum Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo, quod cùm in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & aliis privilegiis, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi Confeſſorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſolvere à caſibus Ordinario reſervatis, & à quibuſdam etiam quæ dictæ Sedi reſervata ſunt, Religioſi dicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli, etiam facultatibus uti præſumunt, & illorum prætextu eligunt Confeſſorem aliquando præter eos qui à ſuis Prælatis eorum Confeſſionibus deputati ſunt, quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Procurator Generalis humiliter nobis ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hac facultas declaratur non prodeſſe regularibus.* §. 2. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, talem conceſſionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſorem, & abſolvendi à caſibus reſervatis cum Fratribus & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum cujuſvis inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Provinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam ubilibet, locum minimè habere, neque cenſeri, ſed noſtræ intentionis exiſtere, quod iidem Fratres & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubjecti ſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò declaramus. Eiſdem tamen Prælatis, ut in uſu hujuſmodi poteſtatis ſe cum ſubditis benignos, & faciles exhibeant, præcipimus & mandamus.

*Obſtantibus derogatur.* §. 3. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis fides datur.* §. 4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat.P.A.8. die 23. Nov.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Novemb. 1599. Pontific. noſtri anno octavo.

---

LXV. Reformatio, declaratio & extenſio juriſdictionum & facultatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Camerarii.

*Hujuſmodi Camerariatus Officium antiquiſſimum eſſe liquet ex conſtitut. Vrbani V. Apoſtolatus, ſuprà lib. 1. & Pii IV. conſtitut. 55. Romanus, lib. 2. Ejuſque juriſdictionem in dijudicandis litibus, vide tam in dictis bullis, quàm in alia Vrbani VI. conſtitut. 1. Apoſtolica, lib. 1. & Leonis X. conſtitut. 24. Licet, lib. 1. ac Iulii III. conſtitut. 3. Licet ea, lib. 1. Et ſignanter quoad coërcitionem Miniſtrorum Cameræ, attende conſtitut. 9. Iulii II. Percipimus, lib. 1. Et quoad computa Officialium, & reſciſſionem contractuum Cameræ læſivorum, obſerva d. conſtitut. Pii IV. præcitatam. Circa verò reſciſſionem alienationis bonorum Sedis Apoſtolicæ inſpice conſtitut. 104. ejuſdem Pii, Apoſtolica, ſuprà lib. 2. Et circa lites naufragiorum obſerva conſtitut. 7. Pii V. Cum nobis, lib. 2. Prout quoad expeditiones Clericorum attendi debet conſtit. 3. Iulii III. Licet, lib. 3. Nec prætermittenda eſt bulla 20. Pii IV. Providentia, lib. 2. ubi omnia Privilegia, & juriſdictiones Camerarii confirmantur, & de novo conceduntur: neque reformatio Pauli V. infrà in ſua conſtit. 71. Vniverſi, §. 2.*

Quo verò ad ipſam Cameram, id eſt cauſas eam concernentes, vide d. conſtitut. Urbani VI. Et quoad redditionem computorum Cameræ, habes conſtit. 40. Pauli III. Cùm ſicut, ſup. lib. 1. Quoad occupatores Terrarum Sedis Apoſt. vide conſtit. 11. Pauli IV. Incumbentia, lib. 2. Quoad occupatores ſcripturarum Cameræ extat bulla 56. Sixti V. Non ſine, lib. 2. Circa ſolemnitates contractuum ejuſdem Cameræ, inſpice bullam 13. Pii IV. Cum in alienationibus, lib. 2. Quoad ſpolia, vide inf. in conſtit. 1. Pauli V. in eminenti, ubi notabo. De gratiis autem intereſſe Cameræ tangentibus in ea regiſtrandis; attende bullam Pii IV. num. 98. Ingens, lib. 2. Reformationes autem dictæ Cameræ ſunt in conſtit. 13. Eugenii IV. Inter, lib. 1. Et in conſt. 24. Leonis X. Licet, lib. 1. & conſtit. 55. Pii IV. Romanus, lib. 2. ubi etiam notavi.

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei: Dilecto filio Petro Sancti Nicolai in Carcere, Diacono Cardinali Aldobrandino nuncupato, noſtro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* *Edita A. D. 1599 & 1600.*

IN conferendis muneribus & officiis, quæ præſertim gravia, & nobis proxima ſunt, ita æquum eſt proſpicere, ut illi in primis ad ea aſſumantur, quorum multis & illuſtribus exemplis teſtata jam pridem virtus jucundam nobis ſpem facit, eos tales futuros eſſe, qui opera & laudabiles fructus quotidie proferant in noſtra Republica ampliores. *Exordium.*

§. 1. Cum itaque officium Camerariatus noſtri, & S. R. E. quod bon. mem. Henricus tit. S. Pudentianæ. Presbyter Cardinalis Caietanus nuncupatus, noſter & prædictæ Eccleſiæ Camerarius, dum viveret obtinebat, per obitum dicti Henrici Cardinalis & Camerarii, qui apud Sedem Apoſt. debitum naturæ perſolvit, vacaverit, & vacet ad præſens. *Vacatio officii Camerariatus per obitum Cardinalis Caietani.*

§. 2. Nos attendentes hujus officii magnitudinem, cupienteſque hoc præclarum munus tali viro demandari, qui auctoritate & prudentia fretus, Reipublicæ noſtræ adjumento eſſe poſſit, poſt habitam de hac re maturam cum fratribus noſtris deliberationem, ad te egregiis virtutibus præditum converſi, te fratris quondam noſtri filium, ac Signaturæ noſtræ Brevium Præfectum duximus deſumendum, cujus fidei & ſolertiæ tantum onus delegemus. Itaque de ipſorum fratrum conſilio, & aſſenſu officium prædictum, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſonæ vacans, cum omnibus & ſingulis illius honoribus, oneribus, juribus, juriſdictionibus, ſalariis & emolumentis, quibus dicto Henrico Cardinali & Camerario, ejuſque prædeceſſoribus quibuſcumque dictæ R. E. Camerariis conceſſum fuerat, & aliàs ut infra, tibi auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & aſſignamus, teque quoad vixeris, noſtrum & ejuſdem R. E. Camerarium conſtituimus & deputamus. *Collatio in perſonis Cardinalis Aldobrandini.*

§. 3. Tibique totum & integrum ipſius officii pretium, ad quamcumque, quantumvis maximam, & inexcogitatam *Condonatio pretii d. officii.*

*gitatam ſummam aſcendens*, liberaliter & gratioſè, etiam *donatione quæ dicitur inter vivos*, perpetuò valitura, de *ſimili conſilio & aſſenſu*, ac *Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, remittimus & condonamus.

*Ceſſio omnium facultatum, & juriſdictionum.*

§. 4. Teque in locum dicti Henrici Cardinalis & Camerarii, ac aliorum prædeceſſorum ſuorum prædictorum, quoad hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, juriſdictiones, ſalaria & emolumenta prædicta, quampleniſſimè ſubſtituimus, & ſubrogamus.

*Diſpenſatio retinendi Camerariũ cum Præfectura Brevium.*

§. 5. Teque ut unà cum d. officio officium Præfecti Brevium hujuſmodi, quoad vixeris, retinere, ac utrumque officium hujuſmodi exercere liberè & licitè valeas, de ſimili conſilio & aſſenſu, auctoritate & tenore præmiſſis diſpenſamus.

*Specificatio juriſdictionũ & facultatũ.*

§. 6. Ita quod liceat tibi realem & actualem poſſeſſionem officii Camerariatus hujuſmodi, illiuſque exercitii, honorum, jurium, juriſdictionum, ſalariorum & emolumentorum omnium, per te vel alium, ſeu alios propria auctoritate liberè apprehẽdere, & ſimiliter quoad vixeris retinere, ac Cameræ prædictæ, & ubique d. Camerariatus officii ratione præſidere, ac proventus, pecunias, res & cetera omnia jura ejuſdem Cameræ procurare, rationes acceptorum & impenſorũ habere, credita exigere, debita ſolvere, Arcibus, præſidiis, & munitionibus, omnibuſque præeſſe, & exactores, Caſtellanos & alios Officiales & Miniſtros quoſcumque in omnibus Provinciis, Civitatibus & locis cõſtituere. Ac etiam per prædeceſſores noſtros & nos, alios de mandato noſtro, ſive dictorũ prædeceſſorum noſtrorum quomodolibet conſtitutos revocare, alios ſubrogare, militiam pro uſu Status & Reipublicæ noſtræ ubicumque opus fuerit inſtituere, milites conſcribere, ſtipendia aſſignare, ſtatuta concedere, & condita (ſalvis tamen infraſcriptis reformationibus) mutare. Vices tuas in toto vel in parte delegare, ac pro libito revocare, ac prorſus omnia & quæcumque alia facere, ordinare & exequi, eandemque & omnimodam juriſdictionem in omnibus cauſis & negotiis ad ipſum officium Camerariatus quomodolibet pertinentibus habere & exercere, quæ prædictus Henricus Cardinalis, & omnes alii ante eum Camerarii, de jure, ſtatuto, uſu, conſuetudine, privilegio, fundatione, & aliàs quomodocumque facere, ordinare & exequi potuerunt, ſeu etiam debuerunt, etiamſi talia forent, quæ facultatem & mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum.

*Aſſignatio emolumentorum.*

§. 7. Decernentes te ex nunc ad d. officium Camerariatus, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, ſalaria, jura, juriſdictiones & emolumenta prædicta, in locum ejuſdem Henrici Card. & Camerarii, & aliorum prædictorum recipiendũ & admittendum fore, ac recipi & admitti debere, tibique de emolumentis & aliis juribus prædictis à die obitus d. Henrici Card. & Camerarii, abſque alia intimatione Collectoribus ubilibet exiſtentibus, vel aliis quibuſcumque facienda integrè reſponderi debere.

*Innovatio facultatum conſuetarum atque proventuum, præter hic excepta.*

§. 8. Inſuper tibi concedimus & indulgemus, ut omnibus prædictis & quibuſcumque privilegiis, facultatibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, exemptionibus, immunitatibus, juriſdictionibus, juribus, emolumentis, gratiis & indultis, quibus prædictus Henricus Card. & alii ejuſdem S.R.E. Camerarii (qui hactenus fuerũt in genere vel ſpecie, aut aliàs quomodolibet, tã Sede Apoſt. plena, quàm vacante, uſi, potiti & gaviſi tam antiquis quam modernis temporibus fuerunt, ac uti, potiri & gaudere poſſent, & etiam deberent, ſive de illis per literas Apoſt. ſive per patẽtes, aut ſcripturas, aut libros Camerales, aut decretã Cameralia, ſeu quæcũque alia publica vel privata documenta apparerent, ſimiliter & pariformiter, ac abſque ulla prorſus differentia uti, potiri & gaudere, necnon omnia & quæcumque regalia, proventus, & jura etiã antiqua, tam ex ſigillo, cuſtodiis, præfecturis, officiis, exactionibus, taxis, & quibuſcumque aliis rebus, & præſertim in litteris facultatum prædicti Henrici Cardinalis & Camerarii enumeratis, quam etiam ex Collectoria in Regnis Hiſpaniarum, vigeſima nuncupata obvenientia, quæ ad rationem duorũ pro centenario ſuper ſpoliis, fructibus, juribus, & emolumentis omnibus dictæ, & aliarum Collectoriarum ubicumque inſtitutarum & inſtituendarum, tibi aſſignamus, tibique omninò perſolvi volumus atque mandamus, (regalibus tantum & emolumentis unius pro centenario, & impoſitionibus Congregationum Regularium, & dimidii pro centenario ex vigeſima Hebræorum, ac etiam dimidii pro centenario ex ſubſidio triennali exceptis) integrè percipere, exigere, & levare, etiam liberè & licitè poſſis & valeas, eaque tam quoad jus percipiendi emolumenta, quàm quoad omnia & ſingula ſupradicta, uti auctoritate & facultate, qua quiſque prædeceſſorum tuorum pleniſſimè uſus fuit.

*Obedientia Camerario ab omnibus præſtanda.*

§. 9. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ dilectis filiis Præſidentibus & Clericis dictæ Cameræ, ceteriſque perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, qualitatis & præeminentiæ, necnon Communitatibus, Univerſitatibus & locis, illorumque hominibus, ac aliis ad quos ſpectat & pertinet, & pro tempore ſpectabit & pertinebit, quatenus ipſi & eorum quilibet, tibi tanquam membra capiti obſequentes, ac reverentiam & obedientiam exhibentes, tuis monitis & mandatis omninò pareant & obediant, in regimine & adminiſtratione, ipſius Cameræ, & dicti Officii Camerariatus exercitio ubicumque expediet adſint, & omnia officia debita exhibere procurent. Alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſive ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

*Præſervatio officii à prætenſionibus Dominorum de Vitellotiis.*

§. 10. Ac inſuper cùm hæredes bon. mem. Vitellotii ipſius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Camerarii prætenderent officium Camerariatus hujuſmodi, quod idem Vitellotius Cardinalis dum viveret obtinebat, ex perſona ipſius Vitellotii Cardinalis, prætextu cujuſdam conceſſionis à piæ memoriæ Pio Papa Quarto, etiam prædeceſſore noſtro per dictum Vitellotium Cardinalem obtentæ non vacare, eiſdemque hæredibus illius pretium & emolumenta deberi, ac propterea lis & cauſa, ſeu cõtroverſiæ coram certo cauſarum Palatii Apoſtolici Auditore, ſuper dicto officio Camerariatus, ac illius pretio & emolumentis orta fuiſſet, & indeciſa penderet, & ſimilis mem. Pius Papa Quintus pariter prædeceſſor noſter ſecuritati & indemnitati tunc exiſtentis ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii conſulere volens, voluerit & declaraverit, atque decreverit, quod dicta Camera ipſum Camerarium, ejuſque hæredes, ac ab eo cauſam habentes, non ſolùm à prædicta, ſed etiam quacumque alia lite & cauſa, per hæredes, creditores, & fidejuſſores dicti Vitellotii Cardinalis mota tutari & liberare, ac cauſæ patrocinium propriis impenſis ſuſcipere, ac de evictione teneretur, & obligata exiſteret, cum decretis & obligationibus, ac cautelis tunc expreſſis, prout in eis, quorum tenores haberi volumus pro expreſſis, pleniùs continetur: Nos tuæ, tuorumque hæredum & ſucceſſorum, ac ab eis cauſam habentium ſecuritati & indemnitati proſpicere volentes, de conſilio, aſſenſu, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, te tuoſque ſucceſſores ab hujuſmodi, & quacumque alia lite & moleſtia, ceteriſque omnibus incommodis eximimus & liberamus, ac etiam ſtatuimus & decernimus, Cameram ipſam ad cauſam prædictam, ut præfertur, ſuſcipiendam & defendendam, teque, tuoſque hæredes & ſucceſſores prædictos, ab omnibus & ſingulis prædictis præſervandum, ac prorſus ad omnia, & quæcumque alia, ad quæ juxta ipſius Pii Quinti prædeceſſoris voluntatem & decretum tunc exiſtenti Camerario, ejuſque hæredibus, & aliis prædictis tenebatur, etiam contractu ſolemni & ſtipulatione, omni tempore teneri, & obligatam exiſtere.

*Exemptio à quacumque ſubventione.*

§. 11. Teque tam ſuper præſentis officii Camerariatus conceſſione, quàm illius pretii donatione, ac emolumentorum, & jurium perceptione, nullo unquam tempore per nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, ac Sedem, & Cameram hujuſmodi, etiam ratione ſubventionis, & neceſſitatis Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ac Sedis & Cameræ prædictorum, etiam pro expeditione contra Turcas, & alios Infideles, ac Catholicæ fidei hoſtes, vel ex alia quacumque, etiam quantumvis juſta, pia, legitima, & quæ hic de neceſſitate exprimenda eſſet, cauſa moleſtari, perturbari, aut inquietari poſſe, nec etiam prætextu dictæ litis, aut aliarum moleſtiarum, quam litem & cauſam quoad te extinguimus, hæredibuſque & ſucceſſoribus, necnon creditoribus dicti Vitellotii Cardinalis perpetuum ſilentium imponimus.

*Clauſula præſervativa huius cōceſſionis.*

§. 12. Ac præſentes nullo unquam tempore, quovis prætextu, & ex quovis capite, de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis prætextu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controverſiā revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, illaſque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimiliū gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut dictā Sedem, ex quibuſvis cauſis, etiam motu, ac ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter pro tempore factis, nullatenus comprehendi, nec comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub data poſteriori quandocumque per te eligenda, conceſſas, & validas ac efficaces adverſus quaſcumque impugnationes exiſtere, vimque veri & validi, ac efficacis cōtractus, inter nos & Sedem, ac Cameram prædictam ex una, necnon te, tuoſque prædictos partibus ex altera, jurati & ſtipulati perpetuò habere, & obtinere: Teque ad ſuperiùs expreſſa in toto vel parte verificandum, ſeu probandum minimè teneri, ſed eaſdem præſentes abſque alia probatione ſufficere, eiſque in judicio, & extra illud ſtare, nec ullam probationem, cujuſque naturæ, & ſpeciei illa ſit vel fuerit, in contrarium adduci vel admitti, quin immò, etiamſi ſuperiùs expreſſa hujuſmodi minus vera ſint, & contrarium quandocumque probari contigerit, nihilominus eaſdem præſentes literas ſuum plenarium effectum conſequi, teque illis, eorumque effectu potiri, & gaudere.

*Clauſula ſublata.*

§. 13. Sicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Cameræ Præſidentes & Clericos, ac dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis inſtantia, ac etiam in dicta Camera judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Reformatio circa Hebræorum licentias fœnerandi, medendi, duas uxores habendi, ſynagogas erigendi, & circa abſolutiones transgreſſionum, & licentias exercendi bancherottum, ac tolerantias, &c.*

§. 14. Præterea volumus & ſtatuimus ac mandamus, ut tu & futuri Camerarii prædicti de cetero perpetuis futuris temporibus à concedendo Hebræis extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum licentias fœnerandi, quas tolerantias appellant, abſtineatis. In ſtatu autem prædicto ubi Hebræi commorantur, uti Avenione, & in Legatione Ferrariæ, nullas, exceptis Hebræis Levantinis, & ceteris Anconam accedentibus, & ibi commorantibus concedatis. In urbe quoque numerum conventum non excedatis. Hebræis etiam alias tolerantias & privilegia præjudicium Chriſtianorum concernentia, ac licentias medendi, erigendi Synagogas, ducendi aliam uxorem vivente prima, aliaque contra conſtitutiones Apoſtolicas faciendi, atque abſolutiones quas vocant à tranſgreſſibus, nullo modo concedatis. Similiter à licentiis exercendi nummulariam, ſive Bancherottum, etiam quoad permutationem auri, & argenti abſtineatis, ac conceſſæ revocatæ ſint, & eſſe intelligantur.

*Monetaſque reprobatas ad Vrbem conducendi.*

§. 15. Non poſſitis dare licentiam deferendi ad Urbem quatrenos, aut monetas reprobatas.

*Moratorias dandi.*

§. 16. A conceſſione moratoriarum, ſive dilationum, quarum prohibitionem innovamus, etiam abſtineatis.

*Salvoſconductus.*

§. 17. Non detis ſalvoſconductus, etiam pro debitis, neque cedulas, Non gravetur nuncupatas, contra mandata ab aliis Judicibus relaxata, etiam ſub prætextu depoſiti, niſi pro prædictis, aut aliquo eorum ordinem noſtrum, aut pro tempore exiſtentis Romani Pontificis habeatis. In ſalviſconductibus pro navi, aut aliis quibuſcumque non apponatis clauſulam, quod non poſſint moleſtari, etiam ex cauſa Religionis, niſi ex cauſa cum Romano Pontifice collata.

*Tractas frumentorum.*

§. 18. In conceſſionibus tractarum frumentorum, bladorum, leguminum, olei, & aliorum animalium, ſervetis conſtitutiones per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices deſuper editas, ac nullo modo extra Statum Eccleſiaſticum, nec etiam ad Civitates, & loca Bononiæ & Ferrariæ, ſine Chirographo noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, tractam hujuſmodi concedatis. Ubi autem aderit hujuſmodi Chirographum, ſive ſit pro certa perſona, vel univerſitate, ſive pro incertis perſonis facultativum, & cuicumque directum, fiat expeditio per te, & pro tempore exiſtentem Camerarium prædictum ſolum, & non per alium. Ac iſtæ quæ dicuntur tractæ extra Statum, & ad Civitates, & loca de quibus ſupra, regiſtrentur unà cum Chirographo hujuſmodi in particulari libro, nuncupando Liber tractarum, pro quibus non percipiatis pro ſigillo ultra julios undecim pro quolibet centenario rubrorum.

*Extractiones, quæ de loco ad locum.*

§. 19. Extractiones autem de loco viciniori Urbis ad locum remotiorem intra quadraginta milliaria, in Patrimonio, Tiberina, Latio, & Campania, atque Maritima, quoad frumenta, blada, & legumina non concedantur, niſi per præfectum Annonæ, cum participatione tamen, ac ſub nomine & ſigillo tuo, & pro tempore exiſtentis Camerarii, pro quo ſigillo uſque ad quinquaginta rubra unus tantum, & uſque ac centum duo, & ab inde ſupra uſque ad quancumque ſummam, quinque Julii ſolvantur.

*Etiam quoad oleum & animalia.*

§. 20. Quoad oleum autem intra quadraginta milliaria, & animalia in Provincia Patrimonii in prædicto caſu non concedantur niſi per Præſidentem Graſciæ, cum ſimili participatione Camerarii, & ſubſcriptione Commiſſarii ejuſdem Cameræ, ſub nomine & ſigillo prædictis, pro quo ſigillo non ſolvatur ultra ſolitum. Quo verò ad alia loca, & aliud genus Graſciæ, tu ſolus tantum provideas, & non alius.

*Frumentorum empt.*

§. 21. Abſtineatis quoque à licentiis emendi frumenta, blada, legumina, & olivas ultra uſum, necnon accipiendi eadem in ſolutum, ſeu alias quomodolibet impetrandi.

*Indulta quod pro alio quis nō teneatur.*

§. 22. Et ab indultis, quod quis ſoluta rata non teneatur pro aliis, niſi ad favorem conducentium Graſciam ad Urbem, aut in caſibus aliàs permiſſis.

*Ægyptios tolerandos in ſtatu Eccleſ.*

§. 23. Nec permanendi Ægyptios in Statu Eccleſiaſtico.

*Pœnarum Stat. alterationem.*

§. 24. Et alterandi pœnas ſtatutarias ad favorem certarum perſonarum.

*Indultorum contra bullas conceſſionem.*

§. 25. Et generaliter ab indultis & diſpenſationibus contra conſtitutiones Apoſtolicas prædictas.

*Communitatum licentias venden. ſtabilia, creandi cenſus, aut faciendi nūdinas.*

§. 26. Non intromittatis in concedendis licentiis vendendi ſtabilia univerſitatibus, neque accipiendi pecunias ad cauſam, ſeu alias, minuſque indultis faciendi nundinas, & mercatum, quæ in plena Camera expedientur.

*Privilegia emendi & vendendi contra formam bannimentorum.*

§. 27. Patentes licentiæ, & privilegia emendi & vendendi, tam in Platea Agonis, quàm in foro Boario, aut alio quocumque loco Urbis, contra bandimenta & ſolitum à te non concedantur, quinimò tu invigiles, ne à quovis alio, quacumque auctoritate dentur, & conceſſa revocata intelligantur. Ac Extraordinarii, aliique Exactores, illorum uſum quoquo modo admittentes vel patientes, pœnam privationis officii, & graviorem etiam corporis afflictivam, quoad patentes tuas arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, quoad aliorum verò arbitrio tuo incurrant.

*Pro mandatis ex decreto viſita nihil ſolvatur.*

§. 28. Pro mandatis de excarcerando vigore decreti Viſitæ nihil pro ſigillo ſolvatur.

*Pro ſigillo mandati Graſcia vel annona quid ſolvendum.*

§. 29. In mandatis ratione Graſciæ & Annonæ, uſque ad ſummam quindecim ſcutorum pro ſigillo non ſolvatur niſi julius unus, & ſi expeditiones fiant pro pluribus perſonis, non exigatur niſi pro uno ſigillo.

*Commiſſarii non deputentur.*

§. 30. Commiſſarii verò, etiam in Urbe nulli deputentur, niſi cum chirographo noſtro.

*Commiſſariatus Ripetta ſupprimatur.*

§. 31. Officium Commiſſarii Ripettæ ſupprimatur, prout illud motu & auctoritate ſimilibus ſupprimimus & extinguimus, ac loco illius aliquis ſubſtitutus cum ſalario decem ſcutorum pro quolibet menſe, ex pœnis ejus diligentia incamerandis, & non aliunde percipiendo, à te deputetur.

*Pœna d. Cōmiſſariatus Societati Confalonis applicantur.*

§. 32. Portio autem pœnarum, quam idem Commiſſarius Ripettæ percipere conſuevit, applicetur Societati Confalonis Redemptionis Captivorum de Urbe, prout illam demptis dictis decem ſcutis, applicamus.

*Mundatario Platea Agonis deſignatur officium.*

§. 33. Officium Commiſſarii Mundatoris Plateæ Agonis nuncupatum, habeat certum ſalarium decem ſcutorum, etiam quolibet menſe, quæ exigantur prævia taxa

per

*Cauſarum criminalium tribunal non teneatur à Camerario.*

per te, & pro tempore exiſtentes Camerarios prædictos facienda, ad eam rationem ſolùm ab Hebræis & aliis habentibus ſitum Apothecæ certum die mercati in dicta Platea.

*Quando ſit locus præventioni inter eum & Gub. Vrb.*

§.34. Tu & futuri Camerarii hujuſmodi non habeatis Tribunal Criminale erectum; ac tuus & ejuſdem Camerarii Auditor non procedat in cauſis criminalibus, in quibus veniet infligenda pœna ſupra relegationem, ſed in his quæ à juriſdictione officii Camerariatus pendent deputetis aliquem ex Judicibus ordinariis, vel aliquos vobis beneviſos ad beneplacitum, prout uſu veniet.

*Hoc corrigitur hic inf.*

§.35. Ita tamen quod in cauſis furti pignorum, quo ad Hbræos Bancharios ſit locus præventioni inter te, & Gubernatorem Vrbis.

*Pignora ſubhaſtentur in Monte Pietatis.*

§.36. Subhaſtationes pignorum exiſtentium penes Hebræos fiant in Monte Pietatis, in quo reſiduum pretii deponi conſuevit, cum decreto tamen tuo rogando per acta tui Notarii gratis.

*Hoc corrigitur hic inf.*

§.37. Præterea ad juriſdictionem Cameræ noſtræ conſervandam, conſtitutiones Pauli Tertii, & Pii Quarti, ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ad ejus favorem editas innovamus.

*Conſtitutiones Pontificia pro Camerario confirmantur.*

§.38. Ac inſuper ſtatuimus, quod de cetero Signatura Iuſtitiæ non poſſit nec debeat, ſive reformando, ſive declarando, aliquid in Camera noſtra, vel alibi in cauſis ſpectantibus ad Camerarium prædictum reſcribere, & ſupplicationes ſignatæ nullius ſint roboris, nullamque tribuant juriſdictionem.

*Signatura Iuſtitia in cauſis Cameralibus non reſcribat.*

§.39. Ac etiam decernimus licere tibi, & Cameræ prædictis, omnes & quaſcumque cauſas ad Camerariatus & Cameræ Tribunal quomodolibet ſpectãtes à quibuſcumque Iudicibus, etiam Auditoribus Cameræ, ac etiam ſi agatur de obligatione Camerali, Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, liberè avocare & reaſſumere, iiſdemque inhibere.

*Camerarius & Camera avocent ſuas cauſas ab aliis Iudicibus.*

*Ad hoc habes etiam bullas cit. in rubr.*

§.40. Nullum verò ex prædictis, aut aliis quibuſcumque Iudicibus poſſe cauſas prædictas è dicto Camerariatus & Cameræ Tribunali avocare & reaſſumere, etiam ſub prætextu, quod cauſæ alias non ſint Camerales, & ad dictum Tribunal non ſpectent.

*Iudices à cõtra ab eis nõ avocent.*

§.41. Super quo non poſſit Signatura Iuſtitiæ cognoſcere, aut aliquo modo reſcribere, nec ſe ingerere, ſed hujuſmodi cognitio, an cauſæ ſint de juriſdictione Camerariatus, vel Cameræ, pertineat reſpectivè ad te & Cameram, qui cognoſcere debeatis, an ſint juriſdictionis ejuſdem Cameræ, & ſi partes declarationi hujuſmodi non acquieverint, vel ante hujuſmodi declarationem non valuerint, Signaturam noſtram Gratiæ tantum adire poſſint, & citato Commiſſario ejuſdem Cameræ, commiſſiones proponi debeant.

*Camera, & non ſignatura cognoſcat, an cauſa ſint Camerales.*

*Contrariis derogatur.*

§.42. Non obſtante aſſerta litis pendentia, & aliis præmiſſis, ac noſtra de non tollendo jure quæſito, quatenus opus ſit, ac aliis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon piæ memoriæ Leonis Decimi, & aliorũ Romanorũ Põtificum prædeceſſorũ noſtrorum, etiã cum Collegio Cardinalium, pro unione & charitate factis, & contractu inviolabili, ſeu quaſi, à quo nullo tempore reſilire, nec illis ullo modo, aut niſi certis modis & formis tunc expreſſis derogari poſſit, necnon juramentis, renunciationibus, aliiſque clauſulis & cautelis firmatis, de dicti Camerariatus officii diſpoſitione nõ perpetuò, ſed ad triennium, aut aliud tempus in favorem Cardinalium ipſorum utriuſque juris Doctorum, ac de conſenſu omnium Cardinalium, ſeu majoris partis eorum, cum decreto irritante, quicquid ſecus fieri contigerit. Ita quod de nullitate conceſſionis omni tempore, abſque inobedientiæ culpa, aut alterius cenſuræ & pœnæ incurſu dici valeat, aut aliàs certis modo & forma tunc expreſſis deinceps in perpetuum facienda, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, etiam ejuſdem Pii Quarti prædeceſſoris octavo Idus Auguſti, Pontificatus ſui Anno ſexto edita, qua cavetur, quod gratiæ & indulta qualecumque intereſſe dictæ Cameræ concernentia, infra certum inibi expreſſum tempus in dicta Camera præſententur, ſive regiſtrentur, alioquin illæ non valeant. Ita quod tu ad eaſdem præſentes in eadem Camera præſentandum, ſive regiſtrandum, nulla unquam neceſſitate cogi vel compelli poſſis: & nihilominus illæ valeant, & tibi ſuffragentur in omnibus & per omnia, perinde ac ſi præſentatæ & regiſtratæ fuiſſent, necnon Cameræ, & officii Camerariatus prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, uſibus quoque & naturis, quantocumque tempore pacificè obſervatis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis Collegio Cardinalium, & dictæ Cameræ Theſaurario, illiuſque præſidentibus & Clericis per prædictos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam Sedem, etiam per modum ſtatuti perpetui ac initi & ſtipulati contractus, ſeu quaſi, ac aliàs ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis efficacibus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, innovatis, extenſis, & moderatis, quibus, ac omnibus aliis quæ eiſdem præſentibus quomodolibet obeſſe poſſent, etiamſi talia & tanta eſſent, quæ ſub conceſſionibus generalibus non venirent, ſed ſpecialibus omnino indigerent expreſſionibus, illorum ac ſupradictorum omnium veriores, & totos tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè, ac ampliſſimè, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & ad effectum validitatis earundem præſentium derogamus. Quodque tu juxta præfata omnia qualificatus, & I.V.D. non ſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.43. Tu igitur benedictione noſtra fretus eam in demandato tibi à nobis hoc munere operam præſtare curabis, ut ii quos jam animo percepimus, freti induſtria tua, quotidie magis augeſcant. Noſque & prædicta Sedes per te optimè conſuluiſſe lætemur. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c. incurſurum. *Hortatio de officium providè gerendo.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1599. quintodecimo Kalend. Ianuarii Pontificatus noſtri Anno octavo. *Dat. P. An. 8. die 18. Dec.*

*Sequitur declaratio circa venditionem pignorum Hebræorum, ac juriſdictionem in eorum furtis.*

## CLEMENS PAPA VIII.

*Edita An. D. 1600.*

*Dilecto filio noſtro Petro Sancti Nicolai in Carcere Diacono Cardinali Aldobrandino, Sanctæ R. E. Camerario.*

§.1. CUm literis Apoſtolicis, &c.

Omittitur relatio præcedentis bullæ.

*Relatio d. cõſtitutionis. Nova diſpoſitio circa venditionem pignorum. Hebræorum.*

§.2. Ex rationabilibus cauſſis animadvertentes, magis expedire, ut pignora Hebræor. in loco ſolito, ut priùs, nõ autem in Monte Pietatis, prout in eiſdem literis diſpoſuimus, vendantur, motu ac ſcientia ſimilibus volumus & ordinamus, ut pignora prædicta Hebræorum per licitationem vendenda, in loco ſolito, in Platea Iudæorum nuncupata de Vrbe, cum decreto tamen tuo, vel tui pro tempore Auditoris, ſeu Locumtenentis, ac pro tempore exiſtentis Camerarii, per acta tui Notarii expediendo, deinceps ut priùs vendantur.

*Iuriſdictio nẽque ſuper furtis pignorum.*

§.3. Et juriſdictio in prædictos Hebræos etiam ratione furti pignorum prædictorum, tibi privativè quoad omnes competat.

*Derogatio contrariorum.*

§.4. Non obſtantibus literis noſtris, aliiſque præmiſſis, necnon fel. recordat. Pii Quarii de regiſtrandis gratiis in Camera intra certum tempus, ad cujus obſervantiam nolumus te teneri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & ejuſdem Cameræ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores hic de verbo ad verbum pro inſertis & expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 9. die 26. Febr.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimaſexta Februarii milleſimo ſexcenteſimo, Pontificatus noſtri Anno nono.

## LXVI. Inſtitutio Monaſterii egenarum Puellarum per Vrbem vagantium, Diſperſarum nuncupatarum, & juriſdictio S. R. E. Cardinalium ejus Protectorum, in dijudicandis litibus ejuſdem. Et conceſſio exemptionis, aliarumque gratiarum.

*Inſtitutionem ſimilem, non tamen ejus bullam, habemus de anno 1596. die 22. Decembris editam, de egenis pueris itidem Diſperſis, vel potius Literatis, a nomine Litterati pii viri, qui primum eos reduxit, nuncupatis.*

*Edita An. D. 1600.* *CLEMENS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* DEbitum Paſtoralis officii nobis ex alto commiſſi requirit, & nos ad id promptos excitat, ut ea per quæ pauperes puellæ, ſpretis hujus in felicis ſæculi illecebris, & aſſumpto religionis habitu, perpetuum Altiſſimo famulatum impendere, æternamque beatitudinem conſectari valeant, ac exinde honoris flores, & honeſtatis fructus, regulariſque vitæ propagatio deveniant, propenſis ſtudiis intendamus, ac in his ejuſdem officii noſtri partes favorabiliter interponamus.

*Inſtituta nuper fuit in Vrbe Domus puellarum Diſperſarũ.* §. 1. Sanè dilectus filius noſter Cæſar tituli Sanctorum Nerei & Achillei presbyter Cardinalis Baronius nuncupatus, tam ſuo quàm dilectorum etiam filiorum fundatorum Domus puellarum Diſperſarum nuncupatarum, prope Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ in Campo Carleo de Vrbe, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Fulviæ de Comitibus Sfortiæ, Domicellæ Romanæ nominibus nobis nuper exponi fecit, quod ipſi Cæſar Cardinalis & fundatores, ac Fulvia peculiari ſollicitudine, & ſtudio perpendentes, dictas puellas in ipſa domo collectas de præſenti ad numerum ducentarum vel circa aſcendere, paulatimque ad ætatem maturam pervenire, & neceſſarium eſſe illas pro naturali uniuſcujuſque ad hunc vel illum ſtatum propenſione collocare, multis verò illarum ſpretis ſæculi illecebris, præpotenti Deo ſub ſuavi Religionis jugo famulari deſiderare.

*Pro quibus Card. Baronius, & alii Monaſterii conſtrui curaverant in Eccleſia S. Vrbani pro piis puellis tantum.* §. 2. Vnum Monaſterium Monialium, in quo puellæ in eadem domo educatæ tantummodo recipi deberent, inſtituendum eſſe judicarunt, & mentem in locum ubi Monaſterium ipſum commodè conſtitui poſſet dirigentes, Eccleſiam Sancti Vrbani, ſeu illius ſitum in Regione Montium de dicta Vrbe, quæ à dicta domo parum abeſt, ad id apprimè commodam, & opportunam eſſe cenſuerunt.

*Quam Eccleſiam à Card. Sfortia obtinuerunt.* §. 3. Et quia dicta Eccleſia, quæ ſine cura eſt, & Monaſterii Sancti Laurentii extra muros ejuſdem Vrbis, Ordinis Sancti Benedicti, quod dilectus filius noſter Franciſcus Sãctæ MARIÆ in Via lata Diaconus Cardinalis Sfortia nuncupatus, in commendam ad ejus vitam ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica obtinet, membrum exiſtit, & à quo dependet, Eccleſiam prædictam cum illius ſitu hujuſmodi ab eodem Franciſco Cardinali obtinendam curarunt. Qui quidem conſiderans divinum cultum in ea injuriâ temporis imminutum eſſe, deſiderio in poſterum inibi divina officia cum debito cultu celebrari, & ipſam Eccleſiam in decentem ſtatum reduci, in eoque manuteneri faciendi, illam cum ſitu hujuſmodi, eidem domui, ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, cum hoc inter cetera, quod Rectores & Adminiſtratores ipſius domus ſingulis Dominicis, & aliis de præcepto Eccleſiæ feſtivis diebus Miſſam in dicta Eccleſia celebrari facere, illamque in decenti ſtatu manutenere deberent, in perpetũ conceſſit, eidemque domui intuitu & contemplatione celebrationis Miſſarum hujuſmodi, octodecim ſcuta Monetæ ad rationem decem juliorum pro quolibet ſcuto hujuſmodi, ſingulis annis in perpetuum ex fructibus ipſius Eccleſiæ perſolvenda aſſignavit, prout in publico deſuper confecto inſtrumento plenius dicitur contineri.

*Vt ibid.: Monaſterium conſtruatur, &c.* §. 4. Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi à dicto Monaſterio Sancti Laurentii dicta Eccleſia, unà cum eodem redditu octodecim ſcutorum diſmembraretur, ac in ſitu dictæ Eccleſiæ, ædibuſque illi adjacentibus, & cohærentibus ex tunc prout poſtquam ad formam decentem monaſterii conſtructa fuerint, unum Monaſterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ, cum clauſura & cratibus ad inſtar monaſteriorum Monialium Capuccinarum nuncupararum pro perpetuis uſu, & habitatione earundem puellarum dictæ domus tantum, & non aliarum, quæ Religionis zelo, & ob melioris vitæ frugem illud ingredi, & inibi Ordinem ipſum Sanctæ Claræ profiteri voluerint, erigeretur & inſtitueretur, illique ſic erecto & inſtituto, pro illius Eccleſia, dicta Eccleſia Sancti Vrbani, ac pro dictarum monialium inibi pro tempore introducendarum ſuſtentatione, onerumque illi incumbentium ſupportatione, eadem octodecim ſcuta, ac omnia & ſingula bona hæreditatum quondam Portiæ Palioniæ, & Ortenſiæ Angelinæ eidẽ domui per nos aliàs conceſſa, quorum redditus & proventus annui ad valorem trecentorum ſcutorum vel circa aſcendunt; necnon alii redditus & proventus valoris annui centum ſcutorum, quos dicta Fulvia ex charitatis & devotionis zelo ipſi Monaſterio pro ejus dotis augmento aſſignare intendit, etiam perpetuò applicarentur & appropriarentur, hac ratione ſtatui & ſaluti dictarum puellarum Religionem profiteri volentium ſatis opportunè conſultum, ac divini cultus in dicta Eccleſia incremento, & prædicti Ordinis Sanctæ Claræ propagationi proviſum foret.

*Card. Baronius inſtat apud Pontificem pro opportuna proviſione.* §. 5. Quare prædictus Cæſar Cardinalis eiſdem nominibus nobis humiliter ſupplicavit, quatenus præmiſſis annuere, aliaſque deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Idemque Pontif. prædicta approbat, & d. monaſterium ſub regula S. Claræ erigit.* §. 6. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundùm communem æſtimationem, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret vocatis quorum intereſſet, & idem obſervaretur in quibuſcumque perpetuis conceſſionibus, diſmembrationibus, & applicationibus de quibuſcumque fructibus & bonis eccleſiaſticis, Adminiſtratores, ac Fulviam prædictos, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, à prædicto Monaſterio Sancti Laurentii dictam Eccleſiam Sancti Vrbani unà cum eodem redditu octodecim ſcutorum hujuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò diſmembramus, & ſeparamus. Necnon in ædibus, & ſitu dictæ Eccleſiæ adjacenti hujuſmodi, poſtquam ad formam Monaſterii inſtaurata & debita clauſurâ munita fuerint, ſi nondum ſint, unum Monaſterium Monialium dicti Ordinis Sanctæ Claræ, ſub invocatione per ipſos Cæſarem Cardinalem, & alios ſupradictos eligenda, unà cum dicta Eccleſia, necnon campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, cellis, hortis, hortalitiis, ceteriſque officinis, membris, & commoditatibus neceſſariis & opporunis pro una Abbatiſſa ſeu Prioriſſa, & duodecim ſaltem monialibus, ſub inſtitutione, correctione, obedientia, & omnimoda juriſdictione, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus noſtri & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis in dicta Vrbe, & ejus diſtrictu Vicarii in ſpiritualibus generalis, & dicti Cæſaris Cardinalis conjunctim, ac cura, gubernio, & adminiſtratione dictorum fundatorum, ac aliorũ ipſius Domus Gubernatorum, & Adminiſtratorum ab eis eligendorum, regẽdum & gubernandum, ac adminiſtrandũ. In quo puellæ dictæ domus in moniales tantum recipi, & habitum per moniales aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis Sanctæ Claræ geſtari ſolitum ſuſcipere, & anno probationis elapſo, profeſſionem per eaſdem moniales emitti conſuetam emittere regularem, necnon clauſuram & crates in Monaſteriis Monialium Capuccinarum hujuſmodi ſervari ſolitas, & quoad fieri poterit, ritus, & mores, ac

conſue

conſuetudines & regularia inſtituta ejuſdem Ordinis Sanctæ Claræ ſervare, ac divinis laudibus & Officiis inſiſtere debeant, etiam perpetuò ſine alicujus præjudicio dicta auctoritate erigimus & inſtituimus.

*Illique introitus, & bona aſſignat.*

§.7. Illique ſic erecto & inſtituto pro ejus dote, illiuſque Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, & Monialium pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, onerumque eis incumbentium ſupportatione octodecim ſcuta hujuſmodi, ac omnia & ſingula bona, res, proprietates, cenſus, redditus, jura, obventiones, & emolumenta, tam dictarum hæreditatum, quàm per prædictam Fulviam, & alios quoſcumque quomodolibet in perpetuum vel ad tempus, ac ſimul vel ſucceſſivè pro augmento bonorum, ſeu dotis Monaſterii per præſentes erecti hujuſmodi, illiuſque ac earumdem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialium pro tempore exiſtentium, vel alicujus earum intuitu per viam teſtamenti, codicillorum, donationis etiam inter vivos & cauſa mortis, ſeu cujuſcumque alterius diſpoſitionis, ac etiam in eleemoſynam, vel alias quandocumque & qualitercumque elargienda, donanda, & eroganda ex nunc prout ex tunc, & è contra, ſi & poſtquam elargita, donata, & erogata fuerint.

*Cæteraque omnia elargienda & donanda applicat.*

§.8. Ita quod liceat eiſdem fundatoribus, aliiſque Gubernatoribus & Adminiſtratoribus prædictis illorum omnium realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem per ſe vel alium, ſeu alios, nomine dicti Monaſterii per præſentes erecti, propria auctoritate liberè apprehendere & perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta ex eis provenientia, necnon oblationes & eleemoſynas eidem Monaſterio per præſentes erecto, illiuſq; futuris Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialib. pro tempore elargitas & elargiendas percipere, colligere, exigere, recipere, recuperare, arrendare, & levare, ac in Monaſterii per præſentes erecti, illiuſque Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ & Monialium prædictarum communem uſum, utilitatem, & neceſſitates convertere, Vicarii prædicti, vel cujuſvis alterius licentia in hoc & aliis infra dicendis minimè requiſita, etiam perpetuò applicamus & appropriamus.

*Exemptionē à juriſdictione Ordinariorū, & aliorum tribuit.*

§.9. Necnon monaſterium per præſentes erectum, illiuſque pro tempore exiſtentes Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, Conventum, Moniales, Adminiſtratores, officiales, miniſtros, ſervientes, & perſonas, ac bona mobilia & immobilia, præſentia & futura, cujuſcumque qualitatis & quantitatis exiſtentia, ac ubilibet conſiſtentia, ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentium dictæ Vrbis Gubernatoris, Senatoris, Conſervatorum, Reformatorum, necnon cauſarum curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditoris, & Ordinariorum locorum, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatorum, eorumque Locatenentium, Viceſgerentium, Vicariorum, & Officialium, & aliorum quorumcumque Judicum ubilibet conſiſtentium, ac quavis auctoritate & dignitate, tam Eccleſiaſtica, quàm mundana, etiam Cardinalatus honore fungentium, necnon Protectorum, ac generalium & Provincialium Miniſtrorum, aliorumque Prælatorum & Superiorum, tam prædictæ Sanctæ Claræ, quàm aliorum fratrum Minorum, & aliorum Ordinum quorumcumque in ſpiritualibus & temporalibus.

*Exemptionē à ſolutione decimarum, & aliorum quorumcumque onerum concedit.*

§.10. Necnon ſolutione, præſtatione, contributione & exactione decimarum, & aliorum quorumcumque onerum, ordinariorum & extraordinariorum, ex quacumque cauſa, & ad favorem quorumcumque piorum locorum, etiam Seminarii puerorum Eccleſiaſtici, etiam pro Fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de dicta Vrbe, & manutentione claſſis triremium Sedis Apoſtolicæ impoſitorum & imponendorum, penitus & omnino ſimiliter perpetuò eximimus, & liberamus, ac ſub beati Petri & dictæ Sedis, ac noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis protectione, & inviolabili conſervatione ſuſcipimus.

*Viſitationi & correctioni Vicarii Vrbis & Card. Baronii Protectoris, eiuſque Adminiſtratorum ſupponit.*

§.11. Et viſitationi, correctioni, obedientiæ, ac ejuſdem juriſdictioni in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus Vicarii Vrbis, & Cæſaris Cardinalis prædictorum, necnon curæ, gubernio, & adminiſtrationi fundatorum, ac aliorum Gubernatorum & Adminiſtratorum prædictorum perpetuò ſubjicimus & ſubmittimus.

*Protectores eligit Card. Vicarium [illegible] & Card. Baronium, cum amplis facultatibus, & [illegible]*

§.12. Necnon ut ipſius Monaſterii per præſentes erecti proſpero regimini, gubernio, & conſervationi opportunè conſulatur, illiuſque pro tempore exiſtentes Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, Moniales, Gubernatores, Adminiſtratores, Occonomi, officiales, miniſtri, ſervitores, & perſonæ ab indebitis moleſtiis releventur, pro tempore exiſtentem Almæ Vrbis Vicarium, & Cæſarem Cardinalē prædictos, & quemlibet eorum principaliter & inſolidum in Monaſterii per præſentes erecti, illiuſque perſonarum, rerum, bonorum, jurium & privilegiorum Protectores, Defenſores, Conſervatores ac Iudices, quorum conſilio & ope omnia ſupradicta, & quæcumque alia in his vel circa ea neceſſaria ſtatuentur, & ordinabuntur, & coram quibus, ſeu ab eis deputando dumtaxat, omnes & ſingulæ lites, cauſæ, quæſtiones & moleſtiæ, civiles, & criminales, ac mixtæ, ſuper dicti Monaſterii per præſentes erecti, illiuſque Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ Conventus, Monialium, & perſonarum bonis, rebus, juribus & actionibus, cujuſcumque qualitatis exiſtentibus, motæ & movendæ, cum omnibus & ſingulis earumdem incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis tractari, cognoſci, & decidi debeant, conſtituimus & deputamus.

*Adminiſtratores deputandi.*

§.13. Necnon Fundatoribus, Gubernatoribus, & Adminiſtratoribus prædictis, œconomos, Officiales, miniſtros dicti Monaſterii per præſentes erecti, arbitrio ſuo deputandi & amovendi, ac loco amovendorum, ſeu decedentium alios ſubrogandi.

*Capellanos ab Adminiſtratoribus ponendos approbandi.*

§.14. Necnon Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & monialibus prædictis, de Capellanis & Confeſſoribus idoneis etiam ſæcularibus, ab eodem Vrbis Vicario approbandis, & ad nutum Fundatorum, Gubernatorum, & adminiſtratorum prædictorum ponendis & amovendis, qui in Eccleſia dicti Monaſterii per præſentes erecti, Miſſas & alia divina officia celebrare, ac illis in divinis deſervire, ipſaſque Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam & Moniales, ac earum ſingulas in ſuis confeſſionibus audire, & à peccatis de quibus corde contritæ, & ore confeſſæ fuerint, Apoſtolica auctoritate toties quoties opus fuerit, injuncta inde eis pro modo culpæ arbitrio ſuo pœnitentia ſalutari, abſolvere, illiſque ſacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrare valeant, ac de egregio verbi Dei prædicatore providendi.

*Statuta, & ordinationes firmandi.*

§.15. Necnon quæcumque ſtatuta, ordinationes, capitula & decreta ad ejuſdem monaſterii per præſentes erecti, illiuſque perſonarum, rerum & bonorum, ſpiritualium & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, ac Monialium prædictarum receptiones, admiſſiones, ætatem, qualitates, victum, amictum, inſtructionem, directionem, & diſciplinam, modumque & formam recitationis divinorum officiorum, precum, orationum, & aliorum ſuffragiorum pertinentia, ac aliàs utilia & neceſſaria, licita tamen & honeſta, ac ſacris canonibus, decretiſque Concilii Tridentini, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, & inſtitutis regularibus prædicti Ordinis Sanctæ Claræ non contraria, ab ipſo Vrbis Vicario pro tempore exiſtenti, vel Cæſare Cardinale prædicto examinanda & approbanda faciendi & edendi, ac quoties pro eorum temporum qualitatibus, ſeu aliàs expediens videbitur, cum interventu tamen, & conſilio, ac prævio examine & approbatione Vicarii, aut Cæſaris Cardinalis eorundem illa immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia ex integro condendi.

*Moniales duas vel tres aliunde aſſumendi pro dirigendo Monaſterio.*

§.16. Necnon Vicario, aut Cæſari Cardinali prædictis pro Monialium in dicto Monaſterio per præſentes erecto pro tempore introducendarum felici directione, ac in ritibus, moribus & inſtitutis regularibus inſtructione, duas vel tres ejuſdem Sanctæ Claræ, ſi commodè fieri poterit, alioquin alterius Ordinis regularis Obſervantiæ Moniales, quas ad id voluntarias repererit, ex earum monaſteriis hac prima vice, ſed neceſſitate ad hoc urgēte, ſemel atque iterum dumtaxat de Superiorum ſuorum licentia aſſumendi, & in dicto monaſterio per præſentes erecto, ita ut illæ eò ſe transferre, ac perpetuò vel ad tēpus ipſi Vicario, aut Cæſari Cardinali beneviſum permanere. Et ſi alterius Ordinis fuerint, ſe in habitu & regularibus inſtitutis ejuſdem Ordinis Sanctæ Claræ conformare poſſint & debeant, introducendi.

§.17. Eiſdem

*Abbatiſſa & Prioriſſa officium diſtribuendi.*

§.17. Eiſdem Abbatiſſæ, & Prioriſſæ officia quæ ad triennium dumtaxat juxta dicti Concilii diſpoſitionem durare valeant diſtribuendi.

*Adminiſtratoribus licētiam dandi de egrediendo monaſterium.*

§.18. Necnon Fundatoribus, Gubernatoribus, & Adminiſtratoribus prædictis, & aliis quibuſvis perſonis, quibus opus fuerit, ut ſepta monaſterii per præſentes erecti in caſibus neceſſariis, & à dicto Concilio permiſſis tantum ingredi valeant permittendi.

*Illudque viſitandi, & reformandi.*

§.19. Ipſumque monaſterium per præſentes erectum, per ſe, vel alium, ſeu alios idoneos ſacerdotes, vitæ, morumque probitate, ac rerum gerendarum experiētia probatos viſitādi, illudque in capite & in membris, ſacrorum Canonum, & generalium Conciliorum decretis inhærendo reformandi, abuſus quoſcumque tollendi, regularemque obſervantiam, & diſciplinam quoties illæ ibidem exciderint, modis congruis reſtituendi & reintegrandi.

*Cum Monialibus circa jejunia, ſeu eſum carnium, & lacticiniorum diſpenſandi.*

§.20. Ac cum eiſdem abbatiſſa ſeu Prioriſſa, & Monialibus, quarum infirmitas vel imbecilla valetudo, aut corporis, hebetudo jejunium ſeu carnium & lacticiniorum abſtinentiam, vel rituum & inſtitutorum dicti Ordinis Sanctæ Claræ obſervantiam ferre non poterit, aut aliàs prout occaſio, rerumque qualitas & neceſſitas exegerit, deſuper diſpenſandi, ac obſervantiam & inſtituta hujuſmodi relaxandi, omniaque & ſingula alia ibidem faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & procurandi quæ ipſe Vicarius Vrbis & locorum Ordinarii, etiam quamvis prædictæ Sedis delegati, necnon Generales Miniſtri, & alii Superiores quorumcumque Ordinum in monaſteriis monialium ſibi ſubjectis, de jure vel conſuetudine, ſeu ex privilegio vel auctoritate dicti Concilii, ac aliàs quomodolibet facere, dicere, gerere, exercere, & procurare poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum.

*Iuriſdictionē in cauſis Monaſterii, eiuſque perſonarum & bonorū pleniſſimam eiſdem cōcedit, cum facultate etiā*

§.21. Præterea omnes & ſingulas lites, cauſas, & differentias, tam civiles, quā criminales & mixtas ſuper monaſterii per præſentes erecti, illiuſq; Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, monialiū & perſonarū hujuſmodi bonis, rebus, juribus & actionibus quibuſcumque, necnon locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, & illarum diſcuſſionibus, ac quibuſcumque aliis diſpoſitionibus, juriumque & actionum ceſſionibus, & aliis quibuſcumque inter vivos ac cauſa mortis, vel quaſi contractibus, & vim obligationis cameralis habentibus, intereſſe ejuſdem monaſterii per præſentes erecti, tanquam principaliter, ac etiam per viam neceſſariæ defenſionis, & alias quomodolibet concernentibus, inter dictum monaſterium per præſentes erectum, ſive illius Abbatiſſam, ſeu Prioriſſā & Moniales, Gubernatores & Adminiſtratores, officiales & miniſtros pro tempore exiſtentes, & quaſcumque alias perſonas, tam laïcas quàm Eccleſiaſticas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & dignitatis vel præeminentiæ, etiam Cardinalatus honore fungentes, Vniverſitates, Congregationes, Collegia, ac tam virorum quàm mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, & alia pia loca, tam conjunctim, quàm diviſim, ac tam activè quàm paſſivè, ultro citroque ad invicem, vel alias quomodolibet motas vel movendas, ac etiam per appellationem, & in quacumque inſtantia coram quibuſvis Judicibus introductas & indeciſas pendentes, etiam illas ab ipſis Judicibus avocandi & reaſſumendi, per ſe vel ejus Viceſgerentem, aut alium, ſeu alios, quem ſeu quos ad hoc duxerit deputandos, etiam ſummariè, ſimpliciter & de plano,

*Summariè procedendi.*

ſine ſtrepitu & figura judicii, ſed ſola facti veritate inſpecta, ac etiam manu regia, cum omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & cōnexis, ac toto negotio principali, etiam privativè quoad omnes & ſingulos alios Iudices, ordinarios & delegatos, eorumque Curias & Tribunalia Eccleſiaſtica vel ſæcularia audiendi, cognoſcendi, decidendi, & fine debito

*In Curia & extra eam citandi, &c.*

terminandi. Necnon quoſcumque intereſſe habentes, tam in dicta Curia quàm extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito ſibi ſummariè de non tuto acceſſu in Romana Curia, citandi & inhibendi, ac quibuſvis etiam ejuſdem Curiæ Judicibus & perſonis, quibus & quoties opus fuerit, ſub ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis inhibendi, & in eventum non paritionis ad declarationem incurſus cenſurarum & pœnarum hujuſmodi procedendi, ac ſententias deſuper ferendas debitæ executioni demandandi, ſeu demandari faciendi,

*Contradictores coërcē...*

contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendi, ac etiam auxiliū brachii ſæcularis ad hoc invocandi, necnon quæcūque

*Dubia declarandi.*

dubia & difficultates, ſi quæ præmiſſorum occaſione quomodolibet oriri contigerit, declarandi, & interpretandi, omniaque & ſingula in eiſdem præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, etiam omni & quacumque appellatione remota, plenam, liberam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & auctoritatem perpetuò tribuimus & impartimur.

*Conceſſio omnium gratiarum & privilegiorum Monialium Ord. S. Claræ.*

§.22. Inſuper eidem Monaſterio per præſentes erecto, ac illius Eccleſiæ & Chriſti fidelibus eam pro tempore viſitantibus, illiuſque Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ, Monialibus & quibuſcumque aliis perſonis, ut omnibus & ſingulis privilegiis & immunitatibus, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, ceteriſque gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibuſvis aliis Monaſteriis & Eccleſiis Monialium dicti Ordinis Sanctæ Claræ, illorumque Abbatiſſæ, Monialibus, perſonis, & Chriſti fidelibus eaſdem Eccleſias viſitantibus, in genere vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis cōmunicationis, ac aliàs quomodolibet nunc & pro tēpore conceſſis, & quibus illa & illi de jure vel conſuetudine, privilegio vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, etiam uti potiri & gaudere liberè & licitè valeant, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter & æquè principaliter, abſque ulla prórſus differentia, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illa monaſterio per præſentes erecto, illiuſque Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, Monialibus & perſonis hujuſmodi ſpecialiter & expreſsè conceſſa eſſent, indulgemus.

*Clauſulæ præſervativæ.*

§.23. Necnon præſentes literas, ac in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore, etiam pro eo quod cauſæ propter quas emanarunt, coram quibuſcumque locorum Ordinariis, etiam tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ & approbatæ, ac dictorum Ordinum Protectores & generales Miniſtri, aliique Prælati & Superiores, ceterique intereſſe habētes ad hoc vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſive aliàs ex quibuſcumque cauſis, quantumvis legitimis & juridicis, de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, in jus vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, vel adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, neque ſub quibuſcumque ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus & formis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tempore factis comprehendi, ſed tanquam pro fundatione dicti Monaſterii per præſentes ad religionis, divinique cultus, ac piorum operum augmentum erecti conceſſas, ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erāt ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, & de novo etiā ſub data per Rectores, Adminiſtratores, ac Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam & Moniales pro tempore exiſtentes prædictas quandocumque eligenda, de novo conceſſa eſſe & fore, ſuumque plenarium effectum ſortiri debere, nec quemquam ad eaſdem præſentes, & deſuper conficiēdas literas in Camera Apoſtolica juxta conſtitutionem felicis recordationis Pii Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri deſuper editam, vel aliàs quandocumque præſentandi, inſinuandi, & regiſtrari faciendi teneri, neque illas propterea irritas eſſe, ſed omninò valere & ſuffragari perinde, ac ſi conſtitutio prædicta, vel alia contraria non emanaſſent, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarūm Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, in quavis cauſa & inſtantia judicari & definiri debere, necnon ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſciēter vel ignoranter cōtigerit attētari, irritū & inane decernimus.

§.24. Quo

*Executorum hujus conſtit. deputatio, & facultates.*

§.24. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Hieroſolymitano & Alexandrino Patriarchis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios eaſdem literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cæſaris Cardinalis, ac Adminiſtratorum & aliorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolẽniter publicantes, ac eis & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta firmiter obſervari, non permittentes eos & eorum quemlibet deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas incurriſſe declarando, ac eos etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſula derogativa, & Sanctio pœnalis.*

§.25. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, ac de gratiis ad inſtar non concedendis, necnon Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis. Necnon ejuſdem Pii Papæ prædeceſſoris de gratiis intereſſe Cameræ hujuſmodi concernentibus infra certum tunc expreſſum tempus in ea regiſtrandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, Synodalibus, & Vniverſalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus. Necnon Ordinis Sanctæ Claræ, & illius Monaſteriorum, ac Vrbis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam illis, necnon dilectis filiis Protectoribus, Generalibus, Miniſtris, Provincialibus, Superioribus, Conventibus & perſonis, necnon prædictis Vicario, Gubernatori, Auditori, Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, Ordinariis locorum, eorum Locatenentibus, Viceſgerentibus, Vicariis, & Officialibus, ac aliis quibuſcumque Judicibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

*Dat. P. An. 9. 21. Febr.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo, Non. Kalend. Martii, Pontificatus noſtri Anno nono.

---

## LXVII. Quod in partibus Indiarum in Ordine Fratrum Minorum Ordinis S. FRANCISCI de Obſervantia, non poſſint aſſumi ad munus Provincialatus, & aliorum officiorum, niſi filii, aut incorporati in illis Provinciis.

*Hujus Ordinis materiam dixi ſupr. ad conſtitut. 23. Leonis X. Ite, lib. 1.*

*Edita An. D. 1600.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

HIs quæ ad regularium perſonarum ſtatum & commodum providè ſunt ordinata, cum à nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis robur libenter adjicimus.

*Cardinalis Mattheus protector Ordinis fratrũ Minorum S. Franciſci de Obſervantia ſtatuit, quod in partibus Indiarum nõ poſſint ad officia admitti niſi filii illarum Provinciarum, aut illis incorporati.*

§.1. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius noſter Hieronymus tituli Sancti Pancratii presbyter Cardinalis Mattheius nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Protector, ad quem nos ſupplicem libellum nobis pro parte dilectorum filiorum Miniſtrorum Provincialium, & fratrum Ordinis Sancti Franciſci in partibus Indiarum Occidentalium exiſtentium porrectum remiſeramus, quo quidem ſupplici libello nobis exponebatur, nonnullos Commiſſarios generales ex Hiſpaniis, ad prædicti Ordinis Provincias in partibus Indiarum hujuſmodi proficiſcentes, maximeque ad Provinciam Limenſem, quæ in Regno del Peru ſita eſt, privatis affectionibus motos, non autem communi religioni utilitati inſervientes, illos qui ſecum ex Hiſpania acceſſerant, ad miniſtratus Provinciales & alia Ordinis officia promovere conſueviſſe, non in modicum earundem Provinciarum, & præſertim Limenſis detrimentum, Nobiſque humiliter ſupplicabatur, ut huic malo occurrere dignaremur: maturo conſilio & deliberatione præmiſſa, Religionis Seraphicæ, dictarumque Provinciarum utilitati, necnon Religioſorum omnium, & præcipuè eorum qui in remotiſſimis Orbis partibus, doctrinæ, exemplariſque vitæ ſplendore Catholicam fidem propagare nituntur, honori proſpicere volens, ejuſdemque Religionis ſtatutis generalibus inhærens decreverit & ſtatuerit, ut in Provinciis ejuſdem Religionis, in partibus prædictis Indiarum, & præſertim in Limenſi Provincia ad miniſtratus Provinciales, ſeu quodlibet aliud dignitatis officium aſſumi non valerent alii dicti Ordinis Religioſi, quàm illi qui ejuſdem Provinciæ alumni eſſent, vel ad eam expreſsè, ac nominatim miſſi ex Hiſpaniis cum Miniſtri Generalis, aut Commiſſarii Indiarum apud Catholici Hiſpaniarum Regis curiam aſſiſtentis literis obedientialibus in illis Provinciis incorporati fuiſſent: quod ſi ſecus fieri contingeret, irritum & inane omnino eſſet, & tam electores, promotores, & fautores, quàm electos quoſlibet privationis ab eorum officiis, ac inhabilitatis ad ſimilia & alia in poſterum obtinenda pœnas, quas tunc inflixit, ipſo jure incurſuros declaravit, prout in eiſdem Hieronymi Cardinalis Protectoris patentibus literis, ſub Datis die ultima Januarii proximè præteriti expeditis pleniùs dicitur contineri.

*Ordo ſupplicavit Papa pro confirmatione.*

§.2. Cumque firmiora ſint ea, quæ Apoſtolicæ confirmationis robore muniuntur, propterea pro parte Provincialium & fratrum Provinciarum prædictarum nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut patentes literas prædictas confirmare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui ideo illud decretũ approbat, & defectus ſupplet.*

§.3. Nos igitur earundem patentium literarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, Miniſtros Provinciales, & fratres dictarum Provinciarum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ejuſdem Hieronymi Cardinalis Protectoris literas patentes prædictas, omniaque & ſingula in illis contenta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ, atque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus: & nihilominus omnia & ſingula præmiſſa de novo ſtatuimus & ordinamus, ac in Provinciis prædictis obſervari debere volumus & mandamus, præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis ſupradictis eo ipſo incurrendis, tam Commiſſariis quàm aliis Superioribus & fratribus ad quos ſpectat & in futurum ſpectabit, ut præmiſſa omnia & ſingula inviolatè obſervent, & obſervari curent & faciant.

*Contrariis derogat.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Provinciarum prædictarum

rum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat.P. A.9. die 4.Martii*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die quarta Martii, milleſimo ſexcenteſimo, Pontificatus noſtri Anno nono.

---

## LXVIII. Ordinationes pro bono regimine Fratrum Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, & electione ejus officialium.

*Alias ordinationes vide ſuprà in conſtit. 30. Iis quæ, ubi notavi. Aliaſque reformationes habes infrà in conſtitut. 112. Decet.*

*Edita An.D. 1600.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Prœmium.*

EX Paſtoralis noſtri muneris debito cunctorum Religioſorum ſtatui proſperè dirigendo ſalubriter intendentes, ea noſtræ confirmationis robore libenter communimus, quæ pro eorundem Religioſorum recto gubernio & felici directione providè ſunt ordinata, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Capitulum generale infraſcripta condidit Statuta.*

§.1. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Magiſtri generalis, & Fratrum Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, per dilectum filium Fratrem Bernardum de Vargas, Vicarium & Procuratorem generalem ejuſdem Ordinis, nobis expoſitum fuit, quod in Capitulo generali ipſius Ordinis menſe Maio anni proximè præteriti, in Civitate Valliſoletana celebrato, Definitores, Præſidentes, ac alii Patres ibidem intervenientes, pro bono ejuſdem Ordinis, ejuſque Monaſteriorum, & locorum, ac perſonarum regimine, inter alia infraſcripta ſtatuta, ordinationes, & capitula condiderunt.

*Feſtum Beatæ Mariæ de Mercede die feſto Nativitatis ejuſdem in tota Religione celebrari juſſit.*

§.2. Quod nimirum ſingulis annis, die feſto Nativitatis Beatæ MARIÆ Virginis, octava Septembris univerſaliter in tota dicta Religione feſtivitas Beatæ MARIÆ de Mercede inſtitueretur, & maxima ſolemnitate cum Miſſa, Proceſſione, & Concione celebraretur.

*Impoſitiones quomodo diſtribuere debeant, diffinivit.*

§.3. Quod ſub formali præcepto, nullus deinceps Provincialis, Viſitator aut Vicarius generalis poſſit diſtribuere per provincias impoſitiones & taxationes, niſi priùs conſuleret duos Definitores & Provincialem illius Provinciæ, & ſi aliter fieret, dicta diſtributio non ſolveretur per domos.

*Provincialis & Viſitator quid pro viſitatione percipiant.*

§.4. Quod nullus Provincialis, nec Viſitator, ſub pœna ſuſpenſionis officii, poſſit accipere pro ſua viſitatione, & viatico, niſi neceſſarium pro ſumptibus & expenſis de uno Conventu ad alium.

*Cauſas deciſas quando revidere poſſint.*

§.5. Quod nullus Provincialis, aut Viſitator poſſet cauſas jam deciſas præteritorum Prælatorum qui domos gubernarunt, ſub alio Provinciali cognoſcere, ſi à Prælatis & Commendatoribus gubernantibus fuit facta viſitatio & Capitulum provinciale.

*Diſpenſationes ſuper celebratione Miſſarum tollantur.*

§.6. Fuerunt abrogatæ omnes exemptiones & diſpenſationes ſuper celebratione plurium Miſſarum ad intentionem celebrantium, quàm permittunt Ordinis conſtitutiones.

*Indulta Apoſtolica Magiſtrorum & Prælatorum ſerventur.*

§.7. Quod omnibus privilegiis & exemptionibus, quæ hactenus habuerunt Magiſtri & Præſentati, in quantum Magiſtri & Præſentati illis frui & potiri, juxtaque tenorem literarum à nobis in forma brevis conceſſarum dicto Ordini, circa ipſos Magiſtros & Præſentatos, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die octava Novembris, milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, deberent obſervari.

*Magiſter generalis tantum utatur nomine Magiſtri in ſubſcriptionibus.*

§.8. Quod ſub formali præcepto obedientiæ, & pœnis ad arbitrium Magiſtri generalis, deinceps nullus Provincialis, quamvis eſſet Magiſter, poſſet ſubſcribi Magiſter Provincialis, nec uteretur hoc titulo in ſubſcriptionibus literarum, & aliis proviſionibus & patentibus, ſed ſolùm hoc poſſet facere Magiſter generalis.

*Prior Domus Barchinonæ habeat Sedem in Capitulo generali, & vocem in omnibus ejus actibus.*

§.9. Quod deinceps Prior Domus Barchinonæ, quæ eſt prima Ordinis, & Religionis caput, non ſolùm haberet vocem in electione Magiſtri generalis, ſed etiam illam haberet in omnibus actis, & Congregationibus Capituli generalis, & in dicto Capitulo haberet Sedem poſt omnes Provinciales, & Vicarios provinciales, & ante Definitores.

*Veſtiariorum qualitas.*

§.10. Quod in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis officiorum, Commendator quando daret ſuis ſubditis veſtiaria, tunicæ quas Hiſpani vocant ſayas, eſſent ex panno, non autem de ſtagmena.

*Depoſitarii nominatio ad quem ſpectet.*

§.11. Quod Commendatores, ſub pœna privationis officiorum non poſſent nominare Depoſitarios, ſed nominarentur per vota libera ipſius Conventus.

*Definitor Capituli provincialis non poteſt eſſe Commendator.*

§.12. Quod nullus Definitor Capituli provincialis, ſub pœna privationis officiorum, durante ſuo officio poſſet eſſe Commendator.

§.13. Quod Commendator alicujus domus, ſi per triennium foret Prælatus, non poſſet in futuro triennio in eadem domo reeligi, bene tamen in alia, ſi reperiatur idoneus.

*Commendator ultra triennium in eadẽ domo non eligatur.*

*Magiſter gener. Provinc. & Viſitator non confirment ordinationes non viſas.*

§.14. Quod Magiſter generalis, Provincialis, & Viſitator, ſub pœna ſuſpenſionis officii, quando viſitaverint domos Ordinis, non confirmarent præcepta, ordinationes & mandata præteritarum Viſitationum per ſuos prædeceſſores factarum, niſi eis viſis.

*Præſentandis non computantur curſus ſtudiorũ extra loca Ordinis.*

§.15. Quod deinceps, ſub formali præcepto, ad præſentaturam, ut aliquis veniret præſentandus, non admitterentur curſus, quos non legiſſet in domo ſtudiorum Ordinis, in Collegio vel in Vniverſitate ex approbatis.

*Libri Religioſorum applicentur domui in qua decedunt.*

§.16. Quod in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, bibliothecæ, & libri Religioſorum qui ex hac vita decederent, nullo modo venderentur, ſed applicarentur domui Religionis in qua tales Religioſi decederent, & reponerentur in Bibliotheca communi, & ex illo loco nullus liber ſub eiſdem pœnis extrahi poſſet ſub pœna privationis officii Prælato extrahenti, inferiori verò extrahenti, ſub pœna gravioris culpæ per ſex menſes.

*Tu ſcias hic infra hoc à Papa declarari.*

*Sacris initiati tantum vocẽ habent.*

§.17. Quod in nulla re haberent vocem Fratres ſacro ordine non inſigniti.

*Redeuntes ad domum Prælato ſe præſentent.*

§.18. Quod Religioſi de foris venientes ſe coram ſuo Prælato præſentare deberent, ut Prælatus ſciret qua revertebantur hora.

*Magiſter generalis, & Fratres ſupplicant Papæ pro confirmatione prædictorum & aliorum infraſcriptorũ.*

§.19. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Magiſter generalis, & Fratres cupiant ſtatuta & ordinationes hujuſmodi, pro illorum firmiori validitate confirmationis Apoſtolicæ robore communiri, ac alia etiam infraſcripta in ipſo Ordine obſervanda, Apoſtolica auctoritate ſtatui & ordinari. Propterea dictus Bernardus Vicarius & Procurator generalis, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui ea omnia approbat & cõfirmat.*

§.20. Nos igitur eorundem Magiſtri generalis & Fratrum votis, præſertim eorum Ordinis proſperam directionem concernentibus, quantum cum Domino poſſumus benignè annuere volentes, atque eoſdem magiſtrum, necnon Vicarium & Procuratorem generales, ac ſingulares ipſius Ordinis Fratres à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harũ ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum noſtrorum Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporum, & Regularium deputatorum, ſupradicta ſtatuta, ordinationes, & capitula auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò cõfirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus.

§.21. Præter

*…eſtivitates … S. Laurentii & S. Antonii ſolemniter in toto Ordine celebrari jubet.*

§.21. Præterea ſtatuimus & ordinamus, ut diebus feſtivitatum Sancti Laurentii Martyris, quo die fundatus, & Sancti Antonii Abbatis, quo die per fel. record. Gregor. Papam nonum prædeceſſorem noſtrum confirmatus fuit ordo prædictus, in fundationis & confirmationis hujuſmodi memoriam feſtivitates hujuſmodi in toto Ordine ſolemniter celebrentur.

*Anniverſarium pro animabus Captivorum fidelium … in captivitate … mandat.*

§.22. Quodque ſingulis annis infra hebdomadam mortuorum in toto Ordine Anniverſarium pro animabus Captivorum, qui in infidelium poteſtate Catholicam fidem retinentes mortui ſunt, fiat.

*Commiſſarium generalem Indiarum abſque Sedis Apoſt. licentia Generali eligi vetat.*

§.23. Quodque Magiſter generalis ejuſdem Ordinis, pro tempore exiſtens, nullo modo commiſſarium generalem Indiarum niſi de Sedis Apoſtolicæ licentia eligere & creare valeat, & ſi ab eo hujuſmodi electio fiat, electio ipſa nulla & irrita ſit, ipſeque Magiſter generalis ab officio ſui Generalatus ſuſpenſus exiſtat eo ipſo, & ſubditi officium hujuſmodi procurantes, pœna gravioris culpæ per ſex menſes minimè relaxandæ, puniantur.

*Viſitatoreſque ex peritioribus Ordinis eligi jubet.*

§.24. Quodque nullus Generalis vel Provincialis, ſub pœna ſuſpenſionis ab eorum officiis, poſſit mittere ad viſitan. aliquas domos vel domum, ſeu Conventum ejuſdem Ordinis, niſi Religioſum ex peritioribus ipſius Ordinis expertum & doctum, præſertim caſuum conſcientiæ, & ſacrarum literarum præſtantem

*Ordinationem ſupra factam de libris religioſorum decedentium declarat.*

§. 25. Declaramus autem quoad ordinationem diſponentem libros Religioſi decedentis extrahi non poſſe ex domo in qua deceſſerit, intelligi debere, ſi obiret & decederet in aliquo Conventu magno & principali, ubi Religioſi Conventuales commorari poſſunt, non autem ſi in aliquo Cœnobio & domo exigua, ubi libri remanentes diligenter cuſtodiri non poſſent, & in hujuſmodi eventu ſolum Magiſtrum generalem cum Provinciali illius Provinciæ ubi ſunt libri, poſſe illos transferre, & applicare alicui Collegio illius Provinciæ, aut Conventui in quo Religioſus, defunctus profeſſionem ſolemnem emiſerit, ſi ipſe Conventus fuerit principalis.

*Obſervantiam hujuſmodi ordinationum curari committit.*

§.26. Quocirca eiſdem Magiſtro & Vicario generalibus, aliiſque dicti Ordinis Religioſis nunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in ſupradictis ſtatutis & ordinationibus contentis per præſentes mandamus, ut omnia & ſingula ſupradicta ſtatuta reſpectivè, perpetuò obſervent & obſervari curent & faciant.

*Executoreſque deputat.*

§.27. Quocirca venerabilibus fratribus Toletan. Hiſpalen. & Cæſarauguſtano Archiepiſcopis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Magiſtri & Vicarii generalis, & aliorum Religioſorum prædictorum, aut alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra ſtatuta & ordinationes prædictas ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, perpetuò inviolabiliter obſervari, contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis derogat.*

§.28. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac aliis ejuſem Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Magiſtro, Vicario & fratribus prædictis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 9. die 10. Mart.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die decima Martii, milleſimo ſexcenteſimo, Pontificatus noſtri Anno nono.

## LXIX.

Cæremonialis Epiſcoporum ad officia divina ritè celebranda, aliaſque functiones itidem peragendas, reformatio, & approbatio, cum antiquorum permiſſione in his quæ illi non contrariantur.

*Edita An. D. 1600.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*His Ponti Pontificale reformatum edidit, ut ſuprà in eius bulla 38. Ex quo.*

CUm noviſſimè Pontificale antea mendoſum & corruptum, à piis & eruditis viris emendari & reſtitui, & demum ad Epiſcoporum, & aliorum Eccleſiarum Prælatorum communem uſum & commoditatem divulgari, & in univerſali Eccleſia ab omnibus obſervari mandaverimus, operæpretium

*Cæremoniale nunc Epiſcoporum reformari curavit.*

§.1. Viſum fuit, Cæremoniale Epiſcoporum omnibus Eccleſiis, præcipuè autem Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis perutile ac neceſſarium, in quo ritus & cæremoniæ celebrandi miſſas, veſperas & alia divina officia, ac in aliis Eccleſiæ functionibus & actibus ab eiſdem Epiſcopis ac aliis Prælatis inferioribus in eiſdem obſervandæ, ac modus etiam procedendi, tam inter perſonas ipſas Eccleſiaſticas, quam etiã inter eas & laïcos ſimiliter ſervandus cõtinentur, quodque pridem multis mendis reſperſum fuerat ſimiliter reformari, & reſtitui curaremus. Ea propter in idipſum Cæremoniale Epiſcoporũ, à nonnullis piis ac eruditis, in hiſque ſacris ritibus, & cæremoniis apprimè verſatis viris examinari, corrigi, & in optimam, ipſique Pontificali reformato maximè congruentem formam redigi mandavimus. Quod opus cum ea qua decuit fide & diligentia jam abſolutum fuiſſe accipimus. Porrò reliquum eſt, ut hujus operis labor eum ad quem directus eſt finem conſequatur.

*Illudque ſervari præcipit.*

§.2. Idcirco Cæremoniale Epiſcoporum hujuſmodi juſſu noſtro emendatum & reformatum, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine perpetuò approbantes, illudque in univerſali Eccleſia ab omnibus & ſingulis perſonis ad quas ſpectat, & in futurum ſpectabit perpetuò obſervandum eſſe præcipimus & mandamus.

*Et immutari vetat.*

§.3. Ac Cæremoniale hujuſmodi ſic emendatum & reformatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi poſſe.

*Nec aliter debitis cæremoniis ſatisfieri decernit.*

§.4. Ac quaſcumque perſonas prædictas, quæ ſacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipſo Cæremoniali contenta facere, aut exequi debent, ad ea peragenda & præſtanda juxta hujus Cæremonialis formam, & præſcriptum teneri, neminemque ex iis quibus ea exercendi & faciendi munus impoſitum exiſtit, niſi formulis quæ hoc Cæremoniali continentur ſervatis, ſatisfacere poſſe perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

*Antiqua Cæremonialia huic novo non contraria permittit.*

§.5. Per præſentes autem antiqua Cæremonialia, in his quæ prædicto Cæremoniali reformato ſunt conformia, minimè aboleri, aut abrogata cenſeri volumus, ſed illorum etiam uſum (ſalva reformatione prædicta) permittimus.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac etiam in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus, necnon quarumvis Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tempus quò hæc obſervantia ligat, declarat.*

§.7. Volumus autem, & pari motu, & auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia ſunt præſentes, lapſis duobus menſibus; qui verò intra montes, octo; & qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integrè excurſis vel aliàs ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam, & facultatem habuerint, ſacras cæremonias & ritus in eodẽ Cæremoniali præſcriptos, juxta illius modum & normam, in quibuſcumque actibus exercere & obſervare teneantur.

§.8. Ipſarum autem literarum exempla manu Notarii publici, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut illius Curiæ obſignata, vel in ipſis voluminibus abſq; prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impreſſa eam ubique locorum & gentium fidē

faciant, quam præſentes facerent ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat.R. A.9. die 14.Iul.1.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decimaquarta Julii 1600. Pontificatus noſtri Anno nono.

*Publicatio.* *Die 9. Auguſti 1600. ſupradicta litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, per me Alexandrum Agazzarium S.D.N. Papæ Curſ.*

*Iacobus Brambilla mag.Curſ.*

---

LXX.

## Inſtitutio duorum Novitiatuum in duobus Conventibus Fratrum Eremitarum S. Hieronymi, Congregationis B. Petri de Piſis, cum licentia recipiendi venientes ad Religionem. Et ambitus prohibitio, cum pœnarum impoſitione.

*Alia de hac congregatione ſcripſi ad conſtitut. 12. Eugenii IV. Provenit,lib.1.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Edita An.D. 1600.* *Dilectis filiis Bernardino Veron. Priori Generali, & Antonio Veruccio Vrbinaten. Vicario generali Ordinis pauperum Eremitarum S.Hieronymi Congregationis S.Petri de Piſis.*

*Inſtitutio Novitiatuũ.* §.1. ORdinis veſtri conſervationi, & propagationi, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere cupientes, Motu proprio,& ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,in Conventu S.Sebaſtiani Venetiarum, ubi trigintaquinque Fratres, comprehẽſis duodecim Novitiis de familia,manere volumus, ac in Conventu S. Mariæ Gratiarum Neapolitanæ, ubi quinquaginta fratres, comprehenſis ſexdecim Novitiis de familia, ſimiliter manere volumus, Novitiatus veſtri Ordinis prædicti auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

*Licentia recipiendi Novitios juxta formam ſuæ conſtit.* §.2. Vobiſque ut in primò dicto S.Sebaſtiani duodecim, & in ſecundò dicto Conventibus S. Mariæ Gratiarũ ſexdecim Novitios, qui qualitates requiſitas juxta conſtitutionem noſtram ſuper receptione Novitiorum nuper editam habeant, ac ſervata in omnibus & per omnia dictæ conſtitutionis forma,ad habitum per fratres veſtri Ordinis geſtari ſolitum recipere,ita tamen ut aliquod ſignum à Profeſſis diſtinctum juxta diſpoſitionem veſtri Capituli generalis gerãt,& deinde lapſo probationis anno ad profeſſionem per eoſdem fratres emitti conſuetam regulares admittere liberè & licitè poſſitis & valeatis, auctoritate Apoſtolica & tenore prædictis licentiam & facultatem concedimus & impartimur.

*Clauſ. derog.* §.3. Non obſtan. prohibitione noſtra noviſſimè facta, conſtitutionibuſque,& ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat.P.A. 9. die 4.Sept.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Septembris milleſimo ſexcenteſimo, Pontificatus noſtri Anno 9.

*Subſequitur ambitus prohibitio.*

*Edita An.D. 1600.* *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* AMbitioſam honorum, & dignitatum cupiditatem Eccleſiaſticos omnes,ſed Religioſos præſertim,qui in humilitatis ſpiritu Deo ſervire tenentur,ita evitare decet,ut ipſi Prælaturas minimè requirere,ſed ad eas vocati,ut Aaron obedienter ſuſcipere, & humiliter adminiſtrare ſtudeant.

*Damnatio ambiendi favores extra ordinem pro Prælaturis acquirendis.* §.1. Hujus ſiquidem ambitionis malum à Congregatione B.Petri de Piſis Ordinis Eremitarum S. Hieronymi procul abeſſe cupientes,Motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulos Fratres prædicti Ordinis & Cõgregationis,cujuſcumque ætatis,gradus,& conditionis,præeminentiæ & literaturæ exiſtentes,qui nimirum pro quibuſcumque Prælaturis,dignitatibus,muneribus, & officiis, etiam iis quæ obtinent majoribus, in dicta congregatione conſequendis, ſive pro remiſſione pœnarum eis impoſitarum,aut aliis quibuſcumque gratiis impetrandis,ad principum quorumcumque,tam Eccleſiaſticorum,etiam Sanctæ Romæ Eccleſiæ Cardinalium,quã ſæcularium,ac Prælatorũ de gremio dictæ Cõgregationis non exiſtentium favores recurrerint,eoſque requiſiverint vel aliis etiam ſponte delegatis, aut ab aliis etiam inſciis procuratis uſi fuerint, vel etiam pactis,pollicitationibus, aliiſque viis,directè vel indirectè, palam vel occultè, ad dignitates ſeu officia in congregatione præfata obtinenda aſpiraverint,vel aliis minus legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere procuraverint, illorum complices & fautores ad quaſcumque prælaturas & dignitates,gradus, honores & officia, tam ſpiritualia, quàm temporalia, & præſertim in ipſa Congregatione obtenta vel obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis Prælaturis, dignitatibus,adminiſtrationibus,vel officiis eo ipſo privamus,ac privatos voce activa & paſſiva carere, pœnaſque hujuſmodi à nobis tantùm & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris remitti poſſe decernimus, & declaramus,omnes & ſingulas ſupradictas pœnas ad eos etiam extendentes, qui ne ex aliquo Monaſterio removeantur, ſeu ut in alterius Monaſterii familia deputentur, contra Capituli,ſeu Superiorum voluntatem ſupradictas literas, ſeu favores exquirere & obtinere præſumunt.

§.2. Quocirca in virtute ſanctæ obedientiæ,ac indignationis noſtræ, aliiſque omnibus prædictis pœnis, dilectis filiis Viſitatoribus,Definitoribus, aliiſque Prælatis quocumque titulo nuncupatis, præſentibus & futuris præcipimus,ac diſtrictè mandamus, ne aliquos ullo unquam tempore precibus,literis vel favoribus adducti, ſeu aliàs ad inſtantiam,requiſitionem, vel contemplationem Principum Eccleſiaſticorum vel temporalium, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aut aliorum quorumcũque extra gremium dictæ Congregationis exiſtentium, ad cujuſvis generis Prælaturas,dignitates,officia, adminiſtrationes & gradus promovere, vel pœnas aliquas remittere, aut aliam quamcumque gratiam, ut præfertur, audeant facere, vel præſumant, imò promovendorum meritis & virtutibus tantum inſpectis, quod Dei cauſam agant memores ſint, quo magis puro & ſincero corde, nulla privata,aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant. *Prohibitio admittendi ambientes ad officia & dignitates.*

§.3. Decernentes electiones & promotiones ad Monaſteria, ſeu quæcumque alia officia dicti Ordinis,ſic literis aut aliis favoribus Principum & Prælatorum quorumcũque, vel aliorum,ut præfertur,extra gremiũ exiſtentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus,injuſtè,ac indebitè extortas, ſeu alias quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus, invalidaſque fore, & eſſe, & adverſus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda Monaſteria,ſeu ad alia quæcumque officia ſe eligi,aut aſſumi obtinuerint,per ejuſdem Congregationis ſuperiores quandocumque procedi,& rei veritate cognita,condignis pœnis,tãquam publicæ dictæ Congregationis quietis perturbatores affici poſſe & debere.Et ita per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi,& interpretandi facultate & auctoritate,judicari,& definiri debere, irritum quoque & inane,ſi ſecus ſuper his à quoquã quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Annullatio admiſſionũ aliter factarum.*

§.4. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis,ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictorum Congregationis, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis,& literis Apoſtolicis,illis & illorum Superioribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac ſub quibuſvis clauſulis & decretis conceſſis,& confirmatis.Quibus omnibus,etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua,non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret,illorum tenores ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, Motu & ſcientia ſimilibus latiſſimè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Congregationibus & Fratribus,vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum,quod interdici,ſuſpendi, *Clauſ.derog.*

vel

vel excomunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Iuſſio tamen bullam publicandi in Capitulis.*

§.5. Ac ut literarum hujuſmodi notitia ad omnes dictæ Cógregationis fratres faciliùs deveniat, Volumus illas in generalibus & provincialibus dictæ Cógregationis Capitulis quotannis publicè legi, ibique lectas omnes ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent, illorumque exemplis etiam impreſſis, manu ſcribæ dictæ Congregationis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Generalis ipſius Cógregationis, vel alterius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti obſignatis eandē prorſus fidē haberi, quæ præſentib. haberetur, ſi forēt exhibitæ vel oſtēſæ.

*Dat. P. An. 9. die 23. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Decembris milleſimo ſexcenteſimo, Pontificatus noſtri anno 9.

---

## LXXI. Inſtitutio Congregationis Italicæ Fratrum Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, ſeparatæ à Congregatione Hiſpaniæ, cum facultate Novitios extra Capitulum ad habitum recipiendi.

*De hac ſeparatione habes ſupr. in conſtit. 25. Paſtoralis, ubi videas qua tibi indicavi.*

*Edita An D. 1600.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina diſponente clementia conſtituti, ad ea noſtræ mentis aciem libenter dirigimus, per quæ ſacrarum Religionum in Eccleſia Dei piè ſanctequé inſtitutarum, quarum profeſſores vitæ ſanctitate & exemplo, ac ſacrarum literarum doctrina fideli populo ad ſalutem prodeſſe ſtudent, propagationi, & incremento, quantum cum Domino poſſumus, intendamus.

*Hic Pont. laudat inſtitutum Diſcalceatorum, & pro eius propagatione Conventum in Vrbe conceſſit, quam conceſſionem uti non neceſſariam nō poſui.*

§.1. Alias ſiquidem cum in Italia præter Monaſteriū, ſeu Collegium Sanctæ Annæ Civitatis Ianuen. nullum aliud extaret virorum Monaſterium, neque Conventus, aut domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum nūcupatorum: Nos Cupientes Ordinem prædictum (cujus profeſſores primitivæ regulæ à bon. me. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ipſi Ordini præſcriptæ, & à fel. rec. Innocentio Papa IV. prædeceſſore noſtro prima Septembris anni 1248. Pontificatus ſui anno 5. confirmatæ, normam tum in Regnis Hiſpaniarum, tum in Italia diligenter obſervant, & in utrumque inſtituti ſui finem, priorem ſcilicet ac potiorem, qui eſt divina unio per orationem & contemplationem; & poſteriorem, qui eſt ſalus proximorum, verbo ac opere Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſæi, aliorumque Sanctorum Patrum, quorum hæredes ſunt, veſtigiis inſiſtentes incumbunt) in Alma Vrbe noſtra propagari, unam ejuſdem Ordinis domum, apud Eccleſiam B. M. de Scala nuncupatam in Regione Tranſtyberim de eadem Vrbe, Apoſtolica auctoritate perpetuò ereximus, prout in noſtris deſuper in forma brevis expeditis literis pleniùs continetur.

*Pro illius ergo in Italia propagatione erigit Congregationem Italicam ab omni alia ſeparatam.*

§.2. Porrò, cum præter fide dignorum teſtimonia, quæ de hujus Ordinis ſanctitate ad Nos perlata ſunt, Nos ipſi experientia cognoverimus quantum utilitatis in Eccleſia Dei piis eorum exercitiis, tum orationibus, mortificationibus, aſperitate vitæ, tum prædicationibus, confeſſionibus, & Sacramentorum adminiſtratione, ad Dei laudem & Chriſti fidelium animarum ſalutem quotidie afferat. Volentes ulteriori ejuſdem Ordinis propagationi, quantum cum Domino poſſumus, opportunè proſpicere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tam ex prædicta in Vrbe per nos erecta, & alia ſupradictæ S. Annæ Januen. & quibuſcumque aliis domibus, ſeu Conventibus in Italia forſan hactenus erectis (quas & quos jam à Congregatione ejuſdē Ordinis Hiſpaniarum per dictas noſtras literas ſeparavimus) quàm ex aliis quibuſcumque domibus & Conventibus poſthac in Italia, & aliis quibuſvis, præter Hiſpaniam locis, ac Regnis erigendis, unam Cógregationē Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum à præfata Cógregatione ſeu Ordine Hiſpaniarum, & quibuſcumque aliis ejuſdem Ordinis Congregationibus ſeu Provinciis, illarumque Superioribus & fratribus prorſus diſtinctam & ſeparatā, nobiſque & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectam, ab uno Præpoſito cum Definitorum interventu, juxta regularia ejuſdem Ordinis ſtatuta regendam & gubernandam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Eique omnia privilegia concedit, quæ Congregationi Hiſp. conceſſa ſūt, vel erunt.*

§.3. Ipſique Congregationi ſic erectæ, ejuſquenunc & pro tempore exiſtentibus domibus, ſeu Conventibus, ac Superioribus & fratribus, ut quibuſcumque privilegiis, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogativis, favoribus, indulgentiis, & aliis gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus ſupradictæ Hiſpaniarū Congregationi per quoſcumque Romanos Pont. prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam quomodolibet, etiam per viam communicationis ſeu extēſiònis, aut alias quomodocumq; conceſſis, confirmatis, & innovatis, ac in poſterum concedendis uti, frui, & gaudere poſſit, ſine aliqua prorſus differētia, perinde ac ſi eidē Cógregationi Italiæ, ejuſque domib. Convētibus, Superioribus, & perſonis nominatim, & æquè principaliter conceſſæ fuiſſent.

*Monaſteria que extra Hiſpaniam erigendi dat facultatem. Ad hoc vide infra conſt. 99. Quoniam.*

§.4. Vtque novas domos & Conventus in quibuſcumque Civitatibus, Terris & locis, tam Italiæ, quam aliarum extra Hiſpaniam Provinciarum, ac Regnorum, recipere & erigere valeat, dummodo tamen in quacumque illarum duodecim Religioſorum numerus ad minus commodè ali & commorari poſſit.

*Bona etiam ſtabilia donata, vel legata recipiendi.*

§.5. Necnon etiam quæcumque bona ſtabilia & mobilia ipſis domibus ex quibuſcumque piorum Chriſti fidelium eleemoſynis, largitionibus, donationibus, ſucceſſionibus, legatis, & aliis diſpoſitionibus acquirere & recipere, ac in eorundem Conventuum & domorum uſus & utilitatem convertere poſſit.

*Novitiis ad habitum recipiendi extra Capitula prævia informatione ibi deſcripta. De receptione & educat. iſtorum vide inf. conſt. 83. In ſupremæ, cum ibi not.*

§.6. Et præterea, quia in eadem Congregatione Capitula generalia vel provincialia, juxta conſtitutiones quotannis non celebrantur, ut in quibuſcumque domibus & Conventibus ejuſdem novæ Congregationis à Superiore deputandis, Novitii ad habitum per fratres ejuſdem Ordinis geſtari ſolitū, de licentia Commiſſarii ſeu Præpoſiti generalis ejuſdem Congregationis (ſervata tamen in reliquis forma ſacrorum Canonū, conſtitutionumque Apoſtolicarum, ac decretorum noſtrorum, ipſiuſque Ordinis Regularium Statutorum) dummodo informationes pro Novitiis admittendis receptæ, per vota ſecreta per Capitula Conventus, in quo hujuſmodi Novitii recipiendi erunt, approbentur. Ipſaſque informationes, niſi jam aliàs habeantur, Superior Congregationis vel Conventus aliquibus Fratribus prudentia & zelo Religionis præſtantibus recipiendas committat, qui Commiſſarii illas recipiāt de qualitatibus eorum qui recipiendi erunt ex præſcripto conſtitutionum Apoſtolicarum, & ſi extra locum Convētus hujuſmodi informationes recipiēdæ fuerint, idem Superior illas modo præmiſſo recipiendas aliquibus perſonis fide dignis committat, recipi poſſint, & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus, ac licentiam & facultatem opportunas impartimur.

*Apoſtatas vel expulſos à Cong. Hiſp. recipi vetat.*

§.7. Et pro majori hujus inſtituti conſervatione, in ipſa Congregatione aliquem, etiam Diſcalceatorum Hiſpaniæ, aut ab alia quacumque Religione apoſtatam fugitivum vel expulſum recipi poſſe prohibemus. Quod ſi ſecus ſcienter vel ignoranter fieri contigerit, receptio & admiſſio hujuſmodi nullius ſit roboris vel momenti, & ipſe receptus ſtatim ejici debeat.

*Monialium curam, præterquā Monaſterii Ianuen. prohibet.*

§.8. Nullum præterea hujus Congregationis Religioſum curam aut gubernationem Monialium, etiamſi ejuſdem habitus, & regulæ exiſtant, præterquam Monaſterii de Jesu Maria Januen. ſuſcipere vel habere permittimus.

*Congregationis regimini Petrum de Matre Dei præficit.*

§.9. Ipſius autem Congregationis Italiæ regimini, & proſperæ gubernationi proſpicere cupientes, dilectum filium Petrum de Matre Dei, Priorem prædicti Conventus S. Mariæ de Scala de Vrbe, ejuſdem Congregationis Cōmiſſarium generalē hac vice auctoritate & tenore prædictis facimus & deputamus, eidemque Congregationem Italiæ prædictam, ejuſque domos & Conventus quoſcumque erectos, & erigendos regendi & gubernandi, ac omnia & ſingula alia, quæ juxta conſtitutiones Præpoſitus ac Definitores in eadē Cógregatione facere & exercere poſſent, faciendi & exercendi, ac ubi cenſuerit, Superiores eligi faciendi per vota ſecreta Capituli Conventus, facultatem & auctoritatem tribuimus.

*Qui erectis aliis duobus conventibus convocet capitulum pro electione Præpoſiti.*

§.10. At ubi alii duo Conventus jam conditi, ac decenter ſtabiliti erunt, ad quos condendos ſpecialem licentiã concedimus, omnes Superiores cum eorum ſociis & diſcretis canonicè electis per eundem Petrum ad Capitulũ convocari, & juxta conſtitutiones ad electionem Præpoſiti & Definitorum Congregationis, & ad reliqua quæ ad Congregationis bonum expedire crediderint, procedi debere, Præpoſitumque ritè juxta conſtitutiones electum eo ipſo confirmatum eſſe, & auctoritatem Commiſſarii expirare, totamque in Præpoſitum, juxta tamen conſtitutiones, refundi ſtatuimus & ordinamus.

*Eoque interim decedente, antiquior Prior ſuccedat.*

§.11. Sed ſi ante expletam hujuſmodi commiſſionem prædictus Petrus è vita diſceſſerit, ejus vices Priori antiquiori earundem domorum gerendas committimus, & demandamus.

*Facultas erigendi Confraternitates.*

*Ad hoc vide etiam inf. conſt. 115.*

§.12. Et ut hujus ſacræ vineæ fructus pluribus proſint, Societatem ſeu Confraternitatem B. M. de Monte Carmelo inſtituendi, eique exercitia juxta conſtitutiones præſcribendi, perſonaſque in eandem Confraternitatem admittendi, Congregationis Commiſſario aut Præpoſito facultatem impartimur.

*Quacumque.*

§.13. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intẽtionis noſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod quicumque intereſſe habentes vocati non fuerint, notari, argui, impugnari, aut ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam revocari poſſe. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula præſervativa.*

*Clauſ. derog.*

§.14. Non obſtan. piæ me. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur expreſſe, ne qui Fratrũ Mendicantium profeſſores loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare audeant, aut præſumant abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi expreſſam mentionem faciente, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§.15. Volumus autem ut harum literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 9. die 13. Nov.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die decimatertia Novembris 1600. ac Pontificatus noſtri Anno non o.

---

## LXXII. Privilegia pro agricultoribus in agro Romano. Et prohibitiones, ne Barones bannimenta circa Agriculturam promulgent, vel ſubditos impediant extra eorum Statum alienos agros conducere, colere, & ſeminare.

*Quoad Clericos in Terris propriis agriculturam facientes, de quibus ſpecificè loquitur hac bulla, vide conſtit. 18. Pauli V. In eminenti, ubi eorum bona à ſpoliis magis præſervantur. Et circa privilegia omnium artem Agriculturæ exercentium, attende conſtitut. ejuſdem Pauli V. num. 48. Paſtoralis.*

*Edita An. D. 1600.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſtitut.*

INter multiplices Paſtoralis muneris noſtri curas & ſollicitudines, ea nobis præcipuè cordi eſt, ut Alma Vrbs noſtra, ad quam quotidie tanquam ad Principis Apoſtolorum Sedem, & communem omnium fidelium patriam, ac parentem Nationes omnes cõfluunt, & quam nos omnibus commodis & ornamentis augere ſtudemus, non ſolùm rei frumẽtariæ inopia nequaquam vexetur, ſed uberiore potiùs copia (quandoquidem agri illius ubertas id præſtare poteſt) jugiter perfruatur. Verùm conſiderantes Annonæ difficultates, quas ab aliquibus annis citra perpeſſa eſt, & nunc etiam patitur, & quibus Nos maximo, etiam noſtro & Cameræ Apoſt. diſpendio occurrere non recuſavimus, non tantùm ex annorum ſterilitate & ſuperioribus cauſis, quantum ex hominum culpa & negligentia proveniſſe, eo magis angimur & affligamur, cùm ſicut accepimus, uberrimum, & per neceſſarium Agriculturæ exercitium in Vrbis Territorio & diſtrictu, lociſque finitimis paulatim negligi, ſeu potiùs deſeri cœptum ſit; ita ut ubi priùs vigente Agricultura, non modò ipſi Vrbi neceſſarium frumentum ſuppetebat, verùm etiam ad externas Nationes ingenti privatorum lucro, & non modico Cam. noſtræ emolumento tranſmittebatur: nunc vero cultivatione ceſſante externum frumentum magno pretio & difficultate ab aliis conquirere, illudque etiam per mare vehendum expectare, & nonnunquam Vrbis famem ventorum arbitrio, non minori dedecore quam periculo metiri neceſſe eſt.

*Sixti IV. Iulii II. Clem. VII. & Pii V. conſt. innovatio, cum limitatione quòd Domini Caſalium non cogãtur locare.*

§.1. Cui quidem malo quantum in nobis eſt occurrere & nobilem ac fructuoſam Agriculturæ artem in agro Romano reſtituere ac renovare cupientes, & ut omnes Tenutarum & Caſalium Domini, necnon quicumque Agricultores & Coloni, ſpe lucri ad colen. & ſerendum alliciantur, Prædeceſſorum noſtrorum Sixti IV. Iulii II. Clementis VII. Pii V. & aliorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dictorum Prædeceſſorum noſtrorum literas in favorem rei frumentariæ, & Artis Agriculturæ editas, quarũ tenores hîc pro expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis & regiſtratis haberi volumus, in his quæ præſentibus noſtris non adverſantur, & quæ uſu recepta fuerunt, ita ut Domini Caſalium & Tenutarum cogi non poſſint ad illa, vel illas in totum, ſeu in partem, ad quotam, ſeu aliàs locare, prout in dictis eorumdem Prædeceſſorum literis continetur, ſed liberum ſit ipſis Dominis de illis ad libitum diſponere, confirmantes & innovantes.

*Agricultores in agro Romano poſſint certo modo & tempore de Statu Eccleſiaſtico frumentum extrahere.*

*Tu attende bullam S. D. N. Pauli V. 48.*

§.2. Statuimus & ordinamus, quod omnes, tam cives, quam forenſes, Agricultores, Mercatores & Coloni, qui tam in propriis quã alienis, & conductis Terris, Tenutis, poſſeſſionibus & Caſalibus in Territorio & diſtrictu Vrbis, necnon Latii, Campaniæ & Maritimæ Provinciis exiſten. Agriculturam, & ſementem fecerint, ſingulis annis, quibus pretium, & valor frumenti communiter in Vrbe per ipſos Agricultores & mercatores vendendi à tempore meſſis & recollectionis uſque ad Kal. Martii cujuſlibet anni ſummam juliorum ſexaginta in ſingula rubra non exceſſerit, poſſint & valeant quartam partem totius frumenti per eos eodem anno recollecti, deducto tamen ſemine, ad quævis loca, præter infidelium, S.R.E. hoſtium, terra marique liberè extrahere & aſportare, ſeu extrahi & aſportari facere, & hoc etiam intelligi volumus de frumento, quod Domini & locatores Tenutarum à Conductoribus receperint & exegerint, pro quota reſponſione, quatenus tamen dictas Tenutas, Terras, & Caſalia ad quotam frumenti ex eis recolligendi, & non aliàs locaverint, dummodo tamen dicta quota quartam partem non excedat. Locatores verò qui aliter quàm ad quotam terras locaverint, extractionis beneficio pro frumento per eos exigendo frui minimè poſſint. Dictæ autem extractionis licentia de menſe Martii cujuſlibet anni, & non priùs concedi debeat per literas patentes Cardinalis Camerarii pro tempore exiſten. juxta ſolitum, & ſolutis Cameræ noſtræ Apoſt. juliis tribus pro quolibet rubro. Si autem per nos vel ſucceſſores noſtros, Camerarium, aut Annonæ Præfectos ex quavis cauſa dicta licentia impediri contigerit, teneatur ipſa Camera eiſdem Agricultoribus, ſeu Dominis Tenutarum pro intereſſe dicti impedimenti ſummam juliorum ſex pro quolibet rubro ſolvere, liberè & abſque ulla prorſus exceptione; dummodo tamen totum eorum frumentum ad Vrbem conduxerint, ſeu licentiam obtinuerint illud extra Vrbẽ dimittendi, & ſub obligatione ad Vrbem conducendi, & data nota ſummæ, & loci, ubi dictum frumentum repoſitũ fuerit. Teneantur etiam ipſi Agricultores & Coloni infra menſem poſt completã ſementem, ſingulis annis in actis Annonæ Notarii verã quantitatem & locum ſemẽtis quã quiſque fecerit denunciare, alioquin privilegiis & beneficio præſentiũ litterarũ noſtrarũ minimè perfruãtur.

§.3.

*Barones & alii liberè permittant eorum Vaſſallos extra eorum ſtatus agros colere, & cum animalibus inſervire.*

*Ampliavit S.D.N. Paul. V. ut in rubr.*

§.3. Et ut Agriculturæ exercitium omnibus liberũ ſit, & Agricultorum & Colonorum numerus non modo non diminuatur, ſed potiùs augeatur, Statuimus & ordinamus quod omnes & ſinguli Baronum, Principum, & Domicellorum quorumcumque S. R. E. ſubjectorum ſubditi & Vaſſalli, quaſcumque Terras, prædia, poſſeſſiones & Caſalia eis beneviſa, etiam extra Statum & Territorium eorundem Dominorũ, per ſe, vel alios colere, laborare & ſeminare, ſeu etiam aliis ad colendum & ſeminandum inſervire, dictaſque terras, poſſeſſiones & caſalia, ad effectũ colendi & ſeminandi ad quotã, ut ſuprà, ſeu aliàs cõducere, & in eis Artẽ Agriculturæ exercere liberè & licitè valeant. Nullusque ex dictis Baronibus, Domicellis, & aliis quacumque dignitate, tam tẽporali quàm Eccleſiaſtica præfulgen. etiamſi S.R.E. Cardinales fuerint, ac etiam Communitates, dictos eorum Vaſſallos, Subditos & Colonos, quavis cauſa, directè vel indirectè, per ſe vel alios, ſub amiſſionis, & privationis feudorum, & Statuum, aliiſque noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pœnis audeat, vel præſumat cogere, impedire vel prohibere, ne poſſint quaſi ũque alias terras, poſſeſſiones & caſalia, etiam extra eorum Statum, & Iuriſdictionem conducere, colere & ſeminare, ſeu aliis etiam conventa mercede etiam cum eorum bobus, & animalibus inſervire, etiam ſub prætextu quorumcumque ſuorum, ſeu Caſtrorum, Civitatum & Terrarum eiſdem ſubjectarum, privilegiorum, ſtatutorum, ordinationum, uſuum & conſuetudinum, etiam antiquiſſimarum, ſeu Iuramentorum eorumdem Vaſſallorum, quæ omnia tanquam contra publicam utilitatem inducta tollimus & abrogamus, & eoſdem Vaſſallos à quibuſlibet juramentis ad effectum præfatum abſolvimus & liberamus. Conventiones autem & pacta quæ inter ipſos Dominos & Vaſſallos in cõſignatione, ſeu aſſignatione Terrarum interceſſerunt, dummodo juſta ſint & reciproca, & ex cauſa verè oneroſa, quæ ipſi Domini in Camera Apoſtolica deducere & exhibere teneantur infra menſem à die publicationis præſentium, obſervari debeant.

*Bannimenta circa Agriculturam non faciant.*

§ 4. Volentes etiam quod omnia edicta, proclamata, ordinationes & bannimenta, quæ ipſi Barones, Principes & Domicelli ad Annonam, & Agriculturam pertinentia, & illam quomodolibet concernentia hactenus fecerint, teneantur illa Cardinali Camerario nunc & pro tempore exiſtenti exhibere, & in futurum nulla edicta, ordinationes, & bannimenta ad Annonam, & Agriculturam pertinentia, ſub antedictis, ac etiam nullitatis & invaliditatis pœnis, facere poſſint.

*Clerici in Terris propriis Agriculturam licitè exercere poſſint.*

§.5. Statuimus etiã, quod Clerici, in caſalibus tamen propriis & non conductis, poſſint dictã Artem Agriculturæ per ſe vel alios exercere, & exerceri facere, nec eis vel eorum hæredibus per Cameram Apoſtolicã, ſeu illius Miniſtros objici, aut imputari poſſit quod illicitam negotiationem fecerint, aut ſpoliis alioqui ex cauſa præfata ſubjaceant. Declarantes dictam Artẽ Agriculturæ etiam ipſis Clericis in eorum caſalibus licitam, & permiſſam.

*Vituli naſcituri in mẽſe Martii, Aprilis & Maii pro tertia parte alantur.*

§.6. Et quia propter Artis Agriculturæ præfatæ intermiſſionem & deſuetudinem, boves apprimè cultivationi neceſſarii defecerunt, ut quanto citius eorum numerus ad neceſſariam quantitatem, & copiam augeatur & reducatur: Volumus & mandamus, quod omnes qui habent Armenta, ſeu Maſſaritias Vaccarum, teneantur alere ſeu ali facere tertiam partem omnium Vitulorum, qui in Martii, Aprilis & Maii menſibus quolibet anno naſcentur, tam marium, quam fœminarum pro æquali portione.

*Boves aratorii & juvenci non macentur.*

§.7. Et nullus macellarius juvencos, ſeu boves aratores, & qui apti ſint ad arandum, nec etiam vaccas niſi rejiciendas (quæ vulgo Cacciatore nuncupantur) ſeu veteres, & quæ pro maſſaria inutiles ſint, macellare poſſit ſub amiſſionis dictorum animalium, vel eorũ pretii, ſeu aliis arbitrio Camerarii, vel Præfecti Annonæ infligendis pœnis; & ſi Macellarii emerint Boves veteres, qui ad arandum ampliùs apti minimè reputentur, aliquis tamen illis ad arandum uti velit, teneantur Macellarii tales Boves eiſdem pretio convento vel ſoluto tradere & relaxare, & Dohanerii tam Boum quàm Vaccarum prædictarum Gabellam recipere & exigere minimè valeant ſub amiſſionis dictæ gabellæ, aliiſque arbitrio Camerarii, ſeu Annonæ Præfecti infligendis pœnis.

*Et de diſtrictu non extrahantur.*

§.8. Ac inſuper prohibemus ne extra Territorium, & diſtrictum Vrbis, Boves & Juvenci etiam bubalini abſque licentia extrahi poſſint, ſub pœnis amiſſionis dictorum Animalium per quoſlibet extrahentes, & pro qualibet vice incurrendis.

*Decretum irritans.*

§. 9. Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices, &c. ſublata, &c. judicari & definiri debere, irritum, &c. decernimus.

*Executores huius conſtit. deputantur.*

§.10. Mandantes dilectis filiis Camerario, & Annonæ Præfecto, & eorum cuilibet inſolidum, ut præſentes noſtras literas publicari, & ab omnibus inviolabiliter obſervari faciant. Dantes eis in præmiſſis & circa ea plenam & omnimodam, & eam, quam nos ipſi habemus, facultatem & poteſtatem, declarandi & decidẽdi ſi quid in præſenti noſtra Conſtitutione, declaratione & definitione opus eſſe videbitur, necnon quæcumque edicta, ſeu bannimenta pro præmiſſorum obſervatione, & executione neceſſaria & opportuna faciendi & publicandi.

*Clauſ. derog.*

§.11. Non obſtantibus conſtitution. & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Vrbis, Civitatum, Terrarum, Oppidorum & Villarum quarumcumque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, reformationibus & decretis, privilegiis quoque & indultis Apoſtolicis, Communitatibus, Vniverſitatibus, Baronibus, ac aliis præfatis à dicta Sede Apoſtolica, vel à nobis forſan conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, &c. illorum tenores, &c. illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præfatum ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sola Signatura ſufficit.*

§.12. Volumus etiam quod præſentium Sola Signatura etiam ſine data & regiſtratura ſufficiat, & tam in judicio quam extra, regula contraria non obſtante, plenam fidem faciant, & nihilominus literæ tam in forma brevis, ſub Annulo Piſcatoris, quàm ſub Plumbo cum clauſulis neceſſariis & opportunis, in ampliſſima forma expediri valeant.

*Papa ſubſcr. Publ. Pontif. An. 9. die 4. Decembr.*

Placet Motu proprio H.

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1600. indict. 13. die verò 4. menſis Decembris, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa VIII. Anno eius 9. ſupradictus Motus proprius affixus, & publicatus fuit in acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis, per me Chriſtophorum Fundatum Curſorem Apoſtolicum.*

*Gaſpar Bompiedi Magiſter Curſ.*

---

## LXXIII. Inſtitutio Collegii Scholarium nationis Scotiæ in Vrbe piè in orthodoxa fide, & bonarum artium ſtudiis inſtruendorum, cum redditüum aſſignatione.

*Edita An. D. 1600.*

*CLEMENS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Pontificis Studiũ, quod iuventus exterarum nationum, præſertim hæreticorum, in Vrbe piè in fidei cultu inſtruatur.*

IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſumma Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, ad ea per quæ non ſolùm Vrbis noſtræ, ſed exterarum quoque nationum, præſertim hæreticorum, & impiorum hominum pravitate ab orthodoxæ fidei ſemitis aberrantium, juventus in pietate ac optimis moribus & diſciplinis, ipſiuſque fidei cultu educari & inſtrui, necnon congruis redditibus ad vitæ ſubſidium, & neceſſitatum ſuarum ſublevamen confoveri valeat, libenter intendimus, ac in his paſtoralis officii noſtri curam & ſollicitudinem, etiam per unionis beneficiorum Eccleſiaſticorum miniſterium, vel alias, prout rerum & temporum ratio poſtulat, favorabiliter interponimus.

*Deſignatio loci in quo Collegium alumnorum Regni Scotiæ in Vrbe inſtitui poſſit ad profectum animarum dictæ nationis.*

§.1. Cum itaque ſicut accepimus Monaſterium S. Heliæ de Melicania S. Benedicti, vel alterius Ordin. Melit. diœceſis, quod bon. mem. Innicus Epiſcopus Portuen. Cardinalis de Aragona nuncupatus, ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica in commendam ad ejus curã dum viveret obtinebat, commenda hujuſmodi per obitum dicti Innici Epiſcopi & Cardinalis, qui nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, ceſſante, adhuc eo quo ante commendam ipſam vacabat, modo vacaverit & vacet ad præſens, ac in Scotiæ Regno, quod nobiliſſimum

mum exiſtit, & inter prima quæ fidem prædictam ſuſceperunt, numeratur, jampridem hæreſi labefactato non deſint Chriſti fideles, qui ſummis conflictati calamitatibus, fidem ipſam tamen retineant, & plerique ex eodem Regno proſcripti, & relegati ſub obedientia & devotione S.R.E. perſiſtentes, ad Vrbem prædictam, limina SS. Apoſtolorum viſitandi, dictamque Sedem amplectendi & recognoſcendi gratia, confluere ſoleant. In ipſa verò Vrbe nullus adhuc peculiaris locus, ad puerorum & adoleſcentium nationis Scotiæ hujuſmodi, qui parentibus orbati, aut à patria exules, vel bonis ſuis ſpoliati, neceſſario ſubſidio & ſpirituali pabulo indigent, receptionem & educationem, atque in pietate & Chriſtiana religione, necnon bonarum literarum ſtudiis inſtructionem conſtitutus reperiatur, ædes autem è conſpectu Eccleſiæ B. Mariæ de Conſtantinopoli nuncupatæ, regionis Trivii de dicta Vrbe, juxta viam publicam à duobus, & domum dilecti filii Michaëlis Sebaſtiani incolæ ejuſdem Vrbis conſiſtētes, & ad Cameram Apoſtolicam ſpectantes, quas dilectus filius Andreas de Spinoſa familiaris continuus commenſalis noſter ad præſens inhabitat, pro inſtituendo ibidem Collegio ad uſum & receptionem puerorum & adoleſcētium prædictorum inſervire poſſint. Nos fel. rec. Cæleſtini, & Honorii, aliorumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui præcipuam hujus nationis curam habuerunt, veſtigiis inhærere, ac inſigne pietatis opus hujuſmodi promovere volentes, & ſperantes omnino futurum, ut ipſius Collegii alumni tractu temporis multiplices fructus in dicto Regno ad animarum ſalutem producere, ac etiam eliminata hæreſi collapſum fidei prædictæ cultum, & avitam Religionem in ſua patria reſtituere debeant.

*Inſtitutio dicti Collegii nationis Scotia.*

§.2. Motu proprio, non ad ipſius Nationis, vel alterius pro ea nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, ac ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in ædibus prædictis unum Collegium, Nationis Scotiæ nuncupandum, in quo juvenes & adoleſcentes ejuſdem Nationis ad id idonei recipi, boniſque moribus ornari, ac vera pietate, ſanaque doctrina, & reliquis Chriſtiano homine dignis virtutibus inſtrui debeant, Apoſtolica auctoritate perpetuò erigimus & inſtuimus.

*Aſſignatio dotis.*

§.3. Illique ſic erecto & inſtituto Pro congrua ejus dote, ac commoda illius Rectoris, Oeconomorum, Magiſtrorū, Præceptorum & ſcholarium in eo pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, Monaſterium prædictum, quod cura animarum & Convent ucaret, ac cujus, & illi forſan annexorum fructus, redditus & proventus, centum & quinquaginta ducatorum auri de Camera ſecundùm communem exiſtimationem valorem annuū, ut etiam accepimus non excedunt quovis modo, quem etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet præſentibus haberi volumus pro expreſſo, & ex cujuſcūque perſona, ſeu per liberam ceſſionem cujuſvis de illius regimine & adminiſtratione in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſpōte factā vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit quod ejus proviſio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedē eandem ſpecialiter vel generaliter pertineat, ac de illo conſiſtorialiter diſponi cōſueverit ſeu debeat, necnon ſuper eiſdem regimine & adminiſtratione inter aliquos lis, cujus ſtatū etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa (dummodo tempore dat. præſentium prædicto Monaſterio, de Abbate proviſum aut illud alteri commendatum canonicè non exiſtat) cum annexis hujuſdi, ac omnibus juribus, membris & pertinentiis ſuis auctoritate & tenore prædictis etiā perpetuò unimus, annectimus & incorporamus. Ædes verò prædictas ſimiliter cum adjacentiis ac juribus & pertinentiis ſuis univerſis, necnon unam vineam prope & extra portam S. Sebaſtiani etiam de Vrbe, juxta bona dilectorū filiorū Actili Lucii Medici, & Petri Bolaëlis ac Antonii Mariæ de Fraſcato, ſeu forſan alios veriores confines poſitā, & olim ad quōdam Hugonem Grephenge, nunc verò dictam Cameram ſpectantes, ab ipſa Camera eiſdem auctoritate & tenore ſimiliter perpetuò ſeparamus & diſmembramus, illaſque ſic ſeparatas & diſmembratas, necnon quæcūque alia res proprietates & bona dicto Collegio per quoſcumque quomodolibet donanda, elargienda & relinquenda, eidem Collegio auctoritate & tenore ſimilibus pariter perpetuò donamus, concedimus, applicamus & appropriamus. Ita quod liceat ipſius Collegii Rectori, alumnis, Magiſtris, Præceptoribus & ſcholaribus pro tempore exiſtentibus corporalem, realē, & actualem dicti Monaſterii, illiuſque regiminis & adminiſtrationis, ac annexorum, juriumque, membrorū & pertinentiarum, necnon domus, vineæ, proprietatum, & aliorum bonorum prædictorum poſſeſſionē per ſe vel alium ſeu alios, eorum ac ejuſdem Collegii nominibus propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumēta ex eis proveniētia quæcumque percipere, exigere, levare, recuperare, locare & arrendare, ac in eorum cōmunes, ipſiuſque Collegii uſus & utilitatem convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita.

*Receptio ſub protectione Sedis Apoſtolica, cum exemptione à juriſdictione & ſuperioritate quorumcumque Iudicum & Officialium, ſolutionum quarumcumque gabellarum, &c.*

§. 24. Et inſuper Collegium prædictum, illiuſque Rectorē, Oeconomos, Magiſtros, Præceptores & ſcholares pro tēpore in eo exiſtētes, illorūque domeſticos, Officiales & Miniſtros, necnon ipſius Collegii bona mobilia, immobilia præſentia & futura, cujuſcumque qualitatis & quantitatis exiſtentia, ac tam in dicta Vrbe, quàm extra eam ubicūque locorū conſiſtentia, ab omni juriſdictione, dominio, ſuperioritate & poteſtate pro tempore exiſtentium Vicarii, Senatoris, Conſervatorum & Reformatorū dictæ Vrbis, necnon Rectoris dicti Studii generalis ejuſdem Vrbis, ac Ordinariorum locorum, aliorūque Judicum & Officialium quorumcūque in ipſa Vrbe, vel alias ubicumque conſtitutorum, necnon idem Collegium in propriis ſuis bonis & rebus ac dicti Collegii ratione, ſcholares, perſonaſquē in eo degentes, ac alios cum ipſo contrahentes, ab omnibus & ſingulis Portarum, Molendinorum farinæ, trium pro centenario, ac quatuor juliorum pro quolibet vegete vini ſolvi ſolitorū, aliiſque datiis pedagiis, vectigalibus, angariis, ac terræ mariſq; gabellis, dohanis, bollettinis, & quibuſcūque aliis oneribus ordinariis & extraordinariis, hactenus quomodolibet impoſitis, & in poſterum quandocūque quavis occaſione vel cauſa etiam de neceſſitate exprimenda imponēdis, etiam ad inſtar exemptionis dilectorum filiorum Clericorum dictæ Cameræ, etiam ratione Ripæ, Ripertæ, dohanæ terræ & Graſciæ, etiam Vrbis prædictæ, necnon carnium, vini, granorum, pannorum, lini, lanæ, ſerici, librorū, chartarum, & aliarum quarumcumque rerum ad humanum victum & veſtitum neceſſarium, ex toto Statu noſtro Eccleſiaſtico, & quibuſcumque aliis locis extra dictum Statum conſiſtentibus, ad dictum Collegium tam per terram, quàm per mare & aquam dulcem, & aliàs quomodolibet conducendarum, ac etiam jam ad urbem ipſam conductarū, & in ea exiſtētium, ac pro eodem Collegio in magna, ſeu parva quantitate, tam in Barcis quam in Magazenis & aliàs ubilibet emendorum, auctoritate & tenore prædictis itidem perpetuò eximimus & liberamus, ac ſub S. Petri & dictæ Sedis atque noſtra protectione ſuſcipimus, nobiſque & eidem Sedi immediatè ſubjicimus.

*Conceſſio omniū privilegiorū & gratiarū quibus gaudent ſtudiū generale Vrbis, & Collegia nationis Germanica, Anglia & Græca in eadem Vrbe inſtituta.*

§.5. Præterea Collegio, illiuſque Rectori, ſcholaribus, Præceptoribus, Magiſtris, Oeconomis, officialibus, miniſtris, & perſonis prædictis, ut quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis & indultias quibus ſtudium generale dictæ Vrbis necnon alia Germanicæ, Anglicæ, & Græcæ Nationum Collegia, in ipſa Vrbe inſtituta, illorūque Rectores, ſcholares, Præceptores, Magiſtri, Oeconomi, officiales, miniſtri, & perſonæ quovis modo utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurū, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter in omnibus & per omina uti potiri & gaudere valeāt, eiſdem auctoritate & tenore etiam perpetuò concedimus & indulgemus. Diſtrictiùs quoque inhibemus Vicario, Senatori, Conſervatoribus, & Reformatoribus Vrbis, ac Rectori Studii hujuſmodi, aliiſq; Iudicibus, officialibus, Præſidentibus & Clericis prædictis, necnon pro tēpore exiſtenti S.R.E. Camerario, & quibuſvis Cōmiſſariis ad executionem decimarum, aliorumque onerū prædictorum pro tēpore deputatis, ne quarumvis literarū eis ſub quibuſcūque tenoribus & formis conceſſarū prætextu,

*De ſtudio Vrbis vide inſtitutionem ſup. in Bonifacii VIII. conſt. 9. In ſuprema. lib. 1.*

*De dictis autem Collegiis inſtitutiones vide ſup. in conſt. Greg. XIII. n. 14. 20. & 42. lib. 2.*

textu, Collegium per præſentes erectum, ipſoſque Rectorem, ſcholares, Præceptores, Magiſtros, Oeconomos, officiales, & miniſtros hujuſmodi, ſeu eorum aliquem, in præmiſſis quovis modo moleſtent, aut moleſtari permittant.

*Deputatio Camilli Cardinalis Burgheſii in Protectorem d. Collegii cum facultatibus hic relatis.*

§. 6. Ut autem ipſius Collegii per præſentes erecti conſervationi bonoque regimini, tam in his quæ ad inſtitutionem & diſciplinam, quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaque hujuſmodi neceſſaria pertinent, opportunè cõſulatur, dilectum filium noſtrum Camillum tit. S. Joannis & Pauli Presbyterum Cardinalem Burgheſium nuncupatum, ejuſdem Collegii per præſentes erecti Protectorem & defenſorem, cujus conſilio & ope omnia ſupradicta, ac alia quæcumque ad eoſdem in ipſum Collegium per præſentes erectum admittendos, retinendoſque ſcholares ſpectantia, ac alias quomodolibet neceſſaria agantur, ſtatuantur & ordinentur, conſtituimus & deputamus, ac Camillo Cardinali, & pro tempore exiſtenti Protectori prædicto pro ejuſdem Collegii per præſentes erecti, illiuſque perſonarum, bonorum, rerum, jurium, tam ſpiritualium quàm temporalium ſalubri directione & conſervatione, Rectores, Præceptores, Magiſtros, Oeconomos, Advocatos, Procuratores, ceteroſque Miniſtros & Officiales in eo deputandi & amovendi, ac loco amovendorum alios ſufficiendi, necnon ſtatuta, ordinationes & decreta quæcumque, licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus & decretis Concilii Tridentini, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria faciendi & edendi, atque illa quoties pro eorum & temporum qualitate, ſeu alias expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, & etiam alia ex integro condendi, quæ poſtquam immutata, correcta, reformata, & condita fuerint; eo ipſo dicta Apoſtolica auctoritate confirmata & approbata ſint & eſſe cenſeantur, ac ab omnibus ad quos pro tempore ſpectabit, & ſub pœnis in contravenientes ſtatuendis obſervari debeant, plenam, liberamque facultatem tribuimus.

*Appoſitio clauſularum præſervativarum hujus inſtitutionis Collegii.*

§. 7. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula, ac præſentes literas nullo unquam tempore, etiam pro eo quod cauſæ propter quas hæc omnia facta ſunt, corã dicto Vicario vel quocũque alio examinatæ, verificatæ, & approbatæ, ac quicumque intereſſe habentes ad ea vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, ſive alias quibuſcumque cauſis, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocũque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu etiam revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, aut in jus vel controverſiã vocari, ſeu ad terminos juris reduci poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per nos & ſucceſſores noſtros Rom. Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem eandem, ſub quibuſcumque verborum formis & expreſſionibus, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi, vel confundi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub poſteriori data per Rectorem, Oeconomos, Magiſtros, Præceptores, ſcholares, & alios Miniſtros Collegii per præſentes erecti hujuſmodi pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda conceſſas eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere debere, nec quemquã ad eaſdem præſentes in Camera prædicta juxta conſtitutionem piæ me. Pii Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri deſuper editam, aut aliàs quãdocumque præſentandum, inſinuandum, & regiſtrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas eſſe, ſed omninò valere, ac ſi conſtitutio prædicta & alia contraria minimè emanaſſent. Sicque per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Deputatio executorum hujus conſt.*

§. 8. Quocirca dilectis filiis cauſarum Curiæ dictæ Cameræ Generali Auditori, ac Archidiacono Eccleſiæ Meliten, ac Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Melieñ in ſpiritualibus generali, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Protectoris, Rectoris, Oeconomorum, Scholarium, Magiſtrorum, Præceptorum, Officialium & Miniſtrorum Collegii per præſentes erecti hujuſmodi pro tempore exiſtentium, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter obſervari. Ipſoſque Protectorem, Rectorem, Oeconomos, ſcholares, Præceptores, Magiſtros, Officiales & Miniſtros illis pacificè frui & gaudere, non permittentes illos vel eorum quempiam deſuper quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper hoc habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio quorumcumque contrariorum.*

§. 9. Non obſtantibus Pii prædeceſſoris hujuſmodi & aliis præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & exprimendo vero valore, etiam beneficii cui aliud unitur, necnon Lateran. Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, & rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, qua cavetur ne quis extra ſuam Civitatẽ vel Diœceſim, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis, non ultra unam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à dicta Sede deputati extra Civitatem vel Diœceſim in quibus deputati fuerint, cõtra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere audeant vel præſumant, ac in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, & Univerſalibus Cõciliis editis ſpecialibus vel generalibus cõſtitutionibus, ordinationibus, necnon Monaſterii & Ordinis, ac Urbis, & Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, necnon Vicario, Senatori, Conſervatoribus, Reformatoribus, ordinariis judicibus, Officialibus, Camerario, Præſidentibus, ac Clericis prædictis, ac quibuſvis Dohaneriis, Commiſſariis, & aliis perſonis ad executionem Pedagiorum, aliorumque onerum hujuſmodi pro tempore deputatis, necnon dilectis filiis Populo Romano, ac quorumcumque locorum Communitatibus, univerſitatibus & hominibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſcumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facien. plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionẽ. Proviſo tamen, quod propter unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi, Monaſterium prædictum in ſpiritualibus non lædatur, & in temporalibus detri-

menta non ſuſtineat, ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo omninò, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1600. Non. Decembris, Pont. noſtri anno 9.

---

## LXXIV. Ordinationes circa acceſſum Regularium in Japonicas, & adjacentes Chinæ, & Indiæ Orientalis Inſulas, prædicandi, aut docendi cauſa.

*Edita A.D. 1600.*

### CLEMENS PAPA VIII.

*Vniverſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Exordium.*

ONeroſa Paſtoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis divina diſpoſitione commiſſa poſtulat, ut non ſolùm ad proximos, ſed etiam ad remotiſſimos Orbis Terræ populos mentis noſtræ aciem dirigentes, quæ ad illorum ſalutem, & Chriſtianæ Religionis propagationem pertinent, diligenter proſpiciamus.

*Gregor. XIII. Religioſos ſocietatis Ieſu, & non alios, ad Provincias Iaponiæ proficiſci iuſſit, prædicandi, aut docendi cauſa.*

§. 1. Alias ſiquidem poſtquam Chriſti nomen, & Evangelium in extremis omnium Terrarum Inſulis, Regionibus, & Provinciis Japonum annunciari, earumque populi pulſa ethnicæ ſuperſtitionis, atque errorum caligine, Chriſtianæ veritatis, ac fidei lumine illuſtrati cœperant, fel. rec. Gregòrius XIII. prædeceſſor noſter conſiderans, nullos verbi Dei prædicatores, præter Religioſos Societatis Jeſu, ad Regiones & Provincias prædictas penetrare, illoſque ſolos dictis Nationibus ejuſdem veritatis, ac fidei amplectendæ auctores, præceptores, ac veluti parentes fuiſſe. His & aliis, etiam tunc expreſſis cauſis adductus omnibus Patriarchis & Epiſcopis, etiam Provinciæ Chinæ & Japonis, ſub interdicti Eccleſiaſtici, & ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, ac Pontificalium exercitio, aliis verò Sacerdotibus, Clericis & Miniſtris Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam cujuſvis Ordinis regularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſterent, ſub excommunicationis majoris pœnis ipſo facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad eaſdem Regiones & Provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Chriſtianam docendi, aut Sacramenta miniſtrandi, aliave munia Eccleſiaſtica obeundi cauſa, ſine ſua, & Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia proficiſci auderent, prout in ipſius Prædeceſſoris deſuper in forma Brevis, ſub dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Januarii, Anno Domini 1585. Pontific. ſui Anno XIII. confectis literis pleniùs continetur.

*Eorum tamē multitudine aucta, dictorum Religioſorum numerus non ſatisfacit.*

§. 2. Cum autem, ſicut ex chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Portugaliæ, & Algarbiorum Regis Catholici relatione nuper intelleximus, tam Chinæ & Japonum, quam aliæ illis vicinæ, & adjacentes Inſulæ, Regiones, & Provinciæ, ac finitima Regna Indiæ Orientalis ampliſſima, & populis refertiſſima ſint, ac pro tanta animarum multitudine ad fidem Catholicam traducenda, & ſpiritualibus alimentis fovenda, plures operarii, ac Miniſtri neceſſarii ſint, quàm ex ſola ſupradictorum Religioſorum Societate Jeſu haberi poſſint, & idcircò operæ pretium eſſe videatur, etiam aliorum Ordinum, præſertim Mendicantium profeſſores doctrina inſignes, & vita ac moribus probatos, ad dicta munera obeunda illuc deſtinari, ut auctis ibidem agri Dominici cultoribus, ipſi etiam Chriſtianæ Religionis fructus augeantur.

*Hic ideò Pōtif. religioſos omnium Ordinum Mendicantium ad prædicta munera accedere poſſe indulget, facta à Superioribus ſuis licentia.*

§. 3. Nos pro officii noſtri debito ſuper præmiſſis providere volentes, dictarumque Gregorii prædeceſſoris literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, omnibus & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus generalibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, concedimus & impartimur, ut cùm neceſſitas poſtulaverit, quilibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ, & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prædicta officia, & miniſteria idoneos, & utiles fore in Domino judicaverint, per Luſitaniam dumtaxat, & ſuſcepta inde navigatione in Indias, & Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, & tam ipſi ſic tranſmittendi, quàm alii ſupradictorum Ordinum Religioſi in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum à ſuis Magiſtris, Miniſtris vel Prioribus generalibus, ſeu aliis Superioribus electi & approbati, tam ad Japonicas prædictas, quàm ad alias proximas & adjacentes, etiam Chinæ & finitimorum, & Terræ Firmæ Indiæ Orientalis Inſulas, Regiones & Provincias accedere.

*Superiores autem miſſiones iſtas utiles eſſe curent.*

§. 4. Monentes eoſdem Ordinum Mendicantium Magiſtros, Miniſtros, ſeu Priores generales, miſſiones hujuſmodi ita per eos fieri debere, ut futuræ ſint utiles, & fructuoſæ ad infidelium converſionem, & Chriſtianæ fidei propagationem, abſque ulla miniſtrorum inter ſe contentione, quæ ipſos infideles à converſionis propoſito avertat, & converſis ſcandali materiam præbeat.

*Miſſi vero enarrata hic obſervent.*

§. 5. Ipſi verò Religioſi cum ad Provincias, & loca aſſignata pervenerint, in illis obedientiæ ſuorum Superiorum, juxta eorum Regulas, & Conſtitutiones ſubjecti permanere, ibique verbum Dei prædicare, Sacramenta adminiſtrare debeant, ſub obedientia tamen circa prædicationem & adminiſtrationem Sacramentorum tantum, illius Epiſcopi, in cujus Diœceſ. prædicabunt, & Sacramenta adminiſtrabunt, liberè & licitè valeant, nec deſuper à quoquam moleſtari, perturbari vel inquietari debeant, & quandiu ibidem permanſerint, ac eis propria Provincia à ſuis Generalibus conſtituta non fuerit, de Provincia Indiæ Orientalis ſui cujuſque Ordinis ſint, ac eſſe cenſeantur.

*Religioſorum deſuper controverſias Epiſcopi cognoſcant, & graviora Papæ ſignificēt.*

§. 6. Quod ſi fortè aliquæ controverſiæ inter Religioſos dictarum Religionum (quod Deus avertat) oriantur, Epiſcopi locorum prædictorum pro tempore exiſtentes, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, illa decidant, ac terminent. Si verò graviora quædam negotia occurrerint, ea ad nos & Rom. Pontifices ſucceſſores noſtros quantocitiùs ab eiſdem Epiſcopis referantur, ut quod in illis ſtatui, ac decerni debeat, matura conſultatione adhibita provideri poſſit.

*Prohibitio ex inſulis Philippinis, & aliqua Indiarum Occidentalium parte tranſeundi in Inſulas Iaponicas.*

§. 7. Ceterùm omnibus, & ſingulis Religioſis cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis fuerint, ſub excommunicationis majoris, à qua non niſi à nobis, & Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, necnon privationis vocis, tam activæ, quam paſſivæ, ac dignitatum, adminiſtrationum & officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda ac exercenda, pœnis ipſo facto abſque alia declatione incurrendis interdicimus & prohibemus, ne ex Inſulis Philippinis nuncupatis, ſive qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium nunc habentur, parte ad illas pertinente, in Japonicas, ac alias illis proximas adjacentes, & finitimas Inſulas, Provincias & Regiones prædictas, etiam quorumcumque privilegiorum, eis vel ſuis Ordinibus à nobis & Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, in genere vel in ſpecie, etiam ſuper facultate prædicandi verbum Dei per univerſum Mundum hactenus conceſſorum, ſeu in poſterum etiam concedendorum, approbandorum & innovandorum, niſi in illis de præſenti prohibitione, & interdicto ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio cum ſufficienti derogatione fiat, aut quovis alio prætextu, & quæſito colore proficiſci, & tranſire audeant vel præſumant. Et ſi qui hactenus, vel in poſterum ſecus fecerint, poſtquam moniti fuerint, ſtatim ſub eiſdem pœnis, omni mora, & excuſatione ceſſante, ad dictas Inſulas Philippinas, vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti, & redire omninò teneantur, & ad id per quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ſub eiſdem, & aliis eorum arbitrio infligendis pœnis cogi & compelli poſſint.

*Iuſſio public. hanc bullā.*

§. 8. Mandantes propterea univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac ceteris Eccleſiarum & locorum, etiam Regularium Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentes literas in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Diœc. Capitulis & juriſdictionibus ab omnibus inviolabiliter obſervari, & quoties ab Ordinum prædictorum Religioſis requiſiti fuerint, ſolemniter publicari curent & faciant.

*Derogatio contrariorū.*

§. 9. Non obſtantibus interdicto & prohibitione, ac literis dicti prædeceſſoris, aliiſque præmiſſis, necnon Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus cōſtitutionibus & ordinationibus, necnon prædictæ Societa-

tis

ris Jeſu, aliarumque Religionum, Provinciarum & Regionum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Prælatis, Superioribus & perſonis, etiam particularibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, hac vice ſpecialiter & expreſsè, in quantum noſtris prohibitioni & interdicto, aliiſque præmiſſis adverſentur, harum ſerie derogamus, ac derogatum eſſe & cenſeri, neque illa eis ullatenus ſuffragari volumus & declaramus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides exemplorum.*

§.10. Et quia difficile foret præſentes literas ubicumque uſus venerit, oſtendi & publicari, volumus ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, vel alicujus dictarum Religionum Secretarii ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel cujuſvis ex Generalibus prædictis ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 9. die 12. Dec.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Decembris 1600. Pontificatus noſtri anno nono.

---

## LXXV. Reformatio Regulæ Congregationis Clericorum Regularium Miniſtrantium infirmis, in Hoſpitalibus & extrà degentibus.

*Iſtam Congregationem approbavit Sixtus V. ut ſup. in ejus conſtit. 25. Ex omnibus, lib. 2. Et iſtam Regulam primò conſtituit Gregorius XIV. ut ſup. in ejus conſt. 17. Illius, lib. 2.*

*Edita A. D. 1600.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, ad Apoſtolicæ dignitatis apicem ſublimati, ex debito paſtoralis officii nobis commiſſi, votis illis, quæ ad pauperum Chriſti infirmorum neceſſitates ſublevandas, ac felicem progreſſum ad hoc inſtitutarum Congregationum faciunt, libenter annuimus, & quæ propterea per Chriſti fideles piè facta & ordinata fuerunt, ut firma, perpetua & illibata perſiſtant, Apoſtolico munimine roboramus, aliaſque deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Sixtus V. iſtā Congregationem approbavit in eius conſtit. cit. in rub.*

§. 1. Dudum ſiquidem felic. record. Sixtus Papa V. certis cauſis adductus, ex certa ſua ſcientia Congregationem ſub vocabulo, ſeu nomine Miniſtrantium Infirmis in Urbe conſtitutam, per quaſdam in forma Brevis confectas literas confirmavit.

*Gregor. XIV. eius Regulā confirmavit ſuprà in eius conſt. 17. Illius, lib. 2.*

§. 2. Et deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XIV. prædeceſſor noſter, cum accepiſſet dilectos filios Camillum de Lellis modernum dictæ Congregationis Præfectum Generalem, & alios ejus ſocios, ad perficiendam & conſervandam unionem dictæ Congregationis quamdam vivendi formulam, juxta ea quæ ad propoſitum ſibi finem conducere uſu didicerant edidiſſe, dictam vivendi formulam Motu proprio per alias literas approbavit, prout in ſingulis prædictis.

*In qua particulariter declaratur,*

§. 3. In quibus, videlicet dicti Gregorii prædeceſſoris, inter alia ſtatutum fuit, quod paupertas dictæ Congregationis ita interpretaretur, ut religioſorum eſſet paupertas mendicantium eorum, qui nec ſinguli, nec univerſi fructus ullos, ac redditus caperent, quæ verò neceſſaria eſſent, ea ex humili exercitio oſtiatim emendicando, vel ex eleemoſynis fidelium eis ſponte oblatis compararent.

*quæ eſſet paupertas Confratrum.*

*Quodque eſſet officium Præfecti, & Conſultorū.*

§. 4. Præterea totius Congregationis Superioris Præfecti Generalis officium perpetuum eſſet, quoad viveret, ac Socios haberet quatuor, qui Conſultores dicerentur, quique pariter officium perpetuum gererent, dum Generalis Præfectus eſſet ſuperſtes.

*Et eſſet major numerus laïcorum quàm Sacerdotum.*

§. 5. Necnon, quod longè major eſſe deberet laïcorum, quàm Sacerdotum numerus, ac ii tantum Sacris ordinibus deſtinandi eſſent, quos Præfectus Generalis, & Conſultores, vel de eorum licentia alii Superiores, non aptos modò ad ipſos ſacros ordines, ſed etiam ad miniſterium dictæ Congregationis, ex conſtitutionum præſcripto congruentes ac neceſſarios judicarent, pleniùs continetur.

*Difficultates autem multæ ortæ ſunt circa regimen & regulam d. Congregat. Ideò de mādato huius Pont. infraſcripta reformatio conſtituta fuit.*

§. 6. Cum autem, ſicut accepimus, multæ difficultates hactenus circa formulam, & vivendi modum, & præſertim circa miniſterium, & ſervitium infirmorum, necnon regimen, gubernium, manutentionem, & conſervationem dictæ Congregationis ortæ eſſent, & res multò aliter atque putabatur eveniſſet, & propterea ſtatutis dicti Gregorii prædeceſſoris, quæ præſentibus expreſſa ſunt derogandum, ſeu illa, & forſan alia immutanda, ſeu abroganda in toto vel parte eſſent, dilectus filius Magiſter Antonius Seneca Notarius noſter, ac Prælatus Congregationis in Reformationis Apoſtolicæ, cui hoc univerſum negotium examinandum commiſimus, cum dicto Camillo, ac dilectis filiis Blaſio Oppertis, & Sanctio Cicatello, ac Octaviano Variano, & Chromatio de Martino Conſultoribus generalibus dictæ Congregationis ſtabilierūt, & nobis retulerunt, ſeu propoſuerunt unam formam ſequentium ſtatutorum, quorum tenor talis eſt.

*Confratres ſervire debēt Infirmis, tam circa ſpiritualia, quàm corporalia opera miſericordia ubique.*

§. 7. Cum omnis inſtituti noſtri ratio poſita ſit in operibus miſericordiæ, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus exhibendis, in iis præcipue quæ ſpectant ad ægrotos in Noſocomiis, carceribus, & privatis civium domibus laborantes, in Domino expedire judicavimus, ut Patres, fratreſque noſtri in Noſocomiis (ubi licebit, & commodè fieri poterit juxta conſtitutiones edendas) ægrotis, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus deſerviant, atque in eiſdem Noſocomiis dies nocteſque degant, & habitent: nunc verò Superiores noſtræ Religionis dabunt operam, ut à Noſocomiorum Gubernatoribus, ſeu Adminiſtratoribus dimittantur alii Sacerdotes & mercenarii miniſtri, quo facto, in eorum locum noſtri Patres & Fratres ſubſtituantur, ut in Noſocomiis diverſentur, & ſuccedant ad prædicta miſericordiæ tam ſpiritualia, quàm corporalia munera obeunda. Quod ſi aliquādo illud tempus incideret (quod Deus avertat) ut ad tollenda delictorum, vel diſſenſionum ſemina, quæ ex humana imbecillitate ſuboriri poſſunt, ſanctitas D.N. perpetuam illam habitationem, & ægrotorum curam, ut ſuprà dictum eſt, in aliquibus, aut in omnibus Noſocomiis removendam cenſeret, tunc Patres, fratreſque noſtri omninò obſtricti ſint, ac teneantur ſui inſtituti vim incolumem cuſtodire, quæ ſita eſt in eo, ut ægrotis ſpiritualiter & corporaliter deſerviant, cum ſolitis viſitationibus, ac excubiis nocturnis diurniſque, juxta conſtitutiones edendas.

*Et ſi hoc ſervitium in Noſocomiis fiat, Fratres non ſint ſubjecti Superioribus illorū, ſed ſuæ Religionis.*

§. 8. Ut autem hoc ægrotorum ſpirituale, & corporale ſervitium, & miniſterium conſtans & perpetuum ſit, ac quemadmodum religioſos decet, illud exequamur, Volumus, ut antequam in aliquod Noſocomium noſtri ad ægrotis inſerviendum recipiantur, inter alias conditiones, ac pactiones, quæ cum ejus loci Gubernatoribus, ac Dominis conveniendæ erunt, illa ſit præcipua, ne patres, fratreſque noſtri, qui ſuam operam circa illius loci ægrotos impendent, aliorum quorumcumque, etiam Superiorum, ac Dominorū eorumdem Noſocomiorum, quàm Religionis noſtræ obediētiæ ſubjecti ſint. Igitur ad nullum laïcorum auctoritas deferenda eſt præcipiendi noſtris, aut quoquo modo ſeſe ingerendi in ea quæ pertinere ad perſonas, miniſteriumque noſtrorum videbuntur. Quia verò prædictum miniſterium, & perpetua noſtrorum in Noſocomiis habitatio, non ex noſtræ Religionis voluntate, ſed ex Dominorum Præſidum & Gubernatorum externorum auctoritate dependet, idcircò ſtatuimus, ut ſi ob eam

quam

quam *diximus cauſam, dicti miniſterii noſtri munus exequi nequiverimus*, nihilominus tamen noſtra Religio obſtricta tenetur, ac inſerviendi Noſocomiorum ægrotis utroque miſericordiæ miniſterio ex inſtituti noſtri obligatione permaneat, ut ſupra demonſtratum eſt.

*Emittentes profeſſionem quatuor ſolemnia vota emittunt.*

§.9. Omnes & ſinguli Patres, fratreſque, qui poſthac ad habitum, & diſciplinam noſtræ Religionis admittentur, poſtquam emiſerint illa tria ſolemnia ceterorum religioſorum vota, Paupertatis videlicet, *Caſtitatis*, & *Obedientiæ*, debebunt quartum præterea ſolemne votum emittere, quo nimirum voto Deo promittant ſe infirmis, & præcipuè in Noſocomiis degentibus, in ſpiritualibus & corporalibus neceſſitatibus ſervituros, in quo tanquam in fundamento omnis inſtituti noſtri ratio conſtituta eſt: hoc verò quartum votum æquè volumus omnibus noſtris, tam Sacerdotibus, quàm fratribus eſſe commune, ſic ut omnes qui in hoc inſtituto Deo vitam ſuam dedicare voluerint, hujus quarti voti religione teneantur: ejus autem formula erit hæc, quæ ſequitur, càmque in Profeſſione facienda ſinguli pronunciabunt.

*Formula d. Profeſſionis.*

§. 10. Ego N. profeſſionem facio & promitto Omnipotenti Deo, coram ejus Virgine Matre & univerſa cœleſti Curia, ac omnibus circumſtantibus, & tibi admodum Reverendo Patri Generali Religionis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, locum Dei tenenti, & ſucceſſoribus tuis, (vel tibi Reverendo Patri Provinciali, vel Præfecto talis loci, &c. nomine & vice Præfecti Generalis, & ſucceſſorum ejus locum Dei tenenti) perpetuam Paupertatem, Caſtitatem & Obedientiam, & perpetuò inſervire, (quod eſt præcipuum noſtri inſtituti miniſterium) pauperibus infirmis, quos etiam peſtis inceſſerit, ſecundum formam vivendi contentam in literis Apoſtolicis noſtræ Religionis Miniſtrantium Infirmis, & in ejus conſtitutionibus, tam editis jam, quàm in poſterum edendis. Lecta profeſſione à novo Profeſſo, admittens ad profeſſionem dicat: Et ego N. auctoritate, qua fungor, accepto profeſſionem tuam, & unio te corpori myſtico noſtræ Religionis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Vel, Ego N. nomine, & Vice Reverendi Patris noſtri Præfecti Generalis, auctoritate qua fungor, accepto profeſſionem tuam, & unio te corpori myſtico noſtræ Religionis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

*Vota ſimplicia quotannis renovanda.*

§. 11. Illud præterea ſtatuimus, ut omnes & ſinguli Patres ac fratres, ſive qui nunc in Religione ſunt, ſive qui in poſterum futuri ſunt, poſt quatuor hæc ſolemnia vota, ſtatim & immediatè alia quæ ſequuntur ſimplicia vota emittant, quæ ſemel ſuſcepta ſemper obſervent, nec per quemcumque Jubilæum, etiam Anni Sancti, à Sanctiſſimo Domino Noſtro conceſſum, aut concedendum, nec ob cauſam quamcumque à ſequentibus votis ſimplicibus abſolvi poſſint, quæ de more quotannis renovare debebunt eo die, qui Sanctæ Crucis Inventioni ſacer eſt.

*Primum votum ſimplex non immutãdi præſcriptum modum inſerviendi infirmis in Noſocomiis.*

§.12. Primum igitur ſimplex votum eſt, quo ſpondent ſe nunquam acturos, nulloque tempore quantum erit in ipſis, aſſenſuros, ut mutetur vel alteretur præſcriptus ægrotis inſerviendi modus in Noſcomiis, tam in ſpiritualibus quàm in corporalibus, ut ſuperiùs dictum eſt, niſi juſtis de cauſis fieret, ut validiùs & vehementiùs adſtringendus (auctoritate tamen Apoſtolica) videretur.

*Secundum votum ſimplex non recipiendi adminiſtrationem redditũum Noſocomiorum.*

§.13. Secundum, ſe nunquam daturos operam, nulloque modo conſenſuros, ut reddituum adminiſtrationem aut Noſocomiorum dominium habeant atque poſſideant, quo majori cum animi puritate ſe totos in ægrotantium miniſterium ſpirituale convertant.

*Tertium votum ſimplex non procurandi Prælaturas.*

§. 14. Tertium, ſe nunquam curaturos, ne indirectè quidem, ut in aliquam prælationem, vel dignitatem in Religione, & neque acturos, nec quantum in ſe fuerit, conſenſuros, ut extra Religionem in prælationem aliquam vel dignitatem eligantur vel promoveantur, niſi ſub pœna peccati à ſummo Pontifice coacti.

*Quartum votum ſimplex manifeſtandi procurãtes eas.*

§. 15. Quartum, ſinguli promittent ſe Religioni vel Conſultæ generali manifeſtaturos, ſi quem ex noſtris ſcirent aliquid prædictorum duorum, prælationem videlicet, ſeu dignitatem intra vel extra Religionem curare, ſeu prætendere.

*Excommunicatio Papæ reſervata contra procurantes dominium, vel adminiſtrationem redituum Hoſpitalium.*

§.16. Quoniam verò noſtrorum religioſorum eſt, ceteris curis prætermiſſis, propter divinum dumtaxat amorem, nudo ac puro miniſterio miſericordiæ ſpiritualis pariter & corporalis erga ægrotos in Noſocomiis defungi, idcircò nequando noſtrum hoc inſtitutum convelli, aut labefactari poſſit, quo dominorum etiam Gubernatorum Noſocomiorum omnis ſuſpicio tollatur, decernimus ad validiorem firmitatem *hujus Ordinis obtinendam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cujus abſolutio Sedi tantum Apoſtolicæ reſervetur*, ne quiſquam ex noſtris Patribus & fratribus, ſive Generales ſint, ſive Conſultores, ſive Provincialis, vel quacumque dignitate fungens, ſive per ſe, ſive per alios, directè, vel indirectè recipere Noſocomiorum dominium, aut jus ullum, vel quamlibet eorum adminiſtrationem vectigalium, ſeu redditũum audeat, vel præſumat: immò quantum erit in ipſis, nunquam aſſentient, ut hujuſmodi curæ vel adminiſtrationes à Religione admittantur, cum nudum ac purum animarum & corporum ægrotantium miniſterium ſit tantummodò à noſtris amplectendum.

*Sacerdotum munus circa infirmos.*

§. 17. Quamquam Sacerdotes ex officio (quod illorum eſt proprium) ad Sacramenta Eccleſiæ adminiſtranda incumbere debebunt, utpotè ad ægrotorum confeſſiones audiendas, ad Sacratiſſimam Euchariſtiam conferendam, ad Extremæ Unctionis Oleum ægrotantibus adhibendum, ad Sacrum Miſſarum Sacrificium faciendum, ad mortuos ſepulturæ mandandos, & ad agonizantium animas diu noctuque Deo commendandas, tamen ut voto ſatisfaciant, quod corporale & ſpirituale miniſterium amplectitur, manus etiam ad aliquas corporales miſericordiæ functiones afferant, cujuſmodi ſunt illæ, ægrotantibus cibum ſubminiſtrare, pituitoſas linguas eorumdem detergere, ora colluere, confovere frigida membra, ceteraque hujus generis charitatis officia. Conceditur etiam iiſdem Sacerdotibus, (quibus tamen per Superiores licebit,) ut reliqua quoque fratrum miniſteria corporalia, quæ eorum propria ſunt officia, circa ægrotantium neceſſitates exercere poſſint.

*Fratrum miniſteria circa infirmos.*

§. 18. Item quoniam ad proprium fratrum officium pertinet infirmis in miniſterio corporali ſervire, videlicet ægrotantibus adeſſe, vigilias & excubias conſuetas peragere nocturnas atque diurnas, lectulos ſternere, mẽſas eſcarias apponere & amovere, cibos & fercula deferre, illos cibatu reficere, cibum ſi ſit opus in os ingerere, linguas repurgare pituitoſas, infirmos attollere, ſubditis ſi neceſſe fuerit ulnis, algentes calore confovere, medicatas potiones, ſyrupos & pharmaca ſuis temporibus offerre, corporis cauteria curare, Medicos, aut Chirurgos comitari, & cetera id genus officia præſtare, ut tamen ipſorum fratrum voto ſatisfiat, quo miniſterium etiam ſpiritualis miſericordiæ continetur (ad quem finem potiſſimùm omnia noſtrorum conſilia referenda ſunt, quandoquidem animarum curatio verus eſt inſtituti noſtri ſcopus) ideò fratres ad peccatorum exactam confeſſionem & communionem infirmos præparabunt, eoſque ad patientiam, & ad benè moriendum diſponent. Præterea quædam alia Sacerdotum propria miniſteria, à Superioribus tamen obtenta facultate, præſtare poterunt, uti pauperes infirmos Chriſtianam doctrinam docere, eoſdem in articulo potiſſimùm mortis ad fidei proteſtationes faciendas hortari, & agonizantium animas Deo commendare, aliaque ſimilia pietatis officia eiſdem impendere.

*Qui numerus iſtorum Miniſtrorum debeat ſtare in Hoſpitalibus, & qui ſæcularium mercenariorum.*

§.19. Atque ut faciliùs impleatur miniſterium noſtrum, quibus in Noſocomiis, vel propter rei familiaris anguſtias, vel propter aliam quamlibet difficultatem neceſſarius patrum, ac fratrum numerus ad prædicta charitatis officia obeunda ali & ſuſtentari non poteſt, cum major numerus noſtrorum eſſe debeat miniſtrorum mercenariorum numero, qui in ipſis Noſocomiis haberi ſolitus eſt, ſæcularium enim corpora robuſtiora ſunt, atque validiora quàm Religioſorum: ſtatuimus ut Pater Generalis & Conſultores vel Provinciales, ſeu alii Religionis Superiores diligentiam adhibendam curent, ut neceſſaria vitæ præſidia, victus, veſtituſque noſtris patribus & fratribus ſupra numerum prædictum mercenariorum in eiſdem locis degentibus ſubminiſtrentur. Decernentes præterea, ut miniſtri ſæculares, & mercenarii advocentur,

Noſoco

Noſocomiorum mercede conducti, ut molis onera tollant, graviorisque ponderis vaſa, vel ænea, vel lignea, crateres, curriculos, lebetes & labra, grabatos, culcitras palcatas, anaclinteria, accubitorias ſpondas tranſportent, prunas in clibanum, & in focum ligna componant atque ſuccendant, aquam potoriam excoquant, faſciculos, ſive ſarcinas indumentorum ægrotantium portent, ſordidas veſtes abluant, & ad fœminarum lavacra deferant, demortuos efferant, & ſepeliant, capſulas & unguentorum ac oleorum repoſitoria, Chirurgos atque unctores ſequendo circumferant, Noſocomiorum pavimenta verrant atque lavent, ænea, vel lignea vaſa tergant, polubra, matulas, catillos, & alia hujuſmodi purgamentorum vaſa egerant, nec quiſquam ex noſtris ad prædictum miniſteriorum genus exequendum teneatur, nec compellatur, cùm robuſtiorum opera ſint, quæ quidem à prædictis mercenariis melius exiguntur.

*Hi Miniſtri Officia hic enunciata in Hoſpitalibus non exerceant.*

§. 20. Statuimus etiam, ne quiſquam ex noſtris in Noſocomiis munere Unctoris, Clyſterarii, Coqui, Cannavarii, Diſpenſatoris, Cuſtodis veſtium, Pharmacopolæ fungatur, neque ſtultorum, ſeu dementium curam gerat, neque ceteris omninò hujus generis muneribus præficiatur. Quod ſi morbi difficultas aliqua major, vel alicujus gravioris impedimenti neceſſitas patreſque, fratreſque noſtros urgebit, ita ut explere officii ſui partes, & miniſterium hoc ſpiritualis & corporalis miſericordiæ exequi non poſſent, tunc ut in ſupplementum ad tempus Noſocomiorum impenſis mercenarii conducantur, quoad ea neceſſitas urgebit, qua cedente, ſuccedant iterum noſtri, mercenarii verò dimittantur.

*Continua habitatio fratrum in Hoſpitalibus, & eorum cõmutatio.*

§. 21. Conſtituitur etiam ut omnes & ſinguli tantummodo fratres, qui ægrotantium curæ in Hoſpitalibus deſtinati fuerint, debeant in eiſdem Hoſpitalibus in ſingulos menſes per tres hebdomadas commorari, habitare, degere, pernoctare, & alimoniam, ac cibum ſumere: at quartam verò uniuſcujuſque menſis hebdomadam in Profeſſorum noſtrorum Domibus, aut in locis animi relaxationibus aſſignatis, Præfecti arbitrio conſument. Permittitur tamen quod ſi aliquis ex prædictis fratribus pro ſua devotione, & pia voluntate voluerit totum ipſum menſem apud eoſdem Noſocomiorum ægrotos explere, id efficere poſſit ex dicti Præfecti licentia. Quod ſi accidet, ut in aliqua noſtrorum Domo major numerus degat, quàm Noſocomiorum miniſteria poſtulabunt, in hoc caſu liberum erit Præfecto illius domus fratrum vices permutare, quemadmodum, & quo tempore convenire judicaverit. In quibus Urbibus, Oppidis & locis (ut ſunt initia rerum recenter inchoatarum) noſtri nondum Domum formatam, ſed habitationem tantummodò intra Noſocomia habebunt.

*Sub obedientia tamen Superiorum Congregationis.*

§. 22. Volumus ut in his locis per id tempus diverſentur, & degant ſub Præfectorum, & aliorum officialium obedientia, quos ad hujuſmodi officia exequenda noſtra Religio in Domibus formatis creare conſueſcit.

*Qui depuputandi ſint in Hoſpitalibus, & à quibus.*

§. 23. At in quibus Urbibus, Oppidis, lociſque non ſolùm formatam Domum, ſed etiam certam habitationem noſtri in Noſocomiis habebunt, prædictarum Domorum Præfecti eligent Superiores, nimirum Sacerdotem unum, penes quem regimen & cura ceterorum Sacerdotum, ac fratrum in eiſdem Noſocomiis commorantium erit: fratrem item unum Infirmarium, cujus officium erit ceteris fratribus præeſſe in iis dumtaxat rebus, quæ ad functiones pertinent corporales circa ægrotos. Intelligat tamen dictus frater Infirmarius ſibi nullum jus eſſe datum cuilibet ex fratribus injungendi pœnas, quas ſi neceſſe fuerit, prædictus Pater exiget, qui patrum & fratrum omnium curam geret.

*Oblati recipi poſſunt abſque aliqua votorum profeſſione.*

§. 24. Nequando verò charitatis fervor intepeſcat, aut impediatur in noſtris fratribus in miniſterio pauperum ægrotantium deſtinatis, nec ſollicitudinibus domeſticis, nimiiſque occupationibus, (ut uſu multorum annorum comperimus) eorum ſpiritus obruatur, ſtatuimus ut ad hæc domeſticorum negotiorum, & famulariùm miniſteriorum munera peragenda, devoti ac pii homines ſub Oblatorum nomine cooptentur, qui ſine ulla votorum noſtrorum promiſſione, nec profeſſione, voluntarii ſe totos prædictis in Domibus noſtris miniſteriis impendant.

§. 25. Volumus etiam, Deo adjuvante, ut in illis dumtaxat Noſocomiis, ubi noſtris, ut ſupra dictum eſt, certus habitandi locus erit, Fœminis ægrotantibus Sacramenta diu noctuque noſtri adminiſtrent, ſed agonizantium prædictarum animas interdiu tantum, non noctu commendent, juxta conſtitutiones edendas.

*Fœminis ægrotantibus Sacramenta quomodo adminiſtranda.*

§. 26. Verùm quia patres & fratres, qui hoc tempore in Religione vivunt, ob ſuperiorum temporum labores infirmi, & quaſi inhabiles reperiuntur ad hæc onera modo præſcripto ſuſtinenda, ad quæ prius ex inſtituti obligatione minimè tenebantur, propterea decernitur, ut Præfecti, Superioreſque majores noſtræ Religionis diſpenſare debeant, ac teneantur cum omnibus prædictis patribus, & fratribus præſentibus, qui ad prædictos labores denuò adjunctos circa miniſterium ſpirituale, & corporale Hoſpitalium exequendos non ſeipſos aptos ſentient, nec habiles judicabunt. Decernentes tamen omnes patres, & fratres præſentes teneri miniſterium corporale, & ſpirituale ægrotantium in Hoſpitalibus dies nocteſque exequi, quemadmodum obſtricti tenentur illis patres & fratres, qui mittentur è noſtris Domibus ad ægrotis inſerviendum in Noſocomiis, in quibus tamen non habitant, ut ſuprà conſtitutum eſt.

*Capitulum generale ſexto quoque anno celebrandũ erit, & aderunt officiales hic enumerati.*

§. 27. Capitulum generale ordinariò ſexto quoque anno celebretur, cui Capitulo intereſſe debent Pater Generalis, Conſultores generales, Arbiter Conſultæ generalis, Procurator generalis, Secretarius dictæ Conſultæ & Provinciales, præterea ex ſuis quibuſque Provinciis ſinguli cum duobus ſociis vocalibus, quorum alter Sacerdos, alter frater erit à ſuis Provincialibus Capitulis electi & attributi. Statuimus etiam ut fratres profeſſi, qui hoc tempore in noſtra Religione vivunt, & ſacris ordinibus initiati, ſeu initiandi ſunt, eligi poſſint, & in hoc generale Capitulum convenire eo jure, quo patres: verùm in poſterum qui futuri ſunt, hujus juris erunt expertes, & in illis eligendis modus præſcriptus obſervandus eſt, id eſt unus Sacerdos, & unus frater.

*Generalis per ſex annos præfecturam geret.*

§. 28. Præfectus Generalis poſt mortem hujus, qui perpetuus eſt, ſex annos præfecturam geret, quæ quidem præfectura ſemel una tantum vice, cum auctoritate Summi Pontificis prorogari in alterum ſexennium poſſit, qui exacto generalatus ſexennii tempore, niſi ad aliud officii munus eligatur, ad ſuum privati, ſubditique locum redibit, nulla prærogativa, nulloque titulo honoris, aut nominis inſignitus.

*Conſultores generales ſexto quoque anno eligantur.*

§. 29. Ex quatuor Conſultoribus Patris Generalis duo Sacerdotes erunt, & duo fratres, qui quidem Conſultores id officium quemadmodum Generalis Præfectus ſexennium obtinebunt. Similiter etiam, ut ſuprà definitum eſt, quoad ſuperſtes erit præſentis temporis Præfectus Generalis, cujus item Generalatus perpetuus eſt, tam dictum Capitulum, quàm electio dictorum Conſultorum ſexto quoque anno facienda eſt.

*Electio quæ ſemper fiat in Capitulo generali.*

§. 30. Item decretum eſt, ut ſupradicti Pater Generalis, Conſultores & Arbiter Conſultæ, ſemper in generali Capitulo eligantur.

*Defuncto Generali, primus Conſultor erit Vicarius Generalis, &c.*

§. 31. Quod ſi Generalis intra prius triennium ſuæ præfecturæ mortem obibit, qui primus Conſultor generalis erit eo tempore, ſuccedat in ejus locum in tres illos priores annos, unius tantum ſuffragii jure, & Vicarii generalis nomine contentus, in Conſultoris autem ſuccedentis locum ſubſtituatur Arbiter, qui in ordine ſuæ proferendæ ſententiæ conſeſſus ultimum locum inter Conſultores Sacerdotes tenebit, circumactis autem prioribus tribus annis, Capitulum generale cogendum eſt, quo in Capitulo novi Generalis electio facienda eſt. At verò ſi intra poſterius triennium Generalis Præfectus è vita deceſſerit, decernimus ut idem primus generalis Conſultor Vicarii generalis nomen & perſonam gerat in ſex tantum menſes, quo tempore teneatur indicere & cogere generale Capitulum, in quo Generalis Præfectus creandus eſt. Simul illud adverti debet, ut quotieſcumque novi Generalis fiet electio, creari pariter debeant Generales Cõſultores, & Conſultæ generalis Arbiter, ex quibus ſi aliquis intra ſupradictum ſexennium deficeret, obſervetur quod in Capitulis generalibus ſtatutum, vel ſtatuendum erit.

*Definitores Capituli Generalis eorũque munus.*

§. 32. Præterea in Capitulis generalibus quatuor Definitores ex antiquioribus, & expertioribus Patribus,

& fratribus Capituli eligantur ex patribus Sacerdotes duo, totidemque ex fratribus, qui ſimul omnes unà cum *Patre Generali veluti Præſidente, debent examinare, perpendere, approbare, vel improbare res quæ ſuggerentur* ut ad Capitulum referri debeant, & nemini liceat, nec quiſquam poſſit quicquam ad Capitulum referre, quod non antè cognitum, examinatum & approbatum à ſupradictis Patre Generali, & Definitoribus fuerit. Quocirca poſt obitum hujus Patris Generalis, præter quatuor ſupradictos Definitores, eligendus erit etiam Præſidens Capituli, qui unà cum Definitoribus cognoſcet, expendet, approbabit vel improbabit res ad Capitulum aut referendas, aut ſecus, ad quas approbandas vel refutandas ea ratio ſuffragiorum habenda eſt, ut id fiat, quod major numerus ſuffragiorum faciendum eſſe cenſuerit.

*Superiores Religionis ſunt eligendi ex numero vocalium Sacerdotum.*

§. 33. Sancitur etiam ut Præfectus Generalis, Arbiter Conſultæ, Procurator generalis, Secretarius dictæ Conſultæ, Provinciales, Viſitatores, Præfecti Domorum profeſſarum, & Novitiatuum, & generalium Valetudinariorum, & Præſidens Capituli generalis omninò cooptentur, & eligantur ex corpore & numero vocalium Sacerdotum. At verò ceteri ſubordinati Officiales, cujuſmodi ſunt Miniſtri, ſubminiſtri, rerum domeſticarum Providitores, ac eleemoſynarum Procuratores, Sacriſtæ vel æditui, conſtitui poterunt ex numero fratrum, etiam non vocalium, dùmmodo propter has occupationes nihil earum rerum omittatur, quæ circa curam ægrotorum ex dictorum fratrum ſedulitate requiruntur.

*Conſultores Provincialium & Præfectorum.*

§. 34. Omnes Provinciales, item Præfecti Profeſſarum Domorum & Novitiatuum, & Valetudinariorum generalium, ſinguli binos Conſultores, Sacerdotem unum, alterum fratrem habebunt, quorum Conſultorum vota dumtaxat conſultiva erunt, non deciſiva.

*Fratres propriè dicuntur qui Sacerdotes non ſunt.*

§. 35. Animadvertendum tamen eſt, quoties mentio fit fratrum eligendorum, illos tantum fratres à nobis intelligi, qui ad Sacerdotium deſtinati non ſunt.

*Præcedentia quæ ſit inter eos.*

§. 36. Statuimus etiam ut inter fratres, ad quorum numerum referuntur omnes quicumque Sacerdotes non ſunt, nullus præcedendi & ſubſequendi ordo ſervetur, præterquam in Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus & localibus, in quibus habenda eſt ratio dignitatum & perſonarum.

*Præcedentia inter Sacerdotes.*

§. 37. Idem decernimus de Patribus, hoc eſt Sacerdotibus, hos enim tantummodò Patres appellari & nominari, & ſic in noſtra Religione intelligi perpetuò volumus, inter quos Patres nullum obſervabitur dignitatis, aut loci diſcrimen, nec præcedentia, niſi in ſupradictis Capitulis, in quibus ſi loquimur de Patribus, & fratribus præſentis temporis, primum ſententiæ locum, & primi loci dignitatem obtinebunt, qui Religionem priùs ſunt ingreſſi; ſi verò de futuris, præcedere debebunt, qui primùm profeſſionem ediderint.

*Examinatores Novitiorum, ipſorumque numerus & ſuffragia.*

§. 38. In Domibus profeſſis, in quibus Novitii erunt admittendi, quatuor examinatores Novitiorum eligantur à Patribus, & fratribus vocalibus ſimul, ſine ſuffragiorum diſtinctione, quorum Examinatorum duos Sacerdotes, & duos fratres eſſe oportebit: quod ſi evenerit dum de aliquo Novitio approbando ſuffragia feruntur, ut æqualis eſſet ſuffragiorum numerus, in eo caſu Præfectus quinti ſuffragii jus habebit, ad eamque partem accedet, quæ melius ſentire, & judicare videbitur, & quod ita conſtituetur, firmum erit.

*Ætas Novitiorum.*

§. 39. Nullus poſthac Novitius ad Religionem minor octodecim annis natu, nec quinque & quadraginta grandior admittatur, niſi tamen habito ad majorem aliquam, evidentemque Religionis utilitatem reſpectu, ſecus Patri Generali, ejuſque Conſultoribus videretur.

*Novitii exacto biennio ad ſtudia promoveantur.*

§. 40. At ſi cum aliquibus octodecim annis natu minoribus eſſet diſpenſandum, id nullo modo concedi debet, niſi quibus ſaltem ſextus decimus annus expletus erit. Ii porrò Novitii ad habitum Religionis admiſſi, ut ad ſtudia, ſi linguam Latinam intelligant, deſtinentur, poſtquam biennium in Novitiatu peregerint ad Religionis ſtudia promoveantur, quæ erunt Humaniores literæ, Logica & Caſus Conſcientiæ, quæ quidem ſtudia omni cum perfectione ſunt à prædictis addiſcenda, cùm illud præcipuè requiratur in noſtris, ut promptiſſimi, reſoluti, perfectiſſimique Caſuiſtæ ſint, præſertim quibus ex officio convenit Domi docere diſcipulos noſtros, & foris ſine ulla dubitationis hæſitatione *conſcientiæ nexus exſolvere, & Sanctiſſima Eccleſiæ Sacramenta fidelibus miniſtrare, cùm hoc potiſſimùm noſtri inſtituti* ratio requirat. Simul illud volumus ab iis qui vigeſimum primum annum excedentes ad Religionem admitti putent, ut in iis ea ſit literarum facultas, ut continuò poſſint ad Conſcientiæ caſus diſcendos applicari. Qui verò *Latiŋam linguam non intelligent*, in fratrum numerum literas non diſcentium cooptentur.

*Novitiorum biretum.*

§. 41. Nulli Novitiorum, tam eorum qui literis operam daturi ſunt, quàm eorum qui Domino in ſimplicitate *abſque literis* ſervient, *geſtare liceat* pileum quadratum Presbyteralem, quoad in Novitiatu legitimum tempus exegerit, fratribus ſacris ordinibus initiatis exceptis.

*Omne literarum ſtudium interdicatur Novitiis ante biennium.*

§. 42. Interdicimus præterea omnibus Novitiis, qui ſtudiis ſunt applicandi, ut ſupra diximus, omnem ſtudiorum tractationem, niſi Novitiatum ante peregerint, qui quidem exercitandi ſunt non ſolùm in functionibus ſpiritualibus, ſed etiam indiſtinctè in Noſocomiorum exercitationibus, juxta conſilium & auctoritatem Superioris, qui in Novitiis inſtituendis reſpicere & conſulere debebit inſtitutionis formulam illam, quæ ad Novitios in Domino & ſpiritualiter, & corporaliter dirigendos tradetur.

*Examen Novitiorū ſexto quoque menſe fiat.*

§. 43. Præfecti Domorum profeſſarum, cum ſuis Conſultoribus, item Examinatores & Magiſtri Novitiorum, ſi tamen erunt, cum Patre & fratre Infirmario Superioribus noſtrorum qui in Noſocomiis cohabitant, ſin minus prædicti abſque dictis Patre, & fratre Infirmario, ſexto quoque menſe congregentur, & in ſingulorum Novitiorum, quos inſtituendos acceperint, vitam & mores inquirant: deinde de ſingulis ſecreta vota deciſiva ferantur, ut illi dumtaxat in Novitiatu retineantur, aut inde dimittantur, quos retinendos, aut dimittendos votorum major pars in Domino judicaverit. Verumtamen Præfectis Domorum profeſſarum, aliiſque majoris poteſtatis Superioribus liberum eſſe volumus, ut è Novitiatu dimittere poſſint per ſeipſos, quos dimittendos cenſuerint, nullis initis ſuffragiis ceterorum, ſi intra quodlibet ſex menſium ſpatium in aliquo Novitio aliquod publicum vel occultum delictum comperezerint, aut aliud quodpiam impedimentum, quo ſatis conſtaret illum minimè futurum ad Religionem idoneum. Si tamen illorum examinibus intervenire Superiores majoris poteſtatis voluerint, hoc eſt Pater Generalis, Conſultoreſque generales, qui cum eo illo tempore reperirentur, aut Provincialis, aut Viſitator generalis, præmonitis antè Præfectis, tum illorum Conventus expectetur, etiamſi ſemeſtre ſpatium prorogandum eſſet, maximè verò ſi proximum profeſſioni ſemeſtre in illorum adventum incideret, ſi nimirum Superiores majoris poteſtatis cum ſupradictis Superioribus deputatis convenire debebunt ad ſuffragia ferenda, & quod major pars faciendum cenſuerit, id fiat.

*Habitatio Novitiorum communis.*

§. 44. Omnes Novitii, tam illi qui literis operam navare debent, quàm qui non debent, in Novitiorum Domibus habitabunt, atque hæc habitatio communis erit utriuſque ſtatus, & in Novitiatu communis omnium erit cura, & diſciplina, ſub regimine eorum, qui Magiſtri pariter & Præfecti, & Superiores illarum Domorum erunt.

*Quartum votum indiſtinctè emittendum abſoluto Novitiatu.*

§. 45. Omnes ii qui ad Religionem admittentur, abſoluto Novitiatus ſui tempore, ſi apti judicati fuerint, quartum votum ſolemne ægrotãtibus ſerviendi ſpiritualiter & corporaliter, ut ſuprà dictum eſt, indiſtinctè emittant, quo facto, ad id exeqnendum ſeſe accingant, quod Superiores, qui locum Dei obtinent, ipſis injungent.

*Fundatio domorum Novitiorum.*

§. 46. Novitiorum noſtrorum Domus in illis potiſſimùm Civitatibus, Oppidis & locis conſtituantur, ubi noſtra Religio commodum habebit in Noſocomiis habitandi locum, ut infirmis miniſtret. Relinquimus tamen Patri Generali & Conſultoribus generalibus, aut quibus ipſi mandaverint, liberam poteſtatem fundandi hujuſmodi Novitiatus in aliis etiam Civitatibus & locis, in quibus intra Noſocomia neque miniſterium, neque habitatio noſtrorum collocata eſſet, aut collocari poſſet, modò tamen in illis Civitatibus, Oppidis & locis Noſo-

comia

ſocomia repetiantur, in quibus noſtri integrè exercere poſſint inſtituti miniſteria.

*...s ſuffragii ...ivi, & ...ſſivi non ...tur ante ...ennium.*

§.47. *Nullus ex Patribus & Fratribus, qui noſtræ Religionis miniſterio ſeſe in poſterum mancipare voluerint,* jus utriuſque ſuffragii activi vel paſſivi conſequetur, niſi poſt decem annos in profeſſione tranſactos in bono exemplo, & mortificatione, ſi tamen habiles, idoneique judicabuntur à Patre Generali ejuſque Conſultoribus, qui ob Religionis neceſſitates diſpenſare poterunt cum iis, quos idoneos judicabunt, modò non prius id fiat, quàm poſt expletos quinque profeſſionis annos.

*...n omnibus ...mibus nu...erus Rel... ...ſ.ſſ praſi...tur ſecun...m eleemo...nas.*

*Idem juſſit ...D.N. Pau...s V. in con...it. 7 San...iſſimus.*

§.48. Statuimus, ne poſthac ulla in Domo, quæcumque illa ſit, & *cujuſvis Provinciæ*, major noſtrorū numerus alatur, quàm quotidianarum eleemoſynarum largitas patiatur, in numero verò noſtrorum conſtituendo illa cautio adhibenda ſancitur, ut in aliquibus locis plures Sacerdotes quàm fratres, & è contra in aliis, plures fratres quàm Sacerdotes conſtitui debeant, prout ipſorum locorum conditio poſtulabit, quo liberiùs & perfectiùs inſtituti noſtri miniſteria exequantur non ſolum in ægrotis Hoſpitalium in neceſſitatibus ſpiritualibus & corporalibus curandis, ſed etiam in iis viſendis qui ſparſim in civium privatorum Domibus, & Carceribus ægrotant, & in agonizantium animis Deo ritè commendandis: quod omninò obſervandum, & in Religione noſtra poſthac ſemper cuſtodiendum ſtatuimus, non obſtante clauſula Bullæ felicis memoriæ Gregorii Deciniquarti Pontificis Maximi, ad ea verba: Noſtri inſtituti ratio poſtulat, ut longè major eſſe debeat Laïcorum, quam Sacerdotum numerus.

*...ratres pro...ſſi pileo ...resbyterali ...i poſſint.*

§.49. Omnes profeſſi fratres, tam illi qui nunc vivunt, quàm qui venturi ſunt in Religionem noſtram, quadrato Presbyterorum pileo uti poſſunt, non autem tonſura Clericorum, iis exceptis, qui aliquem ordinem conſecuti, deinde ad Sacerdotium præparantur.

*...abitus om...um ſit uni...rmis.*

§.50. Tunica & pallium noſtrorum Patrum, & fratrum, ex ejuſdem qualitatis panno, eademque forma, & prolixitate eſſe debeant, induentes ſe uti pauperes & honeſti Sacerdotes.

*De habitu ...tat bulla ...ixti V. cit. ... rubr.*

*...onceſſio ca...acitatis ...nrumcum...ue redditu... ...t infirmo...um & Offi...ialium ſu...entatione.*

§.51. Etenim quia multorum annorum experientia compertum eſt, profeſſorum noſtrorum Domos alere, ſuſtinere, ac manutenere non poſſe Novitios, nec alios infirmos ad obeunda noſtri inſtituti munera inhabiles, ſancitur ut noſtra Religio poſthac in ſingulis quibuſque Provinciis poſſit erigere unum, vel plures Novitiatus, necnon unum, vel plura valetudinaria generalia pro noſtris profeſſis infirmis & inhabilibus, pro quorum dumtaxat Novitiatuum, & generalium valetudinariorum ſuſtentatione & manutentione, ipſa Religio capax ſit omnium bonorum ſtabilium, cenſuum, reddituum, legatorum & aliarum ſubventionum, tam temporalium, quàm perpetuarum. Generalis autem & Conſultores facultatem habebunt mittendi in dicta Valetudinaria generalia eos infirmos & inhabiles, quos ipſi, vel alii Superiores de eorum licentia judicaverint eſſe mittendos, modo & forma in conſtitutionibus præſcribendis. Statuimus etiam ex iiſdem Novitiatuum, & valetudinariorum redditibus, Præfectos, cæteroſque Officiales, ac perſonas eorundem locorum vivere debere.

*...na Reli...oni relicta ...rbitrio Ge...eralis, & ...onſultorum ...pplicentur ...ovitiati...us, & Va...etudinariis.*

§.52. Volumus autem, ut ex iiſdem redditibus Novitiatuum & Valetudinariorum generalium, eleemoſynæ nomine, ſi neceſſitas flagitabit, neceſſaria ſubminiſtrentur particularibus Domorum profeſſarum Valetudinariis. Præterea ſi religioni noſtræ donatione, vel teſtamento cenſus, redditus, ſtabilia bona, ſive mobilia, ſive alia quæcumque legata perpetua diſtributa, vel aſſignata, vel quoquo modo relicta fuerint, decernimus eorum bonorum dominii Religionem noſtram eſſe capacem, ad effectum dumtaxat eadem bona applicandi quibuſvis Valetudinariis generalibus noſtrorum profeſſorum, vel noſtris quibuſque Novitiatibus, arbitrio & judicio Patris Generalis, ejuſque Conſultorum.

*Domus au...em profeſſa ...e eleemoſy...is vivant.*

§.53. Animadvertendum eſt, omnes Domos noſtras Profeſſas debere tantū de eleemoſynis vivere, prout paupertatis noſtræ votum exigit, idcircò caveant noſtri profeſſi, ne prædictis Valetudinariorum, ſeu Novitiatuum redditibus, ſeu aliis quibuſcumque perpetuis fructibus alantur, niſi quibus permiſſum eſt, modo quo ſuprà.

*Perpetuā Miſſarū obligationes non recipiantur, niſi, &c. & tunc fiat inveſtitura ut hic, & applicetur ut ſuprà dictum eſt.*

§.54. Quotidianarum & temporalium Miſſarum obligationes facilè non ſuſcipiantur, ne noſtræ Domus intolerabili perſolvendi debiti neceſſitate graventur, quocirca perpetuæ neceſſitates, ſive obligationes ejuſmodi Miſſarum perſolvendarum ſuſcipi non poterunt à noſtris quibuſcumque, niſi Pater Generalis, ejuſque Conſultores propter aliquam evidentiſſimam utilitatem ſecus judicaverint. Explicamus tamen, legata aut bona quæ cum prædictis oneribus relinquentur, converti debere in tot cenſus, redditus, & bona ſtabilia, ut ſi perpetua obligationis Miſſarum neceſſitas fuerit, fructus etiam reddituum perpetuus eſto: quæ de re ad primum generale Capitulum plenam rationem referendam volumus, ad quod pertinere debet ea reſtituere quæ diximus bona, quotieſcumque minimè videretur expedire hujuſmodi perpetuis oneribus obligari. Quæ verò bona ſtabilia, ſive redditus ob illas Miſſarum neceſſitates & obligationes ad noſtros pervenerint, ea Pater Generalis, ejuſque Conſultores, applicandi aſſignandique poteſtatem habeant iis Valetudinariis noſtrorum, aut Novitiatibus, quorum majores videbuntur eſſe rei familiaris anguſtiæ.

*Patres poſſint in Eccleſiis fidelium cōfeſſiones audire, publicè ſermocinari, & omnia alia Eccleſiaſtica exercitia in illis exercere.*

§.55. Statuimus præterea, ut Patres qui ſenes ſunt, aut inhabiles ad *inſtituti* prædicti miniſteria, tam *in* hoſpitalibus quàm in privatis civium ægrotantium domibus atque carceribus impendenda, necnon Patribus qui ſuam hebdomadam in Hoſpitalibus, & ſui partes officii in agonizantium animabus commendandis expleverint (juxta conſtitutiones quæ ſuper his miniſteriis edentur) poſſint vacationis ſuæ diebus, de præfectorum, vel aliorum Superiorum facultate, in Eccleſiis fidelium confeſſiones audire, & in illis etiam publicè ſermocinari (non autem concionari) poſſintque alia devota Eccleſiaſtica exercitia in iiſdem Eccleſiis exercere, quas tamen exercitationes ad eum finem aſſumi, & dirigi volumus, ut velut mediis, & inſtrumentis neceſſariis promptiores, inſtructioreſque ad animarum & corporum ægrotantium ſalutem procurandam noſtri reddantur.

*Prohibetur diſpenſatio à miniſterio ſerviendi infirmis in Noſocomiis.*

§.56. Quam ob rem decernimus, ut Pater Generalis, ſive quicumque alius Superior, nulla cauſa poſſit cum aliquibus ex noſtris Patribus diſpenſare, ut ſuum diem, vel ſuam hebdomadam in miniſtrando Noſocomiorum infirmis intermittant, ut fidelium etiam quorumcunque benefactorum, vel benefactricum confeſſionibus audiendis operam dent, qui ſi confeſſariis noſtris uti volent, hoc modo contenti erunt. Quod ſi bina hæc pietatis officia ſimul in idem tempus inciderent, id eſt hebdomada vel dies, quo noſtri Patres in Noſocomia mittendi ſunt, & officium in Eccleſiis confeſſionum audiendarum, tunc potius confeſſionum officium, quàm Noſocomiorum miniſterium, omittendum eſt.

*Novitii à quibus recipiendi.*

§.57. Nullus ex Superioribus ad habitum noſtræ Religionis admittere poterit ullum Novitium, niſi facultatem expreſſam à Patre Generali, ejuſque Conſultoribus habuerit.

*Provinciæ à quibus dividendæ.*

§.58. Quorum etiam intererit diſpertire atque deſcribere Provincias, & Valetudinaria generalia, & Novitiatus itidem applicare, ſeu convertere & conſtituere, per quos adminiſtratores, & quo pacto ſupradicti Novitiatuum & Valetudinariorum generalium redditus, aliaque ſive mobilia, ſive ſtabilia bona, quæ noſtræ Religioni vel dono, vel teſtamento relinquenda ſunt, impenai & tractari debeant.

*Domuſque & Hoſpitalia à quibus admittenda.*

§.59. Similiter Patris Generalis, & Conſultorum erit admittere, ſive remittere quemvis locum, aut domum, aut Noſocomii cujuſlibet habitationem.

*Generalis eſt tollere dubitationes in prædictis.*

§.60. Simul illud explicamus & definimus, ad prædictos ſpectare declarationem, interpretationem, & deciſionem (non autem immutationem) earum rerum, de quibus ſuper prædictis omnibus vel capitulis, vel ſtatutis dubitatio fuerit orta.

*Statuta prædicta hic ... Pō ... confirmat.*

§.61. Cum autem hujuſmodi formam ſtatutorum à nobis examinatam ad proſperum regimen, & felicem progreſſum dictæ Congregationis, quem enixè exoptamus, neceſſariam & opportunam fuiſſe & eſſe cognoverimus, Nos dictarum literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac Camillum, & Blaſium, ac Sanctium & Octavianum, ac Chromatium prædictos, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis

& interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, Motu ſimili, non ad dictorum Camilli & Blaſii, ac Sanctii, & Octaviani, ac Chromatii, aut alicujus eorum deſuper nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula ſtatuta prædicta ſuperiùs expreſſa, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus. Ac omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint in eiſdem, ſupplemus. Illaque ab omnibus & ſingulis dictæ Congregationis religioſis, quovis officio, ſeu dignitate fungentibus, ubicumque exiſtentibus, præſentibus & futuris, integrè & cum effectu & ad unguem perpetuò & inviolabiliter obſervari mandamus, ac ſub privationis officii, necnon vocis activæ & paſſivæ, & aliis à Generali & Conſultoribus dictæ Congregationis in contrafacientes eorum libero arbitrio imponendis pœnis, ne quiſquam eorum illi contradicere, aut repugnare, vel adverſari directè, ſeu indirectè, quovis quæſito colore vel ingenio, aut contra illa, ſeu illorum aliquod quoquo modo tractare audeat, ſeu præſumat, diſtrictiùs inhibemus, illaque de novo quatenus opus ſit, eiſdem auctoritate, & tenore edimus & facimus.

*Conſtitutionem Gregorii XIV. & ſuã circa Novitiorum receptionem editas, & alias ſim les in partibus cõtrariis revocat.*

§.62. Necnon ſtatuta in literis ipſius Gregorii prædeceſſoris contenta, & ſuperiùs expreſſa hujuſmodi, ac quoddam noſtrum circa receptionem Novitiorum die 23. Martii, Anni Domini milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti, Pontificatus noſtri anno Tertio, edictum, ac quævis alia ſtatuta & ordinationes his proximis ſtatutis contraria, ſeu in toto vel parte repugnantia, aut illa immutantia, in perpetuum eiſdem auctoritate & tenore revocamus & abrogamus, ac revocata & abrogata eſſe decernimus, & illorum obſervationem prohibemus.

*Sixti V. & Gregorii XV. conſtitutiones in ceteris confirmat.*

§.63. Literis dictorum prædeceſſorum, ac noſtris prædictis aliàs in ſuo robore permanſuris, quas omnes & ſingulas ſuum omninò effectum aliàs ſortiri volumus, illiſque robur Apoſtolicæ confirmationis adjicimus.

*Clauſ. præſ. apponit.*

§.64. Decernentes eaſdem præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut quopiam alio defectu, etiam ex eo quod intereſſe habentes ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam revocari poſſe, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ Congregationis Superiores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari ac definiri debere, necnon irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores deputat.*

§.65. Quocirca venerabilibus Fratribus noſtris Oſtien. & Tuſculanen. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta Motu pari mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, ubi & quando expedierit, ac quoties pro parte Præfecti, & Sociorum dictæ Congregationis fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eoſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia obſervari. Non permittentes Præfectum ac Socios prædictos deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari. Contradictores prædicta auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Contrariis derogat.*

§.66. Non obſtantibus recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, qua inter alia cavetur expreſsè, ne quis extra ſuas Civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ Diœc. ad judicium evocetur, ſeu ne Judices ab eadem Sede deputati, extra Civitatem & Diœc. in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo aliquis auctoritate præſentium ultra tres dietas ad judicium non trahatur, ac dictorum Sixti, & Gregorii prædeceſſorum, ac noſtris literis, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptis credi juſſit.*

§.67. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctionem pœnalem adjicit.*

§.68. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam abſolutionis, approbationis, ſuppletionis, mandatorum, inhibitionis, facti, revocationis, abrogationis, decretorum, inhibitionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. 4. die 29. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo, quarto Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno nono.

---

## LXXVI.

## In cauſis ad Sanctam Inquiſitionem hæreticæ pravitatis ſpectantibus Judices, & Officiales gratis omnia expediant. Et mandata Univerſalis Inquiſitionis Romanæ omninò exequantur, ejuſque literis quamprimùm reſpondeant.

*De inſtitutione hujus Congregationis Univerſalis Inquiſitionis vide ſup. in Pauli III. conſt. 34. Licet ab, lib. 1. Et de ejuſdem facultatibus habes etiam in conſt. 74. Sixti V. Immenſa, in Congregat. 1. lib. 2.*

*Edita A. D. 1601.*

Huic autem conſtitutioni conſonat bulla 1. Pii V. Sanctiſſimus, lib. 2.

*Officiales Sanctæ Inquiſitionis gratis omnia expediant.*

SAnctiſſimus Dominus Noſter volens, ac intendens providere, ut cauſæ & negotia quovis modo ſpectantia ad Sanctam Inquiſitionem cognoſcantur & expediantur omni qua decet integritate, amotis quibuſvis ſordibus, ac pecuniariis ſolutionibus, ſtatuit & decrevit, ut in poſterum omnes Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac quivis Eccleſiarum Prælati, ſeu inferiores Ordinarii, eorumque Vicarii & Officiales in cauſis & negotiis Sancti Officii, pro examine teſtium, ſeu principalium reorum, pro ſportulis ſententiarum, pro quovis decreto, ſeu actu, ſeu quacumque expeditione nihil omninò exigant & recipiant, etiam à ſponte dantibus, ſed gratis omnia expediant.

*Secretarii & Notarii nihil recipiant in his quæ mittunt ad Inquiſitionem Romanam.*

§.2. Ac eorum Secretarii, Cancellarii, & Notarii pro ſcripturis proceſſuum informativorum, ſeu repetitionis teſtium Fiſci, quas mittunt ad Sanctam & Univerſalem Inquiſitionem Romanam, nihil penitus exigant, ſed gratis illas mittant.

*Omnes quamprimùm literis d. Inquiſitionis reſpondeant, & mãdata exequantur.*

§.3. Inſuper mandavit omnibus ſupradictis, eorumque Vicariis, & Officialibus, ut cùm aliquid eis ſignificatur, nomine ſupradictæ Inquiſitionis, quamprimùm literis reſcribant, & negotia injuncta exequutioni demandent.

*Hoc decretum affixum retineatur, & in Archiviis regiſtretur.*

§.4. Et hoc Decretum, tam ipſi Prælati inviolabiliter obſervent, quàm ab aliis obſervari curent, & ejus exemplaria in eorum Cancellariis affixa retineri, ut omnibus innoteſcat, & in Archiviis regiſtrari faciant, ſub pœna indignationis Sanctiſſimi Domini noſtri, & aliis arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis.

*Decreta A. 9. die 5. Ian.*

§.5. In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum, coram Sanctiſſimo D. ac Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, adverſus hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, Nonis Januarii, Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1601. Quintilianus Adrian. Not.

Canonizatio

LXXVII. **Canonizatio S. Raymundi Barcinonenſis, profeſſoris Ordinis FF. S. Dominici, ejuſque relatio in numerum SS. Confeſſorum. Et inſtitutio ſuæ feſtivitatis pro die 7. menſis Januarii.**

*[illegible]lia A.D. 1601.*

*CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

ROmana Catholica Eccleſia, quæ ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu ædificata, divinitus à Spiritu ſancto regitur, & ineffabili ejus æternæ ſapientiæ providentia mirabiliter gubernatur, in eadem unitate fidei & doctrinæ veritate, quam à Chriſto ſuo ſponſo, & Apoſtolo accepit, perpetua conſenſione perſeverans, à Deo Patre miſericordiarum continuis gratiæ cœleſtis benedictionibus cumulatur, ac veluti fœcunda mater multiplici ſanctorum prole aucta eorumdem meritis ac virtutibus illuſtratur. Atque hanc fidei Catholicæ unitatem unus, idemque ſpiritus per multas gratiarum diviſiones in corpore Chriſti, cujus nos membra ſumus, antea operatus eſt, & nunc etiam operatur. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, qui unum Dominum, unam fidem, unum baptiſma prædicarunt, ac veritatem facientes in charitate, creverunt in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum eſt per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri. Præcipua verò hujus myſtici corporis membra ſunt viri ſáncti, quos elegit Deus, & prædeſtinavit in vitam, qui eandem fidem ſemper tenuerunt, & pro ejus defenſione legitimè certantes adepti ſunt repromiſſiones, & in cœlis coronari meruerunt.

*Omni tempore quo Eccleſia Catholica Tyrannorum & hæreticorum perturbationem paſſa eſt, Deus ſuſcitavit aliquem Sanctũ qui fidem propagavit.*

§.1. Hujus autem fidei unitatem, in qua unum corpus in uno ſpiritu efficimur, jam ab ipſius Eccleſiæ naſcentis initio ad hæc uſque tempora, Principes & Poteſtates tenebrarum multis hæreſum procellis, ac turbinibus excitatis, labefactare & convellere tentarunt, ſed divina Chriſti ſapientia, qua Eccleſiam ſuam ſupra firmam petram fundavit, adverſus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt, potenti ſua dextera eam ſemper defendit, & uſque ad conſummationem ſæculi conſervabit. Atque in hoc admirabilis Dei providentia maximè elucet, quod omnium penè ſæculorum ætatibus, & iis præcipuè temporibus, quibus religio catholica Tyrannorum atrocitate, & hæreticorum perfidia impugnata eſt, invictos martyres, athletas fortiſſimos, glorioſos confeſſores, & viros ſanctos, magnos in virtute, ac prudentia præditos, adverſus Tyrannorum ſævitiam, atque hæreticorum iniquitatem excitarit, qui ſuo ſanguine fidem Chriſtianam decoratam, ac vitæ integritate, doctrinis, virtutibus & miraculis confirmatam latiſſimè propagarunt.

*Raymundus Barcinonenſis Ordinis S. Dominici vir Sanctus, & virtutibus plurimis ornatus multos Infideles ad fidem reduxit.*

§.2. Ac ſuperioribus quidem ſæculis ex glorioſi Patris Sancti Dominici familia Beatus Raymundus à Peniafort Barcinonenſis extitit, qui amator veræ ſapientiæ, quæ nunquam marceſcit, ſpretis omnibus mundi divitiis dives factus eſt in gratia Dei, quæ data eſt in Chriſto Jeſu in omni verbo & ſcientia, dives in humilitate & virtute, dives in bonis operibus, in quo denique Deus oſtendit abũdãtes divitias gratiæ, & gloriæ ſuæ. Nam vocavit eum in partem ſortis Sanctorum, & implevit agnitione voluntatis ſuæ in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, ità ut plenus Spiritu ſancto & fide, in medio Regum & Magnatum ſapientiam lòqueretur, non ſapientiam hujus ſæculi, neque Principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur, ſed Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt à ſapientibus hujus mundi, & revelata parvulis, nimirum verus Dei miniſter in paupertate, in omni patientia, in orationibus, in laboribus Dei gloriam quærens, ac myſterium fidei in conſcientia pura fidelibus, & infidelibus ſumma charitate patefaciens, permultos in cæcitate cordis à via ſalutis aberrantes, verbo veritatis & innocentia vitæ in rectam mandatorum Dei ſemitam traduxit, & adverſus hæreticorum impetum & audaciam, ſe tanquam murum fortiſſimum & inexpugnabilem oppoſuit.

*Gratia curationum & vita [illegible]*

§.3. Inſuper Deus, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, dedit ei gratiam curationum, ac ſanctitatem ejus in virtute Spiritus ſancti, per ſigna & prodigia, cum in ejus vita, tum poſt obitũ ita manifeſtavit, ut ejus gloria per ampliſſima Hiſpaniarũ Regna permanarit. Hæc enim eſt ſumma Dei benignitas, qua ſanctos ſuos, qui in contẽplatione bonorum, in omni rerum humanarum deſpicientia, & in Cruce Domini noſtri gloriãtes, in hac vita ejus laudem & honorem amplificarunt, nunc eoſdem glorificans, à quibus ipſe honorificatus eſt, veluti quadam viciſſitudine honoris, omnium bonorum felicitate in cœlis remunerat, & tribuit eis nomen ſempiternum, quod nunquam interibit. Quamobrem ad eorum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum hujuſmodi homines averſos ab honoribus, in tribulationibus, in anguſtiis tantam adeptos eſſe gloriam videamus, ut ſua tenuitate & humilitate, omnium Regum amplitudinem, omnem hujus mundi exiſtimationem, & dignitatem longè ſuperarint. Nam diverſæ ſunt viæ Dei à viis hominum, qui in vanis cogitationibus & curis inanibus occupati loquuntur ſublimia gloriantes. Deus autem ſedes Ducum ſuperborum deſtruxit, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra, memoriam verò humilium ſenſu reliquit, & maximis honoribus, ampliſſimiſque monumentis conſecravit.

*Miraculis claruit, [illegible] mox [illegible]ſentur.*

§.4. Quare Beatum Raymundum meritò laudamus, & Deum in eo benedicimus, qui ſingularibus gratiarum donis, & ſummis virtutibus eum ornavit, de cujus vita, morum ſanctimonia, fidei puritate, & admirabilium ſignorum multitudine pauca ſolùm ad communem totius Eccleſiæ utilitatem proponimus, ut omnes intelligant quibus tandem ille gradibus in cœlum aſcenderit, ac Deo gratias immortales agant, ejus nomen in Eccleſia Dei publico hoc noſtro, & Sedis Apoſtolicæ decreto numero Sanctorum fuiſſe adſcriptum.

*Oriundus ex Barcinona.*

§.5. Beatus Raymundus Barcinonenſis, ex nobili familia de Peniafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Chriſtianæ rudimentis imbutus, jam magnum aliquid portendere videbatur, cum eſſet eximia corporis & animi indole, & naturæ quodam inſtinctu ad virtutem & pietatem in dies magis propenderet.

*Plures gratis docuit.*

§. 6. Adoleſcens humaniores literas tam avidè arripuit, ut exiguo tempore maximos progreſſus fecerit, & eas artes, quas planè didicerat, Deo adjuvante, ſumma cum laude plurimos Barcinone gratis docuerit.

*Bononiam proficiſ[illegible], ubi publice docuit, & creatur [illegible] publicè [illegible] canones.*

§.7. Atque ut è talentis ſibi à Domino concreditis lucrum faceret ampliſſimum, Bononiam, velut ad commune bonarum artium domicilium, & diſciplinarum emporium, profectus eſt, ubi tempus ſibi ad negotiationem ſapientiæ datum, non inſumpſit in vanis, & carnalibus deſideriis, quibus ætas illa juvenilis à ſtudio virtutis abripi ſæpè ſolet, ſed pietatis officiis, ac Pontificio, civilique juri toto pectore incubuit, ac tandem Doctoris laurea, cæteriſque doctrinæ inſignibus decoratus, ſacros Canones publicè magna cum omnium admiratione abſque ullo ſtipendio eſt interpretatus, cui poſtea cum Senatus Bononienſis ob præclaram ejus eruditionem honorarium ex ære publico decreviſſet, ipſe labores ſuos Domino ſanctificans, datæ ſibi à Senatu pecuniæ, omniumque rerum quas ſua induſtria comparaſſet, Deo in primis, ac ſuo Parocho Decimas fideliter offerebat.

*Creatur Canonicus Barcinonenſis.*

§.8. Quo in munere docendi cum aliquot annis egregiam navaſſet operam, & jam ejus eruditionis fama per Italiam increbuiſſet, Berengarius Barcinonenſis Epiſcopus ejus virtutibus, ac ſcientia permotus, Roma ſuam ad Eccleſiam rediens, Bononiam iter inſtituit, ubi Beatum Raymundum convenit, ac multis ultro citroque ſermonibus habitis, Berengarius virum admiratus, ac ſecum ipſe reputans eum ingenti Eccleſiæ ſuæ ornamento & utilitati futurum, vehementer inſtitit, ut ſecum ad Eccleſiam Barcinonenſem, ubi educatus fuerat, reverteretur: quod tandem magnis ab eo precibus obtinuit, quem etiam aliquanto poſt ejuſdem Eccleſiæ Canonicatu, & quadam Præpoſitura addita ornavit. Hoc beneficio, & dignitate auctus, omnibus Canonicis, & univerſo illius civitatis populo integritatis, ac doctrinæ ſplẽdore præfulgebat, eratque tanta ejus in omni geſtu motuque corporis modeſtia, & totius vitæ conſuetudine ſuavitas, ut omnium ætatum atque ordinum homines in amorem ſui raperet & admirationem. Deiparam Virginem ſingulari pietatis affectu

venerabatur, ejuſque honorem & cultum pro viribus ſemper auxit.

*Annunciationis Beatæ Mariæ feſtum ſolemniter celebrari curat.*

§. 9. Nam cum feſtus Annunciationis ejuſdem Virginis dies ea in Eccleſia minus celebris haberetur, ipſe ab Epiſcopo & Capitulo impetravit, ut duplici ritu ſolemniter perpetuò coleretur, atque ex Præpoſituræ ſuæ redditibus cenſum annuum attribuit Canonicis in diſtributiones erogandum, qui ſacris officiis eo die interesſent.

*Magna fuit apud omnes B. Raymundi auctoritas, & ſanctitatis opinio.*

§. 10. Magnam hac ratione apud omnes auctoritatem & ſanctitatis opinionem ſibi conciliarat, totiuſque civitatis oculos, animoſque omnium, ac præcipuè Prælatorum & Principum in ſe converterat, cum inanem mundi gloriam inſtar fœni areſcentis decuſſo flore marceſcentem apud ſe ipſe contemnens, ad ſublimiorem vitæ ſtatum aſpiraret. Venerant tunc in eam urbem recenter Fratres Ordinis Prædicatorum, qui Apoſtolicum in morem Evangelium Chriſti prædicando populum docebant, & ad cultum Dei, ſtudiumque pietatis incitabant, quorum uſu & conſuetudine primùm delectari Beatus Raymundus, deinde etiam ad idem vitæ inſtitutum amplectendum vehementer cœpit inflammari: neque anceps ea difficiliſve cogitatio fuit. Nam inclinatum ejus animum in via ſalutis ambulantem, ſpecioſi illi pedes evangelizantium pacem, in montem Domini, perfectionis nimirum Evangelicæ apicem, facilè deduxerunt.

*Ordinem Fratrũ Prædicatorum ingreditur, & in eo profeſſionẽ emittit.*

§. 11. Itaque jam matura ætate annum circiter quintum ſupra quadrageſimum agens, abdicatis honoribus, ſpretiſque omnibus divitiis, aſſumpſit pennas ut columbæ, atque in requiem Domini evolans, in Ordine Fratrum Prædicatorum ſolemnem profeſſionem emiſit. Quod ut omnibus admirationi fuit, hominem genere nobilem, doctrina præſtantem, affluentem bonis, dignitatis & fama celebrem, ſuſcepto religioſæ vitæ inſtituto, ſpontaneam paupertatem opibus, ſuique contemptum honoribus & commodis prætuliſſe: ita ejus exemplo complures literati, ac ſtudiis, doctriniſque dediti, nobiles viri eundem Ordinem ſunt amplexi, ac propterea magnum ea Religio in dicta civitate ſuſcepit incrementum.

*Præcipuas Religioſorum virtutes amplectitur.*

§. 12. Hic jam novus Chriſti miles adverſus humani generis hoſtem fortiter dimicare apud ſe ſtatuens, ac turrim æternæ ſalutis ædificans, ut ſapiens architectus, humilitatis religioſæ, quæ ceterarum eſt parens cuſtoſque virtutum, fundamenta jacere decrevit.

*Humilitatis fuit tenaciſſimus.*

§. 13. Itaque etſi omnibus eruditione & prudentia antecellebat, hoc tamen ipſo demiſſiùs ſentire de ſe, aliis omnia, ſibi nihil tribuere, ſingulos honore debito proſequi, denique libentiùs deliteſcere quàm in lucem prodire conſueverat, cujus ille virtutis tenaciſſimus in omni vita fuit: & quoniam obedientia humilitatis vita eſt, ad hanc tuendam atque conſervandam, exemplo mediatoris, & Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, vir juſtus die ac nocte meditabatur obedientiam, ac ſepulto propriæ voluntatis arbitrio, mortuus huic ſæculo vitam cum Chriſto in Deo abſconderat, ac totus à ſuperiorum nutu pendebat.

*Paupertatem toto pectore amplexus eſt.*

§. 14. Beatam paupertatem regni cœlorum præmio dignam, & Chriſti ore laudatam, toto pectore amplexus eſt, ac eam veluti fraternæ pacis fundamentum, munditiam vitæ, curarum hujus mundi abdicationem, proximam denique, & quaſi compendiariam ad Deum viam ſtudioſiſſimè ſemper coluit, ac ſemetipſum, tanquam aurum igni probatum, in camino paupertatis expurgabat.

*Caſtitatis amantiſſimus fuit.*

§. 15. Caſtitatis, quæ cœleſtis & Angelicus theſaurus eſt, amantiſſimus fuit, ac præcinctus lumbos, & lucernam boni operis in manibus habens, eam in fictili corporis vaſe, in ſanctificatione, & honore portans, incorruptam & integram uſque ad extremum vitæ diem conſervavit.

*Dei Matrem intemeratã Virg. Mariã aſſiduè invocabat.*

§. 16. Et qua erat in Dei Matrem, & intemeratam Virginem Mariam pietate, in cujus fidem & clientelam ſe jamdiu antè contulerat, nullum firmius ad dæmonis vires conterendas, quàm ejuſdem Virginis præſidium inveniri poſſe certum exploratumque habens, ejus patrocinium aſſiduè invocabat, ac tantus erat ejus in oratione fervor & perſeverantia, ut ex variis occupationibus ſe ipſe frequenter colligens ſederet ſolitarius, & levans ſe ſuper ſe divinæ contemplationi vacaret, in qua cœleſtes planè ſpiritus hauriebat, & de fontibus Salvatoris aquas ſapientiæ ſalutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitæ ſuæ actiones irrigabat, ut flumina aquæ vivæ de ventre ejus in aliorum utilitatem promanarent.

*Pauperum & captivorum præcipuã curam gerebat.*

§. 17. In pauperes, ac præcipuè captivos, dura ſervitute ab infidelibus detentos propenſiſſimus erat, nullumque officii genus unquam prætermiſit, quo eos liberari poſſe exiſtimaret, quorum hoc etiam majorem curam, & ſollicitudinem gerendam eſſe cenſebat, quo in graviori periculo Chriſtianæ fidei abjurandæ, & amittendæ ſalutis æternæ verſarentur. Cum itaque ejus hortatu Petrus Nolaſcus, natione Gallus, cujus confeſſiones beatus Raymundus audiebat, vir opibus florens, & inſigni pietate præditus, ad inopes alendos, & maximè ad captivos ex Barbarorum vinculis redimendos ſuas copias, & opes cum alacritate ac libenti animo conferret, egregium pii ac liberalis animi officium pro ſua infinita bonitate gratum Deus habuit. Nam proxima nocte inſequente, Beatiſſima Virgo Dei mater eidem Petro, qui ſanctis meditationibus, & orationi vacans, cogitabat qua ratione calamitatibus Chriſtianorum in captivitate degentium ſuccurri poſſet, ſerena fronte ſe conſpiciendam dedit, & acceptiſſimum ſibi, ac unigenito Filio fore dixit, ſi ſuum in honorem inſtitueretur Ordo religioſorum, quibus cura incumberet captivos è tyrannide Turcarum liberandi, ac illa ipſa nocte eadem Virgo Sanctiſſima beato Raymundo, & Jacobo primo Aragoniæ Regi apparuit, id ipſum de religioſis admonens.

*Ordinis Redemptionis Captivorum ſtatuta præſcripſit, & primum Magiſt. generalem creavit.*

§. 18. Quare hi collatis inter ſe conſiliis, & conſentientibus animis, Ordinem B. Mariæ de miſericordia, ſeu de Mercede Redemptionis Captivorum fundaverunt, cui beatus Raymundus certas vivendi leges præſcripſit ad iſtius Ordinis vocationem accommodatiſſimas, quarum approbationem aliquot annis pòſt à felic. record. Gregorio Nono prædeceſſore noſtro impetravit, & dictum Petrum, qui eidem Ordini omnia ſua promptè dederat, primum etiam Generalem Ordinis Magiſtrum, ſuis ipſe manibus habitu eodem indutum creavit.

*Cum Ioanne Card. Epiſcopo Sabinẽſi in Hiſpaniã proficiſcitur, prædicatque, &c.*

§. 19. Hæc beatus Raymundus, quæ ad unius Dei gloriam, & proximi utilitatem geſſerat, etſi occultiſſima eſſe volebat, tamen ardentem illius in egenos charitatem, & vitæ ſanctimoniã jam ubique fama vulgaverat, & ſanctæ ejus doctrinæ odorem manifeſtabat in omni loco. Quamobrem bonæ memoriæ Joannes Cardinalis Epiſcopus Sabinẽſis eruditionis & pietatis laude clariſſimus, ab eodem Gregorio Nono prædeceſſore noſtro in Hiſpaniam ad crucem adverſus Saracenos prædicandam, aliaque Sedis Apoſtolicæ negotia pertractanda Legatus de latere miſſus, multorum ſermonibus ſingularem ejus integritatem intelligens, eum ſibi legationis accepit adjutorem. Quo in munere beatus Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate & charitate verſatus eſt, ut omnibus eſſet bonus odor Chriſti ad vitam. Nam etſi honeſtiſſimo loco natus eſſet, & jam ætate provectus, multiſque virtutibus cumulatus, magna apud omnes auctoritate polleret, in hoc tamen longinquo & difficillimo itinere nullis unquam ab eo precibus obtineri potuit ut equo veheretur, ſed verus Chriſti diſcipulus calceatus pedes in præparationem Evangelii pacis, & aſſumpto ſpiritus gladio, quod eſt verbum Dei, iter ſuis comitatus ſociis pedibus faciebat, & Cardinalem quò erat venturus prævertens, quaſi viam ante faciem ejus in benedictione præparans, Evangeliũ Chriſti prædicando permultos, adjuvante Domino, ad arctam ſalutis ſemitam, à via lata & ſpatioſa traducebat, & confeſſiones audiendo, à cenſuris & à peccatorum nexibus liberabat. Quodque omnibus mirum fuit, toto illo itinere nihil unquam de ſolita ciborum abſtinentia, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, totiuſque religionis ſeveritate remiſit, ſed obſervantiſſimus conſtitutionum ſui Ordinis, ne latum quidem unguem ab illius ſtatutis & legibus diſcedebat. Quare ſuſcipiebant ipſum univerſi, colebant omnes, Joannes Cardin. ſummoperè diligebat, qui perfunctus legatione ad Urbem rediens, cùm beatum Raymundum unà ſecum adducere decreviſſet, nunquam id tamen ab eo potuit impetrare.

*A Gregorio Nono vocatus Romam venit.*

§. 20. Sed cum ad eundem Gregorium Nonum prædeceſſorem noſtrum de rebus legationis referret, tam multa, eaque præclara de hujus beati viri virtutibus dixit,

ut

ut idem Gregorius prædeceſſor illius videndi deſiderio incenſus, eum ad ſe confeſtim evocarit, cujus ille dicto audiens, quamquam religioſæ quetis avidiſſimus, Romam venit.

*Capellanus, & Pœnitentiarius conſtituitur.*

§. 21. Excepit eum amanter & benignè prædictus Gregorius prædeceſſor, ac brevi perſpectis & exploratis ejus animi dotibus, ſummiſque virtutibus, Capellani ſui officio, quod tunc temporis idem erat, quod nunc eſt cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, & pœnitentiarii dignitate ornavit, ac tanti ſemper fecit ut non niſi adhibito ejus conſilio graviores cauſas tractaret, quem cum etiam à ſacris ſibi confeſſionibus præfeciſſet, is qua erat in egenos charitate, pœnitentiæ loco illi injungebat, ut inopum preces, & juſtas petitiones ſtatim audiret, eorumque negotia expediret, & quamcitiſſimè conficeret, quare ab eodem Gregorio prædeceſſore.

*Pater pauperum appellatur, & Decretales in ordinem redigit.*

§. 22. Pater pauperum eſt appellatus. Decreta Romanorum Pontificum, quo quæque tempore condita erant, diverſis in Epiſtolis & Conciliis ſparſa, quæ obſcuritatem & incertitudinem inducere videbantur, ad communẽ omnium, & maximè ſtudentiũm utilitatem, in ordinem & compendium redigi jamdiu omnibus ferè placuerat, ſed tanto operi vir idoneus quærebatur. Itaque Gregor. prædeceſſor beatum Raymundum huic muneri aptiſſimum eſſe ratus, id oneris ei impoſuit, quod tandem ipſe ingenti labore trium annorum ſpatio feliciter abſolvit, quemadmodum in ipſo Decretalium procemio graviſſimo ejuſdem Gregorii teſtimonio eſt comprobatum. Hiſce lucubrationibus, & aſſiduo humilitatis ſtudio quamdiu Romæ vixit, contra otioſam mentis evagationem, & inanis gloriæ cupiditatem ſe ipſe tuebatur diligentiſſimè.

*Archiepiſcopatum Tarraconenſem recuſat.*

§. 23. Quare oblatos etiam honores, & ampliſſimas Eccleſiarum Cathedras omni conatu repudiavit. Nam cum Gregorius Archiepiſcopatum Tarraconenſem ei deferre decreviſſet, id ille adeò graviter & moleſtè tulit, ut illicò febri correptus aliquot dies ingenti corporis animique dolore torqueretur. Itaque ab hujus mundi gloria alieniſſimus omni ope contendit, ut eam à ſe dignitatem averteret, quod cum per ſe non poſſet, adhibitis multorum precibus, & quorumdam Cardinalium auctoritate, ejuſdem Gregorii prædeceſſoris animum ita inflexit, ut illius Eccleſiæ onus in eum tranſtulerit, quem ei muneri B. Raymundus aptiſſimum eſſe judicavit.

*Barcinonem redit.*

§. 24. Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti ſuo juri redditus, gratiis Deo peractis, ad ſolitos labores ſeſe contulit, quorum tandem magnitudine & diuturnitate confectus, in tam gravem morbum incidit, ut illi certam mortem medici denunciarent, niſi patrium ſolum repeteret. Itaque dimiſſo confeſſarii ejuſdem Gregorii prædeceſſoris munere, & obtenta abeundi facultate, Barcinonem rediit, atque ita rediit ut eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum & illæſum, quo imbutus ad Urbem venerat, in patriam reportarit.

*B. Raymundo data fuit gratia ſanitatum, & operatio virtutum.*

§. 25. Vix ab Urbe receſſerat, cum ſtatim ei divinitus per ſpiritum data eſt gratia ſanitatum, atque operatio virtutum. Nam cum ad eum Cataloniæ portum, quem Toſſa vocant, appuliſſet, advectum ad ſe levi cymba quemdam ejus loci incolam, Barcelo de Faro nuncupatum (qui dum in meſſem incumberet, adeò gravi & repentino correptus erat morbo, ut ſtatim omnibus orbatus ſenſibus, nullos neque clamores, neque admotos corpori ſtimulos perciperet, ſed humi jacens exanimis, mortuus eſſe crederetur,) Beatus vir miſeratus, Deum qui dives eſt in miſericordia, ardentiſſimè eſt deprecatus, ut ei vitam, quæ ſatis eſſet ad confitendum peccata, produceret: tum magna in Deum fide nixus, infirmum proprio compellans nomine rogavit, an vellet peccatorum ſordes ſacra confeſſione diluere? Confeſtim ille velut è ſomno excitatus oculos ſuſtulit, receptoque vocis uſu, id velle ſe, ac vehementer optare dixit, & confeſſione facta, atque exonerata peccatorum conſcientia, perceptaque abſolutione, nihil amplius elocutus ſpiritum Deo reddidit. Id circumſtantes admirati glorificaverunt Deum, quod talem hominibus dediſſet poteſtatem.

*Barcelo de Faro ſemimortuus B. Raymundi precibus vitam qua ſatis fuit ad confitendum peccata, obtinuit.*

*Pœnitentiarii munere, quo etiam abſens ab Urbe fungebatur, ſponte ſe abdicavit.*

§. 26. Atque ubi Barcinonem appulit, confirmatis paulùm viribus, ſtatim ad res divinas & celeſtes contemplandas animum adjecit. Ejus verò Barcinonem adventus, ſimul atque per Hiſpaniam innotuit, ingens hominum concurſus ad eum fieri cœptus eſt, partim viſendi gratia, partim conſulendi (nam Pœnitentiarii poteſtatem conceſſu ejuſdem Gregorii, etiam ab Urbe abſens exercebat) quos omnes conſolabatur in Domino, & ſpiritualibus monitis mirificè recreabat: ejus enim ſcientia, quaſi inundatio in omnibus abundabat, & conſilium ejus, ſicut fons vitæ ſalutem animæ plurimis afferebat. Hac autem Pœnitentiarii poteſtate, quo liberius Deo, ſibique vacaret, ſponte ſe abdicavit, quamquam ejus etiam abſentis opera idem Gregorius prædeceſſor, ceterique Romani Pontifices, qui eum ſecuti ſunt, prædeceſſores item noſtri utebantur, ut ex ipſorum literis facilè conſtat, quibus ei graviſſima negotia committebant. Conſcripſit etiam ſummam caſuum conſcientiæ, qui ſolent in foro pœnitentiæ frequenter occurrere, magnæ doctrinæ, atque auctoritatis, & tam confeſſariis quàm confitentibus valdè utilem, & neceſſariam.

*Magiſter generalis Ordinis Prædicatorum abſens Bononiæ declaratur.*

§. 27. Dum ſacris & ſuavibus hiſce ſtudiis, & juvandi proximi occupationibus diſtinetur, anno humanæ ſalutis milleſimo ducenteſimo trigeſimo octavo, Jordanus ejuſdem Ordinis ſecundus Generalis magiſter, ex hac vita exceſſit. Quare novo Generali magiſtro deligendo Capitulum generale Bononiæ eſt Congregatum, ubi cùm diſſidentibus ſententiis, non ſatis Patribus inter ſe conveniret, ad Sancti Dominici corpus preces indictæ ſunt, atque inde ad ſuffragia ventum, quibus omnibus, nullo penitus refragante, beatus Raymundus abſens Generalis magiſter eſt declaratus, cujus rei nuncio perculſus, atque animo perturbatus, primũ repugnare vehementer cœpit, ſed provectioribus ætate, ac ſapientia Patribus Bononia Barcinonem adventantibus, qui eam omnium & Dei voluntatem eſſe confirmarunt, ægrè tandem acquievit, ac magiſtratum iniit. Itaque aliorum precibus, & auctoritate victus, animum ad regendam eam familiam adjecit.

*Biẽnio elapſo Magiſtratu ſponte ſe abdicavit.*

§. 28. Quam cum integro biennio ſanctiſſimè, & magna cum laude adminiſtraſſet, facto, ipſo poſtulante ſuperiore anno, ex communi Patrum ſententia decreto, ut liceret Magiſtro generali officium magiſterii renunciare, proximo inſequente Capitulo Bononiæ item habito affectam ætatem, infirmamque valetudinem incuſans, priſtinæ nimirum quietis, vitæque privatæ avidiſſimus, Magiſtratu mœrentibus omnibus ſponte ſe abdicavit, quo veluti onere depoſito, lætus & alacer ad conſuetas pietatis exercitationes, & proximi ad virtutem incitandi ſtudium ſe quamdiligentiſſimè retulit, ac nihil unquam antiquius habuit, quàm ut religionem Catholicam longè lateque propagaret, & pro viribus ab hæreſum labe vindicaret.

*Iacobo I. Regi Arag. ut officium Inquiſitionis in ſuis regnis inſtitueret ſuaſit.*

§. 29. Quamobrem claræ memoriæ Jacobo Regi Aragoniæ ejus nominis primo in primis ſuaſit, ut ſacrum Inquiſitionis officium ſuis in Regnis inſtitueret, ad hæreſim videlicet, quæ tunc ex nefaria Vvaldenſium ſecta recenter exorta erat, omneſque alias procul à finibus ejus Regni arcendas, atque hanc ob cauſam Concilio Provinciali Tarraconæ adverſus eoſdem ſectarios habito, juſſu ipſius Jacobi Regis interfuit.

*Ut Saracenis Evangelium Chriſti prædicaretur eidem Iacobo Regi Auctor fuit.*

*Unà cum eodem Iacobo Rege ad majorem inſulam ex Balearibus proficiſcitur.*

§. 30. Sub idem verò tempus Saraceni, qui nobiliſſimas Hiſpaniæ civitates, & finitimas inſulas impia ſui generis ſtirpe multò ante infecerant, armata manu vehementer etiam infeſtabant, quibus ut in ſuis Regnis Evangelium Chriſti prædicaretur, eidem Jacobo Regi auctor fuit. Hunc etiam ad majorem inſulam ex Balearibus proficiſcentem, ejus rogatu comitatus eſt, tum ut ei à ſacris confeſſionibus eſſet, tum etiam ut verbo Dei prædicando, fideique Catholicæ myſteriis explicandis Hebræos & Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Chriſtianam religionem adduceret, ubi cùm idem Jacobus Rex veſano amore captus, cujuſdam fœminæ conſuetudine uteretur, Beatus Raymundus, qua erat dicendi libertate & prudentia, illum blando primùm ſermone ab ea conatus eſt revocare, verum ubi ſe nihil proficere animadvertit, tum orare, proque ſua in Deum fide precibus omnibus cœpit obteſtari, ne ob exiguam corporis voluptatem malè ſeipſum perderet: ſed neque preces quidquam profuere.

*Miraculum tranſfretationis B. Raymundi, expanſo ſuper*

§. 31. Hic tum beatus Raymundus animi dubius, & incertus quò ſe verteret, conſulto tandem precibus divino numine, ſtatuit nihil gravius ſibi faciendum, quàm ut

*Aquis pallio centum ſexaginta milliaria ſex horis conſiciens Barcinonem appulit.*

ex inſula diſcederet, ne libidinem ejuſdem Jacobi Regis, quã ferre amplius non poterat, probare ſua præſentia videretur. Itaque cum adiit, ſerioque ſeverè admonitũ ſuæ volũtatis certiorem fecit. Jacobus verò Rex ejus apud ſe retinendi cupidus, nautas omnes præmoneri juſſit, atque capitali edicto prohiberi, ne ullus eum trajiceret. Interim ignarus hujuſce conſilii beatus Raymundus in portum perrexit, ubi ab omnibus naviculatoribus communi conſenſu rejectus, cognita Jacobi Regis voluntate, in portum Sollar profectus eſt, itineris ſui comiti hoc unum firmiſſimè aſſeverans, ibi æternum Regem ſibi non defuturum: at cum neque in eo portu à nautis admitteretur, id ſecum ipſe demiratus, hoc magna fide pronunciavit, Regem quidem mortalem ita ſtatuiſſe, ſed Regem æternum aliter proviſurum. Itaque omnibus in littore ſalutatis, per quaſdam rupes, & prærupta ſaxa in mare porrecta aliquantulum progreſſus in mare deſcendit, ac ſocium allocutus, videbis, inquit, quemadmodum Deus optimam navẽ providebit. Quare fiduciæ plenus, expanſo ſuper aquis pallio, reductaque ejus ora inſtar veli ad baculum, quo tamquam malo uteretur, Dei opem invocans, ac ſigno Crucis ſe muniens, relicto in inſula ſuo modicæ fidei, ac dubitante ſocio, mari ſe commiſit, ac leni proſperoque flante vento, perambulans ſemitas maris, ac benedicens Deum, qui dominatur poteſtati ejus, centum ſexaginta milliaria ſex horis confecit, omnibuſque circum littora inſolitum navigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit, ubi reſumpto pallio, quod ne quidem aqua perfuſum erat, ad Monaſterium ſui Ordinis ſub meridiem ſe contulit, quodque non minus admirandum eſt, januis clauſis illud ingreſſus, populi acclamationes evitans ad gratias Deo peragendas in templum ſeceſſit, cujus rei fama totã Urbem, fineſque illius brevi pervaſit. Auxit etiã hujus miraculi magnitudinem ejuſdẽ Jacobi Regis emendatio ſubſecuta, extant autem uſque in hunc diẽ veſtigia turris & capellæ eo in loco, ex quo in mare deſcenderat, extructæ, atque ipſum etiam pallium, ut continuata apud eos populos traditione receptum eſt, cujus contactu multi à variis corporis infirmitatibus quotidie liberantur.

*Seminarium in quo ſui Ordinis Religioſi Hebraico, & Arabico ſermone erudirentur inſtituit, & Neophytorum curam ſuſcepit.*

§. 32. In procuranda Hebræorum & Saracenorum ſalute magno charitatis ardore ſemper incenſus fuit, omnemque operam dedit ad eos fidei Chriſtianæ documentis excolendos, ac pro viribus adjuvandos, quod ut ei facilius eſſet, Seminarium in quo nonnulli ſui Ordinis religioſi Hebraïco, & Arabico ſermone erudirentur, Caſtellæ, & Aragoniæ Regum impenſis inſtituit, quòd opus toti Hiſpaniæ ornamento, atque infidelibus adjumento fuiſſe ex eo ſatis conſtat, quod illius ope atque auxilio, ingens eorum multitudo Chriſtianam religionem amplexa ſit. Neophytos non minori charitate doctrinæ Chriſtianæ præceptionibus imbuebat, atque tam aſſiduus erat in illis inſtituendis, ut eorum parens eſſe videretur, & ne alimenta iis ad vitam neceſſaria deeſſent, undique eleemoſynas corrogabat.

*Beneficus erat in omnes.*

§. 33. De rebus dubiis ſæpè conſultus, ſingulari prudentia, ac divina planè ſapientia omnibus reſpondebat, atque inter cetera beneficia quæ accepit, hoc præcipuè donũ à Deo eſt conſecutus, ut eos quibuſcũ ageret, mira conſuetudinis ſuæ dulcedine, ac voluptate perfunderet.

*Orandi, contemplandique ſummã adeptus eſt facultatem.*

§. 34. Orandi, contemplandique ſummam diuturno uſu adeptus eſt facultatem: nam etſi variis, gravibuſque negotiis diſtineretur, tamen ubi ſe ad orationem compoſuerat, tanta ſubitò divini ſpiritus ſuavitate rapiebatur, ut omnium rerum mortalium cura exutus eſſe videretur, ac ſæpè intempeſta nocte clam obſervatus eſt in ſecretiori templi receſſu, tam crebra, altaque ſuſpiria inter orandum edere, ut audientes ad lachrymas commoveret. In divinis officiis erat aſſiduus, atque incredibilem pſallendo capiebat voluptatem.

*Magna ejus fuit in ſacrificando animi puritas, & devotionis fervor.*

§. 35. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ferè quotidie celebrabat: quanta verò eſſet ejus in ſacrificando animi puritas, ac devotionis fervor, vel ex eo facilè exiſtimari poteſt, quod aſtantes ex ejus ſolo aſpectu ad orationem incitarentur, ac petita à Deo Patre miſericordiarum beneficia ejus precibus impetrarent.

*F. Martinus ejuſdem Ordinis Converſus ex mani-*

§. 36. Nam Frater Martinus ejuſdem Ordinis Converſus, cum antequam ſuavi ſe Chriſti jugo ſubjiceret, voluptatibus carnis liberius indulſiſſet, ac tunc earum recordatione, ſuique corporis illecebris, quaſi quibuſdam ſtimulis agitatus, mirum in modum vexaretur, omnem hujus tentationis propulſandæ ſpem in beati Raymundi meritis collocavit. Igitur ejus ſacrificiis ſæpè intereſſe, ac ſummis precibus à Deo flagitare cœpit, ut tanto ſuo malo remedium aliquod afferret, quod dum perſeveranter peteret, quodam die ex manibus beati Raymundi celebrantis, ac ſacram hoſtiam populo oſtendentis, Chriſtus Dominus ſub auguſtiſſima pueri ſpecie clariſſima luce radiantis ſpectandum ei ſe præbuit, quo viſo tanto eſt repentè gaudio delibutus, ut ex eo tempore ad extremum uſque diem, divina gratia & bonitate, ab omni concupiſcentiæ carnis commotione fuerit præſervatus.

*bus B. R... mundi ... brantis ſacram ... ſtiam p... oſtenden... Chriſtu D... minum ... pueri ſpe... vidit, & ... omni con... piſcẽtia ... nis præſe... vatus fu...*

*Magna ... militariæ ... uſus eſt c... Angelo.*

§. 37. Cum cœleſtis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas & amicitia, quæ maximum eſt puritatis & ſanctimoniæ argumentum, ut ab eo frequenter ad orandum à ſomno excitatus invitaretur.

*Totam he... domadam, excepto d... Dominic... junabat.*

§. 38. Cibi potuſque parciſſimus fuit, totam enim hebdomadam, excepto die Dominico, jejunabat.

*Lenitate, & charitate claruit.*

§. 39. Nullum unquam in eo contumaciæ vel arrogantiæ veſtigium animadverti potuit, quinimò lenitate, ac patientia fuit maxima, & in Deum tanta charitate, ut ejus amore omnia arbitratus ſit ut ſtercora, ex qua etiam egregia illa in proximos charitas redundabat.

*Charit... & omn... virtut... cumulat...*

§. 40. Omnibus demùm virtutibus cumulatiſſimus, devexa jam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia, expectans Dominum ut ad cœleſtes nuptias ab eo vocaretur.

*Annos ... centum n... tus Barc... ne obdorm... vit in Dom... no, anno 1275.*

§. 41. Igitur annos ferè centum natus, cupiens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, in lethalem morbum incidit, atque Sacramentis omnibus ritè munitus, orantibus ad lectulum fratribus, deficiente ſenſim omni vitæ ſenſu, ipſo die Epiphaniæ Barcinone obdormivit in Domino, ſalutis humanæ anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto.

*Alph... Caſtellæ ... Iacobus Arag. Reges ... eius exe... ſua præſ... cohoneſtaru...*

§. 42. Vulgata ejus morte, ingens hominum concurſus ad Monaſterium videndi cauſa repentè factus eſt, ac tanta fuit ejus ſanctitatis apud omnes opinio, ut multi Epiſcopi, complures Prælati, ac nobiles viri, clerus etiam & populus Barcinonenſis univerſus funus ejus ſumma doloris ſignificatione ſint proſecuti. Communem verò illam ejus ſanctitatis famam auctoritate ſua magnopere auxerunt Alphonſus Caſtellæ, & Jacobus Aragoniæ Reges, qui ad ejus exequias ſua præſentia cohoneſtandas, comitantibus filiis, ac domeſticis omnibus, ſumma cum veneratione & fama ſanctitatis beati hujus viri convenerunt. Itaque corpus ejus magno totius Civitatis luctu, ac Principum virorum dolore honorificè humatum eſt, quod paucis annis poſt in ſepulchrum marmoreum tranſlatum fuit.

*Miracula Deus edidit poſt B. Raymundi obitum.*

§. 43. Barcinonenſis populus beato Raymundo vita functo, quaſi totius patriæ lumine extincto, mœrore afflictus graviter angebatur, atque ob recentem virtutum ejus, ac beneficiorum memoriam, eo carere omnibus acerbiſſimum erat: ſed pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui ſecundum multitudinem dolorum conſolationibus ſuis timentium ſe corda lætificat, beati Raymundi meritis beneficia in omnes conferendo, plebem ſuam mirificè recreavit. Nam fideliſſimi hujus ſervi integritatem & ſanctimoniam, multis quidem in vita miraculis claram, pluribus ſignis poſt obitum ingenti omnium lætitia comprobavit. Atque ut omnes etiam intelligerent quàm Deo placita eſſet anima ejus, eo ipſo tempore quo ex hac vita migravit ad Dominum, inſigni miraculo eſt declaratum.

*Guillelmus de Villaragut precibus B. Raymundi porrectis mũdatur à lepra.*

§. 44. Erat in ea Civitate Guillelmus de Villaragut, qui inveterata corporis lepra graviter laborabat, neque eum fœditas morbi, doloriſve acerbitas in publicum prodire, ſolitaſque exercitationes, & negotia obire patiebatur. Medici adhibitis fruſtra medicamẽtis omnibus, deplorata re animum deſponderant; ipſe verò, Deo ita diſponente, qui Sanctum ſuum clarificaturus erat, in ædes quaſdam Monaſterio Ordinis Prædicatorum vicinas, ea ipſa nocte qua beatus Raymundus exceſſit è vita, diverterat, ubi cum graviſſimo elephantiæ dolore torqueretur, à pio quodam viro, Bernardo de Molendis nuncupato, Canonico Barcinonenſi admonitus eſt, ut beati Raymundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis ſe commendaret,

mendaret, quod ille recuperandæ valetudinis cupidiſſimus, ſimul atque diligenter præſtitit, confeſtim omnis lepra ex ejus membris collapſa eſt, ac ſanum corpus reliquit, in cujus rei ſignum, & accepti beneficii memoriam idem Guillelmus monumento ſuſpenſo in templo, rem omnibus teſtatam eſſe voluit, & poſteritatis memoriæ commendavit.

*Margarita Joannis Phyſici filia mortua vitæ reſtituitur.*

§.45. Illud verò maximum eſt ejus ſanctitatis argumentum, quod mortuos etiam ad vitam revocarit. Nam quædam puella Margarita nomine, Joannis Phyſici filia, quatuor, aut circiter annos nata, diuturna febri, continuiſque alvi fluxionibus exhauſta diem obierat extremum, eamque verè mortuam eſſe pallor ipſe vultus, contractæ nares, oculi extincti, horridi dentes, ceteraque indicia confirmabant, quin & idem Joannes pater medicæ artis expertiſſimus, aſſeruit omnia mortis, nulla vitæ veſtigia in ejus corpore extitiſſe: honeſta interim mulier Romea ejuſdem Margaritæ mater, quæ paulò ante ad beati Raymundi ſepulchrum acceſſerat, & auxilium ab eo, filiæque valetudinē precabatur, ubi de morte filiæ certior à Ioanne ejus marito facta eſt, ab eodem ſæpius domo revocata fuit, quo illa nuncio perculſa tanto filiæ recuperādæ deſiderio inflammata eſt, ut neque inde ſe abituram, neque domum reverſuram affirmaret, niſi beati hujus viri meritis & interceſſione Margarita ejus Filia vitæ reſtitueretur. Itaque lachrymis ac lamentis omnia miſcere, & ardentiùs orationi inſtare, atque à Deo per beati viri merita ſummis precibus flagitare cœpit, ut filiam vitæ, ſibique redderet, cujus perſeverantem firmiſſima fide orationem reſpexit Deus, nec ſprevit deprecationes ejus. Nam ſub occaſum Solis Margarita filia paulò poſt meridiem defuncta, non modo vitæ, ſed etiam integræ valetudini eſt penitus reſtituta, quæ poſtridie in templum pedes adiit ad gratias pro tanto beneficio agendas, & decem & quatuor annos ſupervixit.

*Romea Michaëlis de Sala uxor, partu feliciter edito, à reliquis parturiendi doloribus liberatur.*

§.46. Altera item honeſtæ conditionis fœmina, Romea appellata, Michaëlis videlicet de Sala hominis pii uxor, beati Raymundi opem experta eſt, nam cum maturo jam fœtu acerbiſſimis pariendi doloribus premeretur, ac infantis caput enixa, reliquo intus recluſo corpore, tribus integris diebus ac noctibus graviſſimo cruciatu torqueretur, nihil propius factū eſt, quàm ut ex hac vita decederet, nam ob languentis ſtomachi faſtidium cibos omnes, hauſtuſque reſpuebat, atque à ſenſibus alienata, vociſque uſu privata jacebat exanimis, quo tam præſenti uxoris ſuæ periculo prædictus Michaël vehementer animo conſternatus, ad templum illico excurrit, beati Ramundi opem, ſubſidiumque implorans, qui ſimul ac domum rediit, Romea feliciſſimè partum edidit, atque omni dolore eſt liberata.

*Iuvenis quidam æger integræ valetudini eſt reſtitutus.*

§.47. Præterea juvenis quidam continuos viginti dies acutiſſima febri agitatus, viribuſque exhauſtis in ſuperiorem ædium partem à ſuis delatus fuerat, ut aura puriore frueretur, animumque relaxaret, quo ex loco deorſum in lapides & ſaxa corruens, ita convulſus fractuſque membris fuit, ut immotus humi proſtratus ab omnibus mortuus eſſe putaretur. Et, ut fit, cum multi videndi & juvandi cauſa accurriſſent, aſtantium quidam pulveres ex Beati Raymundi ſepulcho deſumptos, quos religioſe ac piè ſecum geſtabat, in jacentis ac moribundi os injecit, colloque appendit, atque æger ille continuò valetudini eſt integræ reſtitutus. Et illa quidem, aliaque quamplurima multo ante tempore contigerunt, hæc verò recentiora ſunt.

*Michaël peſte correptus omni morbo liberatur.*

§.48. Anno millesimo quingenteſimo octogeſimo nono, dum peſtilentia Barcinone graſſaretur, atque ingenti hominum clade invaleſceret, quidam probus vir, Michaël Amat appellatus, peſte mortifera correptus, ac deſperata valetudine à medicis deſtitutus, Sacramentorum, atque extremæ unctionis ſuſceptione ad mortem ſe cōparabat, ſenſim verò per omnia corporis membra ſerpente morbo in eas redactus erat anguſtias, ut præcluſis faucibus loqui ampliùs non poſſet. Quare intimo cordis & animi affectu beatum Raymundum eſt deprecatus, ut eam à ſe infirmitatem depelli precibus ſuis impetraret, qua in oratione beatum Raymundum ſibi videre viſus eſt, atque extenſa manu ſe contingere, quo ex facto ita omni repentè morbo levatus eſt, ut eodem ipſo die convaluerit.

*Anna Beneta ſanguinis profluvio laborans, pulvere ex B. Raymundi ſepulchro adhibito, vitæ diſcrimen evitavit.*

§.49. Hoc aliquanto recentius eſt. Nam anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, pia quædam mulier Anna Beneta vocata, Barcinone honeſtis parentibus orta, ipſo Epiphaniæ feſto copioſo ſanguinis profluvio in ſummum vitæ periculum adducta erat, neque adhibita medicorum remedia ſanguinem ullo modo ſiſtere poterant, neque ipſa in proximum diem victura putabatur. Quare eorumdem hortatu, cum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, atque extremæ unctionis Sacramenta piè, & devotè ſumpſiſſet, mortem expectabat. Interim in beati Raymundi præſidium toto animo confugit, ac pulveres ex ejus ſepulchro ad ſe deferri, atque in cyatho miſceri ſibi juſſit, quibus epotis meliùs ſe habere cœpit, & abſque ullo prorſus alio pharmano vitæ diſcrimen evitavit.

*Ex ejus ſepulchro terra quædam tenuis enaſcitur, qua infirmitates curentur.*

§.50. Illud verò perpetui cujuſdam miraculi vim obtinet, quod ex primo ejus ſepulchro terra quædam tenuis, ſeu pulvis ſaluberrimus enaſcitur, qui licet magna in copia inde exportetur, nunquam tamen deficit, ac multæ magnæque corporis infirmitates eo curantur.

*Ludovicus odoratus ſenſum recuperavit.*

§.51. Anno itidem milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, cum Judices conſtituti ad explorandas beati hujus viri reliquias, arcam ubi erant reconditæ, aperuiſſent, tātus illicò odor ex ejus corpore, qui vivēs in odorem ſuavitatis Dei ſe conſecrarat, exhalavit, ut multi qui eò confluxerant, nihil eo percipi poſſe jucundius affirmarent, quinimò egregius vir Ludovicus de Claramont, ex gravi morbo ſenſu odoratus à ſexdecim annis orbatus, cum in ea hominum multitudine videndi deſiderio incitatus propius acceſſiſſet, cum etiam odorem ſuaviſſimum ſenſit, quo repētè ita recreatus eſt, ut lachrymas præ gaudio continere, nec ullam vocem emittere ullo modo poſſet, verum tacitus apud ſe cogitans dubitabat, num iſtius ſolūmodò odoris olfactum recuperaſſet, an etiam rerum aliarum, ſed domum reverſus ubi ſe varios odores percipere animadvertit, miraculum ſubitò evulgavit.

*Ex ejus ſepulchri meatu ſuavis odor efflatur.*

§.52. Neque verò hæc odoris fragrantia eo ſolum tempore ex ejus corpore emanavit, ſed ex aperto quodam ejus ſepulchri meatu idem ſuavis odor quandoque afflatur, qui ab iis ſentitur, quos divina bonitas eo munere dignatur.

*Reges, Epiſcopi, & populi Aragon. à Rom. Pontif. frequenter petierunt canonizationē.*

§.53. His, pluribuſque aliis miraculis, quæ referre longum eſſet, corda Regum inclinata, plurimique Eccleſiarum Antiſtites, & Prælati, populique integri Regni Aragoniæ divinitus excitati, una voce & conſenſu a multis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris frequenter petierunt, ut Beatus Raymundus in Sanctorum numerum referretur.

*Et Archiepiſcopi, Tarraconenſ. Epiſcopi, & Abbat. in Conc. Provinciali. Tarrac. congregati idem à Nicolao III. petierunt.*

§.54. Et quidem quarto ab ejus obitu anno, ſalutis videlicet humanæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, Archiepiſcopus Tarraconenſis, ac decem Epiſcopi Regni Aragoniæ, multique Abbates in Concilio Provinciali Tarraconæ congregati, literas ad fel. recordat. Nicolaum Papam Tertium prædeceſſorem noſtrum dederunt, quibus ſingularem ejus in Deum charitatem, vitæque innocentiam coram Deo & hominibus teſtificati, ut eum prævia virtutum ac miraculorum ejus inſpectione Sanctorum numero adſcribere vellet, humiliter ſupplicarūt.

*Præfecti Civit. Regni Arag. & Principat. Cathaloniæ, Civitas Barcionenſis, & Fratres Ordin. Præd. idē à Boniſac. VIII. poſtularunt.*

§.55. Cum autem ipſe Nicolaus III. prædeceſſor è vita migraſſet, Præfecti Civitatum Regni Aragoniæ, & Principatus Cathaloniæ, totaque civitas Barcinonen. quin & Priores, ceterique Fratres Ord. Præd. qui eas Provincias incolebant, idem à fel. recordat. Bonifacio VIII. etiam prædeceſſore noſtro enixè flagitarunt.

*Conc. Provinc. Tarraconenſe à Ioāne XXII. & Petrus Aragoniæ Rex à Clem. VI. idem petierunt.*

§.56. Verùm ipſo Bonifacio prædeceſſore ab humanis etiam erepto, Concilium Provinciale Tarraconæ denuo convocatum, apud ſanctæ memoriæ Joannem XXII. prædeceſſorem, etiam noſtrum primam petitionem renovavit, quo tempore Fratres Arnaldus Burguetus Ordinis Prædicatorum, Inquiſitor ac Procurator à Capitulo generali ad hanc cauſam proſequendam inſtitutus, multos teſtes ſuper miraculis, quæ de hoc beato viro vulgabantur, examinati curavit. Sed cùm per dicti Ioannis prædeceſſoris obitum res tranſigi non potuiſſet, clar. mem. Petrus Aragoniæ Rex datis ad fel. recor. Clementem VI. ſimiliter prædeceſſorem noſtrū literis vehementer inſtitit, ut beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris, quem divinæ providentiæ ſublimitas, quemadmodum in ejus literis habebatur, honorare voluerat in excelſis.

§.57. Cum verò hujus rei tanta ſit gravitas & magnitudo, ut exiguo tempore perfici non potuerit, omnis hujus cauſæ tractatio uſque ad tempora ſanctæ memoriæ Pauli Tertii ſimiliter prædeceſſoris noſtri fuit intermiſſa, qui tandem precibus bon.mem.Fratris Joannis à Toleto tituli Sancti Sixti Cardinalis Burgen. nuncupati inclinatus conceſſit ut in omnibus Monaſteriis & Eccleſiis Ord. Præd.in Regno Aragoniæ exiſtentibus ſolemne officium de beato Raymundo celebrari poſſet.

§.58. Interjecto autem diuturni temporis intervallo, cum Deus qui eſt gloria virtutis Sanctorum, beati Raymundi meritis,& interceſſione plurima in dies beneficia toti Hiſpaniæ largiretur, claræ etiam memoriæ Philippus II.Hiſpaniarum Rex Catholicus, per literas,& per dilectum filium nobilem virum Antonium de Corduba & Cardona, Sueſſæ Ducem,ſuum apud nos & Sedem Apoſtolicam Oratorem ſupplicavit,ut huic cauſæ ſub tot Romanis Pontificibus inchoatæ ipſi vellemus finem imponere, quo ſanè pio Regis ſtudio vehementer ſumus recreati.

§.59. Nam cum ab ipſo Pontificatus noſtri principio nihil magis quam Dei gloriam & Catholicæ religionis exaltationem ſpectaverimus, gaudebamus in Domino, cum utramque hiſce Regis ſupplicationibus promoveri cerneremus. Itaque ut religioſo ejus deſiderio ſatisfaceremus, Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Congregationis ſacrorum rituum injunximus, ut acta omnia quæ priùs hac in re confecta erant, diligenter inſpicerent & examinarent. Hi autem fuere ex triplici ordine aſſumpti; Venerabiles Fratres Epiſcopi Alphonſus Oſtien. Geſualdus, Innicus Avalos Portuen. de Aragona, Gabriel Sabinen. Paleottus, & dilecti filii noſtri Alexander Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Medices, Franciſcus Sancti Petri ad Vincula de Joioſa, Auguſtinus Sancti Marci Veronen. Dominicus Sancti Chryſogoni Pinellus, Franciſcus Maria Sanctæ Mariæ in Ara cœli de Monte, Aſcanius Sanctæ Pudentianæ titulorum presbyteri Columna, Odoardus Sancti Euſtachii Farneſius, Antonius Sanctorum Quatuor Coronatorum, Fachenettus diaconi nuncupati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

§.60. Coram quibus ritè congregatis, cum dilectus filius Michaël Llot, Sacræ Theologiæ Doctor, Frater eiuſdem Ord.Præd. profeſſus, ac Procurator legitimè hac in cauſa conſtitutus, pro ſuo munere, in quod per ſex annos continuos diligenter incubuit, quaſdam ſcripturas ad ipſam cauſam ſpectantes protuliſſet; quia tamen multæ probationes addi poterant, literæ ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, atque ad Barcinonen.& Vicent. Epiſcopos cum opportuna facultate miſſæ ſunt, ut alias omnes ſcripturas & probationes annis Superioribus hoc in negotio factas Barcinone extraherent, & ea denique agerent quæ ad hanc cauſam requiri videbantur, omniaque ad nos tranſmitterent, quæ tum eſſent omni jure confecta, ſummaque auctoritate firmata, & debita cum diligentia, & fide tranſmiſſa.

§.61. Nos tribus viris doctrina & integritate præſtantibus, ac uſu peritiſſimis, Seraphino videlicet Olivario Razzalio Decano, Petro Franciſco Gipſio, & Franciſco Peniæ cauſarum Palatii noſtri Auditoribus commiſimus, ut ea ſummo ſtudio, quantaque poſſent diligentia legerent, expenderent, ac totius cauſæ merita exactiſſimè põderarent. Quo in munere cum ſedulò & accuratè verſarentur, Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus, cujus memoria in benedictione ſit, magno in primis noſtro, & totius Orbis Chriſtiani dolore ac detrimento viam univerſæ carnis ingreſſus eſt.

§.62. Quare chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus III. Hiſpaniarum item Rex Catholicus ejus filius non modò regnorum, verùmetiam paternarum virtutum hæres, ſtatim à primo regni ſui exordio, ut ſe, ſuaque omnia in beati Raymundi præſidium, ac patrocinium conferret literis,& per eundem Antonium Sueſſæ Ducem oratorem item ſuum nobis ſupplicavit, ut in hac cauſa progredi vellemus. Idcircò vehementer lætabamur, & benedicebamus Domino, qui pios Reges perpetuò ſuſcitat ad ſanctos ſuis honoribus proſequendos, quos elegit in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.

*Auditores Rotæ omnem rei geſtæ ſeriem Papæ ſuumque judicium ſcripto tradiderunt, qui illorum relationem Cardinalibus ſacrorum rit. per eoſdem Auditores tradi juſſit.*

§.63. Cum igitur prædicti Auditores in diſcutiendis actis in univerſo proceſſu diuturnam & aſſiduam navaſſent operam, nihilque eorum quæ ad hanc rem peragendam pertinent, prætermiſiſſent, omnem rei geſtæ ſeriem, ſuumque judicium ſcripto nobis tradiderunt, quorum integram relationem nos eiſdem Cardinalibus Congregationis ſacrorum rituum per eoſdem Auditores tradi juſſimus, atque ut plurium judicio tota hæc cauſa examinaretur, alios etiam Cardinales prioribus adjunximus, nimirum dilectos filios noſtros Federicum Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis Borromæum, Antonium Maria Sanctæ Agnetis in Agone Gallum, Cæſarem Sanctorũ Nerei & Achillei Baronium, Sylvium Sancti Salvatoris in Lauro titulorum Presbyteros, Antonianum, atque Andream Sancti Angeli in foro Piſcium, Perettum diaconũ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quos omnes monuimus, ut acta omnia de beati Raymundi puritate fidei, morum integritate, ac miraculorum evidentia tanto ſtudio perpenderent, quantum & rei gravitas requirebat, & nos meritò expectabamus, qui cùm privatim, multiſque Congregationibus inter ſe habitis, dilecto filio Pompeio Molella Fiſci noſtri Procuratore ſemper citato, & partes ſuas diligenter præſtante, ſingula rerum capita, & acta omnia ſedulò examinaſſent, ac proceſſum, teſtes, inſtrumenta, & hujus cauſæ monumenta cum Auditorum ſententiis diligenter contuliſſent, eoque adducta eſſent omnia, ut ad nos referri oporteret.

*Conſiſtorium ſecretum fuit pro canonizatione.*

§.64. Nos Conſiſtorium ſecretum pro more convocari juſſimus, quo præfatus Alphonſus Cardinalis Geſualdus, ſuo & totius Congregationis nomine, primùm retulit ſcripturas, proceſſum, omniaque hujus cauſæ acta legitimè confecta eſſe, ac maximæ auctoritatis, probatæque veritatis vim obtinere: deinde tota beati Raymundi vita, multiſque miraculis enarratis, ſe & ceteros dictæ Congregationis Card. una voce, unaque mente in eam ſententiam veniſſe dixit, beatum Raymundum (ſi ita nobis videretur) poſſe Catalogo Sanctorum aggregari, in quorum ſententiam cum reliqui Cardinales ſuo quiſque ſuffragio ex ordine iviſſent, magnam animi voluptatem capiebamus, quòd beati hujus viri ſanctitatem in dies magis elucere videremus. Atque ut in hoc graviſſimo negotio nihil de priſtina noſtra conſuetudine, ac debita diligẽtia remitteremus, nos ipſi facta ſtudioſè & accuratè perlegimus, atque eorumdem Rotæ Auditorum, & venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium relationem veriſſimam eſſe comperimus.

*Papa indixit Conſiſtorium publicum, in quo Bernardinus Scottus habuit Orationem de vita B. Raymundi.*

§.65. Quare lapſis paucis poſt diebus, ex Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum inſtituto Conſiſtorium publicum indiximus, in quo præter Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, noſtrique familiares nobis adfuerunt, ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatus, qui eximia beati Raymundi charitate, vitæ innocentia, & miraculis copioſa oratione explicatis, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Rodulphi Romanorum Regis Illuſtris in Imperatorem electi, & ejuſdem Philippi III. Regis Hiſpaniarum Catholici, & Principatus Cataloniæ, totiuſque Ord. Præd. nomine, ut B. Raymundum Sanctis adjungere vellemus, à nobis ſuppliciter flagitavit.

*Et Pontifex ſucceſſivè, ceteris aliis peractis, orationes ad Deum porrigi juſſit.*

§.66. Quæ cum audiremus, benedicebamus Domino & gratias Deo agentes. lætabamur Philippum III. Regem Catholicum in ipſo regnandi principio hunc ſibi ad felicem regnorum ſuorum adminiſtrationem patronum tanto ardore poſtulare. Itaque reſpondimus ſanctam ejus petitionem nobis eſſe gratiſſimam, & eam ad Dei gloriam in primis, & communem totius Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem pertinere, quod nimirum Deus, qui ſplendor & gloria Sanctorum eſt, in Sanctis ſuis magis laudatur, & Chriſti fideles eo faciliùs divinæ gratiæ munera, auctis interceſſoribus obtinent, quo major cultus, & honor Sanctis adhibetur. Præterea ſingularem Regis pietatem commendantes, optare nos pio ejus deſiderio ſatisfacere diximus: hujus tamen rei tantam eſſe gravitatem, ut maturius adhuc cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus,& ceteris Epiſcopis deliberandum eſſe cenſeremus. Itaque omnes eos in Domino hortati ſumus, ut omnia quæ ad B. Raymundi vitam & miracula ſpectarent, omni ſtudio & diligentia examina-

rent,

ſentdeinde orantes in ſpiritu,& in ipſo vigilantes,quod nos facturi eramus, Deum precarentur, ut daret nobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, quo hæc arcana cœleſtia, quæ ratione humana comprehendi non poſſunt,cognoſceremus, & illuminaret oculos cordis noſtri, ut quid in hac graviſſima cauſa ſtatuendum eſſet, deliberare poſſemus.

*ſecretum aliud Conſiſtorium congregavit ipſe ... & in eo habitis omnium votis, canonizationis futura diem præfixit Dominicam in Albis.*

§.67. His peractis ſecretum aliud Conſiſtorium indiximus,cui etiā Patriarchas,Archiepiſcopos & Epiſcopos, qui tunc erant in Vrbe, ac noſtros & Sedis Apoſtolicæ Notarios,necnon Palatii noſtri Auditores & Secretarios voluimus intereſſe, in quo Nos ex gratiæ cœleſtis abundantia, qua noſtra tenuitas in hac ſuprema paſtorali vigilia domus Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis conſtituta eſt,ea diximus, quæ ad hanc cauſam ſpectare nobis viſa ſunt: deinde ab iiſdem fratribus noſtris petivimus, ut conſideratis atque examinatis omnibus actis, id præciſè dicerent, quod Spiritus ſanctus eis daret eloqui, & an B. Raymundus Sanctis adſcribendus eſſe videretur. Itaque primùm S.R.E. Cardinales,deinde Patriarchæ,tum Archiepiſcopi, & Epiſcopi ibidem præſentes,ſuo quiſque loco dictis ſententiis, omnes communi conſenſu, ex iis quæ in univerſo proceſſu explorata erant, meritò à nobis B. Raymundum inter Sanctos referendum eſſe cenſuerunt. Gratias igitur Deo agebamus, qui fratres noſtros omnes in unitate ſpiritus idem ſentire facit,tribuens omnibus cor unum & animam unam,eoſque monuimus, ut interim precibus, jejuniis,& eleemoſynis Dei gratiam & auxilium nobiſcum invocarent. Cumque omnia jam ad præſcriptum, & normam ſacrorum Canonum confecta eſſent, quod ſupererat acturi, poſt aliquot menſes diem canonizationis diximus tertium Kalendas Maii, Dominicam videlicet in Albis, qua Paſchalis ſolemnitas terminatur, neophytorum habitus candore animi permanente commutatur, & Evangelium in Eccleſia legitur, quo Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem ad diſcipulos januis clauſis ingreſſus,inſufflato eis Spiritu ſancto, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata eſt elargitus, in quo magna nobis lætitiæ materia oblata eſt, quia videlicet memineramus, B.Raymundum, & Sacramenti pœnitentiæ miniſtrum extitiſſe, & poſt trajectionis miraculum januis clauſis Monaſterium ſui Ordinis Barcinone ingreſſum eſſe,deinde etiam quod eodem ſolemnitatis & lætitiæ die Nos ab hinc ſeptem annis Sanctum Hyacinthum Polonum ejuſdem Ordinis Fratrum prædicatorum, B.Raymundi coætaneū in Sanctos retulimus, ad quam quidem animi noſtri voluptatem non mediocris acceſſio facta eſt, quòd hoc ipſo die Sanctæ Catharinæ Senenſis, ac Sancti Petri Martyris feſtum in Eccleſia ſolemniter celebretur, qui ſub eadem Sancti Dominici diſciplina vitam ſanctiſſimè traduxerunt. Quamobrem in tam accommodata totius Eccleſiæ, ac Sanctorum ejuſdem Ordinis ad hanc celeberrimam actionem feſtivitate, Nos beato Raymundo eum honorem decernere ſtatuimus, qui ſanctis confeſſoribus adhibetur.

*Qua hic Pōtifex ex Capella Pontificia proceſſionaliter in Baſilicam S. Petri deſcendit, & oravit.*

§.68. Cum igitur præſcripta Dominica in Albis, hodierna ſcilicet dies adveniſſet, Nos cum Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis,& Epiſcopis, qui in Capella noſtra Pontificia hanc ob cauſam convenerant, veſtibus ſacris induti, hymnum Ave maris ſtella, inchoavimus, reliquum Capellæ noſtræ choro proſequente ad B. Mariæ Virginis opem implorandam, atque ita cantantes in viis Domini, Romanæ Curiæ Prælatis,officialibus & familiaribus noſtris, & ſæculari ac religioſo clero longo ordine præcedentibus, ſingulis cereos accenſos geſtantibus,ex noſtro Palatio Apoſt. ad auguſtiſſimam Principis Apoſtolorum Baſilicam proceſſimus vario ornamentorū genere inſtructam,eamque ingreſſi ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum genuflexi procubuimus, orantes ut Deus hanc celeberrimam actionem ad laudem & gloriam nominis ſui dirigeret. Inde ad ſupremam Eccleſiæ partem aſcendimus,alto & ſublimi fornice admirandam, ubi amplum,regioque ſumptu ſuggeſtum erectū erat coram altari S.Petri Principis Apoſtolorum, in quo ſacram Pontificalem Miſſam celebraturi eramus, omniaque facibus, cereiſque ardentibus collucebant, ac plurimæ circum imagines beatum Raymundum erecto corpore egregiè pictū referebant,dextera manu Clavem in poteſtatis atque officii Pœnitentiarii memoriam, ſiniſtra librum doctrinæ,ac decretalium monumentum gerentem,ubi ſtatim nobis in mentem venit nos iiſdem,quibus B.Raymundus, Capellani videlicet, ſeu cauſarū Palatii Apoſtolici Auditoris munere,antequam in numerum Cardinalium aſſumeremur,& in ipſa Cardinalis dignitate ſummi Pœnitentiarii officio, quamquam non exactè ac perfectè,functos fuiſſe,ac propterea Deum in ſpiritu humilitatis non ſine lachrymis precabamur, ut ſi quid iſtis in muneribus ex noſtra imbecillitate à nobis omiſſum vel commiſſum fuiſſet,id ejus bonitas atque clementia B.Raymundi meritis atque interceſſione nobis condonaret. Deinde in ſuggeſtum delati ante idem altare Principis Apoſtolorum oravimus, ut ſuo nobis auxilio præſidioque adeſſet, mox in excelſo è regione altaris throno conſidentes,eoſdem Cardinales,Patriarchas, Archiepiſcopos,& Epiſcopos ſacris indutos veſtibus obedientiam nobis de more præſtantes excepimus, tum dilectus filius noſter Odoardus Sancti Euſtachii Cardinalis Farneſius nuncupatus, Regni Aragoniæ Protector, Catholici Regis nomine ſemel, iterum ac tertiò ſuppliciter à nobis flagitavit, ut B.Raymundum in Sanctos referremus,cujus ſingulis petitionibus opportunè reſpondimus, ac per interjecta totidem intervalla litanias,hymnos, preceſque adjunximus.

*Tandem ſententiam canonizationis protulit, & beatū Raymundum Sanctum eſſe definivit, feſtum ſtatuit, & indulg. conceſſit.*

§.69. Denique abſolutis perfectiſque omnibus iis,quæ à Romanis Pontificibus hoc in genere inſtituta ſunt,communibus precibus implorata Spiritus ſancti ope,ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis,ad exaltationem fidei Catholicæ,& Religionis Chriſtianæ augmentum, auctoritate ejuſdem Sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti,beatorum Apoſtolorum Petri, Pauli, ac noſtra, de venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum,Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana curia exiſtentium conſilio,communique conſenſu B.Raymundum à Peniafort Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſsū, ac in Eccleſia Sāctæ Catharinæ ejuſdem Ordinis Barcinone ſepultum,de cujus innocentia vitæ,& miraculis nobis planè conſtat, Sanctum eſſe definivimus,ac Sanctorū Confeſſorum numero, & catalogo adſcribendum eſſe decrevimus,prout per præſentes definimus,decernimus, & adſcribimus, ſtatuentes ut ab univerſa Eccleſia quolibet anno, die 7. Januarii, feſtum ejus,& officium, ſicut pro uno Confeſſore non Pontifice, ad normam in Rubricis Breviarii Romani præſcriptam devotè celebretur. Inſuper omnibus verè pœnitentibus & confeſſis,qui ſingulis annis eodem die prædictam Eccleſiam Sanctæ Catharinæ Barcinonenſis, in qua corpus ejus conditum eſt, piè & devotè viſitaverint,eaſdem indulgentias & peccatorum remiſſiones conceſſimus,& elargiti ſumus, quemadmodū concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti Ordinis Monaſteriis,& Eccleſiis diebus feſtis Sanctorum ejuſdem Ordinis conceſſæ ſunt.

*Miſſam ſolēnem ibidem celebravit, & præſentibus plenariā indulgentiā elargitus eſt.*

§.70. Itaque omnibus, quæ ad beati Raymundi canonizationem ſpectabant ritè peractis,atque hymno ad Dei laudem & gratiarum actionem decantato, divinaque opē Sancti Raymundi meritis,peculiari in ejus honorem oratione,quā nos ipſi fecimus,& clara voce recitavimus, invocata,Nos in eodem loco,& altari Principis Apoſtolorū Miſſam ſolemnem de octava Dominicæ Reſurrectionis, cum ejuſdē beati Raymundi commemoratione celebravimus, omnibuſque Chriſti fidelibus, qui canonizationi & Miſſæ interfuerunt, ad Dei laudem & Sancti ſui gloriam, plenariā omnium peccatorum ſuorum indulgentiā conceſſimus. Quare Deum mirabilem in Sanctis ſuis benedicamus, & gratias immortales ei agamus, quia ſuſcepimus miſericordiam in medio templi ejus, novum videlicet in Eccleſia interceſſorem,cujus meritis ac ſuffragiis in omnibus animæ corporiſque periculis adjuvemur. Ac ſingulari planè divinæ providentiæ munere factū eſt,ut hiſce difficillimis temporibus, quibus Religio Catholica inimicorū telis aſſiduè impugnatur, hunc patronum & advocatum univerſi Chriſti fideles conſecuti ſint ad Eccleſiæ pacē in primis & tranquillitatē,ad optā Principibus Chriſtianis corcordiā, ac hæreticis in errorū tenebris à via ſalutis errātibus lucē veritatis impetrandā.

§.71.

*Videm tranſumptis dari mandat.*

§.71. Ceterum quia nimis difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus ut earum tranſumptis etiam impreſſis, manu publici Notarii *ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique habeatur,* quæ hiſce præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Pœnam contra aliquid attentantes indicit.*

§.72. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum definitionis, decreti, adſcriptionis, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D.P.A.10. die 29. Apr.*

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1601. 3. Calend. Maii, Pontificatus noſtri Anno 10.

*Papa ſubſcr.* Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

*Protector noſter aſpice Deus.*

*Card. ſubſcr.* Ego Ptolomæus Epiſcopus Portuen. Card. Comen.
Iul. Antonius Epiſcopus Præneſt. Card. S. Severinæ.
Hieronym. Epiſc. Sabinen. Card. Ruſticuccius.
Alex. Epiſcopus Albanen. Card. de Florentia.
Ego Ant. Maria tit. S. Mariæ Tranſtyberim presb. Card. Salviatus.
Ego Aug. tit. S. Marci presb. Card. Veronenſis.
Ego Simeon tit. S. Laurentii in Lucina presb. Card. de Terra nova.
Ego Dominicus tit. Sancti Chryſogoni presb. Card. Pinellus.
Ego Fr. Hieronymus tit. S. Mariæ ſuper Minervam presb. Card. Aſculanus.
Ego Antonius tit. S. Stephani in Monte Cœlio, presb. Card. Saulius.
Ego Fr. Gregor. tit. S. Auguſtini Card. de Mont'Elpero.
Ego Paulus tit. Sanctæ Cæciliæ presb. Cardinalis Sfondratus.
Ego Benedictus tituli Sanctæ Priſcæ presbyter Card. Juſtinianus.
Ego Franciſcus Maria tit. S. Mariæ in Aracœli, presb. Card. à Monte.
Ego Octavius tituli Sancti Alexii presb. Cardinalis palavicinus.
Ego Hieronymus tituli Sancti Pancratii presb. Card. Matthæius.
Ego Octavius tit. Sanctæ Mariæ de populo, presb. Card. de Aquaviva.
Ego Flaminius tit. S. Mariæ de Pace presb. Card. Platus.
Ego Lucius tituli Sanctorum Quirici, & Julitæ presb. Card. Saxus.
Ego Franciſcus Maria tit. S. Bartholomæi in Inſula presb. Card. de Senis.
Ego Camillus tit. SS. Jo. & Pauli presb. Cardinalis Burgheſius.
Ego Cæſar tit. SS. Nerei & Achillei presb. Card. Baronius S.R.E. Bibliothecarius.
Ego Laurentius tit. S. Laurentii in Pane & Perna presb. Card. Blanchettus.
Ego Franciſcus tit. S. Crucis in Hieruſalem presb. Card. Avila.
Ego Franciſcus tit. Sancti Thomæ in Parione presb. Card. Mantica.
Ego Pompeius tit. Sanctæ Balbinæ presb. Cardin. Arigonus.
Ego Dominicus tit. S. Petri in Monte aureo presb. Card. Tuſchus.
Ego Arnaldus tituli Sancti Euſebii presbyter Cardinalis Oſſatus.
Ego Paulus Æmilius presb. Card. S. Marcelli.
Ego Silvius tit. S. Salvatoris in Lauro Presb. Card. Antonianus.
Ego Rob. tit. S. Mariæ in Via presb. Card. Bellarminus.
Ego Bonviſus tituli S. Blaſii de Annulo Presb. Card. Bonviſius.
Ego F. diac. Card. Sfortia S. Mariæ in Via Lata.
Ego P. S. Nicolai in Carcere diac. Card. Aldobrandinus, S.R.E. Camerarius.
Ego Cinthius diac. Card. S. Georgii.
Ego Barth. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus Cardinalis Cæſius.
Ego Joannes Baptiſta Sanctæ Mariæ in Coſmedin diac. Card. Detus.

---

## Declaratio, & extenſio conſtitutionis Sixti V. de non alienandis per ſubditos Sedis Apoſtolicæ bonis ſtabilibus ſtatus Eccleſiaſtici, in forenſes & non ſubditos, vel Caſtra & Fortalitia, abſque dictæ Sedis licentia. LXXVIII.

*Conſonat conſt. 3. Clem. VI. Etſi ſolertem, ſup. lib. 1. Et prædicta conſtitutio Sixti V. eſt 3. ſup. Solicitudo, lib. 2.*

Ne hic longa, ac jam indicata otioſè repetam, te remitto ad ea, quæ notavi ad dictam Conſt. 3. Sixti V. tom. 2.

*CLEMENS EPISCOPUS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita Ann. 1601.*

*Exordium.* ROmanum decet Pontificem ſuorum prædeceſſorum conſtitutiones innovare, ac quandoque eas declarare & extendere, ne illarum obſervantia propter aliquorum pravam interpretationem retardetur, vel ob hominum malitiam earundem effectus eludatur.

*Sixtus V. edidit conſt. cit. in rubr.* §. Aliàs ſiquidem fel. recordat. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, &c.

Omittitur reſiduum hujus narrativæ, quia ipſam bullam habes ſuprà, lib. 2.

*Dubia exorta ſunt ſuper d. conſt.* §. 2. Cum autem, ſicut experientia docuit, poſteaquam prædictæ Sixti prædeceſſoris literæ emanarunt, nonnulli Status noſtri Eccleſiaſtici habitatores & ſubditi, prætextu permiſſionis in dicti Sixti prædeceſſoris literis contentæ, quod nimirum omni dicti Status Eccleſiaſtici habitatori, ſive extraneo, ſive ſubdito, licitum ſit de bonis ſuis ſtabilibus in eodem Statu Eccleſiaſtico exiſtentibus, quocumque alio quàm venditionis ſeu permutationis & donationis titulo diſponere, vel in conſanguineos, vel in alios de dicto Statu non exiſtentes, qui tamen intra triennium vel in eundem Statum habitatum veniant, vel bona ipſa in alium, ſeu alios habitatores & ſubditos, ut præfertur transferant, licet iidem habitatores, & ſubditi non ignorent in prædicta Sixti prædeceſſoris permiſſione juxta veriſimilem illius mentem, illos tantum comprehendi qui in eundem Statum Eccleſiaſticum habitatum vel venire poſſunt, vel veriſimiliter venturi ſunt, nihilominus dictas Sixti prædeceſſoris literas perperam interpretantes, illarumque & aliorum etiam Rom. Pontif. prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionum, contra ipſos quovis modo diſponentium, effectum eludere conantes, & illarum fraudem ſive amore, ſive odio, in ſuos & alios moti, ſive alia quavis ratione ducti, de ſuis bonis ſtabilibus in eodem Statu Eccleſiaſtico exiſtentibus, non ſolùm in conſanguineos & alios de dicto Statu non exiſtentes privatos, ſed in quaſcumque etiam Communitates, Vniverſitates, Collegia, ac etiam in Principes extraneos, tam nobis & eidem Sedi ratione feudi, aut alia quacumque cauſa ſubjectos quàm non ſubjectos, qui videlicet in propriis ditionibus, vel alibi degentes, in eundem Statum Eccleſiaſticum habitatum, vel ut præfertur venire non poſſunt, vel veriſimiliter venturi non ſunt, teſtamento, codicillis, legato, fideicommiſſo, donatione ex cauſa mortis, vel alia quacumque ultima voluntate liberè diſponere poſſe prætendant, ſeu diſponant, ea forſan intentione, atque conſilio, ut Communitates, Vniverſitates, Collegia, ac Principes extranei hujuſmodi, ad quas & quos dicta bona de jure pervenire nõ poſſũt, & qui alioqui prædictis bonis non indigent, eadem bona in fraudẽ legis conſequentes, illa vel alia illorum loco perſonis ad dicta bona obtinenda incapacibus, & inhabilibus, via ſcilicet confidentiaria, aut alia ratione tribuant, & in illas transferant, atque ita evenire poſſit & eveniat, ut dictæ perſonæ incapaces & inhabiles, id quod per ſe, ac directè obtinere non valent, per interpoſitam perſonam, & indi-

rectè

rectè conſequi ſperent, & conſequantur, *contra veriſimilem dicti Sixti prædeceſſoris intentionem, qui ex prædictis, atque aliis etiam cauſis animum ſuum tunc moventibus in permiſſione ſuperiùs expreſſa de ipſis Communitatibus, Vniverſitatibus*, Collegiis, & principibus extraneis prædictis ſpecificam mentionem non fecit, ſed illas & illos in dicta permiſſione non comprehenſas, neque comprehenſos eſſe cenſeri voluit.

*[...]icidat P[...] [...]ſ. d. conſt. approbat.*

§.3. Nos ad quos Pontificum ſpectat prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones non ſolùm innovare, ſed etiam dubia quæ ſuper illis emergunt, declarare, & hominum malitiis ac fraudibus occurrere, attendentes ad Noſtrorum & ejuſdem Sedis ſubditorum quietem & tranquillitatem, & ad bonorum eorumdem ſubditorum penes ipſos conſervationem id magis pertinere, necnon etiam ipſius Status noſtri Eccleſiaſtici utilitati, & commodo, ac etiam ſecuritati maximè convenire, quibus præcipuè rationibus idem Sixtus prædeceſſor, ut ſupra dictum eſt, ad præmiſſa ſtatuenda motus fuit, ut ad omnem ambiguitatē tollendam, dictam Sixti prædeceſſoris conſtitutionem innovemus, declaremus, atque extendamus, & ampliemus, ac alia infraſcripta ad Status noſtri Eccleſiaſtici, noſtrorumque & Apoſtolicæ Sedis ſubditorum commodum, utilitatem & ſecuritatē ſpectantia, neceſſaria, & opportuna ſtatuamus, his, ac aliis juſtis & rationabilibus cauſis adducti, ſuper præmiſſis opportunè providere volentes, & ejuſdem conſtitutionis Sixti prædeceſſoris tenorem, ac ſi ad verbum inſereretur præſentibus pro expreſſis habentes, habita ſuper his cum Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus in Conſiſtorio noſtro ſecreto deliberatione noſtra matura, de illorum conſilio & aſſenſu, ac Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conſtitutionem dicti Sixti prædeceſſoris auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovamus, ac de cetero ab omnibus ad quos ſpectat, inviolatè obſervari volumus.

*Declaratque Communitates & Collegia extra Statum, vel non Eccleſiaſtica, Principeſque Statum Eccleſiaſticum veriſimiliter non habitaturos, non poſſe acquirere bona ſtabilia in finibus d. Status, neque in eius locis, vel in aliqua Vrbe, præterquam ex cauſis dictis. Hoc tamen mox infra declarat.*

§.4. Inſuper de conſilio & aſſenſu, motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus declaramus, quaſcumque Communitates, Vniverſitates & Collegia quæ extra Statum Eccleſiaſticum exiſtunt, & Eccleſiaſtica non ſunt, nechon etiam quoſvis Principes extraneos, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque auctoritate, & dignitate, quæ ſpecialem, & individuam mentionem requireret, præditos, etiamſi illi aliàs Nobis & dictæ Sedi ratione feudi, aut ex alia cauſa ſubditi ſint, qui nimirum in propriis ditionibus, vel alibi degentes, in eundem Statum Eccleſiaſticū vel habitatum venire non poſſunt, vel veriſimiliter venturi non ſunt, aut ſi aliquando venerūt vel venient, recedere tamen ſolent, & poſtea etiam veriſimiliter non reverſuri, inde receſſerunt, aut recedent, bona aliqua ſtabilia, non ſolùm in finibus ejuſdem Status Eccleſiaſtici, & juxta terminos ac limites ditionum eorumdem Principum, ſed etiam in quacumque alia ejuſdem Status Eccleſiaſtici parte, & in ipſa Vrbe exiſtentia, necnon cenſus, aliaque bona ac jura quæ pro ſtabilibus habentur (non tamen officia Romanæ Curiæ, nec portiones & loca Montium) cujuſcumque illa quantitatis, qualitatis & valoris ſint, nullo venditionis, permutationis, donationis, aut alterius cōtractus, præterquam ex cauſa dotis inter vivos titulo, ac ne quidem ex teſtamento, codicillis, legato, fideicōmiſſo, donatione ex cauſa mortis, aut ex alia diſpoſitione in ultima voluntate quorumcumque teſtatorum, aut de bonis ſtabilibus, & aliis ſupradictis contra præmiſſa in ipſorum favorem aliàs diſponentium facta vel facienda acquirere, illaque habere, retinere, & apprehendere potuiſſe, neque deinceps poſſe.

*Extendit, & ampliat ad omnia genera contractuum.*

§.5. Et nihilominus conſtitutionem ejuſdem Sixti Prædeceſſoris ad quæcumque etiam genera cōtractuum, præterquam ut præfertur ex cauſa dotis, & diſpoſitionum inter vivos, ac etiam ad teſtamenta, codicillos, legata, fideicommiſſa, donationes cauſa mortis, & alias ultimas voluntates hujuſmodi, ut præfertur, factas, & faciendas, auctoritate Apoſt. tenore præſentium extendimus, & ampliamus.

*Annullat diſpoſitiones tam factas quàm fiendas aliter quàm dictum eſt.*

§.6. Ac neminem ex habitatoribus, & ſubditis Status noſtri Eccleſiaſtici, cujuſcumque ille dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis, ut ſupra dictum eſt, fuerit, de ſuis bonis ſtabilibus, & aliis ſupradictis contra formam conſtitutionis dicti Sixti prædeceſſoris, & præſentis declarationis, & extenſionis noſtræ diſponere potuiſſe & poſſe, ac ipſas Reſpublicas, Communitates, Vniverſitates, & Collegia extra dictum Statum Eccleſiaſticum exiſtentia, & non Eccleſiaſtica, necnon Principes extraneos hujuſmodi ad bonorum ſtabilium, & aliorum ſupradictorum acquiſitionem fuiſſe & eſſe omnino inhabiles, nullumque jus illis in quos dicta bona, iura, & alia ſupradicta prætextu ejuſdem permiſſionis hactenus tranſlata fuerunt, ſeu in futurum transferri contigerit, acquiſitum fuiſſe, aut acquiri poſſe, ſed ipſa bona ſtabilia, jura, & alia ſupradicta quoad diſpoſitiones jam factas, ad eos quos illa de jure, ſi diſponentes ab inteſtato deceſſiſſent, & diſpoſitiones hujuſmodi factæ minimè fuiſſent, pervenire debuiſſent & deberē, ſpectaſſe & pertinuiſſe, ac ſpectare & pertinere, ſervata in reliquis forma conſtitutionis ejuſdem Sixti prædeceſſoris, necnon inſtrumenta, contractus, teſtamēta, legata, codicillos, donationes, & alias quaſcumque diſpoſitiones in illas & illos quovis titulo, ut præfertur, factas & faciendas, ſive etiam Principes prædicti aliquo conſanguinitatis ſeu affinitatis vinculo ipſis diſponentibus conjuncti ſint, ſive non, & inde ſecuta quæcumque, fuiſſe, & eſſe nulla & nullas, nulliuſque roboris & momenti, ac inſtrumenta & ſcripturas deſuper edita & editas, ſive edenda, & edendas, etiam juramento vallata & vallatas, ſimiliter fuiſſe & eſſe nulla & nullas, ac nullius roboris & momenti, nullamque fidem feciſſe & facere, nec ex illis audiri, agi, & excipi potuiſſe & poſſe, in judicio & extra.

*Notariis earum diſpoſitionū & inſtrumentorū exhibitionem eis præcipit. Illiſque & contravenientibus contra has ordinationes pœnas imponit.*

§.7. Et ulterius, Tabelliones publicos, ac noſtros & Sedis Apoſtolicæ Notarios, etiam ex numero participantium, & alios quoſcumque de inſtrumentis & aliis diſpoſitionibus ſupradictis ſe rogare, aut alia conficere nullo modo potuiſſe & poſſe. Quinimò eos ipſa inſtrumenta & ſcripturas, jam facta & factas, teneri infra menſem à die publicationis præſentium computandum, Nobis & Sedi, ac Cameræ Apoſtolicæ revelare, & cum effectu exhibere. Habitatores præterea, ſubditos noſtros prædictos, ut præfertur, in futurum diſponentes, pœnas amiſſionis dictorum bonorum, & aliorum ſupradictorum, ita quod Sedes & Camera Apoſtolica eo ipſo poſſit illa propria auctoritate capere, & penes ſe retinere, viventibus ita diſponentibus, ipſis verò defunctis, eadem bona & alia ſupradicta, de quibus diſpoſitum fuerit, ad eos ad quos de jure, ſi diſponētes ab inteſtato deceſſiſſent, vel diſpoſitiones hujuſmodi factæ non fuiſſent, pervenire debent, omnino perveniant. Tabelliones verò & Notarios etiam ex numero participantium, & alios quoſcumque prædictos, inſtrumenta & ſcripturas hujuſmodi conficientes, ſeu jā facta & factas, ut præfertur, non revelantes & exhibentes, pœnam quoque falſi ac privationis Tabellionatus, & Notariatus, etiam ex numero participantium hujuſmodi, & aliorum officiorum quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia exercenda eo ipſo incurrere decernimus.

*Declaratque has bullas circa acquiſitiones Communitatum, & Principum extraneorum.*

§.8. Ceterùm declaramus diſpoſitiones, tam factas quàm pro tempore faciendas, in earum Rerumplicarum, Communitatum, Vniverſitatum, Collegiorum extra Statum Eccleſiaſticum exiſtentium, non Eccleſiaſticorum, necnō in Principum extraneorum hujuſmodi favorem, ad quas & quos tempore obitus diſponentium illorum bona aliàs de jure, ſi diſponentes ipſi ab inteſtato deceſſiſſent, pervenire debuiſſent, ſeu deberent, in præſenti noſtra conſtitutione non eſſe, nec fore comprehenſas, pro ea tamen rata in qua dictæ Reſpublicæ, Communitates, Vniverſitates, Collegia, & Principes præfati de jure communi, vel aliàs ab inteſtato, tempore mortis dictorum diſponentium, & non ante fuiſſent & eſſent ſucceſſuri: & tunc quoque volumus ſervari formam cōſtitutionis dicti Sixti prædeceſſoris, quod ſcilicet Reſpublicæ, Communitates, Vniverſitates, Collegia, & Principes præfati teneantur intra triennium bona ipſa in habitatores dicti Status Eccleſiaſtici transferre.

*Prohibet ſubditis ſeipſos ſupponere Communitatibus, & Principibus extraneis.*

§.9. Volumus autem ut unicuique privato, ſive noſtro & Status noſtri Eccleſiaſtici ſubdito, ſive extraneo, liberum ac licitum ſit in Alma Vrbe noſtra, quæ communis patria, & nationum omnium domicilium eſt, cum ejus ad decem millia paſſuum circuitu, nō ſolùm officia Romanæ

Curiæ,

Curiæ, & portiones ac loca montium, ſed quæcumque bona ſtabilia, & alia quæ ſtabilium loco habentur, tam ex quocumque genere contractus, quàm ex quavis diſpoſitione in ultima voluntate, ac etiam ab inteſtato acquirere, habere, retinere, & apprehendere poſſe, juxta conſtitutionis dicti Sixti prædeceſſoris continétiam & tenorem. Inſuper ut malitiis etiam & fraudibus, quæ in ſimilibus excogitari aut fieri poſſent, occurramus, Motu & auctoritate ſimilibus inhibemus quibuſcumque ſubditis Status noſtri Eccleſiaſtici ſupradictis, cujuſcumque ſimiliter dignitatis, ut præfertur, fuerint, ne de cætero aliquis eorum audeat vel præſumat ſeſe, aut Civitates, Oppida, Terras, Caſtra, fortalitia, juriſdictiones, feuda, res, & bona ſtabilia in quacumque ejuſdem Status Eccleſiaſtici parte exiſten. quovis modo ſubmittere vel ſupponere alicui protectioni, defenſioni, commendationi, ſive commendigiæ, ſalvæ guardiæ, ſubmiſſioni, ac confœderationi, ſeu etiam cuſtodiæ Rerumpublicarũ, Communitatũ, Vniverſitatum, Collegiorum extra dictum Statum Eccleſiaſticũ exiſtentium, ac Principum extraneorum ſupradictorum, cujuſcumque pariter dignitatis, ut præfertur, fuerint, aut eorum Capitaneorum & militum, ſeu ut ſubmiſſiones, aut alia præmiſſa fiant auctores eſſe, aut conſenſum præſtare, ſub confiſcationis ipſarum Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, juriſdictionum, feudorum, & bonorum ſtabilium ſupradictorum, & aliorum quorumcumque Cameræ Apoſtolicæ ipſo jure applicandorum, necnon criminis læſæ majeſtatis, & rebellionis in primo capite, eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis pœnis, quas nihilominus in ſupradictis omnibus caſibus verè & realiter, & ipſo facto incurriſſe, & incurrere per præſentes declaramus.

*Aut pro eis, aut eorum contemplatione quoquo modo obligare bona in Statu Eccleſiaſtico exiſtentia.*

§. 10. Præterea ut ſubditorum noſtrorum utilitati, ac Status Eccleſiaſtici tranquillitati magis conſulamus, quod de cetero nullus ex ſubditis Status noſtri Eccleſiaſtici præfatis, aliquas fidejuſſiones, cautiones, promiſſiones & obligationes, pro Rebuſpublicis, Communitatibus, Vniverſitatibus, Collegiis, quæ extra Statum Eccleſiaſticum exiſtunt, & Eccleſiaſtica non ſunt, necnon pro principibus extraneis quibuſcumque ſupradictis, ſeu illorum, ac alicujus eorum contéplatione & intuitu facere, dare & præſtare, ac aliàs quoquo modo ſeſe, eorũque Civitates, Oppida, Terras, Caſtra, juriſdictiones, feuda, res & bona ſtabilia ſupradicta, in quacumque ejuſdem Status Eccleſiaſtici parte, ac in ipſa etiam Vrbe exiſtétia, ac jura eis quovis modo competentia, & alia bona quæ loco ſtabilium habentur, ut præfertur, ad ipſos quovis modo ſpectantia, tam pro eis & aliquo eorum, ac eorũ, vel alicujus eorum intuitu & contemplatione, ad favorem quorumcumque extraneorum, vel etiam ſubditorum ejuſdem Status noſtri Eccleſiaſtici, quàm pro aliis quibuſvis, & aliorum quorumcumque intuitu ac contemplatione, ad favorem, & cõmodum ipſorummet Principum extraneorũ, & aliorum ſupradictorum obligare & hypothecare, aut etiam bona quæcumque ſtabilia, & alia ſupradicta, in commendam, aut in erectionem commendarum alicui ex militiis regularibus, quibus Reges, aut Principes extranei, nobis & Sedi Apoſt. non immediatè ſubjecti, in Adminiſtratores ſeu Magnos magiſtros deputati ſunt, concedere aut ut concedantur aliquo modo conſentire, ſine expreſſa præcedente noſtra & Romani Põtificis pro tempore exiſtentis licentia, ſub pœna amiſſionis dictorum bonorum, contra tenorem præſentium, ut præfertur, obligatorum & conceſſorum eo ipſo ſimiliter incurrenda, & Sedi ac Cameræ Apoſtolicæ applicanda poſſit, & valeat, ita quod in caſu contraventionis eidem Sedi & Cameræ Apoſtolicæ liceat viventibus ſupradictis, ita obligantibus & concedentibus dicta bona capere & penes ſe retinere, illis verò defunctis ad eos ad quos de jure pervenire debent, omninò perveniant. Quodque Tabelliones & Notarii, etiam ex numero participantium, & alii quicumque prædicti ſuper præmiſſis ſcripturas & inſtrumenta conficientes, pœnas privationis officiorum quæ obtinent, & perpetuæ inhabilitatis ad illa & alia exercenda eo ipſo incurrant, & nihilominus fidejuſſiones, cautiones, obligationes, hypothecæ, necnon conceſſiones & conſenſus prædicti per ipſos, ut præfertur, faciendæ, & præſtandi reſpectivè, ſint nullæ & nulli, ac nullius roboris & momenti, nec alicui quovis modo proſint, aut ſcripturæ, & inſtrumenta ſimiliter ſuper præmiſſis conficienda fidem faciant, vel ex illis audiri, agi, vel excipi poſſit in judicio vel extra, perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

*Decretum irritans.*

§. 11. Sicque, & non aliter, per quoſcumque judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interprètandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Præceptum obſervantiæ.*

§. 12. Mandantes eiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, ac Judicibus, nunc & pro tempore in toto Statu Eccleſiaſtico prædicto exiſtentibus, & eorum cuilibet, ut declarationem, extenſionem, decretum, inhibitionem, præceptum, & mandatum, ſtatutum, & ordinationem noſtram hujuſmodi in eodem Statu Eccleſiaſtico ab omnibus ad quos ſpectat & ſpectabit, perpetuò obſervari mandent & faciant, contradictores quoſcumque opportunis juris & facti remediis, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Clauſ. derog.*

§. 13. Non obſtantibus noſtra de non tollendo jure quæſito, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſcumque fideicommiſſis purificatis & purificandis, ac ultimis voluntatibus, donationibus, & pactis quibuſcumque, ac legibus, etiam municipalibus, necnon Vrbis & aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac privilegiis, gratiis, & indultis eiſdem Rebuſpublicis, Communitatibus, Vniverſitatibus, & Collegiis extra dictum Statum Eccleſiaſticum exiſtentibus, & non Eccleſiaſticis, necnon Principibus extraneis, ac etiam militiis præfatis, & quorumcumque Ordinum regularibus, Almæ Vrbi, necnon Populo Romano & quibuſcumque Civitatibus, Terris, & locis, nobis & Sedi Apoſtolicæ ſubjectis, etiamſi tales eſſent, quæ ſub generali expreſſione non venirent, ſed de illis ſpecialis, & individua mentio habenda foret, in genere vel in ſpecie, & ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmiſſorum hactenus quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, necnon omnibus illis, quæ prædictus Sixtus prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma & effectus publicationis, quã habes hic in fine.*

§. 14. Volumus autem, ut præſentes quæ in Conſiſtorio noſtro, & de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu prædicto promulgatæ ſunt, quoſcumque, tam præſentes quàm abſentes, & ubicumque etiam extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum exiſtentes, perinde obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum nominatim intimatæ fuiſſent. Et nihilominus ut illæ magis innoteſcant, mandamus eas valvis Eccleſiæ S. Joan. Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſt. de Vrbe, & in acie Campi Floræ appendi, & publicari, ac etiam volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum, in judicio & extra habeatur, quæ ipſiſmet præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.*

§. 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, innovationis, declarationis, extenſionis, ampliationis, decretorum, inhibitionis, præcepti, mandatorum, voluntatum, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſt. ejus, ſe noverit incurſurum.

*D. P. An. 10. die 4. Iulii.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1601. pridie Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno 10.

*...pa ſubſcr.* Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

*Protector noſter aſpice Deus.*

*...ini ſubſcr.* Iul. Antonius Epiſcopus Card. Præneſt. S. Severinæ.
Hieronym. Epiſc. Sabinen. Card. Ruſticuccius.
Alex. Epiſcopus Albanen. Card. Florent.
Ego Ant. Maria Card. Salviatus tit. S. Mariæ Tranſtyber.
Ego Aug. tit. S. Marci presb. Card. Veronenſis.
Ego Simon Card. de Terra nova tit. S. Laurent. in Lucina.
Ego Dominicus tit. Sancti Chryſogoni Card. Pinellus.
Ego Fr. Hieronymus Card. Aſculanus tit. S. Mariæ ſuper Minervam.
Ego Ant. Maria tit. S. Praxedis Card. Gallus.
Ego Ant. tit. S. Stephani in Monte Cœlio, Card. Saulius.
Ego Evangeliſta tit. S. Matth. in Merulan. Card. Cuſent.
Ego Marian. tit. SS. Marcelli, & Petri Card. de Camerino.
Ego Fr. Gregor. Card. de Mont'Elpero tit. S. Auguſtini.
Ego Paulus tit. S. Cæciliæ presb. Cardinalis Sfondratus.
Ego Benedictus tit. S. Priſcæ presbyter Card. Iuſtinianus.
Ego Franciſc. Maria tit. S. Mariæ in Aracœli presb. Card. à Monte.
Ego Octavius tit. S. Alexii presb. Cardinalis Palavicinus.
Ego Hieronymus Card. Matthæius tit. S. Pancratii.
Ego Flaminius tit. S. Mariæ de Pace Card. Platus.
Ego Lutius Card. Saxus tit. Sanctorum Quirici, & Julitæ.
Ego Franciſcus Maria tit. S. Bartholomæi in Inſula Card. de Senis.
Ego Camillus tit. SS. Io. & Pauli presb. Card. Burgheſius.
Ego Cæſar tit. SS. Nerei & Achillei presb. Card. Baron.
Ego Laurentius tit. S. Laurentii in Pane & Perna, Presb. Card. Blanchettus.
Ego Franciſ. tit. S. Tho. in Parione; Presb. Card. Mantica.
Ego Pompeius tit. S. Balbinæ Presb. Card. Arigonius.
Ego Dominicus tit. S. Petri in Monte aureo presb. Card. Tuſchus.
Ego Arnaldus tit. S. Euſebii Cardinalis Oſſatus.
Ego Paulus Æmilius presb. Card. S. Marcelli.
Ego Silvius tit. S. Salvatoris in Lauro presb. Card. Anton.
Ego Rob. tit. S. Mariæ in Via Presb. Card. Bellarminus.
Ego Bon. tit. S. Blaſii de Annulo presb. Card. Bonviſius.
Ego A. S. Laurentii in Damaſo diac. Cardinalis Montaltus, S.R.E. Vicecancell.
Ego Ant. Diac. Card. Sanctorum Quatuor Coronatorum.
Ego P. S. Nicolai in Carcere diac. Card. Aldobrandinus, S.R.E. Camerarius.
Ego Cynthius diac. Card. S. Georgii.
Ego Barth. S. Mariæ in Porticu diaconus Card. Cæſius.
Ego A. S. Angeli in foro Piſcario diac. Card. Perettus.
Ego Ioan. Bapt. S. Mariæ in Coſmedin, diac. Card. Detus.

*...licatio.* *Anno à Nativitate D.* 1601. *indict.* 14. *die vero* 7. *menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D.N.D. Clementis Divina Providentia Papæ VIII. Anno eius* 10. *retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum, per nos Catherinum Menandi, & Laërtium Cecchettum Apoſtolic. Curſ. &c.*

*Auguſtinus Braccherius Magiſter Curſ.*

...XXX. Præfinitio formæ communicationis Indulgentiarum, orationumque, &c. ſervandæ à Fratribus B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, ſtatis diebus, quibus ipſi generalem benedictionem facere conſueverunt.

*Conſimilem formam hic idem Pont. præſcripſit Ordini Fratrum Sanctiſſ. Trinitatis ſimili Redemptionis, inf. in conſt.* 85. *Decet, quæ etiam huic Ordini communis eſt, ut ibi legitur.*

*...ita An. D. ...01. & ...01. ...c Pont. ...ceſſit Or... ...i ſolem... ...m celebra... ...m S. ...urentii & Antonii, ut*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm nos alias, ut in univerſo Ordine Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, dies feſti S. Laurentii Martyris, quo die Ordo prædictus fundatus fuit, ac S. Antonii Abbatis, quo die ipſe Ordo à fel. rec. Gregorio Papa Nono prædeceſſore noſtro confirmatus fuit, in fundationis & confirmationis hujuſmodi memoriam, ſingulis annis ſolemniter celebrarentur, conceſſerimus, prout in noſtris ſub dat. die 10. Martii 1600. expeditis literis plenius continetur.

*ſup. in conſt. 4. Infirma. ubi indicavit bullas hujus Ordinis.*

§. 1. Cumque ex antiquo ejuſdem Ordinis inſtituto diebus S. Catharinæ Virginis & Martyris, feriæ quartæ Cinerum, & feriæ quintæ in Cœna Domini in ipſo Ordine abſolutio, & benedictio generalis fieri ſoleat, quæ etiam per nos pridem confirmata fuit, prout in aliis noſtris ſub data die 20. Aprilis 1592. Pontificatus noſtri Anno primo expeditis in forma brevis literis, pleniùs etiam continetur.

*Ordo conſuevit facere benedictionem generalem feria 4. Cinerum, & feria 5. Cœna Domini, & in die S. Catharinæ.*

§. 2. Nos volentes Ordinem prædictum, ejuſque Religioſos amplioribus favoribus & gratiis proſequi, ſupplicationibus dilecti filii Bernardi de Vargas, ejuſdẽ Ordinis Procuratoris generalis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, ut ſimilis abſolutio & benedictio generalis, etiam ſupradictis duobus diebus feſtis S. Laurentii & S. Antonii in prædicto Ordine, ejuſque Monaſteriis & Conventibus fieri poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus.

*Hic Pont. modò concedit, ut omnibus ſupradictis diebus eadem benedictio fieri poſſit.*

§. 3. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Contraria tollit.*

§. 4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem quæ præſentibus ipſis, fides habeatur.

*Exemplis credi mandat.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Iulii, milleſimo ſexceteſimo primo, Pontificatus noſtri Anno decimo.

*Dat. P. A. 10. die 24. Iulii.*

*Sequitur forma benedictionis.*

*Edita An. D. 1601.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CVm ad uberes miſericordiæ fructus, quos Ordo B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, qui divino inſtinctu per ejuſdem Beatiſſ. ſemper Virg. Mariæ revelationem B. Raymundo de Peniafort, nuper a nobis in Sanctorum numerum relato, & cla. mem. Iacobo Aragonum Regi, ac Petro Nolaſco dicti Ordin. primo profeſſori factam inſtitutus, & à fel. recor. Gregorio PP. IX. prædeceſſore noſtro confirmatus fuit, in agro militantis Eccleſiæ pro redemptione Captivorum, qui in miſera ſervitute, & ſalutis animæ periculo à Mauris & aliis infidelibus detinentur, continuò producere dignoſcitur, noſtræ dirigimus conſiderationis intuitum, facilè inducimur ut Ordinem prædictum ſpecialibus favoribus, & gratiis libenter proſequamur, & ea quæ circa ſpiritualium ejuſdem Ord. Indulgentiarum communicationem pro majori fidelium devotione, & ædificatione per ejuſdem Ord. Religioſos fieri ſolent, noſtræ declarationis ſtabilitate roboremus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Laudatur hic Ordo ex revelatione B.M. inſtitutus, & à Greg. IX. confirmatus ſup. in conſt. eius 9. Devotionis.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, in ejuſdem Ordinis Cõventibus, ac Regularibus Eccleſiis, ab immemorabili tempore Summorum Pontificum auctoritate & conceſſione, indulgentiarum communicatio ſub quadam precationum forma, certis quibuſdam anni diebus fieri ſoleret, & circa hujuſmodi communicationem quoſdam abuſus irrepſiſſe, nec certam formam auctoritate Apoſt. conſtitutam eſſe appareret.

*Conſuevit Ordo certis anni diebus Indulgentias aliis communicare, & in hoc quidam exiant abuſus.*

§. 2. Nos pro noſtri Paſtoralis muneris debito fidelium animarum ſalutis, ac ejuſdem Ordinis decori conſulere, ac certam in præmiſſis formam ſtatuere, aliaſque deſuper opportunè providere volentes, ex voto etiam venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Congregationi ſacrorum Rituum Præpoſitorum, quibus hoc negotium examinandum commiſimus, ac ex certa noſtra ſcientia, & matura deliberatione, quoad inſtitutum & ritum abſolutionis, quam vocant, & communicationem indulgentiarum, quæ in prædicto Ordine fieri ſolent, hanc de cetero formam (antiqua conſuetudine prorſus perpetuò abrogata) in perpetuum ſervari volumus, atque Apoſt. auctoritate tenore præſentium perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ut nimirum diebus ſolitis, ab Apoſtolica Sede conceſſis, communicatio indulgentiarum, quas prædictus Ordo B. MARIÆ de Mercede ex conceſſione,

*Hic ideo Pont. communicationem indulgent. permittit, & abſolutionem prohibet.*

& indulto Sedis Apoſt. aliis poteſt communicare, non autem abſolutio ut priùs fiebat, fieri poſſit.

*Communicationis prædictæ formam tradit iuxta normam à Vicario P. præfinitam Ordini Sanctiſſim. Trinitatis, cit. in rubr. Hac emendatio hic infra enunciatur.*

§. 3. Hujuſmodi verò communicationem indulgentiarum tantummodo confratribus, & conſororibus ejuſdem Ordinis, in Eccleſiis ipſius Ordinis præſentibus, & non aliis, & diebus ſupradictis, cum Pſalmis, Verſiculis & Orationibus, quæ jam Romæ recognitæ, & à dilecto filio noſtro in Vrbe Vicario probatæ, & à dicta congregatione reformatæ ſunt, fieri liceat. Et ad dictam communicationem indulgentiarum ſingulis diebus prædictis obtinendam, confratres & conſorotes prædicti ſint contriti, confeſſi, ac ſacra communione refecti, aliàs prædictas indulgentias non conſequantur.

*Communicationemque bonorum operum certa data forma permittit.*

§. 4. Communicationem etiam orationum, jejuniorum, miſſarum, aliorumque bonorum operum quæ fiunt in dicto Ordine ſupradictis diebus, confratribus tantum & conſororibus, qui præſentes fuerint, ut de indulgentiis ſupradictum eſt, fieri poſſe permittimus & concedimus. Formam autem hujus communicationis fieri volumus nudis & ſimplicibus verbis in hunc ferè modum, videlicet: Item communicamus vobis fratres, orationes, jejunia, miſſas, peregrinationes & labores pro redimendis etiam captivis ſuſceptos, ceteraque opera bona, quæ per Dei gratiam in noſtra Congregatione, & Ordine fiunt. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

*Populi invitationem fieri prohibet.*

§. 5. Ceterum expreſsè prohibemus, ne populus in Civitatibus, Terris, & locis publicè invitetur à dicti Ordinis fratribus ad ſuas Eccleſias ad conſequen. ſupradictam communicationem indulgentiarum, & bondrum operum, hoc eſt in plateis, viis, & locis publicis non apponantur cedulæ impreſſæ, ſeu manuſcriptæ, quibus indicetur & promulgetur talis communicatio indulgentiarum.

*Obſervantiamque huius bulla præcipit.*

§. 6. Mandantes propterea univerſis & ſingulis ejuſdem Ordinis Superioribus & Fratribus, ut præſcriptam hanc formam perpetuò obſervare ſtudeant, nec illam quovis modo præterire audeant, ſeu præſumant, irritum nihilominus decernentes & inane quicquid ſecus ſuper his ab ipſis quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derogat.*

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, ac ſupradictis illius Superioribus & fratribus, ac quibuſvis aliis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet confirmatis ac approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 11. die 9. Iulii.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 9. Iulii milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno 11.

*Sequitur forma d. communicationis à Vicario Papa probata, & ſuprà enunciata.*

Tu adverte quod aliqua verba in §. xj. & xij. ſunt correcta ut notavi ibi in margine. Et hanc correctionem hic idem Pontif. tradit in conſtitut 85. §. 7. Poſtea ab eo edita pro Fratribus Sanctiſſimæ TRINITATIS, & Redemptionis

*Forma abſolutionis & orationum ſervanda à fratribus Ordinis Sanctiſſima TRINITATIS Redemptionis Captivorum.*

*Vicarius Papa, de eius ordine dies generalis benedictionis deſignat.*

*Hieronymus Epiſcopus Sabinen. Sancta Romana Eccleſia Cardinalis Ruſticuccius nuncupatus, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papa Vicarius generalis, Romanaque Curia Iudex Ordinarius, Dilectis nobis in Chriſto Miniſtris & Fratribus Ordinis Sanctiſſima TRINITATIS Redemptionis Captivorum, ſalutem, Deique benedictionem.*

*Exordium.*

ETſi cunctæ Orbis Eccleſiæ ſub ſanctorum fundatæ vocabulis, ſint pia devotione fidelium venerandæ, illas tamen quæ in honorem, & ſub vocabulo Sacroſanctæ & Individuæ TRINITATIS dicatæ noſcuntur, eo excellentiori memoria convenit venerari, quo ipſa ſancta TRINITAS immediatius & perfectius vota fidelium dirigit, & ad gratiam exauditionis admittit. Cum ergo Ordo Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, nutu divino per fel. record. Innocentium Papam Tertium, ſub tali titulo & nomine inſtitutus eſſe dignoſcatur, meritò à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialibus gratiis, & favoribus decoratur. Et nos ut Chriſti fidelium devotio viſitandi Eccleſias dicti Ordinis in *dies augeatur, necnon ad acquirendas gratias in eiſdem conceſſas eo ferventius & devotius diſponantur*, auctoritate Apoſtolica à Sanctiſſ. D. N. Papa ſpecialiter nobis conceſſa, ut preces & orationes, ac denique abſolutionem, quæ in Eccleſiis & Monaſteriis dicti Ordinis diebus cinerum, Cœnæ Domini, & Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris dici & fieri conſuetum eſt, etiam in omnibus feſtivitatibus Sanctiſſimæ TRINITATIS, dicere & facere poſſint publicè & ſolemniter, tenore præſentium licentiam & facultatem eiſdem Miniſtris & fratribus concedimu.

§. 1. Quoniam autem formam abſolutionis prædictæ viris probis & doctis noſtræ ſacræ Congregationis, auctoritate prædicta examinan. commiſimus, ne aliquis ſcrupulus, ſive ambigendi locus circa eam in poſterum relinquatur, abſolutionem ipſam, preces & orationes, modo quo recitari debent, ut evidentius exprimantur, his præſentibus adnotandas duximus, videlicet. *Orationum normam finit.*

Antiphona.

Intret oratio mea. *Deinde dicantur Septem Pſalmi Pœnitentiales, in totum vel in partem, quibus finitis repetitur.*

Antiphona.

Intret oratio mea in conſpectu tuo Domine, inclina aurem tuam ad preces noſtras, parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti ſanguine tuo pretioſo, ne in æternum iraſcaris nobis.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus Meus, &c.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion. &c.
℣. Eſto eis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis, &c.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus, &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

§. 2. ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, exaudi clementer, ut quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti tui operis miniſtrum, da fiduciam tui operis exequendi, & in meo miniſterio quod tuæ pietatis eſt, operari. Per Chriſtum, &c. *Oratio.*

§. 3. EXaudi Domine preces noſtras, & cõfitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum, &c. *Oratio.*

§. 4. PRæveniat hos famulos tuos, quæſumus Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per Chriſtum, &c. *Oratio.*

§. 5. PRæſta quæſumus Domine his famulis tuis dignum Pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarunt peccando, admiſſorũ reddantur innoxii veniam conſequendo. Per Chriſtum, &c. *Oratio.*

§. 6. ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab his famulis tuis clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana, eorumque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus à te ſeparati, tibi Domino ſemper valeant adhærere. Per Chriſtum, &c. *Oratio.*

§. 7. DOmine Deus noſter, qui offenſione noſtra iraſceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice quæſumus ſuper hos famulos tuos, qui ſe tibi graviter peccaſſe confitentur: tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quàm mortem. Concede ergo *Oratio.*

Domine

Domine his ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratulentur. Per Chriſtum, &c.

*[...]ratio.* §.8. DEus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui ſanguine redemiſti: vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori deſideras, & qui non derelinquis devios, aſſume correctos. Per Chriſtum, &c.

*[...]ratio.* §.9. MOveant pietatem tuam quæſumus Domine hæc famulorum tuorum lacrymoſa ſuſpiria, tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatos lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Per Chriſtum, &c.

*[...]ratio.* §.10. TIbi ergo Domine ſupplices preces cum fletu cordis effundimus, tu parce cōfitentibus, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua te adjuvāte defleant, quatenus in tremendi judicii die ſententiam æternæ damnationis evadant, & neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroribus ad iter reverſi, juſtitiæ nequaquam vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis, atque perpetuum, quod gratia contulit, & quod miſericordia reformavit. Per Chriſtum, &c.

*Hic non dicitur,* Oremus.

*[...]ſolutionis formam [...]* §.11. COncedimus vobis Fratribus Facultatem, ex auctoritate nobis à Pōtificibus Romanis indulta, ut conſequi poſſitis omnes & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones noſtræ hujuſmodi ſacræ Religioni conceſſas, juxta privilegiorum tenores ab eadem Sede Apoſtolica obtentorum, & in quantum veſtra expetit oratio, & ad nos pertinet juriſdictio, ſit vobis Omnipotens Deus indultor omnium criminum veſtrorum, deleat atque dimittat omnia peccata veſtra Dominus noſter Jesus-Christus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

*[...]ut verba [...]ata ſunt [...]tr da, [...]ſtavi [...] in prin[...]*

*Hic non dicitur,* Oremus.

*[...]verbo [...]utiam, [...]poteſta[...] [...]unt nota[...] [...]bi ſuprà [...]rime [...]am om[...] [...]ſervari [...]cipit.* §.12. DOminus noſter Jesus-Christus, qui beato Petro Apoſtolo dedit licentiam animas ligandi atque ſolvendi, ille vos abſolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum.

§.13. Quam quidem formam & tenorem prædictarum à quoquam innovari, immutari, ſive impediri, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda omnino prohibemus, & ſecundum eam, & non aliter, liceat prædictis fratribus in futurum prædicta abſolutione, & orationibus pacificè & quietè uti, frui, potiri, & gaudere, quibuſcumque non obſtantibus. In quorum omnium & ſingulorum fidem has præſentes noſtras literas exinde fieri, & per Reverendiſſimum Dominum Paulum de Curte Epiſcopum Iſernien. noſtrum Viceſgerentem, necnon per Notarium Curiæ noſtræ ſubſcribi, ſigillique noſtri, quo in talibus utimur, juſſimus & fecimus impreſſione muniri.

*[...]t. die 20. [...]aii 1600.* Datum Romæ ex Ædibus noſtris, Anno à Nativitate Domini noſtri Jesu Christi milleſimo ſexcenteſimo, indictione decimatertia, die verò vigeſima menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Clementis divina providentia Papæ Octavi, Anno ejus nono.

Paulus Epiſc. Iſernien. Viſceſg.

---

## XXX. Renovatio ſacræ Eremi S. Mariæ Montis Senarii prope Civitatem Florentiæ, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis. Et præfinitio conſtitutionum pro recto ejus regimine, Novitiatuſque in ipſa Eremo inſtitutio.

*Has conſtitutiones opportunius deinde auctas & caſtigatas comprobavit Paulus V. die 22. Octobris 1612. Qui etiam ſuper receptione Novitiorum, & moderatione Ieiunii in pane & aqua, aliam edidit ſanctionem, infrà in ſua conſtit. 51. Sedis.*

De hoc Ordine Servitarum vide quæ ad conſtitut. 1. Benedicti XI. adnotata fuere ſup. tom. 1.

### CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1593. 1600. & 1601. Exordium.*

DEcet Romanum Pontificem in his auctoritatis ſuæ partes libenter interponere, per quæ divinus cultus augeatur, & Regularium Ordinum reformatio felices in Domino progreſſus facere, & majora quotidie valeat ſuſcipere incrementa.

§.1. Sanè dilectus filius noſter Alexander tituli ſancti Petri in Vincula presbyter Cardinalis Florentinus, nomine dilectorum filiorum Lælii Ballioni de Florentia, Prioris generalis Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ, ac Prioris & Fratrum domus ejuſdem Beatæ Mariæ Annunciatæ Civitatis Florentiæ dicti Ordinis, nobis nuper expoſuit, quod cum dicti Ordinis prima inſtitutio à ſeptem nobilibus & religioſis viris Florentinis, quodam in Monte, Senario nuncupato, octavo à Civitate Florentina lapide poſito, ubi dictorum inſtitutorum corpora requieſcunt, originem duxerit, & eodem loco Convētus tenuis reditus, & anguſtus dudum extructus fuerit, in quo nunc tres ſoli Fratres dicti Ordinis commorari ſolent, dicti Prior generalis, & Prior Conventus dictæ domus Annunciatæ primitivi dicti eorum Ordinis inſtituti, & originis memoria excitati, eodem in loco anguſtiorem domum & Eccleſiam extruere, illucque ſeptem fratres profeſſos prædicti Ord. qui ad primævi Ord. inſtituti normam perpetuis futuris temporibus, cœleſtium, divinarumque rerum contemplationi vacantes, gratum Altiſſimo in eremitica vita famulatum præſtent, & aliquot alios fratres converſos, qui omnes annum vigeſimum quintum excedant, introducere decreverunt. *Proponitur Papa reſtitutio primævi Inſtituti Eremi Montis Senarii Ordinis Fratrū Servorum B. Mariæ Virg.*

§.2. Ipſiſque Fratribus in dicto Conventu Montis Senarii, cui ſacra Eremus Montis Senarii Ordinis denominatio erit, ultra alia ſpiritualia Ordinis prædicti exercitia, quæ in ipſis Ordinis conſtitutionibus, & S. Auguſtini Regula, ſub qua degunt, præcipiuntur, hæc nominatim impoſita eſſe volunt onera. *Ubi hæc inter alia præcipua ſint exercitia.*

§.3. Ut nimirum nullo tempore carnibus, ſed lacticiniis tantum veſci poſſint. *Carnib. nuſquam veſci.*

§.4. Secunda, quarta, & ſexta feriis totius anni jejunare, ſed in ipſa ſexta ſemper, & in reliquis ſecunda & quarta feriis hujuſmodi, in Adventu & Quadrageſima jejunium cum pane & aqua tantum facere teneantur. *Ieiunare ſecunda, quarta & ſexta feriis, & in Quadrageſima & Adventu.*

§.5. Utque in eo conventu illud regularis vitæ inſtitutum, quod à primis illis inſtitutoribus obſervabatur, ſervari debeat, ita ut verè ſint illis omnia communia, cor unum & anima una in Domino juxta beati Auguſtini regulam, quam profitentur. *Proprietatē que non agnoſcere.*

§.6. Intendunt præterea fabricam dicti conventus ſumptibus, & impenſis prædictæ domus Annunciatæ facere, ac deinde Fratribus hujuſmodi in eodem conventu pro tempore degentibus, victum & veſtitum, aliaque neceſſaria, tam pro divino cultu, quàm pro conventus reſtauratione ex annuis ejuſdem domus Annunciatæ redditibus ſubminiſtrare, dummodo tamen ipſe conventus, ſeu ſacra Eremus, tanquam ipſius domus Annunciatæ membrum, ab ipſa domo dependeat, ac Superiorum dictæ domus, Prioriſque provincialis Provinciæ Tuſciæ, in qua dicta domus Annunciatæ conſiſtit, atque Prioris generalis pro tempore totius Ordinis Fratrum Servorum juriſdictioni, tam in ſpiritualibus quàm temporalibus, prout aliæ omnes domus & conventus prædicti Ordinis ſubſit, nec ullo unquam tempore quavis de cauſa, colore, vel ingenio à dicta ſuperioritate & obedientia ſubtrahi, vel quoquo modo eximi poſſit, ſed ſingulo trāſacto biennio, juxta conſtitutionum Ordinis formam, à Priore, & à Fratribus ejuſdem Conventus Annunciatæ de Vicario provideatur, qui ſub obedientia dicti Prioris Conventus Annunciatæ, prout alii Vicarii conventuū illi unitorum, ex præſcripto literarum fel. recor. Greg. Papæ Decimitertii prædeceſſoris noſtri, ſuper regimine dicti Conventus Annunciatæ emanatarum ſubſunt, maneat. *Reſtauratio dictæ Eremi & gubernatio ſ[...]ctaret ad Conventum Annunciatæ Civitatis Florentiæ, ejuſque membrum perpetuò eſſet.*

§.7. Cum autem dicti Lælius Prior generalis, ac Prior & conventus domus Annunciatæ prædictæ, cupiant præmiſſa omnia, ut perpetuò firmiora ſubſiſtant, Apoſtolicæ noſtræ auctoritatis patrocinio cōmuniri, nobiſq; propterea humiliter ſupplicari fecerint, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Confirmatio Pontificia à Priore generali, & Priore & conventu domus Annunciatæ petitur conceditúrque.*

§.8. Nos Religioſorum votis, divini præſertim cul-

tus, & regularis obſervantiæ incromentum reſpicienti-bus, quantum cum Domino poſſumus, benigne faventes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, laudabile dictorum Prioris Generalis, ac Prioris & Conventus Annunciatæ propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendamus, ipſiuſque erectionem, extructionem, introductionem, aliaque omnia & ſingula præmiſſa, prout ſupra expreſſum eſt, accedente tamen Ordinarii loci conſenſu, & ſine cujuſquam præjudicio, faciendi, ſtatuendi, ordinandi & exequendi plenam & liberam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus & impartimur, eademque omnia & ſingula, ſi & poſtquam facta fuerint, auctoritate & tenore prædictis confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ confirmationis robur adjicimus, omneſque & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem ſupplemus.

*Eremi Senarii titulus conceditur, & membrum Domus annunciata declaratur.*

§. 9. Atque domum ſeu Conventum, cui ſacræ Eremi Montis Senarii ejuſdem Ordinis Servorum denominationem & titulum concedimus & aſſignamus, tanquam membrum dicti Conventus Annunciatæ dependere, ipſiuſque Vicarium ſingulo quoque biennio per Priorem & Conventum Annunciatæ eligendum.

*Superioribus d. Domus, ac Priori Provinciali, & Generali perpetuò ſubiicitur.*

§. 10. Ac fratres & Religioſos ipſius Conventus Annunciatæ, Superioribus & Priori Provinciali, ac Generali prædictis ſubeſſe, neque ab hujuſmodi obedientia quovis prætextu, cauſa, ingenio vel quæſito colore ſubtrahi aut eximi poſſe.

*Prior & Conventus Annunciata neceſſaria Eremo ſubminiſtrent.*

§. 11. Ipſos verò Priorem & Conventum Annunciatæ victum & veſtitum, aliaque neceſſaria, tam pro divino cultu, quam pro manutentione & reſtauratione domus prædictæ ſacræ Eremi, illiuſque Fratribus & Religioſis in perpetuum ſubminiſtrare debere.

*In contrariũ attentanda irritantur.*

§. 12. Sicque per quoſcumque dicti Ordinis Superiores, & alios Iudices ordinarios & delegatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Executores huius conſt. deputantur.*

§. 13. Quocirca Venerabili fratri Archiepiſcopo Florentino, ac dilectis filiis ipſius Ordinis apud nos & Apoſtolicam Sedem protectori, ac noſtro & Apoſtolicæ Sedis apud Magnum Etruriæ Ducem Nuncio, & pro tempore exiſtentibus, per præſentes committimus & mandamus, ut ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe, vel alios, ubi & quando opus fuerit, præſentes literas ſolemniter publicantes, atque pii hujuſmodi & laudabilis operis inſtitutioni & conſervationi efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra omnia & ſingula præmiſſa, per eos ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit, exequi & obſervari, præſertim, verò dictos Priorem & Conventum Annunciatæ ad idem ſanctum opus exequendum & manutenendum, ut ſupra, ne impii dæmonis aſtu, temporumve iniquitate, aut fratrum incuria perire, aut intermitti valeant, excitent, & ſi opus ſit, cogant & compellant. Contradictores quoſlibet per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*Contraria removentur.*

§. 14. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, ac ordinationibus, ac Ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 2. die 22. Octob.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Octobris 1593. Pontificatus noſtri Anno 2.

---

*Edita A. D. 1600.*

Sequitur alia Ordinationum dictæ ſacræ Eremi præfinitio.

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN his rebus auctoritatis noſtræ partes libenter interponimus, per quas Religioſorum ſtatui proſperè dirigendo opportunè provideatur.

*Confirmatio præcedentis conſtitut.*

§. 15. Cupientes igitur proſpero ſtatui & felici gubernio domus, & Eremi Montis Senarii Ordinis Servorum B. MARIÆ Florentinæ Diœceſis, quantum cum Domino poſſumus, ſalubriter conſulere, ſupplicationibus pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis d. Ordinis, ac Prioris Conventus B. MARIÆ Annunciatæ Civitatis Florentinæ, ejuſdem Ordinis Fratrum Servorum, necnon Vicarii & Fratrum dictæ Eremi Montis Senarii, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eos omnes & ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ex ſententia & voto venerabilis fratris Julii Antonii Epiſcopi Præneſtini, Cardinalis Sanctæ Severinæ nuncupati, ultra ea, quæ per alias noſtras in ſimili forma Brevis literas, ſub Dat. 22. Octobris 1593. Pontificatus noſtri Anno ſecundo expeditas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pro dicta Eremo Montis Senarii conceſſimus, quæ omnia & ſingula per præſentes etiam perpetuò confirmamus & approbamus, ac perpetuò valida, firma & efficacia eſſe & fore decernimus.

*Vicarius Eremi eligatur ex ipſis Eremitis.*

§. 16. Quod Vicarius eligendus pro regimine domus & eremi prædictæ Montis Senarii pro tempore in perpetuum ſit & eſſe debeat unus ex ipſis Eremitis, Sacerdos ætatis annorũ ſuprà 33. qui ſaltem per biẽnium in Eremo vixerit, vel in illius defectum ille ex Eremitis pro Vicario eligatur, qui magis accedit ad hujuſmodi conditiones.

*Eremitarum profeſſio qualis eſſe debeat.*

§. 17. Quodque omnes fratres Eremitæ probationis annum in dicta Eremo agere debeant, quamvis alias in familia aliorum fratrum Eremitarum profeſſionem emiſerint: quo anno elapſo ſolemniter profiteri in manibus Prioris Conventus Annunciatæ ſupradicti teneantur, promittendo juxta conſtitutiones factas & faciendas inter Fratres ipſos Eremitas perpetuò vivere.

*Poſt eam ab Eremo diverti poſſit.*

§. 18. Poſt emiſſam vero profeſſionem ab hujuſmodi inſtituto à Superioribus, cujuſcumque gradus ſint, etiamſi Cardinalatus dignitate præfulgeant, quoquo modo etiam ad breve tempus divertere non poſſint, quacumque relaxatione, ſeu diſpenſatione penitus exploſa.

*Superiorum auctoritas dandi licentiam circa ſervitium Chori, & ieiunium.*

§. 19. Liceat tamen Superioribus licentiam concedere infirmis, & aliis ob aliquam legitimam cauſam, ut à ſervitio Chori ſint immunes, non ab obſervatione jejunii à conſtitutionibus Eremi indicti generaliter, quando dies feſtus ſolemnis incidit in ferias jejuniorum, ſeu ad jejunandum, quo caſu altera die ejuſdem hebdomadæ fratres jejunent, ita ut in qualibet hebdomada trium dierum jejunium compleatur.

*Novitiorum recipiendorum forma datur.*

§. 20. Quod ſæculares Novitii recipiendi & admittendi, ſint ſaltem ætatis annorum viginti duorum, ac recipi & admitti non poſſint niſi de conſenſu Capituli fratrum ipſius domus & Eremi, necnon Prioris & Magiſtri Novitiorum Conventus Annunciatæ, quorum inſimul convenientium ſuffragiis obtinere debeant, aliorum Superiorum conſenſu minimè requiſito. Fratres verò de familia jam profeſſi, qui vitam & obſervantiam fratrum Eremitarum profiteri voluerint, non admittantur niſi præcedente ejus conſenſu Capituli Conventus Annunciatæ. Rejici autem vel admitti ad profeſſionem debeant tam fratres de familia prædicti, quàm alii à ſæculo venientes Novitii de voto & auctoritate tantummodo fratrum ipſius Eremi, & poſt emiſſam profeſſionem unuſquiſque contentus ſit loco ſibi debito ratione temporis emiſſæ profeſſionis, nullo habito reſpectu graduũ Magiſterii, Baccalaureatus, vel alterius dignitatis cujuſcũque.

*Eſus carnium infirmis ut concedatur. Aliis verò non in ipſa Eremo.*

§. 21. Quod non liceat fratribus hujus Eremi etiam iter agentib. veſci carnib. niſi ex cauſa infirmitatis, & tunc de cõſilio Medici Phyſici, & de licentia Superioris Eremi.

§. 22. Quinimmò in ipſa Eremo, nec etiam quibuſvis aliis, cujuſcumque gradus, ſtatus, & conditionis ſint, permittatur carnes comedere, ſed cibis ipſis conceſſis, & non aliis uti debeant.

*Hoſpites per duos tantummodo dies recipiantur.*

§. 23. Et quicumque illi ſint, exceptis Superioribus, & quibus à Priore Conventus ad pœnitentiam injunctum eſſet ut eandem vitam cum ipſis Eremitis per plures dies ducerent, per duos tantum dies ad hoſpitium recipiantur, quibus elapſis, hoſpitii & victus ſubminiſtratio omnibus denegetur.

§. 24 Qod

§.24. Quod Fratres Eremi poſſint exigere, conſequi & habere quæcumque legata & eleemoſynas, quæ ipſi Eremo fient, necnon quæcumque bona mobilia & immobilia, ac ſe moventia; quæ Eremo quomodolibet obvenient, per ingreſſum, & profeſſionem Novitiorum, ſeu alios quomodocumque ac qualitercumque.

§.25. Quæ legata, eleemoſynæ & bona ſint & eſſe intelligantur Eremi prædictæ, ut ex eis, eorumque redditibus, non ſolum fratrum ibi degentium ſuſtentationi, ac Sacriſtiæ neceſſitati provideri valeat, ſed etiam ut abſque gravamine Conventus Annunciatæ poſſit augeri Eremitarum numerus, liceatque novas cellas conſtruere, etiam pro iis qui vitam vellent ducere omnino ſolitariam, quod fiat de conſenſu Diſcretorum dicti conventus Annunciatæ, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſtatuimus & ordinamus, atque concedimus & indulgemus.

§.26. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, aut eremi & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Decembris 1600. Pontificatus noſtri Anno 8.

*Sequitur erectio Novitiatus in d. Eremo.*

*CLEMENS PAPA VIII. &c.*

§.27. Ordinis veſtri conſervationi & propagationi quantum cum Domino poſſumus, proſpicere cupientes, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in ſacra Eremo Montis Senatii Novitiatum veſtri Ordinis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium erigimus & inſtituimus.

§.28. Vobiſque, ut in eremo prædicta Novitios qui qualitates requiſitas juxta conſtitutionem noſtram ſuper receptione Novitiorum nuper editam habeant, ac ſervata in omnibus & per omnia d. conſtitutionis forma, ad habitum per Eremitas veſtri Ordinis geſtari ſolitum recipere, & deinde elapſo probationis anno, ad profeſſionem per eoſdem Eremitas emitti conſuetam regularem admittere liberè & licitè poſſitis & valeatis, auctoritate & tenore præſentis, licentiam & facultatem concedimus, & impartimur.

§.29. Non obſtantibus probatione facta, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 20. Februarii 1601. Pontificatus noſtri Anno 10.

---

LXXXI. Quod Inquiſitores hæreticæ pravitatis, & locorum Ordinarii, eos qui ad presbyteratus ordinem non promoti, Miſſas celebrant, vel Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrant, prævia degradatione, Curiæ ſæculari debitis ab ea plectendi pœnis tradant.

*Hos Inquiſitores hujuſmodi reorum cauſas cognoſcere poſſe, declaravit ultra Paulum IV. & Sixtum V. in iſta conſtitutione relatos Gregorius XIII. ſup. in ejus conſtitut. 21. Officii, lib. 2.*

Iſtam Sanctionem ad omnes quantumcumque exemptos, minores vigintiquinque annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleverint, extendit S.D.N. Vrban. VIII. conſt. 79. Apoſtolatus, inf. tom. 4.

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1601. Paulus IV. cujus bullā non inveni, decrevit ab Inquiſitoribus tradendos eſſe Curiæ ſæculari auctoritatem Sacerdotis uſurpantes.*

Etſi aliàs fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter ad nefariam & ſacrilegam quorumdam hominum temeritatem coërcendā, qui cum ad Sacrum presbyteratus ordinem minimè promoti ſint, Sacerdotis tamen auctoritatem ſibi temerè aſſumentes, Miſſarum celebrationem uſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumunt, decreverit hujuſmodi delinquentes à Sanctæ Inquiſitionis Judicibus tradi debere Curiæ ſæculari debita animadverſione puniendos.



*Sixtus V. illud innovavit, ſed neque ejus conſtit. poſſum habere relatam.*

§.1. Et poſtea rec. mem. Sixtus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, prædictum Pauli IV. decretum innovari, ac ſeriò obſervari mandaverit, eò tamen dictorum hominum prorupit audacia; ut prætextu ignorationis hujuſmodi decretorum ac pœnarum, contra ipſos, ut præfertur, inflictarum, illis ſe minimè ſubjacere, & obnoxios eſſe putent, ac propterea ſe ab eiſdem liberari & abſolvi poſſe prætendant.

*Hic modo Pontif. eorum criminis gravitate perpenſa.*

§.2. Nos igitur animadvertentes, hujuſmodi perditos & nefarios homines ad ſacrum presbyteratus ordinem non promotos, Miſſarum celebrationem uſurpare præſumētes, non ſolùm actus idololatriæ, ſaltem extrinſecè, ſeu per externa & viſibilia Religionis & pietatis ſigna exercere, ſed etiam quantum in ipſis eſt, efficere ut Chriſti fideles, qui credunt eos ordinatos eſſe, & ritè cōficere Sacramentū Euchariſtiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem & vinum, tanquam verum Chriſti Domini Noſtri corpus & ſanguinem eiſdem adorandum proponentes, Confeſſiones autem audientes, non ſolum Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verum etiam Chriſti fideles decipere, dum ſcilicet iniquè ſibi aſſumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem abſolvendi à peccatis, magno cum periculo & ſcandalo plurimorum.

*Eoſdem ab Inquiſitoribus vel Ordinariis degradatos, Curiæ ſæculari debitis pœnis plectendos tradi decernit.*

§.3. Propterea, ut graviſſima hæc ſcelera committentes poſthac debito ſupplicio puniantur, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, S. Inquiſitionis Iudicum conſcientiæ conſulere, & ne in futurum de pœna hiſce delinquentibus imponenda dubitari poſſit, providere volentes, ſupradictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hac perpetuò valitura conſtitutione decernimus atque ſtatuimus, ut quicumque non promotus ad ſacrum presbyteratus ordinem, repertus fuerit Miſſarum celebrationem uſurpaſſe, vel Sacramentalem confeſſionem audiviſſe, à Judicibus Sanctæ Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Eccleſiæ miſericordia indignus, à foro Eccleſiaſtico abjiciatur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim Curiæ ſæculari tradatur, per Judices ſæculares debitis pœnis plectendus.

*Contraria tollit.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore juris clauſis. Quibus omnibus & ſingulis, illarum tenores pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Hanc conſtit. publicari præcipit.*

§.5. Vt autem hujuſmodi conſtitutionis ignorantia de cetero allegari aut prætendi nunquam poſſit, atque præſentes literæ omnibus innoteſcant, volumus illas ad valvas S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ more ſolito publicari & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla etiam impreſſa ibi affixa relinqui, factaque hujuſmodi publicatione, omnes qui in Urbe poſt menſem, qui verò extra eam & citra Montes, poſt quatuor menſes, qui demùm ultra montes fuerint, poſt decem menſes à die publicationis præſentium computandos afficere & arctare, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tranſumptis illius credi mandat.*

§.6. Ac præterea mandamus earumdem præſentium literarum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Officii Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, vel alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem haberi, quæ hiſce præſentib. haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 10. 1. Decēb.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die prima Decembris 1601. Pont. noſtri Anno 10.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. 1601. Indict. 14. die verò 5. menſis Decembr. Pont. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N. D. Clementis divina providentia Papa Octavi, Anno ejus X. ſupradicta Conſtitutio fuit affixa ad valvas S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Hieronymum Lutium S.D.N. Papa Curſ.*

---

LXXXII. Quod Fratres Capuccini Ordinis Minorum Sancti Franciſci, à Generali, & Definitoribus, in

**Capitulo Generali uſque ad ſequens Capitulum deputati ſæcularium utriuſque ſexus confeſſiones audire valeant.**

*Alia de Capuccinis notata ſunt ſupra ad conſtitut. 22. Clementis VII. Religionis, ubi etiam remiſſivè indicavi materiam Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci lib. 1.*

*Edita An. D. 1600.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Gregor. XIV. (cujus bullã hic nõ poſui) Capuccinis prohibuis laicorum confeſſiones audire.*

ALias fel. rec. Gregorius Papa XIV. Prædeceſſor noſter ex cauſis tunc expreſſis Motu ejus proprio ſua perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuit & ordinavit, quod nullus Congregationis Capuccinorum Ordinis Fratrum Minorum nuncupat. S. Franciſci in laïcorum utriuſque ſexus, & Clericorum ſæcularium quacumque dignitate, præeminentia, auctoritate & facultate ſuffulti eſſent, confeſſionibus occupari, vel confeſſiones eorum audire, etiamſi ad id faciendum à Superioribus Ordinis, aut Protectore, aut etiam ab Apoſtolica Sede quomodolibet & ſub quacumque verborum forma licentias eatenus obtinuiſſent, prout in ejuſdem Gregorii Prædeceſſoris literis in forma Brevis ſub dat. die prima Junii 1591. expeditis pleniùs continetur.

*Iſte autem Pont. ex cauſa hic expreſſa*

§. 1. Cum autem diverſi utriuſque ſexus Chriſti fideles pro eorum erga dictum Ordinem, ſeu Congregationem Capuccinorum devotione, cupiant Religioſis ejuſdem Congregationis confiteri poſſe.

*Prohibitioné prædictam moderatur, ut hic.*

§. 2. Nos illorum pio deſiderio benignè annuentes, Motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præfatas Gregorii Prædeceſſoris literas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, ita moderamur, ut Miniſter Generalis ejuſdem Congregationis Capuccinorum, & Definitores in Capitulo generali Congregati, & in eodem Capitulo tantum, quibuſvis ejuſdem Congregationis Religioſis, ad confeſſiones audiendas approbatis, prout ipſis Miniſtro generali & Definitoribus videbitur, licentiam audiendi ſæcularium utriuſque ſexus confeſſiones uſque ad novi Capituli generalis celebrationem, & non ultra, & ſic de Capitulo generali in Capitulum generale concedere reſpectivè poſſint & valeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatẽ concedimus & impartimur.

*Quaſcumque alias licentias revocat.*

§. 3. Et quaſcumque licentias audiendi ſæcularium hujuſmodi confeſſiones, quibuſvis ejuſdem Congregationis Fratribus, ab illius Protectore, aut quocumque alio, etiam de expreſſo noſtro mandato in perpetuum conceſſas harum ſerie revocamus & annullamus. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Obſtantia tollit.*

§. 4. Non obſtantibus præfata Gregorii XIV. Prædeceſſoris, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi jubet.*

§. 5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſ. conſtitutæ munitis eadẽ quæ præſentibus ipſis adhiberetur, fides adhibeatur.

*D. P. An. 11. die 3. Febr.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die tertia Februarii, milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

---

XXXVIII. **Moderatio conſtitutionum Sixti V. quoad nullitatem profeſſionis emittendæ à Novitiis Ordinum Regularium, cum præſervatione pœnarum contra Superiores qui non ſervata forma eis tradita eos receperint. Et decreta generalia pro Novitiorum receptione, inſtitutione & educatione.**

*Edita 1596. 1599. 1602. 1603.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN ſuprema Eccleſiæ Catholicæ ſpecula, meritis licet imparibus, divina providentia diſponente conſtituti, omnibus incommodis, quæ in eadem Eccleſia, non ſine fidelium animarum periculo, & detrimento oriri poſſunt, ob variam & ſiniſtram Conſtitutionum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, quas juſtis de cauſis ediderunt, interpretationem, pro noſtri Paſtoralis officii munere conamur providere, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Sixtus V. ... duas conſtitutiones ... quæ ſunt ... & infra ... 2.*

§. 1. Cum igitur fel. rec. Sixtus Papa V. Prædeceſſor noſter ad integritatem & candorem in Regularibus & Religioſis Ordinibus in Eccleſia ſancta inſtitutis retinendum & conſervandum, quadam ſua, quæ incipit, Cum de omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus, ſub Dat. Sexto Kalend. Decembris, Pontificatus ſui anno tertio, nonnulla circa modum, formam & qualitates admittendi Religioſos ad quoſvis Regulares Ordines decreverit. Et deinde alia ſimili quæ incipit, Ad Romanum ſpectat Pontificem, ſub Dat. 12. Kalend. Novemb. Pontificatus ſui anno tertio, quædam dubia ſuper dicta priori conſtitutione exorta declaraverit.

*Gregor. XIV. ... eas in p... moderatus eſt, ut in ... 3. ſup. lib. ...*

§. 2. Et præterea piæ me. Gregorius Papa XIV. etiam Prædeceſſor noſter, alia ſua perpetuò valituris conſtitutionibus, quæ incipit, Circumſpecta Romani Pontificis providentia, ſub Dat. Idibus Martii, Pontificatus ſui anno, primo reſpectivè editis, Conſtitutiones Sixti Prædeceſſoris ſupradictas quoad illegitimos moderatus fuerit, prout in eiſdem Conſtitutionibus pleniùs continetur.

*Hic ... Pont. ... conſtit. Sixti V. revo... his quæ ... cernunt ... litatem pro... feſſionis No... vitiorum.*

§. 3. Tamen, quia longo uſu & experientia compertum eſt, ex nimia facilitate, & multitudine caſuum, in quibus profeſſio à ſuſcipientibus habitum alicujus Regularis Ordinis à dicto Sixto Prædeceſſore nulla declaratur, multos hac occaſione arrepta fraudulẽter petiiſſe, & in dies petere, ut profeſſio quam in aliquo Regulari Ordine emiſerunt, nulla declaretur, ex quo non nulli eorũ Regulares ordines & inſtituta ſub hoc prætextu deſeruerunt, & idcirco pleriſque in locis maxima incommoda & ſcandala exorta fuerunt. Nos ea ſcandala, & incommoda, quantum in Domino poſſumus, removere, & ne in poſterum alia hujuſmodi hac de cauſa oriantur, opportuna ratione providere cupientes, ſingularum conſtitutionum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, matura ſuper his cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuper negotiis Epiſcoporum & regularium deputatis, conſultatione præhabita, ex illorum ſententia & voto Conſtitutiones prædictas Sixti Prædeceſſoris, quoad eam partem, per quam eorum qui formam in eiſdem Conſtitutionibus præſcriptam de cetero non ſervaverint, & quoad alios etiam caſus ibidem expreſſos, in quibus receptorum in quibuſcumque etiam Mendicantium Ordinibus profeſſio nulla declaratur, ad terminos juris, & ſacrorum Canonum, perinde ac ſi præd. Conſtitutiones in illa parte editæ non fuiſſent, auctoritate Apoſt. tenore præſentium reducimus.

*Pœnas tamen impoſitas contra Superiores Ordinum præſervat.*

§. 4. Verùm pœnas contra Superiores quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium hujuſmodi, qui in admittendis Regularibus ad habitum & profeſſionem earundem conſtitutionum formam non ſervaverint, aut aliter quovis modo contrafecerint, in ipſis conſtitutionibus inflictas ſalvas eſſe volumus & ſtatuimus.

*Decretum irritans apponit.*

§. 5. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus.

*Contraria tollit.*

§. 6. Non obſtantibus præfatis conſtitutionibus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

*Exemplis credi jubet.*

§. 7. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra habeatur, quæ ſi præſentes forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 11. die 2. Apri.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 2. Aprilis 1602. Pontificatus noſtri Anno 11.

Sequuntur hîc Decreta generalia ad Novitiorum receptionem, profeſſionem & inſtitutionem ſpectantia.

De

*De Novitiis ad habitum Regularem, & profeſſionem non admittendis niſi in Conventibus deſignandis.*

**Ad hæc omnia vide ſupra in conſtit. 71. Sixti V. cum ibi notatis, lib. 2.**

*Edita A. D. 1596.*

## *CLEMENS PAPA VIII.*

*Cauſa ob quas depravantur Religioſi.*

REgularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm juxta muneris noſtri debitum laborare non deſiſtimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano uſu compertum eſt, quòd in omnibus Conventibus, iis præſertim qui majori reformatione indigent, ſinguli ad Religionem venientes paſſim recipiuntur. Unde fit; ut quo magis nos variis conſtitutionibus malè affectas radices amputare ſtudemus, eo magis in dies depravatæ, infructuoſæque ejuſmodi noviter profitentium ſuccreſcant.

*Cui ut provideat hic Pontif. Novitios in locis deſtinandis tantum recipi mandat.*

§. 1. Cui quidem malo occurrere volentes, præſenti decreto ſtatuimus, diſtrićteque præcipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, ceteriſque Superioribus Conventuum intra Italiæ, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium quibuſcumque & quorumcumque Ordinum Mendicantium, ut de cetero neminem ſub quovis prætextu aut colore, ad habitum regularem admittant, niſi in Conventibus auctoritate noſtra propediem in unaquaque Provincia deſignandis.

*Et uſque ad deputationem non recipiantur.*

§. 2. Inſuper ſancimus, ut quoad hujuſmodi Conventus, ut præfertur, per nos deputati non fuerint, omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Novitiorum, ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem omninò abſtineant.

*Recipientium pœna.*

§. 3. Superior, qui hujus Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, ſe noverit incurriſſe, ac aliis etiam pœnis arbitrio noſtro ſubjaceat.

*Receptionum nullitas.*

§. 4. Receptiones verò & profeſſiones quaſlibet eorum, qui contra hujuſmodi Decretum noſtrum admiſſi fuerint, nullas & irritas eſſe nunc decernimus, & declaramus.

*Contrariis non obſtant.*

§. 5. Privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

*Dat. P. A. 4. die 12. Mart.*

Datum Romæ die 12. Martii 1596.

Renovatio & ampliatio ejuſdem Decreti.

*Edita A. D. 1599.*

*De Novitiis ad habitum regularem non recipiendis, niſi in Monaſteriis, & locis deſignandis.*

*Relatio præcedentis decreti.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clemens divina Providentia Papa VIII. cum jamdudum animadverteret collapſæ Regularis diſciplinæ reſtitutioni, pro qua potiſſimùm juxta ſui muneris debitum vigilare, ac laborare non deſiſtit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monaſteriis & Conventibus, iiſque præſertim, qui majori indigent reformatione, ſinguli ad Religionem profitendam accedentes paſſim ac ſine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quo magis variis Conſtitutionibus malè affectas radices evellere ſtudet, eò magis infructuoſa noviter profitentiũ germina quotidie ſuccreſcant: cumque ob zelum ac deſiderium quo tenetur Sanctitas ſua, omnes Regulares ad vetus ſuæ cujuſque Religionis inſtitutum redigendi, diſtrictè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum & Mendicantium Ordinibus ad ſuſcipiendum habitum Religionis admitteretur, profiteretur ve, quouſque Monaſteria, & Conventus aliquot deſtinarentur, in quibus poſſet commodiùs regularis obſervantia, ſecundùm reformationem à Sanctitate Sua inſtitutam introduci.

*Ampliatio d. Decreti.*

§. 6. Quia tamen non obſtante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate ſua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos & admiſſos præter mentis ſuæ ſenſum. Idcircò huic malo proſpicere volens, ne licentiarum ac facultatum hujuſmodi ſubreptione ac prætextu Decretum Sanctitatis Suæ irritum reddatur, nunc denuò diſtrictè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus & Guardianis quibuſcumque, ceteriſque Superioribus Conventuum, Monaſteriorum, ac Domorum quocumque nomine appellentur, intra Italiam & Inſularum adjacentium fines exiſtentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium & non Mendicantium (exceptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori Obſervantia, necnon Capuccinorum S. Franciſci, Reformatorum Sancti Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulienſis Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Jeſu, Sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum Infirmorum, reſpectivè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) ne ſub cujuſvis licentiæ & facultatis impetratæ vel impetrandæ obtentu, niſi per literas in forma Brevis dumtaxat, & non alias, quemquam ad habitum Regularem ſuſcipiendum, nec etiam converſos, niſi in Conventibus, Monaſteriis & Domibus, auctoritate ejuſdem S. D. N. propediem in unaquaque Provincia deſignandis recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere ullo modo audeant. Quinimmò contra primam prohibitionem Sanctitatis Suæ receptos, etiamſi imperfectum habitum, aut ſine caputio gerant, poſt præſentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò ejicere debeant.

*Superiorum tranſgreſſientium pœna.*

§. 7. Superiorem autem, qui hujus Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis activæ & paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, eo ipſo incurrere voluit ac decrevit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ imponendis ſubjacere.

*Receptionum irritatio.*

§. 8. Redemptiones verò, & profeſſiones quaſlibet eorum, qui contra hujuſmodi Decretum admiſſi fuerint, nullas & irritas eſſe ad quemcumque effectum, ex nunc decernit & declarat.

*Limitatio hujus Decreti.*

§. 9. Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conventus, Domos & Monaſteria à ſe probata pro Novit. receptione & educatione hactenus permiſſione ſua conſtituerint.

*Licentiarum revocatio.*

§. 10. Cæteras verò licentias, ſive particulares, quæ in hanc diem effectum non ſunt ſortitæ, revocat & annullat.

*Publicatio hujus Decreti.*

§. 11. Vult autem Decretum hoc ſuum in ſolitis locis Urbis publicatum, ita prædictorum ſingulos afficere, ac ſi cuilibet perſonaliter fuiſſet intimatum, privilegiis, ſtatutis & conſtitutionibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcũ, die 20. menſis Junii 1599. *Dat. P. A. 7. die 20. Junii.*

*Edita A. D. 1602.*

Decretum ſuper forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum & profeſſionem.

*Relatio præcel. Decretorum.*

§. 12. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Clem. divina Providentia Papa VII. Qui alias pro Regularis diſciplinæ reſtitutione, ſingulis Regularium Ordinibus (quibuſdam exceptis) prohibuit, ne ad Regularem habitum Novitios in poſterum reciperẽt, receptoſve ad profeſſionem admitterent, quouſque in aliquibus cujuſvis Ordinis Monaſteriis, ſeu Conventibus (in quibus Novitiatus pro recipiendis & educandis Novitiis deſignarentur & approbarentur) ad ejus, quam profeſſi ſunt, Regulæ præſcriptum, vitam, moreſque reſtituerent & componerent.

*Licentia data recipiendi Novitios in locis deſtinatis.*

§. 13. Certior deinde factus quoſdam omnium ferè Ordinum Conventus, ſeu Monaſteria ad priſtinam illam regularem vivendi formam & diſciplinam, quam diutiùs deſideraverat, fuiſſe redacta, in eiſdem Monaſteriis & Conventibus, ut Novitiatus erigi, Novitiique recipi poſſent (ſub certis tamen legibus, ac ea præſertim, ut licentia à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ prius obtenta eſſet,) conceſſit, & ad illa deſignavit & approbavit.

*In quorũ receptione & hæc ſervari mandat.*

§. 14. Nunc volens ut ea quæ pro Novitiorũ receptione & inſtitutione, de mandato Sanctitatis Suæ præſcripta fuerunt, in poſterum accuratiùs & exactiùs obſerventur, ultra formam traditam in conſtitutionibus felicis recordationis Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis ſuæ ſuper receptione Novitiorum, decrevit, ac præſentis decreti virtute

tute mandavit, ne in Conventibus, ſeu Monaſteriis ad Novitios recipiendos, de Sanctitatis ſuæ, ſeu dictæ Congregationis Reformationis licẽtia hactenus deſignatis & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis & approbandis.

*Licentia habeatur à Cõgregatione Reformationis Apoſt. vel à locorum Ordinariis.*

§. 15. Novitii ad habitum recipi nullatenus poſſint, vel admitti, niſi prius ab ipſa Congregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, in quorum Diœceſi Novitiatus exiſtunt, in quibus Novitii recipiendi fuerint, expreſsè & nominatim Novitii ipſi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi & admitti poſſint, licentiam in ſcriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad ſcripturã concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas ſua eoſdem Ordinarios omnem curam & diligentiam adhibere, ut circa ætatem, conditionem, educationem, ſcientiam, vitam & mores, cæteraſque qualitates in ipſis Novitiis requiſitas, obſerventur conſtitutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factæ & publicatæ. Neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant, Ordinariorum ipſorum conſcientiam onerando, ſi quempiam approbaverint, vel admitti permiſerint, qui non ſit idoneus, & juxta conſtitutiones & inſtitutiones prædictas approbandus & admittendus.

*Superiores Ordinũ ſervent conſtit. editas circa receptionem Novitiorum.*

§. 16. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum, qui in admittendis ad habitum & profeſſionem Novitiis formam conſtitutionum & inſtitutionum prædictarum non ſervaverint, aut Novitium aliquem, quantumvis idoneum approbatum, in quovis alio Conventu & loco, ſeu Monaſterio, præterquam in hactenus à ſua Sanctitate, vel à dicta Congregatione deſignatis & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis & approbandis, vel ultra numerum in eorum ſingulis præſcriptum, ſeu præſcribendum, receperint, vel admiſerint, ſeu aliàs præmiſſis quovis modo contrafecerint.

*Edita erant 2. Maii 1601. ſed ampliata ſunt ut mox infrà.*

*Contraria irrita ſint.*

§. 17. Irritum ex nunc & inane decernens quidquid ſecus, vel alias quavis auctoritate à quovis geſtum, vel attentatum fuerit.

*Et cætera non obſtent.*

§. 18. Non obſtantibus quibuſcumque, &c.

*D. P. An. 11. die 19. Maii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, die 19. Maii milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Pontificatus ejuſdem S.D.N. Anno undecimo.

Inſtitutiones ſuper receptione & educatione Novitiorum Religioſorum in Monaſteriis & Conventibus deſignatis vel deſignandis.

*Edita A. D. 1603.*

*Edita erant die 2. Maii 1601. ſed iſta ampliores ſunt.*

*Regularis diſciplinæ reformationi ſtudens hic Pontifex,*

§. 19. CUm ad regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Monaſteriis propagandam, Novitiorum inſtitutio maximè utilis ſit ac neceſſaria, & nihil ad gravem illam ac laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam majorem vim habuiſſe compertum ſit, quàm vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem ſupra numerum quem capere atque alere Monaſteria ipſa poſſent, vel negligentiam in probando & examinando eorum ſpiritu, an verè eſſet ex Deo, atque ex præcipuo deſiderio illi inſerviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque inſtituendis.

*Hæc videlicet in recipiendis, educandiſque Novitiis obſervari præcipit circa*

§. 20. Idcircò ut hujuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus & ſingulis ad quos ſpectat, ut in recipiendis Novitiis, & in eorum inſtitutione atque educatione, necnon in Magiſtri, & aliorum Miniſtrorum electione, præter alia quæ in ſacris Canonibus ac decretis, præſertim Concilii Tridentini, Pontificiis, & cujuſcumque ordinis, aut inſtituti conſtitutionibus continentur, tam in aliàs deſignatis, quàm nunc & in poſterum ad hoc deſignandis Monaſteriis & Conventibus, hæc quæ ſequuntur, inviolatè obſervari & exequi perpetuò curent.

*Examen ipſorum.*

§. 21. Primum, quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de uniuſcujuſque natalibus, corporis habitudine, moribus & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui ſextum decimum ætatis ſuæ annum excedent, an criminoſi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii ſint, juxta formam conſtitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum ſubſecutarum, illud etiam Superiores ad quos ſpectabit, ſedulò perquirant, ut quibus in Monaſteriis & Conventibus ex Apoſtolica facultate Novitiatus fuerint inſtituti, in iis ad Religionem nullus in poſterum admittatur, qui & ex honeſtis parentibus natus non ſit, & conditiones ſacris Canonibus, Summorumque Pontificum conſtitutionibus præſcriptas non habeat, juxta decretum ſuper forma recipiendi Novitios die 19. Maii 1602. editum.

*Hæc d… tum eſt … præcedit.*

*Ætatem … literatur…*

§. 22. Quiſque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate cõſtitutus, quam ejus Ordinis in quo recipietur regularia inſtituta & ordinationes requirunt: eam verò literarum ſcientiam calleat, aut illius addiſcendæ ſpem indubiam præſeferat, ut minores, & ſuis temporibus majores ordines, juxta Decreta Sacri Concilii Trid. ſuſcipere valeat. Sed ſi quis annum vigeſimumquintum excedens ad habitum regularem admitti poſtulaverit, & talis eruditionis expers inventus fuerit, in Converſorum tantum, quibus literarum ſcientia non eſt neceſſaria, numerum referatur. Ipſi autem Converſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum, & niſi ſaltem præcipua Doctrinæ Chriſtianæ capita noverint.

*Cauſam motivam electionis vitæ regularis.*

§. 23. Demum Superiores diligenter exquirant, quo ſpiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiùs famulari poſſint, an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum parentes ope & ſubſidio ipſorum indigentes deſtituantur.

*Converſ… examen, … Oblatorum inſtituta.*

§. 24. Provideant quoque, ut omnes etiam Converſi recipiendi, priuſquam ad habitum regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de regula quam profeſſuri ſunt, tribus votis eſſentialibus, ſtatuque regulari, & aliis cujuſque Ordinis peculiaribus inſtitutis, & conſtitutionibus diligenter inſtruantur. Et quia quarumdam Religionum moris eſt, nedum Converſos ad profeſſionem admittendos, verùm & Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipſorum Oblatorum receptionem unaquæque religio ſuas peculiares Conſtitutiones, ſpecialiaque inſtituta obſervare teneatur.

*Novitiorum Confeſſionem generalem.*

§. 25. Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant & expurgent.

*Novitiatus formam, & qualitatem.*

§. 26. Quod verò ad loci qualitatem uniuſcujuſque Novitiatus ſpectat, locus hujuſmodi propria clauſura ab ea parte Conventus & Monaſterii in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro ſingulis ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint: in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magiſtro, ejuſque ſocio reperiatur. In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſque Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant. Oratorium inſuper, ſeu Capella, ſi commodè fieri poterit, ad Novitios in ſpiritualibus, præſertim in cæremoniis, & Eccleſiaſticis functionibus exercendos: hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem, benè concluſus atque munitus adſit; ſin minus, hortum ceteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. In ipſis verò Novitiis ibi commorantibus curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eundem quiſquam alius ingrediatur. Ad hujuſmodi locum Novitiatus nemini ejuſdem vel alterius Ordinis regulari, etiam Conventus & Monaſterii Officiali, ullo unquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro, ejuſque Socio, ac etiam Monaſterii, aut Conventus Superiori, ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimaverit: quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus Conventus, vel Monaſterii Patribus ſocium aſſumat. Hujus loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illique ſoli liceat ex gravi tantum cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: ſi quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

*Magiſtrorum Novitiorum munus, & electionẽ, & qualitatem.*

§. 27. Novitiorum Magiſtro ſocius, ſi per Novitiorum inſtruendam multitudinem neceſſarius fuerit, vita &

moribus

moribus,quoad fieri poterit,conſimilis deputetur, qui in his quæ ad Novitiatus regimen ſpectant, dicto Magiſtro immediatè ſubjectus exiſtat, eligaturque tam Magiſter, quam ſocius per Provinciale Capitulum, per trienniū ad minus onus hujuſmodi ſubituri. Quod ſi aliquo caſu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat,tunc electionem Magiſtri Novitiorum & ſocii hujuſmodi, in his novis locis per Generalem & Provincialem, ſeu Miniſtrum,aut eorum Viſitatores,ſeu Vicarios,de Definitorum tamen,vel graviorum aliorum Patrum conſenſu, fieri permittitur: idemque ſervetur, ſi intra triennium, alterum vel utrumque urgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoveri vel mori cōtigerit, in cujus,vel quorū locum alii conſimiles ſubrogari debeant. Tam Novitiorum Magiſter, quàm ſocius ab iis omnibus officiis oneribuſque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam & regimen impedire valeant. Ipſe Magiſter Sacerdotali ordine ſit initiatus,ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimū ætatis ſuæ anno conſtitutus, & per decennium à profeſſione emiſſa in religione perſtiterit. Socius verò trigeſimum annum excedat, ſintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes,orationis præterea,& mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præ ſe ferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, ira præſertim & indignatione, quæ in ſe & erga alios charitatem impedire conſueverunt, quamlongiſſimè alieni,& tales demùm,qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant,quàm revereantur,nec illis unquam detrahere quicquam poſſint. Habeat etiam Magiſter plenam & abſolutam poteſtatem circa Novitiorum inſtitutionem, ac Novitiatus regimen,ita ut in illis nemini(Viſitatoribus ac Superioribus majoribus,vel etiā localibus exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari diſciplina ſedulò exerceantur,agnoſcantque præcipuè divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam & excellentiam, quæ vera ſit atque perfecta votorum ſolemnium, & quàm neceſſaria cujuſque Ordinis Conſtitutionum obſervantia: modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona eſt atque proclivis) per ſenſuum cuſtodiam & mortificationem cohibendi, auſteritatem, jejunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis & tentationum manifeſtationem, per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium.

*Novitiorum orationem, & confeſſionem.*

§.28. Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali & vocali incumbat, unuſquiſque ſecundùm propriam capacitatem, & ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum pluries in die propriam conſcientiam unuſquiſque examinare contendat. Ipſi autem Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire.

*Miſſamque audiendam.*

§. 29. Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint; & ſtatutis horis in Choro, nocturnis diurniſque divinis Officiis aſſiſtant.

*Exercitationes & recreationes.*

§.30. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Novitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſtro præſente, vel ſocio, qui multùm invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti: atque eo tempore, cujuſque in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

*Commorationemque extra Novitiatum.*

§. 31. Non liceat eis, durante Novitiatus & probationis tempore, unà cum Profeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia tempore officiorum, in proceſſionibus, aut in cœnaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis profeſſos domo exeuntes comitari.

*Socium Magiſtri Novitiorum.*

§.32. Pro communibus & propriis cujuſque neceſſitibus, quæ accidere poſſunt, unus ex Novitiis ipſis, ætate moribuſque provectior deputetur, qui abſente ſocio, Magiſtro permittente, omnia prout opus fuerit,agat; cui etiam januæ cuſtodia, & rerum levioris momenti proviſio intra Novitiatum committi poterit.

*Converſorum inſtitutionem, & educationē.*

§.33. Cum autem licet Clericorum benè inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua, Converſorum tamen religioſa inſtructio non ſit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem ſatis exploratum eſt, iſtorum etiam, cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum Religioni decorem & ornamentum, tum aliis Chriſti fidelibus ædificationé, exemplum atque utilitatem afferre. Converſis ipſis à Clericorum Novitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtante, Magiſtro Novitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum & Conventuum, juxta cujuſque Ordinis ſtatuta & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obſequia probandi & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt: quod ut commodius fiat, ad Capitula & ſpirituales Conciones, quæ per Magiſtros Novitiis fieri ſolent, acceſſiri debeant, & in Eccleſiis ſtatutis horis conveniant, niſi tunc in ſuis officiis actualiter occupati fuerint.

*Examen ante admiſſionē ad profeſſionem.*

§.34. Tempore verò probationis elapſo, ii tantum, qui non ſolùm religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti novo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis ſuæ annum, quoad Clericos decimumſextum, quo verò ad Converſos, vigeſimumprimum exceſſerint) ad profeſſionem admittantur. Sed qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis non poſſint.

*Profeſſionum regiſtrationē.*

§.35. Superior cujuſlibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit conſtitutus,particularem librum habeat,in quo uniuſcujuſque Novitii profeſſio regiſtretur, illamque Novitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint,ſubſcribant. Converſus verò literarum ignarus, profeſſus in eorumdem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia propria manu ſignum Crucis apponat, aſſerveturque liber, & cuſtodiatur in Archivio ubi ſcripturæ ad Monaſterium, ſeu Conventum pertinentes reponi conſueverunt.

*Filiationes in quibuſdā Conventibus receptas.*

§.36. Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis uſus eſt receptus, declaratur quod licet decretum ſit, ut Novitiis educandis certa Monaſteria, aut Conventus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum hujuſmodi Ordinum in quibus filiationis uſus receptus eſt, eos quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios juxta cujuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicque adſcriptos, cum juxta præſentes Inſtitutiones, & aliis ſervatis ſervandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum teſtimonialibus literis tranſmittere, ubi tanquam dictorum Conventuū, ſeu Monaſteriorum filii, eorumdem nomine, & inſtantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monaſteria, ſeu Conventus filiationis hujuſmodi remittantur, in profeſſorio ad præfectionem, ut præmiſſum eſt, exerceri debebunt.

*Numerum Religioſorum cuique Conventui præfiniendum.*

*Vide etiam conſt.7 S. D. N. Pauli V.*

§.37. Porrò, ne loca unius Monaſterii,ſeu Cōventus ab ab alio præoccupentur,Capituli generalis,aut Provincialis partes erunt numerum præſcribere pro omnibus, & eam ſimiliter rationem circa alimentorum cōtributionem (ſi opus fuerit) inire, ac ſingulis Conventibus, & Monaſteriis præſcribere quæ magis expedire videbuntur.

*Profeſſorum de novo loca particularia.*

§.38. Ut autem Novitii jam in Profeſſorum numerum (ſicut præmittitur) recepti, melius in bono ſpiritu,regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur & confirmentur, mandatur ut ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conventibus aut Monaſteriis pro Novitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi Novitiatus, ſive Profeſſorii,ab ea quæ Novitiorum eſt,atque antiquorum Profeſſorū habitatione

tione diſtinctus & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Monaſterium, aut Conventus eos alere queat, ſin minus, in alium commodiorem Conventum, aut Monaſterium transferantur, in quo is locus cum requiſitis ad Novitiatum ſupranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur. Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum conſtitutionum, ſeu inſtitutionum vigore, majoris temporis curſu novos profeſſos intra Novitiatum detinere conſueſcunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, id ipſum facere poſſint, ſi id rationi ac Religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant ſub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quàm ſervent antiquiores profeſſi, ita quod in negotiis Monaſteriorum, aut Conventuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeāt, ibique permaneant quouſque ad ætatem ſacris ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem devenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò & debebunt literarum ſtudiis operam navare, ſub directione ac Regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportere dictum eſt.

*Novitii recipiendi in locis deſtinatis.*

§. 39. Declaratur tamen quod propter præmiſſa non cenſeatur conceſſa licentia recipiendi Novitios, niſi in locis pro Novitiatu deſignatis, aut in poſterum deſignandis, & pro numero dumtaxat in eorum ſingulis præſcripto vel præſcribendo.

*Contravenientium pœna.*

§. 40. Denique ſi illi, qui inter Religioſos gradu & ordine Superiores ſunt, & alii ad quos ſpectat in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, ſeu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium quæ nunc obtinebunt, privationem, gravioreſque pro modo admiſſæ culpæ pœnas ſe ſubituros certò ſciant.

Dat. Romæ apud S. Petrum, die 19. Martii 1603.

---

LXXXIV. Quando Fratres Minores Ordinis S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, poſſint in eorum Eccleſiis habere organa, paramenta & vaſa pretioſa.

*Edita A. D. 1602.*

*Alia de his Fratribus videri poſſunt ſup. in conſtit. 35. Clementis VII. In ſupremæ, lib. 1.*

*In relatione data Papa ortum eſt*

SAnctiſſimus Dominus Noſter D. Clem. Papa Octavus, &c. Facta ei per Reverendiſſimos Dominos Reformatores Apoſtolicos relatione memorialis Fratris Pauli de Clavaro Viſitatoris Fratrum Minorum S. Franciſci de Strictiori Obſervantia, Reformatorum nuncupatorum, Provinciarum Romæ, Tuſciæ, Marchiæ, &c. ſuper dubio.

*Dubium an illi Reformati poſſint habere organa, & paramenta, & vaſa pretioſa.*

§. 1. An dicti Reformati poſſint in eorum Eccleſiis habere organa, paramenta & vaſa Eccleſiaſtica pretioſa & exceſſiva, ſtante bulla ejuſdem Sanctiſ. Domini Noſtri, quæ illos obligat ad obſervationem Regulæ S. Franciſci juxta declarationes Nicolai Tertii & Clementis Quinti.

*Declaratio quod nō poſſint, attenta conſt. Nicolai III. in cap. Exivit, de verb ſign. in 6. & Clement. V. in Clem. Exivit, eod. tit.*

§. 2. Sanctitas ſua declaravit & declarat, quod in Eccleſiis quas nunc habent, & quas in poſterum dicti Reformati ædificabunt, vel quovis modo obtinebunt, in quibus non ſunt hujuſmodi organa, paramenta & vaſa, non poſſint ea de novo facere, nec etiamſi piorum eleemoſynis, donatione, vel quovis alio titulo offerrentur, ſeu fierent, illa acceptare, ſed teneantur obſervare Regulam cum declarationibus Nicolai III. & Clem. V. & VII.

*Præterquam in Eccleſiis in quibus ſunt, & donec duraverint.*

§. 3. In Eccleſiis verò quas nunc habent vel in poſterum habebunt & acceptabunt, ſive Fratrum de Familia, ſive quavis alia conceſſione obtinebunt, in quibus eſſent hujuſmodi organa, paramenta & vaſa eiſdem Eccleſiis applicata, Sanctitas ſua concedit, quod ſine ſcrupulo aliquo & conſcientiæ onere poſſint ea tenere, & illis uti donec duraverint.

*Dat. P. A. 11. die 5 Mart.*

Datum die Dominico 5. Martii 1602.

---

LXXXV. Præfinitio formæ communicationis Indulgentiarum, orationumque, ac aliorum bonorum operum, ſervanda à Fratribus Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, ſtatis diebus, quibus ipſi generalem benedictionem facere conſueverant.

*Eandem ferè conſtitutionem fecit hic Pontifex ſingulariter pro Fratribus Beatæ Mariæ ſimilis Redemptionis, ut ſup. in conſtit. 79. Cum nos. Et alia de hoc ordine notavi ſup. ad conſtit. 1. Innocentii III. Operante, lib. 1.*

*Edita A. 1601.*

CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEcet Romanum Pontificem ea quæ de ejus mandato per Congregationes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, præſertim circa ſpiritualia Regularium Ordinum exercitia, providè ſtatuta & ordinata ſunt, ut perpetuò firma & inviolata ſerventur, Apoſtolicæ confirmationis robore communire, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire.

*De mandato hujus Pontificis*

§. 1. Cum itaque in Congregatione venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper ſacris Ritibus & Ceremoniis deputatorum, quoad inſtitutum & ritum abſolutionis, quam vocant, & communicationem Indulgentiarum, quæ fieri ſolebat à duabus Congregationibus Regularium, videlicet Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, & B. MARIÆ de Mercede, etiam Redemptionis Captivorum, de mandato noſtro ſtatutum & ordinatum fuerit in hunc qui ſequitur modum, videlicet.

*Congregatio Cardin. ſuper ſacris Ritibus & Ceremoniis deputata formam communicationis indulgentiarum præfinivit.*

§. 2. Sacra Congregatio Rituum, quoad inſtitutum & ritum abſolutionis, quam vocant, & communicationem Indulgentiarum, quæ fieri ſolet à duabus Congregationibus Regularium, videlicet Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, & B. MARIÆ de Mercede, etiam Redemptionis Captivorum, de mandato S. D. N. ſtatuit & decrevit in hunc qui ſequitur modum.

*Quæ ita ſequitur.*

§. 3. Non fiat abſolutio, ſed fiat communicatio Indulgentiarum, quas utraque Congregatio ex conceſſione, & indulto Sedis Apoſtolicæ poteſt etiam aliis cōmunicare. Hæc communicatio fiat tantum Confratribus & Conſororibus ambarum Congregationum, & non aliis liceat facere dictam communicationem diebus utrique Congregationi & Ordini conſuetis, ſeu à Sede Apoſtolica conceſſis, cum eiſdem Pſalmis, Verſiculis & Orationibus, quæ jam Romæ recognitæ, & à Reverendiſſimo Vicario Sanctitatis ſuæ probatæ ſunt. Ad dictam communicationem Indulgentiarum ſingulis dictis diebus obtinendam, Confratres & Conſorores ſupradicti ſint contriti, & confeſſi, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ communione refecti, aliàs dictas Indulgentias non conſequantur.

*Et eidem Congregationi formam communicationis bonorum operum præſcripſit.*

§. 4. De communicatione Orationum, jejuniorum, Miſſarum, aliorumque bonorum operum, quæ fiunt in utraque Congregatione & Ordine, quamvis non ſit uſitatum eam ita generatim fieri, ſed certis tantum perſonis & benefactoribus, tamen Sanctitas ſua non prohibet id fieri ſupradictis diebus, omnibus qui præſentes fuerint Confratribus tantum & Sororibus, ut de Indulgentiis ſuprà dictum eſt.

*Quæ forma hic ſubſequitur.*

§. 5. Forma tamen hujus communicationis fiat nudis & ſimplicibus verbis in hunc ferè modum, videlicet: Item communicamus vobis Fratres orationes, jejunia, Miſſas, peregrinationes, & labores pro redimendis etiam captivis ſuſceptos, cæteraque opera bona, quæ per Dei gratiam in noſtra Congregatione & Ordine fiunt. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

*Prohibitio publicè invitandi populi ad conſequendas ejuſmodi communicationes.*

§. 6. Prohibet expreſsè Sanctitas ſua, ne populus in Civitatibus, Terris & locis publicè invitetur à dictis Congregationibus ad ſuas Eccleſias ad conſequendam ſupradictam communicationem Indulgentiarum & bonorum operum, hoc eſt in plateis, viis & locis publicis non apponantur cedulæ impreſſæ, ſeu manuſcriptæ, quibus indicetur & promulgetur talis communicatio Indulgentiarum.

*Emendatio forma d. communicationis à Vicario Pont. iam edita.*

§. 7. In ea forma communicatio Indulgentiarū quæ ab Illuſtriſ. & Reverendiſ. Vicario Urbis recognita, & Congregationi, ſeu Ordini Sāctiſſimæ TRINITATIS tradita eſt per novam orationem, & quæ incipit, Concedimus vobis, videlicet verba illa, *in quantum veſtra expetit oratio, & ad nos pertinet juriſdictio*, tanquam parum neceſſaria omittantur. Item in ultima oratione, ubi dicitur B. Petro Apoſtolo dedit licentiam animas ligandi, verbum, licentiam, hoc loco tanquam non ſatis accommodatum deleatur, ponendo poteſtatem. Alexander Cardinalis Florentin.

*Hanc habes in fine conſt. 70. ubi videas.*

§. 8. Nos

*...ic idem ...t. prædi- Congre- ...ionis di- ...a appro- ..., & ob- ...vari præ- ...it.*

§.8. Nos volentes decreta hujuſmodi inviolatè perpetuò obſervari debere, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, prædicta decreta de noſtro ſpeciali mandato edita eſſe declarantes, illa perpetuò confirmamus & approbamus, ac per prædictas Congregationes & eorum Religioſos inviolatè perpetuò obſervari debere præcipimus & mandamus.

*...itat in co- ...rium at- ...anda.*

§. 9. Irritum nihilominus decernentes & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, & cujuſvis alterius conceſſionis, etiam à nobis & Apoſtolica Sede obtentæ, quam ad præſentium formam ſpecialiter reducimus, prætextu contigerit attentari.

*Contrariis ...g...*

§.10. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac earumdem Congregationum & Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, & cuilibet illarum, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*...anſumptis ...di jubet.*

§. 11. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis eadem fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur.

*...t.P.A.11. ...9.Maii.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 9. Maii 1602. Pontificatus noſtri anno 11.

---

XXXVI. Breviarii Romani juſſu Pii V. olim reſtituti & editi, & deinde perperam in aliquibus immutati, iterata reſtitutio, cum permiſſione Breviariorum jam impreſſorum, & prohibitione iſtud aliter de cetero imprimendi.

*Hanc pii V. primam reſtitutionem inſpice in ipſius conſt.64. Quod à nobis, lib. 2.*

*...ita A.D. 1602.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...randi va- ...itas in Ec- ...leſia Dei ...anda eſt.*

CUm in Eccleſia Catholica à Chriſto Domino noſtro ſub uno capite, ejus in terris Vicario inſtituta, unio, & earum rerum quæ ad Dei gloriam & debitum Eccleſiaſticarum perſonarum officium ſpectant, conformatio ſemper conſervanda ſit, tum præcipuè illa communio uni Deo una & eadem formula preces adhibendi, quæ Romano Breviario continetur, perpetuò retinenda eſt, ut Deus in Eccleſia per univerſum Orbem diffuſa, uno & eodem orandi & pſallendi ordine à Chriſti fidelibus ſemper laudetur & invocetur.

*Pius ideò V. Breviarium Romanum reſtituit, & immutatio... ...em prohi- ...uit, ut ſup. in eius con- ſtit. 64. Quod à no- bis.*

§.1. Quamobrem ex decreto Sacri Concilii Tridentini felic. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter piè ac ſapienter admodum varietatem illam Breviariorum, quæ in ſingulis Eccleſiis ferè diverſa habebantur, nonnullis tantum exceptis ſuſtulit, ac ipſum Breviarium reſtituit, & Romæ accuratiſſimè imprimi & promulgari curavit, quod ut integrum, inviolatumque ab omnibus haberetur, debita proviſione adhibita, inter alia ſtatuit, ne ullo unquam tempore in totum, vel ex parte mutaretur, aut illi aliquid adderetur, vel omninò detraheretur, ſub pœnis in ejuſdem conſtitutione contentis.

*Sed tamen immutatum eſt in multis.*

§.2. Cum verò progreſſu temporis, Typographorum negligentia & incuria, & nimia aliorum etiam ea quæ ad ipſos non pertinent, temerè ſibi aſſumentium audacia ac licentia, multi errores in illud irrepſerint, ac tum in ſacra Scriptura, & lectionibus Patrum, tum in vitis Sanctorum & Rubricis, aliiſque locis, ſine noſtra, & Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum auctoritate, pro cujuſque arbitrio pleraque addita & immutata fuerint, ita ut nulla jam reperiantur Breviaria, quæ à prima editione ejuſdem Pii in multis non diſcrepent, atque diſſentiant, & aliqua recognitione indigeant.

*Hic propterea Pontifex Breviarium inſpici, & examinari, & reſtitui mandavit,*

§. 3. Nos qui pro paſtorali noſtra ſollicitudine in eam curam præcipuè incumbimus, ut ea quæ à prædeceſſoribus noſtris ſanctè ac piè inſtituta ſunt, perpetuò integra & inviolata conſerventur, quæ verò hominum culpa immutata ſunt atque corrupta, & quæ recognitionem exigunt, in priſtinum ſtatum reſtituantur & reformentur, mandavimus nonnullis piis & eruditis viris, quorum conſultatione, & opera in hujuſmodi rebus frequenter utimur, ut idem Breviarium nova adhibita diligentia accuratiùs inſpicerent atque examinarent, & ea quæ depravata eſſe, & recognitione indigere animadverterent, pro ſua doctrina, & pietate reſtituerent. Quod cum ab iis exactè, ac profectò non mediocri cum emolumento præſtitum ſit, ita ut ex ſuperiori illo incommodo per occaſionem non parum utilitatis provenerit, Nos illud in noſtra Typographia Vaticana quamemendatiſſimè imprimi ac divulgari juſſimus.

*& Romæ in Typographia Vaticana imprimi fecit.*

§.4. Ut autem illius uſus in omnibus Chriſtiani Orbis partibus perpetuis futuris temporibus conſervetur, ipſum Breviarium in Alma Urbe noſtra in eadem Typographia tantum, & non alibi imprimi poſſe decernimus: extra Urbem verò juxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, & non aliter, hac lege imprimi poſſe permittimus, ut nimirum Typographis quibuſcumque illud imprimere volentibus, id facere liceat, requiſita tamen prius, & in ſcriptis obtenta dilectorum filiorum Inquiſitorum hæreticæ pravitatis in iis locis in quibus fuerint, ubi verò non fuerint, Ordinariorum locorum licentia.

*Illud non alibi quàm in d. Typographia de cetero imprimi poſſe jubet, niſi prævia Inquiſitorū, & eis non extantibus, Ordinariorū licentia.*

§. 5. Alioquin ſi abſque hujuſmodi licentia dictum Breviarium ſub quacumque forma de cetero ipſi imprimere, aut Bibliopolæ vendere præſumpſerint, Typographi & Bibliopolæ extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum exiſtentes excommunicationis latæ ſententiæ, à qua niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, in Alma verò Urbe ac reliquo Statu Eccleſiaſtico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amiſſionis librorum, & typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum pœnas abſque alia declaratione irremiſſibiles incurrant eo ipſo. Et nihilominus eorumdem Breviariorum per eos de cetero abſque hujuſmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum uſu, ubique locorum & gentium, ſub eiſdem pœnis perpetuò interdicimus & prohibemus.

*Typographis aliter vel alibi imprimentibus, & Bibliopolis vendentibus pœnas imponit.*

§.6. Ipſi autem Inquiſitores, ſeu Ordinarii locorum, antequam hujuſmodi licentiam concedant, Breviaria ab ipſis Typographis imprimenda, & poſtquam impreſſa fuerint, cū hoc Brevario auctoritate noſtra recognito, & nunc impreſſo, diligentiſſimè conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, & in ipſa licentia originali de collatione facta, & quod omninò concordent, manu propria atteſtentur, cujus licentiæ copia initio, vel in calce cujuſque Breviarii ſemper imprimatur: quod ſi ſecus fecerint, Inquiſitores videlicet, privationis ſuorum Officiorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda, Antiſtites verò & Ordinarii locorum, ſuſpenſionis à divinis, ac interdicti ingreſſu Eccleſiæ, eorum verò Vicarii, privationis ſimiliter Officiorum & beneficiorum ſuorum, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterū obtinenda, ac præterea excommunicationis, abſque alia declaratione, ut præfertur, pœnas incurrant eo ipſo.

*Licentiarū que ſic concedendarum formam præſcribit.*

§.7. Cæterum pauperū Clericorum & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Typographorum, & Bibliopolarum, quorum indemnitatis ex benignitate Apoſt. rationem habentes, eiſdem Breviaria hactenus impreſſa penes ſe habentibus, ut & ea retinere, & illis uti, eaque vendere reſpectivè poſſint, ſimiliter permittimus & indulgemus.

*Uſum verò Breviariorū iam impreſſorum permittit.*

§.8. Non obſtan. licentiis, indultis & privilegiis quibuſcumque Typographis hactenus per nos, ſeu Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Breviarium prædictum Pii V. imprimendi conceſſis, quæ per præſentes expreſsè revocamus, & revocata eſſe volumus, necnon conſtitut. & ordinat. Apoſtolicis generalibus & ſpecialibus in contrarium præmiſſorum quomodocumque conceſſis, confirmatis & approbatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Clauſulas contrariorū derogatorias apponit.*

§. 9. Volumus autem ut præſentium noſtrarum literarum exemplaribus, etiam in ipſis Breviariis impreſſis, vel manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præ-

*Tranſumptiſque credi iubet.*

ſentibus

ſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P. An. 11. die 10. Maii.* Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Maii 1602. Pont. noſtri anno 11.

---

## LXXXVII. Declaratio quod non liceat per literas, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere. Et prohibitio hanc propoſitionem docendi, defendendi, &c.

*Edita A. D. 1602.*

*Votorum perceptio.* SAnctiſſimus D.N.D. Clemens Papa VIII. &c. Auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſ. & Reverendiſ. Dominis Cardin. contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, maturè ac diligenter conſiderata.

*Declaratio de qua in rubrica.* §. 1. Hanc propoſitionem, ſcilicet licere per literas, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam & ſcandaloſam damnavit ac prohibuit.

*Prohibitio de qua ibid.* §. 2. Præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis, privatiſve lectionibus, concionibus & congreſſibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur, quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam diſputativè tractaverit (niſi forſan impugnando) vel ad praxim directè, ſeu indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S.R.E. Majori Pœnitentiario, niſi à pro tempore exiſtenti Romano Pontifice abſolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis ſubjaceat.

*Decreta An. Pont. 11. die 20. Iulii.* In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtol. in Monte Quirinali, die 20. menſis Julii 1602.

Quintilianus Adrianus Not.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate Domini 1602. indict. 15. die verò 19. menſis Iulii, Pont. Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clem. divina Providentia Papa VIII. anno 11. ſupradictæ literæ Apoſtol. affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicæ Principis Apoſt. de Vrbe, Cancell. Apoſt. & aciei Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Catherinum Menandi Apoſt. Curſ.*

*Gaſpar de Bonis Pedibus Mag. Curſ.*

---

## LXXXVIII. Ampliatio Conſt. Greg. XIII. circa depoſita apud Montem Pietatis de Urbe facienda. Et juriſdictionis conceſſio illius Protectori & Judici in cauſis ipſius Montis intereſſe concernen.

*Montes Pietatis nihil ultra id quod pro Miniſtrorum expenſis, & indemnitate neceſſarium eſt recipientes, licitos eſſe declaravit Leo X. ſup. in ſua conſt. 11. Inter, lib. 1. Et jus viſitandi hujuſmodi Montes, ſicuti alia pia loca, ſpectare ad Ordinarios, declaravit Conc. Trid. in ſeſſ. 22. cap. 8.*

*Edita A. D. 1602.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* QUæ ad pietatis & charitatis opera, præſertim in Alma Urbe noſtra exercenda, pauperumque & miſerabilium perſonarum neceſſitates ſublevandas piè & providè inſtituta & ordinata ſunt, ut firmius ſubſiſtant & inviolabiliter obſerventur, libenter confirmamus & ampliamus.

*Gregor. XIII. depoſita ſupra ſummã ſcut. 5. penes Montem pietatis deponi juſſit, ut ſup. in eius conſt. 94. Inter, lib. 2.* §. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, dudum felic. record. Greg. XIII. prædec. noſter, omnibus & ſingulis Rom. Curiæ Judicibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, etiam S.R.E. Card. & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, Motu ejus proprio præceperit & mandaverit atque ſtatuerit, ut in quibuſcumque cauſis, &c.

Omittitur tenor hujus narrativæ, quia eam habes ſup. fol...

*Hic modò Pont. confirmat d. conſt. Gregor. XIII. & aliorum Pont.* §. 2. Verùm quia, ſicut etiam accepimus, ſuper præmiſſis aliquæ ortæ fuerunt controverſiæ, & propterea omnem deſuper dubitandi materiam de medio tollere, eaque innovare, ac in aliquibus declarare, & etiam ampliare volentes, ac literarum prædictarum, necnon privilegiorum, facultatum, conceſſionum, gratiarum & indultorum quorumcumque eidem Monti, illiuſque Archiconfraternitati, ac dilectis filiis illorum Protectori, Proviſoribus, Officialibus, Archiconfratribus & Miniſtris quomodolibet conceſſorum tenores, etiam veriores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine, literas prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta, ac inde ſequuta & ſequenda quæcumque, ac alia privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, facultates & gratias Monti, illiuſque Archiconfraternitati, ac dilectis filiis illorum Protectori, Proviſoribus, Officialibus, Archiconfratribus, & Miniſtris per prædictum Gregorium, ac piæ mem. Paulum III. Julium etiam III. ac Paulum IV. & Sixtum V. & quoſcumque alios Rom. Pont. prædeceſſ. noſtros, ac nos, Sedemque Apoſt. ſub quibuſcumque tenoribus, & formis quomodolibet conceſſa, ac inde ſequuta & ſequenda quæcumque Apoſt. auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, eiſque perpetuæ & inviolabilis Apoſt. firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti & ſolemnitatum de jure, uſu & conſuetudine requiſitarum, vel aliàs quomodolibet neceſſariorum, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui in eiſdem, ſeu in eorum aliquo intervenerint, ſupplemus, eaque omnia & ſingula innovamus, & quatenus opus ſit, Monti & Archiconfratern. ac Protectori, Proviſoribus, Officialibus, Archiconfratribus & Miniſtris prædictis, & eorum ſingulis, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò de novo concedimus.

§. 3. Et inſuper, quod omnes pecuniæ redigendæ, & hactenus redactæ, tã ex ſubhaſtatione & venditione quorumcumque bonorum decoctorum & aliorum, vel in omnem caſum ubi diſcuſſio bonorum fit, quàm ex exactione creditorum litigioſorum, etiamſi de conſenſu partium ſubhaſtatio, venditio & exactio fiat, necnon totũ pretium omnium rerũ per ſubhaſtationem venditarum & vendendarum, ac pecuniæ & bona durante judicio diſcuſſionis exigen. & colligen. per Judices cauſarum diſcuſſionis, ac per Curſores & Mandatarios, ſeu per quoſcumque alios ad id deputatos, etiam in cauſis criminalibus, ac pretium bonorum ſtabilium vigore conſtitutionis ſuper jure congrui per dictum Greg. prædec. editæ venditorum & vendendorum, in d. Monte effectualiter, & in numerata pecunia deponantur, etiamſi per cedulam Campſorum ſolvere promittentium, ſeu Mercatorum oblationes fiant in caſibus prædictis. Necnon quoties ex aliqua diſpoſitione, etiam per nos vel ſucceſſores noſtros aliquod depoſitum penes Ædem ſacram, aut perſonam fide & facultatibus idoneam erit faciendum, cenſeatur Mons Pietatis hujuſmodi ad id ſpecialiter deputatus eo ipſo, ipſæque pecuniæ per d. Montis Officiales, ſicut cetera depoſita inibi facienda, exigi poſſint & debeant. *Dubia[illegible] deſuper [illegible] orta [illegible] rat ad fa[illegible] rem Montis.*

§. 4. Et ſi ſuper præmiſſis, ubi faciendum ſit depoſitum, dentur penes acta Notariorum aliquæ cedulæ quorumcumque Campſorum vel Mercatorum, etiamſi in eis dicatur, quod d. Mercatores ſe obligent, nulla facta mentione depoſiti, ſed ſimpliciter, vel alias promittant, aut ſe obligent de ſolvendo, animo ſe relevandi à quibuſcumque obligatis, ſeu intereſſe habentibus, vel d. Mercatores faciant, aut creent illos debitores in eorum libris, vel alias ad partes in caſu faciendi depoſiti, ut ſupra, d. cedulæ nullatenus ſuffragentur, ſed ſemper ad deponendas pecunias in eodem Monte cogantur, niſi cedulæ hujuſmodi ad favorem vel inſtantiam Cam. & Fiſci noſtri factæ eſſent. Quibus ſolas cedulas ſuorum depoſitariorum ſufficere & ſuffragari volumus. *Cedulæ Mercatorũ nu[illegible] ſint in caſibus mox declaratis.*

§. 5. Necnon Curſores & Mandatarii prædicti, totum & integrum pretium omnium rerum per ſubhaſtationem vendendarum, etiam in cauſis Criminalibus, ſatisfacto prius per eos eiſdem creditoribus qui dicta bona ſubhaſtare fecerunt, penes eundem Montem integrè, realiter, & cum effectu ſtatim omninò deponant & deponi curent, & donec non ſit factum dictum depoſitum, non poſſint, nec debeant de eorum mercede pro actu deliberationis tantum debita ſatisfieri. *Curſores pretium rei ſubhaſtatæ ibid. deponant.*

§. 6. Quodque omnes & ſinguli Notarii prædicti non poſſint recipere dicta depoſita, ſive in pecunia, ſive in cedulis facienda, ſed illa ſtatim ad dictum Montem tranſ- *Notarii eiſdem [illegible] bus depoſita & cedulas Monti co[illegible] gnent.*

mittere

mittere teneantur, ſub ducentorum ducatorum & aliis arbitrio pro tempore exiſtentis dicti Montis Protectoris imponendis & applicandis pœnis.

[illegible]ſtra & qua[illegible] Montis [illegible]

§.7. Et quod ſuper pecuniis depoſitatis in dicto Monte non poſſint fieri, nec apponi aliqua ſequeſtra, nec aliquæ inhibitiones, nec mandata de non ſolvendo, ſeu de non conſignando, nec aliqua alia impedimenta circa ea fieri poſſint, prætetquam ad inſtantiam Cameræ & Fiſci, niſi de mandato & ordine Protectoris dicti Montis pro tempore exiſtentis, ſeu Judicis ab eo deputati, ſed ſequeſtra, inhibitiones & alia impedimenta prædicta fieri poſſint tantum ſuper cedula quæ à Miniſtris & officialibus Montis in fidem & teſtimonium facti depoſiti fieri ſolet, & penes acta Notarii cauſæ ob quam factum eſt depoſitū exhibita, & producta fuerit, ubi conſtito de juſtificatione eorumdem ſequeſtrorum, Judex cauſæ mandabit in calce vel à tergo ejuſdem cedulæ cui ſolvendæ fuerint pecuniæ depoſitatæ, cujus quidem cedulæ, & mādati in ea appoſiti vigore officiales & Miniſtri ejuſdem Montis, quibus dictæ cedulæ repræſentatæ fuerint, pecunias juxta mandatum Judicis cauſæ ſolvere tenebuntur. Decernentes & declarantes ſequeſtra penes eumdem Montem, & ſuper illius depoſitis alias quā ut præfertur appoſita & facta, nullius eſſe roboris vel momenti, ac Montem, ejuſque officiales & Miniſtros prædictos, etiam quod de facto penes eos exequuta fuiſſent, nullo modo afficere vel obligare, minuſque ipſos ad illa recipiendū, acceptandum, vel admittendū teneri, ſed perinde haberi, ac ſi facta non fuiſſent.

§.8. Ac volentes, & dicta auctoritate ſtatuentes quod pro tempore exiſtens d. Montis Protector, ſeu Judex ab eo deputatus, ad omnem ſimplicem Proviſorum, officialium & Miniſtrorum ejuſdem Montis nunc & pro tempore exiſtentium requiſitionem & inſtantiam, omnia & ſingula depoſita ut præfertur facienda penes dictum Mōtem, & non apud aliquem Mercatorum, ſeu Ædem Sacrā vel aliam quamcumque perſonam realiter & cum effe[illegible] fieri faciat, pretiaque quorumcumque bonorum, tam ſtabilium quam mobilium, & ſe moventium, per ſubhaſtationem & deliberationem, ac pecuniæ in cauſis diſcuſſionum colligendæ, & omnium aliorum prædictorum, in quacumque Curia & Tribunali Urbis, etiā Criminali, tā per Curſores noſtros quàm quoſvis alios Mandatarios vendendorum redigēda, ac etiā pretia ex retractu, ſeu aliàs vigore d. conſtitutionis juris congrui, de mandato & decreto dilectorum filiorū S.R.E. Camerarii, & Magiſtrorum Viarum, ſeu aliorum deponenda, ac in omnibus caſibus in quibus depoſitum erit faciendum, in eodem Monte, & non alibi deponi, ac omnia reſidua pretii quorumcumque pignorū, tam venditorum, quā vendendorum à quibuſcumque Hebræis, per mandatū Card. Camerarii, & acta illius Notarii ad id deputati, de cetero juxta facultates eidem Monti per prædictos Julium III. & Paulum IV. & alios quoſcumque Rom. Pont. Prædec. noſtros conceſſas effectualiter deponi debeant in d. Monte, ad effectū illa reſtituendi veris Dominis, juxta mandatū & ordinationem per Card. Camerariū, & acta ſui Notarii deſuper facienda, ita ut facta venditione ipſorum pignorū, ac pretii eorumdem ſolutione, infra octo dies omne, & totum ac integrum reſiduum penes dictū Montem realiter, & cum effectu, ac omni mora & dilatione penitus, & omninò ſemotis atque ceſſantibus, deponi debeant, ſub pœna unius ſcuti pro quolibet pignore, applicandi pro medietate ipſi Monti, & pro alia medietate Notario pignorum Hebræorum.

*Protector [illegible] Montis con[illegible] inhe[illegible] [illegible] pro[illegible]*

§.9. Ipſeque pro tempore exiſtens Protector, ſingula præmiſſa, & alia quæcumque in prædictis, ac præſentibus litteris contenta ab omnibus ad quos nunc & pro tempore quomodolibet ſpectabit, ſub prædictis & aliis pecuniariis ejus arbitrio imponendis, moderandis & applicandis pœnis, ac etiam cenſuris Eccleſiaſticis in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervari & adimpleri mandet, faciat, atque procuret, necnon contra quoſvis etiam criminales, tam Gubernatoris, quàm omnium aliorum dictæ Urbis tribunalium Notarios, quos etiam ſub eiſdem præſentibus literis comprehendi volumus, & comprehenſos fore & eſſe decernimus & declaramus. Ita ut dicti Mōtis proviſores, officiales & Miniſtri, ad deponendum pecunias ut præfertur exigendas contra quoſcumque depoſitarios, ac quaſvis alias tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticas cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentes perſonas, quantumvis privilegiatas, ex officio agere poſſint & valeant. Ipſeque protector adverſus ſingulos præmiſſis, aut eorum alicui pro tempore quomodolibet contravenientes, etiam per Inquiſitionem, ac criminali, & carcerationis via, aut alias prout ei bene viſum, & magis expediens fuerit procedat, ac pœnas per eum imponendas hujuſmodi à quibuſcumque contravenientibus irremiſſibiliter exigi, & arbitrio ſuo applicari mandet, [illegible]que omnia & ſingula faciat, gerat & exequatur, quæ in præmiſſis vel circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna.

*Protector ſit Iudex omniū cauſarum intereſſe Mōtis & Archiconfraternitatis tangentiū, cum ampliſſimis facultatibus.*

§.10. Præterea pro faciliori & celebriori litium & cōtroverſiarum, quæ tam occaſione præmiſſorum ubi agitur principaliter de intereſſe ipſius Montis, quàm alias adverſus Montem & Archiconfrater. hujuſmodi, ſeu illius Miniſtros hactenus ortæ ſunt, & oriri contigerit in futurum, pro tempore exiſtenti dicti Montis Protectori omnes & ſingulas lites, cauſas & differentias, tam civiles quam criminales ac mixtas, tā ſuper depoſitis hujuſmodi reſpectu intereſſe dicti Mōtis hactenus quomodolibet factis, & faciendis, quàm Montis, ſeu Archiconfrat. hujuſmodi bonis, rebus, juribus & actionibus quibuſcumque, necnon locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicōmiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, & illarum diſcuſſionibus, ac quibuſcumque aliis diſpoſitionibus, juriumque & actionū ceſſionibus, & aliis quibuſcumque inter vivos, & cauſa mortis vel quaſi, contractibus, etiam vim Cameralis obligationis habentibus, intereſſe Montis, & Archiconfrat. hujuſmodi, etiam occaſione hujuſmodi depoſitorum, ubi agitur ut ſupra de intereſſe Montis, & tanquam principaliter, etiam per viam neceſſariæ defenſionis, & aliàs quomodolibet concernen. inter dictum Montem, ſive illius Proviſores, officiales & Miniſtros pro tempore exiſtentes, ac quaſcumque alias tā laicas, quàm Eccleſiaſticas cujuſ[illegible] ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis & cōditionis, vel præeminētiæ exiſtentes perſonas, qualitercumque privilegiatas, Univer[illegible], Congregationes, Collegia, ac tā virorum quam [illegible] lia & alia pia loca quæcumque, privilegia, ſeu indulta deſuper habentia, ſeu habere prætendentia, tā communiter quam diviſim, & tam activè quā paſſivè ultro citroque ad invicem vel aliàs quomodolibet motas vel movendas, ac etiā per appellationem, & in quacumque inſtantia, coram quibuſvis Judicibus, etiā cauſarum palatii Apoſtolici Auditoribus introductas & indeciſas pendentes, quas omnes & ſingulas ab ipſis Judicibus harū ſerie ad nos avocamus & reaſſumimus, per ſe vel alium, ſeu alios, quē ſeu quos ad hoc duxerit deputandū, ſeu deputandos, etiā ſummariè, & de plano ac ſimpliciter, & ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, & etiam manu regia, omni & quacumque appellatione, reclamatione, reviſione, recurſu, & reſtitutione in integrū remotis, cū omnibus & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & cōnexis, ac toto negotio principali, etiā privativè quoad omnes alios & ſingulos Judices ordinarios & delegatos & Cam. Apoſt. Generalē Auditorem, etiā ubi agitur vigore obligationis Cameralis, eorumque Curias & Tribunalia Eccleſiaſtica vel ſæcularia audiēdas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas, necnō quoſcumque adverſarios & alios intereſſe habentes, tam in dicta Curia quàm extra eam, etiam per edictū publicum, conſtito ſibi ſummariè de non tuto acceſſu, citandi, ac quibuſvis etiam Judicibus dictæ Curiæ & perſonis, quibus & quoties opus fuerit, ſub ſentētiis, cēſuris & pœnis Eccleſiaſticis, & etiā pecuniariis, aliiſque pœnis, prout ſibi videbitur inhibēdi, & in eventum non paritionis ad declarationem incurſus cenſurarum & pœnarum hujuſmodi procedendi, ac ſententias deſuper ferendas debitæ executioni demandandi, ſeu demandari faciendi, cōtradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis nō parentes, eiſque quovis prætextu, ſeu quæſito colore ſe quomodolibet opponentes, per ſimiles cenſuras & pœnas, aliaq; opportuna juris & facti remedia compeſcendi, ac brachii ſæcularis auxilium invocandi.

*Et ſignanter declarandi dubia ſuper præmiſſis.*

§.11. Necnon quæcumque dubia & difficultates, ſi quæ præmiſſorum occaſione quomodolibet oriri contigerit, declarandi & interpretandi.

*Statuta & edicta edendi.*

§.12. Ac quæcumque edicta, ſtatuta, & Ordinationes

pro executione præmiſſorum, ſub quibuſvis pœnis ſibi beneviſis condendi, & condita mutandi, ſeu in toto vel in parte abrogandi, illaque imprimendi, & etiam per affixionem publicandi, omniaque & ſingula alia in eiſdem ſingulis præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna, eiſque benè viſa faciendi & exequendi, etiam omni & quacumque appellatione remota, plenam, liberam & omnimodam facultatem, poteſtatem & auctoritatem perpetuò tribuimus, concedimus & elargimur.

*Officiales alibi conveniri non poſſint, & contra eos pro adminiſtratis utatur privilegiis Cam. Apoſt.*

§.13. Quodque omnes & ſinguli dicti Montis Officiales & Miniſtri, tam civiliter quàm criminaliter, pro negotiis, rebus & bonis ad dictum Montem verè & principaliter ſpectantibus & pertinentibus, alibi tam judicialiter quàm extrajudicialiter conveniri & moleſtari non poſſint quàm coram d. Protectore, ſeu ab eo deputando, contra quos omnes & ſingulos Officiales & Miniſtros, videlicet Depoſitarium, Cuſtodem, Capſerium, Computiſtam, & alios quovis nomine nuncupatos, tam præſentes quàm futuros, & eorum fidejuſſores, ſeu approbatores, ac eorum bona quæcumque, ubicumque, & in quibuſcumque rebus exiſtentia, pro redditione eorum adminiſtrationis, & pro eorum debitis ad favorem dicti Montis contractis & cõtrahendis prædictis, Mons ac ejus Proviſores & officiales idem jus & privilegium, eandemque actionem, in omnibus & per omnia, ac pariformiter, & ſine ulla prorſus differentia habeant & potiantur, ac exercere poſſint & valeant, quæ Cam. Apoſt. ac Fiſco noſtro, contra illorum debitores, de jure, uſu, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet competunt, aut competere poterunt in futurum, non tamen contra ipſam Cameram, aut illius Fiſcum.

*Solutio Montis prævio Iudicis decreto tuta eſt.*

§. 14. Quodque ſolutis depoſitis de mandato cujuſcumque Judicis competentis, nec Mons, minuſve ejus officiales ulterius teneantur, nec remaneant obligati, non obſtante quacumque appellatione, quæ contra mandatum ejuſdem Judicis fieri poſſet.

*Clauſula huius conceſſionis ma-*

§.15. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore, etiam ex eo quod Notarii etiam criminales Gubernatoris, ac aliorum omnium dictæ Urbis Tribunalium, & eorum creditores, & quicumque collitigantes dicti Montis, ceterique intereſſe habentes ad hoc vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerint, aut aliàs de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, ſeu in jus vel controverſiam vocari, aut ad terminum juris reduci, vel adverſus illas quodcumque juris vel facti, aut gratiæ remedium impetrari poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per nos, aut alios Rom. Pont. prædeceſſ. ſeu ſucceſſores noſtros, ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus & formis, etiam motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, pro tempore factis & faciendis cõprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabũt, toties in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub data per Proviſores, Officiales & Miniſtros dicti Montis pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda, ac de novo conceſſa eſſe & fore, ſuumque plenarium & integrum effectum ſortiri debere.

*Clauſ. ſublata, &c.*

§. 16. Sicque per prædictum Protectorem, & alios quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam dictos Auditores, ac S.R.E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique, & in quacumque inſtantia judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper iis à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.*

§.17. Non obſtan. quibuſcumque litium pendentiis, & aliis præmiſſis, ac quibuſvis aliis conſtit. & ordin. Apoſt. necnon dictæ Urbis, illiuſque Tribunalium ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis & literis Apoſt. quibuſcumque locis piis, & dilectis filiis Populo Romano, illiuſque Senatori & Conſervatoribus, ac ejuſdem R.E. Camerario, Theſaurario, & dictæ Cam. Præſidentibus & Clericis, exceptis cauſis ſpoliorum, & aliis ubi de intereſſe Cameræ, ſive principaliter, ſive ſecũdariò, ſive alias quomodolibet ageretur, ſive illud detegi & de eo agi poſſe videretur, Vicario, Gubernatori, Auditori Cam. & aliis quibuſcumque Judicibus & Tribunalibus, ac Notariis prædictis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritationibus & aliis decretis, etiam Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter in contrarium quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus derogamus, ac ad plenum derogatum eſſe, nec in aliquo obſtare volumus, decernimus & declaramus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Deputatio Protectoris.*

§.18. Inſuper cum d. Mons, illiuſque Archiconfrat. poſt obitum bo. me. Antonii Mariæ S.R.E. Card. Salviati nuncupati, qui dum vixit, Montis & Archiconfrat. hujuſmodi Protector fuit, protectore caruerit, & careat, nos ut Montis ac Archiconfrat. hujuſmodi conſervationi, bonoque regimini & directioni opportunius conſulatur, de aliquo idoneo Protectore, qui juxta cordis noſtri deſideriũ, ac traditã ſibi ab Altiſſimo prudentiã, dictum Montẽ, illiuſque Archiconfrat. piè ac diligẽter gubernet, & regat providere volentes, Dilectum filium noſtrum Petrum S. Nicolai in Carcere Diac. Aldobrandinum nuncupatum, noſtrum ſecundũ carnem ex fratre Nepotem, S. R. E. Camerarium, quem ob ſingularem ejus fidem & induſtriam, [illegible] probatam, aliaſque præclaras ejus animi dotes cum pietatis ſtudio & charitatis & juſtitiæ zelo conjunctas, eidem Monti, illiuſque Archicõfraternitati valde utilem futurum in Domino confidimus, Montis & Archiconfraternitatis hujuſmodi, illorumque bonorum & rerum Protectorem & defenſorem quoad vixerit, cum omnibus ſupradictis, & aliis eidem Protectori competentibus & debitis facultatibus, privilegiis & indultis, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus, facimus, conſtituimus & deputamus. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ Montis & Archiconfraternitatis hujuſmodi Proviſoribus, officialibus, Archiconfratribus & Miniſtris prædictis nunc & pro tempore exiſtentibus, quatenus eidem Petro Cardinali, tanquam eorum Protectori omninò pareant atque obediant.

*Publicationis effectus.*

§.19. Volumus autem quod præſentes literæ à die illarum publicationis omnes & ſingulos quos illæ concernunt perinde arctent & afficiant, ac ſi illis & eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tranſumptorum fides.*

§. 20. Quodque illarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Secretarii ipſius Montis, ſeu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Montis, vel alicujus Prælati obſignatis eadem prorſus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. An. 1602. die 18. Iulii.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Julii 1602. Pontif. noſtri anno 11.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti* 1601. *indict.* 15. *die verò* 26. *menſis Aug. Pontificatus autem Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Papa VIII. anno ejus* 11. *Supradicta litera Apoſt. affixa, lecta & publicata fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis & conſuetis, ut moris eſt, per me Laërtium Cecchettum Curſorem Apoſtolicum.*

*P. Bartoccius Mag. Curſ.*

---

LXXXIX.

Prohibitio, iterataque damnatio operum Caroli Molinæi hæretici, cum revocatione licentiarum illa legendi & retinendi, quibuſcumque etiam à ſupremis Inquiſitoribus conceſſarum, & cum inhibitione ne cuiquam de cetero, præterquam à ſummo Pontifice concedantur.

*Aliorum*

*Aliorum librorum prohibitorum indicem, vel potius ejus approbationem, vide hic ſup. in conſtitut. 36. Sacroſanctum, ubi etiam Pii IV. conſtit. indicavi.*

*lita A. D. 602.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*ordium.*

APoſtolicæ Sedis auctoritati maximè convenit, & ad noſtrum pertinet officium accuratè proſpicere, ne impiorum hominum libris, ac monumentis, fidelium mentes ſeducantur, aut quovis modo à via veritatis avocentur.

*roli Moli- i ſcripta ntraria ſi i continêt, idèò pro- bita fue- nt.*

§. 1. Nos itaque conſiderantes damnatæ memoriæ Caroli Molinæi ſcripta & commentaria, doctrinâ pernicioſam, & Catholicæ fidei contrariam cõtinere, & ideo hujus impii & hæretici hominis in prima claſſe deſcripti opera omnia in Indice librorum prohibitorum, tam per noſtros Prædeceſſores Romanos Pontifices, quàm etiam per nos nuper edito, expreſsè ac nominatim ſub cenſuris & pœnis in eo contentis prohibita, & interdicta fuiſſe, & attendentes etiam, ſicut ad audientiam noſtram pervenit, quamquam eorumdem operum lectio, & retentio ab univerſis Chriſti fidelibus maximè vitanda ſit.

*rimi ta- n variis texibus ntias illa ndi ex- ſerunt, il- que utun- r.*

§. 2. Nihilominus à pluribus, & iis præſertim, qui utriuſque juris ſcientiam profitentur, contra hujuſmodi prohibitionem, dicti Caroli ſcripta & Commentaria, ſub variis prætextibus, ſive illa examinandi, ſive corrigendi & emendandi, ut dicunt, ſive etiam ut illis utantur in Judiciis & deciſionibus cauſarum, & aliis eorum ſcriptionibus, frequenter legi & retineri, maximo cum eorumdem, & aliorum animarum periculo, & ſub his prætextibus varias licentias, etiam à nonnullis Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, & ab Inquiſitoribus temerè ac de facto, & etiam quandoque ab hac ſancta Sede, & à Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus ſuper Indice librorum prohibitorum deputatis, ſive etiam interdum à Generalibus Inquiſitoribus ſub præcepto, ut nonniſi expurgatis, & cunctis erroribus deletis uti poſſint, diverſimodè ab eiſdem extortas, aut impetratas fuiſſe.

*Hic autem nt. ne di- Caroli p'a riſti fide- nficiant, novo illa mnat, & erdicit, amſi ex- gata di- tur.*

§. 3. Propterea prò noſtra Paſtorali ſolicitudine cunctorum Chriſti fidelium animarum ſecuritati, & ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, & ne ipſi Chriſti fideles mali hominis prava doctrina & impietate fallantur, aut inficiantur, opportunè providere volentes, pro potiori cautela, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnia & quæcumque prædicti Caroli Molinæi hæretici ſcripta, opera & Commentaria, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra auctoritate de novo perpetuò damnamus, reprobamus, interdicimus & anathematizamus, eorumque lectionem & retentionem univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris & præeminentiæ, licèt de illis ſpecialis & individua mentio habenda foret, exiſtant, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque cenſuris & pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, ac etiam ſuſpicionis ipſius hæreſis, quantumvis ſcripta, opera & Commentaria ipſa jam quovis modo fuiſſe expurgata prætendant, diſtrictè perpetuò interdicimus & prohibemus.

*icentias aſcumque ocat, & de cetero i probi- , etiam d. depu- is ſuper lice, & uiſitor.*

§. 4. Et propterea omnes & quaſcumque licentias quibuſvis perſonis, tam ab Ordinariis locorum, quàm etiam ab ipſis Cardinalibus ſuper dicto Indice deputatis, ac ſupremis S. Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus, ac à nobis & Apoſtolica Sede quomodolibet conceſſas legendi & retinendi libros ejuſdem Caroli Molinæi, etiam ſub alio nomine inſcriptos vel expurgatos, cùm non aliter quàm igne expurgari poſſint, revocamus, caſſamus & annullamus. Inhibentes omnibus & ſingulis ſupradictis, ne de cetero hujuſmodi licentias cuiquam concedant vel impartiantur. Quinimò omnem facultatem concedendi hujuſmodi licentias retinendi, vel legendi opera hujus impii Auctoris, ex quacumque cauſa, & ſub quovis prætextu & colore, quibuſcumque perſonis quavis auctoritate etiam Apoſtolica ſuffultis, & quacumque dignitate præditis, etiam ipſiſmet Cardinalibus ſuper Indice librorum prohibitorum deputatis, ac ſupremis Inquiſitoribus prædictis adimimus, eamque nobis & ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus tantùm reſervamus.

§. 5. Caſſantes inſuper, & ex nunc irritantes quaſcumque licentias etiam à nobis conceſſas, & à ſucceſſoribus noſtris Rom. Pont. reſpectivè cõcedendas, quæ manu noſtra, aut ſucceſſorum prædictorum ſubſcriptæ nõ fuerint. *Eaſque à Papa concedendas & ſubſcribendas eſſe decernit.*

§. 6. Per has tamen noſtras literas non intendimus prohibere retentionem librorum juris Canonici, & aliorum Catholicorum Auctorum, habentium additiones, ſeu apoſtillas, ut vocant, hujus impii hominis, ipſis tamen additionibus, ſeu apoſtillis deletis & emendatis, juxta cenſuram de mandato noſtro nuper editam, & in Typographia Camer. Apoſtolicæ impreſſam Romæ hoc Anno 1602. chartis, ſeu foliis 24. diſtinctam, cujus initium eſt, Cenſura in omnes additiones, ſeu adnotationes marginales damnatæ mem. impii Caroli Molinæi ad textum Juris Canonici, Commentaria in Decii Decretales, & Jus Civile, ad Conſilia Decii & Alexandri, & ad Dynum de regulis juris, & Decium in titulo ff. de regulis Juris. Finis verò eſt, Aliqua fortaſſe in præmiſſis & conſimilibus additionibus ab oculis noſtris effugerunt, notatu & cenſura digna, quæ diligens lector animadvertens delere prorſus teneatur. *Declarat prædictam prohibitionem.*

§. 7. Poſtremò ſub cenſuris & pœnis ſupradictis omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus intra menſem à publicatione præſentium in locis per quæ eædem ad eorum notitiam pervenire poſſint, facienda computandum, omnia & ſingula ſcripta, opera & commentaria prædicta Caroli Molinæi realiter, & cum effectu locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus exhibeant & conſignent. Ipſi verò locorũ Ordinariis, vel Inquiſitoribus, ut illa ſtatim, nulla interpoſita mora, aut expectata licentia igne cõburant, & cõmburi faciãt. *Mandat opera prohibita Ordinariis, vel Inquiſitoribus conſignari, & ab ea comburi.*

§. 8. Ut autem præſentes noſtræ litteræ ad omnium notitiâ faciliùs deveniant, & ne earum ignorantia quemquam excuſet, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ, utque eædem præſentes ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ affixæ & publicatæ omnes ita arctent & afficiant, perinde ac ſi omnibus & ſingulis intimatæ fuiſſent. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac aliis locorum ordinariis per eadem ſcripta mandamus, ut præſentium litterarum tranſumpta in ſuis Civitatibus & Diœceſibus publicari & obſervari curent ac faciant, & contra inobedientes quoſcumque ad declarationem incurſus pœnarum & cenſurarum prædictarum irremiſſibiliter procedant. *Hanc conſtitut. publicari jubet.*

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis & indultis, ac literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. *Contraria non obſtare decernit.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Auguſti 1602. Pontificatus noſtri anno 11. *Dat. P. A. 11. die 21. Aug.*

*Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti 1602. indict. 16. die verò 26. menſis Auguſti, Pont. Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clem. divina Providentia Papa VIII. anno ejus 11. ſupradicta literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicæ Principis Apoſtol. de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Laërtium Cecchettum, & Catherinum Menandi Curſ.* *Publicatio.*

*Paulus Bortocchius Mag. Curſ.*

---

## Præfinitio habitus coloris cærulei, quem deferre debent Religioſi Congregationis Canonicorum ſæcularium S. Georgii in Alga Venetiarum. XC.

*Inſtitutionem hujus Congregationis, & alia eam inſpicientia, vide ſuprà in Gregorii XII. conſtitut. 1. Illis, lib. 1. ubi notavi.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1601.*

QUæ ad Religioſorum antiquum inſtitutum conſervandum providè ordinata fuiſſe dicuntur, ea *Exordium.*

cum à nobis petitur, Apoſtolici muniminis firmitate libenter communimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Decretum Congregationis, quod eius Religioſi deferant togam coloris cærulei, prout B. Laurentius Iuſtinianus Congregationis fundator deferebat.*

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Generalis Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, quod per undecim Patres deputatos, Capitulum generale ejuſdem Congregationis repræſentantes, communibus votis reſolutum fuit, ut tolleretur abuſus inter Religioſos dictæ Congregationis introductus, intereſſendi divinis officiis in Choro, in Eccleſia, in proceſſionibus particularibus, & aliis locis publicis, cum ſola tunica alba, veluti contrarius inſtitutis & habitui antiquo ejuſdem Congregationis. Et propterea deinceps Religioſi deberent ubique, & in omni tempore, & præſertim Domi, & in Monaſteriis & locis ejuſdem Congregationis deferre togam coloris cærulei, Pallandam nuncupatam, juxta conſtitutiones ejuſdem Congregationis, & ad inſtar illius quam deferebat B. Laurentius Juſtinianus, ejuſdem Congregationis inſtitutor. Ut autem nullo tempore in poſterum prædictæ reſolutioni, ſeu decreto prædictorum undecim Patrum deputatorum contraveniatur, idem Generalis totius Congregationis prædictæ nomine, nobis humiliter ſupplicari fecit, ut illud Apoſtolica auctoritate perpetuò confirmare, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Approbatio huius Pontificis ex voto Cardinalium.*

§. 2. Nos igitur, qui juſta petentium votis noſtrum non denegamus aſſenſum, Generalem & ſingulares Religioſos dictæ Congregationis à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporum & Regularium deputatorum, decretum Capituli generalis prædictum, ut ſcilicet omnes & ſinguli dictæ Congregationis Religioſi Togam, Pallandam nuncupatam, coloris cærulei deferre, ut præmiſſum eſt, teneantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, ac illud per dictos Religioſos inviolatè obſervari debere decernimus & declaramus.

*Derogatio contrariorum.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 11. die 12. Aug.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Auguſti 1602. Pontificatus noſtri anno 11.

---

## XCI. Reductio Provincialis & Fratrum Tertii Ordinis S. Franciſci Provinciæ Dalmatiæ, & Juſtinopolitan. ad obedientiam, & ſubjectionem Vicarii generalis ejuſdem Ordinis.

*De hoc Ordine notavi ſup. ad conſtitut. 42. Leonis X. Inter, lib. 1.*

*Edita A. D. 1601.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

PRo noſtri Paſtoralis muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ Religioſorum proſpero regimini, & gubernio opportunè conſulitur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Fratres Provinciæ Dalmatiæ, & Iuſtinopolitan. eorum tantummodò Provinciali obediebant.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Provinciales & Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci Provinciæ Dalmatiæ, & Juſtinopolitan. nulli alteri Superiori obediant, ſed dicti Fratres eorum Provinciali per vota ſecreta pro tempore electo tantummodo ſubſint, nec alium Superiorem agnoſcant.

*Hic Pontif. ... Vicario &*

§. 2. Nos proſpero regimini & gubernio dictorum Fratrum valdè expedire conſiderantes, ut ipſi, eorumque Provincialis Vicario & Viſitatoribus generalibus Ordinis prædicti Provinciæ Italiæ ſubjiciantur, ac eorum Superioritati, viſitationi & correctioni, prout alii Fratres Italiæ prædicti Ordinis de cetero ſubjaceant, ac prædictis Fratribus Italiæ ſub eiſdem Generalibus Superioribus uniantur, ac propterea in præmiſſis opportunè providere volentes, ſupplicationibus etiam pro parte dilecti filii Bernardi Sabbiæ Fratris, & Procuratoris generalis ejuſdem Ordinis, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati.

*Viſitatori generali Ordinis Provincia Italiæ eos ſubjiciendos eſſe.*

§. 3. Provincialem & Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci Provinciæ Dalmatiæ & Juſtinopolitan. prædictos Vicario & Viſitatori generali Tertii Ordinis S. Franciſci hujuſmodi Italiæ, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſubjicimus, illoſque ſub hujuſmodi Vicarii & Viſitatoris generalis obedientia Fratribus ejuſdem Ordinis Italiæ unimus.

*Eoſdem ... ſubjicit.*

§. 4. Ac eiſdem Provinciali & Fratribus Dalmatiæ, & Juſtinopolitan. ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indultis, favoribus, conceſſionibus, prærogativis, & indulgentiis, necnon voce activa & paſſiva, in Capitulis generalibus, & in electione Vicarii, & Viſitatoris generalis hujuſmodi, ad inſtar Provincialium, & Fratrum Italiæ ejuſdem Ordinis, ſine aliqua prorſus differentia reſpectivè, uti, potiri, & gaudere poſſint & valeant, ac debeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus.

*Gratias & privilegia communicat.*

§. 5. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ Vicario & Viſitatori generali prædicto, ut Provincialem & Fratres prædictos Provinciæ Dalmatiæ & Juſtinopolitan. ſub ejus curam & gubernium benignè recipiat, & ea qua decet charitate proſequatur.

*Iſtos ... ut eos ... gnè recipiat.*

§. 6. Illis verò Provinciali & Fratribus, ut prædicto Vicario & Viſitatori generali obedientiam & reverentiam debitas & devotas promptè præſtent & exhibeant, illumque debita honorificentia proſequantur, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ipſe Vicarius & Viſitator generalis ritè tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

*Illos ... iſtis ... obediant.*

§. 7. Non obſtan. præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ejuſdem Ordinis, ac dictæ Provinciæ Dalmatiæ & Juſtinopolitan. etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Provinciæ Dalmatiæ, ejuſque Provinciali & Fratribus in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Contraria ... que omnia derogat.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 2. Septembris 1602. Pontificatus noſtri Anno 11.

*Dat. P. A. ... die 2. Sept.*

---

## XCII. Declaratio quod Fratres Minores S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ, non ſunt novæ Regulæ profeſſores, ſed Regulæ S. Franciſci veri obſervatores.

*Alia de iſtis Fratribus notavi ſup. in conſtitut. 35. Clementis VII. In ſuprema, lib. 1. ubi legitur eorum Congregationis approbatio, & habetur indicatio aliorum de toto Ordine Sancti Franciſci, & eandem declarationem quoad Cappuccinos edidit Paulus V. in ejus conſtitut. 34. Eccleſia.*

*Edita A. D. 1602.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

EX injuncto nobis Apoſtolici muneris debito, ad ea libenter intendimus, per quæ regularis obſervantiæ profeſſorum Reformatorum ſtatui, & conſcientiæ ſecuritati opportunè conſulatur, ut & ipſi profeſſores uberiores in Eccleſia militanti fructus afferant, & eorum religio majora in Domino ſuſcipiat incrementa.

§. 1. Cum

*...tres Re... ...ti de ...vantia ...antur ſervare ...am S. ...ciſci, ex ...atratis. ...c regulâ ...ſup. in ...r. III. ...ut. 5. ..., lib. 3. ...atavi. ...verte ...l bulla ...nuncia- ...eſt unica ...bulla ...ſup. ...ideò Pôt. ...virè ob- ...vatores d. ...ula eſſe ...larat.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, à nonnullis aliquando oppoſitum fuerit, dilectos filios profeſſores Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de ſtrictiori Obſervantia, Reformatos nuncupatos, qui juxta conſtitutiones Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam noſtram ſub dat. Tuſculi die 12. Octobris, Pontificatus noſtri Anno 5. noviſſimè editam, ſub obedientia Cuſtodum degunt, eorumque Superiores Cuſtodes, & non Miniſtros appellant, propterea non ſatisfacere Regulæ à B. Franc. editæ, & per Sedem Apoſtolicam ſæpiùs confirmatæ & approbatæ, juxta cujus literarum tenorem ſub obedientia Miniſtrorum vivere videntur obligati. Cumque etiam aſſeratur, dictos Fratres Reformatos contra dictam Regulam agere, ac graviter contra votum profeſſionis, præſertim obedientiæ, delinquere, ac exinde perturbationes & incommoda patiantur.

§. 2. Nos eorumdem Fratrum Reformatorum quieti, tranquillitati & indemnitati proſpicere, atque eoſdem adverſus hujuſmodi moleſtias & calumnias tueri, ac omnem ſuper præmiſſis ambiguitatem è medio tollere volentes, quarumcumque conſtitutionum, & præſertim noſtræ ſupradictæ, ſuper reformatione dicti Ordinis editarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie decernimus & declaramus, ſupradictos Fratres Reformatos, qui non novam, ſed eandem Regulam, quam B. Franciſcus condidit, & felicis recordationis Honorius Papa III. prædeceſſor noſter confirmavit, quamque etiam Fratres de familia nuncupati Ordinis Minorum de Obſervantia obſervant, licèt ipſi Reformati purius, & juxta ipſius Regulæ literam declaratam per recolendæ memoriæ Nicolaum III. & Clementem V. Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, obſervant, ſub obedientia Cuſtodum, quibus per ſupradictas Romanorum Pontificum, & præſertim noſtram, conſtitutiones ſubjecti fuerunt prædictæ Regulæ Sancti Franciſci, & præcipuè in ea parte ubi ſunt illa verba, Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut obediant ſuis Miniſtris, plenè, purè, & integrè, & abſque ulla diſpenſatione in voto obedientiæ ita ſatisfacere, ſicut faciunt dicti Fratres de familia ſub obedientia eorum Miniſtrorum degentes, qui à Cuſtodibus ſolo nomine differunt, & ipſis Fratribus Reformatis Miniſtrorum loco præſunt, ipſoſque Reformatos, veros filios & indubitatos fratres Ordinis S. Franciſci, & in conſcientia tutos exiſtere.

*Gratiiſque & privilegiis Fratrum Minorum de Obſervantia gaudere decernit.*

§. 3. Necnon in omnibus eorum Monaſteriis, Locis, Domibus, Oratoriis, & Eccleſiis, quas nunc obtinent, & in poſterum quovis modo vel titulo obtinebunt, tam in Italia quàm extra ubique locorum, præſertim in Gallia, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, ac præcedentiis in proceſſionibus, in funeralibus, ac in concurſu cum aliis Religionibus, in concionibus certis tempore & loco viciſſim habendis, & in omnibus aliis actibus publicis & privatis, quibus dicti fratres de familia in eorum Monaſteriis, Eccleſiis, domibus, & locis, rebus, tam de jure, quàm ex conſuetudine, vel aliàs frui, potiri, & gaudere ſolent, & poſſunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, ſine aliqua differentia frui, potiri, & gaudere poſſe, ac debere: dummodo tamen ſtrictiori obſervantiæ dictorum fratrum Reformatorum, prout in noſtris literis prædictis diſponitur, non adverſentur.

*Inobedientes redarguit.*

§. 4. Mandantes inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis cujuſcumque qualitatis, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, ad quorum notitiam præſentes noſtræ pervenerint, ut nullus in poſterum prædictos fratres Reformatos appellare audeat, ſeu præſumat novos Religioſos, aut novæ Regulæ profeſſores. Sicque & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores deputat.*

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per præſentes committimus & mandamus, quatenus quicumque illorum per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum fratrum Reformatorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ipſiſque fratribus Reformatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos eorumdem præmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet, indebitè moleſtari. Contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§. 6. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ Nos in conſtitutione prædicta voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemplis bullæ credi jubet.*

§. 7. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 11. die 7 Sept.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Septembris 1602. Pontificatus noſtri anno 11.

---

## XCIII.

## Ordinationes obſervandæ in ſubminiſtratione alimentorum, contractibuſque, & ultimis voluntatibus miſerabilium Virginum, in Monaſterio Sanctæ Catharinæ de Roſa piè receptarum in Alma Urbe.

*Congregationis, & Protectoris hujus Monaſterii inſtitutionem, & juriſdictionem videre eſt ſupra in conſtitut. 54. Pii V. Cupientes, lib. 2.*

### CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1602.*

Apoſtolici muneris divina diſpoſitione, nobis licet immeritis injuncti, debitum requirit, ut circa ſtatum Monaſteriorum quorumlibet, ſanctimonialium præſertim in Alma Urbe pro educandis puellis, & Virginibus, quarum pudicitia ob ſuorum genitorum impudicum exemplum ſatis manifeſto periculo expoſita dignoſcitur, inſtitutorum, ac earumdem ſanctimonialium & Virginum, & aliarum perſonarum proſperè dirigendum invigilemus, eorumque ſubventioni & commoditatibus proſpicere ſtudeamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Exordium.*

§. 1. Cum itaque, ſicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Prælatus & deputati Congregationis Monaſterii Monialium Sanctæ Catharinæ della Roſa nuncupatæ de Urbe, ſub Sancti Auguſtini, ſeu alterius Ordinis Regula, ipſa Congregatio puellas & virgines miſerabiles de dicta Urbe, quas tam ob earum paupertatem, quàm etiam genitricum, vel aliarum mulierum, penes quas degunt, vitæ impudicitiam, & exemplum ſcandaloſum, ſimili vivendi modo, vel proſtituendi ſe periculo de facili magis expoſitas compertum habent, à ſuis genitricibus, & aliis mulieribus prædictis, etiam illis invitis abducere, & in dicto Monaſterio illius Monialium curæ educandas & inſtruendas committere, ac alias recipere, ſumptibuſque & expenſis ejuſdem Monaſterii, & piis fidelium eleemoſynis & largitionibus alere, & ſuſtentare conſueverint, donec ad ætatem nubilem perventæ matrimonio, conſtituta ſingulis per Congregationem, ſeu deputatos hujuſmodi congruenti dote, collocentur. Cumque propterea Monaſterium, ſeu Congregatio hujuſmodi, cujus redditus ſatis tenues ſunt, multoties rerum anguſtia prematur, & cómoditatibus, ac aliis ſibi neceſſariis indigeat; quia tamen pleræque ex puellis pro tempore inibi introductis & abductis, ſive earum genitrices & parentes facultates habent, quibus eiſdem puellis ad victum & veſtitum neceſſaria ſubminiſtrari poſſent, ejuſdem Monaſterii neceſſitatibus valdè conſuli poſſet, ſi dictis puellis juxta ſuas, aut ſuorum prædictorum facultates neceſſaria ſubminiſtrentur. Idcircò pro parte Protectoris, Prælati, & deputatorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplica-

tum, quatenus ejuſdem Monaſterii, ſeu Congregationis neceſſitatibus & indemnitati proſpicere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Protectoris & Congregationis facultas cogendi puellarũ parentes, aut conſanguineos ad quos eorum alimentatio ſpectat, vel alias earum bona jam ad alium uſum deſtinata poſſidentes, ad præſtandum eis alimenta & acconcia.*

§. 2. *Nos igitur rationi maximè conſentaneum eſſe rati*, ut Monaſterium & Congregatio hujuſmodi quoad hujuſmodi puellas facultates habentes in eorum neceſſitatibus ſubleventur, prædictos Protectorem, Prælatum, & deputatos, ac eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, harum ſerie ſtatuimus & ordinamus, quod nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, pro iis puellis & virginibus, tam hactenus receptis quàm deinceps recipiendis, etiam invitis parentibus, & conſanguineis ſuis, in dicto Monaſterio, ut ibi educentur & inſtruantur, ad quas aliqua bona, ſeu facultates vel redditus pertinere, aut quarum parentes, ſeu conſanguinei, ad quos alioquin earum educatio & cura pertineret, facultates ex quibus illis alimenta in totũ vel in partem præſtare poſſent, poſſidere conſtiterit, alimenta hujuſmodi & alia ad victum & veſtitum neceſſaria, ex bonis, pecuniis, rebus, & proprietatibus ad eaſdemmet puellas, aut ad earum parentes, ſeu conſanguineos, quibus illarum cura & alimonia aliàs incumberet, quomodolibet pertinentibus & ſpectantibus, ubicumque exiſtentibus, & in quibuſcumque rebus conſiſtentibus, eorumque fructibus, redditibus, proventibus, & introïtibus prædicto Monaſterio, dum & donec ipſæ puellæ in illo degerint, juxta declarationem à Protectore, ſeu Prælato & deputatis prædictis, qui quantitatis & qualitatis bonorum hujuſmodi & perſonarum, à quibus dicta alimenta præſtanda erunt, rationem habebunt, faciendam, præſtari & ſubminiſtrari omninò debeant, ac omnium earumdem puellarum, ſeu aliorum prædictorum bona, res, & proprietates hujuſmodi, etiamſi ex aliquo ſtatuto, ordinatione, legato, vel teſtamento alicujus alibi, & in alium uſum, etiam ſub pœna caducitatis vel devolutionis in eventum contraventionis deſtinata & relicta eſſent, ad id obligata & hypothecata ſint & eſſe cenſeantur, ac remaneant. Ita & taliter, quod puellarum & virginum pro tempore introducendarum genitrices, & aliæ parentes hujuſmodi, & aliæ perſonæ, penes quas bona, res, & proprietates prædictæ reperiuntur, & obligatæ exiſterent, ad præſtandum & ſubminiſtrandum eadem alimenta, victum & veſtitum, & ſupellectilia, ſeu acconcia vulgariter nuncupata, ac alia ad id conſueta & neceſſaria, juxta Protectoris, ſeu Præfati, & deputatorum prædictorum declarationem hujuſmodi, teneantur & obligatæ ſint, & ad id per pro tempore exiſtentes Protectorem, ſeu Prælatum & deputatos Congregationis prædictæ, quibus plenam & amplam ad præmiſſa & alia infraſcripta facultatem & auctoritatem per præſentes impartimur, etiam via juris, & manu regia, omni mora, reclamatione, & dilatione poſtpoſitis, ac quocumque alio meliori modo, etiam executivè cogi & compelli poſſe.

*Puellæ in Monaſterio degẽtes, nullo pacto abſque licentia Prælati contrahere poſſint, præterquam in cõmodum Monaſterii.*

§. 3. Præterea ne puellæ nunc & pro tempore in Monaſterio hujuſmodi receptæ, introductæ, & degentes aliquo modo ſeduci valeant, ſimiliter ſtatuimus & ordinamus, quod ipſæ puellæ, quouſque ibi manſerint, per ſe, vel interpoſitam perſonam, de bonis; proprietatibus, juribus, actionibus, & aliis rebus ad eas quovis modo pertinentibus, perventis & perventuris, ex quacumque cauſa, intuitu, & occaſione quomodolibet diſponere, aut ſuper illis coram quocumque Notario, vel alia perſona, publica vel privata, cujuſcumque dignitatis, conditionis, auctoritatis, & excellentiæ exiſtente contrahere, vel contractum aliquem, aut quemvis alium ſimilem vel diſſimilem actum publicum, vel privatum facere, requirere, aut illi conſentire, vel conſenſum ſuum præſtare, reddere, & apponere, & quicumque Notarius de præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum ſe rogare, niſi & quatenus commodum & utilitatem dicti Monaſterii reſpiciant, abſque licentia, conſenſu, voluntate, auctoritate, decreto, ſeu interventu pro tempore exiſtentis Prælati Congregationis hujuſmodi, nullo unquam tempore validè poſſint, nec valeant, & alias, ac aliter, præterquam in commodum & utilitatem ejuſdem Monaſterii pro tempore facta inſtrumenta, ſcripturæ, acta, ſtipulationes & contractus, ſeu quæcumque *aliæ diſpoſitiones & ordinationes*, nullam in judicio & extra fidem faciant, ac nulla, irrita, & infecta, nulliuſque roboris & effectus vel momenti prorſus & omninò ſint, & pro nullis, irritis, ac infectis habeantur, ac cenſeri debeant.

*Et à Co[...] gatione [...] ta, ac [...] ſi filii [...] habeu[...] diſpone[...] eorum b[...] etiam u[...] vorem [...] rum lo[...] piorum [...] ultra [...] relinqu[...] Monaſte[...] ad quar[...] partem [...] rum ſur[...]*

§. 4. *Et inſuper*, ut non ſolùm bona ab ipſo Monaſterio, ſeu dicta Congregatione in dotationem dictarũ puellarum erogata & eroganda, illis abſque liberis decedentibus, ad prædictum Monaſterium, ſeu Congregationem, ut par eſt, omninò redeant, ſed etiam aliquid utilitatis eidem Monaſterio proveniat, volumus & decernimus, quod quandocumque contingat aliquam ex puellis & virginibus à prædicta Congregatione pro tempore dotatis, & matrimonio collocatis, abſque filiis legitimis & naturalibus decedere, prædictum Monaſterium illis ſic decedentibus, in eorum tam immobilibus, aliiſque cujuſcumque qualitatis exiſtentibus bonis, juribus, rebus, & actionibus quibuſcumque per eas relictis, aut ad eas pertinentibus, tam præſentibus, quàm futuris, etiamſi dictæ mulieres pro tempore decedentes de eiſdem bonis & rebus, aliiſque ad eas pertinentibus & competituris, in quarumvis perſonarum, ſeu etiam aliorum Monaſteriorum, Eccleſiarum, & locorum piorum favorem quomodolibet diſpoſuerint, niſi forſan in earum diſpoſitionibus eidem Monaſterio ultra dotem ab ipſo Monaſterio eis traditam, quartam ſaltem aliorum earum bonorum prædictorũ reliquerint, quo caſu diſpoſitiones hujuſmodi ſubſiſtere, aliter verò pro tempore faciendas viribus omninò carere, ac nullius roboris, & momenti fore & eſſe declaramus, legitimè ſuccedere, ac hæres eſſe poſſit & debeat, prout Nos Monaſterium ipſum eiſdem ſic decedentibus mulieribus hæredem & legitimum ſucceſſorem ex nunc perpetuò facimus & inſtituimus. Ita quod liceat nunc & pro tempore exiſtentibus Prælato & deputatis prædictis, ſeu pro illis Agentibus vel Agenti, aut ejuſdem Congregationis Procuratori legitimo, ipſius Monaſterii nomine, abſque alia hæredis inſtitutione, Judicis declaratione, vel miniſterio, ſeu ſolemnitate, etiam de jure, aut conſuetudine, vel ſtatuto debita aut requiſita, rerum, proprietatum & bonorum à mulieribus decedentibus hujuſmodi relictorum, illarumque hæreditatum corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, eaſdemque hæreditates ſuſcipere, apprehendere, & etiam fructus exinde percipere, exigere, levare, vendere, alienare, & in dicti Monaſterii, ejuſque neceſſarios uſus & utilitatem convertere, ac de illis tanquam de propriis, & ad illud legitimè & juridicè ſpectantibus & pertinentibus diſponere, cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita, eiſdemque Monaſterio, Protectori, Prælato, deputatis, & Congregationi concedimus & indulgemus.

*Clauſula præſervativa cum decreto irritante.*

§. 5. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, ad terminos juris reduci, aut in jus vel controverſiam revocari, ſeu adverſus eas quodcumque juris vel facti, aut gratiæ remedium à quoquam impetrari poſſe, ſicque intentionis noſtræ fuiſſe & eſſe, ac ita, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac etiam de latere legatos judicari & definiri debere, necnon irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. der[...]*

§. 6. Non obſtantibus quibuſcumque ultimis voluntatibus, ſtatutis, ordinationibus, teſtamentis, & hæredum inſtitutionibus, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Urbis prædictæ, & quorumvis Monaſteriorum, Ordinũ, Eccleſiarum, & piorum locorũ, etiã juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon privilegiis, indultis, literis, & exemptionibus Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, Conventibus, Capitulis, & perſonis, ac dilectis filiis populo Romano, & quibuſvis

aliis,

aliis,ſub quibuſcumque tenotibus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus,& efficaciſſimis ac inſolitis clauſulis, necnon irritantibus,& aliis deretis in contrarium, etiam iteratis vicibus, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,ac etiam conſiſtorialiter,& aliàs quomodolibet conceſſis,approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter,ac de verbo ad verbum expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*.An. 11. .1.Octob.* Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 14. Octobris milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno undecimo.

---

## XCIV. Indulta Studii generalis Civitatis Ferrariæ, in Provincia Lombardiæ Status Eccleſiaſtici.

*Hoc Studium erexit Bonif. IX. ut ſup. in ejus conſt. 2. In ſuprema, lib. 1.*

Hanc Civitatem iſte Clemens recuperavit pro Sancta Romana Eccleſia, quæ eam prius infeudaverat, utſuprà in ejus conſtitutione 52. Sanctiſſimus. Et ibidem Rotæ Auditorium inſtituit, ut in alia ejus bulla 59. In ſupremo.

*...a A.D. 1602.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...rdium.* SAnctæ Romanæ Eccleſiæ dignitati & honori,ipſiuſque temporalis ditionis conſervationi, & augmento maximè conducere arbitramur, ut in præcipuis ejuſdem temporalis ditionis civitatibus publicæ vigeant Studiorum generalium Vniverſitates, in quibus tum ipſius inprimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditi, tum exteri etiam optimarum diſciplinarum Studiis vacare poſſint. Et propterea ut magis in dies effloreſcant, Nos illas amplioribus in dies favoribus & gratiis libenter proſequimur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*...ium ge... anti... in Ci... te Fer... ia inſti... um fuit.* §.1. Cum itaque in Civitate noſtra Ferrarienſi ab antiquiſſimo tempore inſtituta ſit Vniverſitas Studii generalis, Nos qui Civitatem prædictam per nos ſub immediata noſtra, & S.R.E. juriſdictione temporali receptam peculiari quadam dilectione proſequimur, cupientes Vniverſitatem Studii generalis hujuſmodi non ſolùm conſervari,ſed in dies majora ſuſcipere incrementa, illam ſpecialibus quibuſdam privilegiis & gratiis duximus exornandam.

*Cui modo ... Pontifex ... indulta ...cedit.* §.2. Motu igitur proprio, & ex certa noſtra ſcientia ac matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine,harum ſerie perpetuò concedimus & indulgemus.

*...iverſitas ...dii eligat ...ctores.* §.3. Quod profeſſores in dicta Vniverſitate Studii generalis Ferrarienſis,utriuſque Iuris, ac Artium & Medicinæ,cum ſe opportunitas obtulerit,Rectores,ut in more eſt, creare poſſint.

*...ctores co...ſcant ...ſas Scho...iumuſque ... ſummam ...orum de...* §.4. Quod hujuſmodi Rectores pro tempore, & iis non exiſtentibus, Reformatores Studii prædicti facultatem habeant jus dicendi & cognoſcendi de cauſis & litibus Scholarium dicti Studii quoad ſummam decem Scutorum tantum, tam activè quàm paſſivè, & privativè quoad alios Iudices quoſcumque.

*...tuaque ... Vniverſi... ... refor...* §.5. Quod iidem Rectores, unà cum conſiliariis & Theſaurario, ſeu Reformatores, implorata ante omnia auctoritate,& obtenta licentia dilecti filii noſtri & Apoſtolicæ Sedis in dicta Civitate Ferrarienſi Legati,ſeu Gubernatoris pro tempore exiſtentis, ſtatuta dictæ Vniverſitatis corrigere & reformare poſſint,quæ ſic correcta & reformata, perinde ac ſi auctoritate Apoſtolica roborata eſſent, obſervari debeant.

*...holares ar... ... geſtare ...ſſint.* §.6. Quod Scholaribus deſcriptis in albo dictæ Vniverſitatis, de prædicti Legati, ſeu Gubernatoris licentia, qui inſpecta qualitate perſonarum,& morum hujuſmodi licentiam concedet,Arma quæcumque,non tamē expreſſe prohibita,diu noctuque,cum lumine & ſine lumine, & ubique locorum deferre licitum ſit,edictis,aut proclamationibus, vel bannis quibuſcumque minimè obſtantibus.

§.7. Quod Doctores legentes,& Scholares,tam Ferrarienſes & alii ſubditi S.R.E. quàm alienigenæ quicumque albo dictæ Vniverſitatis adſcripti, veniendo & recedēdo, conducendo & reconducendo libros,veſtes, ſuppellectilia,utenſilia,ac ea etiam emendo pro ipſarum & familiæ ipſorum uſu & opportunitate, ab omnibus gabellis, vectigalibus,pedagiis,datiis, etiam bullettæ, & tranſitibus, aliiſque oneribus(præterquam molituræ & gabellæ,quæ dicitur di Piazza)necnon etiā ab omnibus functionibus, angariis,& parangariis,ac oneribus perſonalibus & realibus,tam hucuſque impoſitis quàm in poſterum ex quacumque cauſa imponendis, penitus immunes & exempti ac liberi perpetuò exiſtant,prout Nos illos, & quemlibet eorum liberos, immunes,& exemptos perpetuò facimus & declaramus. *Lectores & Scholares ſint immunes a gabellis pro vehendis rebus eis neceſſariis, aliiſque impoſitionibus,&c.*

§.8. Demùm Collegiis Doctorum,& Vniverſitati Scholarium Studii generalis Ferrarienſis omnia & ſingula privilegia & indulta, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Apoſtolicā Sedem Collegiis Doctorū, & Vniverſitati Scholarium Studii generalis Civitatis noſtræ Bononienſis conceſſa,etiamſi talia ſint,quæ ſpeciali nota digna eſſent, quæ tamen omnia & ſingula præſentibus pro ſigillatim expreſſis & ſpecificatis haberi volumus,Motu,ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus,ita ut Collegia Doctorum, ac Vniverſitas Scholarium Studii generalis Ferrarienſis hujuſmodi prilegiis & indultis in omnibus & per omnia frui, potiri, & gaudere poſſint & valeant, perinde ac ſi illis nominatim conceſſa fuiſſent,concedimus & indulgemus. *Doctores Collegii, & Vniverſitas Scholarium gaudeant privilegiis Studii generalis civitatis Bononiæ, ut conceſſerat etiā Bonif. IX cit. in rub.*

§.9. Quocirca per præſentes committimus & mandamus dilecto filio noſtro S.R.E. Camerario, ac Præſidentibus & Clericis Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ut eaſdem præſentes in eadem Camera admittant, & in ipſius Cameræ libris deſcribi & regiſtrari faciant. *Iuſſio hanc bullam admittendi in Camera Apoſt.*

§.10. Necnon prædicto noſtro & Apoſtolicæ Sedis de latere Legato,ac Venerabili fratri Epiſcopo Ferrarienſi, quatenus ipſi vel alter eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes,ac eiſdem Doctoribus, Scholaribus, & aliis prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos præmiſſorum eorumdem effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet moleſtari,perturbari,vel inquietari, contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas,aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo,invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit,auxilio brachii ſæcularis. *Deputatio executorum ejuſdem bullæ.*

§.11. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis ſtatutis,& conſuetudinibus,etiam juramento,confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolicet conceſſis,confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. *Derogatio contrariorū.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris,die 25. Octobris milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno undecimo. *D.P. A. 11. die 25. Octob.*

*Die Lunæ 16. menſis Decembris 1602. Præſentes literæ in Camera Apoſtolica exhibitæ,& ex illius decreto commiſſæ fuerunt Perilluſtri & Reverendiſſ. D. Lælio Biſcio,ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ Clerico Præſidenti, per quem die Mercurii 18. ejuſdem menſis,prævia citatione contra Illuſt. D.d. Cameræ Commiſſarium facta in eadem Camera relatione, ex alio ejuſdem Cameræ decreto admiſſæ & regiſtratæ fuerunt in ejuſdem Cameræ libris penes infraſcriptum alium Notarium exiſtentibus, nempe libro octavo diverſorum.* *Admiſſio in Camera Ap.*

*Lutius Calderinus*

---

## Quod Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, ubique præcedant Fratribus B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. XCV.

*De Ordine Carmelitarum habes ſuprà in conſt. 8. Honorii III. Vt vivendi, lib. 1. Et de Fratribus de*

*Mercede habes ſup. in conſt. 9. Gregorii IX. Devotioni, lib. 1. ibique plenè notavi.*

*Edita An. D. 1602. & 1604.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEcet Romanum Pontificem diſſentionum & controverſiarum materias inter Eccleſiaſticas, Regulares præſertim perſonas è medio tollere, ac præcidere, prout in Domino ſalubriter conſpicitur expedire.

*Controverſiam ortam inter iſtos Ordines,*

§. 1. Cum itaque, ſicut pro parte dilecti filii Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum nobis nuper expoſitum fuit, alias in Civitate Calaritana in Regno Sardiniæ orta fuerit controverſia præcedentiæ inter fratres Ordinis Carmelitarum, & Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

*Viſitatores Apoſt. & Rota Rom. diffiniverunt ad favorem Carmelitarum,*

§. 2. Et licet de anno 1600. ſub die 27. Aprilis per Viſitatores Apoſtolicos decretum fuiſſet, ut Fratres Carmelitarum in eorum poſſeſſione præcedendi dictis Fratribus beatæ Mariæ de Mercede manutenerentur, & pridem in ſacro Rotæ Auditorio, die 10. Martii 1600. etiam in petitorio præcedentiam dictis Fratribus Carmelitanis deberi contra ipſos Fratres de Mercede declaratum fuerit, nihilominus dicti Fratres de Mercede recuſaverint & recuſent præcedentiam dare dictis Fratribus Carmelitanis, & propterea non ſine ſcandalo Populi ad publicas Proceſſiones & funera defunctorum cum ipſis fratribus Carmelitanis accedere noluerint.

*Quod hic Pontif. approbat.*

§. 3. Nos ſuper præmiſſis opportunè providere, ac omnem ſcandali & controverſiæ occaſionem, quantum cum Domino poſſumus, è medio tollere volentes, ſupplicationibus ejuſdem Procuratoris generalis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorũ S.R.E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus & cæremoniis deputatorũ, declaramus & decernimus, prædictos Fratres beatæ Mariæ de Mercede cogendos eſſe, ut ad proceſſiones publicas, & funeralia accedant, & præcedentiam dictis Fratribus Carmelitanis relinquant, juxta formam ſupradictorum decreti, & deciſionis Rotæ.

*Et ſic iudicari jubet.*

§. 4. Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executionẽ committit.*

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per præſentes committimus & mandamus, ut quandocumque & ubicumque opus fuerit, quoties pro parte dictorũ Fratrum Carmelitarum fuerint requiſiti, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra prædictos Fratres B. Mariæ de Mercede in Civitatibus & locis, in quibus utraque Religio, Carmelitarum ſcilicet & Beatæ Mariæ de Mercede eſt inſtituta, ad Proceſſiones publicas & funeralia ad quæ accedere tenentur, omnino accedere, ac præcedentiam ipſis Fratribus Carmelitanis, ut præmiſſum eſt, in illis, & in aliis etiam privatis Proceſſionibus & actibus, in quibus utramque Religionem ſimul convenire contigerit, relinquere, ac ipſos Fratres Beatæ Mariæ de Mercede id facere recuſantes, per cenſuras & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita cogant & compellant, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Obſtantia tollit.*

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi jubet.*

§. 7. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur.

*D.P. A. 11. die 15. Nov.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Novembris milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno 11.

*Sequitur ampliatio d. Diffinitionis.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

AD Romanum Pontificem ſpectat dubia, quæ ſuper conſtitutionum Apoſtolicarum interpretatione quandoque emergunt, declarare prout in Domino conſpicimus expedire.

§. 1. Aliàs ſiquidem à nobis emanarunt literæ tenoris ſequentis, &c.

Omittitur tenor, quia eſt ipſa bulla quæ præcedit.

§. 2. Cum autem poſtea, qui pro parte dilecti filii Procuratoris generalis dicti Ordinis B. Mariæ de Mercede oppoſitum fuit, præinſertas literas non debere intelligi pro omnibus, ſed pro quibuſdam particularibus tantum locis conceſſas, in Congregatione ſacrorum rituum iterum negotium hoc, auditis utriuſque Ordinis Procuratoribus maturè diſcuſſum, & ipſius Congregationis votum ad nos relatum fuit.

§. 3. Nos omnem ulterius dubitandi ſuper hoc occaſionem è medio tollere volentes, ex voto Congregationis præfatæ harum ſerie declaramus & decernimus, Fratres Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ubique locorum fratribus ejuſdem B. Mariæ de Mercede præcedere debere, ac præinſertas literas in omnibus locis obſervandas eſſe.

§. 4. Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & diffiniri debere, & irritum & inane quicquid ſecus à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem præinſertis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium quoque tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Marc. ſub annulo Piſcatoris, die 30. Septemb. milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri Anno 13.

XC[illegible]

## Quod Parochi, & Clerici non poſſint petere majorem eleemoſynam pro illis qui in Eccleſiis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia in partibus Indiarum ſepeliuntur, quàm pro illis qui in parochialibus Eccleſiis eligunt ſepulturam.

*Alia de hoc Ordine vide ſuprà apud conſt. 32. Leonis X. Ite, lib. 1.*

*CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

EXpoſitum nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Matthæi de Recalde Vicecommiſſarii, necnon Provincialium totius Ordinis Fratrum D. Franciſci de Obſervantia Indiarum Occidentalium, quod Rectores parochialium Eccleſiarum Indiarum partium jam pridẽ hunc abuſum introduxerunt, ita quod eleemoſynas duplo majores ab iis qui in Eccleſiis domorum ejuſdem Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, quàm qui in parochialibus ſepeliuntur exigere præſumpſerunt, & ut dicitur in hoc, Ordinariorum ſuorum, qui partem eleemoſynarum hujuſmodi percipiunt, conſilio & aſſenſu.

§. 1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, plerique Chriſti fideles in dictarum domorum Eccleſiis ob difficultatem jus adeo oneroſum perſolvendi, ſepelire ſe facere non poſſint, quo fit ut Eccleſiæ hujuſmodi mortuorum ſepulturis, & conſequenter eleemoſynis in dies fieri conſuetis propemodum priventur.

§. 2. Idcirco pro parte eorumdem Matthæi Vicecommiſſarii, & Provincialium nobis humiliter ſupplicatum fuit ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur hujuſmodi abuſus omnino tollere, atque dicti Ordinis commoditatum prorogationi, quantum in Domino poſſumus proſpicere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto venerabilium

fratrum

fratrum noſtrorum S.R.E. Card. ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporũ & regularium deputatorum, omnibus & ſingulis parochialium Eccleſiarum univerſarum Indiarum Occidentalium rectoribus nunc & pro tempore exiſtentibus harum ſerie interdicimus & prohibemus, ne ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus majorem eleemoſynam ab iis qui in dictarum domorum, quàm parochialibus Eccleſiis hujuſmodi ſepeliuntur, quovis prætextu, aut occaſione, etiam de conſilio, conſenſu, ſeu mandato ſuorum ordinariorum, exigere debeant, ſeu præſumant.

*...trariis ...gat.*

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, domorum, & ordinariis hujuſmodi, etiã juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, domibus, & ordini, earumque Rectoribus, Superioribus, & Fratribus, ac quibuſvis aliis perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*...dem tran... ...ptis dari ...dat.*

§.5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*...t.P.A.12. ...14.Ianu.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Januarii, milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

---

## ...CVII. Innovatio conſtitutionis Pauli IV. contra negantes Trinitatem, aut divinitatem Jeſu Chriſti, vel ejus conceptionem de Spiritu Sancto, vel mortem pro noſtra redemptione, aut Virginitatem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, adjecta forma ipſam conſtitut. publicandi, ne de cetero illius ignorantia allegari poſſit.

*Hanc Pauli IV. conſt. num. 4. habemus ſup. Cùm quorumdam, lib. 1.*

*...ita An.D. 1603.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...ordium.*

DOminici gregis divina providentia nobis, licet meritis imparibus commiſſi, ſolicitudo poſtulat, ut Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, quæ præſertim ad fidei Catholicæ integritatem conſervandam, & impios homines, ac pravarum hæreſum aſſertores debitis pœnis plectendos pertinent innovemus, ne qui ejuſmodi errorum labe infecti ſunt, earumdem conſtitutionum, & pœnarum in eis inflictarum ignorantiam ullo modo prætendere, aut quavis ratione excuſare ſe poſſe præſumant.

*Paul.V. edi... ...ta conſtit. ...ui. in rubr.*

§.1. Cum itaque fel.rec. Paulus Papa Quartus prædeceſſor, &c.

Omittitur inſertio hujus bullæ, quoniam eam habes in loco citato in rubrica.

*...as ignorantia allegant.*

§.2. Eò tamen hujuſmodi impiorum hominum proruppit temeritas, ut prætextu ignorationis hujuſmodi conſtitutionis, ac pœnarum in eadem conſtitutione inflictarum, ſe illis minimè ſubjacere, nec obnoxios eſſe putent, ac propterea ſe ab eiſdem pœnis liberari & abſolvi poſſe prætendant.

*Hic ideo Põt. ...um innovat conſtitutionem.*

§.3. Nos igitur animadvertentes, ut idem quoque Paulus prædeceſſor bene animadvertit, hujuſmodi errores tam graves ac nefandos exiſtere, ut illi qui in eos incidunt, nullam prorſus excuſationem habeant, ſed ſubverſi potius & immanes, quàm hæretici meritò dici poſſint, propterea ut illi debita animadverſione omnino puniantur, nec à præfatis erroribus ulla excuſatione de cetero ſe tueri valeant, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, dicti Pauli prædeceſſoris veſtigiis inhærentes, ac ejus conſtitutionem prædictam, quoad pœnas in ea contentas innovantes, ac perpetuò confirmantes & approbantes, ſupradictos omnes & ſingulos qui hactenus in ſimiles errores, aut eorum aliquem lapſi ſunt, aut in poſterum prolabentur, attenta dictorum errorum gravitate & enormitate, cujuſcumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, nulla illis etiam ignorantiæ ſupradictæ conſtitutionis excuſatione ſuffragante, pro ſubverſis & relapſis in hæreſim haberi, & tanquam relapſos Curiæ ſæculari tradi, ac per eandem Curiam debitis pœnis, in lapſos ſtatutis puniri poſſe, auctoritate Apoſt. tenore præſentium perpetuò ſtatuimus.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.4. Non obſtantibus omnibus illis, quæ prædictus Paulus prædeceſſor voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Et in Vrbe publicari iubet.*

§.5. Vt autem hujuſmodi conſtitutionis ignorantia de cetero allegari, aut prætendi nunquam poſſit, atque ut præſentes omnibus innoteſcant, volumus illas ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum & in acie Campi Floræ, more ſolito publicari & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla etiam impreſſa, ibi affixa relinqui, factaque publicatione hujuſmodi, omnes qui in Vrbe poſt menſem, qui verò extra eam, & citra montes, poſt quatuor menſes, & qui demum ultra montes fuerint, poſt decem menſes à die publicationis hujuſmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Et etiam ab Ordinariis in eorum locis.*

§.6. Et nihilominus ut ipſæ præſentes literæ eo notiores fiant, & omnibus magis innoteſcant, necnon pro potiori cautela, volumus ut Inquiſitores contra hæreticam pravitatem in iis Civitatibus, terris, & locis, in quibus conſtituti ſunt, ubi verò hujuſmodi Inquiſitores non ſunt, locorum Ordinarii publicationem præſentium, ut infrà dicetur, fieri curent, ac propterea univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis Inquiſitoribus præfatis contra hæreticam pravitatem ubilibet cõſtitutis per eaſdem præſentes committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe vel alium, ſeu alios haſce noſtras literas, poſtquam earum exemplum receperint, ſeu earum notitiam habuerint, ſemel, aut pluries, prout eis magis expedire viſum fuerit, ipſi quidem Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & alii locorum Ordinarii in eorum Cathedralibus & majoribus reſpectivè Eccleſiis Civitatum, oppidorum, & locorum quorumcumque eorum diœceſum, ubi Inquiſitores non fuerint, ubi verò Inquiſitores fuerint, ipſimet Inquiſitores in eiſdem Eccleſiis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & publicari auctoritate noſtra mandent.

*Exemplis quae credi mandat.*

§.7. Ceterum quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula loca ubi opus eſſet deferri, volumus, & ſimili auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Inquiſitoris contra hæreticam pravitatem, vel cujuſcumque perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique in judicio & extra fides habeatur, quæ ipſiſmet literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D P. An. 12 3. Februarii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die tertia Februarii, milleſimo ſexcenteſimo tertio, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

*Publicatio*

*Anno à Nativitate ejuſdem Domini N. Ieſu Chriſti 1603. die decimaquarta Februarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N. Domini Clementis Papæ III. anno eius duodecimo, retroſcripta literæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & acie Campi Floræ, relictis ibidem copiis impreſſis, & affixis per nos Auguſtinum Bracchegiani, & Catherinum Menandi Apoſtolicos Curſores.*

*P. Aloyſius Peregrini magiſter curſorum.*

Appro

XCVIII. **Approbatio Confraternitatum ſub invocatione Sanctiſſimi nominis Jeſu, in provinciis Regni Peru inſtitutarum & inſtituendarum, cum indulgentiarum elargitione.**

*Primævam hujuſmodi Sodalitatis inſtitutionem in Regnis Hiſpaniarum, & ejus ad alia loca extenſionem, vide in Pii IV. conſt. 78. Injunctum, ubi notavi, lib. 2.*

*Edita A.D. 1603.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*In Indiis Occidentalibus Sodalitates Nomini Jeſu inſtituta ſunt & inſtituenda de licentia Ordinariorum.*

CUm ſicut accepimus in diverſis Civitatibus, Oppidis, Caſtris, Terris, ſeu locis Perualibus in Indiis Occidentalibus exiſtentibus, nonnulli Chriſti fideles earumdem partium quamplures utriuſque ſexus Chriſti fideliũ Confraternitates, ob maximam eorum devotionem, quã erga Sanctiſſimum Nomen Jeſu gerunt, ſub titulo, ſeu invocatione ejuſdem Sanctiſſimi Nominis, in Parochialibus vel aliis Eccleſiis, ſeu Oratoriis ibidẽ exiſtentibus, de licentia & auctoritate Ordinariotum, ac aliàs canonicè jam inſtituerint, & in futurum quamplures alias ſimiliter inſtituere ſub eodem Sanctiſſimo Nomine intendant.

*Hic ergo Põtifex pro earum augmẽto Cõfratribus indulgẽtias cõcedit.*

§. 1. Nos pro noſtro Paſtorali officio cupientes, ut Chriſti fideles illarũ partium omnibus diebus in diverſis operibus piis atque exercitationibus divinis verſẽtur, & quæ ad excitandam pietatem, mores informandos, & æternam ſalutem procurandam pertinent, utque uberius Chriſti fideles inde cœleſtium munera gratiarum conſequi poſſe cognoverint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate cõfiſi, ſupplicationibus quoque pro parte venerabilium fratrũ Epiſcoporũ illarum Provinciarum Regni del Peru nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui hujuſmodi Confraternitates ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu jam inſtitutas, & pro tempore canonicè, ut præfertur, inſtituendas, de cetero in perpetuum ingredientur, & in conſortiũ earundem Confraternitatum deſcribentur, die primo eorum ingreſſus & deſcriptionis, ſi verè pœnitentes & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam. Ac tam ipſis nunc & pro tempore deſcribendis, quàm jam in eiſdem Confraternitatibus deſcriptis confratribus, in cujuſlibet eorum mortis articulo, ſi pariter verè pœnitentes & confeſſi, ſacraque communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin autem corde devotè invocaverint, etiam plenariam.

*Confratribus eiſdem, aliiſque earum Eccleſias viſitantibus alias indulg. elargitur.*

§. 2. Necnon omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra cõmunione refectis, qui Eccleſias, ſeu Capellas, Oratoria & Altaria dictarum Confraternitatum die feſto Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti à primis veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei ſingulis annis devotè reſpectivè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoad Confratres earumdem Confraternitatum, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Quoad alios verò non Confratres, viginti annos & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus.

*Confratribus alia pia opera hic annunciata facientibus alias indulgentias concedit.*

§. 3. Inſuper eiſdem Confratribus ſimiliter verè pœnitentibus & confeſſis, ſacraque communione refectis, qui Eccleſias, ſeu Capellas, Oratoria, & Altaria prædicta in primo Penteceſtes, Conceptionis & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, Dominica in Albis feſtis diebus, à primis veſperis, ut præfertur, etiam reſpectivè viſitaverint & oraverint, quo die prædictorum id egerint, viginti annos & totidem quadragenas, ut ſuprà relaxamus. Quoties verò prædicti Confratres Miſſis & aliis divinis officiis in dictis Eccleſiis, ſeu Capellis, Oratoriis, & Altaribus prædictis pro tempore celebrandis & recitandis, ſeu Congregationibus publicis vel privatis earundem Confraternitatum ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem cum inimicis propriis, ſeu alterius compoſuerint, vel componi fecerint, ſeu procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum dictarum Confraternitatum, quàm aliorum ad ſepulchrum aſſociaverint, vel quaſcumque per ipſas Confraternitates proceſſiones de licentia Ordinariorum faciendas, dictumque ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum, tam in proceſſionibus, quàm dum ad infirmos, aut aliàs ubicumque & quomodocumque pro tempore defertur, comitati fuerint. Aut ſi ab hoc impediti, campanæ ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam pro animabus defunctorum dictarum Confraternitatum recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, aut ignorantes præcepta ea quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcumque aliud Pietatis aut Charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum centum dies de injunctis, ſeu aliàs ut ſuprà relaxamus.

*Declar... circa in...*

§. 4. Præſentibus pro dictis Confratribus earundem Confraternitatum perpetuis futuris temporibus, pro aliis verò non confratribus ad viginti annos à die publicationis præſentium inchoandos valituris.

*Alia ... ratio.*

§. 5. Volumus autem, quod ſi aliàs aliquibus ex dictis Confraternitatibus jam erectis præmiſſa peragentibus aliquam aliam indulgentiam, perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes quoad illas Confraternitates nullæ ſint.

*Transum... rum fid...*

§. 6. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca opportuna deferre, volumus & decernimus, quod earumdem tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis ubique eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D.P. A... die 30. Iu...*

Datum Romæ apud S. Marc. ſub annulo Piſcatoris, die trigeſima Junii milleſimo ſexcenteſimo tertio, Pontific. noſtri Anno duodecimo.

XCIX. **Quando locorum Ordinarii Regularibus licentiam poſſint impartiri novos Conventus conſtruendi.**

*Hanc facultatem Sedi Apoſt. antea reſervatam à Bonifacio VII. in cap. 1. de exceſſib. Prælat. in 6. Ordinariis poſteà dedit Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 3.*

Scias autem Paulum V. noviſſimè indulſiſſe Fratribus Carmelitanis Diſcalceatis, de ſolo Ordinariorum conſenſu nova loca erigere poſſe, ut infrà in ejus conſt. 10. Ad Eccleſiæ.

Adde quod Fratribus Minoribus S. Franciſci de Obſervãtia Diſcalceatorum Hiſpaniarum conceſſit Paul. V. nova loca erigendi facultatem certis modis & forma, & eam extendit ad Fratres ejuſdem Ordinis citra montes degentes Greg. XV. in ſua Conſt. 16. Aliàs in, tom. 4. Hujus autem Clem. Conſtitutionis approbationem, innovationem, & ampliationem habes in d. Greg. XV. Conſt. 31. Cum aliàs, tom. 4. Et demùm S.D.N. Vrb. VIII. in ſua Conſt. 25. Romanus, revocavit omnes licentias à Prædeceſſoribus ſuis conceſſas erigendi loca regularia, non ſervata forma Conſt. Clem. VIII. & Decretorum Sedis Apoſtolicæ, quæ tamen effectum ſuum non erant ſortitæ. Ac prohibuit illa de cetero erigi abſque Ordinariorum licentia, & Sacris Canonibus, Concilio Trid. & Clem. ac Greg. prædictorum Conſtitutionibus non ſervatis.

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1603.*

*Cauſa hujus conſtitut.*

QVoniam ad inſtitutam Regularium locorum & perſonarum reformationem promovendam & conſervandã maximè pertinet, ut in quibuſque Domibus & Monaſteriis tantus numerus Religioſorum, qui commodè ibidem ali poſſit, contineatur, ac eò pariter ſpectat, ut in quibuſque Civitatibus & locis novæ domus & Monaſteria, præſertim Mendicantium, non erigantur, niſi in eiſdem Civitatibus & locis aliarum domorum & Mona-

ſteriorum

ſtrictiorum in eis exiſtentium habita ratione, commodè ſuſtentari poſſe dignoſcant.

§.1. *Hac igitur nos conſideratione ducti, & in præmiſſis pro noſtro Paſtorali munere opportunè providere* volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E.Card. ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporum & Regularium propoſitorum, harum ſerie declaramus, locorum Ordinarios non poſſe licentiam ad novos Conventus cujuſque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis erigendos impertiri, niſi vocatis & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus & cauſa ſervatis ſervandis cognita conſtiterit, in eiſdem Civitatibus & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus, ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe.

§.2. Si verò ab eorum in hujuſmodi cauſis ſententiis ad Nos & Apoſtolicam Sedem provocari & appellari contigerit, mandamus ipſos Ordinarios tandiu erectionẽ novorum Conventuum ſuſpendere debere, quouſque à Nobis & Apoſtolica Sede in eadem cauſa pronunciatum extiterit, irritum nihilominus & inane decernentes quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Quocirca univerſis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut præſentes noſtras literas obſervent, & obſervari curent & faciant.

§.4. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§.5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iulii, milleſimo ſexconteſimo tertio, Pontificatus noſtri Anno 12.

---

## Contra auferentes & occultantes bona Monaſteriorum, ſeu Conventuum fratribus Minoribus S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ concedendorum.

*Inſtitutionem illorum Fratrum & alia, tam eos quàm totum Ordinem S. Franciſci concernentia, notavi ſuprà in Clem. VII. conſt. 35. In ſuprema, lib. 1.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

DEcet Romanum Pontificem, ea quæ pro indemnitate & utilitate Ordinum, illorumque Monaſteriorum ſeu Conventuum per Superiores providè facta ſunt ut inviolatè obſerventur, Apoſtolicæ firmitatis robore communiri.

§.1. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius noſter Hieron. tit. S. Pancratii Presb. Card. Matthæius nuncupatus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franc. de Obſervantia Protector, pro omnium fratrum Reformatorum ejuſdem Ordinis, nunc & pro tempore ubilibet exiſtentium indemnitate, utilitate, & proſperitate, infraſcriptum decretum ediderit tenoris ſequentis, videlicet.

§.2. Nos Hieron. miſeratione divina tituli S. Pancratii S.R.E. Presb. Card. Matthæius, totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Protector, Corrector, & Gubernator. Cupientes indemnitati, utilitati & proſperitati omnium fratrum ſtrictioris obſervantiæ Reformatorum nuncupatorum dicti Ordinis, nunc & pro tempore ubilibet exiſtentium, ac in primis animarum ſaluti quantum cum Domino poſſumus conſulere ac providere, præſentis decreti vigore omnibus & ſingulis Miniſtris Provincialibus, aliiſque tam prælatis, quàm ſubditis noſtræ protectioni & gubernio cõcreditis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus ac mandamus, ne deinceps quis illorum, cùm contigerit Monaſterium ſeu Conventũ aliquem pro reformatione introducenda, fratribus Reformatis, ut præfertur, de mandato Superiorum effectivè concedi, tradi ac aſſignari, ſive antequam effectivè aſſignetur, de hujuſmodi aſſignatione faciẽda notitiam quoquo modo habuerit, audeat vel præſumat, per ſe vel alium quomodolibet, directè vel indirectè, ſub quovis prætextu, aut quæſito colore detinere, auferre, abſcondere, aut aliis ſive intra, ſive extra Ordinem tradere, aut ſecum deferre quicquam attinens vel pertinens, quovis titulo, modo, aut forma, ad publicam utilitatem, commoditatem, & communitatem dictorum Conventuum, ſeu Monaſteriorum Reformatis concedendorum, eorumque Eccleſias, Choros, Sacriſtias, Dormitoria, Valetudinaria, Cellas, Bibliothecas, Refectoria, Cellaria, Coquinas, aliaſve officinas, vel ad alicujus officii functionem, aut ad ipſorum Conventuum ſeu Monaſteriorum ſupellectilem, eleemoſynas, ſcripturas, vel libros ſpectans, nec ad id efficiendũ cõſilium, auxiliũ, vel favorem alicui, directè vel indirectè, ut prædicitur, ullo modo præbere. Qui ſecus fecerit, eo ipſo omnibus officiis, dignitatibus, & honoribus Ordinis, ac utraque voce in perpetuum privatus exiſtat, & pro qualitate delicti carceribus etiam mancipetur, ac in ſubſidium pœna excommunicationis mulctetur. Et ut nullus de præmiſſis ignorantiam prætendere valeat, ſub eiſdem pœnis omnibus & ſingulis provinciarum Miniſtris, ſeu Commiſſariis expreſſe mandamus, ut cum primùm de hujuſmodi noſtro decreto tranſumptum habuerint, teneantur per omnes ſuarum Provinciarum Conventus illud cũ effectu legi & publicari facere, ac de publicatione hujuſmodi nos ſtatim certiores reddere. Et ita decernimus, ſtatuimus, & ordinamus, non ſolùm iſto, ſed & omni alio meliori modo, &c. in quorum fidem, &c. Datum Romæ in Palatio noſtro, die ultima menſis Iunii 1603.

§.3. Propterea nos, ut decretum prædictum deinceps obſervetur providere volentes, præinſertum decretum cũ omnibus, & ſingulis in eo contentis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illique perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quã facti defectus, ſi qui in eo intervenerint, ſupplemus, ac ab omnibus & ſingulis Miniſtris Provincialibus, aliiſque tam Prælatis quàm ſubditis dictæ protectioni ſubjectis ſub pœnis in præinſerto decreto contentis, perpetuò obſervari, ac in ſingulis Capitulis provincialibus publicari debere præcipimus & mandamus. *Hic Pont. & decretum approbat*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis, quibuſcumque. *Obſtantia tollit.*

§.5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dicti Card. Protectoris, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem quæ præſentibus haberetur, fides habeatur. *Tranſumptis credi jubet*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Iulii milleſimo ſexconteſimo tertio, Pontificatus noſtri Anno 12. *D. P. An. 12. die 24. Iulii*

---

## Declaratio quod Congregatio Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, eſt unus de quatuor Ordinibus Mendicantium, eorumque gratiis omnibus perfruitur. CI.

*De hac Congregatione vid. ſup. in conſt. 25. Paſtoralis, & inf. in conſt. 4. Pauli V. cum utrobique indicatis.*

CLEMENS

*Edita A.D. 1603.*

## CLEMENS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus declarationis.*

ROmanum Pontificem decet pacem & unitatem, maximè inter Dei miniſtros, omni ſolicitudine tueri. Quamobrem ægre tulimus eos, quorum eſt evangelizare pacem & bona, & quibus à Domino ſæpè jubetur, pacem & unitatem diligere, veritatem apertiſſimam perperam & ſine fundamento impugnando, pacem non abſque ſcandalo puſillorum ſcindere. Ad aures enim noſtras pervenit, nõnullos Religioſos in partibus Indiarum, non obſtantibus habitu, regula, profeſſione, ac titulo, à Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & à Nobis, ac etiam ab univerſo populo Chriſtiano ubique dari ſolito dilectis filiis Reformatis Diſcalceatis Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo, auſu temerario contendere, illos Carmelitas non eſſe, nec unum ex quatuor Ordinibus Mendicantibus. Nos qui juſtitiam & veritatem colere tenemur, hujus rei, licet adeo eſſet manifeſta, majorem certitudinem, habita in noſtra Congregatione ſuper reformatione & viſitatione Regularium conſtituta, matura deliberatione, noſtra declaratione patefacere deliberavimus.

*Declarat Pontifex Carmelitas diſcalceatos eſſe de quatuor Ord. Mendic.*

§. 1. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Ordinem & Congregationem dilectorum filiorum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, unum eſſe ex quatuor Ordinibus Mendicantibus, Ordinem ſcilicet Carmelitarum, cujus religioſi ſtrictiùs regulam à bo.me. Alberto Patriarcha Hieroſolymitano habitantibus in Monte Carmelo traditam, à fel.rec. Innocentio Papa IV. prædeceſſore noſtro confirmatam profitentur & obſervant.

*Hoc generaliter pro Carmelitis ſtatuerat Pius V. ſuprà in eius conſt. 44. Romanus, num 240. lib. 2.*

*Privilegia Ordinis iiſdem Diſcalceatis competere declarat.*

§. 2. Ipſiſque omnia ad prædictum Ordinem, tam de jure quam ex privilegiis attinentia, tanquam propria competere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, cui declarationi noſtræ ſi quis contradicere præſumpſerit, illum anathematis vinculo innodamus.

§. 3. Et licet Religioſi, ut accepimus, Evangelicæ humilitatis æmulatores conſilium Dominicum ſectantes, infimum locum tam in proceſſionibus quàm Congregationibus, & aliis quibuſcumque eventibus elegerint & eligant. Nos tamen qui Domini vices gerentes in terris omnium jura tueri tenemur, ipſos nullo modo decurſu temporis, aut alio præſcriptionis modo, locum, & præeminẽtiam, aut aliam prærogativam Ordini Carmelitarum cõpetentem perdere, in toto nec in parte, neque unquam in dubium revocari, ita ut quoties quæ per humilitatem prætermittunt, ob juſtitiæ ordinem repetere voluerint, propria auctoritate poſſint & valeant, auctoritate & tenore prædictis perpetuò ſtatuimus, volumus, & ordinamus.

*Prærogativas eorundem ab omni præſcriptione præſervat.*

*Ad proceſſiones non compelli decernit.*

§. 4. Præterea illos licèt ob ædificationem fidelium, maximè noviter ad fidem venientium, propriæ quieti cedentes, ad proceſſiones tam privatas quàm generales exierint vel exeant, cum in ſtrictiori clauſura perpetuò, juxta regulam quam profitentur, degant, ad proceſſiones generales compelli nunquam poſſe.

*Decretum irritans.*

§. 5. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Deputatio executorum.*

§. 6. Quocirca venerabili fratri Archiepiſcopo Mexicã. necnon dilectis filiis Decano, & Archidiacono Eccleſiæ Mexican. per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorũ Religioſorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos præmiſſorum omnium & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contra. derog.*

§. 7. Non obſtantibus fel.record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Cõcilio Generali edita de duabus dictis, dummodo ultra tres dictas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, ejuſque Superioribus, Religioſis, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſum. credi p.*

§. 8. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. die 20.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima Auguſti, milleſimo ſexcenteſimo tertio, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

---

CII.

## Confirmatio Vnionis Militiarum SS. Mauritii & Lazari. Innovatioque Hoſpitalitatis in locis Sancti Lazari, cum aliquorum indultorum declaratione.

*Plenè de antiqua Militia Sancti Lazari, notavi ſuprà in conſtitut. 28. Pii V. lib. 2. Inſtitutionem autem Militia Sancti Mauritii à Sereniſſimo Duce Sabaudiæ erectam, vide ſuprà in conſtitut. 6. Gregor. XIII. Chriſtiani, lib. 2. Et utriuſque Militia unionem habes in ejuſdem Greg. conſt. 7. Pro commiſſa, ſuprà.*

*Edita A.D. 1603.*

## CLEMENS EPISCOPVS,

*Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Prœmium.*

DEcet Romanum Pontificem in ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine immenſa Redemptoris noſtri benignitate conſtitutum, attentè conſiderationis ſuæ aciem in agri Dominici ejus curæ commiſſi circuitu, vigilis Paſtoris more revolvere, ac inter cetera quid pro militiarum & hoſpitaliũ quorũlibet, præſertim ſub regularibus inſtitutis, ac ſua & Apoſtolicæ Sedis protectione, ad ejuſdem Redemptoris noſtri gloriam, Eccleſiæ prædictæ exaltionem, fidei Catholicæ defenſionem, illius hoſtium & aliorũ infidelium injurias propulſandas, ſimulque pietatis & charitatis opera exercenda inſtitutorum, necnon perſonarum illis ſub ſalutiferæ Crucis ſigno adſcriptarũ felici directione, profectibus & commoditatibus conferat, diligenter proſpicere, ac prædeceſſorum ſuorum geſta ad id tendentia, ut firma & illibata perſiſtant, nedum probationis ſuæ præſidio communire, ſed eorum etiam aliqua temporis ſucceſſu ex apparentibus cauſis labefactata atque ſubrogata, priſtino ſtatui reſtituere, & alias in his providentiæ ſuæ partes favorabiliter interponere, prout militiarum & hoſpitalium hujuſmodi qualitatibus, Catholicorum quoque principũ illis Præfectorum, inſignibus erga Eccleſiam & Sedem prædictam meritis, ac rerum & temporum circumſtantiis debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Pius IV. Hoſpitale S. Lazari, ejuſque Militiam in Sedis Apoſ. protectione reduxit, ut ſuprà in eius conſtit. 95. Inter, lib. 2. Privilegia eorum confirmavit, ut ibidem.*

§. 1. Cùm itaque aliàs poſtquam fel.rec. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter hoſpitalitatem pauperum leproſorum Sancti Lazari Hieroſolymitani, priſcis quidem temporibus florentem, & illuſtrem, ſed nunc injuria temporum non parum imminutam, & quaſi prolapſam, illiuſque militiam, magnum Magiſtrum, Conventum, Milites, & perſonas, eorumque Eccleſias, domos, hoſpitalia, præceptorias, loca, membra, ſubditos, vaſſallos, colonos, animalia, prædia, res, & bona quæcumque ſub Beati Petri, ac ſua atque Sedis protectione ſuſceperat.

§. 2. Omniaque & ſingula illis per diverſos Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos conceſſa privilegia, exemptiones,

ptiones, & à jurisdictione ordinariorum libertates, immunitates, & à contributione & ſolutione decimarum & onerum facultates, præeminentias, prærogativas, juriſdictiones, indulgentias, gratias, & indulta ſpiritualia & temporalia benignè conceſſa & elargita, Motu proprio, & ex certa ejus ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmaverat, approbaverat, & innovaverat.

§.3. Ac novæ etiam facultatis pro ſingulis militibus, ac presbyteris, capellanis hoſpitalis & militiæ hujuſmodi, tunc & pro tempore exiſtentibus, unam vel plures penſiones annuas, uſque ad ſummam quingentorum ducatorum auri de Camera novorum, ſuper quibuſvis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, diſtributionibus, etiam quotidianis, & rebus Eccleſiaſticis, ſibi aliàs canonicè reſervatas, ſeu reſervandas, aut illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, diſtributiones, etiam quotidianas, & res hujuſmodi illis aſſignatas & aſſignandas, uſque ad ſummam prædictam, quoad viverent, & ſi ipſi milites matrimonium juxta hoſpitalis & militiæ hujuſmodi inſtituta & ſtabilimenta contraxiſſent, retinendi & percipiendi conceſſione ampliaverat.

§.4. Piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, quibuſdam ex eis reciſis ac eliminatis, ac alii modo & forma tunc expreſſis & præſcriptis per quaſdam ſuas literas ſub dat. Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1566. ſeptimo Kal. Februarii, Pontificatus ſui Anno ſecundo, approbaverit & innovaverit, quarum literarum formam, & tenorem hic de verbo ad verbum pro expreſſis & inſertis plenariè haberi, & quandocumque etiam ad partem, ad omnem ſimplicem requiſitionem magni Magiſtri, conventus, ac cujuſlibet Militis, Præceptoris, & alterius intereſſe habentis, exprimi & extendi poſſe, & ubique in judicio & extra fidem facere volumus, decernimus, & mandamus.

§. 5. Poſtmodùm autem idem Pius V. ſua perpetua conſtitutione quinto Idus Septembris, ejuſdem Pontificatus ſui Anno tertio edita, quæ incipit, Sacroſanctum, inter alia revocaverit & aboleverit omnia & quæcūque privilegia, facultates, diſpēſationes, & indulta ejuſdē S. Lazari, ac omnibus & ſingulis aliis hoſpitalibus, militiis, eorūque militibus, fratribus, & perſonis, de penſionibus, fructibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis per ipſos milites obtinendis, præcipiendis, ac etiam in alium, vel alios transferendis, per quoſcūque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ac ipſummet Pium V. & dictam Sedem, etiam motu, ſciētia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & pro fidei Catholicæ, aut dictæ Sedis defenſione, & quibuſvis aliis cauſis, quantumvis gravibus, urgentibus, oneroſis conceſſa, & confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, ita quod dicti milites, ſive coniugati, ſive bigami, ſive clerici, aut presbyteri forent, nullas de cetero reciperent, ſed eas ſolas, quas tunc habebant, citra facultatem ipſas transferendi, retinerent, & illæ quoque per futurum contractum matrimonii extinctæ cenſerentur.

§.6. Deinde verò recol. mem. Gregor. Papa XIII. ſimiliter prædeceſſor noſter, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, dictæque fidei in Sabaudiæ & Pedemontis regionibus defenſionem, militiam S. Mauritii martyris, ſub regula ciſtercienſi, cuius ſuprema Sedes & Conventus in loco ad id à bon. mem. Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, tunc in humanis agente, in ipſa regione Sabaudiæ aſſignando & ſtatuendo perpetuò eſſet, & in ea Magiſtratum unum Magnum nuncupandum, ſupremam illius dignitatem, pro uno Magiſtro, cum militum & miniſtrorum numero ſibi beneviſo, ac menſa magiſtrali, officiis, juribus, juriſdictionibus, & inſignibus conſuetis, ad aliarum hujuſmodi militiarum inſtar, per quaſdam erexerit & inſtituerit, ac Magiſtratum prædictum à primæva illius erectione hujuſmodi tunc vacantem prædicto Emanueli Philiberto Duci, ejuſque ſucceſſoribus Sabaudiæ Ducibus, qui Duces pariter & magni Magiſtri eſſent, conceſſerit & aſſignaverit.

§.7. Et ſubinde diligenti meditatione conſiderans ſic de novo erectam & inſtitutam militiam magnos proculdubio fructus, tali præſertim ductore, fidei prædictæ allaturam eſſe, ſed multò tamen majores ſi aliis adjumentis & auxiliis fulcita & munita foret, militiam hoſpitalis S. Lazari prædictam, tunc Magiſtri regimine, & ex magna parte priſtinis ſuis privilegiis, honoribus & præeminentiis deſtitutam, cum ejus Magiſtratu, Prioratibus, Præceptoriis, Hoſpitalibus, & aliis beneficiis regularibus, eorūque membris, grangiis, caſtris, Villis, domibus, poſſeſſionibus, proprietatibus, fructibus, & bonis, tam mobilibus quàm immobilibus, ac ſe moventibus, juribus & actionibus univerſis, necnon Eccleſiis, capellis, terminis, & pertinentiis quibuſcumque ad illam ſpectantibus, quæcūque, quotcumque, qualiacumque & ubicumque forēt, exceptis tamen iis quæ in regno & dominiis tūc exiſtentis Hiſpaniarum Regis Catholici cōſiſtebant, dictæ militiæ S. Mauritii, ita quod ipſa deinceps in perpetuum militia SS. Mauritii & Lazari nuncuparetur, ac prædictus Emanuël Philibertus, & pro tempore exiſtens Sabaudiæ Dux, militiæ S. Lazari hujuſmodi Magiſter eſſet & appellaretur, necnō Prioratus, Præceptoriæ, & alia beneficia ejuſdem militiæ S. Lazari, & illa obtinentes, aliique milites, capellani, & perſonæ curæ, gubernio, & juriſdictioni ipſius Ducis, & magni magiſtri, in omnibus & per omnia ſubeſſent, prout antea ſuberant, ſibique tanquam membra capiti obedirent & obſequerentur, ac aliàs ſub certis modo & forma, & cum facultatibus tunc expreſſis, ac onere quod idem Emanuël Philibertus, & pro tempore exiſtens Dux, & magnus magiſter duas triremes militibus prædictis inſtructas pro Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, dictæque Sedis contra hæreticos, piratas, & alios illius hoſtes defenſione continuò manutenere teneretur, per quaſdam alias ſub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, idibus Novembris, Pontificatus ſui anno primo, perpetuò univerit, annexuerit, & incorporaverit.

*Et quadam loca in d. unione reſervata ad ſtatum ſecularem reduxit, & d. diſpoſitioni Sedis Apoſt. reſervavit, ut ibid.*

§.8. Ac per reliquas ſuas ſub eadem poſteriore data cōfectas literas ſtatum, eſſentiam, dependentiam, & inſtituta omnia regularia dicti hoſpitalis S. Lazari, in omnibus & quibuſcūque Prioratibus, Magiſtratib. Præceptoriis, Hoſpitalibus, Eccleſiis, Capellis, & aliis beneficiis regularib. necnon membris, grangiis, & locis ejuſdem militiæ S. Lazari, & ab eo quomodocumque dependentibus, in Regnis & dominiis prædictis Philippi Regis conſiſtentibus, & ab hujuſmodi unione, ut præfertur, exceptis, ſine præjudicio illa obtinentium, etiam perpetuò ſuppreſſerit, & extinxerit, ac ad ſtatum ſecularem omninò reduxerit, illaque omnia cum ſuis caſtris, villis, domibus, proprietatibus, rebus, & bonis immobilibus, & ſe moventibus, juribus, actionibus, & pertinentiis univerſis ubicumque, ac cujuſcumque qualitatis, quantitatis, ſpeciei, naturæ, & annui valoris exiſtentibus, ab eodem hoſpitali S. Lazari, ejuſque & aliorum quorumcumque ipſius locorum dependentia, correctione, viſitatione, auctoritate, & diſpoſitione, etiam per fundationem, privilegium, ſtatutum inveteratum, præſcriptamque conſuetudinem, ac aliàs quomodocumque pertinentium, ſimiliter perpetuò exemerit & liberaverit, ſibique & dictæ Sedi immediatè ſubjecerit, eademque omnia, ſi tunc vacabant, & quotieſcumque & ubicūque in perpetuum vacarent, ſuæ & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ac ejuſdem Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni dumtaxat ſpecialiter & expreſsè reſervaverit, inhibitione, ac irritanti, & aliis decretis deſuper appoſitis, prout in ſingulis literis, & conſtitutione prædictis pleniùs continetur.

*Nota quia hic Pontif. hanc reductionem hic inf. revocat.*

*Ex hac unione magnum evenit incrementum, & majus in dies speratur.*

§.9. Dicta autem militia SS. Mauritii & Lazari hujuſmodi ſucceſſoris regimine & directione multiplicata, & ſtrenuorum militum cruce ejuſdem Redemptoris Domini noſtri ſignatorum numero tanquam fœcundo fœtu nō parum adaucta, ac propagata noſcatur, & ſi Eccleſiæ, Hoſpitalia, atque loca, tanquā mēbra à ſuo capite, ut præfertur, diviſa, diſtracta, & ſæcularia effecta, ad jus & proprietatem militiæ SS. Mauritii & Lazari hujuſmodi reducerentur, aliaque infraſcripta fierent, & ordinarentur, ſperandum omninò ſit, ut illa majora in dies, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus ſuſcipiat incrementa, illiuſque magnus Magiſter, milites, & aliæ perſonæ, & promptiùs, & ferventiùs ad egregiam & fidelem operam pro dictæ Sedis Apoſtolicæ, & populorum illi ſubditorum defenſione perpetuò navandum accendantur & animentur.

*Hic idcò Pi... iteratò approbat circa privilegia & indulta Hoſpitalis, & Militia S. Lazari, ſalvis modificationibus infrà dicendis, & aliis contentis in d. conſt. 28. Pii V. ſicuti, lib. 2.*

§. 10. Nos de præmiſſis omnibus & ſingulis pleniſſimè informati, tam Carolum Emanuelem Ducem & magnum Magiſtrum, qui præter ſui generis ex clariſſimis Imperatoribus deducti ſplẽdorem, & eximiæ erga Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam prædictam devotionis, & fidei fervorem, non ſine ſumma animi pietate, & fortitudine, ac flagranti tuendæ & propagandæ Religionis Catholicæ zelo gerere comprobatur, ſuorumque progenitorum exemplo antiquam illorum æſtimationem, ac perpetuam virtutis & gloriæ hæreditatem, quaſi per manus traditam feliciter conſervare contendit, quàm milites prædictos ſingulari noſtræ benignitatis & munificentiæ favore proſequi, ac aliàs prædictæ militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari indẽnitati, decori, & ornamento conſulere, diſpendiiſque occurrere volentes, his & aliis rationabilibus cauſis adducti eundem Carolum Emanuelem Ducem & magnum Magiſtrũ à quibuſvis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cẽſentes, Motu proprio, non ad ipſius Caroli Emanuelis Ducis & magni Magiſtri, vel alicujus alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed de mera liberalitate, & certa ſciẽtia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, liberalitates, præeminentias, prærogativas, facultates, juriſdictiones, indulgentias, gratias, & indulta, ſpiritualia, & temporalia hoſpitalis Sancti Lazari, illiuſque militiæ magno Magiſtro, conventui, prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus & perſonis, eorũque Eccleſiis, domibus, hoſpitalibus, præceptoriis, locis, membris, rebus & bonis per Pium Quintum, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, dictamque Sedem Apoſtolicam ut præfertur, vel aliàs quomodolibet, & per modum communicationis & extenſionis, in genere vel in ſpecie conceſſa, approbata & innovata, necnon omnes & ſingulas literas Apoſtolicas deſuper confectas, ſalvis tamen quoad facultatem obtinendi penſiones limitatione noſtra infraſcripta, & etiam aliis limitationibus, modificationibus, reductionibus expreſſis & contentis in literis Pii Quinti prædeceſſoris hujuſmodi, ſub data prædicta vii. Kalendas Februarii, Pontificatus ſui Anno ſecundo confectis prædictis, ac juxta illarum formam, normam, continentiam, & tenorẽ, quas hic pro plenariè, ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis, ac inſertis haberi volumus, non tamen quoad ea quæ primo & ſecũdo dicti Gregorii prædeceſſoris ſuper militiæ S. Mauritii erectione & inſtitutione, ac illi de militia S. Lazari hujuſmodi facta unione, necnon prædicti Emanuelis Philiberti, ac pro tempore exiſtentis Sabaudiæ Ducis in magnum Magiſtrum ejuſdem militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari cõſtitutione & deputatione confectis præſentibus literis contrariantur, illorum omnium & ſingulorum, ac literarum hujuſmodi tenores, formas, continentiam, cauſas, circumſtantias, & occaſiones præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate, tenore earundem præſentium, præſertim illas Pii Quinti ſub dicta data Septimo Kalend. Februarii anno ſecundo, perpetuò approbamus, confirmamus; & perpetua roboris firmitate communimus, ac etiàm de novo concedimus.

*Et Pii V. revocationes, & Gregor. XIII. ſuppreſſionem de locis in Hiſpania exiſtẽtibus irritat, & cùm renovarint, Militia SS. Mauritii, & Lazari reſtituit.*

§. 11. Ipſamque militiam SS. Lazari & Mauritii, necnon illius magnum Magiſtrum, conventum, priores, præceptores, milites, fratres, & perſonas, ac eorum Eccleſias, domos, hoſpitalia, prioratus, præceptorias, loca, membra res, & bona quæcumque adverſus quaſcumque illorum & cujuſlibet eorum revocationes, abrogationes, caſſationes, annullationes, derogationes, & alias cõtrarias diſpoſitiones à dicto Pio Quinto prædeceſſore poſt eandem diem ſeptimo Kal. Februarii emanatas, & ſpecialiter prædictam illius conſtitutionem, necnon ſtatus, eſſentiæ, & inſignium regularium hoſpitalis & militiæ Sãcti Lazari hujuſmodi, in prioratibus, magiſtratibus, præceptoriis, hoſpitalibus, Eccleſiis, capellis, & aliis beneficiis regularibus, necnon membris, grangiis, & locis dicti hoſpitalis, ſeu etiam militiæ Sãcti Lazari, & ab illo, vel ab illo dependentibus, in Regnis & Dominiis dicti Philippi Regis conſiſtentibus, & ab unione prædicta exceptis, ſuppreſſionem & extinctionem, illorumque ad ſtatum ſecularem reductionem, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, & dictæ Sedis Apoſtolicæ liberæ diſpoſitioni reſervationem, liberationem, & ſubjectionem ab eiſdem à dicto Gregorio prædeceſſore, ut præfertur, factas, literas deſuper confectas prædictas, & in eis contenta quæcumque, necnon in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum, uſum, naturam, regimen, adminiſtrationem, poſſeſſionem & conſuetudinem, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi nunquam emanaſſent, ſine tamen præjudicio modernorum eorundem prioratuum, præceptoriarum, hoſpitalium, Eccleſiarum, capellarum, & aliorum ſic ad ſæcularitatem reductorum, ita ut illa cum primùm per ceſſum aut deceſſum ipſorum modernorum poſſeſſorum, vel aliàs quovis modo, aut quandocumque & ubicumque, etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictã vacaverint, eorumque res & bona, ad jus & proprietatẽ dictæ militiæ SS. Lazari & Mauritii eo ipſo abſque aliqua declaratione vel citatione, aut cujuſvis judicis decreto, ſeu Miniſterio, ac ſpolii, & attentatorum vitio reducantur, atque ad illius magni Magiſtri pro tempore exiſtentis liberam & omnimodam diſpoſitionem ſpectent & pertineant, & deinceps, ut ante ſuppreſſionem, extinctionem, & reductionem hujuſmodi regi, gubernari & adminiſtrari, exceptis dumtaxat Præceptoriis Capuæ & Ephænæ, olim dicti Hoſpitalis & militiæ Sancti Lazari, quæ juxta poſteriorum literarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi formã & continentiam ſæculares, & dictæ Sedis diſpoſitioni reſervatæ remaneant, auctoritate & tenore prædictis reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

*Unionem Militiæ approbat.*

§. 12. Ac unionem de militia S. Lazari militiæ Sancti Mauritii hujuſmodi ut præfertur factam, etiam ad hoc, ut nedum una alteri particulariter vel acceſſoriè, ſed ambæ invicẽ æquè principaliter cum ſuis reſpectivè privilegiis, exẽptionibus, immunitatibus, libertatibus, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, juriſdictionibus, honoribus, favoribus, indulgentiis, indultis, conceſſionibus & gratiis quibuſcumque perpetuò unitæ, & donec proprius, atque determinatus locus pro ſua Sede conventuali à Magno Magiſtro ſtabilitus fuerit, illam in loco ſolitæ reſidentiæ dicti Ducis & magni Magiſtri habere cẽſeatur, ac pro tẽpore exiſtens magnus Magiſter, Conventus, Priores, Præceptores, milites, fratres, & perſonæ etiam quod firmam & propriam Sedem conventualẽ non habeant, ut præfertur, eorumque Eccleſiæ, domus, hoſpitalia, prioratus, præceptoriæ, loca, membra, res, & bona illis omnibus & ſingulis, eorumque uſufructu, commodo, & poſſeſſione uti, frui, potiri & gaudere poſſint, & debeãt, æquè pariter abſque ulla prorſus differentia & diſtinctione, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi ab exordio inſtitutionis hoſpitalis, & militiæ S. Lazari, & etiam dicta militia S. Mauritii inſtituta, & ambæ invicem & æquè principaliter, ac conformi regula, obſervantia, diſciplina, eiſdemque legibus & inſtitutis unitæ, ac privilegia, exemptiones, indulta, & alia præmiſſa utrique militiæ ſpecificè, nominatim, conjunctim, indiſtinctè, & expreſsè conceſſa, & elargita fuiſſent, eiſdem auctoritate & tenore extendimus, & ampliamus.

*Indultum retinendi penſiones huic bullæ apponit.*

§. 13. Facultatem tamen obtinendi penſiones militibus, presbyteris, & capellanis prædictis, hoſpitalis & militiæ prædictorum, uſque ad ſummam quingentorum ducatorum auri de Camera conceſſam, ad ſummam quadringentorum ducatorum ſimilium limitamus, reducimus & moderamur.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§. 14. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, ex eo quod cauſæ propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tanquam à Sede prædicta delegatis, vel aliàs quomodolibet examinatæ, juſtificatæ, verificatæ, & approbatæ, ipſique Ordinarii, ac prioratus, præceptorias, hoſpitalia, Eccleſias, capellas, & alia beneficia, ſub ſuppreſſione, extinctione, & ad ſtatum ſæcularem reductione, per dictum Gregorium prædeceſſorem factis prædictis comprehenſa, ut præfertur, ad præſens obtinentes, & quicumque alii quomodolibet intereſſe habẽtes ad id legitimè vocati nõ fuerint, neque in præmiſſis conſenſerint, aut quovis alio, etiã enormis,

&

& enormiſſimæ læſionis capite, vel prætextu, & ex alia cauſa quantumvis legitima, urgenti, & juridica, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel in controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu ſimili concedi nullo unquam tempore poſſe, neque ſub quibuſvis unionum, annexionum, incorporationum, ſuppreſſionum, extinctionum, diſmembrationum, & effectum non ſortitarum, aliarumque ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, modificationibus, ſuſpenſionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam à nobis, vel quibuſcumque aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ac dicta Sede, etiam in craſtinum aſſumptionis eorumdem ſucceſſorum noſtrorum ad ſummum Apoſtolatus apicem, vel aliàs motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, etiam conſiſtorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque pro tempore emanatis, quibuſcumque formulis conceptæ, ac alias, & decretis irritãtibus ſuffultæ fuerint, ac ſi de eiſdem præſentibus, & earum toto tenore, ac data ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & de verbo ad verbum mentio fiat comprehendi, ſed tanquam in Religionis, & Fidei Catholicæ favorem, defenſionem, & propagationem conceſſa, ſemper & omnino ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata, ac de novo, etiam ſub quacumque poſteriori, etiam nova data per prædictum Carolum Emanuelem, & pro tempore exiſtentem Ducem, & magnum Magiſtrum eligenda conceſſa, validaque & efficacia fore & eſſe, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & vim validi & efficacis contractus inter nos & dictam Sedem ex una, ac prædictum Carolum Emanuelem Ducem, & magnum Magiſtrum, ac conventum prædictos ex altera partibus ritè initi, ſtipulati, ac utrimque jurati habere, & perpetuò obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari.

*...uſula ſu- ...ua, &c.*

§. 15. Sicque per quoſcumqee Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictos Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia judicari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores & defenſores ...putat.*

§. 16. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Taurinen. & Tarentaſien. Archiepiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore exiſtentium Ducis, & magni Magiſtri, ac Conventus, priorum, præceptorum, militum prædictorum, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ac ſingulos quos ipſæ literæ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes ipſos vel eorum quempiam deſuper quomodolibet moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna remedia juris & facti, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis ...ibuſcumque derogat.*

§. 17. Non obſtabtibus præmiſſis & ſimilis mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices ab Apoſtolica Sede prædicta deputati extra Civitatem & Diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere audeant, vel præſumant, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, & Lateranenſ. Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus à jure præmiſſis fieri prohibentis, ac noſtra, quatenus opus ſit, de unionibus committendis ad partes, vocatis intereſſe habentibus, ac exprimendo vero annuo valore ſecundùm communem æſtimationem, tam beneficiorum uniendorum, quàm illorum quibus uniuntur, necnon Pii V. hujuſmodi, per quam inter alia voluit gratias hujuſmodi ſuis non valere temporibus, & quod ſibi licere non eſt paſſus, id ſuis ſucceſſoribus indicavit, necnon Sixti prædeceſſorum hujuſmodi ſuper habitu & tonſura clericalibus per obtinẽtes penſiones, aliaſque res Eccleſiaſticas ultra certam tũc expreſſam ſummam deferendis, & præfata Conſtitutione Pii Quinti ſub dat. 5. Idus Septembris, anno tertio ſui Pontificatus, cujus tenorem, formam & contiuentiam de verbo ad verbum hic pro plenè, & ſufficienter expreſſo haberi volumus, cui etiã in ſpecie pro hac vice tantum derogamus, & omninò derogatum eſſe volumus, & mandamus, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, Synodalibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon regnorum, & dominiorum prædictorum, ac etiam Eccleſiarum & locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam quantumvis longiſſimo tempore obſervatis, ac legibus etiam municipalibus, & pragmaticis, aliiſque ſanctionibus. Privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus & perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarũ derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis per prædictos & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos & dictam Sedem, Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine prædictis, etiam conſiſtorialiter, in genere vel in ſpecie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idẽ importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, necnon omnibus illis, quæ ſinguli prædeceſſores prædicti in ſuis quiſque literis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi Ordinariis, aut aliis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 18. Volumus autem quod idem Carolus Emanuel, ac ac pro tempore exiſtentes Dux & magnus Magiſter, duas Triremes militibus prædictis inſtructas pro Romani Põtificis pro tempore exiſtentis, contra hæreticos & Piratas, ac alios illius hoſtes defenſione, juxta literarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi formam, manutenere teneãtur.

*M. Magiſtrũ duas Triremes pro Sede Apoſtol. inſtructas tenere obligatum declarat.*

§. 19. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo ipſius Militiæ Sanctorum Lazari & Mauritii, ſeu illius pro tempore exiſtentis magni Magiſtri, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ ipſis præſentibus originalibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Tranſumptis hujus bullæ credi jubet.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 9. Septembris. Pont. noſtri anno 12.

*D.P. An. 12. die 23. Sept.*

---

## Inſtitutio duorum Monaſteriorum pro Monachis Reformatis Ordinis S. Baſilii in Regnis Hiſpaniarum, cum facultate recipiendi Novitios & nova loca: Ac præfinitio conſtitutionum d. Reformationis.

*Alia de hoc Ordine ſcripſi ſuprà apud Alexandrum III. conſt.6. Apoſtolica,lib.1.*

*Edita An.D. 1603.*

## *CLEMENS PAPA VIII.*

### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

ALtiſſimi diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, ad Apoſtolicæ dignitatis apicem, licet immeriti ſublimati,ad ea ſolliciti ſemper intendimus per quæ Religioſorum ſtatui, paci & tranquillitati opportunè conſulitur. In his verò quæ ad primitivæ Sanctorum Patrum, Religionis inſtitutorum Regulæ obſervantiam aliquatenus collapſam, ſeu perturbatam, in priſtinum reſtituendam pertinent auctoritatem noſtram libenter interponimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Duo Eremitoria Eremi del Tardon, & Vallis de Galliguillos à Matthæo fundata in Monaſteria Ordinis S. Baſilii Greg. XIII. erexerat: ſup. in conſt. ſua cit. in rubrica.*

§.1. Sanè cum fel. record. Gregor.XIII. prædeceſſor noſter, duo Eremitoria, alterum Eremi del Tardon Corduben. alterũ Vallis de Galliguillos Hiſpalen. Diœceſis, ambo fundata à Matthæo quodam de la Fuente de Almiruete Toletanæ diœceſis,qui cum quibuſdam ſociis Deo placere, & Sanctorum Patrum in ſolitudinibus errantiũ vivendi inſtitutum imitari cupientibus, ad illa ſe receperat, ibique omnes divinæ dediti contemplationi, proprio labore victum parantes, pauperem vitam ducebant, vilibuſque, & aſperrimis veſtibus corpus domantes, neque eleemoſynas petierunt,neque oblata receperunt, in Monaſteria Ordinis ſancti Baſilii Magni erexiſſet.

*Ac illa cum alio Monaſterio de Oviedo, & aliis poſtea in Regnis Hiſpan. fundandis univerat, & ſub obedientia futuri in Italia Generalis ſubjecerat.*

§.2. Ac illa cum alio Monaſterio S. Mariæ de Oviedo Giennen.Diœc.à fel.record.Pio IV.priùs erecto,in unam Provinciam S. Baſilii Hiſpaniarum nuncupandam, necnon aliis Monaſteriis in Hiſpaniarum Regnis in poſterum conſtruen.(ut de facto in Regnis Caſtellæ, & in Bætica regione poſtea erecta fuere) univiſſet,atque ſub obedientia futuri Abbatis Monachorum in Italia exiſtentiũ Generalis incorporaſſet,aliaque plurima ſtatuiſſet, prout in literis ab ipſo datis Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo,Octavo Kal.Julii,Pontificat. ſui Anno ſexto, pleniùs continetur.

*Ex tali unione contentiones exortæ ſunt.*

§.3. Cumque ex dicta unione multæ contentiones inter dictæ Provinciæ Monachos ſuper modo vivendi exortæ fuiſſent,propterea quod omnia alia Monaſteria illis duobus à dicto Matthæo fundatis unita ex eleemoſynis, licet nonnulla partim ex ipſis, partim ex induſtria, victitarent.

*Ad illas ſedandas Viſitatores Apoſtolici miſſi non ſedaverant.*

§.4.Multiſque ad tales contentiones ſedandas Viſitatoribus, & Reformatoribus Apoſtolicis per nuncios noſtros miſſis, nullus unquam eos omnino ſedaverit, neque dictum inſtitutum S.Baſilii de laborando manibus,& non petendis eleemoſynis in aliis Monaſteriis potuerit omnino introducere.

*In Monaſterio Vallis de Galliguillos inſtitutum laborandi deferbuerat.*

§.5. Cum immò in uno illorum duorum de Valle de Galleguillos nuncupato, mutatis ad illud aliorum Monaſteriorum Monachis & Prælatis,necnon ſuffragiis Monachorum laïcorum, qui illa fundaverant, in univerſum ſublatis pro magna parte,quidam ex dictis univerſitatibus fecerit deferbere.

*In Monaſterio del Tardon inſtitutum laborãdi conſervatur,literiſque Apoſtolicis tuetur, quas hic non poſui.*

§.6.Quod idem in alio del Tardon contigiſſet, niſi divino auxilio, & piorum Monachorum induſtria tueretur, ſicut hodie noſtris ad id literis Anno 1599. die 13. Decembris,Pontificatus noſtri anno octavo datis, quibus ſub excommunicationis,& aliis pœnis,ne dicti Monaſterii inſtitutum de labore manuum impediri,neque Monachi ad illud neceſſarii ab ipſo auferri, ſeu alii introduci poſſint, interdiximus, inviolabiliter tuetur, & conſervatur.

*Ultima reformatio Epiſcopi Corduben.*

§.7. Cum præterea ultimus ex dictis Roformatoribus à noſtris Nunciis miſſis Epiſcopus Corduben.non ſolùm dictum inſtitutum, ſed & reliquam Monaſticam diſciplinam magna ex parte in aliis Monaſteriis labefactatam, necnon multos pios Monachos,qui illam quantum commodè poſſent, optabant reſtituere, comperiiſſet, non ſolùm dictum Monaſterium del Tardon, quod Regulis S. Baſilii magis ſemper adhæſit, ſed & alia duo aſſignavit, in quæ reciperent qui quaſdam ab ipſo conditas ſtrictiores quàm antea conſtitutiones voluiſſent obſervare.

*Quæ reformatio Card.*

§.8. Quæ quidem conſtitutiones cum bonæ memoriæ Julio Antonio S. Severinæ nuncupato,pro tunc ejuſdem Ordinis apud nos & Apoſtolicam Sedem Protectori minimè probarentur, iiſdem reciſis,alias novas conſtituit, quas à nobis & Apoſtolica Sede petiit confirmari, ſicut de facto confirmavimus,prout ex noſtris litteris ad id datis die undecima Februarii 1602. Pontificatus noſtri anno undecimo latiùs apparebit.

*Protector Ma... ideò alia... à Pro... conſtitu... Quam... hic poſu...*

*Execu... Epiſcop... Giennen... miſſa ſu...*

§.9. Quarum executionem cum multis aliis poteſtatibus, & facultatibus, venerabili fratri noſtro Sanctio Epiſcopo Giennen.commiſimus, prout etiam in literis ad ipſum eadem die datis pleniùs continetur.

*Epiſcop... Giennen... te exam... nem reſ... Monach... fere om... contrad... ſe. Et ... diſpenſ... petebant... per iiſ...*

§.10. Poſtea verò cum ipſe Epiſcopus, ſicut ex illius literis accepimus, ſuper dictis conſtitutionibus exequendis cum Monachis multis dictæ Provinciæ tractaſſet,ferè omnes iiſdem contradicere,atque de aliquibus principalioribus ( præcipuè qua parte monachis laïcis ſuffragia, & præcedentiæ locorum concedebantur, quaque veſtitũ ex ſaial, & excalceatos pedes in aliquibus domibus deferri,necnon eleemoſynas petere,confeſſiones ſæculariũ audire, & verbum Dei extra proprias Eccleſias omnes prædicare prohibebantur ) ſuper quibus à nobis diſpenſari,& contraria conſtitui, ac ſuper aliis omnibus facultatem diſpenſandi dicto Epiſcopo committi poſtularunt.

*Hic ... Pont... cum in... to lab... obſervan... exopt... ſtitution... Protection... factas ex... minat. ... magis ... gulam ... cit.*

§.11. Nos igitur attendentes eos Monachos, qui talia petunt, nullatenus in vocatione Monachalis Regulæ S. Baſilii qua vocati ſunt, velle permanere,ſed ſub dictæ Regulæ Monachalis profeſſione Mendicantium inſtitutũ ſequi,& ita in alienam ſegetem ( cum Dominus non miſerit eos ) falcem mittere deſiderare,cupienteſque, atque noſtra paterna, Paſtoralique cura affectantes, Baſilii Regulam cum ſuo laudabili de labore manuum inſtituto, in ſua propria, & primitiva Sanctorum Patrum obſervantia ſtabiliri, & perpetuò conſervari, peritorum in hac parte virorum uſi operâ,dictas conſtitutiones iterum ſatis examinavimus, eaſdemque non ad Mendicantium, ut petebatur, ſed ad verum Regulæ S.Baſilii vitæ contẽplativæ, & Monachalis, laboriſque manuum inſtitutum (quatenus his temporibus noſtris Occidentis Regionibus & Eccleſiæ Latinæ moribus congruit ) contemperavimus, reduximus, & emendavimus.

*Unionem ... Gregor.X... ut ſuprà ... ctã revo... & d. duo Monaſteri... in unam ... parata ... vinciam ... Congregati... ... tam de ... Ad eas ... na hos, ... voluerint ... gulam pri... tivam ... vare, rec... jubet.*

§.12. Et in primis ut tandem dictis contentionibus ſuper modo vivendi ex ſupradicta unione exortis finem imponamus, dicta duo Monaſteria S. Baſilii Eremi del Tardon, ac etiam S. Antonii de Galliguillos ſupradicto Matthæo cum tali labore manuum inſtituta,& cum multis,immò ferè omnibus Monachis Laïcis juxta primæuum S.Baſilii inſtitutum fundata in Monaſt. reformationis, & veræ, ut prædiximus Regulæ, obſervantiæ deputamus, conſtituimus,& ſeparamus.

§.13. Ad quæ ſe recipiant omnes quotquot in d. Provincia Monachi zelo Dei, & Spiritu ſancto ducti, tanti Patriarchæ præcepta & inſtituta deſiderant obſervare.Quæ juxta ſequentes conſtitutiones jubemus in omnibus, & per omnia practicari.

## CONSTITUTIONES REFORMATIONIS.

*Conc. Trid. ſeſſ.25.c.8 ... Regularium ... hanc ſi ... regulam ... formationis.*

Sacroſancti Concilii Tridentini de Regularium Reformatione veſtigiis inhærentes,ut Monachi S.Baſilii ad regulam, quam profeſſi ſunt, vitam inſtituant, & componant,atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem veluti obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac alia ſuæ Religionis peculiaria vota & præcepta, necnon ad communem vitam,victum & veſtitum concernentia fideliter obſervent,in primis declaramus D. Baſilii inſtitutum Monachale eſſe, & non ſolùm cum cæteris in tribus ſubſtantialibus votis cõvenire, ſed etiam peculiaria præcepta ſuam eſſentiam concernentia quædam habere,quorum præcipua duo ſunt, alterum in oratione, alterum in manuum laboribus ad neceſſaria comparanda exercitatio, quibus etiam alia accedunt ad communem vitam, victum & veſtitum concernentia,de quorum omnium,& ſingulorum reformatione agendum eſt.

### CAP. I.

*De vita communi.*

Quoniam autem finis præcepti charitas eſt,præcipimus ut omnes Monachi in præſenti reformatione charitatem, & communem, conſimilemque vitam in omnibus obſervent,juxta Regulam quam profeſſi ſunt,& monaſtica inſtituta,tam in oratione,Choro,& labore,quàm in cibis,veſtimentis,calceamẽtis,& reliqua Regularis diſcipli-

næ

næ obſervantia. Vnuſquiſque tamen juxta officium, & vocationem ſuam, in ordine ad unam conſimilem, perfectiſſimamque communitatem, & charitatem.

CAP. 2.

Quæ quidem vita communis, & Regularis obſervantia ut rectius, & ſtrictius inter multos poſſit obſervari, Volumus ut omnes Conventus numeroſam Monachorum multitudinem habere procurent, nec in unoquoque Monaſterio minor vigintiquatuor Monachorum numerus haberi poſſit. Cum autem tempore D. Baſilii pauciſſimi fuiſſent Sacerdotes, immò ferè omnes Laïci extiterint, excepto Abbate, qui etiam aliquando Laïcus fuiſſe reperitur, & ita omnes communiter pſallerent, quod noſtris temporibus propter majorem intelligendi nunc Latinam, quàm tunc Græcam linguam difficultatem, majoremque officii Romani in Choro prolixitatem fieri nõ poteſt, mediam & noſtris temporibus congruentiorem viam ſequentes, licet majorem & principaliorem partem Monachorum ex Laïcis eſſe velimus, prout per præſentes volumus, & ordinamus, ſufficientes tamen Choriſtas, & Sacerdotes ad Chori, & divinorum Officiorum miniſteria haberi permittimus, ut ita alii aliorum opera adjuventur. Choriſtæ quidem qui magis in choro, & ſpiritualibus occupantur, à laboribus non quidem omninò, ſed pro Chori & neceſſarii cultus divini frequentatione, Prælati arbitrio aliquantulum relevandi, Laïcos in ſpiritualibus adjuvabunt. Laïci verò, qui magis à Choro, & ſpiritualibus relevantur, manuum operibus & laboribus plus dediti Choriſtas Fratres in temporibus pro parte etiam adjuvabunt, atque ita in charitate alter alterius onera portantes, legem Domini adimplebunt.

CAP. 3.

Omnes verò tam Laïci quàm Choriſtæ media nocte ad confitendum Domino ſurgent, quo tempore Matutinum Officium cum Laudibus Choriſtæ recitabunt, diluculo verò in ipſo diei crepuſculo, vel paulò ante, maximè hyemis tempore, omnes tam Laïci quàm Choriſtæ per ſingulos dies pariter ad orationem conſurgent, & in Choro congregati per dimidiam ſaltem horam orationem mentalem habebunt, ut primi anni motus Domino conſecrétur, & in ipſius obſequium omnes diei dirigantur actiones: oratione expleta, dum Choriſtæ recitant Primam, Laïci Miſſam audiant, quam Tertia à Choriſtis recitanda ſequatur, cui etiam Laïci omnes juxta D. Baſilii præceptum, intereſſe debent, & his finitis, unuſquiſque ad opus ſuum exibit. Choriſtæ verò ſtatutis ab Eccleſia temporibus ad Chorum, Romanum Officium & reliquas horas canonicas ſemper clarè, diſtinctè, & devotè recitaturi accedent, quas nec omnes, nec illarum quamlibet cantabunt, exceptis diebus feſtivis, quibus ab opere in Religione ceſſari ſolet, idque minimè cantu figurato, ſeu aliquo alio arte addiſcendo, ſed modeſta parique vice aliquantum elatiori cantare conſueſcent. Tempore autem Completorii omnes iterum, & Laïci & Choriſtæ in Choro congregabuntur. Quo finito per dimidiam ſaltem horam iterum orationem habebunt, in qua conſcientiam ſuam quiſque examinabit. Reliquis verò orationis temporibus Laïci, ubicumque fuerint, ibidem orabunt. Miſſæ verò ſolùm ſimiliter feſtivis diebus regulariter cantabuntur, reliquis tamen omni cum devotione celebrentur, quod ut Sacerdotes melius faciant, eoſdem à matutino tempore uſque ad prandium ſolummodo à manuum laboribus excuſamus. Ne autem contra S. Baſilium ob pſalmodiæ ſimulationem, & officii prolixitatem labor manuum aliquatenus fugiatur, in Choro nihil aliud recitari volumus, quàm quod ex Breviario Romano Sacerdotes communiter ex præcepto extra Chorum tenentur recitare, quod ob dicti laboris rationem Apoſtolica benignitate indulgemus.

CAP. 4.

Quærendi victus ſolertia (ut verba S. Baſilii de inſtitutionibus Monachorum ſermone primo referamus) his qui in hujuſmodi vitæ genere degunt, ea maximè conveniens judicanda eſt, quæ præſcripta eſt ab Apoſtolo, nimirum ut manibus laborantes, panem ſuum honeſtè manducent. Ex quo, & aliis d. Patris locis declaramus Monachos S. Baſilii ex peculiari ſuæ regulæ inſtituto, ad victum manibus propriis parandum ſaltem in communi teneri. Atque ita juxta præſentis Reformationis ſtatuta jubemus obſervari, in illis artibus, quas etiam S. Baſilius concedit, præcipuèque quæ intra domum exerceri poſſunt, velut texendi, pectendi, ſuendi, ſarciendi, ac aliis ſecundùm locorum & temporum exigentiam. Cum autem S. Baſilius agriculturam, quia in ea facillimè res ad uſum neceſſariæ haberi poſſunt, concedat, modo ea neque à vicinis, neque ab ac colis tumultus afferat, aut turbas: Nos eandem ad frumentum, vinum, mel, oleum, & cæteros agri fructus comparandos permittimus. Monachos tamen in Domino exhortamur, ut dictas ſancti Baſilii conditiones circa vicinorum, & accolarum tumultus, & turbas, atque Monachorum diſtractiones obſervent, & quantum fieri poſſit intra domum ſe exerceant, ut ita verè, ut aiunt, recollecti dici poſſint.

CAP. 5.

*Eſu carnium.*

Eſum carnium non omnino prohibemus, ſiquidem nec S. Baſilius expreſsè prohibuit, quia tamen illas ad condimentum tantummodò videtur concedere: Nos eaſdem diebus Dominicis, & tertiis, & quintis feriis, non ad guſtum oblectandum, ſed vires & valetudinem cõſervandam, extra Adventum, Quadrag. & dies ab Eccleſia prohibitos, idque ſemel in die tantummodò in meridiana comeſtione permittimus, poterit tamen Superior ex cauſa circa dierum rationem cum particularibus diſpenſare, nullo tamen modo cum omnibus in communi.

CAP. 6.

*Veſtimentis.*

Præcipimus quoque ut omnes Monachi, tam Choriſtæ, quam Laici, eodem veſtitu, & habitu induantur, omneſque ſimilibus calceis ex vili corio confectis, pedibus undequaque coopertis calceati incedant. Quoniam tamen forma habitus à D. Baſilio expreſſa non reperitur, ne ampliùs poſſit variari, definimus quod debent in primis geſtare tunicam clauſam zona pellicea, ſive ex corio nigro præcinctam, à collo ad talos uſque demiſſam, cujus fimbriæ ſexdecim, manicæ verò quamlatiores trium palmorum circuitum non excedant. Inſuper caputium, ſive cuculla, quæ caput contegat, & ad collum cum patientia, ſive ſcapulari ſarciatur & adunetur; quæ patientia duorum tantum palmorum latitudine, à fronte & à tergo defluens, priuſquam tunica per quatuor digitos finiatur; à fronte tamen, ſive ante pectus ex caputio ſuper ſcapulari pars nulla pendeat, à tergo verò in ſolitum punctum eat. Deinde mantum ſine collari, plicis vel elegantia ante collum ligatum, cujus longitudo priuſquam ſcapulare per quatuor digitos finiatur. Materia autem totius ſupradicti exterioris veſtitus ſit vilis, craſſa, & omnium infima, ut jubet D. Baſilius. Declaramus tamen laneam eſſe debere, qualis in Hiſpania reperitur, quæ ibidem vocatur Saial, ex quo neceſſaria confici jubemus. Cùm verò idem Sanctus Pater veſtitum alium ad forenſem oſtentationem, alium ac domeſticum uſum patrum, itemque ad diurnum alium, alium ad nocturnum tempus diſtributum Monachos habere expreſsè prohibeat, nos juxta ipſius mentem, omne à ſuprà expreſſo diverſum exterioris veſtimenti genus, quale eſt illud quod apud Benedictinos cuculla, & Hiſpanè cogulla vocari ſolet, quæ regulæ S. Baſilii manifeſtè contrariantur, ſeu ad aliam quamvis formam, vel materiam, omni modo prohibemus.

CAP. 7.

*Viſitandis illa quæ inſtitutum impedire poſſent.*

Cum D. Baſilii inſtitutum Monaſticum ſit, quicquid ipſius quietem, & tranquillitatem impedire poteſt, aut perturbare, veluti eleemoſynas petere, confeſſiones ſæcularium audire, verbum Dei Populo prædicare, collegia ad Philoſophiam, vel Theologiam, ſeu alias ſcientias addiſcendas habere, ſeu Religioſos ad univerſitates ſtudiorum cauſa mittere, omino prohibemus, ne iſtarum rerum ſtudio dediti laudabile manuum laboris inſtitutum deſerant. Poterunt tamen Sacerdotes, ſive Choriſtæ in ſuis Monaſteriis neceſſarios conſcientiæ ad ſe gubernandum caſus, & Sacræ Scripturæ interpretationem addiſcere. Quorum unus à laboribus liber ſtudio vacabit, ut quotidie per dimidiæ ſaltem horæ ſpatium Religioſos omnes de præceptis Domini, & ad ſalutis animæ, virtutiſque progreſſum & perfectionem, neceſſaria ex Sacra Scriptura conſcientiæ inſtructione, poſſit (ut neceſſariò debebit) edocere, necnon feſtivis diebus pro Prælati

arbitrio curreatis Evangelii loca in ſuis Eccleſiis,& non extra declarare.Ne tamen advenientium ad Monaſterium fidelium neceſſitati, vel devotioni charitatem, & conſolationem denegemus,unum tantùm in quovis Monaſterio qui ſæcularium confeſſiones audiat,permittimus.

CAP. 8.

*Situ & fundatione Monaſteriorum.*

Mandamus quoque quod Monaſteria non propius ab oppidis, quam per duo milliaria , neque cum minori, quàm vigintiquatuor Monachorum numero denuo fundentur , & quod in unoquoque perpetua ſit filiatio , neque ex uno ad aliud Monaſterium Monachi mutari poſſint,niſi ad prælaturas ſeu novas fundationes , vel ſi fortè alicujus delictum,& ſubſequens ſcandalum,aut diuturna & gravis, dummodo dolus non ſubſit , infirmitas aliud poſtulaverit.

CAP. 9.

*Novitiorum receptione.*

Poterit unuſquiſque Abbas de conſenſu ſui Capituli Novitios,ſervata Conc.Trid. & aliarum Apoſtolicarum ſanctionum forma,ad habitum,& profeſſionem admittere, ita tamen, ut in eorum receptione declaretur,quiſnam in Choriſtam vel in Laïcum Monachum recipiatur. Si quis autem in Laïcum receptus,ſive profeſſus , poſtea vel ex Superioris licẽtia,vel aliàs quomodolibet ſacris initietur, tam ipſe ordinatus, quàm Superior, qui talem licentiam dederit,perpetuam ab ordinibus ſuſpenſionem , & vocis activæ & paſſivæ privationem non aliter quàm per Sedem Apoſtolicã diſpenſandã,ipſo facto incurrant, aliis pœnis arbitrio Superiorum infligendis. Volumus tamen quod Monachi Laïci qui vigintiquinque ætatis , & quartum profeſſionis annum adimpleverint, eandem vocem activam habeant , ac ſi in ſacris fuiſſent ordinati , paſſivam quoque in his omnibus officiis ac muneribus,quibus ſpiritualis juriſdictio neceſſariò (velut Abbatum,Priorum, Novitiorum Magiſtri,& ſimilium) annexa non eſt.In Diffinitores verò ſive Conſiliarios ſemper dimidia pars ex Laïcis, reliqui ex Sacerdotibus eligantur. Capitula autem, tam Provincialia ( in quibus ad minus viginti Monachi congregari debent,non quidem per antiquitatem, ſed per aliorum ſuffragia eligendi ) quàm Conventualia taliter celebrentur , ut ſemper major pars, vel ſaltem æqualis ſuffragium ferentium , ſit ex Laïcis , & aliter factum nullius ſit momenti. Circa locum autem & alias præcedentias, volumus Sacerdotes omnibus præferri, inter Laïcos verò,& Choriſtas,etiam Diaconos extra Chorum,& alia cultus divini miniſteria , nulla ſit differentia, ſed unuquiſque ſecundùm ſuæ profeſſionis antiquitatem præferatur.

CAP. 10.

*Conſtitutionibus faciendis & approbandis.*

Concedimus etiam prædictis Monachis Reformatis,ut ad præſentium executionem , & declarationem , necnon ad D.Baſilii Regulæ obſervantiam, conſtitutiones cõcernentes,& alias quaſcumque ad commodiorem,& feliciorem ipſorum in virtute & Religione progreſſum , conſtituere, mutare & innovare,ac declarare liberè, & licitè poſſint,dummodo præſentibus,vel reliquo D. Baſilii inſtituto,ſeu Regulæ, ſacro Concilio Tridentino,ſeu Apoſtolicis aliis ſanctionibus contrariæ non ſint , eaſdemque executioni ſtatim mandare,ita tamen,ut illas ſaltem intra quinquennium à Sede Apoſtolica faciant confirmari.

*Regulam S. Baſilii Motu proprio interpretatur, cõſtituit, modificat, & diſpenſat,ut ſuprà.*

§.14.Quas conſtitutiones,Regulas , & ſtatuta ſeu Reformationem,& Regulæ S.Baſilii innovationem , interpretationem,& diſpenſationem,Motu proprio,& ad nullius petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia , & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium confirmamus, ſtatuimus, & ordinamus , ac omnes & ſingulos,tam juris quàm facti defectus , ſi qui deſuper quomodolibet intervenerunt in illis ſupplemus.

*Excommunicationis pœna contra impedientes , retardantes, ſeu diſſuadentes Reformationem.*

§.15.Deſiderantesque illas ſic practicari,recipi, & introduci,omnibus & ſingulis dicti Ordinis Monachis, ſeu aliis quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſeu ſæcularibus,quacumque dignitate fulgentibus , ſub excommunicationis pœna prohibemus , ne illarum introductionem, ſeu dictæ Reformationis augmentationem,& propagationem directè vel indirectè prohibere, retardare , ſeu quocumque modo impedire, vel Monachos, ſeu Monachum aliquem volentem illam acceptare , diſſuadere audeant, vel præſumant.

*Executionem committit Sanctio Epiſcopo Gienē.*

§.16.Quapropter venerabili fratri noſtro Sanctio Epiſcopo Giennen. (eoque deficiente dilecto filio noſtro , & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniæ Nuncio) per præſentes mandamus , quatenus ipſe infra duos menſes à die præſentationis harum litterarum computandos , dictam Reformationem in omnibus dictæ Provinciæ Monaſteriis faciant publicari, atque illos Monachos , qui illam acceptare voluerint,ad illa duo Monaſteria recipi, & reduci: ſi qui autem in illis inveniantur, quibus Reformatio minùs placeat,ad alia non reformata tranſire.

*Capit... Pr vin... à Refor... celebr... Monaſt... del Tar... & offici... eligantur.*

§.17.Deinde Capitulum Provinciale Monachorum Reformatorũ in Monaſterio S. Baſilii Eremi del Tardon celebrari, in quo ipſe per ſe, vel ſi negotiis præpeditus fuerit,per alium probum, & Religioſum virum præſideat, & Viſitatorem Provincialem, Diffinitores, Monaſteriorum Abbates , & reliqui dictæ Congregationis Reformatæ officiales,ex ipſis,& per ipſos Reformatos liberè, & ſine ulla perſonarum reſtrictione eligi faciat, necnon de omnibus aliis ad felicem Reformationis progreſſum tractari.

*Finito p... Capitulo... pirat cu... toris po...*

§.18. Quo primo dictæ Congregationis reformatæ Capitulo finito, omnem ejuſdem Epiſcopi , ſeu Nuncii poteſtatem, juriſdictionem, ſeu ſuperintendentiam circa d. reformatos volumus expirare.

*Abbati G... nerali ſ... cultas ... Reforma...*

§.19. Eoſdemque Abbati dicti Ordinis Generali taliter ſubjacere,ut ipſe per ſe,non verò per alium,niſi fortè ex eadem Congregatione reformata Monachum,poſſit illos tam in capite , quàm in membris viſitare, corrigere , & emendare , non verò in aliquo contra ſupradictam Reformationem, ſeu Conſtitutiones ab ipſis faciendas, & à Sede Apoſtolica approbandas,in communi, vel cum aliquo particulari diſpenſare , vel quidquam aliud mutare, ſeu innovare,neque Monachos Reformatos à ſuis Monaſteriis ad alia quacumque de cauſa transferre,ſeu alios ab ipſis etiam ad breve tempus recipi facere,vel aliud quidquam ordinare , ſeu ſtatuere , in quo ipſos poſſit perturbare,ſeu quomodolibet inquietare.

*Reform... poſſint ha... re ſuum ſ... cialem P... curatorem... Curia.*

§.20.Poteruntque dicti Monachi Reformati Procuratorem ad Romanam Curiam eligere , & ibidem pro dictæ Congregationis negotiis tractandis,quamdiu voluerint, habere.

*Monachi ... lentes re... mari,vel... quantur ... ſuo antiq... vivẽdi mo... cum ſuis d... ſtinctis Su... rioribus Pr... vincialibus ſed prohib... tur augm... tari.*

§. 21. Alios autem in Hiſpaniis exiſtentes Monachos, qui dictam Reformationem acceptare , & ad dicta duo Monaſteria tranſire noluerint,permittimus juxta illorum antiquum vivendi modum in aliis eorum Monaſteriis cum ſuis diſtinctis Superioribus permanere ; quos tamen ulterius creſcere,ſeu aliquos Novitios, aut nova loca recipere prohibemus.Decernentes irritum & inane,ſi ſecus ab ipſis fuerit attentatum.

*Reform... poſſunt No... vitios , & nova loca recipere.*

§.22. Solummodoque dicta duo Monaſteria del Tardon,& Vallis de Galleguillos,cum aliis ab eorum Monachis reformatis denuò juxta præſentem Reformationem fundandis , volumus Novitios recipere , augeri & augmentari.

*Deroga... contrariis.*

§.23. Non obſtantibus quibuſvis juris communis impedimentis,vel inhabilitatibus,necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis , ac Ordinis & Provinciæ prædictorum etiam juramento,confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus , privilegiis quoque , indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini,ejuſque Abbati Generali, necnon dictæ Provinciæ, ejuſque Superioribus , & Monachis , ſub quibuſcumque tenoribus & formis,ac clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis , & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes , hac vice dumtaxat ſpecialiter , & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.24.Volumus autem,ut præſentium tranſumptis,etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur , quæ ipſis præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ.

*D.P. An. 11 die 23. Sep...*

Dat.Tuſculi ſub annulo Piſcatoris,die 23. Septembris 1603.Pontificatus noſtri Anno 12.

---

Diffinitio habitus Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici , & Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini.

De

*De materia Fratrum Prædicatorum notavi ſup. in conſtit. 2. Honorii III. Religio, lib. 1. Et de materia iſtorum Eremitarum notavi ibidem ſup. in conſtitut. 6. Alexand. IV. Licet, lib. 1.*

A.D. 1603.

## *CLEMENS PAPA VIII.*

### *Ad perpetuam rei memoriam.*

EX injuncto nobis Paſtoralis muneris debito, Religioſorum hominum, qui *contemptis illecebris ſæculi*, divinis ſe obſequiis manciparunt quieti, & tranquillitati præcipua quadam, & ſingulari ſollicitudine providere tenemur, ut iis omnibus ſublatis, quæ illorum in via Domini progreſſum retardare poſſunt, majori alacritate divinis laudibus perſolvendis, & Chriſti fidelium ſaluti promovendæ incumbant.

*[Al]exander [IV. de]finivit [contro]verſiã [...]us inter Ordines.* §. 1. Alias ſiquidem cùm inter dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum S. Dominici, & Fratres Ord. Eremitarum S. Auguſtini de habitus albi delatione, quo ita conſimiles viderentur, ut ſi abſque veſte ſuperiori nigra incedant, vix alter ab altero diſcerni queat, controverſiæ non ſine ipſorum Fratrum perturbatione, & laïcorum offenſione ſæpiùs ortæ fuiſſent, nonnullæ Rom. Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, præſertim verò felic. record. Alexandri Papæ Quarti conſtitutiones ſuper ea re prodierunt.

*[...] denuò [...]iſ con[tro]verſia.* §. 2. Et nuper eadem penè controverſia in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum inſurgente, ac Fratribus S. Dominici, de præjudicio ab Ordine S. Auguſtini ipſum habitum, etiam extra Clauſtra deferente, ſibi illato conquerentibus.

*Pont. d. [defi]nitionem [Alex]and. IV. [ap]probaſſe [...]tur, & [...] cum [...] co[...]tre vo-* §. 3. Nos ejuſdem Alexandri, & aliorum Romanorum Pontificum privilegia deſuper conceſſa per litteras noſtras ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 12. Martii 1597. ſervari mandamus, prout in illis continetur. Verùm quia ſecuta ipſarum literarum promulgatione, dilectus filius noſter Antonius tituli Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Presbyter Cardinalis Saulius Protector, & dilectus filius Magiſter Franciſcus Pereira Aſſiſtens pro Ultramontanis Provinciis ejuſdem Ordinis S. Auguſtini, nobis nomine prædicti Ordinis Sancti Auguſtini expoſuerunt, neque per noſtrorum prædictorũ prædeceſſorum conſtitutiones, neque per hujuſmodi noſtras litteras ſuis fratribus interdici amictum proprio inſtituto congruentem, & ab ineunte ferè Ordine geſtari ſolitum, atque etiam ab eo, quo fratres S.Dominici utuntur, ſi uterque Ordo intra ſuos limites conſiſtat, valde diſſimilem, ac exhibitis ſui Ordinis conſtitutionibus & juribus, nuper humiliter ſupplicarunt, ut huic tam diutinæ quæſtioni, & moleſtiæ auctoritate noſtra Apoſt. finem tandem imponere de benignitate Apoſt. dignaremur. Propterea nos juſſimus utriuſque Ordinis privilegia, conſtitutiones, ac ſtatuta per dilectos filios noſtræ Viſitationi, & Reformationi Apoſtolicæ Præfectos diligentiùs examinari, partiumque ipſarum jura, & prætenſiones audiri, ac maturiùs ponderari. Qui Reformatores auditis Magiſtro P. F. Ferdinando de Caſtro Procuratore Provinciæ Portugalliæ Ordinis Prædicatorum, ac ſupradicto Franciſco, viſiſque Conſtitutionibus, aliiſque juribus utrinque deductis, nobis retulerunt, comperiſſe, veſtes albas, tanquam interiores, per amborum Ordinum fratres ex propriis inſtitutis deferri poſſe, neque ullam inde oriri confuſionem, ſi ſuperiorem illam nigram, qua inter ſe optimè diſtinguntur, ſinguli juxta proprias inſtitutiones geſtarent.

*[...]que de[ter]minat, & [...]cidit.* §. 4. Nos controverſiæ hujuſmodi perpetuùm ſilentium imponere, & utriuſque Ordinis prædictorum, ex quibus in Eccleſia Dei uberes in dies fructus prodire ſolent, quieti proſpicere volentes, Motu proprio, non ad dictorum fratrum, aut aliorum inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie ſtatuimus & ordinamus, ut perpetuis futuris temporibus dicti Fratres Prædicatores ſancti Dominici cum cappa nigra, fratres verò Eremitæ S. Auguſtini cum tunica, etiam nigra, ad inſtar propriarum Conſtitutionum, non ſolùm in dictis Regnis, ſed ubique locorum, tam ſi in propriis Conventibus, & Eccleſiis eos actus exerceant, in quibus habitum nigrum Conſtitutiones jubent adhiberi, præcipuè verò in Eccleſia, dum Confeſſiones audiunt, Conciones, ſeu Lectiones ad Populum habent, quàm extra Clauſtra in quibuſcumque actionibus & functionibus, etiam in itinere; & ad Prædia, licet Urbibus, Oppidis, aut Monaſteriis viciniora, animi gratia accedentes, ſemper incedere debeant, & teneantur. Ac propterea in virtute ſanctæ obedientiæ ſub indignationis noſtræ pœna eiſdem utriuſque Ordinis Fratribus diſtrictiùs inhibemus, ne abſque habitu nigro utrique Ordini conſtituto, ac propriæ profeſſionis proteſtativo, etiam dum in Conventibus, & Eccleſiis ſupradictas actiones exercent, neque extra clauſtra, præterquam in Ædibus, & Viridariis Prædiorum ſuorum, ullo unquam tempore, aut quovis prætextu patenter deambulare, & ulterius dictorum Ordinum Superioribus, & fratribus univerſis & ſingulis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda mandamus, ne deinceps in perpetuum ſuper hoc litem, aut moleſtiam aliquam, Superiores nimirum & Fratres Ordinis Prædicatorum Superioribus, & Fratribus Ordinis Eremitarum, nec viciſſim Superiores, & Fratres Ordinis Eremitarum ipſis Superioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum hujuſmodi inferre audeant, ſeu præſumant.

§. 5. Nos enim quamcumque litem ſuper hoc motam ad nos harum ſerie avocamus, illamque penitus extinguimus, ac utrique parti per hanc noſtram Conſtitutionem perpetuum ſilentium imponimus, ac impoſitum eſſe volumus & declaramus. *Omnem litem extinguit.*

§. 6. Ac præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, ex eo quod dicti fratres ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci, ſeu in jus, vel controverſiam revocari. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. *Clauſul. præſervat. apponit.*

§. 7. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac dilecto filio Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes Motu ſimili mandamus, quatènus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum fratrum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra omnia, & ſingula præmiſſa inviolabiliter obſervari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. *Deputatio executorum.*

§. 8. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac utriuſque Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum eiſdem Ordinibus, aut cuicumque illorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Derogatio contrariorum.*

§. 9. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Dat. Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 2. Octobris 1603. Pontificatus noſtri anno duodecimo. *D. P. An. 12. die 2. Octob.*

---

CV.

Tranſlatio oneris Miſſarum ex piorum diſpoſitionibus in Monaſteriis Monialium ſub regimine

Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia exiſtentium, celebrandarum ad loca eorumdem Fratrum.

*Multa de toto Ordine Franciſcano notata ſunt ad conſtit. 5. Honorii III. Solet, ſup. lib. 1.*

*Edita A. D. 1603.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

EX debito Paſtoralis officii, cui diſponente Domino, meritis licet imparibus præſidemus, ad ea libenter intendimus, quæ ad Regularium perſonarum quietem, ac ſpiritualem conſolationem pertinere dignoſcimus.

*Cauſa hujus conſtit.*

§. 1. Sanè, ſicut accepimus, cum in totius Italiæ, cæteriſque Ciſmontanis regionibus, & præſertim in Gallia Ciſalpina, plurima ſanctimonialium Monaſteria ſub cura, regimine, & correctione dilectorum filiorum Fratrum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum reperiantur, quibus quamplurima Miſſarum onera ex diverſis piorum diſpoſitionibus, & legatis incumbunt, quæ cùm per Fratres ejuſdem Ordinis in Eccleſiis Monialium celebrari ſoleant, hinc fit, ut non ſolum Eccleſiæ Fratrum debito ſervitio deſtitutæ ſæpiùs remaneant, ſed fratres ipſi exinde per Civitates cum ſæcularium ſcandalo vagandi, necnon cum eiſdem Sanctimonialibus magis frequenter, & crebriùs quàm deceat, converſandi occaſionem ſumant.

*Tranſlatio oneris Miſſarum è locis Monialium ad loca Fratrum.*

§. 2. Quibus omnibus quantum cum Domino poſſumus occurrere volẽtes, ex venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis Epiſcoporum, & Regularium voto, onera hujuſmodi Miſſarum ab Eccleſiis ſingulis Monialium in Eccleſias fratrum ejuſdem Ordinis, in locis eiſdem reſpectivè exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium transferimus.

*Taxatio eleemoſynæ Fratribus dãda.*

§. 3. Volumus tamen, ut remaneant ipſis Monaſteriis Monialium omnes annuæ perpetuæ, ſeu temporales præſtationes, legata, redditus ac bona quæcumque, pro dictis oneribus data, ſeu relicta, aut in poſterum relinquenda, ita ut Moniales non teneantur ullo unquam tempore ſolvere fratribus, nec ipſi fratres recipere poſſint pro celebratione Miſſarum, niſi id quod dari ſolet pro regionis, & cujuſque loci more & conſuetudine, pro eleemoſyna unius, vel plurium reſpectivè Miſſarum.

*Et Miſſarum quæ pro ſervitio Monialium remanere debent.*

§. 4. Volumuſque etiam, ut pro Monialium ſervitio in Monaſteriis, in quibus numerum octuaginta excedunt, Miſſæ duæ in diebus feriatis, tres verò in diebus Dominicis & feſtivis, & in Monaſteriis, in quibus minor quinquaginta Monialium numerus exiſtat, Miſſa una in diebus feriatis, duæ verò Dominicis & feſtivis, per fratres ejuſdem Ordinis celebrari debeant, reliquas verò Miſſas ex diſpoſitionibus & legatis, prædictis Monialibus quomodolibet incumbentes, in Eccleſiis fratrum in futurum perpetuis futuris temporibus, aſſignata, & tradita, ut ſupra, ipſis fratribus debita eleemoſyna, per eoſdem celebrari volumus, non obſtantibus teſtatorum legantium, aut aliàs diſponentium voluntatibus, quas ad hunc effectum ſpecialiter commutamus.

*Prohibitio quod fratres pro celebrandis dd. Miſſis de licentia Superiorum ad Monaſteria Monialium, & non alia de cauſa accedant.*

§. 5. Præcipientes nihilominus eiſdem fratribus, ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis pœna, ne ad Monaſteria Monialium, præterquam ad celebrandas Miſſas prædictas, de Superiorum licentia, & in diebus feſtivitatum Monaſteriorum hujuſmodi, vel tempore receptionis, & profeſſionis Novitiarum, ſive obitus alicujus Monialis pro funere, & officio, ut moris eſt, peragendo, ullo modo, & ſub quovis prætextu vel colore accedere audeant, ſive præſumant. Prohibenteſque Miniſtro Generali, & aliis eorum Superioribus, ne hujuſmodi licentias concedere poſſint, niſi ad effectum prædictum, & in ceteris firmo remanente Decreto Congregationis S. R. E. Cardinalium ſuper negotiis Regularium præpoſitæ, quo prohibetur ne regulares accedant ad Monaſteria Monialium ſine ſpeciali licentia ejuſdem Congregationis, & eiſdem etiam Superioribus mandantes, ne ad Miſſas celebrandas, & alia prædicta adimplenda, niſi fratres provectæ ætatis, & probatæ vitæ mittant.

*Moniales pro d. tranſlatio- … ne … ſtum.*

§. 6. Decernentes, Monaſteria Monialium prædicta occaſione tranſlationis hujuſmodi Miſſarum per locorum Ordinarios, aut alios quoſcumque moleſtari, vel perturbari nullatenus poſſe.

*Clau… Præſer… va.*

§. 7. Præſenteſque literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tẽpore ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu quovis alio defectu notari poſſe, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Depu… execu…*

§. 8. Quocirca dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac locorum Ordinariis per præſentes diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut ipſi vel alter eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum fratrum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eoſdem fratres præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derog… contrari…*

§. 9. Non obſtantibus conſtitutionibus, & determinationibus Apoſtolicis, & quorumvis Monaſteriorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Monaſteriis, & illorum Ordinibus, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A… die 8. No…*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Novembris 1603. Pontificatus noſtri anno 12.

---

## De forma obſervanda à Fratribus Minoribus Ordinis S. Franciſci, ſtrictioris Obſervantiæ, ſuper receptione Novitiorum. CVI.

*Ad hoc videnda eſt etiam conſtitut. 71. Sixti V. Cum de, ſup. lib. 2. Et cetera de his Fratribus dixi ſup. in conſtitut. 35. Clementis VII. In ſuprema, lib. 1.*

*Edita A… 1603. Forma reci… piendi Novi… tios.*

SAnctiſſimus D. N. D. Clemens Papa Octavus ſupplicationi Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci inclinatus, bonum propoſitum cujuſque ad ipſam Reformatorum Religionem tranſire, in eaque Altiſſimo famulari cupientis, fovere volens, Cuſtodi ejuſdem Ordinis cum unanimi duorum Guardianorum, & dictorum Diſcretorum cujuſcumque cuſtodiæ voto, plenam poteſtatem facit recipiendi, & admittendi ad habitum ſui inſtituti Novitios quovis tempore, etiam extra Capitulum. Non obſtantibus decretis generalibus Sanctitatis Suæ eo de genere editis, & aliis conſtitut. & ordinat. Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Eorumque examinis.*

§. 1. Ita tamen ut prius examinentur diligenter per ipſos Cuſtodem, Guardianos, & Diſcretos recipiendorum, & admittendorum qualitates, juxta Ordinis Regulam, decreta, & conſtitutiones Apoſtolicas.

*Ac relationis deſuper facienda à Cuſtodibus.*

§. 2. Et Cuſtos ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ teneatur in proximo tunc futuro Capitulo Cuſtodiali, vel ejus loco, Congregatione etiam Cuſtodiali, ſingulis annis habenda, referre quot acceperit Novitios, ac illorum qualitates, & in quibus Monaſteriis recepti commorentur, approbationem, & confirmationem receptionis, & admiſſionis ante profeſſionis emiſſionem obtinere, aliàs ſupradicta omnia ex nunc prout ex tunc irrita eſſe voluit, & hujus decreti auctoritate declaravit.

*D. P. An. 11. die 23. Nov*

Datum Romæ die Dominico 23. Novemb. 1603.

Declaratio,

## II. Declaratio, quod Monachi Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis, S. Bernardi Ciſtercienſis Ordinis, ad aliam Religionem tranſeuntes, ad eandem nequaquam, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia recipiantur.

*Inſtitutionem hujus Congregationis vide ſup. in conſtitut. 52. Sixti V. Religioſos, lib. 2. ubi alia indicavi.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

PRo noſtro Paſtorali munere ad ea libenter intendimus, per quæ Religioſorum quieti opportunè conſulitur.

§. 1. Sanè cum ſicut accepimus, nonnulli ex Monachis olim in Congregatione Fulienſi Ordinis ſancti Bernardi profeſſi, qui ex illa ad alias Religiones, etiam de Superiorum licentia tranſierunt, iterum in eandem Congregationem Fulienſem reverti procurent, qui ſi iterum reciperentur, ex eo quod extra illam diverſa Regularia inſtituta, & diverſam vivendi formam ſervarunt, ſeu etiam ex eo quod licentiùs quàm Religioſos dictæ Congregationis decet, vitam duxerunt, ipſius Congregationis quietem facilè, ſicuti in aliis expertum eſt, perturbare poſſent.

§. 2. Nos huic malo quantum cum Domino poſſumus occurrrere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia ac mera deliberatione, harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus, eos Religioſos in dicta Congregatione hactenus, aut in poſterum profeſſos, qui ex quacumque cauſa, etiam de Superiorum licentia, ex eadem Congregatione ad aliam quācumque Religionem hactenus tranſiverunt, vel in poſterum tranſiverint, in eandem Congregationem per quoſcumque illius Superiores, aut etiam per Capitulum generale iterum recipi, & admitti nullatenus poſſe, niſi expreſſam noſtram, & Apoſtolicæ Sedis, ſpecialemque facultatem ad eorum Matrem redeundi habuerint, irritumque decernimus & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Generalis, & ſigillo ejuſdem Congregationis, aut alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur.

P.A. 13. 17. Mart. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Martii 1604. Pontificatus noſtri anno 13.

## VIII. Miſſalis Romani à Pio V. editi iterata reſtitutio, & approbatio.

*Hæc Pii V. conſtit. eſt 106. Quo primùm, ſup. lib. 2.*

### CLEMENS PAPA VIII.
A.D. 1604. *Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quo nos Chriſtus Dominus Sacri ſui Corporis participes efficit, atque apud nos uſque ad conſummationem ſæculi permanere decrevit, maximum ſit omnium Sacramentorum, illudque in Sacra Miſſa conficiatur, ac pro peccatis totius Populi Deo Patri offeratur, ſanè omninò conveniens eſt, ut qui omnes unum ſumus in uno corpore, quod eſt Eccleſia, & de uno Corpore Chriſti participamus, una & eadem celebrandi ratione, uniuſque officii & ritus obſervatione in hoc ineffabili, & tremendo ſacrificio utamur.

§. 1. Quod cum Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ſemper optarint, atque in hoc diu multumque deſudarint, tum in primis felic. record. Pius Papa V. Miſſale Romanum ex decreto ſacri Concilii Tridentini, ad veterem & emendatiorem normam reſtituit, Romæque imprimi curavit.

*Sacrum Miſſale reformavit, ut ſup. in ejus bullâ cit. in rubr.*

§. 2. Qui etſi multis propoſitis pœnis ſeveriſſimè caverit, ne quid illi vel adderetur, vel ulla ratione demeretur, tamen progreſſu temporis, ſive Typographorum, ſive aliorum temeritas, & audacia effecit, ut multi in ea quæ his proximis annis excuſa ſunt Miſſalia, errores irrepſerint, quibus vetuſtiſſima illa ſacrorum Bibliorum verſio, quæ etiam ante S. Hieronymi tempora celebris habita eſt in Eccleſia, & ex qua omnes ferè Miſſarum introïtus, & quæ dicuntur gradualia, & offertoria accepta ſunt, omninò ſublata eſt, Epiſtolarum & Evangeliorum textus, qui hucuſque in Miſſæ ſolemniis perfectus eſt, multis in locis perturbatus, ipſis Evangeliis diverſa, & prorſus inſolita præfixa initia, plurima denique paſſim pro arbitrio immutata ſint, cujus rei prætextus fuiſſe videtur, ut omnia ad præſcriptum ſacrorum Bibliorum vulgatæ editionis revocarentur, quaſi id alicui propria auctoritate atque Apoſtolica Sede inconſulta, facere licitum ſit.

*Sed variis de cauſis perperam in multis immutatum fuit.*

§. 3. Quod nos animadvertentes, pro noſtra paſtorali ſollicitudine, qua omnibus in rebus, & præcipuè in ſacris Eccleſiæ ritibus optimam, eamque veterem normam ſtudemus tueri & cōſervare, primùm prædicta Miſſalia impreſſa ſic depravata prohiberi, & abrogari, eorumque uſum in celebratione Miſſarum interdici juſſimus, niſi ad præſcriptum exemplaris ſub ipſo Pio V. editi integrè in omnibus emendarentur, deinde mandavimus nonnullis venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, in ſacris litteris verſatis, & Eccleſiaſticæ antiquitatis peritis, ut curam Miſſale ad priſtinam, & quammaximè emendatam formam reſtituendi ſuſciperent, qui pro ſua erga nos fide, & in Romanam Eccleſiam pietate & ſtudio, adhibitis etiam aliis rerum Eccleſiaſticarum peritis, & eruditis viris, & veteribus Miſſalibus, aliiſque præterea libris, qui ad eam rem opportuni videbantur, accuratè perquiſitis, & diligenter inſpectis, Miſſale Romanum ſuæ integritati reſtituere, ac ipſius Pii V. & eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem & diligentiam confirmare & comprobare curarunt. Verùm in eo munere peragendo factum eſt, ut nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione in meliorem formam redacta, & in regulis & rubricis aliqua uberiùs & clariùs expreſſa ſint, quæ tamen ex illorum principiis & fundamentis quaſi deducta, illorum ſenſum imitari potius & ſupplere, quàm aliquid novi afferre videantur.

*Illud itaque Pontif. iſte ſuæ integritati reſtituit, & iteratò ſuppleri & emendari curavit.*

§. 4. Miſſale itaque quod idem Pius V. ediderat, ſic recognitum in noſtra Typographia Vaticana, quamemendatiſſimè imprimi, & ad communem utilitatem publicari juſſimus.

*Obſervarique præcipit.*

§. 5. Ut autem illius uſus in omnibus Chriſtiani Orbis partibus perpetuis futuris temporibus conſervetur, ipſum Miſſale in Alma Urbe noſtra in eadem Typographia tantum, & non alibi, imprimi poſſe decernimus. Extra Urbem verò juxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, & non aliter, hac lege imprimi poſſe permittimus, ut nimirum Typographis quibuſcumque illud imprimere volentibus id facere liceat, requiſita tamen prius, & in ſcriptis obtenta dilectorum filiorum Inquiſitorum hæreticæ pravitatis, in iis locis, in quibus fuerint, ubi verò non fuerint, Ordinariorum locorum licentia. Alioquin ſi abſque hujuſmodi licentia dictum Miſſale quacunque forma de cætero ipſi imprimere, aut Bibliopolæ vendere præſumpſerint, Typographi & Bibliopolæ extra Statum noſtrum Eccleſiaſticū exiſtentes, excommunicationis latæ ſententiæ, à qua niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, in Alma verò Urbe, ac reliquo Statu Eccleſiaſtico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amiſſionis librorum & typorum omnium Cameræ prædictæ applicandorum pœnas, abſque alia declaratione irremiſſibiliter incurrant eo ipſo.

*Imprimique ſine licentia Inquiſitorum, vel Ordinariorum interdicit.*

§. 6. Et nihilominus eorundem Miſſalium per eos de cætero abſque hujuſmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum uſum ubique locorum & gentium, ſub eiſdem pœnis perpetuò interdicimus & prohibemus.

*Aliorū uſum prohibet.*

§. 7. Ipſi

*Licentiarum prædictarum formam præſcribit.*

§.7. Ipſi autem Inquiſitores, ſeu Ordinarii locorum, antequam hujuſmodi licentiam concedant, Miſſalia ab ipſis Typographis imprimenda, & poſtquam impreſſa fuerint, cum hoc Miſſali auctoritate noſtra recognito & nunc impreſſo, diligentiſſimè conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, nec in præmiſſis prætextu incuriæ Typographorum, aut non factæ per correctores vel alios ab ipſis forſan deputandos diligentiæ, ſe aliquo modo excuſare, quodque in infraſcriptas pœnas non incurrerint allegare valeant, & in ipſa licentia originali de collatione facta, & quod omninò concordent, manu propria atteſtentur, cujus licentiæ copia initio vel in calce cujuſque Miſſalis ſemper imprimatur. Quod ſi ſecus fecerint, Inquiſitores videlicet, privationis ſuorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, Antiſtites autem & Ordinarii locorum, ſuſpenſionis à divinis, ac interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, eorum verò Vicarii, privationis ſimiliter officiorum & beneficiorum ſuorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac præterea excommunicationis, abſque alia declaratione, ut præfertur, pœnas incurrant eo ipſo.

*Permiſſio Miſſalium jam impreſſorum, &c.*

§.8. Ceterùm pauperum Eccleſiarum, Clericorum & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Typographorum & Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apoſtolica rationem habentes, eiſdem Miſſalia hactenus impreſſa penes ſe habentibus (iis dumtaxat exceptis, quæ auctoritate noſtra, ut ſupradictum eſt, interdicta & abrogata fuerunt) ut ea retinere, & illis uti, eaque vendere reſpectivè poſſint, ſimiliter permittimus & indulgemus.

*Derogatio contrariorū.*

§.9. Non obſtan. licentiis, indultis, & privilegiis quibuſcumque Typographis hactenus per nos, ſeu Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Miſſale prædictum Pii V. imprimendi conceſſis, quæ per præſentes expreſsè revocamus & revocata eſſe volumus, necnon conſtit. & ordinat. Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus in contrarium præmiſſorum quomodocumque conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.10. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 13. die 7. Iulii.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Julii 1604. Pontificatus noſtri anno 13.

---

## CIX. Fratribus Ordinis Cruciferorum ambitus dignitatum & officiorum ejus interdicitur.

*De his Fratribus notavi ſup. in conſtit. 2. Vrbani III. Cùm Anteceſſor, lib. 1.*

*Edita A. D. 1604.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

QUoniam nemo debet ſibi aſſumere honorem niſi vocatus à Deo tanquam Aaron, & à regularis vitæ inſtituto valde alienum eſt, ut religioſi viri, quos honorum & dignitatum gradus ſanctitate vitæ, ac aliis religioſis virtutibus potiùs promereri, quàm appetere, eoſque gradus cum ad eos aſſumuntur, obedienter ſuſcipere, ſuſceptoſque humiliter adminiſtrare decet, mendicatis ſæcularium præſertim perſonarum ſtudiis, ad eos ſibi aditum patefacere contendant, unde magna in Eccleſia Dei pernicies adferri ſolet. Nos qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimùm laborare non deſiſtimus, ut Eccleſiaſtica, regulariſque diſciplina priſtino candori reſtituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum cenſuimus.

*Cauſa hujus prohibitionis.*

§.1. Cum itaque, ſicut accepimus, quidam in Ordine Congregationis Cruciferorum, profeſſionis, & regulæ quam profeſſi ſunt, penitus immemores, nimiaque dignitatum, & officiorum Eccleſiaſticorum in dicta Congregatione conſequendorum ambitione ducti, pro iis conſequendis, Eccleſiaſticorum, & ſecularium principum ſtudia requirant, & à S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis commendatitias litteras, alioſque favores, & gratias propterea expetant, quibus adjuti, quos ipſi ex ſe promeruiſſe minimè confidunt, gradus, & dignitates in eadem Congregatione conſequi valeant, ſicque ejuſdem Congregationis quietem, non ſine animarum ſuarum periculo perturbant.

*Pœn… ita … non … quir…*

§. 2. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Congregatione, cujus proſperum regimen & incrementum ad Eccleſiæ ſanctæ utilitatem ſinceris exoptamus affectibus, pro noſtra paſtorali ſollicitudine propellere ſummoperè cupientes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eos omnes, & ſingulos fratres dicti Ordinis, & Congregationis, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis & Congregationis aſſequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tam ſecularium, quam Eccleſiaſticarum, de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque ſæculari dignitate & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint.

*Pœna … qui ſ… bus u… etiam … requiſi…*

§.3. Vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis directè, vel indirectè, palam vel occultè, ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpiraverint, vel minùs legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint, aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis uſi fuerint, illorumque complices, & fautores, ad quaſcumque prælaturas, dignitates, & officia, graduſque, honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privamus, ac privatos voce tam activa, quàm paſſiva carere decernimus, & declaramus.

*Pœna … qui prof… ribus ali… ad dig… tes, & … admitt…*

§.4. Atque iis virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omnibus dicti Ordinis, & Congregationis Fratribus, Superioribuſque, & Prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Priori Generali, præſentibus, & futuris præcipimus, diſtrictèque mandamus, ne quempiam ullo tempore, precibus, litteris vel favoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, ſeu requiſitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſæcularium quàm Eccleſiaſticorum, extra dictum gremium exiſtentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cujuſvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant, vel præſumant.

*Electi… favoribu… invalidæ.*

§.5. Decernentes electiones, & promotiones ad Monaſteria, ſeu Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Congregationis contra præſentium diſpoſitionem, quodabſit, quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus, invalidaſque fore & eſſe, nulliſque viribus ſubſiſtere. Ac omnes, & ſingulos in præmiſſis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias, & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere, & ad illos ſententias, & pœnas præmiſſas damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omninò convincendum, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces & favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam, & ſufficientem in judicio, & extrà fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

*Clauſ. ſu… lata, &c.*

§. 6. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. Non

§. 7. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, & Congregationis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Fratribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 8. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes d. Ordinis & Congregationis Fratres faciliùs deveniat, volumus illas in Generali Capitulo dictæ Congregationis publicè legi, illaſque in dicto Capitulo lectas ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, etiam impreſſis, manu ſcribæ Capituli, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prioris Generalis ipſius Congregationis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimatertia Julii 1604. Pontificatus noſtri anno decimotertio.

---

CX. Quod Fratres Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo, non ad Tribunalia ſæcularia, ſed ad Priorem generalem, vel Protectorem Ordinis, aut ad ſummum Pontificem recurrere poſſint.

*Multa de hoc Ordine notavi ſuprà in conſtit. 8. Honorii III. Ut vivendi, lib. 1. ibi videas.*

A. D. 1604.

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

QUoniam Noſtro Paſtorali potiſſimùm incumbit Officio, ut ea quæ per regulares perſonas contra eorum regularia inſtituta temerè attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compeſcamus, & amoveamus.

§. 1. Proinde quia nuper dilecto filio Magiſtro Henrico Silvio Priore Generali Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo, non ſine animi noſtri moleſtia referente, accepimus quod nonnullæ dicti Ordinis, etiam utriuſque ſexus regulares perſonæ, Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores, ut in eorum malefactis & inobedientia ſe diutiùs confoveant, ab iis quæ per Prælatos ejuſdem Ordinis, & Priores Provinciales, & alios Superiores ab ipſo Priore Generali pro tempore deputatos acta ſunt & decreta, ad Tribunalia ſæcularia appellare, & ad ea temerè confugere conſueverunt, in non modicam juriſdictionis ipſorum Superiorum læſionem, & regularis inſtituti alterationem, ac ſcandalum plurimorum.

§. 2. Nos præmiſſis obviare volentes, univerſis, & ſingulis dicti Ordinis utriuſque ſexus regularibus perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus, eiſque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua nonniſi à nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ, quàm paſſivæ, eo ipſo abſque alia declaratione incurren. pœnis, diſtrictiùs inhibemus, ne ad ipſa Tribunalia ſæcularia quovis prætextu, aut quæſito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præſumant. Sed ſi ſe à Prælatis gravari prætendant, ad Priorem Generalem ipſius Ordinis, ſeu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ſupremum in Eccleſia Dei Judicem, ſicut antiquitus ſemper facere conſueverunt, recurſum habeant, unde illis brevi manu juſtitia miniſtrabitur.

§. 3. Volentes, & ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis regulares perſonæ contrafacientes, verùm etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores & conſultores, eaſdem pœnas eo ipſo omninò incurrant. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Contravenientium pœna.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. *Derogatio contrariorum.*

§. 5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Septembris 1604. Pontificatus noſtri Anno 13. *D. P. An. 13. die 20. Sept.*

---

Ne quis in Italia habitum externum, ſimilem ei quem geſtant Fratres Reformati, ſeu Diſcalceati Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, deferat. Et nemo ex ipſis ad alium Ordinem quàm Carthuſianorum tranſeat. CXI.

*De toto Ordine Eremitarum notavi ſuprà in conſtit. 6. Alexandri IV. Licet, lib. 1. Et de novitiis Reformatis recipiendis, vide ſup. in conſtit. 64. Decet.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1604.*

PAſtoralis officii ratio poſtulat, ut religioſorum, maximè ſtrictioris obſervantiæ quieti, profectui, bonoque nomini indefeſsè conſulamus. *Exordium.*

§. 1. Cum igitur, ſicut accepimus, habitu quo dilecti filii Religioſi Congregationis S. Auguſtini Reformatorum, ſeu Diſcalceatorum nuncupati utuntur, plures extra eam induti, confuſionem, & alicui etiam ſcandalum, in præjudicium prædictæ Congregationis generent. *Cauſa hujus prohibitionis.*

§. 2. Nos ut hæc & alia inconvenientia omninò evitentur, opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine diſtrictè præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda pœna, ne quis in Italia habitum externum, tam in materia, quàm in forma ſimilem (ita ut ex prædictis diſcalceatis exiſtimari poſſit) geſtare præſumat, niſi prædictæ Congregationis membrum actualiter exiſtat, aut à Congregatione Galliæ, aut Hiſpaniæ pro negotiis gerendis huc adveniat. *Prohibitio de qua in rubrica.*

§. 3. Quod ſi qui ſcienter vel ignoranter ſecus fecerit, illum à quolibet prædictæ Congregationis Religioſo habitu, & ſandaliis privari poſſe decernimus, ac illos Congregationis prædictæ uſui ex nunc appropriamus. *Pœna contravenientibus dictæ prohibitioni.*

§. 4. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Religioſorum *Executoriæ bullæ deputatio.*

rum dictæ Congregationis, aut cujuſlibet eorum fuerit requiſitus, præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque ſolemniter publicans, ac prædictis Religioſis dictæ Congregationis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra illas in ejus quiſque Civitate, & Diœceſi inviolatè obſervari. Contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Prohibitio tranſeundi ad alium Ordinem quàm Carthuſianorũ.*

§. 5. Præterea ſub eiſdem cenſuris, & pœnis præcipimus, quod nullus prædictæ Congregationis profeſſus in aliqua alia Provincia, aut Congregatione Ordinis S. Auguſtini, aut cujuſvis alterius religionis, præterquam Carthuſianorum, abſque noſtra, & Sedis Apoſtolicæ, aut Superintendentis licentia recipiatur, & ſi receptus fuerit, ſtatim prædictæ Congregationi reſtituatur.

*Derogatio contrariorũ.*

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 7. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. An. 13. die 29. Sept.*

Dat. Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 25. Septembris 1604. Pontificatus noſtri Anno 13.

---

## Approbatio Statutorum editorum ab Ordine Fratrum B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, ad reformationem ipſius Ordinis.

*Hujus Ordinis inſtitutionem habes ſup. in conſtit. 9. Greg. IX. Devotionis, lib. 1. ubi plenè notavi.*

*Edita A. D. 1604.*

### *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DEcet Romanum Pontificem ea quæ pro Religioſorum quorumlibet ſtatu proſperè dirigendo providè ſtatuta, & ordinata ſunt, ut inviolatè obſerventur, Apoſtolicæ firmitatis robore communire, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire.

*Provinciarũ partitio, & novarũ erectio facta fuit in Capitulo generali.*

§. 1. Expoſitum ſiquidem nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Bernardi de Vargas Procuratoris Generalis Ordinis Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, nomine etiam dilecti Filii Alphonſi de Monroy Magiſtri Generalis dicti Ordinis, & infraſcriptarum Provinciarum, quod in Capitulo Provinciali dicti Ordinis in Oppido del Olivar Cæſaraguſt. Diœceſis die 10. Junii anni 1603. celebrato vigore noſtrarum litterarum in forma Brevis, ſub datum die 4. Martii ejuſdem anni expeditarum, Provincia Aragoniæ dicti Ordinis de conſenſu vocalium in tres partes diviſa fuit. Ex quatuor verò Regnis Hiſpaniæ, videlicet Aragoniæ, Valentiæ, Navarræ, ac Principatus Cathaloniæ, duæ Provinciæ factæ fuerunt, altera Provincia Valentiæ, cui ſubjecta fuerunt Monaſteria ejuſdem Regni, necnon Monaſteria Tortoſæ, Tarraconæ, Tervel, Sarion, Majoricæ, & Oram, cùm ſuis attinentiis, & juriſdictionibus, altera Provincia Aragoniæ, cui ſubjacerent Monaſteria ejuſdem Regni, & Navarræ, & Principatus Cathaloniæ.

*Statutaque ibidem firmata pro illarum ſalubri directione, & gubernio.*

§. 2. Et ulterius pro ſalubri ejuſdem Ordinis, & dictarum Provinciarum, ac etiam Provinciæ Italiæ, cujus tertia Provincia fieri debebat (quod quamprimùm executioni demandabitur), directione ac proſpero regimine nonnulla ſtatuta, Conſtitutiones, & ordinationes per Religioſos dicti Ordinis perpetuò obſervan. condita, & conditæ fuerunt tenoris ſequentis, videlicet.

*Quod in Miſſis oratio pro Papa & Sede Apoſt. & in orationibus particularibus commemoratio pro eodem fiat.*

§. 3. Primò fuit præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ, quod ultra communia, & particularia ſuffragia, & orationes præceptas à Conſtitutionibus Ordinis, deinceps pro felici ſtatu Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ cantetur, ſeu dicatur oratio pro Papa in Miſſis, tam cantatis, quàm planis pro felici ſtatu Sanctitatis Suæ, ac pro conſervatione & augmento ſuæ ſanctæ Sedis, quoties non contrariabitur Rubricis Miſſalis Romani, & in orationibus particularibus, & ſecretis omnes Religioſi eandem faciant commemorationem.

§. 4. Quod Commendatores, tam in celebratione Miſſarum, quàm in recitatione divini officii in Choro maximam adhibeant diligentiam, & punctualitatem, ut omnes legitimo impedimento non impediti aſſiſtant, & quod nunquam omittatur oratio mentalis, & quod in omnibus Monaſteriis (ſi commodè fieri poteſt,) Miſſa quotidie cantetur.

*Chor… aſſiſt… ment… legiti… impe… Orati… ment… omitt…*

§. 5. Fuit præceptum, quod maxima adhibeatur diligentia, ut adimpleantur legata pia benefactorum, & ſuffragia pro Defunctis.

§. 6. Ac etiam quod decedente aliquo Religioſo, teneantur omnes Religioſi Sacerdotes ſuæ Provinciæ, ſequenti die, poſtquam habuerint notitiam obitus illius, celebrare unam Miſſam planam pro illius anima, & Monaſteria ſingula ſingulas cantent Miſſas, niſi ratione diei debeat transferri, dummodò non omittatur.

*Lege… & ſt… impl… Fratr… guli p… decedent… Fratr… Provin… celebr… Miſſas, Monaſt… illas ca…*

§. 7. Fuit præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis majoris, quod nullus Religioſus poſſit uti aliquo privilegio à quovis dicti Ordinis Superiore ſibi conceſſo, nec in futurum concedi à quoquam poſſit contra dicti Ordinis Conſtitutiones: quod ſi concedatur, ex nunc nullius roboris eſſe cenſeatur, ac eo utentes eiſdem pœnis ſubjiciantur.

*Privileg… contra … ſtitution… Ordinis conced… & conc… nulla ſi… Licentia… eundi i… Civitat… & extra… naſterii… quando … quomodo … danda.*

§. 8. Fuit præceptum Commendatoribus, quod non poſſent ſuis ſubditis dare licentiam exeundi extra Civitatem ultra quatuor dies, & non niſi ex rationabili, & honeſta cauſa, & quàm rarius poſſit; & quando ex aliqua neceſſitate, & urgenti cauſa concedenda eſſet licentia alicui, nonniſi à Provinciali concedatur, cujus conſcientia fuit onerata, ne ſine juſta, & honeſta cauſa hujuſmodi licentias impartiatur, ſed ſi caſus advenerit ita præciſus, ut non poſſit de facili haberi recurſus ad Provincialem, & in mora eſſet periculum, tunc Commendator Monaſterii de conſilio Conſiliariorum licentiam concedere poſſit, tranſmittendo Provinciali ſtatim copiam informationis, & cauſæ propter quam fuit motus cum ipſorum Conſiliariorum conſilio ad eam concedendam. Circa verò licentias exeundi à Monaſterio ad Civitatem, fuit onerata conſcientia Prælatorum, ne de facili illas concedant, ſed ſolùm ex neceſſitate.

*Pernoctar… domibus … cularium … quando … mittendi…*

§. 9. Quod nullus Prælatus ſub pœna ſuſpenſionis ſui officii per duos menſes permittat, ut aliquis Fratrum, tam Conventualium, quàm non Conventualium, extra Monaſterium poſſit in domibus ſæcularium pernoctare, etiam quod ejus eſſent conſanguinei, aut parentes, niſi de licentia ſpeciali Generalis Magiſtri, aut ſaltem Provincialis, excepto caſu, in quo ad infirmos in extremis laborantes vocarentur, & tunc nonniſi aſſociati remanere ibi poſſint.

*Novitii … recipiantur ad habit… qualitat… requiſita… habeã. S… exeant N… vitiatu … alteri … viendo.*

§. 10. Quod Prælati ſub pœna ſuſpenſionis ſuorum officiorum per ſex menſes, non poſſint nec valeant recipere aliquem ad habitum Religionis, niſi habeat requiſitas à Conſtitutionibus qualitates & conditiones: ac ſub eiſdem pœnis fuit præceptum, ne Commendatores, vel Novitiorum Magiſtri permittant, quod aliquis Novitiorum exeat Novitiatum ad inſerviendum Commendatori, vel alicui Fratri quacumque dignitate, aut officio inſignito.

*Et durant… anno prob… tionis, n… ſcientiis … edifcena… eſſentiali… & cerem… nialibus Or… dinis incum… bant. Dormitori… ſeparatum habeant.*

§. 11. Quod Novitii durante anno probationis, non poſſint ad ſcientias incumbere, ſed ſolùm ediſcere res eſſentiales, ac ceremonias Ordinis.

§. 12. Quod Novitii habeant ſeparatum Dormitorium ab illo Profeſſorum, ubi ſingulos habeant lectos.

*Fratres n… exponantur ad Ordines ſi non ſint idonei.*

§. 13. Quod Commendatores non poſſent exponere aliquem Fratrem ad ordines ſuſcipiendos, niſi prius ſibi conſtiterit per diligens examen, quod ſit habilis & idoneus, quoad mores, vitam & ſufficientiam: quod examen Commendator cum voto Fratrum Conventualium facere debeat, ac tranſmittere Provinciali, qui conſiderare debeat attentè, an omnes qualitates requiſitæ concurrant, & tunc, & non aliter, licentiam concedere poſſit.

*Malè promoti ad triremes condemnandi ſunt.*

§. 14. Si autem aliquis, quod Deus avertat, ſine legitima Prælatorum licentia ordines ſuſcipere fuerit auſus, ultra pœnas canonum, ſi talis Frater clericus fuerit, ad triremes per triennium condemnetur, ſi verò converſus, per ſexennium, hanc autem pœnam Generalis Magiſter, Provinciales, vel eorum Viceſgerentes executioni non demandantes, ſint ſuſpenſi à divinis in utroque foro.

§. 15. Quod

§. 15. Quod nullus prælatus poſſit abeſſe à ſua commenda per aliquod ſpatium notabile temporis, niſi ex ſpeciali licentia Provincialis, cujus conſcientia fuit onerata, ne de facili hujuſmodi licentias concedat, niſi ex cauſa urgenti & neceſſitate; & tunc non excedat terminum duorum menſium, quapropter fuit declaratum, quod ſi Commendator ultra 60. dies abfuerit à ſua commenda, quamvis pro ſervitio Provinciæ, aut ſui Conventus, ipſo jure ejus commenda vacet abſque alia declaratione, & tunc Provincialis in ea novum commendatorem præficiat, niſi ad Generalem Magiſtrum, juxta Conſtitutiones Ordinis hujuſmodi proviſio ſpectaret.

§. 16. Quod nemo ad præſentaturam exponi poſſet, qui non legerit ultra tres annos Logicæ ac Philoſophiæ, duos alios annos Theologiæ ſcholaſticæ, aſſiſtendo conferentiis, & aliis actibus, ſicut de Magiſtris dicetur, & qui ſaltem 33. ætatis ſuæ annum compleverit, quod docere debeat per fidem Baptiſmi.

§. 17. Quod nullus poſſit in Magiſtrum aſſumi, qui non legerit quotidie unam lectionem Theologiæ ſcholaſticæ per ſpatium ſex annorum, poſtquam fuerit confirmatus in præſentatura, & quod de ſero ſemper adfuerit conferentiis, aut præſidendo, aut replicando, & unoquoque anno præſederit alicui actui publico, ſeu publicis diſputationibus, ita & taliter, quod ſi fuerint tres Lectores, primus in principio anni, ſecundus in medio, & tertius in fine præſideat: poſſint tamen dicti Lectores, ſi prædictorum aliquid omiſerunt, ſine licentia Commendatoris (cujus conſcientia oneratur ne abſque cauſa cum eis diſpenſet) ſupplere in primo, vel ſequentibus annis, nec propterea adſcribatur in numero Magiſtrorum niſi 40. ætatis ſuæ annum compleverit, quod per fidem Baptiſmi docere debeat, fuit declaratum ſupradictas qualitates in Magiſtris, & Præſentatis requiſitas, ſolùm extendi ad eos qui poſt confirmationem harum Conſtitutionum legere incipient.

§. 18. Quod Provinciales ante celebrationem Capituli Provincialis per duos menſes non poſſint Commendatores, nec alios vocales in dicto Capitulo Provinciali vocem habentes privare, ſed ſolùm de eorum delictis inquirere, & facere informationem in ſcriptis, ad hoc ut in dicto Capitulo examinentur, & rei caſtigentur.

§. 19. Quod eleemoſyna, & bona pro Redemptione captivorum à fidelibus largita & largien. non poſſint ad alios uſus applicari, quàm ad redimendos captivos, neque ex pecuniis hujuſmodi poſſit emi equus, aut mulus, niſi pro quærentibus, & procuran. dictam eleemoſynam, quæ animalia ad uſum Conventus deſervire non debeant niſi Conventus tertiã partem pretii illorum exburſaverit.

§. 20. Quod fratres non poſſint geſtare ullo unquam tempore profana veſtimenta, & contra dicti Ordinis Conſtitutiones, ſub pœna recluſionis duorum menſium pro una vice, & pro ſecunda & tertia ſex menſium, quorum duo ſint gravioris culpæ: quam pœnam Provinciales in ſuis Provinciis, & Commendatores in ſuis commendis executioni demandabunt ſine remiſſione.

§. 21. Fuit præceptum ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, & privationis activæ & paſſivæ vocis per ſex annos, ac ſuſpenſionis exercitii Sanctorum Sacramentorum, quod totum in foro exteriori obliget & liget, quod nullus Superior Monaſterii poſſit alienare, aut expendere legitimas, aut hæreditates Monaſteriorum ſine expreſſa licentia in ſcriptis Magiſtri Generalis, nec ſufficiat Provincialis: quod ſi ſecus factum fuerit, Superior Conventus delinquens ipſo facto ſit privatus, & ſubditi illius poſſint ab eo auferre obedientiam, & illam dare Vicario, vel antiquiori Monaſterii. Ac ſub eiſdem pœnis fuit præceptum, ne novi cenſus ſine licentia Generalis Magiſtri ſuper bonis Monaſterii fundarentur.

§. 22. Quod nullus Commendator ſub pœna obedientiæ, & privationis Officii, ac vocis activæ & paſſivæ per tres annos poſſit ullo prætextu ſolus expendere, vel etiã recipere aliquid ad Monaſteriũ pertinens ſine præſentia, vel ſcientia Depoſitariorũ: quod ſi Depoſitarii abeſſent, tunc teneatur vocare aliquem ex ſenioribus, & ſub eiſdem pœnis fuit præceptum, ne Commendator per ſeipſum ſolum faciat computum, nec etiam Procuratore aſſociatus, ſed hoc computum fiat publicè ad ſonum campanæ, ita ut poſſint omnes quotquot voluerint adeſſe, ſed neceſſariò aſſiſtere debeant Commendator, Depoſitarii, Sacriſta, Procurator, & Expenditor, vel eorum major pars, qui ſub pœna excommunicationis majoris non permittere debent quod expenſæ confusè adnotentur, ſed diſtinctè ſcribantur, tam res emptæ quàm receptæ, exprimẽdo nomina perſonarum, à quibus ſupradictæ res emptæ, vel receptæ fuerunt, & ſub eiſdem pœnis præcipitur Depoſitariis, ne in libris computorum apponant, vel apponi permittant, ſeu ſcribi aliquid quod realiter, & verè coram ipſis non fuerit enumeratum, & conſignatum, & in capſa depoſiti repoſitum, & fuit onerata conſcientia Cõmendatoris, quod conetur quotidie facere computum horis, & tempore magis opportunis & commodis.

§. 23. Inſuper fuit præceptum ſub pœna excõmmunicationis majoris latæ ſententiæ, & privationis Officii, quod nullo modo pòſſint Commendatores pecunias pro Miſſis celebrandis largitas è capſa communi depoſiti extrahere, niſi prius ſibi conſtiterit ſatisfactum fuiſſe obligationi, & Miſſas fuiſſe celebratas, nec poſſint dictæ Miſſarum eleemoſynæ de uno Conventu ad alium transferri ſine licentia expreſſa in ſcriptis Provincialis ad minus. *Eleemoſynæ Miſſarũ non expendãtur antequam illæ celebratæ ſint. Et ad alium Conventum non transferãtur abſque licentia Provincialis.*

§. 24. Quod Provinciali non detur, ultra quatuor julios, ſeu regales quotidie pro ſuis, ac ſocii expenſis, commorando, vel viſitando aliquod Monaſterium. *Expenſa pro viſitationibus qua Provinciali, & ſocio ſubminiſtranda.*

§. 25. Fuit præceptum quod nullus frater poſſit diſcedendo ab aliquo Monaſterio ſecum deferre, niſi ſolùm libros, quos habebit, imagines, & habitus ad ipſius uſum, reliqua verò, videlicet ſedilia, lectum, ſcabella & alia hujuſmodi relinquere debet ad uſum Conventus, à quo diſceſſerit: ſi autem ad idem Monaſterium redire contigerit, poterit tunc Commendator eidem fratri magis ſupradicta quàm alteri ad uſum conſignare. *Fr. diſcedens à Monaſterio libros tantum deferre poſſit.*

§. 26. Fuit præceptum ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, quod nullus Commendator poſſit recipere pecunias, quas Religioſi ſui Monaſterii in communi capſa depoſiti habent, nec ab eis mutuò petere. *Commendatores nõ poſſint etiã mutuò recipere depoſita Fratrum.*

§. 27. Fuit præceptum juxta Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ Octavi, ſub dat. Rom. die 19. Januarii 1601. ne bona unius Provinciæ poſſint ad aliam transferri, ſub pœnis etiam in dicto Brevi contentis. *Bona unius Provinciæ ad aliam nõ trãsferantur.*

§. 28. Et quod bona ob mortem alicujus fratris pertineant ad Monaſterium, cujus erat filius, & non ad Conventum, in quo emiſerat profeſſionem, ubicumque deceſſerit, & propterea profeſſio ubicumque emittatur, intelligatur emiſſa ad favorem Monaſterii cujus erat filius. *Bona Fratrum pertineãt ad Monaſteriũ cujus ſunt filii.*

§. 29. Fuit præceptum omnibus fratribus, quod 4. & 6. Feriis Quadrageſimæ de ſero, debeant convenire in Choro, & ibi communem facere diſciplinam. *Diſciplina cõmunis fratrum 4. & 6. feria.*

§. 30. Fuit præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ Provincialibus, & aliis Superioribus, ad quos de jure ſpectat, quod nullo modo poſſint tranſacto triennio, Commendatorem iterum de alia commenda providere in ſequenti triennio, niſi Monaſterium cujus erat Commendator, reliquerit honeſtè reparatum, & notabiliter melioratum, ac proviſum de neceſſariis ſecundùm vires Monaſterii uſque ad proximam futuram meſſem. *Commendatores negligentes non iterum eligantur.*

§. 31. Fuit ſtatutum, quod Redemptores Provinciarum Aragoniæ, & Valentiæ, dum ad redimendos captivos proficiſcuntur, ſimul eant, nec aliqua inter eos ſit ſuperioritas, ſed unuſquiſque ſuum librum deferat, ubi adnotabit omnia ad redemptionis munus pertinentia, ſicut redemptores Provinciarum Caſtellæ & Bæticæ faciunt. *Inter Redemptores Aragonia, & Valentia nulla ſit prioritas.*

§. 32. Fuit ſtatutum, quod in Monaſterio Barchinonenſi, quod caput totius Ordinis eſt, nõn eligeretur in Priorem, niſi Religioſus magiſterii dignitate, vel ad minus præſentatura inſignitus, electio autem aliter facta ex nunc nullius valoris declaratur. *Prior Barchinona quis eligendus.*

§. 33. Fuit ſtatutum, quod in Provincia Aragoniæ circa electionem Provincialis ſervaretur alternativa, ita & taliter, quod una vice Provincialis ſit ex Cathalonia, & alia vice ex Regno Aragoniæ, & Navarræ, dummodo reperiretur perſona habilis, & requiſita habens ad officium Provincialis exercendum. *In Provincia Aragonia alternativa in eligendo Provinciali ſervetur.*

§. 34. Cauſa, & occaſione ſupradictæ diviſionis & erectionis harum novarum Provinciarum, neceſſe fuit aliquos Magiſtros, & Præſentatos de novo creare, ut in electione Provincialium adeſſet ſufficiens numerus vocalium *Magiſtri & Præſentati de novo creati sũt pro ſufficienti numero vocalium ad eligend. Provinciales.*

lium, ſupplendo in eis aliquas requiſitas qualitates, & pro Provincia Aragoniæ fuerunt creati ſequentes.

*Magiſter & Præſentati Aragoniæ hi ſunt.*

§.35. Pro Provincia Aragoniæ, fuit in Magiſtrum electus Frater Joannes de Caſanova, ad præſentaturam Frater Laurentius Altava, F. Joannes Navarro, Fr. Leonard. Spino, ~~Fr. Michaël Ortiz~~ de Sada, Fr. Hieron. de Rojas, Fr. Joannes Deſaviraque, Fr. Marcus Ruiz, Fr. Didacus de Pamplona, Fr. Martinus de Spinal, Fr. Dominicus de Suaviaga, Fr. Joannes Pardo de la Caſta, Fr. Thomas Vaſquez, Fr. Paulus Ferriol, Fr. Matthæus Llaneras: poſt hos præſentatos fuit nominatus in præſentatum de unanimi conſenſu, Fr. Stephanus Rodriguez tanquam idoneus.

*Præſentati pro Valentiæ Provincia hi ſunt.*

§.36. Pro Valentiæ Provincia fuerunt nominati in Præſentatos, Fr. Michaël Selma, Fr. Hieron. Campos, Fr. Jacobus Torner, Fr. Nicolaus Sancho, Fr. Gaſpar Fito, Fr. Joannes Ribera, Fr. Andreas Valleſter, Fr. Antonius Vidal, Fr. Auguſtinus Spinoſa.

*Prior Ordinis prædictorum confirmationem petit à Papa.*

§.37. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus Bernardus Procurator cupiat pro majori ſtatutorum, & ordinationum hujuſmodi ſubſiſtentia, illis Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robur accedere, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui ex voto Congregationis Regularium ea confirmat.*

§.38. Nos igitur dicto Ordini pro noſtra paſtorali ſolicitudine, quantũ cum Domino poſſumus, proſpicere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Card. ſuper conſultationibus, & negotiis Epiſcop. & Regul. deputatorum, quibus ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi videnda, & examinanda, ac nobis referenda commiſimus, prædicta ſtatuta, Cõſtitutiones & ordinationes, ut præfertur, inſerta, & inſertas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus, ac in prædictis Provinciis, & Ordine, à Superioribus, & Fratribus univerſis ejuſdem Ordinis, prout quempiam eorum concernunt, perpetuò inviolabiliter obſervari debere ſtatuimus, & ordinamus.

*Obſervantia illorum præcipitur.*

§.39. Mandantes propterea eiſdem Alphonſo Magiſtro, & Bernardo Procuratori generalibus, ac Definitoribus Superioribus, & Fratribus univerſis dicti Ordinis, nunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ut præinſerta ſtatuta, ordinationes, & Conſtitutiones hujuſmodi perpetuò obſervent, ac obſervari curent, & faciant.

*Clauſ. præſ. apponuntur.*

§.40. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut quovis modo infringi, annullari vel retractari ullatenus poſſe, ſicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Conſervatores & Executores deputantur.*

§.41. Quocirca dilectis filiis Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Cæſarauguſtan. & Valentin. officialibus per præſentes committimus, & mandamus, ut præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, per ſe, vel alium ſolemniter publicari, & præinſerta ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi in prædicto ordine perpetuò inviolatè obſervari faciant. Contradictores quoſcumque, ac præmiſſis non parentes, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

*Clauſ. derog. ſubjiciuntur.*

§.42. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Provinciarum, & Ordinis hujuſmodi, etiã juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Provinciis, & Ordini, ac ſuperioribus, & Fratribus quibuſcumque in contrariũ præmiſſorũ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus & ſingulis, etſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Octobris 1604. Pont. noſtri anno 13.

*D.P. die 25*

---

## Prohibitio appellandi per Religioſos Ordinis Eremitarum S. Auguſt. à Prælatis ejuſdem Ordinis ad Tribunalia ſæcularia. Permiſſioque habendi recurſum ad Generalem, Protectorem, ſeu Viceprotectorem, aut ad Romanum Pontificem. CX

*Plura de iſto Ordine viderì poſſunt ſuprà apud Alexandrum IV. conſtitut. 6. Licèt, lib. 1.*

### *CLEMENS PAPA VIII.* *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edit. 1604.*

*Exord.*

QUoniam Noſtro Paſtorali potiſſimùm incumbit Officio, ut ea quæ per regulares perſonas contra eorum regularia inſtituta temerè attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compeſcamus, & amoveamus.

*Cauſ. prohib.*

§.1. Proinde quia nuper dilecto filio Magiſtro Hyppolito Ravennati, Priore Generali Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, non ſine animi noſtri moleſtia referente accepimus, quod nonnullæ dicti Ordinis, etiam utriuſque ſexus regulares perſonæ, Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores, ut in eorum malefactis, & inobedientia ſe diutiùs confoveant, ab iis quæ per Prælatos ejuſdem Ordinis & Priores Provinciales, & alios Superiores ab ipſo Priore Generali pro tempore deputatos, acta ſunt & decreta, ad Tribunalia ſæcularia appellare, & ad ea temerè confugere conſueverunt, in non modicam juriſdictionis ipſorum Superiorum læſionem, & regularis inſtituti alterationem, ac ſcandalum plurimorum.

*Prohib. quæ in*

§.2. Nos præmiſſis obviare volentes, univerſis, & ſingulis dicti Ordinis utriuſque ſexus regularibus perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus, & mandamus, eiſque ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua non niſi à nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis officia, ac vocis, tam activæ quàm paſſivæ, eo ipſo abſque alia declaratione incurren. pœnis diſtrictiùs inhibemus, ne ad ipſa Tribunalia ſæcularia quovis prætextu, aut quæſito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præſumant.

*Permiſ. curſus Generalem & Protectorem Ordinis vel Papam*

§.3. Sed ſi à Prælatis gravari prætendant, ad Priorem Generalem ipſius Ordinis, ſeu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, ſive Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, ſupremum in Eccleſia Dei Judicem, ſicut antiquitus ſemper facere conſueverunt, recurſum habeant, unde illis brevi manu juſtitia miniſtrabitur.

*Pœna contravenientium & eorum fautorum*

§.4. Volentes & ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis regulares perſonæ contrafacientes, verùm etiam eorum quomodolibet directè vel indirectè fautores & conſultores, eaſdem pœnas eo ipſo omninò incurrant. Decernentes irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. der.*

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet.

dolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

...A. 13. ...Nov. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Novembris milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri anno tertiodecimo.

## XIV. De ambitu Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini interdicto.

*Multa de toto hoc Ordine notavi ad conſt. 6. Alexand. IV. Licet, lib. 1. Et ſimilem de ambitu probibitionem edixit Paul. V. infrà in ſua conſtit. 48. Admonemur.*

...A. D. ...04.

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

...ium. QUoniam nemo debet ſibi aſſumere honorē, niſi vocatus à Deo tanquā Aaron, & à Regularis vitæ inſtituto valde alienum eſt, ut Religioſi Viri, quos honorum & dignitatum gradus ſanctitate vitæ, ac aliis religioſis virtutibus potius promereri, quàm appetere, eoſque gradus cum ad eos aſſumuntur, obedienter ſuſcipere, ſuſceptoſque humiliter adminiſtrare decet, mendicatis ſæcularium præſertim perſonarum ſtudiis, ad eos ſibi aditum patefacere contendant, unde magna in Eccleſia Dei pernicies adferri ſolet. Nos, qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimùm laborare non deſiſtimus, ut Eccleſiaſtica, regulariſque diſciplina priſtino candori reſtituatur, huic malo opportunū remedium adhibendum cenſuimus.

...a hujus ...i. §. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, quidam in Ordine Eremitarum S. Auguſtini, profeſſionis, & regulæ quam profeſſi ſunt, penitus immemores, nimiaque dignitatū, & officiorum Eccleſiaſticorū in dicta Religione conſequendorum ambitione ducti, pro iis conſequendis Eccleſiaſticorum Principum ſtudia requirant, & à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, aliiſque Prælatis commendatitias literas, alioſque favores, [illegible]ratias propterea expetant, quibus adjuti, quos ipſi ex ſe promeruiſſe minime confidunt, gradus, & dignitates in eadem Religione conſequi valeant. Sicque ejuſdem Religionis quietem non ſine animarum ſuarum periculo perturbant.

...hibitio ...endi ...atet ...nis. §. 2. Nos malum hoc ab eodem Ordine & Religione, cujus proſperum regimen, & incrementum ad Eccleſiæ ſanctæ utilitatem ſinceris exoptamus affectibus, pro noſtra Paſtorali ſolicitudine propellere ſummoperè cupientes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eos omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis & Religionis, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cetero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis & Religionis aſſequenda intenti, ad Principum & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tam Eccleſiaſticarum, quàm ſæcularium, de gremio dictæ Religionis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque ſæculari dignitate & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis directè, vel indirectè, palā vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpiraverint, vel aliis minùs legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint, aut etiam ſponte oblatis, & minimè conquiſitis uſi fuerint, illorumque complices, & fautores, ad quaſcumque Prælaturas, dignitates, & officia, graduſque, honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Religione obtinenda, perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privamus, ac privatos voce tam activa quàm paſſiva carere decernimus, & declaramus.

§. 3. Atque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omnibus dicti



Ordinis & Religionis Fratribus, Superioribuſque & Prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Priori generali, præſentibus & futuris præcipimus; diſtrictèque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, vel favoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, ſeu requiſitionem vel contemplationem Principum vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum extra dictum gremium exiſtentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cujuſvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prædictæ Religionis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant vel præſumant.

§. 4. Decernentes, electiones, & promotiones ad Monaſteria, ſeu Prioratus, vel officia dicti Ordinis & Religionis, contra præſentium diſpoſitionem, quod abſit, quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus, invalidaſque fore, & eſſe, nulliſque juribus ſubſiſtere. *Annullatio hujuſmodi electionum.*

§. 5. Ac omnes & ſingulos in præmiſſis delinquentes nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere, & ad illos ſententias & pœnas præmiſſas damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, & omninò convincendum, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces, & favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam, & ſufficientem, in judicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. *Indicia ad hoc probandum ſufficiant.*

§. 6. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſ. ſublata, &c.*

§. 7. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, & Religionis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Fratribus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. *Clauſ. derog.*

§. 8. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum Fratres faciliùs deveniat, volumus illas etiam in Capitulis Provincialibus, ſeu Congregationibus, & poſtea in Capitulo generali publicè legi, illaſque in dictis Capitulis Provincialibus, ſeu Congregationibus, & Capitulo generali lectas ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent.

§. 9. Illarumque exemplis etiam impreſſis, manu Scribæ dicti Capituli vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prioris generalis ipſius Religionis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur. *Tranſumptorum fides.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die prima Decembris milleſimo ſexcenteſimo quarto, Pontificatus noſtri anno 13. *Dat. P. A. 13. die 1. Dec.*

## CXV. Præſcriptio formæ, qua Ordines regulares, & Confraternitates ſæculares, de cetero uti debent in erigendis, & aggregandis Congregationibus, & Confraternitatibus, & communicatione ſuarum indulgentiarum & indultorum, eleemoſynarumque collectione, & Confeſſorum electione.

*Quibus autem indulgentiis ipſi Ordines Regulares potiantur, declaravit Paulus infrà conſtitut. 21. Romanus. Quibus verò fruantur Confraternitates ſæculares, videre eſt in adnotationibus quas poſui ad earum ſingulas, à me in hoc opere collatas, ubi indicavi plurimas Pauli Quinti conſtitutiones deſuper nunc firmatas.*

*Edita A. D. 1604.*

## *CLEMENS PAPA VIII.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

QUæcumque à Sede Apoſtolica ad promovendam Chriſti fidelium ſalutem aliquando conceſſa ſunt, etſi maturo conſilio, magnaque prudentia, & cautione ſancita, & decreta ſint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum ſalute ſollicitus, progreſſu temporis animadvertit ſenſim aliquos abuſus in eiſdem ſtatutis & decretis obſervandis provenire, debet pro ſui paſtoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino poteſt, adhibito ſalutari remedio providere.

*Pōtifices plurimi diverſis Regularibus Ordinibus, ſæcularibuſque Congregationibus conceſſerunt privilegium erigendi vel aggregandi Congregationes, & Confraternitates cum facultate indulgentias, & indulta eis cōmunicandi, nulla præſcripta forma, qua hæc fieri deberent: ideoque prava inde conſuetudines irrepſerunt.*

§. 1. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & forſan etiam à Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & inſtitutis, ac etiam Chriſti fidelium ſæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diverſarum Nationum, nominum, & inſtitutorum, tam in Alma Urbe noſtra, quàm in aliis Civitatibus, & locis Chriſtiani Orbis inſtitutis, facultas erigendi, & inſtituendi in eorum & aliis Eccleſiis, & Collegiis, necnon etiam aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Urbe, & in aliis locis exiſtentes, eiſque privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ſibi conceſſa reſpectivè communicandi, attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præſcripta ſit, quæ in hujuſmodi erectionibus, inſtitutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis ſervari debeat, propterea ſive negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & inſtitutorum, vel officialium Archiconfraternitatum, & Congregationum erigentium, inſtituentium, aggregantium & communicantium, quæ Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non ſervant formam in hujuſmodi erectionibus, inſtitutionibus, aggregationibus, & communicationibus ſervari debitam, neque præſcribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta conſequi debeant, ſeu ipſarum Confraternitatum & Congregationum incuriâ, quæ non inquirunt ea, quæ præſtare oportet, ut illa conſequantur, nonnullæ pravæ conſuetudines irrepſerunt, multaque incommoda inde provenerunt.

*Hic ergo Pont. decernit quod officiales Ordinum Regularium, unam tantummodò Congregationem ſingulis in locis inſtituere valeāt de conſenſu Ordinarii loci.*

§. 2. Quibus Nos pro commiſſo Nobis Apoſtolicæ ſollicitudinis officio, paternaque erga omnes Chriſti fideles charitate proſpicere volentes, hac noſtra conſtitutione perpetuò valitura decernimus atque ſtatuimus, ut in poſterum tam hujus Almæ Urbis noſtræ, quàm aliarum Civitatum, & locorum totius Chriſtiani Orbis Regularium Ordinum, Religionum, & inſtitutorum, quibus in eorum & quibuſcumque aliis Eccleſiis & Collegiis Confraternitates ſæculariũ erigendi, & inſtituendi facultas cõceſſa eſt, necnon etiã Archiconfraternitatum, & Congregationum cujuſvis Nationis, nominis, & inſtituti illæ ſint, & in quibuſcũque Eccleſiis, Domibus, & Oratoriis, tam ſæculariũ, quàm ut præfertur quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & inſtitutorum regularium, quavis tam Ordinaria, quàm Apoſtolica auctoritate erectæ ac inſtitutæ exiſtant, ſeu aliàs quovis modo introductæ reperiantur, quibus aliàs Confraternitates, & Congregationes inſtituendi, erigendi, ac ſibi aggregandi, illiſque privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi, & communicandi poteſtas à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, vel à Nobis & Apoſtolica Sede attributa fuit, Magiſtri, Priores, Præpoſiti, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Cuſtodes, Guardiani, Præfecti, Adminiſtratores, & alii Officiales, ſeu Superiores quovis modo nuncupati. Regularium ſiquidem Ordinum, Religionum, & inſtitutorum, unam tantùm Confraternitatem, & Congregationem, de conſenſu tamen Ordinarii loci, & cum literis ejus teſtimonialibus, quibus Confraternitatis & Congregationis erigendæ & inſtituendæ pietas, & Chriſtianæ charitatis officia quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum & quibuſcumque aliis Eccleſiis & Collegiis erigere & inſtituere.

*Sæcul... autem ... chiconf... nitatu... Congre... nes, ... unam ... fratern... ſingul... locis ... valea... gregar...*

§. 3. Ceterarum verò Archiconfraternitatum & Congregationum, in ſingulis Civitatibus, Oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem & Congregationem dumtaxat, quæ Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate priùs erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, inſtituto, Archiconfraternitati, & Congregationi ejuſdem, vel alterius Nationis, nominis, & inſtituti aggregata ſit, prævio ſimiliter loci Ordinarii conſenſu, & cum ejus literis teſtimonialibus, quibus ejuſdem Confraternitatis & Congregationis aggregandæ inſtitutum, pietas & Chriſtianæ charitatis officia, quæ exercere conſuevit, apud eos commendentur, ſibi adjungere & aggregare poſſint.

*Com... cateſqu... poſſint ... gentia... gratia... mina... conceſſ... non ali...*

§. 4. Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, inſtituendæ, ſeu aggregandæ, ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta, quæ ipſi Ordini, Religioni, inſtituto erigenti, inſtituenti, ac communicanti, ſeu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in ſpecie; non autem quæ per extenſionem, vel communicationem ſibi quovis modo conceſſa ſunt, & illa quidem non ſub generali forma verborum, vel ad inſtar, ſed expreſsè, & in ſpecie communicare valeant.

*Statuta ... tem Or... vel Co... gation... ſtituen... vel ag... tium, ... impart... poſſint, ... ab Or... rio app... ta ſint.*

§. 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & inſtitutorum erigentium, & inſtituentium, ac communicantium, ſeu Archiconfraternitatũ & Cõgregationum aggregantium edita, Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri non poſſint, niſi ea prius ab Epiſcopo diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejuſdem Epiſcopi decretis ac moderationi, & correctioni in omnibus ſemper ſubjecta remaneant.

*Formu... que ſup... ſtitutio... & agg... tionibu... indulg. ... municat... nibus, ... libus a... Pont. ſ... ſervari ... bet.*

§. 6. Inſuper volumus, & ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, inſti[illegible] erigentia, inſtituentia, ac communicantia, necnon Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes certam erigendi, inſtituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis noviſſimè approbatam diligenter obſervent, ſecundùm quam privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ipſis Ordinibus, Religionibus, inſtitutis, erigentibus, inſtituentibus, & communicantibus, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus, nominatim & expreſsè, non autem per communicationem, neque ad inſtar, ut ſuprà conceſſa, ipſis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, inſtituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare poſſint.

*Religi... aggrega... ctis ind... & gra... commu... tis uti p... pravia O... narii r... gnitione...*

§. 7. Quibus Confraternitates & Congregationes ejuſdem dumtaxat Nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, & inſtituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm in poſterum aggregandæ utantur, potiantur, & gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, inſtitutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ ſunt, Miniſtri & officiales, & alii ſupradicti privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias & indulta hujuſmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejuſdem Eccleſiæ Capitulo, illa juxta Sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

*Eleemoſ... Officiale... Ordinum ... Confrate... tatum ... piant, ... modum ... Ordinari... præſcribe... dum, ea... in pios u... &c. exi... ... .*

§. 8. Quibus etiam Miniſtris, Officialibus, & aliis prædictis eleemoſynas, & alia oblata Chriſtianæ charitatis ſubſidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci præſcribendam, remotis tamen menſis, plebibus, & capſis, quæ in Eccleſiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi conſueverunt, excipiendi poteſtas detur. Atque hoc ipſum Ordines, Religiones, inſtituta erigentia, inſtituentia, ac communicantia, ſeu Archiconfraternitates, & Con-

gregationes

gregationes aggregatas tam Almæ Urbis noſtræ, quàm aliarum Civitatum, & locorum quorumcumque, juxta modum à Vicario Urbis, & ab Ordinariis locorum reſpectivè præſcribendum, obſervare teneantur. Eleemoſynas autem ſic collectas, in reparationem, & ornatum Eccleſiarum, tam Ordinum, Religionum, inſtitutorum, erigentium, inſtituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quàm Confraternitatum & Congregationum erigendarum, inſtituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios uſus, arbitrio ejuſdem Vicarii noſtri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum reſpectivè, fideliter exponere atque erogare procurent, ut omnes intelligant cœleſtis Eccleſiæ theſauros, non quæſtus, aut alicujus lucri cauſa, ſed pietatis & charitatis excitandæ gratia ex Apoſtolicæ Sedis benignitate Chriſti fidelibus aperiri.

§.9. Præterea volumus, ut Confeſſarii, qui vigore privilegiorum ipſis Ordinibus, Religionibus, inſtitutis, erigentibus, inſtituentibus, & communicantibus, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus conceſſorum, ac Confraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi poſſunt, & poterunt, ſæculares ſcilicet in Alma Urbe à prædicto noſtro Vicario, extra Urbem verò à locorum Ordinariis, Regulares autem non ſolum à prædicto Vicario noſtro, & à locorum Ordinariis reſpectivè, ſed etiam à ſuis Superioribus approbati ſint, utque Confratres confitentes à criminibus, caſibus, & cenſuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen ſint in uſu, & ſacris Concilii Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris conſtitutionibus non adverſentur, nec revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa ſint) formam & tenorem dumtaxat abſolvere valeant. Decernimus inſuper, ut iidem Confeſſarii prædictos confratres, cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ, etiamſi ſpeciali nota dignæ fuerint, à caſibus contentis in literis quæ die Cœnæ Domini legi conſueverunt, necnon violationis, immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, & clauſuræ Monaſteriorum Monialium, ſi videlicet ſine neceſſaria, & urgenti cauſa, ac ſine Superiorum licentia, vel etiam ſi cauſa, & licentia conceſſa abutentes, prædicta Monaſteria ingreſſi fuerint, necnon violentæ manus injectionis in Clericum, & ſingularis certaminis, ſeu duelli, ac ab aliis etiam caſibus, tam à Nobis quàm à prædicto noſtro in Urbe Vicario, & locorũ Ordinariis reſpectivè reſervatis, & pro tempore reſervandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata abſolvere, & ſuper irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quàm occaſione delicti contractis, cum aliquo diſpenſare, prætextu dictorum privilegiorum nullo modo poſſint.

§.10. Demùm ſtatuimus, & pariter ordinamus, ut Confratres & Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut præfertur, erectæ, & inſtitutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ ſunt, ac cuicũque ex dictis Ordinibus, Religionibus, inſtitutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus ubilibet exiſtentibus hactenus aggregatæ, ab eiſdem reſpectivè Ordinibus, Religionibus, inſtitutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus novas erectionum, inſtitutionum, communicationum, & aggregationum literas, juxta formam à Nobis noviſſimè approbatam, infra annum, ſi in Europa ſint, & ſi extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præſentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapſo, erectiones, inſtitutiones, & quæcumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque ſpiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipſis conceſſæ, nullius ſint roboris, & momenti, ac revocatæ, & abolitæ cenſeantur eo ipſo.

§.11. Erectionum autem, inſtitutionum, communicationum, & aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum literæ, ab ipſis Ordinibus, Religionibus, inſtitutis, ſeu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus gratis omninò, ac nulla prorſus mercede, etiam à ſponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant.

*Officiales contravenientes pœnam privationis officiorum incurrant, & verum conceſſiones nullæ ſint.*

§.12. Quod ſi Miniſtri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, inſtitutorum, ſeu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum hujuſmodi, quavis auctoritate, vel privilegio & officio fungantur, & præfulgeant, contra præmiſſa in aliquo venire vel facere præſumpſerint, erectiones, inſtitutiones, & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, ſpiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorumque præmiſſorum conceſſiones, necnon aggregationes per ipſos faciendæ, ſeu renovandæ, nullius ſint roboris & momenti, & quilibet eorumdem Miniſtrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum privationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda pœnam, quæ ab alio quàm à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente remitti non poſſit, incurrat eo ipſo.

*Decretum irritans, & Clauſula ſublata.*

§.13. Decernentes præſentes literas perpetuò validas & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere, ſicque noſtræ mentis & intentionis exiſtere, & ita, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.*

§.14. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcumque Ordinum, Religionum, & inſtitutorum, ſeu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum ſæcularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare magnum, ac Bulla aurea nuncupatis, Regularibus Ordinibus, Religionibus, inſtitutis, ſeu Archiconfraternitatibus, Congregationibus, & Confraternitatibus ſæculariũ, eorumque Superioribus, & aliis quibuſvis perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ exiſtentibus, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum, etiam pluries conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi ad verbum exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Forma publicandi hanc conſtitut. in Urbe, & tempus quo ligare incipit.*

§.15. Ut autem præſentes literæ ad omnium quos concernunt, notitiam faciliùs deveniant, volumus illas ad valvas Baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ more ſolito publicari, & affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla etiam impreſſa ibi affixa relinqui, factaque publicatione hujuſmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, inſtituta, & Archiconfraternitates, Congregationes & Confraternitates ſæcularium, quæ in Urbe quidem poſt menſem, quæ verò in Europa, poſt decem menſes, quæ demùm extra Europam fuerint, poſt octodecim menſes à die publicationis hujuſmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac ſi earum cuilibet nominatim inſinuatæ fuiſſent.

*Notificatio facienda per Ordinarios.*

§.16. Et nihilominus, ut ipſæ præſentes literæ notiores fiant, magiſque omnibus innoteſcant, univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per eaſdem præſentes committimus & mandamus, ut per ſe vel alium, ſeu alios haſce noſtras literas, poſtquàm earum

exemplum receperint, ſeu earum notitiam habuerint, ſemel aut pluries, prout eis magis expedire viſum fuerit, in ſuis Cathedralibus, & majoribus reſpectivè Eccleſiis, Civitatum, Oppidorum, & locorum quorumcumque eorum diœceſum, dum in eas major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & publicari auctoritate noſtra mandent ac faciant.

*Fide tranſumptis adhibenda.*

§. 17. Ceterùm quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, & ſimili auctoritate decernimus, ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides habeatur, quæ ipſiſmet literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 13. die 7. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Decembris 1604. Pontific. noſtri Anno 13.

*Publicatio in Vrbe.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1604. indict. 2. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Clementis divina Providentia Papa Octavi Anno decimo tertio, die verò 24. menſis Decemb. retroſcripta litera Apoſtol. affixa & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, necnon in acie campi Floræ, ut moris eſt, per nos Ioan. Baptiſtam Menochium, & Dominicum de Rubeis Apoſtolicos Curſores.*

*Pro Magiſtro Curſorum Gaſpar de Bonis pedibus.*

---

## CXVI. Confirmatio erectionis Eccleſiæ Bononienſis in Archiepiſcopatum, & reſtitutio nonnullarum Eccleſiarum Archiepiſcopatui Ravennatenſi.

*Hanc erectionem fecit Gregor. XIII. ut in ejus conſtitut. 80. Vniverſi, lib. 2.*

*Edita A. D. 1604.*

### CLEMENS PAPA VIII.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

ROmanus Pontifex Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor, in ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſupra univerſas Orbis Eccleſias, & Provincias, ut juxta verbum propheticum noxia evellat, & deſtruat, ac utilia & ſalubria ædificet, & plantet, divina diſpoſitione conſtitutus, tanquam de ſummo vertice Montis in omnes agri Dominici partes, præſertim ſibi nedum ſpirituali, ſed etiam temporali juriſdictione ſubjectas, more vigilis Paſtoris attentæ conſiderationis dirigens intuitum, pro exactiore ejuſdem agri cultura, & uberiori fruge novas ſedes, & Eccleſias, tam Epiſcopales quàm Archiepiſcopales in locis cõgruis plãtare, & plãtatas ſpiritualibus irrigationibus, & adjumentis cõfovere, ac iis quæ Metropolicæ dignitatis, & juriſdictionis inſignibus ſunt decoratæ, proprias, & diſtinctas Provincias, necnon cõpetentem ſuffraganeorum numerũ, ad viſitationis, correctionis, & juſtitiæ miniſterium fructuoſiùs exercendum, aſſignare, litibuſque & controverſiis de medio ſublatis, pacem & concordiam inter ipſarum Eccleſiarũ Præſules & alios Chriſti fideles omni qua poteſt induſtria conciliare ſatagit, ac aliàs in his ſuæ ſolicitudinis, & providentiæ ſtudium, etiam prædeceſſorum ſuorum geſta nunc confirmando, & innovando, nunc aliqua ex eis alterando, & in meliùs commutando interponit, prout Eccleſiarum, Provinciarum, & locorum hujuſmodi qualitatibus, & circumſtantiis debitè penſatis, illorũ felici ſtatui, & directioni, ac etiam publicæ commoditati, & ſaluti conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Gregor. XIII. Eccleſiã Bononienſem in Metropolim erexit, ut in eius conſtit. indicata in rubr.*

§. 1. Hinc eſt, quod nos ad ejuſdem Apoſtolicæ dignitatis apicem, & poteſtatis plenitudinem divinæ diſpoſitionis operante clementia, meritis licet imparibus aſſumpti, providè conſiderantes, ac memoria & animo revolventes, quod aliàs felicis recordationis Gregorius Papa Decimus tertius prædeceſſor noſter, multis magniſque Eccleſiæ Bononien. erga Sedem Apoſtolicam meritis adductus, &c.

*Sed Gregorio defuncto varia deſuper lites orta sũt, quas hic Põt. nunc extinguit.*

Omittitur narrativa hujus bullæ, ſiquidem eam habemus in loco citato in rub.

§. 2. Poſt obitum autem ejuſdem prædeceſſoris bon. mem. Chriſtophorus olim Archiepiſcopus, & dilecti filii Clerus ac cõmunitas & homines Ravennaten. ſumpta occaſione, quod tempore dat. dictarum literarum, & antea, ipſa Eccleſia Bononiẽſis Eccleſiæ Ravẽnatenſi, illiuſque Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti, Metropolitico jure, non autem dictæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta exiſteret, & ſub diverſis aliis prætextibus ad piæ memoriæ Sixtum Papam Quintum, etiam prædeceſſorem noſtrum recurſum habuerint, dictaſque literas tanquam ſubreptitias, ac præter mentem, & intentionẽ dicti Gregorii prædeceſſoris, nec ejus Motu proprio, ſed ad Gabrielis Card. necnon regiminis, & aliorum Magiſtratuum prædictorum preces, in grave juriſdictionis, præeminentiæ & auctoritatis dictæ Eccleſiæ Ravennat. ac illius pro tempore exiſtentis Præſulis præjudicium emanatas impugnare, & irritari, & retractari facere tentaverint, dictuſque Sixtus prædeceſſor negotium hujuſmodi nonnullis ex ipſius Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, & forſan Congregationi ipſorum Cardinalium ſuper novarum Eccleſiarum Cathedralium, & Metropolitan. erectionibus, ac inter eas, & jam tunc erectas Eccleſias incidentibus controverſiis deputatorum, tum etiam in Palatii Apoſtolici Auditorio diligenter examinandum, ſibique ad hoc, ut deſuper quod juſtum foret ſtatueretur, referendum commiſerit, nec illud hactenus deciſum & reſolutum fuerit, quodque idem Archiepiſcopus Ravennatenſis, etiam Eccleſias Ariminenſem, & Ferrarienſem ſub ejus Provincia comprehendi, ſibique jus Metropoliticum in illis antiquitus competiiſſe: Epiſcopus verò Ariminenſis in vim literarum à recolendæ memoriæ Lucio Secundo & Innocentio Tertio Roman. Pontificibus ſimiliter Prædeceſſoribus noſtris emanatarum, & per nonnullos alios Romanos Pontifices pariter prædeceſſores noſtros confirmatarum, & innovatarum, dictam Eccleſiam Ariminenſem nulli alteri Metropoli, niſi tantum prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubeſſe, vel etiã in Provincia Romana comprehendi, illiuſque Præſules pro tempore exiſtentes, à nullo quàm Romano Pontifice pro tempore exiſtente, vel de ejus licentia conſecrari debere, & ſimiliter Epiſcopi Ferrar. pro tempore exiſtentes prædictam Eccleſiam Ferrarien. licèt olim ſub Ravennaten. vel potius Mediolanen. Provinciis forſan comprehenſa fuiſſet, temporis tamen proceſſu à Ravennaten. & Mediolan. Provinciis hujuſmodi exemptam, dictæque Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectam prætendant, vel etiam ſint, & exinde graves lites, & diſcordiæ, niſi illis congruæ proviſionis remedio occurratur, ſuccedere poſſint, ac propterea in præmiſſis pro paſtoralis officii noſtri debito providere, ac tam Ravennaten. quàm Bononien. Eccleſiarum prædictarum ſtatui, & indemnitatibus aliqua accommoda ratione proſpicere, earumque Præſules à litium, & controverſiarum hujuſmodi incommodis, & diſpendiis explicare, atque in pacis, & quietis amœnitate confovere cupientes, necnon literarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi & aliorum præmiſſorum, ac inde ſecutorum quorumcumque datas, & tenores dictarum litium, & controverſiarum cauſas & occaſiones, ac earum ſtatum, & merita, necnon Cardinalium & aliorum Judicum nomina, cognomina, ac quorumcumque intereſſe habentium jura, actiones, rationes, & prætenſiones, ſingularumque Eccleſiarum & Provinciarum prædictarum qualitates, ſituationes, confines, denominationes, ceteraque omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſariò exprimenda, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, de eiſdem præmiſſis omnibus & ſingulis, eorumque circumſtantiis, necnon partium prædictarum juribus, rationibus, & prætenſionibus univerſis plenè & ſufficienter inſtructi, poſt maturam deliberationem ſuper his cum fratribus noſtris habitam, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac eorumdem fratrum conſilio, & unanimi aſſenſu, omnes, & ſingulas lites, ac controverſias, tam inter Metropolitan. invicem, quàm inter ipſas Metropolitan. & ſuffraganeas Eccleſias hujuſmodi, illarumque Præſules, ſuper iiſdem præmiſſis, & illorum occaſione in dicta Congregatione, vel alibi coram prædictis Cardinalibus, aut quibuſcumque aliis Judicibus ordinariis vel delegatis, etiam cauſarũ dicti Palatii Auditoribus motas & indeciſas pendentes, in quibuſcumque ſtatu & terminis reperiantur,

ad

ad nos harum ſerie avocamus, eaſque penitus caſſamus, & extinguimus.

§.3. Ac Eccleſiam Ravennatenſem prædictam, illiuſque Præſules pro tempore exiſtentes, adverſus tam literas Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, quoad ea, quæ Imolē. & Cervien. Eccleſias in umbilico dictæ Provinciæ Ravēnaten. conſiſtentes, earumque Præſules, Capitula, Clerum, & Populum, Civitates & diœceſes afficiunt, ejuſdem Gregorii prædeceſſoris literis, quoad cetera in eis contēta, alias ſalvis, & in ſuo robore permanentibus, quàm omnes & quaſcumque de illis, necnon Ferrarien. & Ariminen. Eccleſiis prædictis per prædictos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, dictamque Sedem Apoſtolicam ab Eccleſia, & Provincia Ravennaten. hujuſmodi factas ſeparationes, ſegregationes, diviſiones, diſmembrationes, diſtractiones, & exemptiones, ac etiam literas Lucii & Innocentii, aliorumque Romanorum Pontificum hujuſmodi, necnon forſan ſubſecutas declarationes & enunciationes, ac denique in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi nullatenus emanaſſent, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

§ 4. Et nihilominus literas Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, ac omnia & ſingula in illis contenta, exceptis dumtaxat iis quæ Imolen. & Cervien. Eccleſias prædictas, earumque Præſules, Capitula, Civitates, diœceſes, territoria, terminos, Clerum & Populum concernunt, nec eiſdē præſentibus contrariantur, auctoritate & tenore prædictis approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ, & inviolabilis firmitatis Apoſtolicæ præſidio communimus, eaque à dat. literarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi valere, & plenam roboris firmitatem obtinere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, necnon ipſis Eccleſiæ & Archiepiſcopo Bononien. ſuffragari volumus & decernimus in omnibus & per omnia, perinde ac ſi Motu proprio prædicti Gregorii prædeceſſoris emanaſſent, ipſaque Eccleſia Bononien. tempore dat. literarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, Sedi Apoſtolicæ, non autem Eccleſiæ & Archiepiſcopo Ravennaten. prædictis immediatè ſubjecta, ac in iiſdem nulla de dictis Imolenſi & Cervienſi Eccleſiis mentio facta fuiſſet, omnes quoque & ſingulos prædictos, ac quoſcumque alios, tam juris, quàm facti, necnon ſolemnitatum, etiam ſubſtantialium defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint in eiſdem, etiamſi tales ſint vel fuerint, qui in generali verborum ſermone non comprehendantur, ſed nota & expreſſione ſpeciali indigeant, ſupplemus.

§.5. Ac pro potioris cautelæ ſuffragio prædictam Eccleſiam Bononien. in Metropolim, cum dignitate & Sede Archiepiſcopali, ac juriſdictione & ſuperioritate Metropolitica, necnon Pallii, & Crucis, ut moris eſt, delatione, reliquiſque omnibus & ſingulis inſignibus, ornamentis, honoribus, privilegiis, exemptionibus, juribus, & facultatibus aliis Metropolitan. Eccleſiis de jure vel conſuetudine, aut alias quomodolibet competentibus, de novo eiſdem auctoritate & tenore, etiam perpetuò erigimus & inſtituimus, ac tam Bononien. Placentin. Parmen. Regien. & Mutinen. à Ravennaten. quàm Imolen. & Cervien. à Bononien. Provinciis hujuſmodi, Ferrarien. verò, Ariminen. & Cremen. prædictas, necnon quæ infrà Civitates Placentin. & Parmen. conſiſtit, & pridem per nos de Collegiata, tunc nullius diœceſis, in Cathedralem erecta, dictæque Sedi immediatè ſubjecta fuit Burgi Sācti Donnini Eccleſias ab immediata ſubjectione ejuſdē Sedis Apoſtolicæ, & quatenus ipſæ Eccleſiæ Placentin. Parmen. Regien. Mutinen. Cremen. Burgi Sancti Donnini, Ferrarien. Ariminen. Imolen. & Cervien. vel eorum aliquæ Mediolanenſi prædictæ, vel cuicumque alteri Metropolitan. Provinciæ, quavis occaſione & cauſa, etiam in earum erectione & inſtitutione, ſeu de jure, ſtatuto, aut ex antiqua conſuetudine, ſeu dicti Concilii decreto facta electione, & aliàs quomodolibet ſubjectæ, conceſſæ, adſcriptæ, ſeu adjunctæ fuerint, vel cenſeantur, aut in poſſeſſione etiam immemorabili, ſeu quaſi eſſe reperiantur, vel prætendantur, à Mediolanen. & quibuſcumque aliis Metropolitan. Provinciis hujuſmodi, ac omni & quacumque illius Præſidis pro tempore exiſtentis Metropolitica juriſdictione, viſitatione, ſuperioritate, correctione, & obedientia illis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet forſan competēte, auctoritate & tenore prædictis ſimiliter perpetuò penitus eximimus, & totaliter liberamus, eaſque & illarum quamlibet, Placentin. videlicet, ac Parmen. Regien. Mutinen. Cremen. & Burgi Sancti Donnini Eccleſias, earumque ſingularum Præſules, Capitula, Civitates & diœceſes, necnon Cleros, Populos, & utriuſque ſexus perſonas, tam ſæculares quàm Eccleſiaſticas, earumdem dictæ Eccleſiæ Bononien. pro ſuis ſuffraganeis, & Provincialibus, ac aliàs juxta tenorem literarum Gregorii prædeceſſoris hujuſmodi, ac modo & forma in illis expreſſis & contentis, quæ omnia, etiam ad dictam Eccleſiam Burgi Sancti Dōnini extenſa & ampliata cenſeantur, perinde ac ſi in eiſdem de illa ſpecialis & ſpecifica mentio facta foret; auctoritate & tenore ſimilibus pariter perpetuò concedimus & aſſignamus. Ferrarien. verò & Ariminen. Eccleſias, etiamſi non appareat, neque probari poſſit, quod illæ aliquando ſub dicta Provincia Ravennaten. comprehenſæ, aut illi ſubjectæ fuerint.

§.6. Necnon Imolen. & Cervien. Eccleſias prædictas ſimiliter cum ſuis reſpectivè Epiſcopis, Capitulis, Civitatibus, diœceſibus, terris, territoriis, Cleris, Populis, Collegiatis, Parochialibus, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis, Collegiis, Hoſpitalibus, locis piis & Religioſis utriuſque ſexus, etiam exemptis, & quocumque privilegio ſuffultis, ac omnibus & ſingulis beneficiis Eccleſiaſticis, cū cura & ſine cura, ſæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus Eccleſiæ, Provinciæ, & Archiep. Ravennaten. prædictis, ultra Eccleſias Adien. Comaclen. Faventin. Forolivien. Britonorien. Ceſenaten. Sarſinaten. & alias ſi quæ ſint ipſius Eccleſiæ Ravennaten. ſuffraganeas Metropolitico jure, ita ut idem Archiepiſcopus Ravennaten. prò tempore exiſtens in illis omnibus & ſingulis jus Metropoliticum ſibi vendicare, ac Ferrarien. Ariminen. Imolen. & Cervien. Eccleſiarum hujuſmodi Epiſcopos, uti ejuſdē Eccleſiæ Ravennaten. ſuffraganeos conſecrare, & ad ejus Synodum Provincialem evocare, ceteraque omnia ad Archiepiſcopi munus & officium de jure vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet ſpectantia, & pertinentia facere, exercere, procurare, adminiſtrare, & exqui liberè, & licitè valeat, dictique Epiſcopi Ferrarien. Ariminen. Imolen. & Cervien. nunc pro tempore exiſtentes prædicto Archiepiſcopo Ravennaten. tanquam membra capiti obſequentes, ad omnia & ſingula teneantur & ſint obligati, ad quæ alii ſuffraganei ſuis Eccleſiis Metropoliticis, & Archiepiſcopis Metropolitan. de jure, vel conſuetudine, aut alias quomodolibet tenentur, & obligati exiſtunt, itidem perpetuò ſubjicimus. Et deinceps perpetuis futuris temporibus Ferrarien. Ariminen. Imolen. & Cervien. Eccleſias prædictas, inter alias ſuffraganeas dictæ Eccleſiæ Ravennaten. connumerandas, & cenſendas, ac tam eas quàm illarum ſingularum Civitates & diœceſes ſub ipſa Provincia Ravennaten. comprehenſas, & nullatenus ab ea exemptas, nec dictæ Sedi Apoſtolicæ immediatè, neque ulli alteri, niſi tantum Ravennaten. Eccleſiæ, & illius Archiepiſcopo prædictis quoad Archiepiſcopalia, Metropolitica, ac Provincialia jura, & juriſdictiones ſubjectas eſſe & fore.

*Ravennatenſis Eccleſiæ fines deſignat.*

§.7. Prædictas quoque literas nullo unquam tempore, etiam ex eo quod dictarum Eccleſiarum Præſules, & Capitula, vel quicumque alii in præmiſſis intereſſe quomodolibet habentes eiſdē præmiſſis nō conſenſerint, nec ad id vocati, aut requiſiti, neque forſan omnes cauſæ propter quas eadem præmiſſa emanarint, in Cōſiſtorio noſtro, vel alibi vocatis vocandis, & præviis debitis tractatibus, ac ſervatis & adhibitis ſolemnitatibus, & aliis de jure vel conſuetudine, vel juxta conſtitutiones & ordinationes Apoſtolicas, aut Eccleſiarum & Provinciarum hujuſmodi ſtatuta, privilegia, & indulta, etiā confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roborata, aut aliàs quomodolibet requiſitis, & in ſimilibus neceſſariis examinatæ, verificatæ, & approbatæ fuerint, ſeu etiā enormis, vel enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut alio quovis prætextu, & ex quocumque capite, ac quavis cauſa vel occaſione quātumcumque notabili, & juridica, etiam neceſſariò exprimenda, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu

*Clauſulas huius diſpoſitionis præſervativas apponit.*

notari,impugnari,in toto vel in parte reſcindi,retractari, annullari,invalidari,in jus vel controverſiam vocari,ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illa quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe,minuſque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum & conceſſionum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus,derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus,à nobis,ſeu quibuſvis aliis Roman.Pontificibus Succeſſoribus noſtris, ac dicta Sede, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter pro tempore emanatis nullatenus comprehendi, nec comprehenſas cenſeri,ſed ſemper ab illis exceptas,& quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ac validiſſimum, & eum in quo antequam emanarent,erant ſtatum, in omnibus & quoad omnia reſtitutas,repoſitas,& plenariè reintegratas, ac etiam ſub quacumque data,etiam poſteriori per quoſcumque intereſſe habentes pro tempore eligenda de novo conceſſas, ac contra & adverſus quaſcūque exceptiones,etiam quantumvis juſtas,juridicas, ac quorumvis impugnationes,ſi quas pro tempore fieri contigerit,omninò & ſemper validas & efficaces fore,eſſe,& cenſeri,ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & partibus ipſis perpetuò ſuffragari in omnibus & per omnia,ac ſi vocatis omnibus & ſingulis quorum intereſt,de illorum conſenſu,necnon debitis tractatibus & ſolemnitatibus,ceteriſque ad hoc requiſitis plenè ſervatis & adhibitis emanaſſent,neque ipſarum Eccleſiarum Ravénaten. & Bononien. Præſules pro tempore exiſtentes, vel alios quoſcumque ad ſuperiùs expreſſa in toto vel in parte verificandum, ſeu probandum ullo unquam tempore teneri,nec ad id quavis neceſſitate cogi aut compelli poſſe, ſed ſolam narrativam prædictam abſque alia verificatione vel probatione ſufficere, eique in judicio & extra illud ſtari, nec aliquam probationem ſeu exceptionem,cujuſque naturæ & ſpeciei illa ſit, vel fuerit, in contrarium adduci vel admitti.

*Aliter judicari prohibet.*

§.8.Sicque & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos,etiam cauſarum dicti Palatii Auditores,ac prædictos & alios Cardinales,etiam de latere Legatos,nunc & pro tempore exiſtentes, ſublata eis & eorū cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate,in quavis cauſa & inſtantia judicari & diffiniri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari,irritum & inane decernimus & declaramus,ac deſuper omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis prædictis perpetuum ſilentium imponimus.

*Contrariis quibuſcumque derogat.*

§.9. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtra de non tollendo jure quæſito, & ſingulis fel.mem.Pauli II. & quorumcumque aliorū Romanorum Pontificum itidem prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon ſingularum Eccleſiarum & Provinciarum prædictarum, etiam juramento,confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus,naturis,erectionibus,inſtitutionib.& exemptionib. privilegiis quoque,indultis, & literis Apoſtolicis, illis, earūque Præſulibus,Præſidentibus,Capitulis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis,ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis,necnon irritantibus & aliis decretis, etiā vim contractus habentibus, ſeu inducentibus, per prædictos & quoſcumque alios Romanos Pontifices ſimiliter prædeceſſores noſtros, ac etiam nos, & dictā Sedē,etiam motu,ſcientia,conſilio, & poteſtatis plenitudine paribus,ac ex certis tunc expreſſis,etiam conſiſtorialiter propoſitis,& diligenter examinatis,etiam per modum ſtatuti,& perpetuæ ſanctionis & ordinationis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiā iteratis & multiplicatis vicibus conceſſis,approbatis,& innovatis. Quibus omnibus,etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis,eorumque totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica, expreſſa,& individua, ac de verbo ad verbum, nō autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbū,nihil penitus omiſſo,& forma in illis tradita obſervata inſerti eſſent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes,illis aliàs in ſuo robore perманſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè,ac latiſſimè derogamus,ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Formam publicationis hujus bullæ præſcribit.*

§.10. Volumus autem, quod præſentes noſtræ literæ, ut ampliùs innoteſcant,non ſolùm in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe,& in acie Campi Floræ publicentur, earumque exempla in iiſdem locis affixa dimittantur, ac omnes & ſingulos, quos illæ concernunt, à die publicationis hujuſmodi perinde arctent, ac ſi ipſis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Exemplis credi [illegible]*

§.11. Hujuſmodi quoque exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis,& Cancellariæ prædictæ Regentis pro tempore exiſtentis, vel alterius Prælati Romanæ Curiæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ iiſdem præſentibus originalibus literis noſtris adhiberetur,ſi forēt exhibitæ vel oſtenſæ.Mādantes illas in librum Quinternum appellatum ejuſdem Cancellariæ ad perpetuam rei memoriam referri & deſcribi.

*Sanctione pœnali ſubſcri.*

§.12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum advocationis, caſſationis, extinctionis, reſtitutionis,repoſitionis,reintegrationis,approbationis, cōfirmationis,communicationis,ſuppletionis,erectionis, inſtitutionis,exemptionis,liberationis,conceſſionis, aſſignationis, ſubjectionis, declarationis, impoſitionis, voluntatum,decretorū,& mandati infringere,vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D.P. An. dic 15. D.*

Datum Romæ apud S.Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1604. 18. Kalend. Januarii,Pontificatus noſtri Anno 13.

*Papa ſub.*

## Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

*Protector noſter aſpice Deus.*

Ego Ptolomæus Epiſc.Oſtien. Card.Comen.
Ego Alex. Epiſc. Præneſtin. Card. Florent.
Ego Hier.Epiſc.Portuen.Card. Simonellus.
Ego Fr. Hier.Epiſc.Albanen.Card. Aſculan.
Ego Franc.Epiſc.Sabinen.Card.de Joioſa.
Ego Ant. tit.S.Prax.Presb.Card.Gallus.
Ego Ant. tit. S.Mariæ Tranſt.Presb.Card.Saul.
Ego Evangeliſta tit.S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Caſentinus.
Ego Marianus tit.SS. Marcell.& Petri,Presb.Card.de Camerino.
Ego Fr.Gregorius tit.S. Auguſtini Presb. Card. de Montelparo.
Ego Paulus Presb.Card.S. Cæciliæ.
Ego Bened.tit.S.Priſcæ Presb.Card.Juſtinian.
Ego Franc. Maria tit.S. Mariæ in Aracæli Presb. Card. à Monte.
Ego Oct.S.Alexii Presb. Card.Pallavicinus.
Ego Oct.tit.SS.Ioānis,& Pauli Presb. Card.de Aquaviva.
Ego Fl. tit.S.Mariæ de Pace Presb.Card. Plat.
Ego Ant.Presb.Card.Sanctorum Quatuor Cor.
Ego Petrus tit. S.Pancratii Presb.Card. Aldobrandinus, S.R.E. Camerarius.
Ego Franc.Maria tit. S.Mariæ ſup. Min. Presb.Card.Senenſis.
Ego Oct. tit.S.Sabinæ Presb.Card.Bandinus.
Ego F.Annas tit.S.Suſannæ,Presb.Card.de Givry.
Ego Cam.tit.S.Chryſog.Presb.Card.Burgheſ.
Ego Cæſ.tit.SS.Ner. & Ach.Presb. Card.Bar.
Ego Laur.tit.S. Laurentii in Pane, & Perna Presb.Card. Blanchettus.
Ego Franc. tit.S.Crucis in Hier.Presb. Card. Avila.
Ego Fran.tit.S.Mariæ de Pop.Presb.Card. Mant.
Ego Pomp. tit. S.Balbinæ Presb.Card.Arigon.
Ego Bonif. tit. S. Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Bevilacqua.
Ego Dominicus Epiſc.Tuſculan.Card. Pinell.
Ego Dom.tit.S.Honuph.Presb.Card. Tuſchus.
Ego P. Æmilius Presb. Card.S.Marcelli.

Ego

Ego Seraph.tit.S.Salv.in Lau. Presb. Card. Oliv.
Ego Inn.tit.S.Tho.in Par.Presb.Card.de Bub.
Ego Jo.tit.S.Matt.in Mar.Presb. Card.de Vic.
Ego Jac.tit.S.Steph.in Mont.Cæl.Presb.Card. San.
Ego Hier.tit.S.M.Tranſp. Presb.Car. Valentinus.
Ego Hier.Aguc.Presb.Card.S. Petri ad Vinc.
Ego Hier.tit.S.Blaſii de Ann. Presb.Card.Pamph.
Ego F.Anſel. tit. S. Petri in Monte Auteo Presb. Card. Monópolitanus.
Ego Alex.S.Laur.in Dam.Diac. Card.Montaltus, S.R.E. Viceecancellarius.
Ego Cynt. Diac.Card.S. Georg.ad Velum Aur.
Ego Bart.S.Mariæ in Port. Card. Cæſius.
Ego And.S.Ang.in For.Piſc.Diac. Card.Per.
Ego Jo.Bapt.S.Mariæ in Coſm.Diac. Card.Det.
Ego Syl.Diac.Card. S.Cæſarei.
Ego Carol.Eman. S.Nic. in Carc. Tulliano, Diac. Card. Pius.

*[Pu]blicatio [Bu]llæ.* *Anno à Nativitate D. N.Ieſu Chriſti 1605.Indict.3. die verò 29. menſis Ianuarii, Pont. Sanctiſſ.in Chriſto Patris,& D.N.D. Clementis divina providentia Papa VIII. Anno ejus XIII. retroſcripta litera Apoſt. publicata & affixa fuerunt in valvis Baſilica Principis Apoſtolorum, Cancellaria Apoſtolica,necnon in acie Campi Flora,ut moris eſt,per me P. Aloyſium Peregrinum ejuſdem D.N.Papa Curſ.*

*Iacobus Brambilla Mag.Curſ.*

*[Pu]blicatio in [Canc]am. Apoſt.* *Lecta & publicata fuit ſupradicta Bulla, die 8. menſis Februarii dicti Anni,ut ſupra in Cancellaria Apoſtolica de mane hora Cancellaria, praſentibus Dominis de Parco,& pluribus Scriptoribus & Abbreviatoribus.*

*Claudius Ciccolinus Cuſtos.*

---

[C]XVI. Innovatio & declaratio conſtitutionum editarum ab Innocentio VIII. & Iulio III. ſuper jure & modo quo Prior generalis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſt. viſitare poſſit loca & perſonas Congregationis Lombardiæ ejuſdem Ordinis.

*Congregationem iſtam ſejunxit Eugenius IV. ut ſup. in ejus conſt.25.Regimini, lib.1.ubi notavi.*

*[E]dita An.D. 1604.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*[E]xordium.* EX injuncto nobis Apoſtolici muneris debito, controverſiis & differentiis inter Religioſos vertentibus finem imponere, ac deſuper opportuno remedio providere tenemur, prout jus & ratio poſtulat, ac aliàs in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*[Or]ta eſt differentia ſuper modo quo [Prior G]eneralis poſſit viſitare Congregationis Lombardiæ.* §.1. Cum itaque dudum inter dilectos filios Priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, ejuſque aſſiſtentes ex una, & Vicarium Generalem & Fratres Congregationis, ſeu Societatis Lombardiæ ejuſdem Ordinis ex altera partibus, controverſiæ ac differentiæ ſuper jure, modo & forma viſitandi, rebuſque aliis viguerint.

*[H]ic Pontifex [s]ub die 13. [Iu]lii proximè [de]curſi innovavit & declaravit cōſtitutiones In[no]centii VIII. & Iulii III. deſuper editas.* §.2. Noſque illas in Congregatione Reformationis & Viſitationis Apoſtolicæ maturè diſcuti, & examinari fecerimus, & in eadem Congregatione ambæ partes pluries fuerint auditæ. Nunc hujuſmodi differentias & cōtroverſias è medio tollere, ac utriuſque partis quieti proſpicere volentes, ac Priorem Generalem, aſſiſtentes & Vicarium Generalem & Fratres Vniverſos Ordinis & Congregationis prædictorum, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpēſionis & interdicti, aliiſq; Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtūt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, declarantes in primis & ante omnia, mentis, & intentionis noſtræ non fuiſſe nec eſſe, in literis noſtris in forma brevis, ſub datum die 13. Iulii præſentis Anni M.DCIII. expeditis ſuper viſitatione per priorem Generalem faciēda in Domibus Congregationis Lombardiæ, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, recedere à diſpoſitione & privilegio fel. record. Innocentii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri ſuper eadem viſitatione emanatis, & ab eiſdem partibus receptis & acceptis in concordia de Anno M.DLI. inter eas inita, quarum etiam tenores præſentibus pariter pro expreſſis haberi volumus, ſed ejuſdem noſtræ mentis & intentionis fuiſſe & eſſe ſtatuere & decernere, prout in dictis privilegio & concordia continetur; & nihilominus prædictas noſtras literas ad præſcriptum privilegii & concordiæ hujuſmodi reducentes, harum ſerie perpetuò ſtatuimus & decernimus.

*[Hæc bullam] non poſui uti non neceſſariam, quia hac plenior eſt, & illam refert.*

*Declarat quod Generalis viſitet per ſeipſum, unà cum uno ex Viſitatoribus Congregationis.* §.3. Quod liceat Priori Generali, quoties ei placuerit, per ſe inſimul, cum uno ex Viſitatoribus Societatis hujuſmodi, quem ad hoc duxerit eligendum, vel per Vicarium ejuſdem Societatis dumtaxat, & non per alium, unam vel plures Domum vel Domos, ac ipſam Societatem viſitare.

*Honoretur ut caput totius Ordinis, & omnis obedientia ei præſtetur.* §.4. Ac ulterius volumus & mandamus, ut in Viſitatione hujuſmodi Prior Generalis, tam in præcedentia, quàm in aliis quibuſcumque actibus publicis vel privatis in locis & Domibus Congregationis prædictæ habeatur, recipiatur & honoretur ut Caput, Gubernator & Adminiſtrator totius Ordinis Sancti Auguſtini, ab ipſo Vicario Generali Congregationis, Viſitatoribus, Provincialibus, Prioribus, & omnibus aliis Fratribus. Et debeant in eadem viſitatione, primùm ipſe Vicarius Generalis, deinde Viſitatores, Provinciales, Priores, & alii ſupradicti Fratres præſtare illi cum affectu omnem obedientiam, ut ſuo Superiori.

*Viſitare poſſit tam loca Congregationis Lombardiæ quàm perſonas.* §.5. Teneatur Vicarius Generalis, Viſitatores & alii quicumque Fratres Congregationis ſubire & recipere prædictam Viſitationem, nedum quoad loca, Domus & Conventus Congregationis, verùm etiam quoad proprias cujuſque ipſorum perſonas, & debeant univerſi, ac illorum unuſquiſque obedientiam præſtare Priori Generali in his quæ per ipſum in viſitatione fuerint ordinata, necnon ſubjacere pœnis & correctionibus, quas juxta Conſtitutiones dictæ Congregationis Prior Generalis illos viſitando injunxerit & impoſuerit, illaſque omninò adimplere & exequi debeant.

*Viſitator, aut Vicarius Cōgregationis aſſiſtat, & votum conſultivum tantùm habeat.* §.6. Viſitator Congregationis, qui vocatus à Priore Generali interierit viſitationi, vel Vicarius Generalis ipſe ſi quando reperietur in conventu ubi fiet viſitatio, aſſiſtat ipſi Priori Generali, ut illum informet, ac certiorem faciat de ſtatu & negotiis Domorum viſitandarum, vitaque, moribus Fratrum. Verùm nullam habeat vocem activam in ipſa Viſitatione, & non poſſit ferre aut prætendere votum, niſi conſultivum in his omnibus, quæ Prior Generalis voluerit decernere.

*Scrutinio aut ſecreto examini Generalis non interſit.* §.7. Neque etiā poſſit aut debeat intereſſe ſcrutinio, aut examini ſecreto, habendo per Priorem Generalem viſitantem, de Fratribus Congregationis, cui ſcrutinio, ſeu examini ipſe ſolus Prior Generalis debebit intereſſe.

*Aſſiſtentes aſſocient Generalem, qui de eorum voto procedat.* §.8. Aſſiſtentes Ordinis comitentur & aſſocient Priorem Generalem in viſitatione Congregationis, & perpetuò eidem aſſiſtant, & ipſe Prior Generalis abſque eorum conſilio nihil decernere poſſit, juxta formam à nobis præſcriptam in literis in forma Brevis ſuper deputatione eorundem Aſſiſtentium expeditis.

*Aſſiſtentes præcedant in Viſitatione omnibus de Congregatione.* §.9. Iidem aſſiſtentes dum eo munere in dicta Viſitatione funguntur, quibuſcumque locis & actibus ejuſdem Congregationis locum habeant præſente Priore Generali, ante Vicarium Generalem Congregationis, ac Viſitatores, Procuratorem, Provinciales, Priores & alios quoſcumque Fratres dictæ Congregationis.

*Viſitatorem moneat Generalis per mēſem ante; & eo non veniente, Generalis viſitet abſque ipſo.* §.10. Teneatur Prior Generalis ſaltem per menſem ante Viſitationem denunciare Viſitatori, quem voluerit eligere, viſitationem faciendam, ejuſque locum & tempus. Et ſi Viſitator vocatus recuſaverit aut neglexerit in loco aut Monaſterio viſitando intervenire, liceat eidem Priori Generali vocare ad idem officium de propinquiori Monaſterio Priorem, vel eo abſente Vicarium; & illis adhuc accedere recuſantibus, abſque eorum interventu dicta loca viſitare.

*Obſervantiam prædictorum [i]bi[dem] præcipit.* §.11. Quocirca utriſque partibus prædictis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus præmiſſa omnia ſingula inviolatè obſervent, &

& per eos ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, obſervari curent & faciant.

*Generalem executorem horundem deputat.*

§.12. Et nihilominus eidem Priori Generali, prædictos Vicarium Generalem, Viſitatores, Priores & Fratres dictæ Cōgregationis Lombardiæ ad obſervationem præmiſſorum per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, cogendi & compellendi, ac inobedientes quoſcumque etiam voce activa & paſſiva perpetuò vel ad tempus arbitrio ſuo privandi, & contra illos cenſuras & pœnas ſupradictas, ſervata juris & ſacrorum Canonum forma, proferendi & promulgandi, facultatem impartimur, ac ſententias ſive pœnas præmiſſas, quas ritè tulerit ſeu ſtatuerit in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§.13. Non obſtantibus literis noſtris ſupradictis de menſe Julii præſentis anni expeditis, ac etiam prædicti Innocentii prædeceſſoris privilegio, & concordia, in his quæ præſentibus adverſantur, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis & Congregationis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Congregationi, ejuſque Vicario Generali, aliiſque Superioribus & Fratribus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque cōtrariis quibuſcumque.

*D.P. An. 13. die 22. Dec.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Decembris 1604. Pont. noſtri anno 13.

---

## CXVIII. Iuriſdictio Vicarii Papæ in Vrbe, cognoſcendi quaſcumque cauſas Archihoſpitalis S. Spiritus, Ordinis S. Auguſtini, vel ejus, ſuarumque perſonarum intereſſe concernentes.

*Declarationem hujus juriſdictionis, quoad cauſas obligationum Cameralium, vel ad R. Cameram Apoſtolicam aut Magiſtros Viarum Vrbis ſpectantes, vide in Pauli V. conſtitut. 22. Decet, ubi alia de Archihoſpitali indicabo.*

*Edita A.D. 1605.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſtitut.*

CUm ſicut accepimus, Archihoſpitale noſtrum S. Spiritus in Saxia de Vrbe, Ord. S. Auguſt. maximū damnum patiatur, dum corā diverſis judicibus litigare cogitur, cum ejus Procuratores, ac Advocati ſæpè ac ſæpiùs una & eadem hora coram pluribus Judicibus comparere pro defenſione cauſarum dicti Archihoſpitalis teneantur, quo fit ut pluries ob eorum non comparitionem retardentur expeditiones, ſeu etiam quandoque in eorum contumacia accelerentur, in non leve damnum dicti Archihoſpitalis. Et licet felicis recordationis Clemens Septimus, & Paulus Quartus Romani Pontifices prædeceſſores noſtri tunc exiſtentes, ſuos in Alma Vrbe Vicarios in Iudices cauſarum dicti Archihoſpitalis deputaverint, nihilominus hoc privilegium in deſuetudinem venit.

*Iuriſdictio Vicarii Papa cognoſcendi omnes cauſas intereſſe Archihoſpitalis, eiuſque perſonarum concernen.*

*Ad hoc vide declarationē indicatam in rubr.*

§.1. Nos ejuſdem Archihoſpitalis utilitati & commoditati proſpicere, ut ejus bona & jura quæcumque conſerventur, ac in pauperum infirmorum, & alios pios, prout deputata eſſe noſcuntur, & non alios uſus debitè convertantur, ſalubriter providere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, literas, ſeu Motus proprios dictorum Clementis & Pauli prædeceſſorum harum ſerie confirmantes, & innovantes, omnes & ſingulas cauſas civiles, beneficiales, matrimoniales, & ſpirituales ac profanas, criminales & mixtas, ac alias quaſcumque inter dictum Archihoſpitale, illiuſque Præceptorem, Fratres, Miniſtros, Factores, Agentes, vel quoquo modo dicto Archihoſpitali inſervientes, necnon projectos, ſeu expoſitos vel expoſitas in eodem Archihoſpitali degentes, ſeu qui vel quæ inde egreſſæ ſunt, & nuptui traditæ ex una, & quaſcumque alias perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtentes, Vniverſitates, Societates, Congregationes, Monaſteria & alia loca pia, & ſuos Iudices particulares, etiam ex conceſſione, ſeu ſpeciali commiſſione vel deputatione noſtra, vel aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum habētes, ſeu habentia, & alios quoſcumque, tam activè quàm paſſivè vertentes, à quibuſcumque Iudicibus, Cameræ Auditore, etiamſi agatur vigore *obligationis* Cameralis, Vicario, Gubernatore, Senatore Vrbis, illorumque Locatenentibus, Collateralibus & Iudicibus, ac dictæ Vrbis cauſarum Appellationum Capitaneo, & à quibuſvis Conſulibus, etiam Artis Agriculturæ, Camerario Ripæ & Ripettæ, Burgi Gubernatore, & ſacri Palatii cauſarum Auditoribus, & ejuſdem S.R.E. Cardinalibus, etiam cujuſvis Collegii, Societatis, Vniverſitatis, Monaſterii, ſeu alterius cujuſvis loci pii, etiam Neophytorum Protectorib. ſpecialiter deputatis, aliiſque Iudicibus ordinariis ſeu delegatis quibuſcumque motas & pendentes de & ſuper ſtatu & bonis ſtabilibus, mobilibus, ſe moventibus, juribus & actionibus quibuſcumque etiam occaſione damnorum datorum, tam prædicti Hoſpitalis quàm Fratrum dicti Ordinis, expoſitorum, infirmorumque in dicto Archihoſpitali decedentium, qui aliquid dicto Archihoſpitali, ſive per viam inſtitutionis vel legati, ſeu ab inteſtato vel alio quocumque titulo reliquerint, aliorumque Miniſtrorum, Agentium, Factorum, aliorumque dicto Archihoſpitali quoquo modo inſervientium, ac quibuſcumque locationibus, venditionibus, legatis, fideicommiſſis, teſtamentis, hæreditatibus, ac illorum diſcuſſionibus, atque quorumcumque jurium & actionum ceſſionibus, aliiſque inter vivos contractibus, etiam vigore obligationis in forma Cameræ exequutionibus, revocationibus, bonis, rebus, juribus & actionibus ad dictum Archihoſpitale ſpectantibus, & in quibus ipſum Archihoſpitale, ſeu perſonæ ſupradictæ quoquo modo intereſſe habent, ſeu prætendunt, tam in Romana Curia, quàm extra eam ubivis locorum, quorum omnium & ſingulorum ſtatus & merita, ac nomina & cognomina Iudicum & collitigantium præſentibus pro expreſſis haberi volumus, in quacumque inſtantia, ac in eiſdem ſtatu & terminis in quibus reperiuntur, ad nos harum ſerie avocamus.

*Per ſ... appellatione remota ... per alium ſemel tantum in ... ſis appella... libus ... permiſſa.*

§.2. Illaſque, necnon alias in futurum quandocumque perpetuis futuris temporibus movendas, cum omnibus & ſingulis illarum inciden. dependen. annexis & connexis, tibi moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro in Alma Vrbe, ejuſque diſtrictu Vicario, per te ipſum, ſeu per Prælatum doctrina & integritate præditum à te deputan. & toties quoties tibi videbitur removendum, & alium in ejus locum ſubrogan. qui tamen non ſit tuus Viceſgerens, neque Locumtenens, qui aliis variis negotiis impediti dictarum cauſarum expeditioni ſingulis horis, prout neceſſitas requirit, vacare non poterunt, quoad cauſas minorum movendas ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſola facti veritate inſpecta, & nullis etiam terminis ſubſtantialibus ſervatis, & ſine regiſtri confectione, etiamſi de quacumque ſumma excedente tuam juriſdictionem agatur, ac aliàs juxta ordinarias facultates & juriſdictionem tibi per nos attributas, & ſecundùm juſtitiam & æquitatem, & quacumque etiam appellatione remota, ſi cauſæ hujuſmodi à te ipſo cognoſcentur & terminabuntur, ſi autem hujuſmodi cauſæ à Prælato à te deputando cognoſcentur, & cauſæ ipſæ erunt appellabiles, ſemel tātùm ad te recurſum habere liceat, & cauſæ hujuſmodi per viam reviſionis per te ipſum vel alium à te deputan. terminari debeant, cognoſcen. deciden. fineque terminan. privativè quoad alios quoſcumque Iudices ſupradictos, & quemlibet ipſorum, committimus & mandamus.

*Nec aliter quàm ſibi hujuſmodi cauſa committi poſſint.*

§.3. Et ne de cætero cauſæ Archihoſpitalis & illius Præceptoris & Conventus, ac perſonarum hujuſmodi activè vel paſſivè alteri quàm tibi committi poſſint, & quicquid ſecus à quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

*Facultas ... Curia & extra eam ... tandi, inhibendi & inobedientes ...*

§.4. Et inſuper tibi per te vel Prælatum à te deputan. prædictum, quoſcumque quorum intererit, tam in Romana Curia quàm extra eam, etiam per edictum publicum, conſtito tibi ſummariè & extrajudicialiter de non tuto

acceſſu

acceſſu citandi, ac illis, necnon quibuſlibet toties quoties opus fuerit, etiam ſimili edicto, etiam ſub ſententiis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis pœnis arbitrio tuo moderan. & applican. inhiben. ac in eventum non paritionis ad declarationem incurſus cenſurarum & pœnarum hujuſmodi, illarumque aggravationem & reaggravationem, necnon invocationem brachii ſæcularis auxilii, & interdicti relaxationem.

*Teſtes ad perhiben. teſtimonium cogendi. Sententias exequendi.*

§.5. Necnon teſtes ad perhiben. teſtimonium veritatis ſub ſimilibus cenſuris & pœnis cogen. & compellen. Ac ſententias per te vel Prælatum à te deputan. latas, necnon omnia & ſingula per te, aut illum pro tempore deciſa, terminata & decreta, quibuſvis exceptionibus & appellationibus non obſtan. etiam per tuum ſimplex mandatum executivum, etiam ſub parvo ſigillo, regula contraria non obſtan. decernen. & exequen.

*Expenſas taxandi.*

§.6. Expenſaſque taxan. & fructus liquidan. & exequutioni debitæ demandandi, ſeu demandari facien.

*Contradictores compeſcendi.*

§.7. Et contradictores quoſcumque & rebelles per eaſdem cenſuras & pœnas, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendi.

*Remiſſorias ... anai.*

§.8. Literaſque remiſſoriales ad partes, quoties & quando neceſſe, & tibi aliàs viſum fuerit, tuo arbitrio etiam ſub ſimili ſigillo, regula pariformiter contraria non obſtan. decernen.

*Notarium deputandi.*

§.9. Necnon unum ex quatuor Notariis tui Tribunalis arbitrio Præceptoris dicti Archihoſpitalis eligen. in cauſis hujuſmodi deputandi.

*Singulis diebus procedē...*

§.10. Ac in eiſdem cauſis ſingulis diebus feriatis, præterquam Dominicis & aliis feſtivis de præcepto, & quando videlicet dictum Archihoſpitale erit actor, procedendi, ac omnia & ſingula in præmiſſis & circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna facien. geren. & exequen. motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus plenam & liberam facultatem concedimus & impartimur.

*Per Curſores & Mandatarios citandi.*

§.11. Statuentes quod citationes in cauſis prædictis exequi poſſint per quoſcumque Curſores & mandatarios Vrbis, juxta placitum Procuratoris dicti Archihoſpitalis.

*Dilationibus ... ſignif. ... nibus aliorum Iudicū non obſtantibus mandata exequēdi.*

§.12. Quodque nullæ inhibitiones, non gravetur, ſuperſeſſoriæ, dilationes etiam quinquennales, & in vim motus proprii Pii V. à quibuſvis Iudicibus, etiam cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditore, & à Præſidente Viſitatoris Carcerum, ſub quibuſvis tenoribus & formis, præterquam à te conceſſæ, aliquibus ſuffragentur, ſed illis minimè obſtantibus, exequutio mandatorum ad favorem ejuſdem Archihoſpitalis conceſſorum fieri valeat.

*Clauſ. præſ.*

§.13. Ac decernentes præſentes literas de ſubreptionis, & obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui aut infringi, revocari, retractari, ſuſpendi, vel limitari nullatenus poſſe, ſed ſemper validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis alia judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane quidquid ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.*

§.14. Non obſtan. præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, ordinationibus, & præſertim motu proprio Populo Romano conceſſo, ſtatutiſque novis, Vrbis reformationibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis dictæ Vrbi; ac quibuſcumque aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoris, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam per vim & modum contractus & Capitulorū, & in forma motus proprii, etiam in favorem Curſorum noſtrorum, ſtylo Palatii, feriis generalibus de mandato fel. rec. Pauli Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri uſque ad Kalendas Octobris indictis, & in futurum indicendis, ac omnibus aliis & ſingulis in contrarium, præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis & ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Februarii 1605. Pontificatus noſtri Anno 14. *Dat. P. A. 14. die 10. Febr.*

---

## Prohibitio appellandi per religioſos Ordinis Fratrum Servorum B. M. Virginis à Prælatis ejuſdem Ordinis ad tribunalia ſæcularia. Permiſſioque habendi recurſum ad Priorem Generalem Protectorem, ſeu Viceprotectorem, aut ad Romanum Pontificem. CXIX.

*Alia de hac Religione notata ſunt in conſt. 80. Decet, hujuſmet Pontificis, hic ſup.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1593.*

*Proœmium.*

QUoniam noſtro Paſtorali potiſſimùm incumbit officio, ut ea quæ per regulares perſonas contra eorum regularia inſtituta temerè attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compeſcamus & amoveamus.

*Cauſa hujus ... ſtitutionis.*

§.1. Proinde quia nuper dilecto filio Magiſtro Lælio Balliono de Florentia, Priore Generali Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ, non ſine animi noſtri moleſtia referente accepimus, quòd nonnullæ dicti Ordinis, etiam utriuſque ſexus regulares perſonæ, Dei timore poſtpoſito, & ſuæ profeſſionis immemores, ut in eorum malefactis & inobedientia ſe diutiùs confoveant, ab iis quæ per Prælatos ejuſdem Ordinis, & Priores Provinciales & alios Superiores ab ipſo Priore generali pro tempore deputatos, acta ſunt & decreta, ad tribunalia ſæcularia appellare, & ad ea temerè confugere conſueverunt, in non modicam juriſdictionis ipſorum Superiorum læſionem, & regularis inſtituti alterationem, ac ſcandalum plurimorum.

*Prohibitio de qua in rubr.*

§.2. Nos præmiſſis obviare volentes, univerſis & ſingulis dicti Ordinis utriuſque ſexus regularibus perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus gradus, & conditionis exiſtentibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium præcipimus & mandamus, eiſque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eas obtentorum, & inhabilitatis ad illa & alia quæcumque dicti Ordinis officia exercēda, ac vocis tam activæ quàm paſſivæ eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis pœnis, diſtrictiùs inhibemus, ne ad ipſa tribunalia ſecularia, quovis prætextu aut quæſito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant vel præſumant, ſed ſi ſe à Prælatis gravari prætendant, ad Priorem generalem ipſius Ordinis, ſeu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos, ſive Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ſupremum in Eccleſia Dei Iudicem, ſicut antiquitus ſemper facere conſueverunt, recurſum habeant, unde illis brevi manu juſtitia miniſtrabitur.

*Extenſio ad fautores.*

§.3. Volentes, & ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis regulares perſonæ contrafacientes, verùm etiam eorum quomodolibet, directè vel indirectè fautores & conſultores, eaſdem pœnas eo ipſo omninò incurrant.

*Decretum irritans.*

§.4. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogat.*

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores

ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, *illis aliàs in ſuo robore permanſuris*, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceterisque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 2. die 15. Febr.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Februarii 1593. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

---

## CXX. Protomedici, & Collegii Phyſicorum de Vrbe juriſdictio & facultates.

*De his habes etiam ſup. in conſtit. 19. Iulii III. Meritis, lib. 1. & Greg. XIII. conſt. 40. In Apoſtolica, & in Pauli V. conſt. 71. §. 25.*

*Edita An. D. 1603.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

QUo viri qui tum ſalubribus Artis Medicæ præceptis, & ſingulari methodo, tum diuturna experiētia, quæ ubique plurimùm valet, ſapienter inſtructi in medendis humanis corporibus occupantur, & ab eis in hac alma Vrbe & omnibus ſtatus noſtri Eccleſiaſtici Civitatib. infirmitates omnes depellere continuò procurant, ſanitati & incolumitati hominum conſulentes, quibuſcumque difficultatibus ſuperatis, id ipſum faciliùs & promptiùs exequi, & operari valent, privilegia per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros illis conceſſa conſervāda, ac per eos deſuper ſtatuta & ordinata, ut inviolabiliter obſerventur, confirmanda eſſe judicamus, prout melius totius Reipublicæ valetudini novimus expedire.

*Sixtus IV. (cuius bullā non poſui) confirmavit ſtatuta Collegii.*

§. 1. Sanè dilecti filii Sigiſmundus Brumanus Cremonenſis, Artium & Medicinæ Doctor, ac Romani Collegii pariter Artium & Medicinæ Doctorum Prior, ac dictæ Vrbis & totius Status Eccleſiaſtici Protomedicus Generalis, necnon Antonius Portus Firmanus, & Odoardus Lopius Romanus, pariter Artium & Medicinæ Doctores conſiliarii, tam ſuo quàm ipſius Collegii nominibus Nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs poſtquam fel. rec. Sixtus Papa Quartus prædeceſſor noſter, nonnulla per tunc exiſtentes Protomedicum & Priorem ac Collegium hujuſmodi, ad obviandum erroribus qui in Arte Medicinæ à pleriſque qui ſibi nomen Medici uſurpabant, committebantur, ac periculis mortis quæ ſæpiſſimè infirmis inde ſequebantur, ſtatuta, & ordinata perpetuò approbaverat, & confirmaverat.

*Clemēs VII. illa & alia de novo ſtatuta confirmavit, & ipſa ac alia privilegia multa Protomedico & Collegio tribuit.*
*Super approbatione phyſicorum, Chirurgorum, & Aromatariorum.*
*Examinatione Simpliciū & compoſitorum medicinalium.*
*Exercitio Aromataria.*
*Facultateque promovendi ad gradus.*
*Iuriſdictione cauſas cognoſcendi civiles & criminales.*
*Tu attende conſt. Clem. VII. cit. in rubr.*

§. 2. Et deinde tam piæ mem. Clemens Papa VII. etiam prædeceſſor noſter, qui præfata ac alia etiam per tunc exiſtentes Protomedicum & Collegium hujuſmodi de novo ſtatuta & ordinata, quæ ſuis ſub plumbo confectis literis de verbo ad verbum inſeri voluit, quàm recolendæ mem. Julius III. Pius IV. Pius V. & Greg. XIII. Romani Pontifices, etiam prædeceſſores noſtri, ea omnia etiam perpetuò confirmaverant & approbaverant, ac per omnes & ſingulos artis Medicinæ hujuſmodi profeſſores Aromatarios, in Vrbe ac toto ſtatu hujuſmodi commorantes, ac alios quos illa concernebant, inviolabiliter obſervari mandaverant, ac quamplura gratias, facultates, cōceſſiones, privilegia, & indulta Protomedico, Priori, & Collegio prædictis, tam ſuper approbatione Phyſicorū & Chirurgorum, ac Aromatariorum in Vrbe, & aliis Civitatibus, terris, & locis S.R.E. ſubjectis, ac examine ſimplicium, vel compoſitorum medicinalium humanis corporibus exhibendorum, ac Aromatariæ medicinalis exercitio, quàm ſuper facultate & poteſtate promovendi ad magiſterii vel Doctoratus gradum, illorūque inſignia dandi, necnon juriſdictione Protomedici & Collegii prædictorum cognoſcendi quaſcumque cauſas civiles & criminales eorum, ac Aromatariorum, aliorūque, mederi ſeu medicinalia cujuſcūque generis fuerint, tradere & exhibere volentium exercitium concernentia, privativè etiā quoad alia tribunalia quæcumque, ac procedendi contra quoſcumque inobedientes, etiam ad pecuniarias, aliaſque pœnas, necnon viſitandi & corrigendi quoſcumque Aromatarios, eorumque Aromatarias in Vrbe, & toto ſtatu Eccleſiaſtico hujuſmodi, ut præfertur exiſtentes, ac ad id Commiſſarios, alioſque deputatos deſtinandi & deputandi, ac denique omnia & ſingula in præmiſſis neceſſaria ſtatuendi, faciendi, ordinandi, & exequendi ſimiliter perpetuò conceſſerant.

*Correctione Aromatariorum, & viſitatione Aromatarum.*
*Protomedicus, idem & Collegium incolumitati incolarum ſtatus Eccleſiaſtici intentum ſtatuta reformarunt, & alia pro ſalubri Collegii regimine ſtatuerunt.*

§. 3. Protomedicus, & Prior, ac Conſiliarii, & Collegium hujuſmodi decori & utilitati ipſius Collegii, ac incolarum Vrbis, & ſtatus hujuſmodi incolumitati, quantum in eis eſt ſtudentes, antiqua ſtatuta prædicta, prout temporum ratio expoſtulat in meliùs reformarunt, aliaque de novo ſuper præmiſſis, ac aliàs debitum exercitium Artis hujuſmodi, necnon felix ipſius Collegii regimen concernentia & diſponentia, ac alias ſalubria & honeſta ediderunt, prout in ſingulis ipſorum Prædeceſſorum literis deſuper confectis ac ſtatutis pleniùs continetur.

*Et pro prædictorum omnium confirmatione Papam ſupplicarunt.*

§. 4. Cum autem Protomedicus & Collegium prædictum cupiant literas prædictas, ac ſingula ſtatuta hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori per Nos perpetuò approbari & confirmari, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum deſiderio hujuſmodi annuere, aliaſque in præmiſſis opportunnè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui prædictas gratias & ſtatuta confirmat.*

§. 5. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet vota, præſertim ſaluti & incolumitati Nobis ſubditorum conſulentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac attendentes ſtatuta de novo edita prædicta non niſi pro bono regimine & ſalubri directione dicti Collegii horū temporum, ita ſuadente ratione facta fuiſſe, ipſumque Collegium, ac illius ſingulares perſonas quæ pro univerſali hominum ſalute continuò laborant, ſpecialibus quoque favoribus & gratiis proſequi volentes, ac ſingularum literarum & ſtatutorum hujuſmodi tenores, etiam veriores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur & infererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſingulas literas prædictas ac ſtatuta per Protomedicum & Collegium hujuſmodi condita atque edita, ac omnia & ſingula in eis contenta, ac inde ſequuta & ſequenda quæcūque, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, quatenus liceat, & honeſta, & ſacris Canonibus & decretis Concilii Tridentini contraria non ſint, perpetuò approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos juris & facti, alioſque defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplemus, eaque omnia & ſingula ab omnibus quos illa concernunt & concernere poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter perpetuò & inviolabiliter obſervari, ac ad illorum omnium obſervationem omnibus juris & facti remediis cogi, & compelli poſſe.

*Clauſulam ſublata apponit.*

§. 6. Decernentes ſic & non aliter per quoſcumque Iudices quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ſingularum provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum dicti ſtatus Eccleſiaſtici Vicelegatos, Gubernatores, Poteſtates, & alios Iudices, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorem huius conſt. deputat, & defenſorem.*

§. 7. Et nihilominus dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus per ſe vel alium, ſeu alios Protomedico & Collegio prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra præſentes ac ſingulas literas & ſtatuta hujuſmodi perpetuò & inviolabiliter obſervari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias & cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

*Contraria omnia tollit.*

§. 8. Non obſtantibus ſimilis mem. Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri de una, & Cōcilii generalis de duabus dietis, dūmodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis quæ dicti Prædeceſſores in ſingulis eorum litteris voluerunt,

voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcumque, aut ſi Aromatariis & aliis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Dat. P. An. 2. die 10. Nov.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Novemb. 1593. Pontificatus noſtri anno 2.

CXXI. **Facultas Congregationis Clericorum Miniſtrantium infirmis, recipiendi Novitios ad habitum, non expectato Capitulo generali, nec provinciali.**

*Iſtam Congregationem primò approbavit Sixtus V. in ſua conſt. 25. Ex omnibus, lib. 2. ubi alia notavi.*

*Edita An. D. 1594.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* ASſidua pietatis & charitatis opera, quæ dilecti filii Præpoſitus & Clerici aliique religioſi Congregationis Miniſtrantium Infirmis circa infirmorum tum corporalem, tum ſpiritualem curam, ut accepimus, continuò exercent, meritò nos inducunt, ut eorum Religionis conſervationi & augmento libenter proſpiciamus.

*Facultas de qua in rubr.* §. 1. Proinde ſupplicationibus eorum Nobis nomine humiliter porrectis inclinati, ac de Venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium Congregationis ſuper Cōſultationibus Epiſcoporum, & regularium deputatæ Præpoſitorum ſententia, dictis præpoſito & religioſis perpetuò concedimus & indulgemus, ut in qualibet eorum domo ubicumque locorum exiſtentes, tres ex antiquioribus Patribus à Capitulo Conventuali deputari poſſint, qui eandem habeant facultatem & poteſtatem in admittendis Novitiis, quæ commiſſa fuit Capitulis generalibus & provincialibus, aliiſque deputandis juxta conſtitutionem ſuper novitiorum receptione à fel. rec. Sixto Papa V. prædeceſſore noſtro editam ſub Dat. ſexto Kal. Decembris, anno tertio, & alteram ejus declarationem ſub Dat. 12. Kal. Novembris anno quarto ejus Pontificatus, dummodo in reliquis earumdem conſtitutionum formam ſervent. Ad hocque plenam & amplam dictis deputatis facultatem & auctoritatem impartimur.

*Sixti V. hæ conſtitutiones ſunt in 2. tom.*

*Derogatio contrariorū.* §. 2. Non obſtantibus prædicti Sixti V. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 3. die 31. Mart.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 31. Martii 1594. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

CXXII. **Contra edentes, vel utentes aliis Litaniis, quàm hic approbatis, vel à Congregatione Sacrorum rituum approbandis.**

*Edita An. D. 1601.*

*De hac Congregatione habes conſtitut. 74. Sixti V. Immenſa, lib. 2. Congreg. V.*

*Cauſa huius prohibitionis.* SAnctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa VIII. Quoniam multi hoc tempore, privati etiam homines, prætextu alendæ devotionis novas quotidie Litanias evulgant, ut jam prope innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur, & in nonnullis ineptæ ſententiæ, in aliis (quod gravius eſt) periculoſæ, & errorem ſapientes inveniantur, pro ſolicitudine ſua paſtorali providere volens, ut animarum devotio, Deique, ac Sanctorum invocatio, ſine ullius detrimenti ſpiritualis periculo foveatur.

*Prohibitio de qua in rubr.* §. 1. Præcipit, & mandat, ut retentis antiquiſſimis, & communibus Litaniis, quæ in Breviariis, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon Litaniis de B. Virgine, quæ in Sacra Æde Lauretana decantari ſolent, quicumque alias Litanias edere, vel jam editis in Eccleſiis, ſive Oratoriis, ſive Proceſſionibus uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum rituum recognoſcendas, & ſi opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque ſine licentia & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publicè recitare præſumant, ſub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii, & Inquiſitoris ſeverè infligendis.

*Decretum Pont. An. 1601. die 6. Sept.* §. 2. Præſens Decretum factum fuit in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali, coram prædicto Sanctiſſimo Domino noſtro, ac Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis S.R.E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, vii. Idus Septembris, Anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti 1601. Quintilianus Adrianus Not.

CXXIII. **Approbatio, & nova inſtitutio Congregationis Clericorum ſæcularium in communi viventium, ſub invocatione B. MARIÆ dudum ab Alexandro Epiſcopo Lucano, in ea Civitate erectæ, cum Indultorum conceſſione, & facultate alia ubique loca recipiendi.**

*Hanc ipſam Congregationem, Matris Dei Congregationem de cetero nuncupari voluit Paulus V. in ejus conſtit. 81. Inter Paſtoralis, ubi regimen quoque Scholarum Piarum ad pauperes erudiendos erectarum & erigendarum eidem Congregationi perpetuò delegavit.*

*Edita An. D. 1595 & 1604.*

*CLEMENS PAPA VIII.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* EX quo divina Majeſtas ad Paſtoralis officii faſtigium Nos quamquam immeritos evexit, illa quantum in nobis ſemper fuit ſuperno auxilio freti facere conati ſumus, ut Confraternitates ſeu Societates, aut Congregationes, quæ ad divini cultus augmentum & animarum ſalutem inſtitutæ ſunt, & in obſervatione inſtitutorum ſuorum piè & religioſè perſiſtunt, magis quotidie in illo ſuo pio & ſancto propoſito confirmarentur.

*Alexander Epiſ. Lucanus anno 1583. Congreg. Clericorum ſæcularium & Laïcorum in communi viventium, ſub invocatione B. Mariæ in Civitate Lucana erexit.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, Venerabilis frater Alexander Epiſcopus Lucanus jamdudum Confraternitatem, ſeu Societatem, aut Congregationem Clericorum ſæcularium & laïcorum in communi viventium, ſub invocatione & vexillo B. & Glorioſæ, ſemperque Virginis MARIÆ, in Eccleſia ſanctæ Mariæ Curtis Orlandigorum Lucan. erexerit, ac dictæ Confraternitatis ſeu Congregationis Confratribus, ut unum ex eis qui aliis præeſſet, ac rerum & bonorum ipſius Confraternitatis, ſeu Congregationis curam & adminiſtrationem gereret, cuique ipſi Confratres parere tenerentur, eligere, ac conſtitutiones per eum approbandas condere poſſent, facultatem conceſſerit, prout in patentibus literis ipſius Alexandri Epiſcopi de anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio deſuper cōfectis pleniùs contineri dicitur, ac ejus Confraternitatis, ſeu Congregationis Confratres Sacramentorum eccleſiaſticorum adminiſtratione, divini verbi prædicatione, & aliorum bonorum operum exemplo proximum juvare totis viribus contendant.

*Et hic Pontifex d. inſtitutionem Congreg. Clericorum ſæcularium in communi viventium approbat.*

§. 2. Nos ut ipſi Confratres in ſuo laudabili propoſito magis confoveantur, & ad hujuſmodi pia & ſancta opera exercenda promptiores reddantur, ac fructus quos in Vinea Domini plurimos hactenus & maturos ac dulces locatori Domino obtulerunt, eoſdem longè dulciores & maturiores ac uberiores in poſterum offerant, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine erectionem Confraternitatis, ſeu Societatis aut Congregationis Clericorum ſæcularium, in dicta Eccleſia ab eodem Alexandro Epiſcopo, ut præfertur factam, necnon omnia & ſingula in dictis patentibus literis erectionem hujuſmodi concernentibus, quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, contenta & inde ſecuta quæcumque, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti, & ſolemnitatum in eis forſan omiſſarū defectus, ſi qui intervenerint in eiſdē, ſupplemus.

*Et de novo eā inſtituit. Facultatem ordinationes & ſtatuta ad bonum eius regimen edendi concedit.*

§. 3. Et nihilominus eandem Confraternitatem in Congregationem Clericorum ſæcularium ſub titulo, ſeu invocatione ejuſdem B. MARIÆ Virginis, cum eiſdem regulis, inſtitutis, & facultatibus in dicta Eccleſia auctoritate & tenore præmiſſis perpetuò erigimus & inſtituimus.

§. 4. Necnon nunc & pro tempore exiſtentibus Re-

ctori, & Sociis dictæ Congregationis, ut quæcumque ſtatuta & ordinationes, felix regimen & gubernium ipſius Congregationis concernentia, ac ſacris Canonibus, & decretis Concilii Tridentini, ac Romanorum Pontificum conſtitutionibus non adverſantia condere, quæ tamen condita ab Ordinario loci approbentur.

§.5. Quodque Confeſſores dictæ Congregationis, qui ab Ordinario approbati fuerint, confeſſiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, & debitam illis pœnitentiam pro modo culpæ injungere.

*Confeſſoribuſque ejuſdem Congreg. auctoritatem omnium ad eos confluentium confeſſiones audiendi elargitur.*

§.6. Superiores autem ipſius Congregationis, per ſe vel alium, ſeu alios ex ipſis jam approbatis, ſuos ſubditos à cenſuris in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non tamen contentis in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis abſolvere, & etiam debitam illis pœnitentiam injungere.

*Prælatis ipſius Congreg. à cenſuris non reſervatis in Bulla Cœna Domini ſubditos abſolvendi auctoritatem impartitur.*

§.7. Necnon Superior dictæ Congregationis receptos, inobedientes, & illius conſtitutionum tranſgreſſores punire, & pœnitentia pro modo culpæ ejus arbitrio, ſervata tamen ſemper dictarum conſtitutionum forma, eoſdem afficere, ut ſibi videbitur, cum aſſenſu majoris partis dictæ Congregationis culpabiles ejicere, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio Epiſcopi, ſeu brachii ſæcularis, liberè & licitè valeant, eiſdem auctoritate & tenore concedimus.

*Majori d. Congregationis inobedientes coërcendi poteſtatem tribuit.*

§.8. Quodque recipiendi in Congregatione hujuſmodi, tam Clerici quàm Laïci, teneantur, ubi aliter Congregationi viſum non fuerit remittendum, promittere cum juramento, ſe refecturos expenſas pro ipſis ab eadem Congregatione factas, ſi quando contigerit ut ſponte vel juſta de cauſa expulſi ab eadem Congreg. diſcedant.

*Recipiendos à Congregatione ad ſpeciale iuramentum hic expreſſum teneri iubet.*

§.9. Demum quod congregatio hæc ſit & perpetuò remaneat ſub protectione hujus Sedis Apoſtolicæ, non tamen exempta ab ordinaria juriſdictione Epiſcoporum Lucanorum qui pro tempore erunt, quoad viſitationem & reformationem, ſi opus fuerit, juxta conſtitutiones ejuſdem Congregationis tantùm, nec alias, aliter, nec alio modo, nullo tamen caſu, prætextuve, aut quæſito colore alienos ex Sociis præfatis ab eadem Congregatione ſine expreſſo conſenſu ejuſdem unquam extrahere, nec ab obſervantia inſtituti diſtrahere valeant, perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

*Congregationem ſub protectione Sedis Apoſt. reſervata Epiſcopo Lucano tantum iuriſdictione viſitandi, & reformandi, recipit.*

§.10. Sicque per quoſcumque Iudices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari ac diffiniri debere, necnon irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*In contrarium acta pro infectis haberi declarat.*

§.11. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides, adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Tranſumptis huius bullæ credi iubet.*

§.12. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

Datum Tuſculi, ſub annulo Piſcatoris, die xiij. Octobris 1595. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

*D.P. An. 4. die 13. Octob.*

*Sequitur facultas d. Congregationis alia ubique loca recipiendi.*

*Edita An. D. 1604.*

## *CLEMENS PAPA VIII.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ILlos Apoſtolicæ benignitatis favoribus libenter proſequimur, qui ſub ſuavi Chriſti jugo gratum Altiſſimo famulatum præſtantes, in militanti Eccleſia ad Chriſti fidelium ſalutem optatos in Domino fructus afferunt.

§.13. Aliàs ſiquidem Nos Congregationis Clericorum ſæcularium B. MARIÆ Lucan. inſtitutum approbavimus, ipſamque Congregationem ſub noſtra & Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepimus, illique diverſa privilegia, indulta, & gratias conceſſimus, ita tamen ut viſitationi loci Ordinarii juxta conſtitutiones ipſius Congregationis tantùm ſubeſſent.

*Hic Pont. Congregationem iſtam approbavit, ut in Bulla præinſerta.*

§.14. Et deinde eidem Congregationi Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Porticu de Vrbe, ut apud illam unus Præpoſitus, & aliquot ejuſdem Congregationis perſonæ habitare, & in ipſa eccleſia divina Officia celebrare, & Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare valerent, de conſenſu dilecti filii noſtri Bartholomæi S. Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis Ceſii nuncupati conceſſimus, prout in diverſis noſtris in forma Brevis deſuper expeditis literis plenius continetur.

*Et deinde Eccleſiam S. Mariæ in Porticu de Vrbe illi conceſſit, ſed eam Bullam hic ſufficienter relatam non poſui.*

§.15. Cum autem, ſicut accepimus, Congregatio prædicta uberes in Eccleſia Dei fructus, ad animarum Chriſti fidelium ſalutem proferat, & illius Clerici ſub nonnullis conſtitutionibus & regulis à dilecto filio noſtro Cæſare tit. SS. Nerei & Achillei Presbytero Cardinale Baronio nuncupato, ipſius Congregationis apud Nos Protectore, examinatis, & auctoritate noſtra Apoſtolica approbatis, laudabilem vitam degant, & in via Domini non mediocres progreſſus faciant, & ſi illis ut alia loca, domos & Eccleſias ubique recipiendi, & in illis juxta prædictas conſtitutiones, & regulas degendi, ac divina officia celebrandi, Eccleſiaſticaque ſacramenta miniſtrandi facultas concederetur, inde profectò Chriſti fidelium animarum ſalus valde promoveretur, ac ſpiritualis conſolatio magis augeretur. Nos ejuſdem Congregationis propagationi conſulere, ac illam & ejus perſonas ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, necnon ſingularum noſtrarum literarum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, & ſingulas ejuſdem Congregationis perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet ſint innodatæ, ad effectū præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia & mera deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eidem Congregationi, ejuſque Præpoſito Generali, & Clericis, ut loca, domos & Eccleſias illis in quibuſvis Civitatibus & diœc. de licentia Ordinariorum cōcedendas recipere, & in illis habitare, ac divina officia celebrare, & Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare, ac omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, & immunitatibus, ipſis Congregationi, Præpoſito & Clericis per Nos in primodictis literis conceſſis, ubique frui, potiri & gaudere liberè & licitè poſſint & valeant, ſervata tamen forma in primodictis noſtris literis expreſſa, & in prædictis conſtitutionibus, ut præfertur, juſſu noſtro examinatis & approbatis contenta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus. Illoſque deſuper à quoquam quavis auctoritate impediri, moleſtari, perturbari, vel inquietari nullatenus poſſe, & irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Et modo eidem Congreg. alia loca ubique de licentia Ordinariis recipiendi facultatem concedit.*

*Ad hoc vide etiam huius Pontificis Const. 91 Quoniam, & ubi quid in receptione votorum ſit obſervandum explicatur.*

§.16. Quocirca dilectis filiis noſtris Cæſari Presbytero Cardinali Baronio, moderno, & pro tempore exiſtenti ejuſdem Congregationis Protectori, ac Vicario Urbis, necnon cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Præpoſiti & Clericorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos eorumdem præmiſſorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Executores & defenſores deputat.*

§.17. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, atque omnibus illis quæ in prædictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Contrariis derogat.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 14. Junii 1604. Pontificatus Noſtri anno 13.

*Dat. P. A. 13. die 14. Junii.*

**LEO XI. PONT. CCXXXVI.**
ANNO DOMINI MDCV.



LEo Vndecimus Florentinus, Alexander Medicæus antea dictus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus. Creatus Anno Domini 1605. die primo Aprilis: Coronatus die 18. ejuſdem menſis, & anni. Vixit dies viginti ſeptem. Nullos creavit Cardinales. Obiit die 27. Aprilis ejuſdem anni. Corpus ejus ſepultum fuit in Baſilica Principis Apoſtolorum. Vacavit Sedes dies 18.

**PAVLVS V. PONT. CCXXXVII.**
ANNO DOMINI MDCV.



PAulus V. Camillus Burgheſius antea dictus, Romæ natus anno Domini 1552. Patre Marco Antonio Patritio Senenſi, tit. S. Chryſogoni Presb. Card. Creatus die XV. Coronatus die 28. Maii 1605. Creavit Card. 60. Sedit annos 15. menſes 8. dies tredecim. Obiit anno ſal. M.DC.XXI. die 28. Januarii. Sepultus in Baſilica Principis Apoſt. deinde tranſlatus fuit ad S. Mariam Majorem, in Sacello à ſe magnificentiſſimè extructo. Vacavit Sedes dies undecim.



I.

Jubilæi indictio, ad divinam opem pro ſalutari Eccleſiæ Catholicæ regimine, & præſentibus neceſſitatibus implorandam.

*Hujuſmodi Iubilæum Romani Pontifices indicere conſueverunt, eorum tamen conſtitutiones prætermiſi, hac ſola pro exemplari contentus, ultra aliam Sixti V. quæ eſt ſup. lib. 2. Virtutum, n. 1.*

Similes Indictiones vide ob eandem cauſam factas à Greg. XV. in Conſt. 2. Spiritus, infr. tom. 4. & à S.D.N. Vrban. VIII. ſub forma tamen Orationis quadraginta Horarum, in conſt. 7. Æternus, infr. d. tom. 4.

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Vniverſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* Edita A.D. 1605.

QUod in omni vita ſummis votis à totius bonitatis auctore Deo ſemper optavimus, ut univerſæ cogitationes & actiones noſtræ ſingulari ejus benignitate profectæ in viam æterni beneplaciti ſui dirigerentur, & non ad alicujus privati, vel temporalis boni commoditatem, ſed ad communis & æternæ beatitudinis felicitatem, divina favente gratia perducerentur, id hoc tempore, quo immenſa illius largitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, nos nihil hujuſmodi cogitantes, in hoc ſupremo dignitatis Apoſtolicæ gradu, nullis noſtris meritis, ſed ſola miſeratione ſua, & admirabili providẽtia collocavit, ſuppliciter ab eo poſtulandũ duximus, ut in difficillimo munere obeundo, virium noſtrarum imbecillitatem auxilii ſui virtute ſuſtentare ac tueri velit. Exordium.

§. 1. Cum enim in ea curarum mole in qua verſamur, tum ob rerum quæ nos circumdant, multitudinem, tum ob negotiorum quibus urgemur, difficultatem, planè cognitum non habeamus quò gradiamur, & unde initium ſumamus, aut quid agere debeamus, id nobis conſilii ſupereſt, atque hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros ad eum dirigamus, qui tunc maximè cum opus eſt, ſummis in difficultatibus ſuper domum David, hoc eſt ſuper nos & cæteros Eccleſiarum moderatores, ac ſuper habitatores Hieruſalem, videlicet ſuper fideles ac ſubditos populos, non ſolùm orationis & precum dona, quibus petita impetrentur, placabilis & benignus effundit, ſed cæleſtis etiam gratiæ ſuæ ſpiritum ac virtutẽ elargitur, qua nos Catholicam Eccleſiam cæterarum Matrem & Magiſtram, ſanctè & feliciter regere, & qui in partem ſollicitudinis nobiſcum vocati ſunt, cæteras quoque Eccleſias bene adminiſtrare, ac tandem deſiderata bona conſequi, & rectè omnia perficere valeamus. Magna eſt enim vis concordis & perſeverantis orationis, præſertim cum & ii qui cæteris præſunt, igne perfectæ charitatis incenſi apud Deum pro populo intercedunt, & qui ſuperioris imperio parent, unanimes in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito pro ſuo Duce ac Rectore deprecantur: nihilque adeo eſt, quod fideles (ſi convertantur ad Deum in corde perfecto, & proſternant preces ſuas in conſpectu ejus) communibus votis tandem non obtineant, & jam impetratum diutiùs non conſervent. Sic olim Deus Salomoni in ipſo regni ſui exordio ſapientiam per orationem poſtulanti ad diſcernendum judicium, dedit cor ſapiens & intelligens. Sic Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, & Chriſti in Terris Vicarium oratio, quæ ab Eccleſia ſine intermiſſione pro eo fiebat, eripuit de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum, & Chriſtus Dominus dum cum hominibus converſaretur, Apoſtolis ſuis dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Et, ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quancumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Jure igitur optimo nos qui nihil aliud in adminiſtratione univerſalis Eccleſiæ nuper nobis commiſſa ſpectare debemus, quam ipſius Causæ huius indictionis jubilæi.

Eccleſiæ Catholicæ ſalutem, Chriſtianorum Principum pacem, totiuſque Orbis Chriſtiani tranquillitatem, ut in hoc onere arduo atque graviſſimo ſuſtinendo iis quæ cupimus, & quibus maximè indigemus, præſidiis à Deo qui poſtulantibus à ſe ſapientiam dat omnibus affluenter, ut confidimus, adjuvemur, hoc noſtri Pontificatus initio pium & laudabilem nonnullorũ Romanorum Pontificum prædeceſſorũ noſtrorum morem hac in re ſecuti, ad communem totius populi Chriſtiani deprecationem indictis ea de cauſa per Catholicum Orbem ſupplicationibus, & ſalutaribus Indulgentiis promulgatis, primo quoque tempore confugiendum eſſe decrevimus. Hæc enim una eſt, & communis illa Populi Chriſtiani oratio, quæ concordibus omnium fidelium voluntatibus, per veræ pœnitentiæ remedium cum jejunio & eleemoſyna conjunctum, in primis hominum mentes à vitiis purgat, tum ſublevat ad cœleſtia, & ad ſalutem, ac vitam æternam dirigit, deſiderata deinde dona ex Deo bonorum omnium fonte deducit, ipſos denique homines ad illa conſequenda capaces, & dignos efficit. Quanquam nos ad hanc deliberationem ineundam, non ideo ſolùm adducimur, quod Eccleſiæ gubernaculis manum admoturi præcipuo divini numinis auxilio præmuniri cupiamus, ſed quod exiſtimemus hoc tempore idipſum ad communem Dominici gregis incolumitatem pertinere, quodque Catholicæ Eccleſiæ, & Chriſtianæ Reipublicæ in difficultatibus cõſtitutæ admodum ſalutare atque opportunum fore judicemus. Immaniſſimus enim Turcarum Tyrannus perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis, inſana illa dominandi libidine, qua Orbis Imperium temerè jam ſibi deſpondit, excæcatus, ac ſummo Chriſtianæ religionis odio incenſus innumeras clades non modò finitimis populis erumpendo, ſed remotis quoque gentibus omnia invadendo jamdiu attulit, ſuperioribus verò annis ſævo, diuturnoque bello in Hungariam excitato, licet aliquot ibi egregias Civitates & loca inſignia quæ occupaverat, quæque poſtea ex illius manibus erepta & recuperata fuerunt, amiſerat, pleraſque tamen, tum in ipſa Hungaria, tum in locis illis contiguis nobiliſſimas ditiones, & munitiſſimas arces in ſuam poteſtatem redegit, noviſſimè autem hoc anno (quod ſine gravi dolore commemorare non poſſumus) perditi etiam, ac profligati homines, chariſſimi nimirum in Chriſto filii noſtri Rodulphi Romanorum Regis Illuſtris in Imperatorem electi, in eadem Hungaria rebelles ipſis Turcis per exitiale ſcelus adjũcti, & per ſũmam impietatem ſuis inteſtinis tumultibus, ac ſeditionibus confirmatis atque auctis, humana divinaque cuncta perturbant, & adhibitis ſimul armis, omnibus ipſius Rodulphi dominiis nefariam direptionem & vaſtitatem minantur. Quæ quidem mala cum non tam armis, quam aſſiduis apud Deum precibus propulſari debeant, quòd ab ipſius ira in homines propter illorũ peccata & iniquitates contra eum provenerint, hac ipſa de cauſa ad communem quoque totius Chriſtiani populi obſecrationem recurrendũ eſſe cenſuimus, cujus tanta ad inimicorũ impetus propulſandos virtus & efficacia eſt, ut illorum fortiſſimos exercitus, qui alioquin armis expugnari non poſſent, ipſa facilè diſſipet atque proſternat. Quod non obſcurè divina ſacræ Scripturæ eloquia nos docent, dũ fideles populos, qui adverſus hoſtes præliaturi ad Deum per aſſiduam orationem & pœnitentiam confugiunt, illiuſque nomen invocant, & miſericordiam implorant, non tam ferro quàm lingua, & labiis pugnare, & arma in verbis, ac precibus habere teſtantur. Quod ut quamprimum Rodulpho, ejuſque piis ac fidelibus ſubditis & militaribus copiis eveniat, ipſi vehementer cupimus, & à Deo nuncupatis votis optamus. Id autem ab ipſo miſericordiarum Patre, & Deo totius conſolationis facilè nos impetraturos confidimus, ſicut enim ſupremam illius Majeſtatem homines, ubi eam offenderint, tunc maximè propter ejus potentiam timere debent, ita ſemper iis qui per pœnitentiam reſipuerint, ejuſque gratiam & auxilium piè ac devotè poſtulaverint, optimè de ſumma illius benignitate ſperandum eſt, ſecundùm enim magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt.

*Forma conſequendi Iubileum.* §. 2. Cum igitur cæteras Civitates, Terras & loca ubique exiſtentia exemplo Almæ Vrbis noſtræ ad ſalutarem hanc & unanimem orationem permovere cupiamus, ab eadem Vrbe initium ſumentes, ſolemnes proceſſiones ad ejuſdem Vrbis Baſilicas, Principis nimirum Apoſtolorũ in Vaticano, necnon Beatæ Mariæ Majoris proxima hebdomada, quæ erit prima menſis Julii proximè futuri, feria quarta & Sabbato indicimus, ad quas Baſilicas nos cum omni demiſſione, & humilitatis mentis & corporis, unà cum Ven. Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis atque Epiſcopis, quos in Romana Curia adeſſe contigerit, ac Chriſtianorum Regum & Principum Oratoribus apud Nos exiſtentibus, aliiſque Prælatis atque officialibus Romanæ Curiæ, & Magiſtratibus Populi Romani, univerſoque Clero & Populo comitante accedere, dictaſque proceſſiones & ſupplicationes habere & celebrare decrevimus. Vt verò divina bonitas optata bona ſuo populo ſupplicanti copioſiùs largiatur, omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles in Vrbe, & in cunctis Orbis Terrarum Regnis, Dominiis, Regionibus, & locis exiſtentes, per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri hortamur atque obſecramus, ut qui in eadem Vrbe dicta hebdomada, vel ſaltem altera ſequente, qui verò extra Vrbem fuerint, proxima, aut altera item ſequente hebdomada, poſtquam præſentes literæ ibi fuerint publicatæ, vel ſi aliquibus in locis ex quavis cauſa publicatæ non fuerint, poſtquam ad eorum notitiam quocumque modo pervenerint, ſalutari pœnitentiæ ſacramento ad præteritas culpas diluendas ſe præparent, Deumque orent, ut nos ſingulari virtutis ſuæ præſidio tueri, & pares ſuſcepto muneri vires nobis ſufficere, Eccleſiæ Catholicæ fidem longè lateque propagare, impios hæreticorum errores undique evellere, & Hungariæ Regnum à Turcarũ armis defendere, eique optatam tranquillitatẽ reſtituere dignetur. Et ii quidem qui in eadem Vrbe fuerint prædictas Baſilicas, ſive earum alteram, quam maluerint, qui verò extra Vrbem, Eccleſiam vel Eccleſias per locorum Ordinarios ſeu eorum Vicarios aut Officiales, vel de eorum mandato, & eis deficientibus, per eos qui ibi curam exercent animarum, nimirum poſtquam præſentes noſtræ ibidem fuerint publicatæ, ubi verò publicatæ non fuerint, poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, Eccleſias ſimiliter, ſeu Capellas, ſive oratoria, aut alia quæcumque pia loca, etiam per ſolum Confeſſarium ab ipſis eligendũ ſingulis eorum deputandas, ſeu deputanda, quocumque die, vel quibuſcumque diebus ejuſdem vel ſequentis hebdomadæ, ſaltem ſemel viſitent, & quarta & ſexta feria & Sabbato ejuſdem, vel ſequentis hebdomadæ jejunẽt, præterea pauperibus & indigentibus perſonis, aut Eccleſiis vel locis piis eleemoſynas arbitrio ſuo erogent, atque intra hoc tempus tam primæ, quàm ſecundæ hebdomadæ alicui Presbytero ab Ordinario loci approbato, peccata ſua confiteantur, & Dominica prima vel ſecunda, vel alio dictæ prioris vel ſequentis hebdomadæ die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſuſcipiant. Qui autem in navigatione vel itinere fuerint, peracta navigatione, vel itinere confecto, hæc omnia, ut ſuperius dictum eſt, faciant & exequantur. Regularibus verò perſonis utriuſque ſexus in clauſtris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuſcumque, tam ſæcularibus, quàm regularibus in carcere aut captivitate exiſtentibus, aut aliqua corporis infirmitate, vel alio quocumque impedimento detentis, qui ſuperiùs expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, Presbyter Confeſſarius, ut præmittitur approbatus, quem elegerint, prædicta omnia & ſingula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen tempus prorogare poſſit, qui etiam aliis Chriſti fidelibus in eiſdem Regnis, Dominiis, Regionibus & locis exiſtentibus, in quibus præſentes noſtræ literæ publicatæ non fuerint, ea dumtaxat injungere valeat quæ ipſi Chriſti fideles efficere poterunt.

§. 3. Quæ omnia ut ipſi Chriſti fideles eo libentiùs præſtare ſtudeant, quo uberius ſpiritualibus muneribus & gratiis ſe refectos eſſe cognoverint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi ac ſolvendi poteſtate quam Deus nobis, licet indignis contulit, Theſauros Eccleſiæ copioſè aperientes, univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus prædictis, qui præmiſſa *Iubilæi conceſſio.*

modo

modo & forma ſuperius expreſſis fecerint, ut ſupra dictum eſt, Deum oraverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, veniam & remiſſionem, ſicut in Anno Jubilei viſitantibus certas Eccleſias extra & intra Vrbem concedi conſuevit, tenore præſentium damus, concedimus & elargimur. Necnon eiſdem Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, tam laïcis quàm Eccleſiaſticis, ſecularibus, vel etiam cujuſvis Ordinis & Congregationis, ſeu inſtituti regularibus, concedimus & indulgemus, ut ſibi eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem quam cujuſvis Ordinis vel inſtituti regularem, ex approbatis tamen ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à jure vel ab homine quovis modo & cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus & delictis quantumvis gravibus & enormibus, etiam in caſibus tam locorum Ordinariis, quam nobis & Sedi Apoſtolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi conſuetis, atque aliàs, etiam per quaſcũque Rom. Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro plenè & ſufficientere expreſſis, ac ſi ad verbũ insererentur, quomodocumque reſervatis, in foro tantum conſcientiæ hac vice ſolùm abſolvere. Et inſuper vota quæcumque (Religionis & Caſtitatis exceptis) in alia pia & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, ac aliis ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungẽdis, poſſit & valeat.

ſio illud licandi. §.4. Quapropter tenore præſentium mandamus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus omnibus & quibuſcumque Ven. Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis Eccleſiarum Prælatis, & quibuſvis Ordinariis locorum, ut cum præſentium litterarum tranſumpta aut exempla acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione vel impedimento, aut limitatione per ſuas Eccleſias, Civitates, Oppida, Terras, Loca, Diœceſes & Provincias publicent & evulgent, ac publicari & evulgari faciant, Cleriſque & Populis ſibi ſubjectis ſolemnes proceſſiones & ſupplicationes indicant & celebrent. Quod ſi præmiſſa omnia & ſingula præſtare neglexerint, vel ex quavis cauſa & prætextu illa exequi prætermiſerint, præter peccatum tranſgreſſionis, in quod incurrent, ſciant nihilominus præſentes noſtras literas, cum ad Chriſti fidelium notitiam quovis modo, ut ſuprà dictum eſt, pervenerint, ubique eandem vim, ac robur habituras, ac eiſdem Chriſti fidelibus perinde profuturas, ac ſi modo & forma præmiſſis publicatæ & evulgatæ, & ſolemnes proceſſiones propterea indictæ & celebratæ fuiſſent. Per præſentes autem ſuper aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, etiam in foro conſcientiæ non intendimus: ac declaramus has ipſas præſentes quoad abſolutionem in foro conſcientiæ & pœnitentiali tantum, non autem in foro fori, ſeu contentioſö conſequendam, neque etiam quoad dictum forum conſcientiæ, qui ab aliquo Iudice excommunicati, ſuſpenſi vel interdicti, ſeu aliàs in ſententias & cenſuras incidiſſe declarati vel publicè denunciati fuerint, niſi intra tempus celebrationis hujuſmodi Jubilæi ſatisfecerint, aut cum partib. cõcordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.

lauſula rogatoria. §.5. Non obſtan. conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus abſolvendi facultas in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Jubilæi, Indulgentiarum, aut facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, necnon regula noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ac quorumcumque Ordinum & Congregationum, ſive inſtitutorum Regularium, juramento, confirmatione Apoſtolica velquavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus & Congregationibus atque inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio aut expreſſio habenda, vel quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac forma in illis tradita penitus pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter, nominatim & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſumptorum fides. §.6. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, vel exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ubique locorum & gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur his ipſis litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

D.P. An. 1. die 28. Iunii. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinto, IV. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri Anno primo.

Publicatio. *Anno à Nativitate Domini 1605. Indict. 3. die verò Mercurii 29. menſis Iunii, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. PAVLI PP. V. anno ejus primo, retroſcripta littera Apoſt. affixa & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, & Sacroſancta Lateranen. ac S. Maria Majoris de Vrbe, necnon in acie Campi Flora, relictis in eiſdem locis illarum copiis affixis per nos Ioan. Bapt. Bagni, & Bernardinum Mazzatellum S.D.N. Papa Curſ.*

---

## Privilegia Abbreviatorum majoris Præſidentiæ literarum Apoſtolicarum. II.

*Collegii Abbreviatorum inſtitutionem, munus & privilegia, attende ſupra in Martini V. conſtit. 3. In Apoſtolica, Sixti IV. conſtitut. 16. Divina, ac Leonis X. conſtit. 14. Summi.*

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Edita An. D. 1605.

Exordium. ROmani Pontificis providentia circumſpecta libenter intendit, ut perſonis quæ plus laboris & obſequii in ejuſdem Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis honorem, ac univerſalis Eccleſiæ utilitatem jugiter perferre & impendere non deſiſtunt, amplioribus etiam gratiis & honoribus, ac dignitatum prærogativis decorentur.

Cauſa motiva huius conſtitutionis. §.1. Quapropter dilectos filios literarum Apoſtolicarũ majoris Præſidentiæ Abbreviatores, qui in conceſſionibus gratiarum, quas pro tempore ab ejuſdem Pontificis benignitate emanare contingit, interpretandis, dilucidãdiſque egregias operas, quod nos etiam in minoribus cõſtituti, dum Abbreviatoris earumdem litterarum munere fungeremur, plurium annorum experimẽto cognovimus, ſollicitis ſtudiis navare noſcuntur, ut quo ſpecialibus favoribus & gratiis ſe noverint proſecutos, eo alacriores ad ſimilia, & in dies majora, pro noſtro & Sedis prædictæ incremento perferenda reddantur, condignis honoribus confovere, benevolentiæque noſtræ perpetuum teſtimonium eis præbere volentes, eoſdemque Abbreviatores, ac eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, necnon omnium & ſingulorum privilegiorum, exemptionum, indultorum & gratiarum, tam Abbreviatoribus quàm utriuſque Signaturæ Romani Pontificis Referendariorum Collegiis quomodolibet conceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes.

Abbreviatores eo ipſo utriuſque Signatura Papa referendarii deputantur, & peracto triennio, Abbreviatores eſſe deſinẽtes, Referendarii tamen remanent. §.2. Motu proprio, non ad ipſorum Abbreviatorum, vel alicujus eorum, aut alterius pro eis nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtris mera liberalitate, certaque ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eoſdem Abbreviatores modernos, videlicet ex nunc, ſi nondum ſint, futuros verò ſi ante eorum ad officiũ Abbreviatoriæ litterarum hujuſmodi receptionẽ & admiſſionem non erunt, in noſtra & pro tempore exiſtẽtis Rom. Pont. utraque Signatura Referendarii, ex nunc prout ex tunc, & è contra, cum primùm ad officium Abbreviatoriæ hujuſmodi recepti atque admiſſi fuerint, & quoad Signaturam Juſtitiæ ſolitum in illius Præfecti pro tempore

tempore exiſtentis manibus,prævio examine juxta formam conſtitutionis à fel.record. Sixto Papa V.prædeceſſore noſtro ſuper reformatione Referendariorum ultimò editæ faciendo, juramento præſtiterint, in utriuſque Signaturæ hujuſmodi Referendarios, quoad vixerint, etiamſi Abbreviatores eſſe deſierint,dummodo in Officio Abbreviatoriæ hujuſmodi ſaltem per triennium ſe exercuerint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium creamus, conſtituimus & deputamus, ac dilectorum filiorum aliorum utriuſque Signaturæ hujuſmodi Referendariorum numero & conſortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris indubitatis & non fictis utriuſque Signaturæ Referendariis haberi & reputari volumus, & mandamus.

*Privilegia Referendariorum eis communicantur.*

§.3. Ac eiſdem Abbreviatoribus,ut omnibus privilegiis, exemptionibus & immunitatibus, libertatibus, prærogativis,antelationibus,honoribus,favoribus,indultis,facultatibus,conceſſionibus & gratiis,tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus ceteri Referendarii utriuſque Signaturæ hujuſmodi de jure, ſtatuto,cōſuetudine,ſeu aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur & gaudent, ac uti,potiri,frui & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, tam in judicio quàm extra, ubicumque locorum,abſque alia prorſus differentia, non ad illorum inſtar, ſed pariformiter & æquè principaliter, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illa ipſis Abbreviatoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, eorumque Collegio & perſonis ſpecialiter & expreſsè per præſentes literas conceſſa fuiſſent,uti,frui,potiri & gaudere.

*Si ea videre cupis, legas conſt.Pauli III. num.23. ſup.lib.2.Debita, & Sixti V.conſtit. 41. Quemadmodum, lib. 1.*

*Unus ex Abbreviatoribus locum ſemper habet in ſignatura Papæ.*

§.4. Quodque unus ex Abbreviatoribus prædictis,qui in receptione & admiſſione hujuſmodi antiquior fuerit, ſeu eo abſente vel impedito, alius ex eiſdem Abbreviatorib. ad id ab eorū Collegio hujuſmodi,ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ Regente pro tēpore deputandus, ſingulis noſtris, ac pro tempore exiſtentis Rom.Pontificis Signaturis,nomine hujuſmodi Abbreviatorum continuò intervenire & aſſiſtere poſſint, & valeant, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuò concedimus & indulgemus.

*Portio panis eis ſingulis conceditur.*

§.5. Præterea ſingulis Abbreviatoribus prædictis nunc & pro tempore exiſtentibus, unam portionem panis ex Palatio Apoſtolico dietim habendam, percipiendam, & conſequendam,quæ æqualis & prorſus conformis exiſtat ei,quem dilecti filii cauſarum dicti Palatii Auditores, ex eodem Palatio habere & percipere conſueverunt, ſimiliter perpetuò aſſignamus & concedimus.

*Diſpenſatio à bulla Pii IV.de regiſtrandis gratiis,quæ eſt 98.ſup.lib.1.*

§.6. Decernentes præſentes litteras ſemper validas ac efficaces eſſe & fore, neque eoſdem Abbreviatores, tam præſentes quàm futuros, nec quemquam alium eorum hominibus ad illas in Camera Apoſtolica juxta conſtitutionem piæ mem.Pii Papæ IV.etiam prædeceſſoris noſtri ſub dat. videlicet octavo Kal. Auguſti, Pontificatus ſui anno ſexto editam,qua inter alia cavetur,quod quæcumque gratiæ, ejuſdem Cameræ intereſſe quomodolibet concernentes, in ipſa Camera infra certum expreſſum tempus præſentari, inſinuari & regiſtrari debeant, alioquin nullius roboris vel momenti exiſtant, præſentandum inſinuandum & regiſtrari faciendum minimè teneri nec ad id ulla unquam ratione vel neceſſitate cogi poſſe, neque propterea eaſdem præſentes viribus carere, ſed Abbreviatoribus prædictis, eorumque ſingulis in omnibus & per omnia, perinde ac ſi juxta conſtitutionem Pii prædeceſſoris hujuſmodi præſentatæ, inſinuatæ & regiſtratæ, omniaque alia ad id neceſſaria plenè adimpleta fuiſſent, ſuffragari.

*Sublata cuique aliter judicandi facultate.*

§.7. Sicque per noſtros S. R. E. Vicecancellarium & Camerarium, necnon utriuſque Signaturæ hujuſmodi, ac etiam noſtræ, & pro tempore exiſten. Rom. Pontificis Domus Præfectos, dictæque Cameræ Theſaurarium, Clericos,Præſidentes,Commiſſarium generalem, dictos filios, alioſque Miniſtros pro tempore exiſtentes, necnon quoſcumque Iudices, Commiſſarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii,& generalem Cameræ hujuſmodi Auditores, necnon ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contra... rio omn... prohibe... & obs... tia præ... tur.*

§.8. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ Camerario,Theſaurario, Clericis, Præſidentibus & Commiſſario prædictis, eorumque ſingulis, quatenus eaſdem præſentes, ſi deſuper requiſiti fuerint, in dicta Camera admittant,& in illius libris deſcribi & regiſtrari,ac debitæ executioni demandari, patenteſque litteras & ſcripturas ac mandata opportuna deſuper expediri. Non permittentes ipſos vel eorum quempiam deſuper per quoſcumque contra earumdem præſentium tenorem, quomodolibet indebitè moleſtari, impediri aut inquietari. Necnon tam illis quàm Vicecancellario,Camerario,Præfectis & Auditoribus prædictis, ut ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios,eiſdem Abbreviatoribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præſentes literas hujuſmodi, ac in eis contenta quæcumque ab omnibus & ſingulis ad quos ſpectāt ac pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari,ipſoſque Abbreviatores illis omnibus & ſingulis, eorumque uſu & commodo pacificè frui & gaudere. Contradictores & rebelles quoſlibet per ſentias,cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, auctoritate noſtra prædicta,appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus eaſdem ſententias,cenſuras & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio.

*Derog... contrari...*

§.9. Non obſtantibus præmiſſis, ac Pii & Sixti prædeceſſorum hujuſmodi,necnon quatenus opus ſit, de rebus Eccleſiæ non alienan, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cameræ Urbis & Palatii prædictorum,etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate, alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus,uſibus,decretis & reformationibus, privilegiis quoque.indultis & literis Apoſtolicis,illis eorumque Officialibus & Miniſtris, ceteriſque perſonis, jus & intereſſe in præmiſſis vel circa ea,aut eorum aliqua,nunc & pro tempore quomodolibet habentibus & prætendentibus, per prædictos & quoſcumque alios Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros,ac etiam nos, Sedemque & Cameram prædictas,ſub quibuſcumque tenoribus & formis,ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis,etiam vim contractus ritè & legitimè ſtipulati habentibus, ſeu inducentibus, etiam motu,ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter,& alias quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda,aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret,tenores hujuſmodi,ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes,illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum,quod interdici,ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides tranſumptorum.*

§.10. Volumus autem quod earundem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo prædicti Vicecancellarii ſeu Regentis, aut alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Romanæ Curiæ Prælati munitis eadem prorſus fides tam in judicio quàm extra ubique adhibeatur,quæ ipſis originalibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctio pœnalis.*

§.11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

*Dat.P.A. die 1.Iulii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexceteſimo quinto, Kalend.Iulii, Pontificatus noſtri noſtri Anno Primo.

---

Indulta & privilegia pro Conclaviſtis poſtremorum Conclavium, in quorum primo, Leo XI. & in ſecundo hic Pontifex, pronunciatus fuit. III.

*Similes gratias quiſque Pontifex elargiri ſolet, ſed hanc duntaxat & aliam Clementis VIII. bullam 16. Æqui tati, ponendas duxi, quoniam cùm hæ gratiæ perſonales ſint antiquiores, hac tempora non multum excedere poterunt.*

Privilegia Conclaviſtarum qui interfuerunt Conclavibus, in quibus ad ſummi Apoſtolatus apicem evecti fuerunt Greg. XV. & S. D. N. Urban. VIII. habes in d. Greg. conſtit. 1. Romanus, infrà tom. 4. & S. D. N. Urbani VIII. conſt. 1. Circumſpecta, d. tom. 4.

*[...]lita An. D. 1605.*

*P A V L V S   E P I S C O P V S,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*[...]xordium.*

ROmanum decet Pontificem, ut erga perſonas de ſe, ac Sede Apoſtolica benemeritas ſe munificum exhibeat & liberalem, eaſque ad altiores honorum gradus evehat & attollat, quas amplioribus obſequiis, & meritis decoratas agnoſcit.

*[...]auſa huius [...]ceſſionis [...] donatio[...]s.*

§. 1. Hinc eſt, quod nos volentes dilectos filios infraſcriptos Conclaviſtas, qui in Conclavi, in quo divina favente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, nobis, & Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus uti familiares continui commenſales inſerviendo interfuerunt, eoſque qui laborum & incommodorum participes fuerunt, amplioribus etiam honorum prærogativis pro cujuſque merito condecorare.

*[...]natio ſcu[...]rum auri [...]cem mil[...]um.*

§. 2. Ipſoſque Conclaviſtas, & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, etiamſi in illis per annum continuum inſorduerint, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes. Motu proprio, non ad ipſorum Conclaviſtarum, vel aliorum pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eiſdem Conclaviſtis tot loca Montium tunc vacantia, ſeu vacatura, uſque ad ſummam decem millium ſcutorum auri in auro per tres ex prædictis Cardinalibus ſingulos in quolibet ordine antiquiores, inter ipſos Conclaviſtas, & per capita ſingulorum Conclaviſtarum, non autem ſingulas cellulas æquis portionibus diſtribuenda gratioſè & irrevocabiliter Apoſt. auctoritate tenore præſentium donamus.

*Conceſſio [...]rivilegior. [...]obilitatis, [...]ivilitatis, [...]amiliari[...]tis, &c.*

§. 3. Ipſoſque Conclaviſtas in veros, indubitatos & non fictos familiares, continuos commenſales noſtros, ac eos qui ex illis clerici exiſtunt, ſeu militiæ clericali adſcribi deſiderant, quoſque tres hujuſmodi Cardinales, gradu, nobilitate & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in noſtros & Apoſtolicæ Sedis Notarios, ſine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium recipimus, ac tam illos quàm alios Conclaviſtas ſingulos, qui ſigillatim ab eiſdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, ſacri Palatii & Aulæ Lateranen. Comites & Milites, ac tam illos quàm omnes, & quoſcumque alios Conclaviſtas indiſtinctè, qui nobiles non ſunt, nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio, & dictæ Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubjectis, Cives eſſe voluerint, ſingulos in ea ipſa Civitate, quam ſigillatim quiſque eorum elegerit, & ad quam ab eiſdem Cardinalibus ſe admitti petierit, veros Cives ad inſtar, & nulla prorſus differentia inter eos & ſingulos alios veros originarios, & antiquiſſimos etiam nobiles & participantes Cives ipſius Urbis, vel Civitatis, itaut ipſi in jus civilitatis ad quoſcumque illorum hæredes eodem modo tranſeant, creamus, conſtituimus & aſſignamus, ac nobilitatis & Civilitatis titulo, honore & inſignibus decoramus, aliorumque familiarium, continuorum commenſalium nobis actu in Palatio noſtro Apoſtolico ſervientium, & in illius tinello comedentium & bibentium, ac noſtrorum, & Sedis præfatæ Notariorum, Palatiique & Aulæ prædictorum Comitum, Militum & Nobilium, ac Civium hujuſmodi originariorum numero & conſortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis, ac non fictis familiaribus, continuis commenſalibus, ac Notariis noſtris, Comitibuſque, Militibus, Nobilibuſque, ac Civibus deinceps haberi & reputari volumus ac mandamus. Eiſque ut in quibuſcumque impetrationibus, conceſſionibus & literis, tam gratiam quàm juſtitiam concernentibus ſe familiares, continuos commenſales noſtros & Comites, Milites, nobiles, ac Cives etiam originarios nominare; nec propterea impetrationes, conceſſiones, & literæ ipſæ ſubreptionis vitio ſubjaceant, ſed validæ & efficaces exiſtant. Necnon ex nunc deinceps in perpetuum omnibus & quibuſcumque ac prorſus ſimilibus antelationibus, antelationum prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, ſuſpenſionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac juribus, quibus alii noſtri familiares tempore dictæ aſſumptionis noſtræ ad ſummum Apoſtolatus apicem, ac quibus alii ejuſdem Sedis Notarii, etiam de numero participantium exiſtentes, etiamſi habitum & Rochettum Notariorum ipſius Sedis non deferant, Palatiique & Aulæ prædictorum Comites, Milites & Nobiles, necnon etiam originarii & antiquiſſimi Cives ejuſdem Urbis vel Civitatis, quam ut præfertur elegerint, quique ex utroque parente verè nobili & Cive originario & antiquiſſimo procreati de jure, ſtatuto, conſuetudine vel alias ex aliquo ſpeciali privilegio, ſeu alias quomodolibet, etiam quoad aſſecutionem quorumcumque beneficiorum etiam Eccleſiaſticorum, etiam per quaſcumque literas ſeu conſtitutiones Apoſt. pro tempore editas, utuntur fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio & extra, ſine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio uti, frui, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, realiter & integrè in omnibus & per omnia, etiamſi in Vrbe & Civitate hujuſmodi non habitaverint, perinde ac ſi verè nobili genere ex utroque parente nobili originario & antiquiſſimo Cive procreati forent, & hujuſmodi prærogativæ, privilegia, exemptiones, gratiæ, favores, conceſſiones, indulta & jura, quæ pro aliis nobilibus & civibus originariis emanarunt, quæ ratione nobilitatis & civilitatis naturalis & originariæ aliis competunt, pro eiſdem Conclaviſtis in ſpecie emanaſſent, ſeu emanarent, & eis naturaliter de jure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, vel alias competerent, auctoritate & tenore ſimilibus indulgemus.

§. 4. Ipſiſque Conclaviſtis ſingulis quoſcumque fructus, redditus & proventus Eccleſiaſticos, ac tam occaſione penſionum annuarum ipſis vel eorum alicui reſervatarum ratione omiſſionis recitationis horarum Canonicarum indebitè perceptos, cujuſcumque quantitatis fuerint, gratioſè remittimus & condonamus, ac cum eis ſuper inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo quod cenſuris hujuſmodi ligati miſſas & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebraverint, aut alias divinis ſe immiſcuerint, ut illis & aliis præmiſſis non obſtan. ad omnes, etiam ſacros & presbyteratus ordines alias ritè promoveri, & in illis ac in ſuſceptis per eos alias ritè ordinibus, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, etiam liberè & licitè valeant, diſpenſamus.

*Remiſſio fructuum malè perceptorum ob non recitationem horarum, canonicarum.*

§. 5. Necnon eoſdem Conclaviſtas, ſi qui eorum defectum Natalium ex quocumque damnato & illicito coitu etiamſi ex nobiliſſimis parentibus, & vilibus feminis forſan procreati ſint, etiamſi legitimati alias exiſtant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujuſmodi maculam, ſive notam abſtergimus & abolemus, ac Natalibus reſtituimus. Necnon cum eorum ſingulis, ut in quibuſcumque bonis paternis & maternis, & aliorum conſanguineorum ſeu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, ſine tamen præjudicio venientium ab inteſtato, vel ex fideicommiſſo, ſeu alias de jure valida diſpoſitione ſuccedere, & illa donationis, vel alio quovis titulo conſequi & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis ſuccedere, eos ad omnia jura, legitimas, ſucceſſiones ex teſtamento vel ab inteſtato, hæreditates, legata, libertates reſtituendo & reintegrando realiter & cum effectu; necnon ad dignitates, honores & quæcumque alia officia ſæcularia, publica vel privata, etiam aſſumi, illaque

*Legitimatio Conclaviſtarum, & habilitatio ad ſucceſſiones, honores & dignitates.*

gerere & exercere in omnibus & per omnia, ac ſi de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obſtante, ſi aliud Canonicum eis non obſiſtat, ut clericali charactere, qui illo nondum inſigniti ſunt inſigniri, ac ad omnes etiam ſacros & Presbyteratus ordines, ſi nondum ad illos promoti ſunt promoveri, ac poſtmodũ charactere & ordinibus hujuſmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eiſdem ordinibus, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, necnon quæcumque & qualiacumque, cum cura, & ſine cura beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi perſonatus, adminiſtrationes & officia, etiam curata & electiva in Cathedralibus & Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, ſeu Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus & præbendæ, necnon dignitates, non tamen principales in Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi fuerint, ſi ſibi aliàs canonicè conferantur, aut ipſi eligantur, præſententur, vel aliàs aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eiſdem, recipere & retinere liberè & licitè valeant.

*Applicatio quorundam beneficiorum Sede vacante collatorũ, prædictis Cõclaviſtis.*

§. 6. Necnon omnia & quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, in quibuſvis Civitatibus, Diœceſibus, & locis quorumcumque Regnorum, Provinciarum & Dominiorum, ac Inſularum, & alias ubilibet conſiſtentia, & ad quorumcumque collatorum ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium collationem, proviſionem, electionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem pertinentia, etiamſi ſecularia, Canonicatus & præbendæ, dignitates etiam majores, principales perſonatus, adminiſtrationes & officia, etiam curata & electiva in Cathedralibus, etiam Metropolitan. Parochialibus vel aliis Eccleſiis, ac præſtimonia, ſeu præſtimoniales portiones, & perpetua, ac ſimplicia, etiam ſervitoria beneficia Eccleſiaſtica, non tamen Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ita tamen ut ſi ſuper illarum fructibus, redditibus & proventibus penſiones aliquæ imponantur, in favorem Conclaviſtarum, & non aliarum reſervari debeant; regularia verò, Prioratus, præpoſituræ, præpoſitatus, præceptoriæ, dignitates, non tamen Conventuales, perſonatus, adminiſtrationes vel officia, non tamen clauſtralia, ac curata & electiva, aut loca & canonicales portiones in Eccleſiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel aliis, aut Monaſteriis, ſeu aliis locis regularibus, aut alia beneficia fuerint, quæ vacante Sede prædicta vacabant, & uſque ad diem aſſumptionis noſtræ ad Pontificatũ vacaverunt, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel etiam ratione menſium in quibus vacaverint, aut vacationis illorum apud Sedem prædictam, aut familiaritatis noſtræ, ſeu Prædeceſſorum noſtrorum, aut quorumvis S.R.E. Cardinalium defunctorum, aut etiam ad Eccleſiæ militantis regiminis aſſumptionem, etiamſi ex perſonis Sedis prædictæ Notariorum, collectorum, vel aliorum Officialium, aut etiam dictorum Cardinalium, ſeu aliàs ex quacumque reſervatione, etiam de neceſſitate & diſpoſitivè exprimenda, generaliter reſervata, & affecta exiſtãt, & eidem diſpoſitioni Apoſtolicæ non reſervata nec affecta, annuum tamen valorem ducentorum ducatorum auri de Camera non excedentia, & de quibus Ordinarii collatores tempore aſſumptionis noſtræ hujuſmodi nullo modò vel nulliter, & de facto diſpoſuerunt, inter ipſos Conclaviſtas, aliaſve perſonas ab eiſdem Conclaviſtis, ſeu per illos deputatis nominan. & non aliàs diſtribuenda, juxta providam diſtributionem & diviſionem per deputatos à Conclaviſtis hujuſmodi faciendam, ea ratione habita, ut beneficia ipſa idoneis Conclaviſtis conferantur, ſi habiles reperiantur, qui tunc in omnibus beneficiis hujuſmodi quibuſcumque aliis non Conclaviſtis præferantur: quod ſi Conclaviſtæ idonei ad eadem beneficia obtinenda defuerint, ſeu illa acceptare noluerint, tunc penſiones annuæ ſuper fructibus, redditibus & proventibus, ac etiam diſtributionibus quotidianis, aliiſque rebus & juribus, & etiam incertis beneficiorum hujuſmodi quæ eas ſupportare poterunt, Conclaviſtis omninò reſerventur auctoritate, & tenore ſimilibus præcipimus & mandamus.

*Annullatio collationum in alios factarum, &c.*

§. 7. Decernentes quaſcumque proviſiones, collationes, commendas, uniones, annexiones, & incorporationes, aliaſque diſpoſitiones de ipſis beneficiis, ut præfertur, vel aliàs vacantibus, aut penſiones ſuper fructibus beneficiorum hujuſmodi, ſeu fructuum, reddituum & proventuum ipſorum, vel illorum partis reſervationes, per quoſcumque quavis auctoritate, aut etiam per nos, & Sedem eandem, etiam motu ſimili, & certa ſcientia noſtra, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine, ac conſiſtorialiter in aliorum quàm eorumdem Conclaviſtarum, vel perſonarum ab eiſdem Conclaviſtis nominandarum conjunctim factas & faciendas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris & momenti, ac præter & contra mentem noſtram conceſſas fuiſſe & eſſe, nec alicui, ſeu aliquibus, etiamſi Cardinales fuerint, de dictis beneficiis vacantibus, per nos ſub præſenti gratia comprehenſis in præjudicium dictorum Conclaviſtarum, quavis etiam Apoſt. vel Ordinaria, aut quacumque alia auctoritate provideri, vel aliàs quomodolibet diſponi de illis potuiſſe neque poſſe, nec collationes, proviſiones, commendas, aut alias diſpoſitiones de illis aliter factas, cuiquam nullatenus ſuffragari debuiſſe, neque debere, nullumque illis, etiamſi diſpoſitioni Apoſt. affecta, aut reſervata antea non eſſent, dummodo de illis per collatores prædictos tempore dictæ aſſumptionis noſtræ legitimè proviſum non fuerit, poſt id temporis quovis prætextu diſponere potuiſſe neque poſſe, ac de illis proviſis jus in vel ad illa quæſitum, & ſic per præſentes ablatum non fuiſſe nec eſſe, neque regulæ noſtræ de non tollendo jure quæſito locum fuiſſe dici, aut cenſeri poſſe.

*Expeditio literarum Apoſt. prædictarum gratis fiat.*

§. 8. Quodque omnes, & quæcumque gratiæ, proviſiones, commendæ & quævis aliæ literæ Apoſt. ac etiam in forma brevis pro illis expediendis, gratis ubique expediantur, tam de capienda poſſeſſione nomine Cameræ Apoſt. quàm in favorem literarum Apoſtolicarum, ubi illis ſuper proviſionibus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum dari poterunt, prout noſtris familiaribus, & continuis commenſalibus, etiam gratis dentur & concedantur, ac dari & concedi omninò debeant, etiam præcipimus & mandamus.

*Indultum Cõclaviſtarum circa penſiones.*

§. 9. Necnon Conclaviſtis, & eorum ſingulis, ut quicumque loci ordinarii vel Canonici Metropolitan. ſeu aliarum Eccleſiarum, aut perſonæ quæcumque Eccleſiaſticæ, tam in Romana Curia quàm extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas, eis & eorum ſingulis ſuper quibuſcumque fructibus, redditibus & proventibus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, ſeu fructus, redditus & proventus hujuſmodi beneficiorum reſervatos, uſque ad ſummam centum ducatorum ſimilium in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo caſſare & extinguere, ac poſtquam caſſatæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas, ſeu fructus, redditus & proventus hujuſmodi uſque ad ſummam prædictam uni vel pluribus aliis perſonis Eccleſiaſticis per eoſdem Conclaviſtas, & eorum ſingulos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, ſimiliter eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eiſdem modo & forma, quibus eiſdem Conclaviſtis reſervatæ, ſeu reſervati fuerint, etiã abſque beneficia ipſa obtinentium conſenſu integrè perſolvendas, aut per eos propria auctoritate percipiendos, exigendos & levandos reſervare, conſtituere, concedere & aſſignare valeant, etiam concedimus & indulgemus. Decernentes ipſas tranſlationes & novas reſervationes, conſtitutiones & aſſignationes penſionum, ſeu fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi plenã roboris firmitatem obtinere, ipſoſque beneficia, ſuper quorum fructibus, redditibus & proventibus reſervatæ fuerint obtinentes, ad illas perſolvendas efficaciter obligatos fore. Necnon cum eiſdem Conclaviſtis, quod ratione quarumcumque penſionum eis, & eorum cuilibet ſuper quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra ſummam ducentorum ducatorum parium, pro quolibet nunc & pro tempore reſervatarum & reſervandarum, habitum & tonſuram clericales geſtare, & in illis, dummodò alias ipſi habitum decentem, & honeſtum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam deſuper cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, cenſuras, & etiam privationis, ſeu caſſationis ipſarum penſionum

pœnas

pœnas occaſione præmiſſorum incurrere poſſint, ſed eaſdem penſiones ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum aſcendentes, & reſervatas, ut præfertur, etiamſi matrimonium contraxerint, cum unica tamen & virgine, retinere.

*...oliaque.*

§. 10. Poſtremò quod bona quæcumque ad dictos Conclaviſtas & eorum quemlibet ſpectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos alias obtentorum & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæſito colore vel ingenio, ſeu eorum induſtria, licitè tamen acquiſita & acquirenda, & in Urbe, ejuſque diſtrictu, ac ubique exiſtentia, ſpoliis minimè ſubjaceant, ſed Conclaviſtæ prædicti, etiã ſi Religionis alicujus Militiæ, etiam S. Joãnis Hieroſolymitani adſcripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque perſonarum, etiamſi Curiales eſſe deſierint, & in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, teſtari & aliàs diſponere, iiſque ab inteſtato decedentibus, legitimi eorum hæredes quicumque ſuccedere liberè & licitè valeant, ſimili modo concedimus & indulgemus.

*...eculiorum ...putatio.*

§. 11. Præcipientes ac mandantes dilectis filiis nunc & pro tẽpore exiſtẽtibus S.R.E. Camerario & Theſaurario, Præſidẽtibus, Clericis Cameræ noſtræ Apoſt. & quibuſvis aliis ſpoliorum hujuſmodi Collectoribus & Subcollectoribus, necnon Militiarum prædictarum Officialibus, aut procuratoribus, ne in hujuſmodi bona manus apponant, neque hæredes prædictorum Conclaviſtarum deſuper moleſtare audeant, ſeu præſumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam teſtamenti, & codicillorum per ipſos Conclaviſtas de eorum bonis hujuſmodi ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere.

*Regiſtratio Camera ...ittitur.*

§. 12. Nec eoſdem Conclaviſtas, eorumve aliquem ad præſentes literas in dicta Camera inſinuandum, aut admitti & regiſtrari petendum teneri, nec illas, etiamſi intra tempus legitimum inſinuatæ, admiſſæ, ſeu regiſtratæ non fuerint, propterea minus validas cenſeri, ſed ſuos plenarios effectus ſortiri debere.

*Clauſula ...ſervati...*

§. 13. Ac eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis & conſtitutionibus Apoſtolicis, gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarẽt vel moderarent, quæ à nobis & dicta Sede pro tempore, & ex quibuſvis cauſis, etiam urgentiſſimis, etiam in favorem fidei & divini cultus augmentum, etiam Conſiſtorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus, vel in poſterum emanaverint, minimè comprehenſas eſſe, ſed quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes in priſtinum ſtatum repoſitas & reintegratas eſſe & cenſeri.

*Clauſula ...blata.*

§. 14. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & diffiniri debere. Irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his, &c. ignoranter contigerit attentari.

*Juſſio quod ...ficiales ...tis expe...ant.*

§. 15. Et inſuper dilectis filiis Reſcribendario & Computatori literarum Apoſtolicarũ, & aliis ad quos ſpectat in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna indignationis noſtræ Motu ſimili mandamus, ut litteras prædictas ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, tam conjunctim, quàm diviſim, ac pro ſingulis, quibus conceſſa fuerunt, ac ſeorſim & ſeparatim cum omnibus & quibuſcumque derogationibus, decretis & clauſulis in eis contentis, gratis de mandato noſtro ubique in omnibus, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, plumbique & Regiſtri officiis, abſque aliqua pecuniarum exactione, etiã per vim compoſitionis facienda, omni contradictione & dilatione ceſſantibus, ſignent, expediantque & expediri faciant.

*Clauſula ...ogatoria.*

§. 16. Non obſtantibus præmiſſis, ac de certo eorumdem Notariorũ numero, etiamſi ad illũ nondum ſit deventum, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac una de inſordeſcentibus, & altera noſtris de præſtando conſenſu in penſionibus, necnon fel. rec. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri de ſimilibus vel diſſimilibus gratiis in Camera Apoſtolica infra tres menſes præſentandis & regiſtrãdis, necnon rec. mem. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri, cõtra illegitimos, necnon Pictavien. Concilii, & aliis Apoſtolicis, ac etiam in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, etiam S. Joan. Hieroſolym. ac etiam Urbis Romæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum & Terrarum, necnon Cameræ prædictæ, & quarumvis univerſitatum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, naturis, decretis, & etiam novis reformationibus, necnon etiam legibus, tam Pontificiis quàm Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam ſacris Canonibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſt. ſuperioribus & perſonis, ac locis quibuſcumque in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam vim contractus & ſtatuti perpetui continentibus, ac etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, illis præſertim quibus inter alia caveri dicitur expreſsè, quod beneficia Urbis non niſi perſonis ſub certis modo, & forma inibi qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum, & militiarum expreſsè profeſſis conferri, & commendari poſſint diſponentibus. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, &c. mentionem.

*Indultorum conceſſio pro Conclaviſtis primi Conclavis.*

§. 17. Volumus autem quod Conclaviſtæ, qui in Conclavi in quo piæ mem. LEO PP. XI. Similiter Prædeceſſor noſter, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptus fuit, in præſenti gratia, non tamen quoad proviſionem beneficiorum, & diſtributionem decem millium ſcutorum hujuſmodi, comprehendantur, perinde ac ſi illis hæc omnia conceſſa fuiſſent, prout illis omnibus & ſingulis pariformiter, ac principaliter concedimus & impartimur.

*Tranſumptorum fides.*

§. 18. Volumus etiam quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & ſigillo, ac manu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis & ſubſcriptis eadem fides, tam in judicio quàm extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

## Nomina autem Conclaviſtarum, qui in utroque Conclavi hujuſmodi interfuerunt, ſunt hæc, videlicet:

*Nomina Cõclaviſtarum.*

VEnerabilis frater noſter Angelus Epiſcopus Tagaſteni Sacriſta, necnon dilecti filii Paulus Alaleo, Guido Aſcanius Prævoſtus, & Jo. Paulus Mucãtius Magiſtri Ceremoniarum, Matius Riccerius Clericus Camerinen. Secretarius Collegii, Robertus Ubaldinus Clericus Florẽtin. Petrus Jacobus Cima Clericus Auximan. Diœc. ipſius Leonis Prædeceſſoris, dũ Cardinalatus honore fungebatur. Petrus Pavonius Clericus Ariminen. Marcus Antonius Tanus Clericus Florentin. noſtri, etiam dum Cardinalatus honore fungebamur. Annibal Minalis Clericus Javen. Frater Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, Franciſcus Vicedominus Clericus Comen. Alexander Coraldinus Fulginaten. Ptolomæi Oſtien. Commen. Julius Cæſar Cantavena Clericus Aſten. Raynaldus Magnanus Clericus Sarſinat. Dominici Portuen. Pinelli. Scipio Cobellutius Clericus Viterbien. Alexander Benreceptus Presbyter Mantuanus, Hieronymi Albanen. Aſculan. Petrus Pocchier, Ludovicus etiam Pocchier, Paulus Caſtellus Clerici Toloſani, Franciſci Sabinen. de Joyoſa, Octavius Mancinus Clericus Romanus, Jo. Baptiſta Rezzanus Presbyter Veronen. Auguſtini Valerii Prænestini

de

de Verona. Julius Bellus Clericus Juſtinopolitan. Franciſcus Manſius Clericus Amerin. Diœc. Marcus Antonius Carretus Presbyter Albingan. Diœc. Antonii Mariæ Tuſculani, Venerabilium Fratrum noſtrorum Epiſcoporum Galli. Horatius Sylveſtrius Presbyter Verulan. Hector Octonus Clericus Camerinen. Diœc. Antonii S. Mariæ Tranſtiberim Saulii. Marcus Antonius de Magiſtris Clericus S. Severini, Jacobus Dunu Clericus Novarien. Miles Militiæ Sancti Lazari, Evangeliſtæ S. Laurentii in Lucina de Cuſentia. Lælius Carluccius Clericus Civitatis Ducalis, Felix Perſicus Clericus Spoletan. Marinus Fabrius Clericus Gebennen. Mariani Perbendicti Sanctorum Marcellini, & Petri de Camerino. Aurelius Adrianus Clericus Montis Alti, Honoratus Laverſanus Presbyter Fundan. Conſtantinus Naimolus Presbyter Campanien. Gregorii S. Auguſtini de Montelparo. Torquatus Loſcus Clericus Vicentin. Joan. Baptiſta Cuſinus Clericus Mutinen. Pauli S. Cæciliæ Sfondrati. Nereus Dragomannus Clericus Aretin. Diœc. Franciſcus Bovarellus Clericus Eugubinus, Benedicti S. Priſcæ Juſtiniani. Pyrrhus Nutus Clericus Eugubinus, Antinorus Ubaldinus laïcus Piſauren. Franciſci Mariæ S. Mariæ de Aracœli à Monte. Octavius Garimbertus Clericus Romanus, Geminianus de Madonna Clericus Sarzanen. Diœc. Octavii S. Alexii Pallavicini. Romulus Cerrinus Clericus Romanus, Jo. Franciſcus Confalonerius Clericus Recanaten. Octavii S. Praxedis de Aquaviva. Auguſtus Barbolus Presbyter Cremonen. Gaſpar Ghirellus, Bartholomæus Belluccius Clericus Mutinen. Flaminii S. Mariæ de Pace Plati. Joan. Baptiſta Cantonus laïcus Mediolanen. Joannes Antonius Aliprandius Clericus Mediolanen. Hieronymus Ponzonus laïcus Mediolanen. Federici S. Mariæ Angelorum Borromæi. Alexander Scappius Clericus Bononien. Hieronymus Roncallius Clericus Bononien. Antonii Sanctorum Quatuor Coronatorum Fachinetti. Laurentius Bernardinus Presbyter Lucen. Bernardinus de Lupis de Sancto Edicto Presbyter nullius Diœc. Alexander de Magiſtris Clericus Terracinen. Diœc. Sebaſtianus Fotius Clericus Interamnen. Petri Sanctorum Jo. & Pauli Aldobrandini. Franciſcus Leonellus Clericus Foroſempronien. Dominicus Roncius laïcus Sutrin. Diœc. Cinthii S. Petri ad Vincula Georgii. Lucas Antonius Euſtachius Clericus Troian. Nicolaus Maurus Presbyter Ripanus, Septimius Angleria Clericus Cremonen. Petrus Riccius Presbyter Romanus, Alexander Ricciardus laïcus Politianen. Phyſicus, Franciſci Mariæ S. Mariæ ſupra Minervam Tauruſii. Franciſcus Cavalcãtes laïcus Florentinus, Bartholomæus Donus Clericus Romanus, Octavii S. Sabinæ Bandini. Nicolaus de Eſcalle Clericus Tullen. Jacobus de Foraja Annæ, S. Suſannæ de Givry. Reginaldus Cruolenus Clericus Cluſin. Diœc. Joſephus Chechius Clericus Interamnen. Clemens Oſſattus Perſa laïcus, Cæſaris Sanctorum Nerei, & Achillei Baronii. Contes Ciaia Clericus Senen. Secundus Odinus Clericus Aſten. Laurentii S. Laurentii in Pane & Perna Blanchetti. Chriſtophorus de Trivinno Clericus Abulen. Joannes de Almarez Clericus Placentinus, Ferdinandus de Ribera Clericus Caurien. Diœc. Frãciſci S. Crucis in Hieruſalem Avilæ. Æmilius Florius Clericus Valven. Sulmonen. Diœc. Dominicus Carmiſtalius Presbyter Reatin. Bernardinus Zampa Clericus Camerinen. Diœc. Franciſci S. Mariæ de Populo Manticæ. Nicolaus Speronus Presbyter Vintimillien. Urbanus Ceulus Piſanus, Bernardus Baſſus Clericus nullius Diœc. Pompeii S. Balbinæ Arrigonii, Alphonſus Sfondratus Clericus Cremonen. Ludovicus Rondinellus Clericus Imolen. Bonifacii S. Hieronymi Illyricorũ Bevilacquæ. Hieronymus Baſſus Presbyter Imolen. Pompeius Andreoccius Clericus Aretin. Diœc. Alphonſi S. Sixti Vicecomitis. Angelus Miraldus Clericus Nucerin. Diœc. Joſephus Geggius Clericus Spoletan. Diœc. Joannes Genius Lotharingus laïcus, Dominici S. Honufrii Tuſchi. Jacobus Oliverius Clericus Romanus Miles Militiæ Jeſu Chriſti, Hippolytus Blancus Ferrarienſis, S. Sylveſtri Dietrichſtein. Joſephus Vignaneſius Clericus Politianen. Petrus Guidottus Presbyter Pientin. Ludovicus Arregatius Clericus Politianen. Roberti S. Mariæ in Via Bellarmini. Jacobus Moiard Presbyter Carnoten. Diœc. Matthæus Puis Clericus Pariſien. Franciſci Sanctorum duodecim Apoſtolorum de Sourdis. Ludovicus Beccatellus Clericus Bononien. Joannes Thomas Malpicus Clericus Senogallien. Natalis Morbiolus laïcus Bononien. Seraphini S. Salvatoris in Lauro Oliverii. Hieronymus Mezzamicus Presbyter Imolen. Æmilius Sperellus laïcus Aſſiſien. Dominici S. Pancratii Gymnaſii. Severus Durinotius Clericus Senen. Hieronymus Muſitanus Clericus Juſtinopolitanus, Jo. Mengotius Clericus Forolivien. Marcus Antonius Mozzarellus Clericus Mutinen. Philippi S. Bartholomæi in Inſula Spinelli. Rodericus Bonal de Paz Clericus Salmantin. Joſephus Perez Clericus Tiraſſon. Antonii S. Matthæi in Merulana Zappatæ. Balduinus Maſſa Romanus, Jacobus Honoratus laïcus Anconitanus, Caroli S. Clementis de Comitibus. Camillus Simbaldus Clericus Auximanus, Jacobus Franciſchinus de Bertinoro laïcus Veronen. Benedictus Averinus laïcus Volaterran. Phyſicus, Caroli S. Thomæ in Parione Madrutii. Joannes de Saletta Presbyter Laſcuren. Claudius Calamart Clericus Pariſien. Jacobi S. Agnetis de Perron. Livius Sala Spoletan. Miles dicti Hoſpitalis, Auguſtinus Joyoſius Clericus S. Severini, Jo. Fideretus laïcus Sarzanen. Innocẽtii S. Marcelli de Bubalis. Jacobus Benedictus Presbyter Nicoſien. Joſephus Petorellus Utinen. Franciſcus Gambertus laïcus Florentinus, Joãnis S. Marci Delfini. Urbanus Paleonus Clericus Reatinæ Diœc. Gaſpar Tantus Clericus Firmanus, Jacobi Sancti Stephani in Monte Cælio Sanneſii. Laurentius Nicoloſius Presbyter Lucen. Jacobus Broccardus laicus Nicien. Herminii Sanctæ Mariæ Tranſpõtinæ de Valentibus. Polidorus de Polidoris Urbevet. Miles dicti Hoſpitalis, Io. Nicolaus Ferronus Clericus Beneventanus, Hieronymi Sancti Blaſii de Annulo Pamphilii. Joannes Baptiſta Vulpius Presbyter Papien. Ioannes Nicolaus Righettus Presbyter Senogallien. Ferdinandi S. Euſebii Tabernæ. Ioannes Baptiſta Ubertus Presbyter Civitatis Caſtelli, Aſcanius Felix à Sancto Angelo in Vado, Anſelmi Sancti Petri in Monte Aureo titulorum Presbyterorum Menopolitan. nuncupatorum. Tullius Cicero Clericus Comen. Gambius Artuſinus Clericus Forolivien. Franciſci Sanctæ Mariæ in via lata Sfortiæ. Rogerius Tritonius Presbyter Utinen. Plinius Bonjoannes laicus Firmanæ Diœc. Alexandri Sancti Laurentii in Damaſo de Montalto. Alphonſus Carandinus Clericus Mutinen. Miles Militiæ Ieſu Chriſti, Nicolaus Bonarellus Clericus Anconitanus, Io. de Rojas Clericus Toletan. Odoardi Sancti Euſtachii Farneſii. Ioannes Proſper Turrianus laicus Alatrinus, Criſpoltus Matthæius Clericus Aſſiſien. Diœc. Bartholomæi Sanctæ Mariæ in Porticu Ceſii. Petrus Franciſcus Bonjoannes Presbyter Firman. Diœc. Ioſephus Baronius laicus Montis Alti, Andreæ Sancti Angeli in foro piſcium Peretti. Ioſephus Fontanella, Petrus Rodulphus Arlottus Clericus Regien. Nicolaus Caſtel Verrus Clericus Mutinenſis, Alexandri Sanctæ Mariæ Novæ Eſtenſis. Ioannes Baptiſta Schiaſſinatus Clericus Mediolanen. Nicolaus Accurſinus Clericus de Sancta Flora, Ennius Torellus Clericus Spoletan. Diœc. Ioan. Baptiſtæ Sanctæ Mariæ in Coſmedin Deti. Germanicus Fidelis Presbyter Ripan. Romulus Clarutius Montis Alti, Paulus Æmilius Petrutius Presbyter Firman. Sylveſtri Sancti Cæſarii Aldobrandini. Horatius Mancinus Presbyter Peruſinus, Martinus Martinez de Androſal Clericus, Ioannes Baptiſta Spinola laicus Ianuen. Iannettini de Auria. Octavius Moneſius Clericus Mutinen. Diœc. Octavianus Albinellus laicus Ferrarien. Proſper Marzanus Phyſicus Laicus, Caroli Emanuëlis Sancti Nicolai in Carcere Pii Diaconorum S. R. E. Cardinalium etiam nuncupatorum, necnon Antonius à Turre Clericus Caſalen. Bernardinus Euſebius Presbyter Épporegien. Fabius de Amicis Clericus Camerinen. bon. mem. Franciſci S. Clementis. Antonius Cicalottus Clericus Sabinen. Ioannes Natalis Clericus Sarzanen. Franciſcus Petius Clericus Cornetan. Pauli Æmilii Sancti Marcelli. Hieronymus Racanus Anconitanus, Miles prædicti Hoſpitalis, Ioannes Furnus, Ioannes Franciſcus Martini, Clerici Faventin. Civitatis, vel Diœc. Hieronymi Sancti Petri ad Vincula ſimiliter titulorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium defunctorum, necnon

Frater

Frater Aloyſius Bononien. Ordinis Sancti Auguſtini Magiſter in Theologia, cum dicto Angelo Epiſcopo, Frater Petrus de Matre Dei Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Confeſſarius, Rodulphus Silveſtrius, Vincentius Baldeccius, Petrus Simon Fauſtus Phyſici, Julianus Cecchinus Chirurgus, Propertius Sixtus, Gentiles Gentilis Aromatarii, Bartholomæus Ventureccius, Ludovicus Sexto Gallus, Propertius Sixtus, Benedictus Gaſparinus eorum Auditores, Joannes Baptiſta Camoſinus Clericus Novarien. Cuſtos fontis, Franciſcus Pedonius Secretarii Auditor, Juventius de Angelis, Blaſius Zucchius Barbitonſores, Alexander Bettinius, Ariſtoteles Gattai, Julius Cæſar Rotius eorum Adjutores, Angelus Pezzus Cæmentarius, Nicolaus Variſius, Jo. Volfretta Fabri lignarii, Franciſcus Mediolanen. Thomas de Dohana, Jacobus Comenſis, Jacobus de Voltulina, Joannes Reccta, Andreas Schemnus, Vincentius Guarinus, Joannes Sorci, Donatus Marcheſolus, Joannes Venetus, Dominicus de Voltulina, Jacobus Polus, Joannes de Remedio, Joannes Simonetta, Thomas Suſanna, Vincentius ad Corallum, Simon Tridentinus, Dominicus alias Bologna, Petrus de Petrolis, Dominicus Gutius, Marcus Antonius Ferrus Scopatores Conclavis.

§.19. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, donationis, receptionis, conſtitutionis, decorationis, Aggregationis, voluntatis, mandati, indulti, remiſſionis, condonationis, diſpenſationis, legitimationis, abſterſionis, abolitionis, reſtitutionis, præceptionis, conceſſionis, derogationis, & impartitionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

P.A.1. 1.Iulii. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinto, Pridie Kal. Auguſti, Pontificatus Noſtri anno primo.

---

IV. Exemptio Fratrum Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo, à ſolutione Quartæ funeralium, cum declaratione Conc. Trident. ſeſſ.25. cap.13.

*Alia de hoc Ordine plenè notavi ſuprà, ad conſtit.8. Honorii III. Vt vivendi, lib.1.*

A.D. 1605.

*PAVLVS PAPA QVINTVS,*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

DEcet Romanum Pontificem, quæ ſacris Ordinibus à Sede Apoſtolica dudum conceſſa ſunt, ſarta tectaque tueri.

§.1. Inter quos adeſt Ordo Beatæ & Glorioſæ, ſemperque Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, cui inter alia, ſicut accepimus, diverſi Romani Pontifices conceſſerunt illius Domos, ſeu Monaſteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad ſolutionem Quartæ Funeralium, idque etiam à Concilio Tridentino de prædicto, & aliis ſacris Ordinibus decretum fuit.

§.2. Cum autem quæreretur, an eadem poſtea à quadraginta annis ædificata deberent dictam Quartam ſolvere, venerabiles Fratres noſtri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Decretorum dicti Concilii interpretes cenſuerunt, Monaſteria ædificata à quadraginta annis citra non teneri ad ſolutionem Quartæ Funeralium hujuſmodi, ſi modò ſint ejus Religionis, cui à dicta Sede ante Quadraginta annos indultum ſit, ut eandem Quartam non teneantur ſolvere Epiſcopo.

§.3. Quare, ne dicti Ordinis Carmelitani Monaſteria, ſeu Domus in diverſis Mundi partibus à quadraginta annis ædificata indebitè cogantur ſolvere dictam Quartam Funeralium, eorumque indemnitati proſpicere cupientes, ac tenores literarum conceſſionum hujuſmodi forſan confectarum præſentibus pro expreſſis habentes, dilecti filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis Carmelitani, illius nomine Nobis porrectis ſupplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus omnia & ſingula hujus Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo Monaſteria, ſeu Domos in quibuſcumque Mundi partibus à quadraginta annis ædificata; illorumque Conventus & Fratres nullo modo, nullave ratione teneri ad ſolutionem dictæ Quartæ Funeralium, & ob non ſolutionem hujuſmodi aliquas ſententias, cenſuras, & pœnas incurrere poſſe.

§.4. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ac aliis quos id concernit, ne ab ipſis Fratribus Monaſteriorum, ſeu Domorum à quadraginta annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani Quartam Funeralium hujuſmodi quoquo modo exigere, aut eos deſuper moleſtare audeant, ſeu præſumant. Quod ſi quis contradicere præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus noverit ſe incurſurum. *Iuſſio non moleſtandi Ordinem ſuper d. exemptione.*

§.5. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari, ac definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Itaque, & non aliter iudicandi.*

§.6. Quocirca dilectis filiis Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & nunc & pro tempore exiſtentibus noſtris, ac dictæ Sedis Nunciis in Regnis, ſeu locis, aut Terris ubi dictæ domus ædificatæ fuerint, exiſtentibus mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, ac Fratribus prædictis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præmiſſa omnia obſervari, nec permittant eos deſuper à quoquam moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles, & præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. *Deputatio executorum.*

§.7. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dũtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. *Derogatio contrariorum.*

§.8. Et quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca deferri: Volumus, & etiam declaramus, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, ac ſi præſentes forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Auguſti milleſimo ſexcenteſimo quinto, Pontificatus noſtri anno primo. *Dat.P.A.1. die 20. Aug.*

---

V. Erectio Collegii, vel Seminarii Colimbrienſis in Regnis Hiſpaniarum, pro Religioſis Militiarum S. Jacobi de Spata, & Sancti Benedicti de Avis.

*Militiam Sancti Iacobi approbavit Alexander III. in ſua conſtitut.5. Benedictus, ſup. Ejus adminiſtrationem Regi Hiſpaniarum conceſſit Adrianus VI. conſtit.1. Dum intra, lib.1. ubi alia de hac Militia indicavi.*

*PAVLVS*

*Edita A. D. 1605.*

## PAVLVS. PAPA QVINTVS,
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

EX injunctæ nobis paſtoralis officii debito, quo Eccleſiarum, & Ordinum quorumcumque Regularium, etiam Militiarum regimini, divina diſponente clementia præſidemus, in his auctoritatis noſtræ partes libenter interponimus, per quæ Eccleſiarum, & Ordinum prædictorum perſonæ ac Miniſtri ſacrarum literarum ſtudiis incumbere, & ita utiliores Eccleſiæ Dei evadere poſſint.

*Major pars Eccleſiarum Parochialiũ Regnorũ Portugalliæ, & Algarbiorũ, conſtat ex Commendis iſtarum Militiarum, & illa per Presbyteros earumdem profeſſos, à Philippo Rege earum adminiſtratore præſentãdos, & ab Ordinariis locorũ inſtituendos gubernari ſolent.*

§. 1. Cum itaque (ſicut chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Catholici nomine nobis nuper expoſitum fuit) magna pars Eccleſiarum Parochialiũ Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, præſertim in Ulisbonenſi, Elborenſi, Colimbrienſi, Eluenſi, Pharaonenſi, Portalagrenſi, & aliis forſan diœceſibus, conſtet ex Præceptoriis, ſeu commendis Militiarum S. Jacobi de Spata, ſub Regula S. Auguſtini, ac S. Benedicti de Avis, ſub Regula ejuſdem S. Benedicti, quæ Parochiales Eccleſiæ, tam quoad animarum curam, quàm quoad alia neceſſaria, per Presbyteros Ordinum earumdem Militiarum reſpectivè profeſſos, à prædicto Philippo Rege, qui etiam Militiarum prædictarum perpetuus adminiſtrator Apoſtolica auctoritate deputatus exiſtit, pro tempore præſentandos, & ab Ordinariis locorum reſpectivè inſtituendos gubernari ſolent.

*Et illarum multa, etiam collegialiter deſerviri cõſueverunt à perſonis Militiarum.*

§. 2. Et multæ illarum in Civitatibus, & Oppidis præcipuis eorumdem Regnorum exiſtant, & propterea non ſolùm per Priores, & Rectores, ſed etiam per diverſos alios earumdem Militiarum beneficiatos collegialiter deſerviri ſoleant, quod quidem nonniſi adhibito magno idoneorum Miniſtrorum numero fieri poteſt.

*Et licèt multi in Conventibus, alii verò in Colimbrien. & Elboren. Univerſitatibus ſtudiis incũbant, ut poſteà beneficiis dictarum Militiarum proviſi earũ Eccleſiis incumbant, majori tamẽ eruditorum numero indigent.*

§. 3. Et licèt in Conventibus dictarum Militiarum, tum Grammaticæ, tum morali Theologiæ operam navent, nonnulli verò in Colimbrienſi, & Elborenſi univerſitatibus Studiorum generalium, expenſis dictarum Militiarum, ſeorſum tamen & ſeparatim, & abſque aliqua clauſura, & regularis diſciplinæ obſervantia litterarum ſtudiis incumbant, ut poſtea de Prioratibus, ac aliis beneficiis earum Militiarum proviſi dictis Eccleſiis inſerviant: quoniam tamen prædictæ Militiæ pro ipſarum Eccleſiarum regimine & adminiſtratione, majori eruditorum numero indigent.

*Igitur Rex alium Seminarium Colimbrien. fundari voluit, reſervato Papæ beneplacito pro Religioſis dd. Militiarum, certis ſub ordinationibus.*

§. 4. Propterea idem Philippus Rex, & adminiſtrator de conſilio Præſidentis, & Deputatorum menſæ conſcientiæ nuncupatæ, ad earumdem Militiarum regimen Apoſtolica auctoritate inſtitutæ, reſervato noſtro, & Apoſtolicæ Sedis beneplacito decrevit, ut in Univerſitate Colimbrienſi novum Collegium, ſeu Seminarium erigeretur & fundaretur, in quo aliqui ex qualibet dd. Militiarum Religioſi, ſub clauſura & regulari obediẽtia ſacræ Theologiæ, aut Iuris Canonici ſtudiis operam darent, qui Collegiales, facto prius inter eos qui adminiſtrandi ſunt concurſu, admitti deberent eodem modo ac ſtylo, quo Collegio Regali S. Pauli ejuſdem Univerſitatis, quoad ſanguinis puritatem, generis & familiæ nobilitatem, & qualitatem dd. Collegialiũ obſervatum eſt. Quod quidem Militare Seminarium, ac illius Collegiales prædicti, ſtatutis & regulis ſuorum Ordinum, & aliis ad id formandis & edendis gubernarentur, ea conditione adjecta, ut prædicti Collegiales per concurſum, ut præfertur eligendi, prius quàm ad d. Collegium, ſeu Seminarium admitterentur, in Conventibus dd. Militiarum regularem earum habitum ſuſciperent, & ſi dicto Philippo Regi nunc & pro tempore earumdem Militiarum Adminiſtratori videretur, etiam regularem ac ſolemnem emitterent profeſſionem.

*Seminarii Fabricæ proſecutioni, & Collegialium ſuſtentationi providit de redditibus beneficiorum dictarum Militiarum.*

§. 5. Præterea ut d. Collegii fabrica, & Collegialium congrua ſuſtentatio nullo unquam tempore deficere, aut deſiderari poſſet, ex dd. Militiarum Prioratibus, Præceptoriis, Commendis & beneficiis, eorumque redditibus, proventibus, juribus & emolumentis quibuſcumque ea quantitas, & portio eidẽ Collegio, ſeu Seminario applicaretur & attribueretur, quæ arbitrio ipſius Philippi Regis, nunc & pro tempore exiſtentis adminiſtratoris hujuſmodi, taxanda, applicanda, & attribuenda videretur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſe Philippus Rex & Adminiſtrator cupiat erectionem & fundationem d. Collegii, ſeu Seminarii quantocitiùs ad felicem, & optatum effectum perduci, atque ut Priores, Præceptores, Commendatarii, & alii beneficiati dictarum Militiarum onus contributionis per eos faciendæ in ſubventionem Collegii, ſeu Seminarii erigendi hujuſmodi, faciliùs perferre valeant, illos quacumque alia contributione aliàs Seminariis Eccleſiaſticis per Ordinarios locorum ex decreto ſacri Concilii Tridentini prædictis facienda, attento maximè quod Seminaria illarum partium ſatis uberes redditus habent, & non exiſtunt in quaſi poſſeſſione exigendi contributionem à beneficiis Militiarum, auctoritate Apoſtolica eximi deſideret, & propterea nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hit[...] ad [...] Regi[...] d. Sem[...] erigi[...] Bis [...] rum [...] ſis, & [...] Fabri[...] ſecutio[...] & Col[...] alias [...] tation[...] dem [...] prædi[...] gendi [...] tatem [...] partium.*

§. 6. Nos igitur ejuſdem Philippi Regis & Adminiſtratoris piis votis ac ſupplicationibus, in his præſertim quæ ad divini cultus augmentum & Miniſtrorũ virtutem alendam, & litterarum ſtudia promovenda pertinerent, benignè annuere volentes, ejus in hac parte ſupplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacri Concilii Tridentini interpretum, quibus hoc negotium examinandum, & nobis referendum commiſimus, in prædicta Univerſitate Studii generalis Colimbrien. unum Collegium, ſeu Seminarium Militiarum prædictarum, in qua ſub unius Rectoris à prædicto Philippo Rege moderno, & pro tempore exiſtente earumdem Militiarũ Adminiſtratore, ſeu Magno Magiſtro ad nutum deputan. & amovendi cura, & gubernio, aliqui prædictarum Militiarum religioſi ſub regulari clauſura, ac obedientia ſacræ Theologiæ, ſeu Juri Canonico operã dare debeant, auctoritate Apoſt. tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus, ac eidem Philippo Regi & Adminiſtratori nunc & pro tempore exiſten. præfato, ut per perſonas earumdem Militiarum ab eo deputandas, locum pro fabrica d. Collegii in eadem Univerſitate deſignare, necnon & pro eadem fabrica, & pro manutentione Rectoris & Collegialium ejuſdem Collegii, qui pro tempore fuerint, contributionem à ſingulis Prioribus, Præceptoribus, Commendatariis, & aliis beneficiatis earumdem Militiarum pro rata fructuum, redditaum, emolumentorum, & jurium ſuarum Præceptoriarum & Prioratuum, Commendarum & beneficiorum reſpectivè faciendam taxare, ſtatuere, & determinatè perſolvi facere poſſit facultatem impartimur.

*Collegi[...] juxta [...] las ſu[...] Ordinu[...] alias [...] Collegi[...] Semina[...] regimini[...] Ordinari[...] loci ap[...] bandas [...] & guber[...] iubet.*

§. 7. Præterea ut prædictũ Collegium, ſeu Seminarium Militare, & Collegiales in illud pro tẽpore admitten. juxta ſtatuta, & regulas ſuorum Ordinum, & alias pro felici illius gubernio de novo faciendas, dummodò licitæ & honeſtæ, ac ſacris Canonibus, & Concil. Trid. decretis, & Conſtit. Apoſtolicis conformes exiſtant, & ab Ordinario loci tanquam Apoſt. Sedis delegato priùs examinentur, & approbentur, regi & gubernari, utque prædicti Collegiales per concurſum, ut præfertur, pro tempore eligendi, priuſquàm ad Collegium, ſeu Seminarium admittantur, in Conventibus dd. Militiarum regularem earum habitum ſuſcipere, & ſi d. Regi & adminiſtratori ita etiam viſum fuerit, regularem & ſolemnem emittere debeant profeſſionem, ſtatuimus, & ordinamus.

*Semin[...] contribu[...] ab alii[...] tribution[...] eximit.*

§. 8. Ut autem Præceptores, Commendatarii, Priores, Rectores, & alii beneficiati Milites dd. Militiarum onus contributionis faciendæ pro manutentione d. Collegii, ſeu Seminarii faciliùs perferre poſſint, illos univerſos & ſingulos à quacumque alia contributione Seminariis Eccleſiaſticis in quibuſvis Civitatibus & Diœceſibus, attenta eorumdem Seminariorum illarum partium redditaum ubertate, quodque ipſa Seminaria non ſunt in quaſi poſſeſſione exigendi contributionem à dd. Militiis, auctoritate & tenore præſentium eximimus & liberamus, ac liberos & exemptos fore, & eſſe, ſicque ab omnibus cenſeri, ac ita per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Executo[...] huius bul[...] deputat.*

§. 9. Quocirca dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſt. generali Auditori, & ſpoliorum & jurium Cam. noſtræ Apoſt. debitorum in Portugalliæ, & Algarbiorum

Regnis

Regnis Collectori generali & officiali Colimbrien. per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quãdo opus fuerit, & quoties pro parte d. Philippi Regis, & pro tempore exiſtentis adminiſtratoris, ac aliorum prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciãt auctoritate noſtra illos, & eorum quemlibet eorumdem præmiſſorum effectu reſpectivè pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſt. aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

*ntrariis derogat.*

§. 10. Non obſtan. præmiſſis, ac fel. re. Bonif. Papæ VIII. prædec. noſtri de una, & in cõcilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſt. ac in Univerſalibus, Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitut. & ordinat. Apoſt. necnon Militiarum prædictarum, & quarumcũque Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſt. eidem Collegio, ejuſque Rectori, Collegialibus aliiſque perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cùm quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervãda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbũ inſererentur præſentibus pro expreſſis habẽtes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & cõtrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Marcum, die 23. Auguſti 1605. Pont. noſtri anno primo.

---

## VI. Quod Capitulum generale Fratrum S. Franciſci de Paula, quolibet ſexennio celebretur. Munuſque Correctoris generalis, ejuſque Collegarum, ac Procuratoris Ordinis ſexennio, Provincialium triennio, Correctorumque domorum anno expleatur.

*Hunc Ordinem probavit Sixtus IV. in conſt. 5. Sedes, ſup. lib. 2. Et hunc Franciſcum inter Sanctos retulit Leo X. in conſtit. 38. Excelſus, lib. 2. ubi alia de hoc Ordine adnotavi.*

Ambitum his Fratribus prohibuit hic idem Paul. inf. in conſt. 117. Admonemur. Poſtea in Urbe fuit inſtitutum Collegium hujus Ordinis pro Fratribus ſtudentibus nationis Calabrenſis, ut in S.D.N. Urbani VIII. conſtit. 5. Ex injũcto, inf. tom. 4. De anno 1625. in Capitulo generali iſti Fratres nonnulla ſtatuta pro Ordine ediderunt, quæ habes confirmata, & relata in S. D. N. Urb. conſtit. 17. Ut ea. Et demùm confirmavit eorum Privilegia in conſt. 19. Injuncti, d. tom. 4.

*dita A. D. 1605.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*auſa hujus conſtitutionis.*

CUm ſicut accepimus, ex regula, ſeu conſtitutione Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula à Rom. Pont. prædeceſſor. noſtris, Sanctaque Sede Apoſt. hucuſque confirmata diſponatur quolibet triennio, & in feſto Sanctiſſimæ Pentecoſtes d. Ordinis Capitulum generale celebrari, & in eo illius Corrector generalis, ejuſque Collegæ, ac etiam ipſius Ordinis Zeloſus, ſeu Procurator generalis in loco deputato, ut moris eſt, omnibus d. Ordinis Provincialibus, eorumque Commiſſorum congregatis eligi debeant, prout in hujuſmodi feſto die penultima menſis Maii proximè præteriti obſervato, d. Capitulum generale celebratum, & in eo Corrector generalis, ejuſque Collegæ & Zeloſus, ſeu Procurator generalis prædicti electi fuerunt, nihilominus cum d. Ordo, illiuſque domus regulares nõ ſolum in Italia, ſed etiam in Gallia & Hiſpania in dies propagentur, ac etiam amplientur, ipſi Generales, eorumque Collegæ ſuas integras in prædictis Nationibus Viſitationes nullo modo infra dictum triennium, prout ipſarum regularis Ordo requirit, efficere poſſint. Imò verò quæ ab eis in aliqua prædictarũ Nationum Viſitatione efficiuntur ita feſtinãter propter tẽporis eis præſcripti brevitatem fiunt, ut in ſuũ Ordinem nullum vel ſaltem minimum poſſit inde reſultare emolumentum, itaut nedum ex incommodis hujuſmodi, verùm etiam ex ipſo triennali, ſicut præfertur, totius Ordinis prædicti Provincialium, eorumque Commiſſorum ad Capitulum generale hujuſmodi celebran. Conventu ingentes ſumptus, graveſque moleſtias d. Ordo ſubire cogatur. Quibus & aliis forſan cauſis per nos providè conſideratis, & re ipſa à dilectis filiis Prælatis Congreg. Reformationis maturè diſcuſſa, ad evitan. hujuſmodi ſumptus, & expenſas ac incommoda, quæ præmiſſorum occaſione oriri poſſunt, modo infraſcripto providen. eſſe duximus.

*Quod Capitulum generale quolibet ſexennio de cetero celebretur, in eoque Corrector generalis, illiuſque Collegæ, ac Procurator generalis Ordinis S. Franciſci de Paula ad ſexennium eligantur.*

§. 1. Nos igitur in ſupremo dignitatis culmine divina favente clementia conſtituti, ad ea per quæ Religioſorum piæ vitæ, divinique numinis obſequiis ſub regularis obſervantiæ norma vacantiũ ſtatus ſalubriter dirigi valeat, libenter attenden. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, deque Apoſt. poteſtatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus d. Capitulum generale non quolibet triennio, prout hactenus obſervatum fuit, ſed de ſexennio in ſexennium celebretur, in eoque Corrector generalis, illiuſque Collegæ, ac Zeloſus, ſeu Procurator generalis prædicti Ordinis Provincialibus, eorumque Commiſſis congregatis, ac reliquis obſervari ſolitis ſervatis, ad hujuſmodi ſexennium eligantur, ac celebrari, & eligi debeant.

*Et tantum duret electio nunc facta in Capitulo generali.*

§. 2. Itaut electio dilecti filii Stephani Augerii Moderni d. Ordinis correctoris generalis, ejuſque Collegarum, ac dilecti etiam filii fratris Hieronymi Durandi Zeloſi, ſeu Procuratoris generalis à die Feſtivitatis Sanctiſſimæ Pentecoſtes, hujuſmodi proximè præterita computan. duret, nos illam ad hujuſmodi ſexenniũ extendimus, & ampliamus. Quo quidem ſexennio durante ipſi, & eorũ quilibet eiſdẽ privilegiis, prærogativis, antelationibus, favoribus, auctoritate, officio, præeminentia & juriſdictione, aliiſque gratiis, tã ſpiritualibus, quàm tẽporalibus, quibus d. Ordinis Corrector generalis, ejuſque Collegæ, & Zeloſus, ſeu Procurator generalis hactenus uſi, potiti & gaviſi fuerint, ac quibus de jure, conſuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipſi pariter, & pariformiter, abſque ulla prorſus differentia utantur, potiantur, & gaudeant, dictoque ſexennio elapſo, & non antea, d. Capitulum generale celebretur, & celebrari debeat, in eoque quæ de more fieri ſolent, dicto triennio penitus excluſo, fiant & obſerventur.

*Alii autem Officiales, Provinciales, eorumque Collegæ ad triennium; & Correctores domorum ad annum eligantur.*

§. 3. Alii verò Officiales, Provinciales, eorumque Collegæ de triennio in triennium, ac Correctores domorum d. Ordinis de anno in annum, prout ex regula d. Ordinis diſponitur, creentur & deputentur, perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

*Contravenientes multas pœnas incurrant.*

§. 4. Et ita ſub indignationis noſtræ, necnon privationis vocis activæ & paſſivæ, ac inhabilitatis ad quæcumque d. Ordinis dignitates, præeminentias, officia & onera recipien. & retinen. ipſo facto incurren. pœna per quoſcumque d. Ordinis fratres & regulares, ac quoſvis alios obſervari præcipimus & mandamus.

*Clauſula huius conceſſionis præſervativa apponuntur.*

§. 5. Decernentes prædictas literas de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, ſeu invalidari, aut ad

viam & terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam vocari, aut adverſus eas quodcumque juris, & facti vel juſtitiæ, aut gratiæ remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus unquam poſſe.

*Ac decretum irritans.* §. 6. Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S. R. E. Cardinales, dictæque Sedis de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores etiam deputantur.* §.7. Quocirca dilectis filiis noſtris, & Apoſt. Sedis in Regnis Franciæ & Hiſpaniarum Nunciis, & cauſarũ Curiæ Cam. Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes cõmittimus, & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte correctoris generalis, ejuſque Collegarum, ac Procuratoris prædictorum, aut alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque & cuilibet eorum in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos, & eorum quemlibet præmiſſorum omnium & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permitten. illos, aut eorum quemlibet deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis quibuſque derogatur.* §.8. Non obſtan. fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædec. noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dũmodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtit. & ordinat. Apoſt. ac prædicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtol. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſt. eidem Ordini, illiuſque Correctori, Collegis, Procuratoribus, aliiſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritatibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis inſuper fides datur.* §. 9. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 1. die 1. Octob.* Dat. apud S. Marcum, die 1. Octob. 1605. anno 1.

## VII. Reſtitutio, & innovatio Feſtivitatis S. Ubaldi, Epiſcopi Eugubini, profeſſoris Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium, pro die 16. menſis Maii.

*Hunc Sanctum Canonizavit, & feſtivitatem inſtituit Cæleſt. III. ſup. in ejus conſtit. 1. Benedictus, lib. 1.*

*Edita A. D. 1605.* *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* EX injuncto nobis Apoſtolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ Sanctorum veneratio, & Chriſti fidelium devotio augetur, cùm præſertim pia filiorum Principum vota id expoſcunt, ac aliàs in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§. 1. Piis igitur ac devotis ſupplicationibus dilecti filii nobilis viri Franciſci Mariæ Urbini Ducis, & dilectorum filiorum Abbatis generalis, & univerſæ Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Ordinis S. Auguſtini nominibus nobis humiliter porrectis inclinati, ac ex voto venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus, & ceremoniis deputatorum, ut Chriſti fidelium veneratio erga Sanctum Ubaldũ olim Epiſcopum Eugubinum magis augeatur, quem ob inſignia miracula, quæ illius interceſſione, ut piè creditur, Omnipotens Deus operari dignatus eſt, & in dies operari dignatur, maximè in liberandis à dæmone obſeſſis, & ob celebrem in univerſo Orbe illius vitæ ſanctitatem, felic. record. Cœleſtinus Papa III. prædeceſſor noſter in Sanctorum numerum retulit, & erga quem dictus Franciſcus Maria Dux ob ſpeciales gratias à Deo ipſius Sancti Ubaldi meritis & interceſſione, ut ſimiliter piè creditur, ſuſceptas, & eadem Canonicorum Regularium Congregatio, cujus Ordinis inſtitutum, & vivendi rationem ipſe Sanctus Ubaldus in Canonia Portuenſi apud Ravennam ſuſcepit, ſingularem gerunt affectum.

§. 2. Harum ſerie perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, ut ipſius S. Ubaldi Pontificis & Confeſſoris dies feſtus in Kalendario Romano ad diem 16. menſis Maii aſcribatur, & de eodem S. Ubaldo Pontifice & Confeſſore in univerſo Orbe à Clericis ſæcularibus & regularibus quibuſcumque, qui divinum officium recitare tenentur, eo die commemoratio, tanquam de feſto ſimplici fieri debeat.

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 26. Octobris 1605. Pont. noſtri anno primo.

## Approbatio Collegii ſub invocatione S. Hieronymi, à S. R. E. Cardinale Matthæio Romæ nuper inſtituti atque dotati, ad piam egenorum Scholarium, Sacræ paginæ, & Juris Canonici ſtudiis incumbentium educationem. Et elargitio gratiarum aliorum Collegiorum Almæ Urbis. Et deputatio Vicarii Papæ, ad ejus cauſas dijudicandas. VIII.

*Alia duo ſimilia Collegia pridem à S. R. E. Cardinalibus in Vrbe erecta fuiſſe reperitur in bullis, ut videre eſt in conſt. 25. Pii V. Accepimus, lib. 2. Sed hiſce temporibus Antonius Maria Card. Salviatus, Collegium pro Orphanis in Vrbe, annuo conſtituto cenſu inſtituit.*

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei: Dilecto filio noſtro in Vrbe, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.* *Edita A.D. …*

ALtitudo divinæ Providentiæ, à qua bona & ſancta opera omnia procedunt, ea ſuorum fidelium animis frequenter ſuggerit quæ ad Collegiorum, & aliorum piorum locorum propagationem, ac pauperum ſtudiis literarum incumbere volentium manutentionem & inſtructionem, bonorumque per eos emeritorum promotionem noſcantur pertinere, unde nos, quibus eadem providentia univerſalis Eccleſiæ regimen eſt commiſſum, ipſorum fidelium, præſertim S. R. E. Cardinalium pias voluntates ad id tendentes, ut votivos ſortiantur effectus, cum à nobis petitur, Apoſtolici favoris ſuffragio libenter proſequimur, ac in his officii noſtri partes favorabiliter interponimus, prout conſpicimus ſalubriter expedire.

§. 1. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Cyriaci, & Haſdrubalis de Matthæis Domicellorũ Rom. petitio continebat, quod alias bon. me. Hieronymus tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Matthæius nuncupatus, cordi habens Religionis augmentum & decorem, piamque Juventutis eruditionem, in ultimo à ſe condito teſtamento, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, & ad gloriam Omnipotentis Dei, & honorem D. Hieronymi Advocati ſui, Cyriaco & Haſdrubali præfatis ejus fratribus & hæredibus univerſalibus, inter alia centum, & quinque diverſorum Montium de Urbe loca non vacabilia, & decem mille ſcuta monetæ in emptionẽ

tot

tot aliorum locorum Montium non vacabilium, etiam de urbe, ſeu cenſuum annuorum, tutè & benè impoſitorum, aut bonorum ſtabilium eorum arbitrio eroganda prælegavit, ſeu reliquit. Inſuper voluit & mandavit, quod poſt factā emptionē hujuſmodi à quinque uſque ad ſex mille ſcuta intra ſex menſes à die obitus ſui computandos, in emptionem alicujus domus, ſeu loci eiſdem Cyriaco, & Haſdubrali benevisæ, ſeu benevisi, converti, ibique Collegium S. Hieronymi nuncupandum erigi & inſtitui, & quatenus pro emptione domus, ſeu loci hujuſmodi erogaretur minor ſumma dd. ſex mille ſcutis, habita ratione ad illius pretium & fabricā, ſi qua facienda eſſet pro conſtructione, & uſu d. Collegii, id totum quod ſupereſſet, in emptionem ſimilium locorum, ſive cenſuum, aut bonorū ad commodum, & beneficium d. Collegii inveſtiri. Ipſum autem Collegium, ac bona illi pro ejus dote aſſignanda, de proprietate, & jurepatronatus Cyriaci, & Haſdrubalis prædictorum, ac filiorum, nepotum, pronepotum, & aliorum ex eis deſcendentium in infinitum, unius ſcilicet poſt alium, eſſe, ac illis omnibus deficientibus, omnes alii in primogenitura per eum ſuper ſucceſſione partis Caſtrorum Jovis, Rocchæ Sinibaldæ & Belmontis, ratione donationis per eundem antea prædictis Cyriaco, & Haſdrubali factæ inſtituta, comprehenſi, excluſis ſemper feminis, & alias juxta ejuſdem primogenituræ formam, ſeriem & continentiam, eis ſuccedere, & quatenus elapſis dd. ſex menſibus, domus, ſeu locus hujuſmodi empta vel emptus non eſſet, tunc per Cyriacum, & Haſdrubalem præfatos aliqua idonea domus ad hunc effectum conduci.

*...us regimen ...riaco, & ...ſdrubali ...ribus, & ...poſito C... ...gationis ...ricorum ...gularium ...Pauli com...iſit, cum ...ultate ...uta op...riuna pra...iendi.*

§. 2. Ipſique Cyriacus, & Haſdrubal, ac eorum primogeniti, unà cum Præpoſito Domus S. Blaſii de Annulo, etiam de Urbe, Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati pro tempore exiſtente, d. Collegium gubernare & adminiſtrare, ac Magiſtrum, ſeu Rectorem, Scholares, famulos, ſervientes, ut infrà qualificatos in d. Collegio introducendos, eligere & admittere, eoſque expellere & removere, ac alios ſufficere, ſtatutaque, ordinationes & conſtitutiones pro illius felici ſtatu, & proſpera directione facere, condere & compilare deberent, illaque prout occaſio ſe offerret, & eis videretur, reformare & corrigere, ac eiſdem addere, & detrahere poſſent, ac denique liberam ipſius Collegii adminiſtrationem haberent, omni & quacumque ſuperioritate & ſuperintendentia omiſſa, rogans & hortans Cyriacum & Haſdrubalem, ac Præpoſitum prædictos, quatenus in opportunis ordinationibus hujuſmodi facien. ex quibus rerum conſervatio pendebat, omni cum diligentia & ſedulitate uti vellent, hac una inter ceteras addita, ac inviolabiliter, & perpetuò obſervanda, videlicet quod tam Magiſter, ſeu Rector, quàm Scholares, & ſervientes d. Collegii prima Dominica cujuſlibet menſis, ſua peccata confiteri, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſumere tenerentur, ut eodem tempore Deo ſervire, ſcientias ediſcere, & gratias de beneficiis receptis referre valerent.

*...ctorem ab ... deputari ...ſit.*

§. 3. Et propterea ſtatuit, & ordinavit, quod unus Magiſter, ſeu Rector Sacerdos, à Cyriaco & Haſdrubale, ac ſucceſſoribus, necnon Præpoſito præfatis eligendus, d. Collegio præeſſet, ac Scholarium & famulorum, ſeu ſervientium prædictorum curam gereret.

*...troïtuum ...miniſtra... ...em præ... ...ripſit.*

§. 4. Ea tamen conditione quod Cyriacus & Haſdrubal, ac ſucceſſores prædicti de per ſe ſoli curam & adminiſtrationem dotis, & pecuniarum ejuſdem Collegii, necnon facultatem loca Montium & cenſus, ſeu bona ſtabilia hujuſmodi emendi, & in eventum illorum extinctionis pretium inde proventurum, prout eis videretur, & inferiùs ordinatur, reinveſtiendi haberent, ſed in expeditione mandatorum, manus dicti Præpoſiti intervenire, & deliberationes magni momenti ſuper rebus dicti Collegii ſimiliter cum ejus interventu fieri deberent.

*Scholarium ...alitates ...ca originē ...ſignavit.*

§. 5. Quodque in eodem Collegio tot quot ex introïtibus illius dotis ibi manuteneri poſſent, Scholares Romani originarii, ſeu etiam cives ex privilegio de nobili genere procreati, & pauperes reciperentur. Ita tamen ut unus vel duo ex Nonantulæ, & unus ex Famularum terris Nullius diœceſis, Provinciarum Bonon. & Urbinat. reſpectivè oriundi, ſi qui adeſſent, ac dd. Scholarium munere & conſortio adſcribi inſtarent, dd. Romanis præferrentur, dummodò idonei & acceptabiles forent. Sub hoc autem principio, dilecti filii Proſper Bonus ex terra S. Angeli ſub dominio Ducatus Urbini, Joannis Franciſci Paganani, qui ſibi à Secretis negotiis Congreg. Conc. Trid. ſpatio tredecim annorum, & ultra inſervierat conſanguineus, loco illius qui de dicta terra Famularum admittendus eſſet, necnon Victorius Piccinus Franciſci etiam Piccini, Tudertin. Civis tamen Romanus, obſequiis d. Cyriaci inſiſtentia natus, in Scholares ejuſdem Collegii etiam reciperentur, cæteris omnibus circa d. Collegium diſpoſitis, quibus in aliquo ea vice dumtaxat excepta, derogari voluit, firmis remanentibus.

§. 6. Omnes verò Scholares præfati, tempore eorum receptionis in d. Collegio, decem & ſeptem annorum ad minus ſuæ ætatis, ac in literis humanioribus ſufficienter inſtructi eſſent.

*Ætatem declaravit.*

§. 7. Nec aliis quàm Sacræ paginæ & Juris Canonici ſtudiis incumbere poſſent.

*Studia Sacræ paginæ, & Iuris Canonici tantum permiſit.*

§. 8. Veſteſque Clericales, ſcilicet nigri coloris, & uniformes eis, ſumptibus dicti Collegii ſuppeditandas, ſub pœna privationis loci Collegialis deferrent.

*Habitum ordinavit.*

§. 9. Ac in ipſo Collegio uſque ad 25. ejuſdem ſuæ ætatis annum retineri, & educari, completoque anno hujuſmodi, locum aliis cedere tenerentur.

*Scholares uſque ad annū 25. & non ultra retineri juſſit.*

§. 10. Quodque loca Montium, ſeu cenſus, aut bona, ad opus d. Collegii, ut præfertur aſſignata, & deinceps emēda, pro dote & ſuſtentatione d. Collegii perpetuò affecta & hypothecata remanerent, nec in alium uſum converti poſſent, & in eventum illorum extinctionis, pretium inde redigendum, ſtatim apud Montem Pietatis de Urbe deponeretur, cum mentione, ſeu enunciatione, quod pecuniæ hujuſmodi pro d. Collegio deſtinatæ exiſtebant, neque ex eodem Monte, niſi ad effectum illud in emptionem aliorum locorum Montium non vacabilium, ſive cenſuum benè & ſecurè impoſitorum, aut rerum ſtabilium, prout Cyriacus & Haſdrubal, ac eorum ſucceſſores præfati, unà cum d. Præpoſito magis expedire cognoſcerent, amoveri poſſet, ac in literis patentibus deſuper expedien. ſeu in celebratione inſtrumentorum deſuper conficiendorum, ſemper expreſſa & ſpecifica mentio fieret pecunias hujuſmodi ad Præfatum Collegium ex diſpoſitione ipſius Hieronymi Card. ſpectare, illaſque hujuſmodi oneribus & conditionibus, nempe pro dote & ſuſtentatione d. Collegii ſubjacere, & hoc toties quoties caſus contingeret, atque ita perpetuis futuris temporibus dos hujuſmodi d. Collegio, iſto & omni alio meliori modo conſervari, fructus autem locorum, cenſuum, ſeu bonorum hujuſmodi, donec erectio d. Collegii ſequeretur decurrendi, ad commodum, utilitatem, & augmentum ejuſdem Collegii inveſtiri, factaque congerie dotis hujuſmodi ex omnibus & quibuſcumque illius fructibus, ſingulis annis in perpetuum trecenta ſcuta monetæ detrahi, ac illa in tot locis Montium non vacabilium, vel cenſibus annuis, aut bonis ſtabilibus, ad commodum & augmentum ejuſdem Collegii inveſtiri deberent, ad hoc ut facta inveſtitura hujuſmodi dictum Collegium fructibus inde percipien. uti & frui poſſet, prout in d. teſtamento pleniùs dicitur contineri.

*Bonorum & redituum Collegii inveſtituram, & augmentū præſcripſit.*

§. 11. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Cyriacus & Haſdrubal præfati, piam d. Hieronymi Card. diſpoſitionem ad effectum quantocyùs perduci deſiderantes, ex dicta ſumma decem mille ſcutorum ab eo, ut præfertur legata, quandam domum in via quæ tendit ad Eccleſiam S. Nicolai ſub Monte Quirinali ſitam, ad uſum Collegii hujuſmodi ſatis opportunam & commodam, ab hæredibuſque Pamphilii de Deſideriis, quinque millium ſcutorum, & cenſum annuum ſortis principalis aliorum quinque millium ſcutorū à Hieronymo Serlupio dilectis filiis, & nuperrimè ſequuta d. cenſus pro ſumma bis mille ſcutorum redemptione, ſeu extinctione ex ipſis bis mille ſcutis, & de fructibus ex dote d. Collegii eatenus decurſis, alia viginti novem loca Mōtis Farneſii etiā de Urbe emerint, & in domo præfata Collegiū hujuſmodi erigi cupiāt, illique pro ſua dote, ſub hoc primordio reſiduum cenſus hujuſmodi, quod eſt ter mille ſcutorum, ac viginti novem prædicta, necnon alia centū, & quinque diverſorū Montiū non vacabilium per eos jam ad hunc effectum deſtinata, & deſignata loca aſſignare intendant, pro parte Cyriaci, & Haſdrubalis prædictorū nobis fuit humiliter ſupplicatū,

*Hæredes prædicti domum pro erectione d. Collegii emerunt, & annuū redditum aſſignarunt, & pro cōfirmatione Papam ſupplicarū.*

quatenus præmiſſis annuere, & deſuper opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

*His ideò Pŏt. mandat Cardin. ejus Vicario, ut de præmiſſis ſe diligenter informet, & d. Collegium erigat, redditus aſſignet, & regimen concedat hæredibus d. Card. Matthæii, ac juxta illius diſpoſitionẽ.*

§.12. Nos igitur Cyriacum & Haſdrubalem præfatos, ac eorum quemlibet, à quibuſvis excommunic. ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſen. necnon dicti teſtamenti, ac quarumcumque aliarum ſcripturarum ſuper præmiſſis, & eorum ſingulis, publicè & privatim, ac aliàs quomodolibet confectarum, & in illis contentorum, ac inde ſecutorum quorumcumque tenores, necnon domus, ſeu domorum hujuſmodi veriores ſituationes, confines, earumque, ac locorum Montium & cenſus præfatorum veros, etiã annuos valores præſentibus pro ſufficienter, & totaliter expreſſis haben. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuæ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenus auctoritate noſtra de præmiſſis te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, in præfata vel alia per Cyriacum & Haſdrubalem prædictos ad hunc effectum forſan emenda domo, Collegium S. Hieronymi nuncupandum, cum Capella, ſeu Oratorio, Refectorio communi, Sigillo, Bibliotheca, Archivio, ceteriſque Collegialibus inſignibus, ac membris & officinis neceſſariis pro perpetuis receptione, uſu, & habitatione unius Magiſtri, ſeu Rectoris habilis & idonei, qui Presbyter exiſtat, & Scholarium, famulorum, ſeu ſervientium ejuſdem Collegii curam gerat, & ipſi Collegio juxta traditam ab eodem Hieronymo Card. formã, & non aliàs præſit, ac tot quot ex d. Collegii proventibus, & redditibus annuis, deducta ex eis in primis, & ante omnia trecentorum ſcutorum ſumma quotannis in utilitatem & augmentum d. Collegii juxta prædicti Hieronymi Cardin. diſpoſitionem inveſtienda, pro tempore commodè ſuſtentari, & manuteneri poterunt, Scholarium juxta diſpoſitionem & ordinationem d. Hieronymi Card. ut præfertur factas, qualificatorum, eligendorum, recipiẽdorum, educandorum, retinendorum, ac etiam expellendorum & removendorum, ſub perpetuis cura, gubernio, regimine & adminiſtratione Cyriaci, & Haſdrubalis, aut ſuorum primogenitorum prædictorum, qui per ſe ſolos omnimodam dotis, & pecuniarum d. Collegii curam & adminiſtrationem habere debeant, cum facultatibus, oneribus, conditionibus, modo, & forma à d. Hieronymo Card. præſcriptis perpetuò (ſine tamen alicujus præjudicio) erigas & inſtituas, illique ſic erecto & inſtituto, pro ejus dote, ac Magiſtri, ſeu Rectoris ac Scholarium prædictorum uſu, habitatione & ſuſtentatione, bonorumque illis incumbentium ſupportatione, prædictam vel aliam, ſeu alias domos, ut præfertur emendas, cum omnibus & ſingulis illarum ædificiis, ſtructuris, ſitu, ambitu, juribus, pertinentiis, & dependentiis quibuſcumque, ac reſiduum prædicti cenſus, necnon omnia & ſingula loca Montium per Cyriacum & Haſdrubalem præfatos, tam empta & aſſignata, quàm emenda & aſſignanda, ut præfertur, ita quod liceat Cyriaco, & Haſdrubali, ac primogenitis prædictis corporalem, realem & actualem illorum omnium poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, & d. Collegii nominibus, propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque ex eis, ſeu dote hujuſmodi provenientia, percipere, exigere, levare, recuperare, locare, & arrendare, ac in communes dicti Collegii uſus, & utilitatem convertere, cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita, etiam perpetuò applices & appropries.

*Et à ſuperioritate & juriſdictione quorumcumque Officialium, &c. eximat.*

§.13. Inſuper ipſum Collegium, ac illius pro tempore exiſtentes Magiſtrum, ſeu Rectorem, Scholares, Collegiales, Oeconomos, Officiales, Miniſtros, & perſonas, eorumque res & bona mobilia, præſentia & futura, cujuſcumque quantitatis, qualitatis, generis, & ſpeciei exiſtentia, ab omni, & quacumque pro tempore exiſtentium d. Urbis Gubernatoris, Senatoris, conſervatorum, Reformatorum, & noſtri, ac Rom. Pont. pro tempore exiſtentis in eadem Urbe, & illius diſtrictu in ſpiritualibus Vicarii, necnon cauſarum Curiæ Cam. Apoſt. generalis Auditoris, & quorumcumque noſtrorum, & Sedis Apoſt. de latere Legatorum, ac Vicelegatorum, & quarumcumque aliarum perſonarum ubilibet conſtitutarum, & quavis auctoritate, & dignitate, tam Eccleſiaſtica quàm mundana, etiam Cardinalatus honore fungentium, viſitatione, correctione, juriſdictione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate ſimiliter perpetuò eximas & liberes.

*Sub ... Sedis Ap... recipiat.*

§.14. Ac ſub noſtri, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis protectione, & inviolabili conſervatione ſuſcipias, eidemque Sedi immediatè ſubjicias.

*Hæredes ... dictos Coll... adminiſtratores ... tuat.*

§.15. Necnon Cyriacum & Haſdrubalem, & ab eis deſcendentes primogenitos præfatos, in dicti Collegii, illiuſque Magiſtri, ſeu Rectoris, Scholarium, Collegialium, Oeconomorum, Officialium, Miniſtrorum, & perſonarum, necnon bonorum, & rerum quarumcumque Protectores, & generales adminiſtratores, quatenus opus ſit, pariter perpetuò conſtituas, & deputes.

*Collegio, & eius perſ... indulta ... rum in ... Collegiorum communica...*

§.16. Necnon eiſdem Collegio, illiuſque Magiſtro & Rectori, Scholaribus, Collegialibus, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris, & perſonis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, antelationibus, præeminentiis, conceſſionibus, indultis, favoribus, ceteriſque gratiis univerſis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia Collegia, & pia loca in dicta Urbe inſtituta, illorumque Magiſtri, ſeu Rectores, Scholares, Collegiales, Oeconomi, Officiales, Miniſtri, & perſonæ de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, vel aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter, ac æquè principaliter, abſque ulla prorſus differentia, uti, frui, potiri & gaudere liberè & licitè valeant, itidem perpetuò indulgemus.

*Eiſdem ... redibus, ... Præpoſito C... gregationis Clericorum S.P. Dech... ti, facul... tem edend... ordinationes & ſtatuta Collegii ... cedat.*

§.17. Necnon Cyriaco & Haſdrubali, ac primogenitis, unà cum Præpoſito prædictis, quæcumque ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, capitula & decreta, ad ejuſdem Collegii, illiuſque perſonarum, rerum & bonorum ſpiritualium & temporalium curam, regimen, gubernium, directionem, & adminiſtrationem, ac Scholarium prædictorum nominationem, receptionem, admiſſionem, expulſionem, ætatem, qualitatem, victum, veſtitum, inſtructionem, diſciplinam, ac Studii curſum, ceteraque ad hujuſmodi curam, & adminiſtrationem pertinentia, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ipſiuſque Hieronymi Cardinalis diſpoſitioni, & menti non contraria, & à te approbanda, quæ eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmata & approbata ſint, & eſſe cenſeantur, ac ab omnibus ad quos pro tempore ſpectabit, etiam ſub pœnis in contravenien. ſtatuendis obſervari debeant, omni, & quacumque ſuperioritate & ſuperintendentia omiſſa faciendi & edendi, ac illa quoties pro eorum & temporum qualitate, ſeu aliàs expediens videbitur, mutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, aut alia ex integro condendi, plenam & abſolutam licentiam, & facultatem impartiaris.

*Præpoſito p... dicto omni... munus pr... fatum perp... tuò præcipi...*

§.18. Ceterùm quia de facili evenire poteſt, ut modernus, vel pro tempore exiſtens Præpoſitus præfatus, onera & munera ſibi à dicto Hieronymo Cardinali, circa ſtatum & gubernium dicti Collegii, ut prænarratur, injuncta, aliquo modo detrectare tentet, eidem Præpoſito, tam moderno quàm pro tempore exiſtenti, ut omni, & quocumque tempore, omnia onera & munera hujuſmodi, prout ſibi à dicto Hieronymo Cardinale injuncta ſunt, prompta animi devotione ſuſcipere, & exequi, nunquam autem quovis colore, prætextu, vel ingenio detrectare debeat, præcipias, & mandes.

*Juſpatronatus d. Collegii ad hæredes Cardinalis Matthæii juxta illius diſpoſitionem ſpectare declarat.*

§.19. Poſtremò Collegium per præſentes erectum, illiuſque dotem hujuſmodi, de proprietate, & jurepatronatu Cyriaci & Haſdrubalis, ac ſuorum filiorum, nepotum, pronepotum, & aliorum deſcendentium prædictorum, unius ſcilicet poſt alium, & illis omnibus deficientibus, aliorum ad dictam primogeniturã vocatorum, juxta illius formam & tenorem eſſe, & fore, ac juſpatronatus hujuſmodi illis ex primæva, integra, & omnimoda fundatione, atque dotatione, de bonis merè patrimonialibus facta, & aliàs in omnibus, & per omnia juxta prædicti Hieronymi Card. teſtamentum, diſpoſitionem, & ordinationem competere.

*Clauſula hujus conſti... præſervat.*

§.20. Præſentes quoque literas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſioni-

bus,

bus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per nos, vel alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, etiam in craſtinum aſſumptionis ſucceſſorum hujuſmodi ad ſummi Apoſtolatus apicem, ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus & formis, etiam Motu proprio pro tempore factis, minimè comprehendi, ſed tanquam pro fundatione, & dotatione d. Collegii S. Hieronymi, ad bonarum artium cultum inſtituti conceſſas, ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub data per Adminiſtratores pro tempore exiſtentes præfatos quandocumque eligenda conceſſas eſſe, & fore, ſuumque plenarium effectum ſortiri, & obtinere.

*Clauſula ſublata, &c.* §. 21. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, in quavis inſtantia judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernas.

*Contrariis quibuſcumque hic Pôt. derogat.* §. 22. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus, Univerſalibuſque Conciliis editis ſpecialibus & generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dictæ Urbis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & legibus municipalibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Urbi, ac dilectis filiis Populo Romano, necnon Camerario, Vicario, Gubernatori, Auditori, Senatori, cæteriſque Superioribus & perſonis præfatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie per quoſcumque Rom. Pontif. prædeceſſores noſtros, ac Sedem prædictam, etiam Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis aliæ expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & infererentur præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

*Dat. P. A. 1. die 16. Nov.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1605. 16. Kalend. Decemb. Pontificatus noſtri anno primo.

*Sequitur decretum Erectionis dicti Collegii, editum ab Illuſtriſſ. D. Cardinali Pamphilio in præinſertis literis deputato.*

*Decretum S. R. E. Cardin. Pamphilii, ſuper inſtitutione d. Collegii, in executione præinſertarum literarum.* §. 23. ILluſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Hieronymus Cardinalis Pamphilius, Vicarius & Judex ut ſuprà deputatus, dictis literis Apoſtolicis ea qua decuit reverentia receptis, illiſque viſis, & contentis in eis benè auditis, & intellectis, viſoque teſtamento ut ſuprà exhibito & producto, & demùm viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, volens ad præfatarum litterarum executionem procedere, Collegium, de quo in dictis literis, erexit, & inſtituit, cum approbatione & applicatione bonorum, facultatibus, & declarationibus, ac modo & forma à dicto bon. mem. Hieronymo Cardinali præſcriptis, ac cum exemptione, liberatione, ſubjectione, indulto, deputatione, licentia, facultate, impartitione, conceſſione, præcepto, reſervatione, aſſignatione & decreto, ac aliàs in omnibus, & per omnia juxta earumdem litterarum Apoſtolicarum formam, & tenorem, &c. non ſolùm præmiſſo, ſed etiam omni alio meliori modo, &c.

Actum Romæ in Palatio ſolitæ reſidentiæ dicti Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalis Vicarii, præſentibus ibidem DD. Franciſco Romaulo Clerico Romano, & Mutio Paſſatino de Nurſia Clerico Spoletanæ Diœceſis Curiæ Connotariis, teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula habitis, vocatis principaliter, atque rogatis. *Stipulatio decreti.*

Hieronym. Card. Pamphilius S. D. N. Papæ Vicarius. *Cardinalis ſubſcriptio.*

Fauſtus de Barberiis d. Curiæ Notarius rogatus. *Notarius rogatus.*

*Sequitur deputatio Vicarii Papæ, in Iudicem cauſarum dicti Collegii Matthæii.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1606.*

*Exordium.* SUperna diſpoſitione illius, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in eminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licèt imparibus conſtituti, ad ea per quæ perſonis quibuſlibet, præſertim illis, qui adoleſcentes in litterarum ſtudiis, bonis moribus ac diſciplinis inſtruunt, ipſiſque adoleſcentibus, ac ſtudioſis juſtitia minori cum eorum diſpendio adminiſtretur, libenter attendentes, illa eis propterea benignè concedimus, quæ eorum indemnitati fore conſpicimus opportuna.

*Enunciatio Inſtitutionis Collegii Sancti Hieronymi.* §. 24. Alias ſiquidem nos ſupplicationi dilectorum filiorum Cyriaci, & Haſdrubalis de Matthæiis domicellorum Romanorum, & Marchionum Jovis, & Rocchæ Sinibaldæ caſtrorum, pro eorum parte nobis porrectis inclinati, pro complemento ultimæ voluntatis bonæ memoriæ Hieronymi dum vixit tituli S. Pancratii, S. Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis Matthæii nuncupati, dictorum Cyriaci, & Haſdrubalis fratris germani, qui in ultimo ſuo teſtamento eoſdem Cyriacum & Haſdrubalem hæredes ſibi univerſales inſtituerat, & inter alia de quibus tunc diſpoſuerat, in Alma Urbe noſtra, & domo, ſeu loco dictis Cyriaco & Haſdrubali benevisa, ſeu beneviſo, unum Collegium Scholarium S. Hieronymi nuncupan. erigi, & illi etiam tunc expreſſa bona in dotem applicari mandaverat, in quadam per dictum Cyriacum, & Haſdrubalem empta, vel alia, ſeu aliis domibus ad hunc effectum emenda, vel emendis, unum Collegium S. Hieronymi, ut præfertur, nuncupandum, pro perpetuis uſu & habitatione unius Rectoris, & nonnullorum Scholarium, ſub perpetuis quoque cura, regimine, & adminiſtratione dictorum Cyriaci, & Haſdrubalis, & primogenitorum ſuorum, ac aliàs certis aliis modo & forma ſimiliter tunc expreſſis, Apoſtolica auctoritate perpetuò ereximus & inſtituimus, illique ſic erecto, & inſtituto pro congrua illius dote domum, ſeu domos hujuſmodi, ac quædam loca Montium non vacabilium, ad eum finem, & effectum tum empta, tum reſignata, diſpoſitioni teſtamentariæ ejuſdem Hieronymi Cardinalis inhærendo applicavimus, & appropriavimus, & inſuper ipſum Collegium, illiuſque Rectorem, Profeſſores, Lectores, Præceptores, Scholares, Collegiales, Oeconomos, Officiales, Miniſtros, & perſonas, necnon res & bona quæcumque ab omni, & quacumque dictæ Urbis Gubernatoris, Senatoris, Conſervatorum, Reformatorum, ac in eadem Urbe, & illius diſtrictu Vicarii noſtri in ſpiritualibus generalis, necnon curiæ cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ generalis Auditoris, dilectorum filiorum, & quorumcumque noſtrorum, & Sedis prædictæ de Latere Legatorum & Vicelegatorum, ac quarumvis aliarum perſonarum quavis auctoritate & dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentium, viſitatione, correctione & juriſdictione perpetuò eximimus, ac ſub B. Petri & dictæ Sedis, necnon Romani Pontificis pro tempore exiſtentis protectione, & inviolabili conſervatione ſuſcepimus, eidemque Sedi immediatè ſubjecimus, prout in literis Apoſtolicis deſuper, ſub Dat. videlicet 16. Kal. Decembr. Pont. noſtri anno primo expeditis pleniùs continetur.

*Supplicatio Cyriaci, & Haſdrubalis pro deputatione Iudicis ſpecialis cauſarum d. Collegii.* §. 25. Cum autem, ſicut nobis nuper exponi fecerunt Cyriacus & Haſdubral prædicti, experientia, & uſu compertum ſit, ſimilia Collegia utplurimùm litigiis, & controverſiis judicialibus exerceri, & niſi eis ſpeciales Judices conſtituantur, paſſim huc & illuc coram diverſis tribunalibus magno eorum incommodo, & diſpendio trahi, provide

provideque ad hoc inconveniens à dicto Collegio propellendum, & ejus opportunitatibus hac in parte conſulentes, dicti exponentes plurimùm cupiant peculiarem eidem Collegio Judicem, coram quo trahere, & trahi tantummodò poſſit, per nos & Sedem prædictam modo, & forma infraſcriptis conſtitui & deputari, nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt exponentes prædicti, quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Deputatio Vicarii Papæ cognitoris earum.*

§.26. Nos igitur teſtamenti, ac litterarum hujuſmodi tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, dictoſque exponentes ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, necnon eos, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictum, & pro tempore exiſtentem dictæ Urbis Vicarium in ſpecialem, perpetuum, ac irrevocabilem Judicem omnium & ſingularum litium, cauſarum & differentiarum, tam civilium quàm (præterquam quæ fidem orthodoxam concernunt) criminalium & mixtarum, etiam earum in quibus exequutivè in vim obligationis in forma Cameræ prædictæ factæ agi contigerit, tam inter dictum Collegium, illiuſque Rectorem, Præceptores, Magiſtros, Scholares, Officiales, Miniſtros & alias perſonas quaſcumque, nunc, & etiam pro tempore exiſtentes, quæ inter eoſdem, & Studii generalis dictæ Urbis Rectorem, ac quaſcumque alias perſonas, tam ſæculares quàm Eccleſiaſticas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, & conditionis, ac præeminentiæ exiſten. Univerſitates, Societates, Congregationes, Collegia, Capitula, ac tam Virorum quàm Mulierum Monaſteria, Hoſpitalia, & pia loca, tam conjunctim quàm diviſim, ac tam activè quàm paſſivè, ultro citroque, ad invicem vel aliàs quomodolibet jam forſan motarum, & deinceps movendarum.

*Facultas procedendi ſummariè.*

§.27. Cum facultate illas per ſe vel ejus Viceſgerentem, ſeu Locatenentes, aut alium, ſeu alios, quem vel quos ad hoc duxerit deputandos, etiam ſummariè, ſimpliciter & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſed ſola facti veritate inſpecta, ac etiam manu regia, cum omnibus, & ſingulis ſuis incidentibus, dependen. emergen. annexis, & connexis, totoque negotio principali, etiam privativè quoad omnes, & ſingulos alios Judices ordinarios, & delegatos, eorumque Curias, & tribunalia Eccleſiaſtica vel ſæcularia, audien. cognoſcen. deciden. fineque debito terminandi.

*Citandique in Curia & extra, ac omnibus Judicibus inhibendi.*

§.28. Necnon quoſcumque intereſſe habentes, tam in Romana Curia quàm extra eam per edictum publicum, conſtito ſibi ſummariè de non tuto acceſſu citandi, ac quibuſvis etiam ejuſdem Curiæ Judicibus, & perſonis, quibus & quoties opus fuerit, ſub ſenten. cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis, de quibus videbitur inhibendi, & in eventum non paritionis, ad declarationem incurſus cenſurarum, & pœnarum hujuſmodi proceden. ac ſententias deſuper ferendas debitæ executioni demandandi, ſeu demandari faciendi.

*Contradictores coërcendi.*

§.29. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſimiles cenſuras, & pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia compellen. ac etiam auxilium brachii ſæcularis ad hoc invocan.

*Dubia in præmiſſis interpretandi, &c.*

§.30. Necnon quæcumque dubia, & difficultates, ſi quæ præmiſſorum occaſione quomodolibet oriri contigerit, declarandi, & interpretandi, omniaque & ſingula in eiſdem præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna facien. geren. mandan. exercen. & exequen. etiam omni, & quacumque appellatione remota, auctoritate prædicta tenore præſentium perpetuò conſtituimus, & deputamus, ac perpetuò conſtitutum, & deputatum eſſe, & fore decernimus.

*Clauſula cuiuſcumque ſionis præſervativa.*

§.31. Præſentes quoque noſtras litteras de ſubreptionis, ſeu nullitatis vitio notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, ſeu in jus vel controverſiam vocari, vel ad viam & terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, gratiæ vel facti remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam poſſe, ſed ſemper & perpetuò dicto Collegio, illiuſque Præceptoribus, Magiſtris, Scholaribus, Miniſtris, & aliis perſonis prædictis perpetuò ſuffragari.

*Clauſula ſublata.*

§.32. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum dicti Palatii Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales judicari, & definiri debere, irritumque & inane auctoritate & tenore prædictis decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula contrariorum derogatoria.*

§.33. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon facultatibus Cameræ prædictæ generali Auditori conceſſis, ſeu ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, ac formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris litteris mentio ſpecialis, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi alicui communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Novembris 1606. Pontific. noſtri anno 2. *Dat. P. A. die 20. Nov.*

## De certo Religioſorum numero cuicumque Monaſterio, Conventui ac Domui Regulari præfigendo. IX.

*Quod autem de cætero Conventus Regularium non erigantur, niſi in illis commodè poſſint manuteneri ſaltem duodecim Religioſi, prohibuit S. D. N. Urban. VIII. in conſtitut. 31. Cum alias, §. 3.* *Edita A. D. 1605.*

*Clemēt. VIII. decretum de ſuprà, Sanctiſſimus.*

§.1. Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Noſter Dominus Paulus divina Providentia Papa V. Cum ex plurimis, iiſque graviſſimis Decretis, quæ fel. record. Clemens VIII. ad regularem diſciplinam reſtituendam, & augendam condidit, illud maximi momenti eſſe animadverterit, quod à Sacro Concilio Tridentino multò ante cautum etiam fuerat, ut is tantùm Religioſorum hominum numerus in ſingulis Monaſteriis, Conventibus, & Domibus Regularibus conſtitueretur, qui vel ex propriis redditibus, & obventionibus, vel conſuetis emolumentis, ac eleemoſynis ali commodè poſſet, magnamque fortaſſe obſervantiæ regularis jacturam inde factam eſſe, quod Ordinum Superiores illud exequi nimium diſtulerunt, ut hoc etiam adhibito remedio hujuſmodi incommodo proſpiceret, aditumque iis Prælatis Regularibus præcluderet, qui plures ad ſuam Religionem admittentes quàm Monaſteriorum & Conventuum cenſus, eleemoſynæ, & qualitates ferant, non levem ſubditis vitæ clauſtralis relaxandæ occaſionem præbere videntur.

*Præceptum præfigendi cuique Monaſterio certum numerum Religioſorum per eius Superiores.*

§.2. Decrevit, & præcepit, ac præſentis Decreti virtute præcipit & mandat omnibus & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum & Domorum, quovis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum, tam Monachorum quàm Mendicantiũ, & non Mendicantium Regularium quorumcumque, exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus

Monachis,

Monachis Fratribuſve ſui Ordinis vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona mobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tam communes Monaſteriorum, Conventuum, & domorum ejuſdem Provinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum diverſorum habita ratione diligenter, ac maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuſlibet generis onera conſueverunt abſorbere, eaque omnia in ſcripto fideliter exarata idem Superior cujus intereſt, in primo Capitulo, ſeu Congregatione Provinciali coram tribus judicibus ab ipſomet Capitulo vel Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, ac oneribus ut ſuperiùs detractis, ſedulò examinent, quot religioſi homines in unoquoque Monaſterio, Conventu & domo regulari, juxta regionis, & proprii Inſtituti morem, victum & veſtitum in communi habentes competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, reddit14uum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Congregationi, Capitulove Provinciali exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuicumque familiæ, Conventui, Monaſterio, & Domui regulari quovis nomine nuncupatæ in ſingula quaque Provincia certus earum tantum perſonarum numerus communi Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ ex redditibus, eleemoſynis & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint.

*...tus unius ...ad præ- ...ſtu exa- ...nda.* §. 3. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quàm par eſt, muneri ſuo ſatisfaciant, mandavit ac mandat Sanctitas Sua, ut infra annum à die dati præſentis Decreti computandum, omnia hoc de genere Capitulariter geſta in authenticam formam redacta ad Congregationem Reformationis Apoſtolicæ ſinguli mittant, numerumque familiæ ſingulorum Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli vel Congregationis Provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum iidem Superiores Ordinum, Congregationum & Inſtitutorum quorumcumque, tam Generales, & Provinciales quàm locales omnes perpetuò ſervare omninò teneantur.

*...uperioribus ...obedienti- ...us pœna in- ...iguntur.* §. 4. Eos autem Superiores cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, qui prædicta omnia præfixo termino non præſtiterint, vel numerum hujuſmodi præſcriptum quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque activæ & paſſivæ, ac ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus ad Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum arbitrium infligendis pœnis ſubjacere voluit, & declaravit.

*...ides exem- ...rum.* §. 5. Vult præterea Sanctitas Sua per hoc Decretum ejuſdem Congregationis Reformationis Apoſtolicæ Secretarii manu ſubſcriptum, conſuetiſque Almæ Urbis locis affixum & publicatum omnes & ſingulos Ordinum Regularium Superiores, ad quos ſpectat, proinde affici, ac ſi fuiſſet cuilibet perſonaliter intimatum.

*Clauſula ...rogatoria.* §. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, privilegiis, ſtatutis, indultis, necnon aliis contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 1. die 4. Dec.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die quarta Decembris 1605. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D.N. anno primo.

---

X. Quod Fratres Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum poſſint ubique de ſola licentia Ordinarii nova conſtruere Monaſteria.

*Conſonat Concilii Tridentini ſeſſio 25. cap. 3. in fine.*

De toto Ordine Carmelitarum notavi ſup. in conſtit. S. Honorii III. Ut vivendi, lib. 1.

*Vide quæ addidi ad conſtitut. præcedentem.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.* *Edita A. D. 1605.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* AD Eccleſiæ militantis (cujus regimini, licèt immeriti Divina diſponente clementia, præſidemus) amplitudinem nihil magis neceſſarium, quàm perfectorum Militum Chriſti multitudinem exiſtimamus.

*Cauſa hujus conſtit.* §. 1. Cum igitur, ſicut magno cum ſpirituali gaudio noſtro accepimus, dilecti filii Religioſi Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, Carmelitæ Diſcalceati nuncupati, tam in Hiſpaniarum Regnis quàm in Italiæ & novi Orbis, aliiſque mundi partibus aſſiduè Deo, & Eccleſiæ Sanctæ ſuæ perfectum exibeant famulatum, non ſolùm ipſi Deo per orationem & contemplationem ſedulò vacantes, verùm etiam animarum ſalutem exemplo & doctrina ſollicitè procurantes, cumque in dies fructus uberiores ex dictæ Religionis propagatione, benedicente Domino, ſperandi ſint.

*Carmelitæ poſſunt ubique domos ædificare de ſolo conſenſu Ordinariorum, non obſtante conſtitut. 99. Clement. VIII. ſuprà.* §. 2. Nos ad ea quæ Religioſorum eorumdem augmento cedere poſſunt, concedenda, adque ea, quæ illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoſcuntur removenda meritò propenſiores ſumus. Quare motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ejuſdem Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Superioribus, & Religioſis, ut ubique locorum quilibet in diſtrictu ſuo, juxta literarum felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri ſuper erectione Congregationis Italiæ prædicti Ordinis, ſub data die 13. Novemb. Anni Domini MDC. Pont. ſui anno nono expeditarum formam & tenorem, quem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, domos & Monaſteria, juxta Conc. Trident. decreta, de ſola licentia Ordinariorum, nullo aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis, etiam regularium, requiſito conſenſu, condere, fundare & erigere valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam, ac facultatem concedimus & indulgemus.

*Contrariorum derogatio.* §. 3. Non obſtantibus ejuſdem Clementis prædeceſſoris, quæ incipit, Quoniam ad inſtitutam, ſub dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Julii MDCIII. Pontificatus ſui Anno 12. aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & cujuſvis alterius Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſvis aliis Ordinibus, ac eorum Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.* §. 4. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 1. die 12. Dec.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 12. Decemb. 1605. Pontific. noſtri anno primo.

---

XI. Revocatio exemptionum omnium à ſolutione onerum Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ quibuſcumque conceſſarum, cum innovatione conſtitutionum deſuper à Prædeceſſoribus editarum.

*Specialem revocationem exemptionum quoad ſolutionem Subſidii triennalis, habes notatam in conſtit. 20. Pauli IV. Cupientes, ſup. lib. 1. Aliam autem revocationem generalem vide in Sixti V. conſtitut. 2. Inter varias, lib. 2.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.* *Edita A. D. 1605.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* IN maximis rerum difficultatibus, & in iis redditııum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ anguſtiis, in quibus ob ingentes

gentes ſumptus, tum ex cauſa bellorum, quæ contra Turcas in Hungaria ſuperioribus annis geſta ſunt, tum etiam ex caritate Annonæ, qua Urbs Roma, & Status noſter Eccleſiaſticus diu multumque laboravit, per Sedem Apoſtolicam & Cameram prædictam præcipuè factos, eadem Cameræ nunc conſtituta reperitur, aliquod ipſi Cameræ levamen, & ſubſidium afferre cupientes, ea interdum facere cogimur, quæ libenter prætermitteremus, ſi alia ratione noſtris, & prædictæ Cameræ, ac Sedis neceſſitatibus conſulere valeremus.

*Cauſa huius revocationis.*

§. 1. Cùm itaque præter diverſas introïtuum Sedis & Cameræ prædictorum alienationes, & pignorationes, ſive in perpetuum, ſive ad tempus nonnullis de cauſis à noſtris prædeceſſoribus Romanis Pontificibus factas, plures immunitates, ac exemptiones à ſolutionibus Dohanarum & gabellarum, onerum, impoſitionum & vectigalium Cameræ noſtræ Apoſtolicæ debitorum, necnon pleræque aliæ conceſſiones, & gratiæ infraſcriptæ diverſis Communitatibus, Univerſitatibus, Baronibus, Domicellis, & aliis noſtris, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Feudatariis, & ſubditis etiam qualificatis, ab eiſdem prædeceſſoribus noſtris, ac à Nobis forſan & Sede, Cameraque prædictis, necnon à Legatis & aliis Officialibus, & Communitatibus & Univerſitatibus, ſive in perpetuum, ſive ad tempus conceſſæ reperiantur, ex hiſque non ſolùm ejuſdem Cameræ, & Sedis Apoſtolicæ redditus & proventus non modicam patiantur diminutionem, ſed etiam utplurimùm id, quod divitibus & bonis temporalibus affluentibus, per exemptiones & conceſſiones hujuſmodi ex oneribus publicis ab eis debitis remittitur, in aliorum minùs divitum & affluentium gravamen redundet, contra omnem juris & æquitatis rationem, & impoſitionum dictorum onerum naturam, quæ omnes æqualiter, pro rata bonorum & rerum quæ poſſident, comprehendere deberet. Qua de cauſa multæ pauperum, atque Communitatum & Univerſitatum Status noſtri Eccleſiaſtici querelæ ad nos delatæ fuerunt. Nos ut omnibus in præmiſſis juſtitia æqualiter tribuatur, & Cameræ noſtræ neceſſitatibus ſubveniatur, ab æquitate minimè alienum eſſe exiſtimavimus, ut ea quæ ex gratia & privilegio ab eadem Sede & Camera, & aliis quibuſcumque ejus Officialibus & Miniſtris, atque Communitatibus & Univerſitatibus, diverſis perſonis conceſſa fuerunt, & ſubtracta eidem Sedi & Cameræ, Communitatibuſque & Univerſitatibus, à quibus onera eidem Cameræ perſolvuntur, & cætera publica onera ſupportantur (juſtitia & æquitate, ac dictæ Sedis, & Cameræ difficultatibus ita exigentibus) reſtituamus, quinimmò id æquius faciendum eſſe, quàm ſi novis impoſitionibus populos nobis ſubditos, ſicut in ſimilibus occaſionibus aliàs noſtros prædeceſſores prædictos feciſſe accepimus, gravaremus.

*Innovatio bullarū editarum ſuper revocatione exemptionū.*

§. 2. Propterea motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, nonnullorum etiam prædeceſſorum noſtrorum, & præſertim fel. rec. Pauli Tertii, Julii, & Pii Quinti, & Clementis Octavi, Romanorum Pontificum in ſimilibus, non tam forſan gravibus neceſſitatibus, veſtigiis inhærentes, quaſcumque eorumdem, & aliorum Romanorum Pontificum, & præſertim ipſius Pii Quinti, quæ incipit, Etſi ea, ſub Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die octava Junii 1566. Pontificatus ſui Anno primo, editas conſtitutiones, hujuſmodi exemptionum & immunitatum revocatorias, quarum tenores præſentibus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis & regiſtratis haberi volumus, confirmantes, approbantes, & innovantes.

*Revocatio exemptionum omnium à ſolutione onerum Cameralium.*

§. 3. Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnes & quaſcumque exemptiones & immunitates à ſolutione Subſidii triennalis, quaterni carnis, taxarum equorum, Tallearum, Cenſuum, Archivii, Fogliettæ, Triremium, Utenſilium, necnon Dohanarum, Gabellarum, Datiorum, Impoſitionum, & aliorum onerum Cameralium quorumcumque, & quæ etiam per Communitates, & Univerſitates pro eorumdem onerum Cameralium ſolutione, & publicorum munerum ſupportatione indicta, & impoſita exiſtunt, ac exigi ſolita ſunt.

*Conceſ[...] numque, pœnis m[...] ficiorum, aliis red[...] bus Cam[...]*

§. 4. Necnon cæteras gratias, & conceſſiones, ac proviſiones, & aſſignationes ſuper Cameræ præfatæ redditibus, & juribus, pœnarum quoque maleficiorum applicationes, appropriationes, ac illarum, & Cancellariarum, ſive Bancharum, tam civilium, quàm criminalium, ac Secretariarum, & illarum emolumentorum, ac bonorum, & jurium ipſius Cameræ, cujuſvis qualitatis, & quantitatis in præjudicium ipſius Cameræ per quoſcumque prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem Apoſtolicam, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, & Cameram prædictos, ſeu etiam Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, Officiales, & Miniſtros quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, necnon familiis nobilibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & quibuſvis aliis perſonis quacumque dignitate fulgentibus, etiam ratione Guberniorum, & aliorum officiorum, & munerum eis commiſſorum, & ex quavis cauſa, etiam in recompenſam laborum, damnorum paſſorum, expenſarum, vel meritorum, ſeu illorum intuitu, & alia quantumvis urgentiſſima, ac de neceſſitate exprimenda cauſa, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiamſi in appaltuum, ſeu locationum Cameralium inſtrumentis promiſſum, & cautum ſit eas obſervari debere, Appaltatoreſque, & Conductores ad illarum obſervationem teneri, ac aliàs quomodocumque, & qualitercumque hactenus, in genere, vel in ſpecie conceſſas, datas, factas, & emanatas, & inde ſecuta quæcumque, etiam auctoritate Judicis perpetuò revocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, ac viribus, & effectu prorſus evacuamus, ac revocata, caſſa, ſublata, & annullata, viribuſque & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque in poſſeſſorio, neque in petitorio cuiquam ſuffragari poſſe, ſeu debere.

*Qui om[...] in Camer[...] inſtitui [...] ſeantur.*

§. 5. Ac proviſiones, aſſignationes, pœnas maleficiorum, emolumenta, vectigalia, & alias res, bona, & jura prædicta ex hujuſmodi noſtra revocatione reſtituta eidem Cameræ, & non aliis, quibus forſan locati, & appaltati reperiuntur, redditus & proventus dictæ Cameræ, licet antequam exemptiones, conceſſiones, & aſſignationes ſupradictæ emanaſſent, aliter diſpoſitum fuerit, omninò deberi, ac ad illa omnia, & ſingula Cameram ipſam, necnon Communitates, & Univerſitates pro gabellis, ac datiis ab eis exigi ſolitis, pro dictorum onerum Cameralium, & publicorum ſolutione, & ſupportatione, eo ipſo abſque alia adepta, ſeu recuperata poſſeſſione reſtitutam, & reintegratam fore, & eſſe, & cenſeri.

*Clauſ. præſervativ.*

§. 6. Ac præſentes noſtras litteras perpetuò validas, & efficaces exiſtere, nec ex eo quod quicunque intereſſe habentes, & prætendentes, vocati & auditi non fuerint, de nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut aliàs quovis prætextu infringi, revocari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus illas quodcumque gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari ullatenus poſſe.

*Clauſula ſublata &c.*

§. 7. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac ipſum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, Cameræque Apoſtolicæ Clericos præſidentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

*Præſervatio exemptionū de iure competentium.*

§. 8. Volumus autem, ac per eaſdem præſentes declaramus, noſtræ intentionis non eſſe revocare exemptiones, & immunitates quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm regularibus de jure competentes.

*Legatiſque ſeu Gubernatoribus præfectibus conceſſarum.*

§. 9. Neque conceſſiones pœnarum maleficiorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ratione Legationum, & Guberniorum illis commiſſorum, nominatim, & in ſpecie factas, quas unumquemque Legationibus,

nibus, ſeu Gubernìis præſentibus dumtaxat durantibus, juxta conceſſiones eis reſpectivè factas, percipere poſſe permittimus.

*...us conſu... ipſa com... ...rum.*

§. 10. Præterea præſenti noſtra revocatione excipimus, & exceptas eſſe volumus & declaramus immunitates, exemptiones, ac alias conceſſiones quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, aut aliis particularibus perſonis ex cauſa verè onerosa, videlicet congruæ, & effectualis ſolutionis pecuniarum conceſſas, quas tamen ipſæ Communitates, Univerſitates, & particulares perſonæ in eadem Camera, citato Commiſſario Generali, verificare, & in ipſa Camera examinari, & admitti facere teneantur, niſi aliàs pro talibus verificatæ, examinatæ, & admiſſæ fuerint, quia dicto caſu ad novam probationem & verificationem eas teneri nolumus.

*...el ratione ...paltuum.*

§. 11. Excipimus etiam exemptiones, & immunitates ratione appaltuum conceſſas.

*...t Cardi... ...libus vel ...merali... ...ſive Cu... ...libus ob... ...ntium.*

§. 12. Necnon S. R. E. Cardinalibus ratione dignitatis Cardinalatus, & Cameralibus, qui in eadem Camera ſederunt, concedi ſolitas, ac etiam exemptiones, quibus ad præſens Prælati, & Officiales Romanæ Curiæ, & Prælati domeſtici, Cubicularii ſecreti, & Secretarii noſtri gaudent.

*...b nume... ...nque duo... ...im filio... ...m.*

§. 13. Ac demùm illas ob numerum duodecim filiorum conceſſas, quas tamen ad terminos Conſtitutionis ejuſdem Pii IV. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſuper ſimilium exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro eo tempore, & perſonis, ac eo modo, & forma, quibus de jure communi illis competit, ac aliàs juxta ipſius juris communis, & ſupradictarum, ac aliarum Apoſtolicarum Conſtitutionum diſpoſitionem reducimus, neque aliter quàm ut præfertur, illis, ſive in petitorio, ſive in poſſeſſorio ſuffragari volumus, ac decernimus.

*Præceptum ...d Legati, Guberna... ...s ſervent ...llam Six... V. ſup.*

§. 14. Diſtrictiùs inhibentes Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & Officialibus prædictis, & aliis quibuſcumque ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ne ex pœnis maleficiorum, ſeu aliis Cameræ prædictæ juribus quibuſcumque, quidquam capiant, ſeu percipiant, ſed proviſionibus eis aſſignatis contenti ſint, & circa pœnas maleficiorum conſtitutionem recol. mem. Sixti Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri deſuper editam, omninò attendant, & obſervent.

*...hibitio Ca... ...ralibus ne ...ias exem... ...ones ad... ...ittant.*

§. 15. Appaltatoribus verò, Theſaurariis, & Vicetheſaurariis, Depoſitariis, Commiſſariis, Exactoribus & cæteris Agentibus, & Miniſtris dictæ Cameræ contra præſentium formam, proviſiones, conceſſiones, aſſignationeſque prædictas de cætero ſolvant, aut exemptiones, gratias, & immunitates, niſi ut ſuprà exceptas, & eas quas in eadem Camera Apoſtolica ex cauſa oneroſa prædicta conceſſas fuiſſe, citato ejuſdem Cameræ Commiſſario Generali, verificatum, & quæ pro talibus in eadem Camera admiſſæ fuerint, admittant, & ſi ſecus ſolverint, vel admiſerint, ſolutiones hujuſmodi, ac exemptiones ipſas nulli eorum in eorum computis, in eadem Camera admitti volumus, ſed eorum damno ceſſuras eſſe declaramus.

*Deputatio ...cutorum.*

§. 16. Quocirca dilectis filiis Camerario, Vicecamerario, Theſaurario, & Clericis Præſidentibus Cameræ præfatæ, cæteriſque ad quos ſpectat, committimus & mandamus, quatenus præſentem noſtram conſtitutionem, & in ea contenta quæcumque, firmiter, & inviolabiliter obſervent, & faciant ab aliis obſervari.

*Clauſ. derog.*

§. 17. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra de non tollendo jure quæſito, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, privilegiis, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam in vim contractus, & quovis alio robore, & cautela firmatis, editis, emanatis, & ſeu factis, ac pluries & iteratis vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod nullo unquam tempore ſub ſimilium, vel diſſimilium exemptionum, immunitatum, & gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis quibuſcumque contrariis diſpoſitionibus pro tempore edendis comprehendantur, ſed ſemper ab illis exceptæ, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, etiam ſub poſteriori Data per eos, quibus conceſſæ ſunt, eligenda, reſtitutæ, repoſitæ, & plenariè reintegratæ, ac denuò conceſſæ ſint, & eſſe cenſeantur, necnon pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſsè, ac latiſſimè derogamus, ac derogatum eſſe volumus.

*Iuſſio publicandi.*

§. 18. Ceterùm, ut præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, & ſimili auctoritate decernimus, ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui, quæ ſic publicatæ, & affixæ, omnes & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant & arctent, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent.

*Fides tranſumptorum.*

§. 19. Utque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P. An. 1. die 23. Dec.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Decembris 1605. Pontificatus noſtri anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti* 1605. *indictione 3. die verò 24. menſis Decemb. Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli divina Providentia Papæ V. anno ejus 1. ſupradictæ literæ Apoſt. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſt. Cancellariæ Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Chriſtophorum Fundatum, & Ioan. Baptiſtam Menochium Apoſtolicos Curſores. Bernabeus Politus Auximanus S. D. N. Papæ Mag. Curſ.*

---

## Innovatio & extenſio Conſtitutionum Pii IV. Pii V. Gregorii XIII. & Clem. VIII. contra extrahentes de Statu Eccleſiaſtico ejuſque Terris, etiam mediatè ſubjectis frumenta; blada, legumina, animalia, & alia Annonam & Graſciam concernentia, cum revocatione Indultorum omnium & licentiarum quomodolibet ſimilia extrahendi conceſſarum. XII.

*Hæ Conſtitutiones ſunt hic in apoſtillis indicatæ, & apud eas videas de materia. Et ſignanter de Annona, & Graſcia, attende hic infrà conſtitut. Paſtoralis.*

Notavi ſup. ad dd. Pont. Conſtitutiones.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. D. 1603. & 1604.*

*Exordium.*

INter graviſſimas curas, quas pro noſtro munere aſſiduè ſuſtinemus, illa poſtrema non eſt, in quam Nobis totis viribus incumbendum eſſe ducimus, ut nimirum Almam Urbem noſtram, & univerſam Eccleſiaſticam ditionem Annonæ caritate jamdiu, graviterque laborantem, quantum cum Domino poterimus, liberemus, utque frumentorum, & aliarum rerum ad communem vitæ uſum, & ſuſtentationem pertinentium copia in ipſa Urbe, & Eccleſiaſtica ditione conſervari, Populoſque nobis ſubditos fertilitate, quæ eis à Domino conceditur, perfrui poſſe procuremus.

*Pii IV. ...*

§. 1. Ad quæ præſtanda tum præcipuâ noſtra erga ipſos

ſubditos

*hibuit extractionem frumentorũ, &c. ut ſuprà in eius conſt. 99. Inter multiplices, fol. 115. lib. 2.*

ſubditos noſtros charitate inducimur, tum nonnullorum piæ mem. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui in hanc ipſam curam diligenter incubuerunt, exemplo movemur. Dudum ſiquidem providè, ac prudenter fel. rec. Pius Papa IV. ad prædictis opportunè conſulendum, per ſuam editam conſtitutionem ſub Dat. Romæ apud S. Marcum Idibus Auguſti, Anno ſexto, quæ incipit, Inter multiplices curas, omnes, & quaſcumque licentias, & facultates extrahendi frumenta, blada, & legumina ex Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis S. R. E. mediatè vel immediatè ſubjectis, præterquam ex cauſa verè oneroſa, videlicet ſolutionis, & exburſationis pecuniarum, eatenus quomodolibet quibuſvis conceſſas revocando, ne de cetero à dictis Provinciis, Civitatibus, Terris & locis frumenta, blada & legumina aliqui, præterquam ex dicta cauſa extrahentes, ſub certis pœnis expreſsè prohibuit.

*Pius V. innovavit, & ampliavit, ut ſupr. in eius conſtit. 108. Romani, eodem lib. 2.*

§. 2. Quam revocationem, prohibitionem, necnon alia in dicta conſtitutione contenta ſanctæ mem. Pius Papa V. per aliam ſuam conſtitutionem, quæ incipit, Romani Pontificis providentia circumſpecta, confirmavit & innovavit, ac illam, & illa ad licentias, & facultates quodcumque genus Graſciæ, etiam in carnibus, ovibus, agnis, & aliis animalibus, necnon oleo, ac rebus aliis quibuſcumque conſiſtentis extendit & ampliavit.

*Gregor. XIII. itidem eas Bullas ampliavit, ut in Bulla 50. Volentes.*

§. 3. Et deinde piæ mem. Gregor. Papa XIII. per quaſdam ſuas ſub Dat. die decima octava Decemb. 1576. Pontificatus ſui anno ſexto, omnibus & ſingulis Communitatibus, Univerſitatibus, ac quibuſcumque perſonis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis ſuæ, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœnis inhibuit, ne quovis prætextu, directè vel indirectè, cujuſvis generis frumenta, blada, legumina, atque animalia quæcumque extra ſtatum Eccleſiaſticũ extrahere, & aſportare auderent, ſeu præſumerent. Eos verò, qui contra inhibitionem hujuſmodi commiſiſſent, ultra prædictas, etiam amiſſionis frumentorum, bladorum, leguminum, & animalium prædictorum, necnon quinque ſcutorum pro qualibet ſalma frumenti, bladorum & leguminum hujuſmodi, & duo ſcutorum pro quolibet capite animalis pœnas, Fiſco & Cameræ Apoſtolicæ applicandas ipſo facto incurrere voluit, ac decrevit. Et deinde per alias ejus in forma brevis litteras ſub Dat. die 1. Maii 1578. eodem ſui Pontificatus anno ſexto, quod nulli ſibi, & S.R.E. mediatè vel immediatè ſubjecti, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſterent, etiamſi Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces & Domini temporales exiſterent, ſub excommunicationis majoris, ac læſæ Majeſtatis criminis, dominiorum, & bonorum ſuorum confiſcationis, feudorum amiſſionis, & quorumvis privilegiorũ ſuſpenſionis, & aliis etiam pecuniariis arbitrio ſuo imponendis, & applicandis, ac etiã in publicis edictis, & proclamatibus per Annonæ Præfectos pro tempore, tam eatenus editis, & emiſſis, quàm in futurum edendis, & emittendis contentis cenſuris, & pœnis, triticum, hordeum, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges à Terris & locis dicti ſtatus Eccleſiaſtici abſque expreſſa ipſius Gregorii prædeceſſoris, & ab eo obtenta in ſcriptis, & ejus manu ſignata licentia extrahere, vel extrahi facere, nullique ex prædictis eorum Subditos, & Vaſſallos, aut alias quaſcumque perſonas, quo minus triticum, hordeum, legumina, frumenta, fruges prædicta, à quibuſvis locis ei ſubjectis quovis prætextu, etiam molituræ, aut cujuſvis alterius oneris ſolutionis, ad Almam Urbem afferrent, prohibere, aut per ſe, vel alium, ſeu alios, directè vel indirectè impedire auderent, quin potiùs illis ſic afferentibus omnem opem, & favorem præſtarent: ac inſuper nulli aliquam tritici, hordei, & leguminum, omniſque generis frumentorum, & frugum quantitatem, niſi pro ſuo, ſuarumque familiarum unius anni dumtaxat uſu emere valerent, & contrafacientes pœnas prædictas incurriſſe declararentur, & aggravarentur ipſo facto, ſtatuit, atque decrevit. Non obſtan. etiam privilegiis, indultis, literis, & gratiis Apoſtolicis quibuſvis perſonis, Civitatibus, Terris, & locis, in genere, vel in ſpecie, etiam ex cauſa oneroſa conceſſis.

*Clem. VIII. eaſdem Bul-*

§. 4. Demùm recol. mem. Clemens Papa VIII. prædictas conſtitutiones, dempta ex illis excommunicationis pœna, approbavit, & confirmavit, prout in eiſdem conſtitutionibus, & literis reſpectivè, quarum omnium & ſingularum totos tenores, cum omnibus, & ſingulis ibidem contentis & diſpoſitis, pro expreſſis haberi voluimus, pleniùs continetur.

*las app[...] vit, [...] excom[...] cationis [...] tentia, [...] ſup. in [...] Bulla [...] Frumen[...] Sed plen[...] dictis co[...] ſtitutionib[...] variis [...] prætextu[...] travenir[...]*

§. 5. Cum autem, licèt per prædictas, & alias deſuper editas conſtitutiones & prohibitiones, ſatis præmiſſis proviſum eſſe videatur, nihilominus quia ſicut accepimus, aliqui propriæ ſalutis immemores tot conſtitutionibus, prohibitionibuſque, ac pœnis in illis appoſitis non obſtantibus, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia id genus, tam Annonæ, quàm Graſciæ concernentia, extra ſtatum noſtrum Eccleſiaſticum abſque licentia extrahere nõ verentur, alii verò prætextu diverſorum privilegiorum, licentiarum, & facultatum eis conceſſarum, frumenta, aliaque prædicta ita continuò extrahunt, ut per continuas & immoderatas extractiones hujuſmodi ſtatum prædictum, & illius loca exhauriant, & exhauſta relinquant, in maximum Populorum & Subditorum noſtrorum damnum & præjudicium: cumque experientia compertum ſit, ad conſervandam tam in Alma Urbe noſtra, quàm in reliqua Eccleſiaſtica ditione Annonæ copiam, maximè conducere, ut nimia facilitas extrahendi ex dicta Urbe, & ditione frumenta, blada, legumina, oleum, & animalia reprimatur, ac memoratæ ſupradictorum noſtrorum Prædeceſſorum conſtitutiones diligenter, & ſine ulla exceptione obſerventur.

*Hic idi[...] tifex [...] novat [...] quoad [...] excomm[...] cationis [...] ca extra[...] nem frum[...] torum, &c.*

§. 6. Nos pro paterna noſtra erga noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Subditos charitate, eorum utilitati, & commodis in præmiſſis opportunè proſpicere cupientes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas Pii IV. Pii V. & Gregor. XIII. ac Clem. VIII. prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, & literas in quibuſlibet earum partibus, etiam quoad excommunicationis, & alias Eccleſiaſticas cenſuras, quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum, & olei extractionem tantùm, & quoad cæteras pœnas quaſcumque in eiſdem conſtitutionibus & literis contentas, non ſolùm in quantum ad præmiſſorum, ſed etiam in quantum ad aliarum rerum ad Annonam & Graſciam pertinentium extractionem attinet, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò innovamus, confirmamus, & approbamus, illaſque adverſus quaſcumque revocationes, ſuſpenſiones, limitationes, & moderationes in priſtinum, & eum in quo antequam illæ emanarent, erant ſtatum, reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, illaſque & earum ſingulas ab omnibus, & ſingulis, quos concernunt, inviolabiliter de cetero obſervari debere, ſub temporalibus, & Eccleſiaſticis pœnis, & cenſuris prædictis in illis contentis præcipimus, ſtatuimus, & ordinamus.

*Indultu[...] omnia & [li-] centias re[-] vocat, pr[æ-] terquam [ex] cauſa ve[rè] oneroſa, [...] ratione [...] tionum C[a-] meralium conceſſa.*

§. 7. Præterea ad hunc effectum motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnia & ſingula, ac quæcumque privilegia, licentias, & facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia id genus, tam Annonam, quàm Graſciam concernentia, etiam in propriis eorum prædiis, poſſeſſionibus, agris, & terris pro tempore recollecta, ex quibuſcumque ſtatus noſtri Eccleſiaſtici temporalis Provinciis, ac Civitatibus, Terris, Caſtris, & locis, eorumque territoriis, & diſtrictibus, nobis, ditionique noſtræ Eccleſiaſticæ mediatè vel immediatè quomodolibet ſubjectis, extrahendi quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, & perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis exiſtentibus, etiam ratione Legationum, Guberniorum, & aliorum officiorum, & munerum eis commiſſorum, & per quoſvis Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, Sedemque & Cameram Apoſtolicam, & quoſvis alios, & etiam noſtra auctoritate, aut aliàs ex quavis cauſa, etiam in recompenſam laborum, damnorum paſſorum, & ipſorum laborum, damnorum, vel meritorum intuitu, & alia etiam quantumvis rationabili, juridica, & privilegiata cauſa, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, etiam in vim contractus, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam irritantibus, etiam quantumvis prægravibus, inſolitis, & de neceſſitate exprimendis, etiam motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, aut

aliàs

alias quomodocumque & qualitercumque ( præterquam dumtaxat ex cauſa verè oneroſa, videlicet congruæ ſolutionis, & exburſationis pecuniarum, aut ratione appaltuum, & locationum, introïtuum, ſutiumque & bonorum Sedis, & Cameræ prædictorum ) hactenus conceſſa, approbata, confirmata, & innovata, illorum omnium, & ſingulorum tenores veros, plenarios, etiam integros, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, inſertis, & regiſtratis habentes, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò revocamus, caſſamus, annullamus, ac viribus vacuamus, ac revocata, annullata, caſſata, invalida, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, ac nemini ullatenus ſuffragari poſſe, aut debere decernimus.

*...clauſulas ...jus Bullæ ...ſervati... appenit.*

§.8. Præſentes quoque literas, etiam ex eo quod intereſſe habentes, ſeu prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notati, impugnari, redargui, aut propterea revocari, retractari, ſuſpendi, limitari, aut in jus vel controverſiam vocari, aut adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari nullatenus poſſe.

*Indultaque hujuſmodi ...in Camera nõ verificata, ve...ficari de...re decer...*

§.9. Omnes præterea & ſingulos ſimiles facultates, & licentias extrahendi ex cauſa, ut præfertur, oneroſa ſibi conceſſas eſſe allegantes, & prætendentes, antequam ipſi de cætero ullo unquam tempore illiſmet facultatibus, & licentiis uti poſſint, illas in Camera Apoſtolica, citato ejuſdem Cameræ Commiſſario generali, verificari debere, niſi aliàs pro talibus verificatæ, examinatæ, & admiſſæ fuerint, quia dicto caſu ad novam probationem, & verificationem teneri nolumus.

*...omnemque ...endi dictis ...dultus prohibit.*

§. 10. Ac deinceps perpetuis futuris temporibus nullos quarumcumque licentiarum, & facultatum hujuſmodi, niſi ex cauſa oneroſa, ut præfertur, conceſſarum, vel concedendarum vigore, etiamſi extractionem propria auctoritate faciendi illis permiſſum ſit, extractiones frumentorum, & aliorum prædictorum extra Statum noſtrum prædictum al quo pacto facere, nec etiam ſimiles extrahendi licentias, & facultates in poſterum concedi poſſe, aut debere, niſi chirographo manu noſtra, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, quoties extractio facienda erit, ſubſignato præcedente, alioquin licentias & facultates hujuſmodi, aliaſque chirographo prædicto non præcedente pro tempore concedendas, & extractiones faciendas, nullas, nulliuſque roboris & momenti fore & eſſe, ac ipſos extrahentes in pœnas ſupradictas incidere, & ad illarum executionem contra illos irremiſſibiliter procedi poſſe, & debere.

*...ita, & ...aliàs u...cari debet.*

§.11. Sicque per S.R.E. Camerarium, Theſaurarium, Annonæ Præfectum, & quoſvis alios Judices ordinarios, & delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus.

*...quibuſcumque non obſtantibus.*

§.12. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, conceſſionibus quoque, licentiis, facultatibus, privilegiis, & literis Apoſtolicis, Communitatibus, Univerſitatibus, & aliis etiam particularibus perſonis prædictis, etiam, ut præfertur, qualificatis, & quibuſvis aliis quomodolibet, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, & de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, & ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam inexcogitabilibus, & neceſſariò exprimendis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis quibuſcumque contrariis diſpoſitionibus pro tempore edendis minimè comprehendantur, ſed ſemper ab illis exceptæ, & quoties illæ emanarent, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutæ, repoſitæ, & plenariè reintegratæ, & de novo, etiam ſub poſteriori data, per eos quibus conceſſæ fuerunt eligenda, de novo conceſſæ cenſeantur, & quod illis nullatenus, aut nonniſi certis modo, & forma in illis expreſſis derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullæ ſint: quodque pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, expreſſa, & individua, nõ autem per clauſulas generales idem importãtes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita plenè & ad unguẽ obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habẽtes, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, necnõ omnibus illis, quæ ſupradicti Prædeceſſores noſtri in eorum literis voluerunt non obſtare, cæteriſque cõtrariis quibuſcumque.

*Hanc bullam publicari mandat.*

§. 13. Ut autem præmiſſa ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere poſſit, volumus quod præſentes literæ per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvas, & in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cùm inde amovebuntur, earum exempla eiſdem in locis affixa dimittantur, utque ſinguli Legati, Vicelegati, Gubernatores, & alii ſupradictorum locorum Officiales illas in eorum locis reſpectivè publicari faciant, quæ ſic publicatæ, & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

*Tranſumptiſque credi præcipit.*

§.14. Utque illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 1. die 13. Dec.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Decembris 1605. Pontificatus noſtri anno primo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1605. indict. 3. die verò 24. menſis Decemb. Pontificatus autem Sanctiſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli divina Providentia Papæ V. anno ejus 1. ſupradictæ literæ Apoſt. affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſt. Cancellariæ Apoſt. & in acie Campi Floræ, per nos Chriſtophorum Fundatum, & Ioan. Baptiſtam Menochium Apoſtolicos Curſores. Bernabæus Politus Auximanus S.D.N. Papæ Mag. Curſ.*

*Sequitur declaratio.*

Quod ab immediatè ſubjectis ad mediatè ſubjecta loca, & à mediatè ſubjectis locis extra Statum Eccleſiaſticum frumenta, blada, & legumina, etiam tempore nundinarum, & emporiorum, aſportari non poſſint.

*PAVLVS PAPA V. &c.*

*Edita A. D. 1606. Exordium.*

PRo peculiari, ac paterno quem in ſubditos noſtros gerimus charitatis affectu propenſiùs intendentes, ut in ſtatu noſtro temporali, hoc præcipuè anno, quo ſterilitatis rumor increbuit, & illius prætextu frumenti pretium augeri dignoſcitur, ſubditi ipſi, ac pauperes ab omni Annonæ anguſtia releventur, quæ præjudicio, & impedimento eſſe poſſunt, ea ſollicito ſtudio removemus.

*Hic Pontifex edidit bullam præinſertam.*

§.1. Sanè licet alias pro manutentione, & conſervatione Annonæ in Statu noſtro prædicto ſatis opportunè providerimus per noſtras literas inter cæteras prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones, proclamata, & bãnimenta ſuper Annonam, frumenta, blada, & legumina à Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis S.R.E. mediatè, vel immediatè ſubjectis extrahendi prohibitione eatenus facta, & emanata, quæcumque confirmando, & ne in futurum illa, ut præfertur, extraherentur, expreſsè, & ſub graviſſimis cenſuris, & pœnis prohibendo, ac quaſcumque licentias, & facultates ( præterquam

titulo

titulo verè oneroſo, ſcilicet congruæ ſolutionis, & excuſationis pecuniarùm, aut ratione appaltuum, & locationum, introituum, juriumque & bonorum Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ conceſſas) revocando, prout in eiſdem literis, ſub datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima tertia Decembris 1603. Pontificatus Noſtri anno primo, latiùs continetur, à nemineque dubio vertendum ſit per noſtras, aliaſque literas, & proviſiones prædictas, quin frumenta, blada, legumina, & id Annonæ genus, etiamſi in propriis bonis in Statu Eccleſiaſtico exiſtentibus eſſent recollecta, à locis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis ad loca eidem Sedi mediatè ſubjecta, & à dictis locis ſic mediatè ſubjectis ad alia loca extra dictum Statum aſportentur, & conducantur, etiam prohiberi. Nihilominus quia à nonnullis ſuper his accepimus dubitari, eoque, ac diverſorum etiam privilegiorum, licentiarum, & facultatum prætextu frumenta, & alia Annonam concernentia, à Statu prædicto extrahi in literarum, & proviſionum prædictarum, ac populorum, & ſubditorum noſtrorum maximum præjudicium.

*Quam declarat, & excitata dubia ſubmovet.*

§. 2. Igitur omnem dubitationis materiam è medio tollere, ac noſtra declaratione opportunè deſuper providere volentes, motu ſimili, ac ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine earumdem literarum noſtrarum tenorem præſentibus pro expreſſo, & inſerto habentes, ſub prohibitione, literiſque noſtris ſupradictis quæcumque loca eidem S. R. E. mediatè ſubjecta comprehendi, & comprehenſa fuiſſe, & eſſe declaramus, & quatenus opus ſit, illas cum omnibus in eis contentis ad loca prædicta extendimus. Ita quod de cetero etiam nec liceat quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, & perſonis, etiam qualificatis, cujuſvis ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtant, ſub eiſdem prioribus noſtris literis expreſſis, & contentis pœnis, & cenſuris, etiam prætextu quorumvis privilegiorum & indultorum, etiam Apoſtolicorum, & à Nobis, & Sede prædicta conceſſorum, & confirmatorum, ac etiam favore publicarum nundinarum, emporiorum, ſeu alias quoquo modo emanatorum, frumenta, blada, & legumina, etiam propria, & in propriis poſſeſſionibus, & bonis eorum exiſtentia, ſeu recollecta, à quibuſvis Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectis, etiam ipſarum nundinarum, & emporiorum tempore, ſeu alias, minuſque à dictis Civitatibus, & locis ſic mediatè ſubjectis, extra Statum Eccleſiaſticum juxta formam, & tenorem earumdem noſtrarum literarum, aſportare, conducere, ſeu aſportari, & conduci facere, per ſe, vel alium, ſeu alios, quovis prætextu, vel obtentu, abſque ſpeciali chirographo à Nobis, & pro tempore exiſtente Pontifice ſubſignato, ſicque, &c. ſublata, &c. irritum, &c.

*Clauſula derogatoria.*

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, & omnibus, & ſingulis, quæ in prioribus noſtris literis voluimus non obſtare, & quibuſvis privilegiis, conceſſionibus, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam irritan. ac derogatoriarum derogatoriis, poſterioremque datam concedentibus, ac aliàs quomodolibet quibuſvis conceſſis, factis, & emanatis, & pluries etiam confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus, &c. etiamſi, &c. illorum tenores, &c. ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sola ſigna ſufficiunt.*

§. 4. Volentes quoque præſentis ſolam ſignaturam ſufficere, etiam abſque alia data, & regiſtratura, regula quacumque contraria pariter non obſtante.

*Exemplis creditur.*

§. 5. Et illius tranſumptis, etiam impreſſis, & ſigillo alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, publicique Notarii manu ſubſcriptis, plenam in judicio, & extra fidem adhiberi.

*Subſcriptio Papæ.*

Placet Motu proprio. C.

*Publ. Pontif. An. 2. die 26. Auguſti.*

*Anno à Nativitate Domini 1606. indict. 4. Pontificatus Sanctiſ. D. N. Pauli Papæ V. anno ejus 2. die verò 26. Auguſt. Supradicta cedula Motus proprii affixa, & publicata fuit in acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, ut moris eſt, per me Iacobum Brambillam Curſorem. Paulus Bart. Mag. Curſ.*

## Confirmatio Conſtitutionis Pii V. de Civitatibus, Terris, & locis S. R. E. non infeudandis. Et declarationis Innocent. IX. deſuper editæ.

*Pii V. conſtitutio eſt num. 5. ſup. Admonet, lib. 2. & Innoc. IX. eſt num. 1. Et utrobique notavi: Et eſt præterea videnda alia conſt. 1. Clem. VIII. indicata hic in apoſtilla.*

Addidi ſup. ad Conſtit. 1. Leon. I. tom. 1.

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita ... 1605.*

*Exordium.*

INter cætera, quæ Romanum Pontificem pro officii ſui munere decet omni ſtudio providere, illud locum præcipuum cenſemus obtinere, quod ad temporalis S.R.E. ditionis conſervationem pertinet. Atque ideò Nos, quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris hanc ob cauſam providè ſancita fuerunt, ea non ſolùm ipſi inviolatè curabimus cuſtodire, ſed etiam ab aliis perpetuò obſervari debere ſtatuemus.

*Pius V. edidit Bullam cit. in rubr.*

§. 1. Dudum ſiquidem à fel. record. Pio Papa V. prædeceſſore noſtro editæ fuerunt literæ hujus tenoris, Pius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos ſuſcepti cura regiminis univerſalis Eccleſiæ, &c. ut in loc. cit. in rubr.

*Succeſſores confirmarunt.*

§. 2. Quæ quidem conſtitutio, veluti optima, & ad conſervandam S. R. E. juriſdictionem, & dignitatem planè ſalutaris, approbata, confirmata, & innovata fuit ab iis, qui eidem Pio V. ſucceſſerunt rec. mem. prædeceſſoribus noſtris Greg. XIII. Sixto V. Greg. XIV. Innoc. IX.

*Innocentius eam ... ravit ... ſtit. ... in rubr.*

§. 3. Qui etiam de fratrum ſuorum tunc S.R.E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu declaravit, eadem conſtitutione prohibitam fuiſſe, & prohiberi omnem & quamcumque infeudationem, ac alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & locorum Sedi Apoſtolicæ, tam mediatè, quàm immediatè ſubjectorum, non ſolùm ne fiat, neve attentetur poſt eorum devolutionem, ſed etiam antequam dictæ Civitates, Terræ, Oppida, & loca præfata devolvantur, ac omnem, & quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extenſionem, infeudationem inveſtiturarum, & conceſſionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, & locis nondum finitarum, quorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extenſionis hujuſmodi, non à die eorum devolutionis, ſed à die ipſius conſtitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipſo jure cum omnibus clauſulis, & decretis in prædicta conſtitutione contentis, Cameræ & Sedi Apoſtolicæ factam cenſeri, adjecto etiam decreto, & declaratione, ut promiſſio, & juramentum præſtitum, & præſtandum, de ſervanda ejuſdem Pii prædeceſſoris præfati conſtitutione, per ipſum Innocentium, & ſucceſſores ſuos Romanos Pontifices, ac prædictos S.R.E. Cardinales intelligatur de ipſa Pii V. prædeceſſoris conſtitutione per eum, ut ſuprà declarata, & ſecundum hujuſmodi declarationem eandem conſtitutionem ad unguem, & inviolabiliter obſervari oportere, ac debere, ſicuti etiam ſe ſervaturum eſſe promiſit, ac ſanctè, & ſolemni more juravit, prout in ejuſdem Innocentii prædeceſſoris, ſub dat. pridie nonas Novemb. Pontificatus ſui anno primo, expeditis literis latiùs continetur.

*Clem. VII. approbavit in conſtit. ... lib. 2.*

§. 4. Et noviſſimè à Clemente VIII. juxta eandem Innocent. IX. declarationem, confirmata, approbata, & innovata fuit.

*Hic Pontifex eaſdem Bullas approbat, jurat, & ... vet.*

§. 5. Quare Nos cum primùm ad Apoſtolicæ dignitatis gradum divina Providentia vocati ſumus, id ipſum ad exequendum noſtri Paſtoralis officii debitum præcipuè pertinere exiſtimantes, præinſertas Pii prædeceſſoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam juxta declarationem prædictam, per ipſum Innocentium prædeceſſorem factam, ac deſuper confectarum literarum continentiam, & tenorem, quem pariter præſentibus haberi volumus pro expreſſo, ac ad verbum inſerto, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium comprobamus, confirmamus, & innovamus, eaſque firmiter, inviolatè, ac juxta declarationem prædictam Nos ſimiliter ſervaturos eſſe

promittimus, & juramus, atque per eos, ad quos ſpectat, pariter perpetuò obſervari præcipimus & mandamus.

§. 6. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1605. tertio Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Indictione quarta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli divina providentia Papa V. anno primo, die verò ſecunda menſis Ianuarii, ſupraſcripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilica Principis Apoſtolorum, & in Cancellaria Apoſtolica, ac in acie Campi Flora, per nos Bernardinum Mazzatellum, & Dominicum de Rubeis, Sanctiſſ. D. N. Papa Curſores. Bernardinus Politus Mag. Curſ.*

---

## XIV. De vocalium electione, & votis in Diffinitoriis, & Dietis generalibus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium, deque Abbatis generalis, ac Procuratoris electione, Novitiorumque receptione.

*De ejuſmodi Congregatione plura habes in hoc opere, qua indicavi ſupra in conſtit. 2. Paſchalis II. lib. 1.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

PAſtoralis noſtri muneris ratio poſtulat, ut in illis auctoritatem noſtram interponamus, per quæ Congregationum & Ordinum Regularium quieti, & proſpero ſtatui opportunè conſulatur, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

§. 1. Ad Congregationem itaque Lateranenſem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini mentis noſtræ aciem convertentes, & attentè conſiderantes, maximè convenire, ut in electione Prælatorum, Superiorum, & Officialium ipſius Congregationis, omnes illius Canonici Regulares (nulla Nationum, aut perſonarum acceptione, vel exceptione habita) partem habere debeant, æqualitatem votorum, & ſuffragiorum in Diffinitorio, tam in Capitulo, quàm in Dietis generalibus ſtabiliendam duximus.

§. 2. Motu igitur proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus, ut de cætero pro hujuſmodi votorum æqualitate in eodem Diffinitorio, unus ex Marchiæ Eccleſiaſticæ, alius ex Status & Ducatus Mediolani, alius ex Marchiæ Triviſanæ, alius ex Principatus Pedemontium conjunctim, unà cum Monaſteriis Placentiæ, Parmæ, Mantuæ, Regii, Mutinæ, & Vignolæ, & alius ex Hetruriæ, Regni Neapolis, & Genuæ Monaſteriis ejuſdem Congregationis, qui reſpectivè ſic ad hunc effectum pro una vice ex dictis Monaſteriis Hetruriæ, & Genuæ, & pro alia ex Neapolis, perpetuis futuris temporibus eligi debeat.

§. 3 Eligendi Canonici vota in quibuſcumque Capitulis, & Dietis generalibus dictæ Congregationis habeant.

§. 4. Quæ quinque vota Diffinitorium novum conſtituunt, & ſimul cum quatuor votis Diffinitorii antiqui, novem votorum numerum conſtituunt: quæ omnia intervenire debent in omnibus determinationibus in ipſis Dietis, & Capitulis generalibus faciendis.

§. 5. Præterea ut Abbas generalis totius Cōgregationis, juxta formā literarum in forma brevis fel. rec. Greg. Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri, ad trienniū, & cum diſtinctione præſcripta in conſtitutionibus dictæ Congregationis per dictas literas cōfirmatis, videlicet quod pro uno triennio ex Provinciis vocatis juxta antiquum uſum Marchiæ Eccleſiaſticæ & Triviſanæ, & pro alio triennio ex Provinciis juxta eundem antiquum uſum nuncupatis Lombardiæ, videlicet, Ducatus & Status Mediolani, Pedemōtium, Parmæ, Placentiæ, Mutinæ, Regii, Vignolæ, ac Hetruriæ, Regni Neapolis, & Genuæ, & ex his Provinciis reſpectivè alternis vicibus juxta diſtinctionem prædictā perpetuò eligi debeat, abſque aliqua Nationum, & Provinciarū illius partis, ad quam pro tempore ſpectabit, exceptione.

§. 6. Procurator verò generalis, qui in Romana Curia reſidere ſolet, & inſimul Abbas Monaſterii Beatæ Mariæ de Pace, de Urbe exiſtit, ſemper eligatur pro uno itidem triennio, ex altera parte duarum ſupradictarum, ex qua dicto triennio Abbas generalis eligi non debet: illo autem triennio, quo Procurator generalis, & Abbas dicti Monaſterii de Pace ex Provincia Lombardiæ extiterit, Provinciæ Eccleſiaſticæ unum Monaſterium paris qualitatis Monaſterii prædicti de Pace, arbitrio Diffinitorii aſſignari debeat.

*Procurator generalis, uti & ad triennium eligatur ex altera parte, ex qua Abbas generalis illo triennio eligi debet.*

§. 7. Cum autem æquum ſit, & rationi conſonum, ut ii qui ſub eadem Regula militant, æqualiter onera ſuſtineant, ac honoribus, & Prælaturis fruantur: Nos menti, & intentioni rec. mem. Clementis Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editæ inhærentes, diviſionem Monaſteriorum, Abbatiarum, & Prælaturarum, inter quaſdam Nationes, ut accepimus, factam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò revocamus, caſſamus & annullamus. Utque de cætero, Monaſteria, Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus, & cæteræ Prælaturæ ipſius Congregationis, Canonicis cujuſcumque Nationis, & Provinciæ, meritis ſuffultis, abſque aliqua nationum, & perſonarum exceptione aſſignari, & ad eas Canonici hujuſmodi virtute, ac meritis præſtantes, ac idonei, juxta dictam Clementis intentionem eligi debeant, perpetuò pariter ſtatuimus, & ordinamus.

*Diviſio Monaſteriorum, & Abbatiarum, inter quaſdam Nationes facta revocatur, & Prælaturæ Congregationis idoneis perſonis abſque Nationum, & perſonarum diſtinctione concedantur.*

§. 8. Ulterius, ut in quacumque Natione, & Provincia Novitii juxta capacitatem, qualitatem, & redditus cujuſque Monaſterii recipiantur, decernimus ut in poſterum in qualibet Natione, & Provincia tantùm Novitiorum numerus admittatur, & recipiatur, qui pro implemēto cujuſque Monaſterii præſcriptus, & in Tariffa aſſignatus fuit, ac in illis Nationibus, & Provinciis, earumque Monaſteriis, in quibus numerus præfixus exceditur, recipi nequeant aliqui Novitii, donec ad numerum præſcriptum pro ſingulo Monaſterio, tam Canonici, quàm Converſi redacti fuerint. Verùm ſi in ipſis Provinciis, & Nationibus, in quibus jam numerus præſcriptus completus, & etiam ultra dictum numerum Novitii recepti reperiuntur, alicujus perſonæ literarum ſcientia, vitæque, ac morum integritate, ac ſanctitate maximè præditæ, quæ in ipſam Congregationem admitti poſtulaverit, occaſio oblata fuerit, illam cum voto Diffinitorii pro duabus ſaltem partibus concordis, non tamen ultra ſex perſonas in totum, donec Canonici, & Converſi in dictis Monaſteriis ad præſcriptum numerum redacti fuerint, abſque præjudicio Monaſteriorum, in quibus numerus præſcriptus, & aſſignatus completus non fuerit, recipiendi facultatem concedimus.

*Novitii qui, quot, & quomodo recipiendi erunt in futurum.*

§. 9. Et ad hunc effectum Novitiatus inſtitutos, videlicet in Marchia Eccleſiaſtica Cæſenæ, & Montis Bellii, in Statu & Ducatu Mediolani, in Monaſterio Caſoretti, in Mediolanenſi ſito, ac in Dominio Venetorum Veronæ, & in Hetruria Feſulis, & in Regno Neapolis in Monaſterio Beatæ Mariæ de Pedegriptæ, confirmamus & approbamus, ac in illis Novitios, juxta præſentium, ac ordinationum & decretorum juſſu dicti Clementis prædeceſſoris factorum tenorem, & numerum præſcriptum recipi poſſe concedimus.

*Novitiatus hic enunciati comprobantur, & in iis Novitios juxta decreta Clementis VIII. recipi decernitur. Hæc decreta ſunt in illius conſtit. 60. Nullus, &c. ſup.*

§. 10. Præterea non modernorum Abbatis, & Viſitatorum, ac Procuratoris generalium cauſa, qui alioqui, & præſertim ipſe Abbas generalis, ſuis officiis hactenus laudabiliter functi ſunt, neque propter aliqua eorum præterita demerita, ſed ut hæc noſtra conſtitutio in ipſa Congregatione de cætero perpetuò obſervanda, hoc tempore ſine alicujus exceptione initium ſumat: Volumus, ac pari motu, & auctoritate ſtatuimus, ut neque Abbas generalis, qui pro tempore fuerit, finito ejus officio, & facta electione alterius Abbatis, officium generale, videlicet Viſitatoris, aut Procuratoris generalis, neque item è converſo Procurator generalis pro tempore in Abbatem generalem, niſi abſoluto triennio poſt peractum reſpectivè utrumque officium eligi poſſit.

*Abbas generalis in depoſitione ſui Officii in Procuratorem generalem, neque Procurator Ordinis in Abbatem eligi poſſunt, niſi elapſo triennio poſt peractum ab iis reſpectivè officium.*

§. 11. Utque etiam nullus ex Viſitatoribus generalibus, finito triennio ſui officii Viſitatoris generalis, in Abbatem generalem pro ſequenti immediato triennio eligi valeat.

*Nullus ex Viſitatoribus generalibus in Abbatem generalē eligatur pro ſequenti immediatè triennio.*

*Obſervantia prædictorum omnibus præcipitur.*

§.12. Præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis ejuſdem Congregationis generali, ac aliis Abbatibus, Diffinitoribus, Prælatis, & Canonicis, cæteriſque ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ut præſentes noſtras literas obſervent, & obſervari curent, & faciant. Irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis que derogatur.*

§.13. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis ejuſdem Congregationis Superioribus, & Canonicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 1. die 30. Dec.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, die 30. Decemb. 1605. Pont. noſtri anno primo.

---

## Confirmatio unionis Congregationis Fratrum S. Ambroſii, & Congregationis fratrum S. Barnabæ, ſub Regula S. Auguſtini viventium. Et approbatio Conſtitutionum pro eorum bono regimine editarum, omniumque privilegiorum eiſdem conceſſorum.

*De prima Congregatione vide ſuprà in conſt. 9. Gregorii XI. lib. 1. Cupientes. Et de ſecunda vide conſtitut. 3. Alexandri VI. Pia vita, ſuprà eod. lib.*

*Edita A. D. 1606.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

PAſtoralis noſtri muneris debitum expoſcit, ut ad ea libenter intendamus, per quæ Religioſorum ſtatui, & proſpero gubernio opportunè proſpicitur, prout in Dominio ſalubriter conſpicitur expedire.

*Unio Congregationi ſancti Ambroſii, & S. Barnabæ à Sixto V. præfinita [illegible] in [illegible] conſtit. edita die 15. Aug. 1589. quam prætermiſi, quia ſimpliciter unionẽ hic relatam continet.*

§.1. Volentes itaque Congregationes S. Ambroſii ad Nemus Mediolanenſis, & Sancti Barnabæ Provinciæ Marchiæ, & Januæ, ſub Regula ſancti Auguſtini, aliàs à felic. record. Sixto Papa V. prædeceſſore noſtro invicem unitas, ſpecialibus favoribus & gratiis benignè proſequi, ac earumdem Congregationum Superiores, & Religioſos univerſos & ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati.

*Confirmatio conſtitutionum, & indultorum, ut in rubr. Adverte, quod Indulgentia remanent ſub moderatione huius Pontif. in eius conſtit. 21. Romanus.*

§.2. Ex voto Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporum, & Regularium deputatorum, conſtitutiones pro ipſarum Congregationum, & earum Monaſteriorum, ſeu domorum, & Religioſorum proſpero gubernio & regimine editas, & in eadem Congregatione juſſu noſtro diligenter examinatas, & approbatas, necnon etiam quæcumque privilegia, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, conceſſiones, indulgentias, & indulta eiſdem Congregationibus, illarumque Monaſteriis, Domibus, Superioribus, Fratribus, & aliis Religioſis in genere, vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Apoſtolicam Sedem conceſſa, quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adverſentur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus.

*Derogatio contrariorũ.*

§.3. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictarum Congregationum, & earum Monaſteriorum, ſeu domorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, & cæteris contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. [illegible] die 21. [illegible]*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Januarii 1606. Pontificatus noſtri anno primo.

---

XVI

## Quod Fratres Congregationis Jeſuatorum S. Hieronymi, Ordinem Sacerdotalem à quocumque Epiſcopo idoneo, ſervatis ſervandis, aſſequi generatim valeant, & exercere, prohibitionibus quibuſcumque abrogatis. Nonnullas tamen Ordinationes obſervare teneantur.

*Iſti Fratres vocabantur alias Pauperes Jeſuati, quorum Congregationem approbavit Martinus V. in conſtit. 11. Pia, ſup. Nomen autem Jeſuatorum S. Hieronymi ſortiti ſunt tempore Alexandri VI. ut ſup. in ejus conſtitut. 9. Ad ſacram. Eiſque Clemens VII. dedit privilegia Ordinis S. Auguſtini, cujus Regulam profitentur, ut in ejus conſt. 36. Sacra, lib. 1. Quinimò Pius V. omnium Mendicantium privilegia eis communicavit, & inter eos connumerari declaravit, ſuprà in ſua conſtitut. 50. Romanus, lib. 2.*

Vide quæ addidi ſup. ad Conſt. 11. Martini V. Piæ, tom. 1.

*Edita [illegible] 1606. [illegible] & 16[illegible]*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

REligioſos viros, qui ſub ſuavi Religionis jugo, Dei obſequiis mancipati, majori pietatis ſtudio, ac ardentiori charitatis affectu in holocauſtis, ſacrificiis, & divinis obſequiis ultrò illi placere, ac magis gratum exhibere cupiunt famulatum, benigni favoris patrocinio libenter complectimur, ac gratiis proſequimur opportunis, prout illorum pia vota expoſtulant, ac aliàs in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Congregationis huius religioſi [illegible] poſt [illegible] profeſſ[illegible] ſacris [illegible] ri non [illegible] ſueverunt.*

§.1. Cum itaque, ſicut dilectorum filiorum Viſitatorum, & aliorum Superiorum, & fratrum Congregationis Jeſuatorum nomine Nobis expoſitum fuit, licèt Religioſi dictæ Congregationis, ex vetuſtiſſimo, ſemperque obſervato inſtituto, etiam poſt emiſſam per eos in dicta Congregatione profeſſionem regularem, Sacris ordinibus initiari non conſueverint: & licèt dudum bon. mem. Gabriel Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Paleottus, & Nicolaus tituli ſanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Senonenſis nuncupati, ac Venerabilis frater Cæſar Epiſcopus Cremonenſis, quibus felic. record. Gregorius Papa XIV. prædeceſſor noſter hoc negotium commiſerat, ex cauſis tunc expreſſis, per quoddam eorum decretum ſtatuerint, ut dictæ Congregationis religioſi, qui eo tempore ad Sacros ordines promoti reperiebantur, ab illorum executione in perpetuum ſuſpenſi forent, & Superiores qui litteras dimiſſorias, & alias quaſcumque conceſſerunt; aut aliter quovis modo opitulati fuerant fratribus dictæ Congregationis, ut ad ordines promoverentur, ab eorum officiis depoſiti in poſterum ad ea, & alia in dicta Congregatione obtinenda inhabiles eſſent, & eſſe intelligerentur. Quodque du cætero ſub pœna perpetui carceris ad hujuſmodi ordines quiſquam dictorum fratrum promoveri, aut ad hunc effectum literas dimiſſorias concedere non poſſet: & ulterius nec cuiquam ex eiſdem fratribus liceret gradum in ſacra Theologia, vel alia facultate adipiſci. Quod decretum à prædicto Gregorio XIV. necnon à piæ mem. Clemente Papa VIII. etiam prædeceſſore noſtro confirmatum fuit, prout in dicto decreto, & in literis eo umdem Prædeceſſorum deſuper expeditis plenius continetur.

*Sed ex[illegible] hic ex[illegible] iſte Pŭ. [illegible] tres initi[illegible] & deinde executione Sacrorum ordinũ ſuſ[illegible] ſos ha[illegible] uſque ad [illegible] merũ [illegible] Sa.[illegible]*

§.2. Nihilominus tum quia nonnulli ex illis, qui ut præfertur, Sacris ordinibus initiati ab illorum executione ſuſpenſi fuerunt, adhuc ſuperſtites ſunt, & alii etiam in d. Congregatione reperiuntur ad Sacros ordines ſuſcipiendos apti, tum etiam quia multi libentiùs in eandem Congregationem ingrederentur, ſi eis ad Sacros ordines ſuſcipiendos, & divinorum miniſtrationem aditus pateret, tum demùm quia divinus cultus majus in ipſa

Congrega

Congregatione ſuſciperet incrementum, ſi ejus religioſis ab ignobili otio, & turpi ignorantia ſejunctis, Sacros ordines ſuſcipere, ac in illis miniſtrare, ac divinis laudibus, & obſequiis vacare liceret, propter præmiſſas, & alias rationabiles cauſas cupiant ſupradicti Viſitatores, & fratres aliquibus ex eis, Apoſtolica noſtra auctoritate licentiam Sacros ordines ſuſcipiendi, ac in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrandi, & ſacris ſervitiis ſe mancipandi benignè concedi. Nos illorum pium deſiderium hujuſmodi, ad divini cultus augmentum, & eorum Congregationis decorem, & incrementum tuendum ſummoperè in Domino commendantes, conſiderante ſque non poſſe religioſos majori cum fructu Dei obſequiis vacare, quàm per divinarum literarum ſcientiam, per Altaris miniſteriũ, & divinorum officiorum uſum, & propterea piis eorum votis favorabiliter annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, necnon decreti, & literarum Gregorii, & Clementis prædictarum totos tenores, perinde ac ſi de verbo ad verbũ inſererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac ad verbũ inſertis habentes, necnon ſingulares ejuſdem Congregationis perſonas à quibuſvis excõmunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes: Supplicationibus eorumdem Viſitatorum, Superiorum, & Religioſorum nomine per dilectum filium Iſidorũ Venetum, Fratrem & Procuratorẽ generalem dictæ Congregationis, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſuper Conſultationibus & negotiis Epiſcoporum, & Regularium deputatorum, quibus hoc negotium examinandum, & Nobis referendum commiſimus, in primis, & ante omnia decretum & literas Gregorii, & Clementis prædeceſſorum ſupradictas, in quantum præſentibus adverſantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò revocamus, & annullamus, & ſuſpenſionem ab executione ordinum, ut præfertur, factam omnibus & ſingulis ejuſdem Congregationis religioſis, qui ad ordines etiam Sacros, & Presbyteratus, aliàs tamen ritè promoti extiterunt, ita ut quilibet eorum in ſuſceptis ordinibus deinceps, quoad vixerint, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & non ſuſceptos ſuſcipere, & in illis pariter miniſtrare liberè poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium gratioſè relaxamus, ac illos omnes & ſingulos ad miniſtrandum in ſuſceptis ordinibus, atque ad aſcendendum ad ſuperiores, & non ſuſceptos ordines rehabilitamus. Prætereà, ut comprehenſis ſupradictis jam ad Sacros ordines promotis, alii ejuſdem Congregationis religioſi uſque ad completum numerum centum dumtaxat in tota Congregatione prædicta, ad omnes Sacros, & Presbyteratus ordines ab infraſcriptis Antiſtitibus ſtatutis à jure temporibus, ſed hac prima vice, etiam non ſervatis interſtitiis à Concilio Tridentino deſignatis, & anni circulo minimè expectato promoveri, ac promoti in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, dummodo tamen prævio diligenti examine, ad hoc idonei reperti fuerint, auctoritate, & tenore prædictis licentiam concedimus & indulgemus, ac cum illis ſuper hoc opportunè diſpenſamus: ac infraſcriptis Antiſtitibus dictis religioſis ordines hujuſmodi conferendi facultatem impartimur.

*...n aſcen- ...ius ad Sa- ...n Ordines, ...iſdem gra- ...ibus cũ pro- ...tis perfrui ...atuit.*

§.3. Volumus autem, & pari auctoritate ſtatuimus & ordinamus, ut religioſi dictæ Congregationis, tam hactenus recepti, quàm in futurum recipiendi, qui in eadem Congregatione ad ordines non aſcenderint, à nullis propterea honoribus, gradibus, & miniſteriis dictæ Congregationis excludantur, quinimò promiſcuè cum promotis vocem activam & paſſivam, in omnibus actibus & negotiis, ſine aliqua prorſus differentia habere poſſint, & debeant, & æquo cum eiſdem promotis jure, honoribus, gradibus, miniſteriis prædictis, cæteriſque ipſius Congregationis privilegiis, & prærogativis gaudeant, & perfruantur.

*...omotis de- ...cedentibus ...lii ſuffi- ...iantur.*

§.4. Quodque in tota Congregatione prædicta, ultra numerum centum, ad Sacros ordines promoveri non poſſint, ſed quandocumque aliqui ex numero promotorum ab hac vita migraverint, alii idonei in eorumdem demortuorum locum ſufficiantur, ita ut ſic ordinatorum numerus in tota Congregatione perpetuò retineatur.

*Antiſtites à quibus promoveri poſſint, deſignat.*

§.5. Quodque illi qui ad ordines promovendi erunt, literas dimiſſorias à ſuis Superioribus ad aliquem ex infraſcriptis Antiſtitibus directas habeant, à quibus Antiſtitibus in eorum propriis Civitatibus, vel Diœceſibus tantum, & non ab aliis hujuſmodi ordines ſuſcipiant, videlicet in Urbe à dilecto filio Vicario noſtro, vel de illius licentia à quocumque Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, ac in dicta Urbe Pontificalia exercente, necnon à Venerabilibus fratribus Mediolanenſi, Bononienſi, & Senenſi Archiepiſcopis; ac Epiſcopo Patavino, vel ab aliis ſimilibus Antiſtitibus, de ipſorum Archiepiſcoporum, & Epiſcopi licentia, in illorum reſpectivè Civitatibus, & Diœceſibus Pontificalia exercentibus, quibus, & cuilibet eorum prædictos religioſos, ut præmiſſum eſt, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines promovendi licentiam & facultatem concedimus.

*Promotos ad recitationem ſacrarum Horarũ obligat, imò omnes idoneos.*

§.6. Prætereà ſtatuimus & ordinamus, ut Sacerdotes, & alii ad Sacros ordines hoc pacto pro tempore promoti, ex peculiari cujuſque obligatione Horas Canonicas in Choro ſtatuto ab Eccleſia tempore recitare debeant, in illis ſcilicet Conventibus, in quibus quatuor ſaltem fratres reperientur in Sacris ordinibus conſtituti, in aliis autem Conventibus, ubi pauciores quatuor erunt Sacris ordinati, poſſint eas etiam privatim recitare.

*Eoſdem promotos ad Orationẽ Dominicam, & Salutationẽ Angelicam non teneri declarat.*

§.7. Ipſi verò fratres ad Sacros ordines promoti, nullatenus in poſterum teneantur ad recitationem Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, in illis temporibus in quibus ad eam, priuſquam eaſdem Horas Canonicas recitare deberent, ex præſcripto ſuarum conſtitutionum loco earumdem Horarum erant obligati.

*Miſſarum celebrationis modum præſcribit.*

§.8. Miſſas verò ſubmiſſa voce recitare contenti ſint, & à ſolemnium celebratione abſtineant, niſi ſicubi ipſi ſolemniter celebrare jam ſic conſueviſſent.

*Sæcularium confeſſiones audire prohibet.*

§.9. Quodque ad Sacerdotium promoti, neque ullius ſecularis perſonæ, neque alterius Ordinis regularis ullo tempore, etiam de cujuſcumque Epiſcopi, vel Superioris regularis licentia confeſſiones audire poſſint, ſed tantum illis Sacerdotibus, qui ad confeſſiones audiendas idonei reperti, & ab Ordinariis locorum approbati fuerint liceat aliorum ipſius Congregationis religioſorum de ſui Superioris licentia confeſſiones audire.

*Diſtillationem aquarũ ſacris initiatis vetat.*

§.10. Quodque fratres ipſi aliquo Sacro ordine initiati ſuæ dignitatis memores, exercitio diſtillationis aquarum nullo pacto vacent, neque earum venditionibus ſeſe immiſceant.

*Eas mulieribus vendi, aut venales haberi interdicit.*

§.11. Imò cæteri ejuſdem Ordinis regulares, qui ad ordines promoti non fuerint, quibuſque id exercitium non adimitur, ejuſmodi aquas diſtillatas, quod hactenus fecerunt, mulieribus deinceps nullo prætextu vendere, aut aliàs tradere debeant, neque venales habere, ſeu exponere, ſed tantùm eas ſeorſum ab aliis poſſint vendere Aromatariis, vel aliis particularibus perſonis.

*Studiorum inſtitutionem concedit.*

§.12. Inſuper ut religioſi dictæ Congregationis magis fructuoſi in Eccleſia Dei miniſtri evadere poſſint, eidem Congregationi, & illius Superioribus, & religioſis, ut in eorum Conventibus, ubi hoc commodè fieri poterit, literarum exercitationes, ſeu ſtudia erigere, & inſtituere poſſint, in quibus tum humaniores literæ, ac diſciplinæ, tum Philoſophia, ac Theologia legantur, ipſique iis operam dare valeant, auctoritate & tenore prædictis licentiam & facultatem concedimus, & indulgemus.

*Clauſ. præſervativa.*

§.13. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quopiam defectu, quavis de cauſa & occaſione, vel prætextu notari, vel impugnari, infringi, ſuſpendi, limitari, vel retractari, aut revocari ullatenus poſſe, ſed ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere.

*Clauſ. ſublata, &c.*

§.14 Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus

ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſ. derog.*

§.15. Non obſtantibus literis Gregorii, & Clementis prædeceſſorum prædictorum, & quibuſvis aliis prohibitionibus, necnon constitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & Congregationis Jeſuatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmiſſorum, ſpecialiter & expreſſe, ac latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.16. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 1. 18. Februar.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Februarii 1606. Pont. noſtri anno Primo.

*Sequitur declaratio præinſerta Conſtitutionis.*

*Edita A.D. 1608.*

## *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

SEdis Apoſtolicæ providentia circumſpecta, quandoque religioſam vitam agentibus & concedit & indulget, quæ regularibus eorum inſtitutis vetita erant, prout maturo deſuper habito conſilio eorum animarum ſaluti, & religionis propagationi in Domino judicat expedire.

*Hic Pont. edidit conſt. præcedentem. Et modò ad ſupplicationem Congregationis.*

§.1. Sanè cum aliàs Fratres, Confratres, &c.

Omittitur narrativa præcedentis Bullæ.

§.2. Cum autem, ſicut dilecti filii Viſitatores, & alii Superiores, ac fratres dictæ Congregationis per dilectum filium Iſidorum Venetum, fratrem & Procuratorem generalem ejuſdem Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, pro divini cultus in ipſa Congregatione augmento maximè expediat, ut aliqui ex illius fratribus ad Subdiaconatus, & Diaconatus Sacros Ordines promoveantur, qui gradatim in locum demortuorum Presbyterorum ſtatim ſufficiantur. Ideo Viſitatores, & ſuperiores ac fratres prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Habilitat alios viginti quatuor Fratres ad Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines reſpectivè. Tu vide hic infra generalem habilitationem.*

§.3. Nos igitur prædictarum literarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem S.R.E. Cardinalium conſilio, ut ultra centum dictæ Congregationis fratres in Presbyteratus ordine cōſtitutos, alii duodecim ad Subdiaconatus, ac alii etiam duodecim ad Diaconatus Sacros ordines de Superiorum ſuorum licentia, modo & forma in prioribus noſtris literis expreſſis promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ita quod quando aliqui ex numero promotorum hujuſmodi è vivis deceſſerint, alii in mortuorum locum ſubſtituantur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus, & indulgemus.

*Derogatio cōtrariorum.*

§.4. Non obſtantibus literis Gregorii, & Clementis prædeceſſorum prædictorum, & quibuſvis aliis prohibitionibus, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe, ac latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemplarum fides.*

§.5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P.A... die 13. Ma...*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Martii milleſimo ſexcenteſimo octavo, Pontificatus noſtri anno Tertio.

*Sequitur declaratio circa perſonas hujus Ordinis, recitationi Horarum Canonicarum obnoxias.*

*Edita A... 1608.*

## *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

MInisterio ſacri Apoſtolatus officii, licet immeriti præſidentes, ad ea per quæ divinus cultus, & devotio augetur, libenter intendimus, & quæ propterea ordinata fuiſſe dicuntur, Apoſtolici muniminis firmitate, cum à Nobis petitur, roboramus.

*Statuit Pont. pro... tos ad Sa... Ordines... recitatum Horarū C... nonicarum teneri, ut in 1. iſta... conſtit... mul hic... tarum.*

§.1. Alias ſiquidem ſtatuimus, & ordinavimus, ut fratres Congregationis Jeſuatorum ad Sacros ordines pro tempore promoti, ex peculiari cujuſque obligatione Horas Canonicas in Choro, ſtatuto ab Eccleſia tempore recitare deberent, in illis ſcilicet Conventibus, in quibus quatuor ſaltem fratres reperirentur in Sacris ordinibus conſtituti, in aliis autem Conventibus, ubi pauciores quatuor eſſent Sacris ordinati, poſſent eas etiam, ſed privatim recitare, ipſi verò fratres ad Sacros ordines promoti, nullatenus in poſterum tenerentur ad recitationem Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ in illis temporibus, in quibus ad eam, priuſquam eaſdem Horas Canonicas recitare debeant, ex præſcripto ſuarum Conſtitutionum, loco earumdem Horarum erant obligati, prout in noſtris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis literis plenius continetur.

*In Capit... generali... ea viſum... fuit ma... expedi... quod om... Fratres... tationi... rarum... nei, ad... rum rec... tionem... neantur... ſupplic... Papa p... comprob... ne hujuſ... tuti.*

§.2. Et ſicut dilecti filii Iſidorus à Venetia, Viſitator Generalis, ac Diffinitores, aliique Vocales ejuſdem Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, illi ſubinde animadvertentes ex recitatione Horarum Canonicarum hujuſmodi, cùm ſpirituales fructus ipſi Congregationi provenire, tum Chriſti fideles recitationi earumdē Horarum intereſſētes ad devotionem excitari, provida deliberatione deſuper habita, in eorum Capitulo generali noviſſimè celebrato, reſervato Noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ordinarunt, & ſtatuerunt, quod ex tunc de cætero quicumque ex fratribus dictæ Congregationis recitationi dictarum Horarum idonei eſſent, illi ad recitationem earumdem Horarum tenerentur, & per Horarum recitationē hujuſmodi recitationi Orationis Dominicæ, ex regularibus eorum inſtitutis præſcriptæ ſatisfacere cenſerentur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Iſidorus, & Diffinitores, ac alii Vocales prædicti plurimùm cupiant ordinationem, & ſtatutum hujuſmodi pro ejus ſubſiſtentia per Nos apoſtolica auctoritate confirmari, & approbari, ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Hic Un... tifex ill... confirm...*

§.3. Nos igitur Iſidorum, ac Diffinitores, & alios Vocales prædictos, necnon ſingulos dictæ Congregationis fratres ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, ordinationem, & ſtatuta prædicta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus dictæ Congregationis fratribus inviolabiliter obſervari mandamus.

*Idem... rum ſt...*

§.4. Et nihilominus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus quicumque ex dictæ Congregationis fratribus recitationi Horarum Canonicarum habiles & idonei erunt, illi ad earundem Horarum recitationem perpetuò teneantur, & obligati exiſtant, ac per recitationem Horarum Canonicarum recitationi Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, ad quam juxta regularia eorum inſtituta tenentur, ſatisfaciant, & ſatisfacere cenſeantur, ſimiliter perpetuò ſtatuimus & ordinamus.

§.5.

*...regatio ...rarioris.*

§.5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Congregationi, illiuſque Viſitatori generali, ac fratribus, & aliis Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus clauſulis, & decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſum... ...rum fides.*

§.6. Volumus autem, ut præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*...t. P. A. 4. ...13. Sept.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Septemb. milleſimo ſexcenteſimo octavo, Pontificatus noſtri anno quarto.

*Subſequitur generalis habilitatio ad ordines Sacros.*

*...dita A. D. 1611.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...xordium.*

ONeroſa paſtoralis officii cura, meritis licet inſufficientibus nobis ex alto commiſſa poſtulabat, ut Chriſti fideles, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo obſequiis Altiſſimi mancipatos, quò ardentiori pietate & charitate in ſacrificiis, & divinis officiis illi placere, magiſque gratum valeant exhibere famulatum, ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ favoribus, gratiiſque proſequamur opportunis, prout pia illorum vota poſtulant, & aliàs in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Hic Pont. ...idit præce...ntes conſt. Ex quibus ...gnus in ...ligione pro...ſſus eve...it.*

§.1. Aliàs ſiquidem poſtquam, &c.

Omittitur relatio Conſtitutionum quæ præcedunt.

§. 2. Cùm autem, ſicut Fratres dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, ex promotione eorumdem Fratrum ad Sacros ordines hujuſmodi, felici dictæ Congregationis gubernio, proſperæque directioni hactenus notabiliter, cum magno & evidenti illius progreſſu, & divini cultus augmento conſultum fuerit, & in dies major illius progreſſus, benedicente Domino futurus ſit, ſi non ſolummodò centum, verùm omnes prædictæ Congregationis Fratres, ad hoc aliàs idonei, & capaces, ad eoſdem Sacros ordines promoveri poſſent. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt dicti Fratres, ut ſibi de opportuna ſuper præmiſſis licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*...t modò ad ...licio em ...greſſum, ...eralem ...at Fratri...us habili...ationem ad ...dines.*

§.3. Nos igitur ad ea per quæ Congregationum ad divini cultus augmentum, & religionis propagationem inſtitutarum conſervationi, & manutentioni, divinique cultus augmento ſalubriter conſulitur, libenter intendentes, prædictæ Cõgregationis Fratres ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſvis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac prædictarum literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis per dictum Iſidorum nunc prædictæ Congregationis Viſitatorem generalem ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio, ut omnes & ſinguli prædictæ Congregationis Fratres, nunc & pro tempore exiſtentes, de illorum Superiorum licentia ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus ordines ſtatutis à jure temporibus à locorum Ordinariis, vel aliis quibuſvis Antiſtitibus, gratiã & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, dummodo tamen prævio diligenti examine ad hoc idonei reperti fuerint, & aliud eis non obſiſtat canonicum impedimentum, ac aliàs ſervata forma Concilii Tridentini, aliiſque de jure ſervandis, liberè & licitè poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate prædicta tenore præſentiũ concedimus & indulgemus, ac cum eis ſuper hoc opportunè diſpenſamus.

*Decretum irritans apponit.*

§.4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derogat.*

§.5. Non obſtantibus Gregorii, & Clementis prædeceſſorum prædictorum, ac noſtris literis prædictis, & quibuſvis aliis prohibitionibus, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam legitimè præſcriptis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi iubet.*

§.6. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. An. 6. die 25. Ian.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25. Januarii milleſimo ſexcenteſimo undecimo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

---

## Confirmatio reductionis Monachorum S. Baſilii in unam Congregationem, & approbatio gratiarum, & privilegiorum ipſius Ordinis.

*Omnia de hoc Ordine notavi ſuprà in conſtitut. 6. Alexandri III. Apoſtolica.*

*Edita A. D. 1606.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

INjuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut Sacrarum religionum in militanti Eccleſia ſuaves in Domino fructus præſtantium paternam curam gerentes, ea quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris conceſſa ſunt, quo validius perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

*Antiquitatem hujus religionis declarat hic Pont. ex conſtit. 58. Gregor. XIII. ſup. lib. 2.*

§.1. Cùm itaque, ſicut accepimus, fel. rec. Gregor. Papa XIII. prædeceſſor noſter, animadvertens Ordinem S. Baſilii cæteros omnes regulares antiquitate præcedere, ac ex eo Dei Eccleſiam, Chriſtianamque rempublicam ab ipſius Ordinis initio uberes fructus recepiſſe, ut dicti Ordinis Monachi commodiùs Altiſſimo famulari, regularemque obſervantiam ſervare poſſent, per quandam ſuam perpetuò valituram conſtitutionem eos in unam Congregationem redegit.

*Idem Greg. conceſſit eidē privilegia Congregat. Caſſinen. ut ibid.*

§.2. Nonnullaque privilegia, gratias, & immunitates, illaſque præcipuè, quibus Congregatio Caſſinenſis, illiuſque Monachi potiuntur, & gaudent, dictæ Congregationi ſic erectæ conceſſit.

*Menſiſque Monachalibus bona ſtabilia aſſignari juſſit ibidem, & menſam Cõventualem & Abbatialem ſeparari.*

§.3. Cui etiam Congregationi Monaſteria omnia dicti Ordinis, ubique exiſtentia perpetuò univit, & donec Monaſteria ipſa in commendam manerent, mandavit ut menſa Conventualis in tot bonis ſtabilibus, pro victu & veſtitu, ac viſitatione Monachorum, aliiſque neceſſariis expēſis, ad quæ Commendatarii juxta Canonicas ſanctiones, ac præſertim tenore literarum Eugenii Papæ IV. ſimiliter prædeceſſoris noſtri tenentur, perpetuò ſepararentur.

*Sixtus V. cõſtituit Brutum Farnetum, ut perficeret ſeparationē prædictam. Sed eius conſt. hic non habetur.*

§. 4. Cumque ſeparationibus hujuſmodi tunc minimè perfectis ejuſdem Gregorii ſupervenīete obitu, Sixtus V. piæ mem. ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumptus fuiſſet, idem Sixtus Bruto Farneto per alias ſuas literas dedit in mandatis, ut in illis Monaſteriis, in quibus ſeparationes factæ, ut præfertur, minimè fuerant, conſtitutionem Gregorii exequeretur, menſaſque ſeparatas videret. Verùm cùm ipſe Brutus præmiſſa totaliter adimplere minimè



potuiſſet,

potuiſſet, ipſo etiam, ac ſucceſſivè dicto Sixto Pontifice vita functo.

*Clem. VIII. Theodorum Abbatē conſtituit executorem d. ſeparationis.*

§. 5. Clemens VIII. recol. mem. volens, ut tam pium, neceſſariumque opus omninò ſortiretur effectum, eandem facultatem dilecto filio Theodoro de Savoca ipſius Ordinis Abbati Generali per alias literas dedit, prout in omnibus dictis literis pleniùs continetur. Qui Theodorus divina favente clementia plures ſeparationes fecit, factaſque etiam juxta ſibi tributam facultatem revidit.

*Hic modò Pontifex cōfirmat ejuſmodi ſeparationes.*

§. 6. Nos quieti, & perpetuæ tranquillitati, ac religionis, ipſiuſque Theodori Abbatis Generalis, & Monachorum indemnitati conſulere, eoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſvis excōmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio, non ad Theodori, ſeu Monachorum, vel alicujus alterius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex voto Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper conſultationibus, & negotiis Epiſcoporum regularium deputatorum, prædictas Prædeceſſorum noſtrorum literas, ac ſeparationes prædictas, tam Bruti, & Theodori, ac quorumvis aliorum, in vim literarum prædictarum factas, cum omnibus inde ſequutis.

*Confirmat etiam Privilegia per Gregor. XIII. Sixtum V. & Clem. VIII. conceſſa.*

§. 7. Ac prædicta omnia privilegia cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, & declarationibus, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris, quàm facti, & ſolemnitatum, etiam de jure neceſſariarum, vel aliàs quomodolibet requiſitarum, forſan omiſſarum, & alios defectus (ſi qui intervenerint) in eiſdem ſupplemus, illaſque & illa Ordini prædicto, illiuſque Abbati Generali, Abbatibus, Prioribus, aliiſque Superioribus, & fratribus ſuffragari, eoſque univerſos, & ſingulos illis frui, uti, & gaudere, ubi, quando, & quoties opus fuerit, poſſe, & debere, in omnibus, & per omnia.

*Annullatque quidquid fuerit contra dictas literas Apoſtolicas.*

§. 8. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores huius conſtit. deputat.*

§. 9. Quocirca dilectis Filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & Apoſtolicæ Sedis delegatis, & Nunciis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, eorum effectum ſortiri, illiſque omnes quos concernunt pacificè frui & gaudere, non permittentes quempiam deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris, & facti remedia (appellatione quacumque poſtpoſita) compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Clauſulas derogatorias apponit.*

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ mem. Bonifaci Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Abbati Generali, ſeu Abbatibus, & Prioribus, aliiſque Superioribus, & Rectoribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fidem tranſumptis ...buit.*

§. 11. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. die 17. M...*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 17. Martii 1606. Pontificatus noſtri anno primo.

---

## Privilegia Curialium, Incolarum Urbis, & Civium Romanorum, in ipſa Urbe, & intra decem milliaria (non tamen extra reſidentiam) decedentium, quoad diſpoſitionem, & ſucceſſionem ſuorum bonorum ibidem exiſtentium. XVIII.

*Quoad hujuſmodi privilegia habemus etiam Sixti IV. conſtitut. 8. Etſi univerſi, ſup. & Iulii III. conſtit. 5. Cupientes, lib. 1. ac Pii IV. conſtit. 19. Decens, lib. 2. Et ſignanter quoad ædificantes in Burgo Pio Vrbis, extat alia ejuſdem Pii conſtit. 102. Romanum.*

Spoliorum verò materiam opportunius quàm hic, indicavi ſupra in conſt. 100. Sixti V. In conferendis, lib. 2. Quibus adde non venire in Spoliis bona habentium beneficium, vel penſionem non excedentes ducatos 50. Nec ſupellectilia domeſtica, neque paramenta, & ornamenta Eccleſiarum, juxta conſtit. 42. Pii V. ſuprà, lib. 1.

### *PAVLVS PAPA QVINTVS.* *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A. ... 1606.*

*Cauſa ... declarationis.*

IN eminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus, ſuperna diſpoſitione conſtituti, inter ceteras curas, quæ ex injuncto Apoſtolicæ ſervitutis officio nobis incumbunt, illa præcipua eſt, ut alma Urbs noſtra beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum martyrio conſecrata, ad quam omnes Chriſti fideles ex univerſis Mundi partibus tanquam ad communem patriam, & portum cunctarum gentium, & nationum, atque adeò ad Magiſtram veritatis, & Religionis confluunt, iis demùm gratiis, & privilegiis exornetur, per quæ omnes, qui ad eam undique veniunt, illamque incolunt, nunc, ac perpetuis futuris temporibus ſine ulla animi moleſtia in illa ſtare, & permanere, & Romanæ Eccleſiæ, Sedique Apoſtolicæ adjumento eſſe poſſint.

*Sixtus IV. Iulius III. & Pius IV. ...dicati in ...br. indulta Curialibus conceſſerunt & malè ... obſervantur. Hic ideò ... Curialibus Incolis, & Civibus Vrbis decedentibus in ea vel infrà 10. milliaria ... facultatem diſponendi de bonis ibi exiſtentibus, dūmodo non accedant extra debitam reſidentiam.*

§. 1. Ac animadvertentes alias felic. rec. Sixtum Quartum, Julium Tertium, Pium Quartum, & nonnullos alios prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ut ejuſdem Urbis decori, illamque incolentium, & Curiam præfatam ſequentium indemnitati conſulerent, Curialibus, & Incolis prædictis diverſa præſertim de eorum bonis teſtandi, ſeu aliàs diſponendi privilegia, facultates, & indulta conceſſiſſe, prout in eorumdem Prædeceſſorum literis deſuper expeditis latiùs continetur. Quæ temporum fortaſſe injuria diverſas ob cauſas imminuta, aut aliàs abrogata dicuntur.

§. 2. Volenteſque Nos, qui in eadem Urbe nati ſumus, Curialium, & Incolarum prædictorum indemnitati & tranquillitati conſulere, ac tam eos, quàm Romanos Cives originarios pari favoris, & gratiæ prærogativa proſequi, eorumdem Prædeceſſorū veſtigiis inhærendo, motu proprio, & ex certa ſcientia, matura deliberatione, & mera liberalitate noſtris, deque Apoſtolicæ nobis attributæ poteſtatis

**ceſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, decernimus, & declaramus**, quod poſthac perpetuis futuris temporibus, omnes & ſinguli Romanam Curiam ſequentes, ſeu ipſam Urbem incolentes, necnon ipſi Romani Cives originarii nunc & pro tempore exiſtentes, etiam Clerici, & in ſacris, etiam Preſbyteratus ordinibus conſtituti, cæteræque omnes, & quæcumque aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, etiam Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, & etiam majori, & quavis alia Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentes, & quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia, aut aliàs quomodolibet qualificata, & ſpeciali notâ digna obtinentes, necnon quaſcumque penſiones annuas ſuper quarumvis Menſarum Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, ac dignitatum, Canonicatuum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, ut præfertur, vel aliàs quomodolibet qualificatorum fructibus, redditibus & proventibus, aut ipſos fructus, redditus & proventus loco penſionum annuarum ſibi Apoſtolica auctoritate quomodolibet reſervatas & aſſignatas, ac reſervatos & aſſignatos habentes & obtinentes, qui in dicta Urbe, vel ejus diſtrictu intra decem milliaria ab ipſa Urbe (non tamen extra debitam reſidentiam) deceſſerint, de omnibus ſuis bonis mobilibus & immobilibus, ac ſe moventibus, juribus & actionibus quibuſcumque, necnon jocalibus & pecuniis, ac rebus aliis in dicta Urbe, & ejus diſtrictu intra decem milliaria hujuſmodi conſiſtentibus, & ſeu exiſtentibus, ac etiam proventibus, ex quibuſcumque fructibus, redditibus & proventibus, ac juribus, obventionibus & emolumentis, etiam decimalibus dictarum Eccleſiarum & beneficiorum, ut præfertur, quomodolibet qualificatorum, quæ in titulum vel commendam, aut adminiſtrationem, vel aliàs quomodolibet, etiam ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis obtinent, & ſeu antea obtinuerunt, vel in poſterum obtinebunt, necnon etiam ex quibuſvis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis Eccleſiaſticis, atque penſionibus annuis ſuper ſimilibus fructibus, redditibus & proventibus, ac etiam diſtributionibus quotidianis ſibi reſervatis, conceſſis, conſtitutis & aſſignatis, necnon ex emolumentis quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, etiam adminiſtrationem habentium, & locorum Montium, vel cenſuum, ac aliàs provenien. quæ ipſi pro tempore habuerunt & obtinuerunt, ac habent & obtinent, habebuntque, & obtinebunt in futurum, cujuſcumque qualitatis, quantitatis & ſummæ, ac pretii & valoris exiſtant, per eos & eorum quemlibet acquiſitis & acquirendis, & in eadem Urbe & illius diſtrictu infra decem milliaria, ut ſuprà conſiſtentibus, diſponere, & tam donatione inter vivos, vel cauſa mortis, ſeu teſtamento, legato & fideicommiſſo, quàm alia quavis diſpoſitione inter vivos, ſeu ultima voluntate in favorem conſanguineorum & affinium ſuorum, Collegiorumque, Univerſitatum & locorum piorum, ac quarumvis aliarum perſonarum, etiam penitus extranearum, diſponere & ordinare, ac in eiſdem rebus & bonis conſanguineos & affines, Collegia & Univerſitates, ac loca & perſonas præfatas, hæredes univerſales, vel particulares pro eorum libito voluntatis facere, de illiſque liberè & licitè pro libito voluntatis diſponere poſſint & valeant, plenam & liberam eis, & cuilibet eorum licentiam, & facultatem omnimodam concedimus & impartimur.

*Declarat ...d ad illegitimos ſpe... ſi perſo... Eccleſia... de eis ...ponant.*

§. 3. Declarantes quod ſi contingat dictos Clericos, & alias Eccleſiaſticas perſonas præfatas diſponere de ipſorum bonis in favorem illegitimorum (non tamen ex eorum proprio corpore procreatorum) tunc & eo caſu quoad bona, & jura, & alias res ipſorum diſponentium merè patrimonialia, & laïcalia, in dicta Urbe, & illius diſtrictu, ut ſuprà conſiſtentia, nec Camera, nec ipſi illegitimi in illis ullo modo ſuccedant, ſed ad venientes ab inteſtato juxta juris diſpoſitionem ſpectent, & pertineant, quavis alia conſtitutione forſan contrarium diſponente non obſtante.

*Curialibus, ...olis &*

§. 4. Præterea motu, ſcientia & poteſtate ſimilibus decernimus & ordinamus, quod ſi dicti Curiales, ſeu Incolæ Urbis, Romanique Cives originarii, aliique prædicti in Urbe, & diſtrictu prædictis (non tamen extra eorum debitam reſidentiam) ab inteſtato deceſſerint, eorum bona, pecuniæ, jocalia, jura, actiones, & res hujuſmodi, etiam ex bonis, & redditibus Eccleſiaſticis ſupradictis provenientia, per eos ut ſuprà acquiſita, in dicta Urbe, & ejus diſtrictu intra decem milliaria, ut præfertur conſiſtentia, ad eorum hæredes ab inteſtato venientes liberè deveniant, nec illa ad Romanum Pontificem & Cameram Apoſt. ſpectare & pertinere dici vel prætendi poſſit, minuſque Miniſtri vel Agentes dictæ Cameræ, etiam ſub prætextu quod dicti hæredes in Urbe non reperiantur, dictorum bonorum poſſeſſionem apprehendere, vel ſequeſtrare, aut de illis inventaria conficere, aut in illis quovis modo ſe intromittere valeant.

*Civibus eiſdem in Urbe, & infrà 10. milliaria, non tamen extra debitâ reſidentiam decedentibus hæredes ab inteſtato ſuccedant in eorum bonis ibi exiſtentibus.*

§. 5. Diſtrictiùs inhibentes modernis, & pro tempore exiſtentibus S.R.E. Camerario, & dictæ Cameræ generalibus Theſaurario, Commiſſario, necnon Præſidentibus, Clericis nunc & pro tempore exiſtentibus, omnibuſque & ſingulis Spoliorum & jurium Cameræ Apoſtolicæ Collectoribus, vel Subcollectoribus, ac aliis Miniſtris quocũque nomine nuncupatis, ne hæredes & ſucceſſores quoſcumque, etiam ab inteſtato dictorum Curialium, ac Incolarum, & Civium Romanorum in Urbe, ac illius diſtrictu præfato pro tempore decedentium, ſuper prædictis bonis, pecuniis, jocalibus, juribus, actionibus, & rebus quibuſcumque per dictos Curiales, Incolas, Romanoſque Cives originarios pro tempore in Urbe prædicta, & infra illius diſtrictum hujuſmodi deceden. ut præfertur acquiſitis, contra præſentium noſtrarum literarum formam, etiam ſub prætextu, ſeu cauſa illicitæ negotiationis moleſtare, perturbare, inquietare, & ſe in hæreditatibus & bonis præfatis quovis modo immiſcere, aut illa petere, ſeu ſibi, aut Cameræ præfatæ vendicare, ſeu de illis Inventarium conficere audeant, ſeu præſumant.

*Prohibet ne officiales hos Curiales, &c. contra formam hujus bullæ moleſtent, etiam ſub prætextu illicitæ negotiationis.*

§. 6. Decernentes ſic noſtræ mentis & immutabilis voluntatis exiſtere, ac ita, & non aliter per Camerarium, Theſaurarium, Commiſſarium, Præſidentes & Clericos præfatos, ac alios quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum prorſus, nullum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Sublata omnibus aliter iudicandi poteſtate.*

§. 7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Cameræ præfatæ & Eccleſiarum, in quibus dicta beneficia forſan fuerint, aut Monaſteriorum & Ordinum, quorum illa extiterint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, necnon privilegiis, conceſſionibus, indultis & literis Apoſtolicis, illis, necnon Camerario, Theſaurario, Commiſſario, Cameræ præſidentibus & Clericis, aliiſque prædictis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros in genere, vel in ſpecie, etiam Motu, ſcientia & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, aut aliàs quomodolibet, etiam conſiſtorialiter conceſſis & approbatis, ac innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & ad verbum expreſſa mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ad effectum præſentium, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac ſuos effectus adverſus declarationem, voluntatem, ſtatutum & ordinem noſtra hujuſmodi ſortiri, aut vendicare non poſſe, neque debere volumus & decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Quibuſcumque contrariis non obſtantibus.*

§. 8. Ceterùm quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus & declaramus, quod illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus perſonæ in digni-

*Tranſumptorum fides.*

tate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat.P.A.I. die 8. Apr.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 8. Aprilis 1606. Pontificatus noſtri anno primo.

*Publicatio.* *Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti 1606. indict. 4. die verò 4. menſis Aprilis, Pont. autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli divina Providentia Papa Quinti anno ejus primo, retroſcripta litera affixa & publicata fuerunt in valvis Baſilica Principis Apoſtolorum, & Baſilica S. Ioannis Lateranenſis, ac Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Flora, ut moris eſt, per me Chriſtophorum Fundatum Apoſt. Curſ.*

*Ioan. Baptiſta Bagni Mag. Curſ.*

---

## XIX. Confirmatio omnium gratiarum, & privilegiorum Congregationis Monachorum Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti. Et ſubjectio Monaſteriorum Galliæ poteſtati Abbatis generalis. Cum prohibitione habendi recurſum extra Ordinem, & cogendi Capitulum generale, abſque interventu dicti Abbatis.

*De inſtitutione, & ſtatu hujus Congregationis notavi ſuprà in conſtit. 1. Cæleſtini V. Etſi cunctos, lib. 1. ad quam hoc indicavi.*

*Edita A. D. 1606.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* INjuncti nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut ſacrarum Religionum in militanti Eccleſia ſuaves in Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa, quo validius perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

*Confirmatio omnium gratiarum, & privilegiorū.* §. 1. Volentes igitur ~~univer~~ſam Congregationem Cœleſtinorum Ordinis Sancti Benedicti, quam etiam nos antequam ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti eſſemus, ſemper non modico proſequuti ſumus amore, & ex qua uberrimi in eadem Dei Eccleſia fructus, ad ipſius Omnipotentis Dei laudem, & Chriſtianæ Reipublicæ ſpirituale commodum, ac utilitatem ab ipſius Congregationis initio ſemper prodierunt, & in dies prodeunt, ~~ac dilectos filios Abbatem Generalem~~, & Procuratorem, ac Monachos ejuſdem Congregationis univerſos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ~~à jure, vel ab homine~~ quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad dilecti filii Celſi Romani Abbatis Generalis, ſeu Procuratoris, vel Monachorum dictæ Congregationis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, aliaque privilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extenſionis inter ſe, & cum aliis Congregationibus, & Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Congregationi Cœleſtinorum dicti Ordinis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos & Apoſtolicam Sedem ſub quacumque verborum forma, & expreſſione, etiam per ſolam ſignaturam, & vivæ vocis oraculo, aut alias quomodolibet conceſſa, ac ſemel, ſeu pluries confirmata, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, & declarationibus, ac ſingulas literas, tam ſub plumbo quàm in forma brevis, aut aliàs deſuper confectas, quarum tenores & formas, datas, effectus, decreta, & alia in illis contenta, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, quatenus Sacri Concilii Tridentini decretis, necnon Regularibus dictæ Congregationis inſtitutis à Sede Apoſtolica approbatis non adverſentur, ac revocata non ſint, nec ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris quàm facti, & ſolemnitatum, etiam de jure neceſſariorum, aut alias quomodolibet requiſitarum, forſitan omiſſarum, & alios defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem ſupplemus, illaſque & illa Congregationis prædictæ Monachis, Monialibus & Oblatis, etiam per modum communicationis, & extenſionis hujuſmodi ſuffragari, eoſque illis frui, uti & gaudere, ubi, quando & quoties opus fuerit, poſſe & debere in omnibus, & per omnia decernimus.

*Abbati[s ge]neralis [auc]thoritas in Itali[a] quàm i[n] Gallia, ubique in ... rum M... ſte in ... tanas.* §. 2. Præterea motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus volumus & declaramus, quod Abbas Generalis debeat eligi, prout hactenus factum fuit, ac pariter quod ipſe Abbas Generalis pro tempore exiſtens poſſit, & debeat viſitare quæcumque Congregationis ſuæ prædictæ Monaſteria, tam in Italia quàm in Gallia, & ubique locorum exiſtentia, quando & quoties ei videbitur, etiam nulla viſitationis intimatione, ſeu notificatione præcedente, cum obſervatione Regulæ, ac Conſtitutionum ejuſdem Congregationis. Præterea quod venientes ad Urbem ex Provincia Galliæ, & ex quacumque alia Provincia ad ipſum Abbatem Generalem, abſque licentia, & obedientia ſuorum Provincialium & Superiorum, & maximè ſi ſint apoſtatæ, profugi, vel vagi, ſi Generalis cognoverit abſque cauſa legitima illos veniſſe, debeant puniri juxta formam conſtitutionum, & ſtatim remitti debeant, ſi venerint abſque hujuſmodi ſuorum Superiorum licentia & obedientia, etiam pro eorum devotione; ſecus autem ſi velint accedere ad Urbem, tanquam ad Apoſtolicam Sedem pro negotiis, & recurſibus habendis, tunc enim volumus liberum eſſe unicuique ad eam confluere, nec licere Superioribus cuique prohibere.

*Prohibi[tio] habend[i re]curſum [ex]tra Ord[inem] ad Iud[ices] & par[ticu]lares p[erſo]nas, &c.* §. 3. Ad hæc quod nullus Prælatus, Provincialis, Abbas, Prior vel Monachus, ſecretè, palam, directè vel indirectè, per ſeipſum, vel per alios, ex quacumque cauſa, vel occaſione poſſit ad quoſcumque Judices, cujuſcumque dignitatis & qualitatis fuerint, habere recurſum pro negotiis ſpectantibus ad Congregationem, ejuſque Monaſteria in genere, vel in ſpecie ad particulares perſonas, niſi ad Abbatem Generalem in Italia exiſtentem, vel ubique locorum ubi erit, vel in Regno Galliæ ad ſuos Provinciales, vel ad Capitula Provincialia: qui contravenerit, pœnam excommunicationis ipſo facto, atque indignationis noſtræ, à qua non niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſit, & perpetuò privatus intelligatur quocumque gradu, honore & dignitate religionis, & careat voce activa & paſſiva.

*Capitu[lum] que g[enerale] abſque ... Abbatis ... ſentia ... brandi.* §. 4. Poſtremò quod Capitula pro tempore facienda, tam in Gallia, quàm in quibuſcumque aliis Provinciis, debeant vocari Capitula Provincialia, non autem generalia, ita ut Capitulum generale intelligatur illud quod celebrabitur cum aſſiſtentia Generalis, ceterorumque Patrum Diffinitorum.

*Clauſ. ... ſervan...* §. 5. Præſentes quoque literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, ſeu etiam ex eo quod Provincialis Provinciæ Galliæ, ac Prior & Monachi Congregationis & Ordinis prædictorum, & forſitan alii intereſſe, etiam aliarum Provinciarum in præmiſſis habentes, ſeu putantes, ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris, vel in jus, ſeu controverſiam vocari poſſe, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi.

*Decretum irritans.* §. 6. Sicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & diffiniri debere, necnon irritum, &

inane

inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*…cutoris …atio.* §.7. Quocirca dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus per ſe vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque plenum eorum effectum ſortiri, illiſque Congregationem & Monachos prædictos pacificè frui & gaudere. Non permittentes quemquam deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumque indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet ac rebelles, & præmiſſis non parentes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

*…rariis …gatio.* §.8. Non obſtantibus fel. rec. Martini V. & Eugenii IV. Bonifacii VIII. ac Adriani VI. & Clementis VII. ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſt. ac in Lateranenſi, & aliis Conciliis Generalibus editis, ac Ordinis & Congregationis hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua mentio pro illorum ſufficienti derogatione habenda foret, eorum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus cõmuniter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*…dei tranſumptorum.* §.9. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D. P. An. 1. …29. Apr.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vigeſimanona Aprilis 1606. Pontificatus noſtri Anno primo.

---

## XX. Quod Clerici Regulares Congregationis Miniſtrantium Infirmis, ad quoſcumque alios, etiam Carthuſianorum Ordines & Religiones migrare nequeant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali.

*Congregationem iſtam prohibuit Sixtus V. in conſt. 15. Ex omnibus, ſuprà lib. 2. ubi privilegiorum elargitionem Gregorii XIV. & reformationem Clementis VIII. tibi indicavi.*

*Edita A. D. 1606.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.* ROmanum decet Pontificem univerſo gregi Dominico divina inſtitutione præpoſitum, paſtorali ſolicitudine providere, ut regularium Ordinum rectè inſtituta conſerventur, & eorum diſciplina nulla ex parte detrimentum patiatur, ſed quæ pro eorum regimine conſtituta ſunt, ſi temporis proceſſus ita opus eſſe oſtenderit, providè corrigere, aut mutare, prout conſpicit in Domino expedire.

*Gregor. XIV. in ſua cõſtit. 17. Illius, ſuprà vetuit his Clericis ad aliũ Ordinem præter Carthuſianũ tranſire.* §.1. Sanè dilectus filius Præpoſitus Generalis Clericorum regularium Congregationis Miniſtrantium Infirmis nuper exponi nobis fecit, quod in literis Apoſtolicis erectionis dictæ Congregationis, ejus Religioſis profeſſis tranſitus ad Ordinem Carthuſianorum tantum, nulla etiã alia ad id Sedis Apoſtolicæ licentia requiſita, permittitur.

§.2. Quoniam verò præcipuum eorundem Clericorum inſtitutum eſt infirmis Hoſpitalium, & aliis Chriſti fidelibus morientibus die noctuque, donec animam Creatori reddant, ac præterea peſtilentia laborantibus miniſtrare, eiſque omnibus ſolemni voto ſe obſtringunt, quæ quidem quoniam non levia onera videntur, multi Religioſi occaſione accepta prædictæ permiſſionis liberè ad Carthuſianorum Ordinem tranſeundi, ad laxiores commigrarunt Religiones, proinde timeri veriſimiliter poteſt, ne in poſterum in dies plures idem facere procurent. *Prætextu hujus tranſitus ad Carthuſianos [illegible] ad alios laxiores migrarunt.*

§.3. Propterea ad hujuſmodi malum prohibendum, & dictam Congregationem conſervandam, dictus Præpoſitus Generalis cupit, ipſius Religioſis tranſitum ad quoſcumque alios Ordines & Religiones, etiam Carthuſianorum eorumdem, ſine ſpeciali noſtra & Romani Pontificis protempore exiſtentis licentia prohiberi, & ideo nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper hoc opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Petit Præpoſitus Congregationis à Papa, ut ad omnes etiam Carthuſianorum Ordines abſque Pontificis licentia tranſitum prohibeat.*

§.4. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſuper conſultationibus & negotiis Epiſcoporum & regularium præpoſitorum, Religioſos ejuſdem Congregationis Miniſtrantium Infirmis, ad ipſum etiam Carthuſianorum Ordinem, ſine ſpeciali noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Cardinalium ſupradictæ Congregationis Epiſcoporum & Regularium licentia, firma manente prohibitione generali tranſeundi ad quaſcumque alias Religiones præter Carthuſianos, quæ in dictis literis Apoſtolicis, & ſeu conſtitutionibus ejuſdem Congregationis (Miniſtrantium Infirmis) continetur, tranſire auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò prohibemus. *Qui illum prohibet abſque Pontificis vel Cardinalium præpoſitorum negotiis Epiſcoporum & Regularium licentia.*

§.5. Non obſtantibus præmiſſis literis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. *Quibuſcumque non obſtantibus.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die decimaſexta Maii milleſimo ſexcenteſimo ſexto, Pont. Anno 2. *Dat. P. A. 2. die 26. Maii.*

---

## Indulgentiarum quoquo modo Regularibus & Ordinibus regularibus conceſſarum revocatio. Et alia Indulgentiarum nova conceſſio. XXI.

*Edita An. D. 1606.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

ROmanus Pontifex in Beati Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cœleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſolicitè proſpicere debet ac ſolerter, ut hujuſmodi Indulgentiarum diſpenſatio & uſus, ad Dei gloriam & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur. *Exordium.*

§.1. Proinde cum fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia & ſollicitudine procuraverit abuſus & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam Conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates & Confraternitates præſcripſerit, licet morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam ut cogitaverat, circa Indulgentias à pleriſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Religionibus & Ordinibus Monaſticis & Mendicantibus diverſis temporibus conceſſas, aliquid deliberare potuerit. *Clemẽs VIII. formam aggregandi Cõfraternitates præſcripſit, ut ſuprà in cõſt. 115 Circa tamẽ indulgentias nihil morte præventus deliberavit.*

§.2. Nos qui nullis noſtris meritis, ſola Dei benignitate ad ſummi Apoſtolatus officium vocati ſumus, ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primùm Catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædeceſſore deputatis, de quorum numero tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederetur, & indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent. *Id igitur hic Pont. Card. examinandũ commiſit.*

§.3. Cum itaque præfati Cardinales privilegia, con- *Qui Ord. Regularib. [illegible]*

ceſſiones,

*dulta examinarunt, & Indulgentias iam conceſſas revocandas, & alias de novo concedendas eſſe cenſuerunt.*

ceſſiones & gratias prædictis Religionibus & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint & examinaverint, ac eorumdem Ordinum Superiores & officiales pluries audiverint, ac circa eaſdem Indulgentias varia dubia & incertitudines & confuſiones adeſſe compererint, & ex judicio eorumdem, etiam Regularium, vel aliquorum ex illis nobis propoſuerint valde expedire, pro eorum majori ſecuritate & beneficio, ut indulgentias ipſis Religionibus & Ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

*Hic itaque Pont. has de novo Indulgentias eis concedit, videlicet.*

§.4. Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcumque quorumvis Ordinum, tam Monaſticorum quàm mendicantium ſpirituale ſolatium & juvamen afferre, infraſcriptas Indulgentias & gratias, quas perſonis Regularibus intra clauſtra, aut extra, cum licentia tamen ſuorum Superiorum legitima de cauſa illis conceſſa degentibus, tantummodo ſuffragari debere declaramus, & concedendas duximus.

*Habitum regularem ſuſcipientibus.*

§.5. Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonicè, & juxta ordines cujuſlibet Religionis, & conſtitutiones Apoſtolicas habitum regularem à legitimis Superioribus cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam.

*Profeſſionem emittentibus.*

§.6. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens & confeſſus, ac ſacra Communione refectus poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam plenariam.

*In feſto principali ſui Ordinis celebrantibus, &c.*

§.7. Necnon cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

*In mortis articulo pœnitentibus, &c.*

§.8. In cujuſlibet verò mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin autem corde devotè invocaverit, etiam Plenariam.

*Miſſam primã celebrãtibus, vel ei intereſſentibus.*

§.9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus & confeſſus primam Miſſam celebrabit, necnon etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra Cõmunione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

*Spirituale exercitium, de quo hic, facientibus.*

§.10. Iis verò qui de ſuorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in Cella commorabuntur, aut aliorum converſatione ſeparati in piorum librorum & aliarum rerum ſpiritualium animos ad devotionem & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri JESU CHRISTI, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum aut vocalium, ſaltem per duas horas in die & nocte orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem vel ordinariam, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

*Clauſtralibus eorum Eccleſias viſitantibus.*

§.11. Præterea iidem Religioſi intra clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ut præfertur oraverint, conſequantur eaſdem indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Vrbis, & extra eam diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus, perinde ac ſi ipſas Vrbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

*Aliiſque diebus orantibus.*

§.12. Omnibus item Religioſis intra clauſtra ut ſupra viventibus; qui quinquies Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die quinque annos, & totidem quadragenas.

*Prædicatoribuſque, Lectoribus, &c.*

§. 13. Iis verò qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes tanquam Prædicatores & Lectores, quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

*Oratio[nem] mentale[m] facientibus.*

§.14. Necnon etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confeſſi, & ſacra communione ultima Dominica menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

*Culpas pr[o]prias in C[a]pitulis ac[cu]ſantibus.*

§. 15. Qui verò contrito corde & pœnitentes eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis Culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos & totidem quadragenas.

*Miſſioni[s] Terras In[fi]delium, [ac]ceptantibus, &c.*

§.16. Quotieſcumque autem de licentia Summi Pontificis aut ſuorum Superiorum in ditiones & terras Infidelium aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum miſſi fuerint, ſi pœnitentes & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut melius ad hujuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in Provinciam ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus & elargimur.

*Orationi[bus] 40. hora[rum] à Superi[ori]bus Ordi[nis] prædicti[s in]tereſſentibus.*

§. 17. Et inſuper cum Superior in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, necnon diſciplinæ & obſervantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, ut ſuprà dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi & ſacra communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam & remiſsionem, ut præfertur, concedimus.

*Declarat [ea]dem indulgentiis [Mo]niales fru[i].*

§. 18. Volumus autem, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ & gratiæ religioſis regularibus cujuſvis Ordinis, tam Monaſtici quàm mendicantis dumtaxat, ut præfertur conceſſæ, etiam omnibus Monialibus cujuſvis regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus, tam Ordinariis locorum, quàm etiam regularibus cujuſcumque Ordinis, Regulæ & inſtituti ſubjectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

*Revo[cat] quaſcumq[ue] alias in[dul]gentias.*

§. 19. Ceterùm omnes & ſingulas indulgentias quibuſcumque Ordinibus & Inſtitutis regularibus hujuſmodi, etiam Mendicantibus, & quibuſlibet perſonis regularibus, tam vigore privilegiorum & literarum Apoſtolicarum, quàm vivæ vocis oraculo, aut aliàs quovis modo per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos & Apoſtolicam Sedem hactenus conceſſas, confirmatas, approbatas & innovatas, auctoritate & tenore prædictis perpetuò revocamus, caſſamus, annullamus & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum literarum præſcriptum reducimus & moderamur.

*Clauſula contrari[orum] derogato[ria] appoſita.*

§.20. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac eorundem Ordinum & Inſtitutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam Mare magnum & bulla aurea nuncupatis, eiſdem Ordinibus & inſtitutis, eorumque Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſsio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſsis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſum[ptis] fidem ad[hi]ber[i] præcipit.*

§. 21. Volumus autem ut præſentium tranſumptis,

etiam

etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus literis haberetur.

*...t.P.A.2. ...23.Maii.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Maii 1606. Pontificatus noſtri anno 2.

---

## XXII. Declaratio juriſdictionis Vicarii Papæ, Judicis cauſarum Archihoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe.

*Conceſſionem hujus juriſdictionis habes ſuprà in conſtit.* 118. *Clementis VIII. Cum ſicut.*

Inſtitutionem iſtius Archihoſpitalis, & alia ad illud ſpectantia, vide ſuprà apud conſtit. 7. Innocentii III. Inter, lib. 1.

*...ita A.D. 1606.*

### *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...ordium.*

DEcet Romanum Pontificem ea quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris in favorem piorum locorum & inſignium Hoſpitalis noſtri Sancti Spiritus in Saxia de Urbe conceſſa fuerunt, ſuæ confirmationis robore communire, ac aliàs deſuper opportunè providere, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire.

*...em. VIII. ...nſtitutio ...in rubr.*

§.1. Aliàs ſiquidem à felic. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, &c.

Omittitur inſertio hujus bullæ, ſiquidem eam habemus in loco indicato in rubr.

*...nfirmatio ...conſtitut. ...lem. VIII.*

§.2. Cum autem, ſicut accepimus, diverſæ cauſæ in quibus dictum Archihoſpitale, ſeu ab eo dependentes intereſſe habeant, etiam à S. R. E. Camerario, ac Theſaurario generali, & Clericis præſidentibus dictæ Cameræ pendeant, de quibus in præinſertis literis non fit mentio, cumque propterea dictarum cauſarum expeditio retardetur in maximum dicti Archihoſpitalis præjudicium: Nos ejuſdem Archihoſpitalis commoditati, ac minori diſpendio, celerique cauſarum hujuſmodi expeditioni conſulere, ſimulque ſuper præmiſſis providere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine præinſertas literas Clementis noſtri prædeſſoris (ſalvis tamen infraſcriptis) Apoſtolica auctoritate, & tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui deſuper intervenerint ſupplemus, ac illas perpetuò valere, & obſervari debere volumus & ordinamus.

*Declaratio ...od in cauſis ſpectantibus ad Cameram, vel Magiſtros Viarum Urbis, Procuratores Hoſpitalis eligant pro Judice Camerariū, vel unum ex Clericis Cameræ, quem voluerint.*

§.3. Præterea omnes, & quaſcumque cauſas hujuſmodi, non ſolùm, à quibuſcumque Judicibus juxta præinſertarum tenorem, ſed etiam à Theſaurario, Clericis, Præſidentibus, ac aliis quibuſcumque Judicibus Cameralibus in eiſdem ſtatu, & terminis in quibus reperiuntur, & in quibus Monaſteria, pia loca & Capitula, cujuſvis præeminentiæ, etiam Baſilicarum Urbis principaliter veniūt ad cauſam, præterquamque ubi de intereſſe Cameræ agitur, vel aliàs Commiſſarius noſter venit pro ſuo intereſſe ad cauſam, aut de cauſis ad Camerarium, & Cameram ex conſtitutionibus Apoſt. privativè quoad alios, vel ad Magiſtros Viarum ſpectantibus, ad nos harum ſerie avocamus, illaſque Camerario, & Clericis Præſidentibus Annonæ Graſciæ, Dohanarum Ripæ, Ripettæ, & alias ad juriſdictionem dictorum Clericorum ſpectantes cumulativè, itaut ſit in electione ejuſdem Archihoſpitalis Procuratorem, quem maluerint, ex Camerario, vel Clerico Præſidente in ſingulis cauſis occurrentibus eligere, ita quod etiamſi coram altero ex prædictis conventi fuerint, antequam in juriſdictionem conſenſerint, ſemper variare, & alterum eligere poſſint, uno autem electo per d. Archihoſpitalis Præceptores non poſſint variari, & alter ſe in eadem cauſa intromittere non poſſit, ſed illi in dicta cauſa inhibitum ſit, & eſſe cenſeatur.

*Et in cauſis obligationis in forma Cameræ, iidem eligant A.C. vel Vicariū.*

§. 4. Quo verò ad ceteras cauſas in quibus agitur vigore obligationis Cameralis, ſit in electione dictorum Archihoſpitalis Præceptorum agere, vel coram Auditore Cam. aut coram Vicario.

*In reliquis Vicarius ſit Judex privativè quoad alios.*

§.5. Reliquas autem cauſas, quæ non ſunt de juriſdictione dictorum Camerarii, Clericorum & Magiſtrorum Viarum, ut ſuprà, & quæ aliàs non ſunt cognoſcendæ coram dictis Camerario, Clericis & Cameralibus, ac Viarum Magiſtris, prædicto Vicario privativè quoad d. Cameram, & alios quoſcumque ſupradictos, ſervata forma in omnibus ſupradictis cauſis, etiam quoad Ordinariorum proceſſum, & appellationem interponendam præinſertarum literarum.

*Decretum irritans, & clauſula ſublata, &c.*

§.6. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſupèr his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Declaratio quoad cauſas jam inſtructas coram aliis Judicibus.*

§.7. Ulterius ad conſulendum indemnitati, tum ipſius Archihoſpitalis, tum etiam aliorum litigantium ad parcendum expenſis, volumus, & prædicta auctoritate decernimus, quod in cauſis jam aliis Judicibus inſtructis, & nunc vigore præinſertarum literarum avocatis, partes ipſæ acta tranſportari facere non teneantur, ſed cauſas eaſdem coram dicto Vicario, ſeu Clericis Præſidentibus, ut præmiſſum eſt, firmis tamen remanentibus Notariis, proſequi liberè valeant.

*Facultas ad judicium prorogandi fatalia.*

§.8. Et quod prædicti Judices abſque nova commiſſione toties quoties opus fuerit, poſſint prorogare fatalia, & adverſus lapſum reſtituere, juxta facultates à noſtris prædeceſſoribus conceſſas Auditoribus noſtri Palatii Apoſt.

*Clauſula derogatoria.*

§.9. Non obſtantibus felic. record. Pauli III. de cauſis in Camera Apoſtolica, ubi de intereſſe illius agitur, cognoſcendis, & ejuſdem Pii IV. de gratiis ejuſdem Cameræ intereſſe concernen. in eadem Camera præſentandis, & regiſtrandis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis quæ dictus prædeceſſor in præinſertis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 2. die 3. Iulii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Julii 1606. Pontific. noſtri anno ſecundo.

---

## XXIII. Extenſio, & nova conceſſio gratiarum, & privilegiorum Congregationis Regularis B. MARIÆ Fulienſis, Monachorum Ordinis Ciſtercienſis S. Benedicti.

*Inſtitutionem & alia de hac Congregatione indicavi ſuprà in conſt. 32. Sixti V. Religioſos, lib. 2.*

*Edita A.D. 1606. & 1607.*

### *PAVLVS EPISCOPVS,*

*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DIvina diſponente clementia in eminenti Apoſtolatus ſpecula, meritis licèt imparibus conſtituti, animo revolventes, quod etſi ea quæ pro ſalutari, & quieto Chriſti fidelium quorumlibet, præſertim ſub Religionis jugo, regularibuſque piæ vitæ Inſtitutis, Virtutum Domino famulantium laudabili, & provida Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ordinatione conceſſa, & facta dignoſcuntur, plenam roboris obtineant firmitatem, illis nihilominus noſtræ approbationis, & innovationis robur adjicimus, ut eo firmiùs illibata perdurent, quo ſæpiùs erunt Sedis Apoſtolicæ præſidio communita, efficacemque operam circa earumdem conſervationem libenter adhibemus, ut fideles ipſi privilegiis, & gratiis ſibi conceſſis hujuſmodi in Domino plenè gaudentes, in pacis & tranquillitatis amœnitate conquieſcant, ac in eorum inſtituti Regularis obſervantia, & mandatorum Domini ſemita, ac erga dictam Sedem devotione ferventiùs perſeverent.

*Sixtus V. hanc Congregationem inſtituit, eique privilegia conceſſit, ut notavi hic in rubr.*

§.1. Sanè pro parte dilecti filii Joannis à Sancto Hieronymo Vicarii Generalis Congregationis Regularis B. MARIÆ Fulienſis nuncupatæ, nobis exhibita petitio continebat, quod aliàs poſtquam felicis recordationis Sixtus Papa Quintus prædeceſſor noſter, &c.

Omittitur reſiduum, quia Sixti V. conſtitutiones ipſæ ſunt ſuprà lib 2. in bulla 32. Religioſos.

*Clem. VIII. illa ampliavit, ut in cōſtit. hic cit. Congregatio nunc ſuppli.*

§. 2. Piæ memoriæ Clemens Papa VIII. etiam prædeceſſor noſter, ob laudabilem vitæ, & plurimas alias virtutes, & opera fructuoſa, &c.

Omittitur reſiduū, quia ipſa bulla Clementis VIII. n. 12. eſt ſuprà.

§.3. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus

*...tes pro confirmatione, & extenſione dictorum privilegiorũ.*

dictus Joannes Vicarius Generalis, præ ceteris ſibi juxta ſtatuta & ordinationes ipſius Congregationis, uſque ad proximam illius Capituli Generalis celebrationem, demandati Officii Vicariatus generalis dictæ Congregationis, poſt obitum quondam Petri à Sancto Bernardo, Superioris Generalis ejuſdem Congregationis ad præſens defuncti, incumbentibus ſollicitudinibus, hanc curam potiſſimam ſuam exiſtimans, ut per Sixtum & Clementem Prædeceſſores præfatos conceſſa & approbata, in ſuo robore conſerventur, propterea præmiſſa omnia etiam munimine noſtro roborari ſummoperè deſideret, pro parte ejuſdem Joannis Vicarii Generalis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſingulis literis eidem Congregationi conceſſis prædictis, pro illarum viridi obſervantia etiam robur noſtræ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui petita illi concedit.*

*Quod vide etiam hic infrà in alia eius bulla, quæ huic cohæret.*

§. 4. Nos igitur, qui dictæ Congregationis Fulienſis, & Monachorum ejus ſtatum proſperum & tranquillum, propter uberes fructus quos Cõgregatio ipſa, multa præfulgens gloria meritorum, & gratia Sanctitatis, in agro militãtis Eccleſiæ hactenus produxit utiliter, ac producit, & in futurum producturam fore ſpe firma tenemus, & intenſis deſideramus affectibus, prædictorum Sixti & Clementis, ac aliorum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ipſumque Joannem Vicarium Generalem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ejuſdem Joannis Vicarii Generalis ſupplicationibus hujuſmodi in hac parte etiam inclinati, Sixti & Clementis Prædeceſſorum literas hujuſmodi eidem Congregationi Fulienſi, ac illius Monaſteriis, Prioratibus, Oratoriis & Locis, necnon eorum Superioribus, Abbatibus, Monachis, Monialibus & Religioſis, in genere, vel in ſpecie, ſub quacumque verborum forma conceſſas, ac omnia & ſingula in eis contenta, quatenus ſint in uſu, & dicti Concilii Tridentini Decretis, ac aliis Canonicis ſanctionibus non contrarientur, nec ſub ullis revocationibus Apoſtolicis comprehendantur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illa perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decernimus.

*Extenditque & communicat privilegia aliorũ quorumcumque Ordinũ Monaſticorum.*

§. 5. Et inſuper ut Monachi & Religioſi Congregationis hujuſmodi tanto ferventiùs divinis beneplacitis inſiſtant, quanto majoribus ſe viderint ſpiritualibus gratiis fore munitos, omnia & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, favores, facultates, declarationes, conſervatorias, immunitates, exemptiones, libertates, ceteraſque gratias, præeminentias, & indulta cujuſvis generis exiſtentia; & ſpiritualia, & temporalia, qualiacumque illa ſint, quæ tam eidem Ciſtercienſi Ordini, ac Abbati Monaſterii Ciſtercii, ac ejuſdem Ciſtercienſis Ordinis Capitulo, etiam generali, ac quibuſvis Monaſteriorum Abbatibus, etiam quatuor primis, videlicet de Firmitate, Pontiniaco, Claravalle, & Morimundo, quàm etiam aliis Religionibus Monaſticis, earumque Profeſſoribus, ac utriuſque ſexus eorum Monaſteriis, Eccleſiis, necnon dilectis filiis earumdem Religionum Generalibus, Præſidentibus, & quibuſvis Superioribus, Prælatis & Capitulis, etiam Generalibus, & Provincialibus, ſeu intermediis, eorumque Diffinitoribus, Abbatibus, Prioribus, Abbatiſſis, Monachis, Monialibus, Novitiis, Fratribus, Converſis, Donatis, ac quibuſvis eorũ, & earum utriuſque ſexus Regularibus perſonis, tam in dicta Urbe, quàm etiam in quibuſcumque Mundi partibus conſiſtentibus, & illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſeu per Nos, & Succeſſores noſtros, aut alios auctoritatem habentes conceſſa ſunt, & concedentur, quibus de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, ſeu conceſſione Apoſtolica, vel Imperiali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, in genere, vel in ſpecie, ac tam conjunctim quàm diviſim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, vel poterunt in futurum, quorum conceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, etiamſi talia ſint, quæ ſpecialem, & individuam requirerent mentionem, & ſeu particularem inſertionem, ad dictam Congregationem Fulienſem, ac ſingula illius, tam virorum quàm mulierum Monaſteria, illorumque Superiores, Prælatos, & quaſcumque utriuſque ſexus Regulares perſonas, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò extendimus, illaque eis communicamus, & de novo concedimus, ac ſuffragari volumus. Ita tamen quod dicta Congregatio Fulienſis, illiuſque utriuſque ſexus Monaſteria, Prioratus, Grangiæ, Domus, Eccleſiæ, Oratoria, Collegia, Pia & Charitativa loca, res & bona, Sanctorumque feſtivitates, Conventus & Capitula, etiam Generalia, particularia, ſeu Provincialia, eorumque Superiores, Generales & Seniores Aſſiſtentes, Diffinitores, Viſitatores, Abbates, Abbatiſſæ, Priores, & quicumque alii Superiores, necnon Officiales, Miniſtri, Monachi, Moniales, Novitii, Converſi, Donati, Familiares, Procuratores, & negotiorum Geſtores, Benefactores, & aliæ ſingulares utriuſque ſexus Regulares perſonæ, ſub eorum cura, & ſecundum ejuſdem Congregationis inſtituta nunc & pro tempore degentes & exiſtentes, præmiſſis omnibus & ſingulis, æquè pariformiter reſpectivè, & abſque ulla penitus differentia, ſingula ſingulis concernentia, perinde ac ſi ea omnia illis, & eorum ſingulis principaliter, & expreſsè, & non ad inſtar conceſſa, ac ſi in eis talis Congregatio Fulienſis, illiuſque Capitula, Monaſteria, Eccleſiæ, dictique Superiores, Prælati, ac utriuſque ſexus perſonæ, res & bona expreſſa prænominata, necnon à principio in favorem eorumdem à Sede Apoſtolica emanaſſent, & immediatè conceſſa eſſent & fuiſſent, in quantum eidem Congregationi expediat, ejuſque gubernio & conſtitutionibus non adverſentur, uti, frui, & gaudere liberè & licitè poſſint, & valeant.

*Decerni[t] quod præſentes literæ comprehendantur ſ[ub] quibuſcumque revocationibus, & ſuſpenſionibus gratiarum, quæque de vitio ſubreptionis notari nu[n] poſſint.*

§. 6. Et inſuper præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, aut derogationibus ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, conceſſionum, & aliorum quorumcumque nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & cenſeri debere, ac quovis quæſito colore, vel ingenio de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, vel impugnari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & inviolabiliter obſervari, ac eidem Congregationi Fulienſi, illiuſque Superiori Generali, & Monachis perpetuò ſuffragari.

*Apponit decretum irritans.*

§. 7. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ipſius S. R. E. Cardinales, in quibuſvis cauſis & inſtantiis judicari & diffiniri debere. Necnon, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

*Deputat Judices cum ampliſſimis facultatibus pro illarum executione.*

§. 8. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Toloſano, & Epiſcopo Pariſienſi, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Joannis Vicarii Generalis, necnon pro tempore exiſtentis Superioris Generalis, ac dictorum filiorum Abbatum, & aliorum Superiorum dictæ Congregationis Fulienſis, in præmiſſis jus, & intereſſe quomodolibet habentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in eiſdem præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter obſervari, ac etiam Vicariũ Generalem pro tempore exiſtentem, alioſque Superiores & Abbates Congregationis, & intereſſe habentes hujuſmodi, necnon eorum ſingulos illis pacificè frui & gaudere, nõ permittentes eos, aut aliquem eorum deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna

juris

juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*...rogat con... ...riis.*

§. 9. Non obſtantibus recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi ſimiliter prædeceſſoris noſtri, qua cavetur expreſſe, ne quis extra ſuam Civitatem vel diœceſim, niſi in certis tunc expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à prædicta Sede deputati, extra Civitatem vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas cómittere audeant vel præſumant. Et in Concilio Generali edita de duabus, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac etiam aliorum Monaſteriorum, Eccleſiarum, Ordinum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtabilimentis, uſibus & naturis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apoſtolicis, illis vel alicui eorum, & præſertim eidem Ciſterrcienſi Ordini, ac Abbati Monaſterii Ciſtercii, Superiobus & perſonis, per quoſcumque Romanos Pontifices pariter prædeceſſores noſtros & Sedem prædictam, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam forſan conſiſtorialiter, aut alias quomodolibet in genere vel in ſpecie conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac nemini in præjudicium præmiſſarum ſuffragari poſſe, aut debere decernimus. Necnon omnibus illis quæ Sixtus & Clemens prædeceſſores prædicti in dictis ſuis literis voluerunt non obſtare, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim à dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Decernit ...od tran... ...ptis ha... ...m litera... ...m plena ...s adhi... ...atur.*

§. 10. Et quia difficile foret præſentes literas originaliter ad omnia & ſingula loca in quibus opus eſſet, deferri, volumus, & prædicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut manu Superioris Generalis, & ſigillo ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides adhibeatur quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*...ſanctio pœ... ...lis.*

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, &c.

*...at. P. A. 2. ...9. Julii.*

Dat. Romæ apud S. Marc. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexto, quinto Idus Julii, Pont. noſtri Anno 2.

*Sequitur alia non abſimilis elargitio gratiarum.*

*...tis An. D. 1607.*

## *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...roœmium.*

IN ſupereminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpecula ſuperna diſpoſitione (meritis licet imparibus) conſtituti, ex incumbente nobis Apoſtolicæ ſolicitudinis officio circa curam Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium ſolertia reddimur indefeſſa ſoliciti, ut juxta debitum Paſtoralis officii eorum occurramus diſpendiis, & profectibus divina cooperante clementia ſalubriter intendamus.

*Clem. VIII. Congregationem B. Mariæ Fulien. à regimine Abbatis generalis Ordinis Ciſtercien. exemit, ut ſuprà prowim.*

§. 11. Cum itaque, ſicut accepimus, licet aliàs felicis recordationis Clemens Papa Octavus Prædeceſſor noſter Congregationem Beatæ Mariæ Fulienſis Ciſtercienſis Ordinis, illiuſque Superiorem Generalem, Abbates, Abbatiſſas, Priores, Monachos, Moniales, & alias quaſcumque ſingulares perſonas, necnon Monaſteria, Grangias, Loca & bona quæcumque tunc præſentia & futura, & ad eos quomodolibet ſpectantia, & quæ deinceps ſpectarent & pertinerent, illiſque concederentur, vel ad alios devolverentur, ab omni juriſdictione, gubernatione, regimine, ſubjectione, adminiſtratione, obedientia, viſitatione, correctione & emendatione Abbatis Generalis Ordinis Ciſtercienſis, & aliorum pro tempore exiſtentium Abbatum, Prælatorum & Superiorum ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis, auctoritate Apoſtolica perpetuò exemerit, dictamque Congregationem ac Superiorem Generalem, necnon Abbates, Abbatiſſas, Priores, Monachos, Moniales, Monaſteria & bona prædicta ſub immediatam ſuam & Sedis Apoſtolicæ protectionem, regimen, ſubjectionem, gubernationem, & obedientiam receperit.

*Hic Pont. eam modò non dum eximit ab omni ſuperioritate Prælatorum Ordinis Ciſtercien. ſed etiam omnium Ordinariorū ac Judicum Eccleſiaſticorum.*

§. 12. Nihilominus quidam locorum Ordinarii in cauſis & negotiis dictæ Congregationis ſeſe ingerere non verentes, ſub prætextu quod in literis prædicti Clementis Prædeceſſoris nulla de exemptione à locorum Ordinariorum juriſdictione mentio facta fuerit, dictæ Congregationis Monachos multiplici vexatione perturbant. Nos igitur qui dictæ Congregationis Fulienſis, & Monachorum ejus ſtatum proſperum & tranquillum, propter uberes fructus, quos Congregatio ipſa in agro militantis Eccleſiæ hactenus produxit utiliter ac producit, & in futurum producturam fore ſpe firma tenemus, intenſis deſideramus affectibus, ejuſdem Congregationis, aliarumque utriuſque ſexus Regularium perſonarum, ut majori cum quiete ac ſpiritus fervore, juxta eorum Regularia inſtituta, Altiſſimo gratum exhibeant famulatum, ſtatui opportuniùs providere volentes, illoſque intima charitate proſequentes, necnon Superiorem Generalem, ac omnes & ſingulas perſonas ejuſdem Congregationis, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiæ ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad alicujus nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ac certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Congregationem prædictam Fulienſem, ejuſque Generalem, Abbates, Abbatiſſas, Priores, Monachos, Moniales, Converſos, Donatos, Novitios, Vaſſallos, eorumque Monaſteria, Domos, Grangias & in eis ſervientes, loca, res & bona quæcumque, præſentia & futura, atque ad ea quomodolibet ſpectantia & pertinentia, & quæ deinceps ad ea ſpectabunt & pertinebunt, illiſque concedentur, vel ad ea devolventur, denuò ab omni ſuperioritate, juriſdictione, gubernatione, regimine, adminiſtratione, ſubjectione, obedientia, dominio, viſitatione & emendatione, non ſolùm Ciſtercii, & Claræ vallenſis, & aliorum nunc & pro tempore exiſtentium Generalium, ac Morimundenſis, & aliorum Abbatum, Prælatorum & Superiorum Ordinis Ciſtercienſis, quacumque auctoritate fungentium & functurorum, ſed etiam quorumcumque Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & aliorum Ordinariorum ac Judicum Eccleſiaſticorum, Prælatorum & aliarum perſonarum quacumque auctoritate fungentium & functurarum, & quantumvis ampliſſimis privilegiis utentium & uſurarum, perpetuò prorſus eximimus, & totaliter liberamus.

*Congregationemque Fulien. ſub immediata Sedis Apoſtolica protectione recipit.*

§. 13. Ipſamque Congregationem Fulienſem, ejuſque Generalē, necnō Abbates, Abbatiſſas, Priores, Monachos, Moniales, Converſos, Donatos, Novitios, Monaſteria, Grangias, Domos, res & bona prædicta ſub immediatam noſtram & Sedis Apoſtolicæ protectionem, regimen, ſubjectionem, gubernationem & obedientiam recipimus.

*Monachi Congreg. Fullen. à nemine excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, neque coram aliis Judicibus ad judicia vocari poſſe decernit.*

§. 14. Ita quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarii, Vicarii, Judices & officiales prædicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, nullam in eos

& eorum aliquem, aut Monaſteria, mẽbra & bona prædicta, tanquam prorſus exemptos & exempta, juriſdictioné, correctionem, ſuperioritatem, dominium vel poteſtatem exercere, aut excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, aut quaſvis alias ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas promulgare præſumant, ſeu poſſint aut debeant quoquo modo. Nec ipſi ſic exempti, niſi juxta formam Concilii Tridentini coram illis, aut ipſius Sedis Apoſtolicæ Delegatis, niſi in litteris eis pro tempore directis, de præſentibus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, ad judicium evocari, aut quovis modo, directè vel indirectè moleſtari poſſint. Decernentes omnes & ſingulos proceſſus, ſententias, cenſuras, & pœnas, quos & quas per Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſeu eorum aliquem contra Superiorem Generalem, Abbates & alios ſic exemptos, necnon Monaſteria, & loca hujuſmodi, etiam exempta, ut præfertur, haberi vel promulgari, necnon quidquid ſecus ſuper his ab eis, & alio quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane, nulliuſque roboris vel momenti.

*His qui Monachos etiã ratione decimæ perturbarint pœnas imponit.*

§. 15. Necnon prædictis Archiepiſcopis, eorumque Vicariis generalibus, ac aliis Ordinariis judicibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, necnon Prælatis, etiam dicti Ordinis Ciſtercienſis, & aliis quibuſcumque perſonis præſentibus & futuris, cujuſcumque dignitatis, gradus & conditionis ſint & fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, (à qua non niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo, abſolvi poſſint) præcipimus & mandamus, ne in poſterum perpetuis futuris temporibus in rebus & negotiis, etiam ratione delicti vel contractus ubicumque commiſſi vel initi, ſeſe ingerere, aut Generalem, Abbates & alias ejuſdem Congregationis utriuſque ſexus perſonas, Vaſſallos, Subditos, Familiares, & in eis ſervientes quomodolibet moleſtare, vel in aliquo perturbare, aut bona prædicta occupare, vel de terris & poſſeſſionibus ſuis præſentibus & futuris, quas propriis manibus excolunt, aut aliis excolenda tradiderunt & tradent quomodlibet in futurum, decimas, talleas, aut aliud quodcumque genus exactionis, etiam prætextu cujuſcumque Viſitationis aut tranſitus, necnon de hortis, virgultis & piſcationibus ſuis, ac de ſuorum animalium nutrimentis exigere, aut extorquere audeant, vel præſumant.

*Literas Martini V. & aliorum quorumcumque Rom. Pont. circa exemptiones decimarum innovat.*

§. 16. Innovantes (præterquam in iis, in quibus Concilio Tridentino adverſantur) ſuper hoc litteras exemptionis felicis recordationis Martini Quinti, Sixti Quarti, Innocentii Octavi, & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum eidem Ordini Ciſtercienſi conceſſas, & dictæ Congregationi Fulienſi aliàs per Nos communicatas, quibus univerſus Ciſtercienſis Ordo à ſolutione decimarum prorſus eximitur, quarum tenores, ut præmittitur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, haberi volumus.

*Congregat. Fulien. omnibus & ſingulis privilegiis Ordinum Mendicant. gaudere poſſe indulget.*

§. 17. Et inſuper ut Monachi & Religioſi Congregationis hujuſmodi tanto ferventiùs divinis beneplacitis inſiſtant, quanto majoribus ſe viderint ſpiritualibus gratiis fore munitos, omnia & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, facultates, declarationes, immunitates, exemptiones, libertates, ceteraſque gratias, præeminentias & indulta cujuſvis generis exiſtentia, ſpiritualia & temporalia, qualiacumque illa ſint, quibuſvis Mendicantium Ordinum Congregationibus, eorumque Profeſſoribus, ac utriuſque ſexus eorum Monaſteriis, Eccleſiis, Domibus, Collegiis, Regularibus Locis, necnon dilectis filiis earumdem, Religionum & Congregationum Generalibus, Præpoſitis, Superioribus, Prælatis, & Capitulis, tam Generalibus, quàm Provincialibus, Fratribus, Monialibus, Novitiis, Converſis, Donatis, ac quibuſvis eorum & earum utriuſque ſexus Regularibus perſonis in quibuſcumq; Mundi partibus conſiſtentibus, etiã illorum intuitu, & per viam communicationis, extẽſionis, aut aliàs quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ſeu per Nos & ſucceſſores noſtros, aut alios auctoritatem habentes conceſſa ſunt, & in poſterum concedentur, ac quibus ſingulæ Congregationis prædictæ, eorumque Monaſteria, Eccleſiæ, Domus & loca, ac Superiores, Fratres, Moniales & perſonæ hujuſmodi de jure, uſu & conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate, in genere vel in ſpecie, ac tam conjunctim quàm diviſim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere poſſunt, vel poterunt quomodolibet in futurum, quarum conceſſionum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, etiamſi talia ſint & forent, quæ ſpecialem & individam requirerent mentionem, ſeu particularem inſertionem, (quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub ullis revocationibus comprehenſa, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non adverſentur,) ad eandem Congregationem Fulienſem & ſingula illius, tam Virorum quàm Mulierum Monaſteria, illorumque Superiores, Abbates, Prælatos & quaſcumque utriuſque ſexus Regulares perſonas, auctoritate & tenore prædictis, etiam perpetuò extendimus, illaque eis communicamus & de novo concedimus, ac ſuffragari volumus. Decernentes etiam præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, retractari ſeu invalidari ex quacumque cauſa, vel prætextu minimè poſſe, ſed ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, alioſque Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latére Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, diffiniri & interpretari debere, ac ex nunc irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, eiſdem auctoritate & tenore decernimus.

*Executores deputati.*

§. 18. Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis Taurinenſi, Rothomagenſi & Toloſano, ac Epiſcopo Pariſienſi, necnon dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Generalis pro tempore exiſtentis, & aliorum Superiorum & perſonarum dictæ Congregationis Fulienſis fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos præmiſſorum omnium & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogat quorumcumque in contrarium facientium.*

§. 19. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo aliquis auctoritate præſentium ultra tres dietas ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac dictorum Ordinariorum locorum & Ordinum Ciſtercienſis & Mendicantium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eorundem Ordinariorum & Ordinum Ciſtercien. & Mendicantium, illorumque Generalibus, Abbatibus, Superioribus, Eccleſiis, Monaſteriis & perſonis præfatis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa &

indivi

individum, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus. Aut ſi eiſdem locorum Ordinariis, Judicibus & Vicariis, necnon Generalibus, Abbatibus, Superioribus Ordinum hujuſmodi, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 20. Ceterum volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ, aut manu Generalis, & ſigillo ejuſdem Congregationis Fulienſis munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & alibi ubi opus fuerit, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Novemb. 1607. Pont. noſtri Anno 3.

---

XXIV. Quod milites Militiarum Jeſu Chriſti, S. Jacobi de Spata, & S. Benedicti de Avis Regni Portugalliæ, in quacumque claſſe Regis Hiſpaniarum adverſus Infideles, aut hæreticos per quinquennium militantes, Commendas, & alia earundem Militiarum beneficia conſequi valeant, perinde ac ſi juxta earum ſtatuta, per triennium in Africa contra infideles militaſſent.

*De Militia S. Iacobi de Spata, vide notata ſup. in conſt. 5. Alexandri III. Benedictus, lib. 1. & hic ſup. in conſt. 5. Ex injuncto.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Chariſſimo in Christo filio noſtro Philippo Portugalliæ & Algarbiorum Regi Catholico, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

MAjeſtatis tuæ in Nos & Apoſtolicam Sedem meritis inducimur, ut ejus votis quantum cum Deo poſſumus, libenter annuamus.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, ſtatutis ſeu ſtabilimentis Militiarum Jeſu Chriſti, Sancti Jacobi de Spata, & Sancti benedicti de Avis Regni Portugalliæ, quarum tu perpetuus Adminiſtrator Apoſtolica auctoritate deputatus exiſtis, caveatur expreſſe, quod Milites dictarum Militiarum Præceptorias, Commendas vel alia beneficia conſequi non poſſint, niſi prius integrum triennium in Partibus Africæ cum duobus ſervientibus contra Infideles militaverint.

§. 2. Tu verò animadvertens innumera damna quæ à rebellibus Majeſtatis tuæ Inſularum Hollandiæ, & in Zelandiæ claſſe per eos nuper inſtructa, Mercatoribus aliis quæ ex Indiarum partibus ad tua Regna & Dominia Europæ navigant, inferuntur, eorundem piratarum conatibus obſiſtere, & unam vel plures ad hunc effectum ingentes claſſes inſtruere intendas, & ut claſſes tuæ militibus ſtrenuis inſtruantur, cupis Apoſtolicæ benignitatis auctoritate per nos indulgeri, ut Milites qui in quacumque tua claſſe per quinquennium, unà cum duobus ſervientibus pro tempore militaverint, Præceptorias quaſvis dictarum Militiarum perinde conſequi valeant, ac ſi in Africæ partibus per triennium militaſſent.

§. 3. Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, eidem Majeſtati tuæ concedimus & indulgemus, ut quicumque Milites, qui in qualibet tua claſſe, contra Infideles tamen, aut hæreticos, per quinquennium continuum, tam æſtivo quàm hyemali temporibus cum duobus ſervientibus militaverint, quaſcumque dictarum Militiarum, & cujuſvis earum reſpectivè commendas ſeu Præceptorias conſequi & obtinere poſſint & valeant, perinde ac ſi in Africa juxta prædicta ſtatuta & ſtabilimenta militaſſent.

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictarum Militiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus & naturis, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Marc. die 21. Julii 1606. Anno ſecundo.

---

Confirmatio, & innovatio privilegiorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. Et Approbatio Ordinis Fratrum Reformatorum, ſeu Recollectorum, ſub regimine Magiſtri Generalis, & aliorum Prælatorum ejuſdem Ordinis. XXV.

*Ordinem iſtum primò confirmavit Gregorius Nonus in ſua conſtitut. 9. Devotionis, lib. 1. Ubi alia adnotavi.*

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

INter omnes vitæ regularis Ordines, quibus myſticum totum hoc militantis Eccleſiæ corpus ad Chriſtianæ pietatis cultum dirigitur, ille in primis ex omni ſui parte conſpicuus nobis videtur, quem beatiſſima Cœlorum Regina, ad Captivorum in Infidelium partibus miſerè ſervientium redemptionem, Sancto Raymundo de Peñafort, & claræ memoriæ Iacobo Aragonum Regi, necnon quondam Petro Nolaſco, primo illius Profeſſori, dum vitam ducerent in humanis, ſingulari quodam miſerationis affectu ſibi fore cl[illegible] ſſimum revelavit, & felicis recordationis Calliſtus Papa Tertius prædeceſſor noſter ceteris Ordinibus, ratione quarti voti, quo illius Fratres ſe infidelibus in Captivorum redemptionem pignus fore devovent & obſtringunt, celſiorem & perfectiorem vocavit, hic ipſe Ordo jamjam inde ab Anno Domini 1208. in Civitate Barchinona ab eodem Jacobo Rege in die feſto Sancti Laurentii Martyris ſub invocatione Beatæ Mariæ de Mercede & Redemptione Captivorum nuncupatæ inſtitutus, & à piæ memoriæ Gregorio Papa Nono etiam prædeceſſore noſtro à Nativitate ejuſdem Domini 1230. à revelatione verò prædicta duodecimo, Pontificatus item ſui Octavo annis, in feſtivitate Sancti Antonii Abbatis confirmatus iis pietatis incrementis, in corporum, animarumque Captivorum hujuſmodi ſalutem, ſcilicet eorum, aliis redimendis, aliis inſtituendis, aliiſque in fide corroborandis opere & ſermone in dies magis magiſque effloruit, ut quamplurimi Romani Pontifices ſimiliter prædeceſſores noſtri non minus primam illius originem cœlitus revelatam, quàm pios hujuſmodi progreſſus admirati, innumeras propemodum in eum gratias & privilegia ex inexhauſto Eccleſ. Dei Theſauro Sedis Apoſtolicæ benignitate depromptas, liberaliſſimè contulerint.

§. 1. Cum autem, ſicut dilectus filius Ferdinandus de Sancto Jacobo, ipſius Ordinis per Italiam Vicarius Generalis, tam ſuo quam dilectorum filiorum univerſorum ejuſdem Ordinis profeſſorum nominibus nobis nuper exponi fecit, ipſi profeſſores privilegia hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia per nos Apoſtolico munimine roborari, ac infraſcripta fieri ſummoperè deſiderent, idem Ferdinandus nominibus prædictis nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus privilegiis ipſis robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, infraſcriptis annuere, ac aliàs deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Eiuſdem ſupplicatio pro ſuorum privilegiorum confirmatione.*

*Ic Pontif. confirmat, ſiatenus nō ſint revocata, nec ſacris Canonibus, & Concilii, conſtitutionibuſque Apoſtolicis contraria.*

§.2. Nos igitur, qui veſtigiis Prædeceſſorum hujuſmodi, poſtquam ad Apoſtolatus apicem, meritis licet imparibus, divina favente clementia aſſumpti ſuimus, inhærentes, peculiatique noſtra erga Deiparam Virginem, primam & veram hujus Ordinis Inſtitutricem devotione adducti, non ſolùm ad eorum quæ à tot Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad ipſius Ordinis tam ſpiritualem quàm temporalem decorem, & commodum conceſſa ſunt, confirmationem, ſed etiam eorum quæ ad ejuſdem amplitudinem promovendam, uberioreſque fructus in vinea Domini proferendos opportuna videntur, corroborationem propenſiſſima voluntate inducimur, dictum Ferdinandum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, necnon conſideratione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici nobis deſuper, & humiliter ſupplicantis, omnia & ſingula indulta, privilegia, decreta, conſtitutiones, ordinationes, reformationes, declarationes, ac proviſiones quaſcumque auctoritatem & poteſtatem, officium & electionem Magiſtri Generalis, Vicariorum, Procuratorum, Viſitatorum, Provincialium, Redemptorum Captivorum, Electorum, Diffinitorum, Commendatorum vocalium, aliorumque Officialium dicti Ordinis, Capitulorumque, tam Generalium, quàm Provincialium ejuſdem celebrationem, necnon Provinciarum, Monaſteriorum, Fratrum & aliorum, ſub dicti Ordinis Regula & Inſtitutis degentium gubernationem, directionem, curam, adminiſtrationem, viſitationem, correctionem, unionem & ſeparationem concernentia, ac immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, antelationes, præeminentias, licentias, facultates, conceſſiones, innovationes, favores, aliaſque temporales gratias univerſas, necnon Apoſtolicas, tam ſub plumbo, quàm in forma brevis deſuper quomodolibet expeditas literas, quas & quæ idem Gregorius Nonus, & recolendæ memoriæ Gregorius Papa Undecimus, Innocentius Quartus, Sextus, & Octavus, Alexander Quartus, & Sextus, Clemens Quartus, Sextus, & Septimus, Joannes Vigeſimus ſecundus, Nicolaus Tertius, Quartus, & Quintus, Bonifacius Octavus, Urbanus Quintus, Martinus etiam Quintus, Eugenius Quartus, Pius Secundus, prædictus Calliſtus, Paulus Secundus, Tertius, & Quartus, Sixtus Quartus, Julius Secundus, & Tertius, Leo Decimus, & noviſſimè Sixtus Quintus, & Clemens Octavus, ac alii quicumque Romani Pontifices prædeceſſores noſtri huic univerſo Ordini, ac ſingulis illius Provinciis, Monaſteriis, Prioratibus, Domibus, & aliis regularibus locis, necnon Generali Magiſtro, illiuſque, ſive ipſius Ordinis Vicario, ſeu Vicariis, Procuratoribus, Viſitatoribus, Provincialibus, Redemptoribus Captivorum, Electoribus, Diffinitoribus, Commendatoribus vocalibus, aliiſque Officialibus prædictis, quocumque nomine nuncupentur, ac ceteris illius Fratribus & Religioſis quibuſcumque, tam in genere, quàm in ſpecie, etiam per modum communicationis, extenſionis & ampliationis, ac aliàs quomodolibet, & ſub quibuſcumque verborum formis, & expreſſionibus conceſſerunt, innovarunt, confirmarunt & approbarunt, quorum omnium & ſingulorum tenores, etiamſi talia forent quæ ſpecialem & individuam mentionem requirerent, præſentibus ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis haberi volumus, (dummodo tamen ſacris Canonibus & decretis Concilii Tridentini, ac conſtitutionibus Apoſtolicis contraria, & ſub aliquibus revocationibus comprehenſa non ſint) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium (exceptis tamen indultis, & conceſſionibus Indulgentiarum, ac peccatorum remiſſionibus & relaxationibus) perpetuò approbamus, confirmamus & innovamus, ac quatenus opus ſit, ea omnia & ſingula de novo concedimus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti, ac quarumcumque ſolemnitatum de uſu, jure vel conſuetudine, aut aliàs quomodolibet requiſitarum, ac in præmiſſis omiſſarum, necnon quoſcumque alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui forſan in eiſdem, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Comp… Reformatorum, Recollect… hujus Ordinis, … rum … ſimili… confirm…*

§.3. Præterea reformationem nonnullorum ejuſdē Ordinis piorum & Religioſorum virorum, quos perfectioris vitæ amantes, aliquas domos reformatas, ſeu recollectas nuncupatas in Provinciis Caſtellæ & Bæticæ, ubi ſub arctioribus quibuſdam vitæ & morum regulis longè à ſæcularibus curis vivunt, juxta dicti Ordinis laudabiles conſtitutiones, per eos rigoroſiùs & ſtrictiùs obſervari cœptas inſtituiſſe, cum non exigua animi noſtri in Domino lætitia percepimus, omniumque & ſingularum Domorum hujuſmodi erectionem, necnon omnes & ſingulas antiquas dicti Ordinis conſtitutiones & ordinationes per eos, ut præfertur obſervari cœptas, quarum etiam tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis haberi volumus (quatenus non ſint revocatæ, nec decretis Concilii hujuſmodi, aut aliis canonicis ſanctionibus contrarientur) auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuò approbamus & confirmamus.

*Et Gen… facul… Reform… Domo… que … tribui…*

§.4. Ac Generali dicti Ordinis Magiſtro nunc & pro tempore exiſtenti, ut ubicumque locorum quaſcumque ejuſdem Ordinis Reformatas Domos & Eccleſias canonicè erigere & inſtituere liberè & licitè valeat, ſimiliter perpetuò concedimus & indulgemus, ac etiam plenam, liberam & omnimodam licentiam, auctoritatem & poteſtatem tribuimus & impartimur.

*Hanc … Congrega… nem, … nerali O… nis, ali… Prælati… taliter … ponit.*

§.5. Ceterùm ne prætextu Reformationis hujuſmodi unitatem dicti Ordinis aliquo tempore perturbari contingat, omnia & ſingula domos, Eccleſias & alia regularia loca ſub eadem reformatione hucuſque erecta & inſtituta, ac de cetero in perpetuum erigenda & inſtituenda, eorumque omnium & ſingulorum Superiores, fratres, religioſos, & alias perſonas quaſcumque, nunc & pro tempore exiſtentes, perpetuis futuris temporibus ſub ejuſdem Ordinis unitate remanere volumus, illaque & illos Generali Magiſtro, Vicariis Provincialibus, Viſitatoribus, ceteriſque Superioribus dicti Ordinis, præſentibus & futuris, in omnibus, & per omnia perpetuò quoque ſupponimus & ſubjicimus, ita ut Generali Magiſtro, Vicariis, Provincialibus, Viſitatoribus, ceteriſque Superioribus prædictis æquè ac ceteri Ordinis prædicti fratres, & religioſi ſubſint & pareant, nec ab eadem unitate & ſubjectione quovis prætextu, colore vel ingenio, ſeu ullo unquam tempore ſejungere, aut ſeparare, vel eximere præſumant.

*Has lit… ſemper va… das, & … cundum … judicari mandat.*

§.6. Decernentes præſentes literas ſemper, & perpetuò validas & efficaces eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque per quoſcumque Judices, etiam Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios judicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Execut… earum … tat.*

§.7. Necnon mandantes venerabilibus fratribus noſtris Toletan. Iſpalen. & Cæſarauguſtan. Archiepiſcopis, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes hujuſmodi, ac in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipſorum Profeſſorum, vel alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra omnia & ſingula præmiſſa inviolabiliter obſervari, ac ſingulos quos ipſæ præſentes concernunt illis pacificè gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium hujuſmodi tenorem quomodolibet moleſtari. Nos enim eis, & eorum cuilibet quos, quibus, quoties & quando opus fuerit citandi, & ſub cenſuris, aliiſque pœnis in forma conſueta inhibendi, necnon contradictores quoſcumque per ſimiles ſententias, cenſuras & pœnas, appellatione poſtpoſita (ſervata tamen forma Concilii Tridentini) compeſcendi, brachiumque ſeculare, ſi opus fuerit, invocandi, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate

prædicta

prædicta earumdem tenore præſentium concedimus facultatem.

*…ſula …riori …atria.* §.8. Non obſtantibus ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim vigore ipſarum præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis illi, ejuſque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, in genere, vel ſpecie, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie latiſſimè & pleniſſimè, ac ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus cõmuniter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*…anſum… …m fides.* §.9. Et quia difficile foret præſentes literas ad ſingula loca ubi neceſſe fuerit deferri, volumus, & Apoſtolica auctoritate prædicta decernimus, quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manuque, ac ſigillo pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis ipſius Ordinis, ſeu Vicarii ſubſcriptis & munitis eadem fides tam in judicio quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus exhibitis adhiberetur.

*…ctio pœ… …i.* §.10. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrarum abſolutionis, approbationum, confirmationum, innovationis, conceſſionum, roboris, adjectionis, defectuum ſuppletionis, conceſſionis, indulti, impartitionis, voluntatis, ſuppoſitionis, ſubjectionis, decreti, mandati, & derogationis prædictorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*…P.A.2. …13.Aug.* Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. 12. Kalend. Septemb. Pont. noſtri anno ſecundo.

---

…XVI. Revocatio facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum & Religioſorum quoquo modo conceſſarum, cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad officium S. Inquiſitionis hæreticæ pravitatis quomodolibet pertinentes.

*Concordat conſtit. 22. Alexandri IV. quæ eſt ſup. Ne commiſſa, lib. 1.*

*…ta A. D. 1606.* *PAVLVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

*…dium.* ROmanus Pontifex ea interdum, quæ in prædeceſſoribus ſuis temporum, & rerum qualitate id tunc expoſcente, providè pro hæreſum extirpatione ſancita ſunt novis emergentibus rationibus revocat & immutat, aliaque deſuper diſponit & ordinat, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire.

*…s IV. ſuſ… Inquiſito… procedere …ra quoſ… …que ſa… …ares, a… …ab eo… …Superio… …s non eſ… præven…* §.1. Dudum ſiquidem fel.rec. Pius Papa Quartus Prædeceſſor noſter ſua perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuit, ordinavit & declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus Chriſtiani Orbis partibus Inquiſitores hæreticæ pravitatis, tam generales, quàm in quibuſvis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris & Locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium profeſſores & Religioſos, ac etiam alios quoſcumque quovis modo privilegiatos, ac exemptos, de hæreſis crimine quomodolibet ſuſpectos, aut culpabiles, dummodò ab eorumdem profeſſorum & Religioſorum Superioribus, vel Prælatis in cauſis hujuſmodi præventi non fuiſſent, juxta facultates officii Inquiſitionis ipſius pravitatis inquirere & procedere, ac culpabiles & delinquentes repertos ſecundùm canonicas ſanctiones caſtigare atque punire poſſent & valerent, ac aliàs prout in literis ipſius Pii prædeceſſoris latiùs continetur. *tam, ut ſup. in eius con. 51. Paſtoris, lib. 2.*

§.2. Cùm autem rerum uſu compertum ſit, occaſione præventionum hujuſmodi nonnulla interdum impedimenta orta eſſe, quo minus cauſæ hujuſmodi ea qua decet diligentia cognoſcantur: Nos de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum illa de medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac matura deliberatione, hac noſtra etiam perpetuò valitura Conſtitutione omnia, & quæcumque privilegia, indulta, facultates & conceſſiones Generalibus, Superioribus & Prælatis quorumcumque Ordinum, ſive Mendicantium, ſive Clericorum Regularium, cujuſvis Ordinis & inſtituti, etiam dicta conſtitutione non expreſſorum, & quantumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa, approbata, & innovata, & quantumvis etiam longiſſimo tempore obſervata, cauſas ad dictum officium quovis modo ſpectantes cognoſcendi, & terminandi, ſeu in illis quoquo modo ſe intromittendi, quorum omnium & ſingulorum tenores, etiamſi de illis ſpecialis, & expreſſa mentio habenda eſſet, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò caſſamus, revocamus, & abolemus, ipſiſque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ut de cetero quovis quæſito colore, vel prætextu præventionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis, ſeu cognoſcendi, an delationes hujuſmodi calumnioſæ ſint, necne in eiſdem cauſis, tam motis quàm movendis, quoquo modo ſe intromittere, ſeu immiſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, definire, vel terminare minimè audeant, ſeu præſumant, ſimili auctoritate diſtrictiùs inhibemus. *Hic modò Pont. facultas in quibuſcumque Ordinum Prælatis cognoſcendi cauſas Regularium ad officium ſpectantes, quoquo modo conceſſam revocat.*

§.3. Volentes & expreſsè mandantes, ut ipſi Religioſi poſſint, & debeant omnes, etiam Ordinum hujuſmodi profeſſores de hæreſi ſuſpectos, Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus liberè denunciare, abſque eo quod Superiores prædicti perſonas denunciandas, & cauſas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel cauſas retardare audeant, ſeu præſumant. *Regulares omnes Ordinariis, & Inquiſitoribus liberè denunciari mãdat.*

§.4. Inſuper omnes, & quaſcumque cauſas ad dictum officium quomodolibet ſpectantes & pertinentes, coram Generalibus Superioribus, & Prælatis hujuſmodi in quibuſcumque locis exiſtentibus, ac contra quoſcumque Religioſos, ut præfertur exemptos, motas & pendentes, ad nos harum ſerie avocamus, eaſque omnes in ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ipſius pravitatis Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus. *Et cauſis cõtrã ipſis Prælatis pendentes Inquiſitoribus, & Ordinariis committit.*

§.5. Præterea ipſis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus atque mandamus, ut omnes proceſſus, & acta cauſarũ hujuſmodi Inquiſitoribus, ſeu Ordinariis prædictis reſpectivè remittant, & conſignent, necnon profeſſores, fratres & Religioſos ſupradictos, quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos, etiam in viſitatione eſſe noverint, abſque alia conſultatione cum propriis Superioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus reſpectivè denuncient. *Prælatos ad tranſmittendum omnia acta, & omnes regulares de hæreſi ſuſpectos, iiſdem Ordin. & Inquiſitoribus monet.*

§.6. Quod ſi Generales, aliique prædicti præſentibus literis nõ paruerint, eos omnes privationis quarumcumque dignitatum, ſeu prælaturarum, vel officiorum ſuorum Ordinis, ac vocis activæ & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, necnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officii ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque cẽſuras Eccleſiaſticas, etiam excommunicationis majoris latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Nobis, vel à Romano *Contravenientibus pœnas imponit.*

Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipſo incurriſſe.

*Clauſulas hujus bullæ præſervativas apponit.*

§.7. Necnon præſentes literas, licet Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alii quavis auctoritate, dignitate, vel officio, ſeu honore fulgentes, in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, ſemper & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus & declaramus.

*Clauſulas derogatorias addit.*

§.8. Non obſtantibus prædicta, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum, & inſtitutorum quorumcumque juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eiſdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac perſonis, etiam per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem prædictam, & per Nos quovis modo conceſſis, confirmatis & iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus ac aliis omnibus, quæ præſentibus quomodolibet obſtare poſſent, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecifica & expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores pro plenè, & ſufficienter præſentibus expreſſis, & totaliter inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Formam & effectum publicationis preſcribit.*

§.9. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, ne vel aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, illas in valvis ſancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſt. Baſilicarum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac acie Campi Floræ de more affigi & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti, ac poſt publicationem hujuſmodi omnes, & ſingulos quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tranſumptis credi iubet.*

§.10. Quodque earum tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem in judicio & extra ubique gentium & locorum adhiberi volumus & mandamus, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ: & nihilominus, ut ad majorem notitiam ſingulorum, & quorumcumque Religioſorum prædictorum præſentes deveniant, etiam volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, ut in primis proximis futuris Capitulis, ſeu Congregationibus Provincialibus, vel Generalibus, cujuſcumque Provinciæ, tam in Italia quàm extra, præſentes noſtras literas legi, & publicari faciant, & procurent.

*Sanctio pœnalis.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kalend. Septemb. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

*Da:.P.A.2. die 1. Sept.*

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti 1606. indict. 4. Pont. autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli divina Providentia Papæ Quinti, anno ſecundo, die verò 3. menſis Octobris, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Ioan. Baptiſtam M:rochium, ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.*

---

## Quod Fratres Congregationis Capuccinorum Ordinis S. Franciſci in Regnis Hiſpaniarum, ſervata forma ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, cæteris non obſtantibus, nova loca recipere poſſint.

*Congregationem iſtam approbavit Clemens VII. in ſua conſtitut. 21. Religionis, ſuprà lib.2. ubi alia de eadem Congregatione indicavi: habes etiam hic conſtitut.54. Eccleſiæ.*

Attende narrata ſup. ad Conſtit. 9. hujus Pont. Sanctiſſimus.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

AD uberes & ſuaves fructus, quos dilecti filii Congregationis Capuccinorum, Ordinis S. Franciſci fratres in Eccleſia militanti, cujus regimini divina diſponente clementia præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem convertentes, ac uberiores ex ipſa Congregatione fructus in dies proventuros eſſe ſperantes, ad ea meritò libenter intendimus, quæ ipſius Congregationis Capuccinorum augmento conducere poſſunt; quæ verò illi in hoc impedimentum aliquod afferre dignoſcuntur, è medio tollere procuramus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

§.1. Idcircò pro parte Procuratoris generalis prædicti Ordinis, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpoſitorum, ejuſdem Ordinis fratrum Capuccinorum Superioribus, ut ubique locorum in Regnis Hiſpaniarum nova Monaſteria, ſeu Domos, ſervata tamen forma in iis recipiendis Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, accipere liberè & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus, & indulgemus.

§.2. Non obſtantibus felic. record. Clementis Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Quoniam ad inſtituta, ſub Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Julii 1603. Pontificatus ſui anno 12. aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & cujuſvis alterius Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis aliis Ordinibus, ac eorum Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§.3. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, &c. die 5. Septemb. 1606. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

---

## Juriſdictio & facultates Auditoris Curiæ cauſarum Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. XXVIII

*Hoc officium antiquiſſimum & præſtantiſſimum eſt, & vetuſtior bulla, qua de ſpeciali hujus Tribunalis juriſdictione haberi potuit, eſt 7. Innocentii VIII. ſuprà lib.1. Ultra quam poſui aliam Pii IV. num.33. Ad eximiæ, lib.2. ut quiſque ex illis, & iſta dignoſcat, quàm auctæ ſint hujus Auditoris juriſdictiones. Scias etiam ad ejus*

juriſdi

*juriſdictionem ſpectare omnes cauſas Confraternitatis Miſericordiæ de Urbe, ut in ejuſdem Innocentii VIII. conſtitut. 16. Inter, ſuprà libro primo, & etiam Archiconfraternitatis Sancti Rochi, ut in prædicti Pii Quarti conſtitut. 26. Regimini, lib. 2.*

Hujus autem Tribunalis reformationem primò edidit Pius IV. in conſt. 56. Inter multiplices, ſup. lib. 2. Et deinde Pius V. in conſtit. 113. Inter illa, eod. lib. Ac poſtremò Paulus V. infrà in ejus conſtitut. 71. Univerſi, §. 4.

*[...]itio A. D. 1606.*

PAULUS EPISCOPUS, *Servus ſervorum Dei: Dilecto filio Magiſtro Petro Paulo Creſcentio Presbytero Romano, utriuſque Iuris Doctori, Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, Notario & familiari noſtro, ſalutem & Apoſtol. benedictionem.*

*[...]ordium.*

EXimiæ fidelitatis & prudentiæ, necnon onerosa, ac grata devotionis & familiaritatis obſequia, quæ Nobis, & Apoſtolicæ Sedi jamdudum impendiſti, & de præſenti aſſiduis ſtudiis impendere non deſiſtis, generis quoque nobilitas, literarum ſcientia, & ingentes animi dotes, quibus clarere dignoſceris, jam exinde conceptam in nobis ſpem, & expectationem majorem accendunt, ac pollicentur haud dubiè, quod ea quæ tibi, etiam de cætero duxerimus committenda, etiam quàm maxima arduaque negotia, eo majori prudentia, ac diligentia exequeris, quo perſonam tuam in poſterum condignis honoribus, gratiis, & favoribus magis propriis à Nobis cognoveris decoratam.

*[O]fficium Auditoratus vacavit per promotionem Marcelli Lantes ad Cardinalatum.*

§. 1. Cum itaque officium generalis Auditoratus, ſeu Audientiæ cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, quod nuper dilectus filius noſter Marcellus S. R. E. Cardinalis Lantes nuncupatus, tempore aſſumptionis de ejus perſona ad Cardinalatus honorem per nos nuper de fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate factæ obtinebat, ex eo quod illud per aſſumptionem prædictam harum ſerie vacare decrevimus, & per decretum hujuſmodi vacet ad præſens.

*[Qu]od modò Petro Paulo Creſcentio, ob eius virtutes hic laudatas confertur.*

§. 2. Nos volentes te literarum Apoſtolicarum majoris præſidentiæ Abbreviatorem, & in illarum expeditione dilecto filio noſtro Alexandro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Montalto nuncupato, ejuſdem S. R. E. Vicecancellario aſſiſtentem, ac in utraque Signatura noſtra Referendarium, etiam continuum Commenſalem noſtrum, quem ad tanti Officii regimen, & miniſterium duximus aſſumendum, & in illius aſſecutione cæteris anteponendum, favore proſequi gratiæ ſpecialis, Teque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon ſingulorum privilegiorum, indultorum, facultatum prædicto, & quibuſcumque aliis Officiis, Collegiis, Tribunalibus, & locis piis Urbis, eorumque Judicibus, Rectoribus, & Protectoribus, ac aliis perſonis quomodolibet, & quandocumque, etiam ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus, & formis conceſſorum, ac ſcripturarum, aliarumque literarum deſuper confectarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, de tuis probata fide, integritate, & diligentia plurimùm in Domino confiſi.

*Cum omnibus iuribus, emolumentis, & iuriſdictionibus ſolitis. & cum infraſcriptis videlicet.*

§. 3. Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtris, Officium prædictum, ſive ut præmittitur, ſive aliàs quovis, quem haberi volumus pro expreſſo, modo vacans cum Officio Correctoriæ, ſeu Correctoris Archivii dictæ Curiæ, & aliis illi annexis, ac omnibus & ſingulis illius honoribus, præeminentiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, juriſdictionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, necnon (ſalva diſmembratione, & ſeparatione ſex millium ſcutorum annuorum monetæ Romanæ, decem Juliis ejuſdem monetæ pro quolibet ſcuto hujuſmodi computatis, ex fructibus dicti Officii Auditoratus per felic. record. Sixtum Papam V. prædeceſſorem noſtrum factis, ſeu ſex millibus ſcutis prædictæ Cameræ aliàs applicatis, ſalvis remanentibus) cum juribus, regalibus, proventibus, obventionibus, & emolumentis conſuetis, ac debitis, facultatibuſque & indultis, ac decretis, etiam in ordine, & modo procedendi in cauſis præfato Marcello Cardinali, & aliis qui pro tempore fuerint, cauſarum Curiæ hujuſmodi generalibus Auditoribus, ac per piæ mem. Julium II. Leonem X. Clementem VII. Paulum III. & Julium etiam III. ac prædictum Sixtum, & Gregorium XIV. alioſque quoſcumque Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, ſub quibuſcumque tenoribus, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, tam in forma brevis quàm ſub plumbo expeditis literis, ac aliàs ex uſu, ſtylo, conſuetudineque quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & aſſignamus. Teque ad tui vitam noſtrum, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, ac dilecti filii noſtri Petri tit. S. Joannis & Pauli, Presbyteri Cardinalis Aldobrandini nuncupati, moderni, & pro tempore exiſtentis ipſius S.R.E. Camerarii, & cauſarum Curiæ Cameræ hujuſmodi generalem Auditorem, cum honoribus, oneribus, præeminentiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, juriſdictionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, conceſſionibus, indultis, juribus, regalibus, emolumentis, facultatibus, & decretis prædictis, eiſdem auctoritate, & tenore conſtituimus & deputamus, ac in locum dicti Marcelli Cardinalis quoad hujuſmodi Auditoratus Officium, ejuſque liberum exercitium quoad vixeris ſubſtituimus, & ſubrogamus.

*In cauſis criminalibus abſque irregularitate ſe immiſcendi.*

§. 4. Teque ad Auditoratus, & Correctoriæ officia hujuſmodi, & eorum liberum exercitium, ac omnia & ſingula prædicta ex nunc admittimus, & recipimus, & per Petrum Cardinalem modernum, ac pro tempore exiſtentem Camerarium prædictum, necnon dilectos filios dictæ Cameræ Præſidentes, Clericos, ceteroſque ad quos ſpectat, & ſpectabit, tam in Camera quàm extra eam, recipi & admitti, atque tibi de juribus, regalibus, jocalibus, taxis, proventibus, obventionibus, emolumentis, & aliis ſupradictis integrè reſponderi, & ſatisfieri mandamus, ac volumus, & etiam præcipimus. Tibique indulgemus, quod ſi te in quibuſcumque cauſis criminalibus, etiam ubi pœna ſanguinis, & ultimi ſupplicii imponenda erit, ſeu imponetur, aut de hujuſmodi cauſis tractandum fuerit, in poſterum aliquando contigerit immiſcere, nullam ob irregularitatis, vel inhabilitatis cujuſcumque, ſeu aliam cenſuram Eccleſiaſticam, aut infamiæ maculam, ſive notam, nec alia incurras impedimenta, dummodo ſententiam ſanguinis per te ipſum non feras, neque votum ſubſcribas.

*Cauſas per Locumtenentes cognoſcendi.*

§. 5. Ac etiam tibi, per te, ſeu alium, vel alios, idoneum, vel idoneos Locumtenentem, ſeu Locatenentes, & Officiales, vel Viceſgerentes tuos, quos, & quando pro tempore duxeris aſſumendos, aut deputandos, de omnibus & ſingulis cauſis, modis, & formis infraſcriptis cognoſcendi & decidendi facultatem concedimus per præſentes.

*In cauſis oblig. Cam. præterquam in litibus alibi introductis, & inter Cives Rom. iuxta Bullã Pii IV. cit. in rubr. procedendi.*

§. 6. Quod tu videlicet, tam in cauſis obligationum in forma Cameræ, quàm in forma juris Guarentigiæ, vel Ripæ, vel Ripettæ celebratarum, ac etiam in aliis obligationibus in quibus, etiam abſque obligatione in forma Cameræ debitores conſenſerint, in mandatum exequutivum unica citatione, vel etiam ſine citatione, & quarum obligationum, vel conſenſuum vigore in aliis Tribunalibus executivè, vel per relaxationem mandatorum proceditur quovis modo, ſolus, præterquam inter Cives Romanos, inter quos privilegium, ſeu conſtitutionem ultimo loco per recol. mem. Pium Papam IV. ſimiliter prædeceſſorem noſtrum in favorem Populi Romani motu proprio factã ſervari volumus. Alii verò quicumque etiam Romanæ Curiæ Judices in ſimilibus cauſis nullatenus, nulloque modo procedere poſſint: ac de omnibus & ſingulis obligationibus in forma Cameræ

ubivis locorum, & inter quaſcumque perſonas factis, vel faciendis, iis dumtaxat exceptis, quæ in dependentibus à litibus, & cauſis in eadem Camera, aut coram aliis Judicibus pro tempore introductis, factæ & receptæ fuerint, & tunc non per viam cenſurarum, ſed per viam mandati executivi.

*Eaſque à quibuſcumque Iudicibus præterquam commiſſas per ſpeciale reſcriptum de oblig. Cam. mentionem faciens, & cauſas Capitolinas inter Cives Romanos venientes reaſſumendi.*

§.7. Itaut quaſcumque cauſas quæ de cætero perpetuis futuris temporibus in eadem Curia ſuper ipſis obligationibus, aliiſque omnibus ſupradictis, in alio quàm Auditoratus hujuſmodi Tribunali, præterquam in vim ſpecialis commiſſionis noſtræ de dictis obligationibus ſpecialem mentionem facientis motæ fuerint, in illarum ſtatu, gradu, & terminis in quibus reperientur, tua ordinaria auctoritate, exceptis dumtaxat cauſis Curiæ Capitolinæ contra dictos Cives Romanos pro tempore juxta formam dicti privilegii motis, reaſſumere, & etiam Judicibus quibus fuerint commiſſæ, ac coram quibus illæ pendebunt, ne in eis, aut de illis quoquo modo, aut quovis quæſito colore, directè vel indirectè, illiſque ac omnibus, & ſingulis quibuſcumque aliis Judicibus, eorumque Locatenentibus, ac Auditoribus, tam Eccleſiaſiaſticis, quàm ſæcularibus, ne in executionibus, ac proceſſibus prædictarum obligationum, ac contractuum, de cetero contra tenorem præſentium ad inſtantiam cujuſvis perſonæ, Collegii, Univerſitatis, Capitulorum, & quorumvis etiam privilegiatorum, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, indignationiſque noſtræ pœnis, ac partibus ipſis, & Notariis, Procuratoribus, Sollicitatoribus, Executoribus, ac Officialibus, ſub eiſdem cenſuris & pœnis, ac privationis officiorum ſuorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, necnon quingentorum ducatorum, Fiſco & eidem Cameræ applicandorum, refectioniſque expenſarum partibus arbitrio tuo, & nullitatis proceſſuum inde ſequentium, & ſequutorum quovis modo, directè vel indirectè ſe intromittere præſumant, inhibere; & quicquid ſecus ſuper his contigerit attentari, irritum & inane exiſtat, & eſſe cenſeatur, prout ita decernimus.

*Solus vigore oblig. Cam. cenſuras promulgandi.*

§.8. Quodque tu ſolus vigore dictarum obligationum cenſuras Eccleſiaſticas promulgare.

*Cauſas omnes ſpirituales, & etiam omnium Curialiũ, Communitatum, Mercatorũ, & penſionũ cognoſcendi.*

§.9. Necnon omnes, & ſingulas ſpirituales, Eccleſiaſticas, ac profanas, & quorumvis etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, eorumque ac noſtrorum familiarium, & continuorum commenſalium, necnon quorumcumque Prælatorum in ipſa Curia degentium, ac etiam Imperatoris, Regum, Principum, ac Communitatum, & Univerſitatum, eorundemque Principum Oratorum, necnon dictæ Curiæ officialium eandem Curiam ſequentium, ac familiarium eorumdem, & ipſius Curiæ cauſarum hujuſmodi Auditoris Notariorum, & eorum familiarium, Campſorum quoque, & quorumvis mercatorum, ac penſionum annuarum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, ac eorum fructuum, etiam loco penſionum hujuſmodi reſervatorum & aſſignatorum, etiamſi eorum, & earum ſolutio non ſit in prædicta Curia, ſed in partibus facienda, & quaſcumque alias, etiam commiſſarias cauſas, tam civiles quàm (abſque alicujus irregularitatis, ſeu inhabilitatis, aut infamiæ, vel cujuſvis alterius ſententiæ, cenſuræ, & pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu) criminales, & mixtas, conjunctim, vel diviſim in eadem Curia, quomodocumque, vel qualitercumque motas, & movendas, ac inter quaſcumque partes, etiam per viam inquiſitionis, aut ex officio quomodolibet pendentes.

*Cauſas appellationum à ſententiis Iudicum urbis, (Vicario, Gubernatore & Senatore, ac Iudicibus Capitolii exceptis) necnon à quibuſcumque Iudicibus extra Curiam latarum cognoſcendi.*

§.10. Et quæ per appellationem à gravaminibus illatis, & inferri comminatis, ſeu ſententiis definitivis, vel interloquutoriis, à quibuſvis Judicibus Ordinariis, & Arbitris, atque Arbitratoribus, in Curia, & Urbe prædictis (Vicario noſtro, ac Gubernatore, & Senatore Urbis, Judicibuſque Capitolinis dumtaxat exceptis) ac extra eaſdem Curiam, & Urbem, à quibuſcumque Judicibus Ordinariis, vel delegatis, ſeu Arbitris, vel Arbitratoribus, ac etiam dictæ Sedis Legatis, & eorum Vicelegatis, in Terris eidem Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectis, aut aliis eorum Gubernatoribus, vel Officialibus, & quibuſvis in feudum, ſeu Vicariatum, ſeu aliàs quomodolibet conceſſis, & pro tempore latis, & promulgatis interpoſitam, ſeu aliàs eandem Sedem per viam reclamationis judicialis, vel extrajudicialis, aut nullitatis, vel recurſus, à quibuſcumque ſententiis quorumcumque Ordinariorum, etiam extra Statum Eccleſiaſticum hactenus devolutæ ſunt, & inpoſterum devolventur.

*Hoc in[illegible] telligi [illegible] reform. [illegible] IV. cit. [illegible] rubr.*

*In cauſi[illegible] excedenti[illegible] valorem [illegible] catorũ [illegible] & in [illegible] Mercato[illegible] Tribuna[illegible] uſque ad quamcum[illegible] que ſum[illegible] ſummari[illegible] in omnib[illegible] aliorũ [illegible] prout in b[illegible] neficialib[illegible] procedend[illegible]*

§.11. Eas videlicet in quibus non agetur ultra ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera, aut de re verum valorem prædictæ ſummæ non excedente, ſeu quæ inter, & contra mercatores dictæ Curiæ pro quibuſcumque negotiis ad quamcumque ſummam aſcendant, & pro Notariis tuis, ac inter, & contra ipſos, ac eorum familias pro tempore vertentur, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola veritate inſpecta, & manu Regia, abſque obſervatione terminorum qui de ſtylo, ſeu ordinatione Palatii Apoſtolici, aut aliàs obſervari conſueverunt, ſeu conſueverint, etiam privativè quoad alia Tribunalia, alias verò ſummam prædictam, aut illius valorem excedentes, ac inter, & contra alios quam mercatores vertentes, ſervatis terminis, & aliàs ſummariè, prout in beneficialibus, eiſdemque terminis quomodocumque malè, & nulliter, præpoſterè, & confusè tentatis, pro minore partim diſpendio, etiam unico contextu, citatione, & audientia reïteratis, etiam per affixionem citationum pro tempore faciendarum, ad valvas ipſorum citandorum habitationis, quoad obligatos in forma Cameræ, ſeu Guarentigiæ, Ripæ, Ripettæ, ac aliis ſupradictis formis executivis, & quoad alios aliter obligatos, ubi non agetur de majore quàm de viginti ducatorum ſumma, audire, cognoſcere, decidere, & fine debito terminare.

*Cauſas [illegible] nium deli[illegible] ctorum [illegible] in Urbe, [illegible] extra [illegible] Curialiũ [illegible] exemptorũ [illegible] gnoſcendi.*

§.12. Necnon de omnibus & ſingulis quibuſcumque, & quantumcumque enormibus criminibus, delictis, & exceſſibus, tam in Urbe, & Curia prædictis, quàm extra eas per quoſcumque, tam ejuſdem Curiæ atque Sedis Officiales, quàm dictam ſedem ſequentes, & alios etiam à juriſdictione Ordinariorum exemptos, ac dictæ Sedi immediatè ſubjectos, cujuſcumque Eccleſiaſticæ, vel mundanæ dignitatis, etiam Epiſcopalis, Archiepiſcopalis, primatialis, vel majoris, & per quoſcumque alios, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, perpetratis vel perpetrandis, tam ad Procuratoris Fiſcalis denunciationem, & promotionem, quàm etiam partium accuſationem, vel etiam inſtigationem, ſeu ex mero officio, & quoad omnes privativè, per Notarios tuos, eorumque Subſtitutos, ac inter & contra eos, ac alios in eorum officiis, & intus ea ſolùm inquirere, & ſuper illas, tam per viam inquiſitionis quàm accuſationis, ſeu denunciationis, & inſtigationis hujuſmodi procedere, & culpabiles repertos, juxta ſuorum exceſſuum exigentiam & qualitatem, quovis modo, abſque alicujus irregularitatis, aut alterius cenſuræ Eccleſiaſticæ hujuſmodi incurſu punire.

*Monitori[illegible] contra Epi[illegible] ſcopos ad p[illegible] ſonaliter [illegible] parendũ, [illegible] via Papa[illegible] miſſione [illegible] cernendi.*

§.13. Ita tamen quod monitoria contra Epiſcopos, vel alios eorum Superiores prædictos ad comparendum perſonaliter, nonniſi prævia commiſſione manu noſtra ſignata decernas.

*Literas Ap[illegible] ſtolicas ſi[illegible] vel datis [illegible] executori[illegible] cumulativ[illegible] exequendi.*

§.14. Et inſuper, quod quaſcumque literas Apoſtolicas, generales & particulares, tam ſub plumbo etiam per officium Audientiæ noſtrarum literarum contradictarum, ac per Officium minoris gratiæ, quàm in forma Brevis expeditas, & quarum ſolam ſignaturam ſufficere conceſſum fuerit, ſupplicationes per Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, aut in ejuſdem Pontificis, ſeu noſtra præſentia ſignatas, necnon literas pro tempore exiſtentium Camerarii, & Pœnitentiarii majoris noſtrorum (dummodo in illis, & literis Apoſtolicis prædictis alii executores deputati non fuerint) ſolus, in quibus verò deputati erunt, cumulativè cum illis exequi, & ſuper illis proceſſus debitos in forma ſolita, etiam cum promulgatione cenſurarum in ſimilibus promulgari ſolitarum decernere.

*Sententia[illegible] quorumcur[illegible] que Iudicu[illegible] in Curia [illegible] extra la[illegible] rum, & p[illegible] ceſſum.*

§.25. Ac per te tuoſque Locumtenentes, ſeu Viceſgerentes, & Officiales, aut deputatos, & quoſvis alios, tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares Judices, & tam delegatos, quàm ſubdelegatos, ac etiam cauſarum dicti Palatii Auditores, vel alios, aut Romanum Pontificem pro

tempore

tempore exiſtentem, tam in genere, quàm in ſpecie, ac aliàs quomodolibet in eadem Curia, & extra eam pro tempore latarum ſententiarum, necnon quorumcumque proceſſuum, generalium, vel ſpecialium, tam in die Cœnæ Domini, quàm aliàs, cum cenſurarum, & pœnarum Eccleſiaſticarum fulminatione fieri ſolitorum executionem, quas etiamſi delegatis, aut ſubdelegatis prædictis, vel quibuſvis aliis, etiam ſpecialiter per Nos, & Sedem prædictam commiſſæ fuerint, tibi cumulativè, & non privativè commiſſa eſſe volumus, atque decernimus, ſervatis terminis in Tribunali Auditoris Cameræ hujuſmodi ſervari ſolitis, etiam ſingulis diebus & horis, prout in Ordinariis conſuetum eſt facere, illaſque & illos debitæ executioni, etiam ſi opus fuerit, cum auxilii brachii ſæcularis invocatione demandare.

§.16. Ac quaſcumque Communitates, Univerſitates, Collegia, Capitula, necnon etiam extra dictam Curiam degentes perſonas, pro debitis per eas in eadem Curia contractis, aut ſalario, ſeu contractu in ipſa Curia inito; degentes verò in eadem Curia, ſeu Curiales Eccleſiaſticos, ſæculares, vel regulares, etiam ab ipſa Curia abſentes, cujuſcumque gradus, ſtatus, ordinis, & etiam Pontificalis dignitatis, vel præeminentiæ exiſtentes, pro quibuſvis rebus, & pecuniarum ſummis, ad quorumvis etiam abſentium, quorum intererit pro tempore inſtantiam, quoties expedierit, etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè, & extrajudicialiter de non tuto ad eos acceſſu, ad ſatisfaciendum eorum debitis, & præſtandum ea ad quæ pro tempore tenebuntur, monere, & citare.

§.17. Ac litteras quaſcumque remiſſoriales, & compulſoriales, tam generales, quàm ſpeciales, ubi & quoties opus fuerit, arbitrio tuo decernere.

§.18. Necnon etiam in vim Eugenianæ in favorem Curialium emanatæ, ac Leoninæ conſtitutionum, & pro cujuſque illarum extenſione inhibere.

§.19. Ac monitoria, citationes, & inhibitiones ad partes, etiam per ſimile edictum decernere, eos quoque arreſtare, & carcerare, ac ſi tibi videbitur, quaſcumque pœnas, & mulctas eodem arbitrio tuo dimittere, & relaxare, atque pro delictorum & exceſſuum, necnon criminum qualitate quibuſvis pro tempore delinquentibus per te, tuoſque Locumtenentes, Viceſgerentes, & officiales infligere, & imponere.

§.20. Necnon quoſlibet inobedientes excommunicare, & à divinis ſuſpendere, generaliter, vel ſpecialiter interdicere, ac ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas per te, & Locumtenentes, ac alios tuos prædictos pro tempore latas, etiam iteratis vicibus aggravare.

§.21. Et quod à te, vel Locumtenentibus, & aliis prædictis pro tempore excommunicati, ſeu aliàs cenſurati, ab aliis quàm à te, vel Locumtenentibus, & aliis tuis hujuſmodi, etiam de partium conſenſu, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi non poſſint, ad evitandas colluſiones ſtatuere.

§.22. Et cùm tibi viſum fuerit expedire, Communitates, Univerſitates, Collegia, Capitula, & perſonas quaſcumque à quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ac mulctis Eccleſiaſticis, ſpiritualibus, vel temporalibus, tam per te, & Locumtenentes, ac alios tuos præfatos, quàm per alios inflictis, in diebus Paſchalibus, & Natalitiis, cum reincidentia abſolvere, necnon ſententias, cenſuras, & pœnas, ac mulctas hujuſmodi, & quæcumque interdicta ſuſpendere, tollere, & eis relaxare.

§.23. Obligationes quoque in forma Cameræ, etiam per mortem debitoris, quoad illius bona tantùm, etiam per viam confeſſionis debiti, per aliquem ex Procuratoribus in qualibet obligatione conſtitutis more ſolito faciendas, & hæredibus legitimè citatis, ſeu aliàs arbitrio ſuo exequi, & executioni demandari facere.

§.24. Et generaliter omnia & ſingula, quæ ad officium Auditoris cauſarum Curiæ hujuſmodi de jure, vel ex privilegio, aut uſu, ſeu literis, & conſuetudine prædictis olim ſpectabant, & quæ illi qui pro tempore fuerunt cauſarum Curiæ hujuſmodi Auditores, juxta conceſſas eis facultates facere, & decernere, mandare, ſtatuere, ordinare, & exequi quomodolibet poterunt, ſeu conſueverunt facere, dicere, mandare, ſtatuere & ordinare, decernere & exequi, liberè & licitè valeas. Proceſſus, & ſententias quas tu, & Locumtenentes, ac alii à te deputati prædicti pro tempore habueritis, & tuleritis, ac reliqua omnia quæ in præmiſſis, & circa ea, aut quodlibet eorum feceritis, dixeritis, mandaveritis, ſtatueritis, & ordinaveritis, rata ac grata habituri, ac facturi, ea omnia auctore Domino, ab omnibus uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

*Indulta omnia Auditoris innovantur, iteratoque tenentur.*

§.25. Inſuper eiſdem auctoritate, & poteſtatis plenitudine, tam litteras Julii II. Leonis X. aliorumque prædeceſſorum hujuſmodi, quàm omnia & ſingula privilegia, indulta, facultates, juriſdictiones, & gratias officio Auditoratus, & Auditoribus prædictis quomodolibet conceſſa, ac cum omnibus & ſingulis in eiſdem contentis clauſulis ſingulas deſuper confectas literas, quorum omnium, & ſingulorum, ac literarum prædeceſſorum hujuſmodi tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pariter præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate, & tenore prædictis approbamus, confirmamus & innovamus, ac illa perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere decernimus, eaque omnia & ſingula ad Officium Auditoratus, & pro tempore exiſtentem Auditorem hujuſmodi, perinde ac ſi in eis ſpecialiter, & expreſsè, ac in individuo, & pro eis, ſeu in illorum favorem ſtatuta, & ordinata fuiſſent, harum ſerie extendimus & ampliamus.

*Dilationes per quoſcumque conceſſa obligatis in forma Cameræ non proſunt.*

§.26. Quodque conſtitutiones quæ *Odoardus*, & *Pervenit*, incipiunt, & quævis alternativæ, ſeu moratoriæ, & dilationes, etiam ſalinariæ, per quoſcumque etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Clericos Cameræ, & ipſius Cameræ Camerarium pro tempore decretæ, quoad obligatos ut ſuprà, tam reſpectu bonorum quàm perſonarum nullatenus proſint.

*Cauſa diſcuſſionis ubilibet pendentium, & appellationes non facientes mentionem de obligat. Camerali, executionem non retardant.*

§.27. Quinimò obligationes prædictæ debitæ executioni demandentur, & etiam poſt mortem debitoris quoad bona, etiam quacumque appellatione, & ſuperinde obtenta commiſſione de hujuſmodi obligatione expreſſam mentionem non faciente, aut diſcuſſione hæreditatis ubilibet pendente, ſi per creditores data fuerit idonea cautio in forma depoſiti de reſtituendo id quod receperint, prioribus, & potioribus creditoribus in eventum ſuccumbentiæ, non obſtantibus.

*Præcedentia A. C. in Capella Papæ, & actibus publicis.*

§.28. Ac etiam, quod tu Auditor in Capella noſtra, & aliis actibus, tam publicis, quàm privatis, primum locum poſt dictum Gubernatorem, & Oratores Principum, ſi Prælati fuerint, habeas, volumus, ſtatuimus & ordinamus, tibique pariter indulgemus.

*Contradictores in prædictis coërcet.*

§.29. Ac ſimiliter tibi contradictores, & rebelles, tibique in præmiſſis non parentes, opportunis juris remediis compeſcendi, & ad id, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſæcularis invocandi, ceteraque in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna, tam in dicta Urbe, quàm ubique locorum faciendi, & exequendi, juxta facultates aliàs tunc ad officium Auditoratus hujuſmodi attinentibus attributas.

*Carcerati vigore ſuorum mandatorum etiam extra Curiam relaxat, juxta Pauli III. conſtit. 44. ſup. lib. 1. & conſt. 61. Pii V. lib. 2.*

§.30. Necnon pariter tibi, tuiſque in officio Auditoratus hujuſmodi ſucceſſoribus quoſcumque pauperes extra Romanam curiam pro debitis civilibus, & vigore tuorum, & pro tempore exiſtentis Auditoris Cameræ mandatorum carceratos, tuo & tuorum in officio Auditoratus ſucceſſorum hujuſmodi arbitrio, juxta facultates deſuper Viſitatoribus carcerum Urbis prædictæ per conſtitutiones piæ mem. Pauli III. & Pii V. Romanorum Pontificum pariter prædeceſſorum noſtrorum, ad favorem pauperum carceratorum editas relaxandi, & relaxari faciendi.

*Miſerabiles perſonas in cauſarũ diſcuſſione cæteris præfert juxta Bullã Pii V. n. 7. ſ. ceptimali lib. 2.*

§.31. Necnon quoſcumque pauperes, & verè miſerabiles in cauſis tui Tribunalis, tam motis quàm movendis, pro tempore comparentes, conſtito prius ſummariè & extrajudicialiter quantum tibi ſufficere videbitur de eorum paupertate & miſeria, ad ſatisfactionem crediti, cujus creditores fuerint, uſque ad ſummam quinquaginta ſcutorum incluſivè, pro quolibet creditore paupere, & miſerabili hujuſmodi, etiamſi cæteris creditoribus priores, & potiores non extiterint, admittendi, ac eis de ipſo eorum credito ſatis-

faciendi

facienſdi, & ſatisfieri faciendi, & mandandi realiter, & cum effectu.

*In Curia & extra citat &c.*

§. 32. Præterea quoſcumque, ubi & quando, ac quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè, & extrajudicialiter de non tuto acceſſu, ac etiam ſub Eccleſiaſticis cenſuris, & pecuniariis, aliiſque pœnis imponendis, moderandis & applicandis, citandi, monendi, & inhibendi, ac in eventum non paritionis, ſententias, & pœnas hujuſmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi, excommunicandi, interdicendi, auxiliumque brachii ſæcularis, ſi opus fuerit, invocandi, perpetuum quoque ſilentium, omni & quacumque appellatione, & recurſu remotis, deſuper imponendi, ac alia omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, & exercendi, juxta conceſſionum aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum deſuper ipſum Auditoratus officium obtinentibus, ut præmittitur, factarum tenorem, plenam, & liberam, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus, & impartimur facultatem, & poteſtatem, ac ita tibi mandamus, ſtatuimus, & ordinamus.

*Cauſas Cambiorum ſiccorum in Urbe cognoſcit, juxta Bullam 1. Pii, tom. 2.*

§. 33. Poſtremò, ut omnes & quaſcumque cauſas, tam per te quàm Locumtenentes, & alios deputatos tuos prædictos, ſuper omnibus, & ſingulis articulis, negotiis, & cauſis in conſtitutione, ſeu motu proprio per prædictum Pium prædeceſſorem, pro pecuniis ad cambium, & recambium uſurario, & malo modo per mercatores dictæ Urbis accipiendis, factis, contentis, & dependentibus ab eis, prout pro ſingulorum caſuum circumſtantiis aliàs de jure tibi faciendum videbitur, non obſtante facultate ſub forma motus proprii per prædictum Pium prædeceſſorem in favorem dicti Gubernatoris conceſſa, partibus juſtitiam miniſtrando, audiendas, in quibus non tanquam ſpecialis Commiſſarius, ſed prout Auditor Cameræ hujuſmodi in ſimilibus cauſis, juxta tenorem facultatum ſuarum, & ordinarium ejus Curiæ ſtylum conſuevit, procedas, cum poteſtate citandi & inhibendi, ac quaſcumque inhibitiones per dictæ Urbis Gubernatorem decretas revocandi, & criminalitates contra mercatores tollendi, aliaſque & alia quæ in præmiſſis, & circa ea fuerint neceſſaria, & quomodolibet opportuna faciendi, & aliàs in omnibus, & per omnia, juxta conceſſionum per eoſdem Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ſuo tempore Curiæ cauſarum ejuſdem Cameræ generalibus Auditoribus factarum tenorem, per eaſdem præſentes tibi committimus, & mandamus.

*Papa inhibet quibuſcumque Judicibus & perſonis, etiamſi Cardin. fuerint, ne ſe in oblig. Cam. intromittãt.*

§. 34. Mandantes propterea, & diſtrictiùs inhibentes quibuſcumque Judicibus, & perſonis quocũque nomine nuncupatis, ac quovis privilegio munitis, etiamſi ejuſdem S.R.E. Cardinales fuerint, ſub indignationis noſtræ pœna, & interdicti, necnon etiã excommunicationis ſententiis, quas ſi ſecus fecerint, eo ipſo incurrant (& à quibus præterquã in mortis articulo conſtituti, aliàs quàm à Romano Põtifice abſolvi non poſſint) ne in obligationibus ſupradictis, illarumque executionibus, aut aliis præmiſſis contra ipſarum præſentium tenorem quomodolibet ſe intromittere, aut te, vel Locumtenentes, ſeu alios deputatos tuos prædictos ſuper præmiſſis moleſtare præſumant.

*Quodque præſentes literæ non poſſint notari de ſubreptione, &c. neque ſub aliquibus revocationibus cõprehendi.*

§. 35. Ac decernentes eaſdem præſentes literas tibi in omnibus, & per omnia ſuffragari debere, illaſque & in eis contenta hujuſmodi nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controverſiam revocari, aut adverſus eas quodcumque juris, aut facti, vel gratiæ remedium impetrari, minuſque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus eas comprehendi poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antequam illæ emanarent, erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas, etiam ſub quacumque Data per te eligenda, validaſque & efficaces ſemper fore & eſſe, vimque validi & efficacis contractus inter Nos, & Sedem, ac Cameram prædictas ex una, & te ex altera parte ritè & rectè facti, initi, & ſtipulati, ac etiam hinc inde acceptati habere, & obtinere, ac inviolabiliter obſervari debere.

*Decreta irritans ... clauſula ſublata ... nis.*

§. 36. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios etiam S.R.E. Cardinales, & Camerarium dictæ Cameræ, ac Præſidentes, & Clericos, necnon Palatii Apoſtolici Auditores hujuſmodi, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis cauſa & inſtantia, ac ubique locorum judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogat ... amplis... & in ... regulis ... re quaſi ... tollendo ... Bulla Pii ... de regiſt... dis ſubm... qua bul... n. 98. lib. ...*

§. 37. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris, quatenus opus ſit, de non tollendo jure quæſito, necnon revocatoria facultatum ad inſtar non concedendarum, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, etiam per Nos, ac Prædeceſſores, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices quoſcumque, quomodocumque, & quandocumque editis & edendis, & etiam prædicti Pii IV. prædeceſſoris, quod privilegia, conceſſiones, & indulta Cameræ Prædictæ præjudicium quomodolibet concernentia in Camera ipſa intra certum tempus regiſtrari, intimari, inſinuari, & notificari debeant, diſponente. Ita quod ipſas præſentes literas in eadem Camera nullo unquam tempore præſentare, intimare, notificare, regiſtrari facere, ac inſinuare minimè tenearis, niſi ſi, & quando tibi videbitur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam de rebus, & bonis Eccleſiæ & Cameræ prædictarũ non alienandis, ac in illorum alienatione, ſeu conceſſione certas ſolemnitates & formas ſervari debere diſponentibus, ac Curiæ, & Palatii prædictorum ſtylo, necnon Urbis, & Cameræ hujuſmodi, ac quarumcumque aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, reformationibus, etiam novis, & noviſſimis, & decretis, ac ordinationibus, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis quibuſvis Communitatibus, Univerſitatibus, Baronibus, Domicellis, Feudatariis, & aliis quibuſcumque dictæ Sedi mediatè vel immediatè ſubjectis, & quibuſvis aliis quacumque dignitate, etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, & Cardinalatus honore fulgentibus perſonis, ubivis locorum exiſtẽtibus, ac etiam Noſtris, & dictæ Sedis Nuntiis, Legatis etiam de Latere, per Nos, & recolendæ mem. Clementem VIII. ac alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam pro quibuſcumque cauſis, etiam motu ſimili conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, & in poſterum concedendis, confirmandis, approbandis & innovandis. Quibus omnibus & ſingulis, ac omnibus aliis hic non expreſſis, quæ forſan præſentibus obeſſe poſſent, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua mentio habenda, aut aliqua alia certa, & exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat motu & ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac plenè & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, & declaramus, necnon omnibus illis, quæ in præmiſſis, & quibuſcumque deſuper confectis literis conceſſa fuerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Declarat ... derogari C... cilio Trid... tino, n... reformation... nibus Pii I... & V. cit... rubr.*

§. 38. Per præſentes autem non intendimus reformationibus de Auditoratus hujuſmodi, & aliis dictæ Curiæ officiis per Pium IV. & Pium V. prædeceſſores præfatos factis, necnon Concilii Tridentini decretis in aliquo derogare, vel aliàs præjudicare, ſed illas & illa ſalva eſſe, & in ſuo robore permanere, eaque omnia, ac etiam alias quas hodie per alias literas noſtras ſtatuimus, & ordinamus reformationes per te, & ſucceſſores tuos prædictos, atque alios ad quos id ſpectat, ſeu in futurum quomodolibet ſpectabit, omninò & inviolabiliter ſervari volumus, & mandamus.

*Iubet A... jurare de fi... deliter ex... cendo offi...*

§. 39. Et inſuper etiam volumus, quod tu, antequam officium Auditoratus cauſarum Curiæ Cameræ hujuſmodi exercere incipias, de illo fideliter exercendo in manibus prædicti Petri Cardinalis, & Camerarii, ſeu ab eo ad id deputati, aut ejus Locumtenentis ſolitum præſtes juramentum.

§. 40. Quod

§. 40. Quodque præſentium literarum tranſumptis, & exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, & adhiberi, fidemque facere illa debeant, quæ ipſis originalibus adhiberetur, & quam ipſæ facerent, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 41. Tu igitur præfatum Auditoratus cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ officium prompta devotione ſuſcipiens, ſic illud diligenti ſtudio, cura, & integritate exequere, ut tua opera ad Dei laudem, & gloriam, ac earumdem Eccleſiæ, & Curiæ bonum publicum, privatorumque commoditatem, & exemplum laudabile cedant. Teque apud nos, & Sedem prædictam, ut ſperamus, meritò per amplius recommendent.

§. 42. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, aſſignationis, conſtitutionis, deputationis, ſubſtitutionis, ſubrogationis, admiſſionis ſingulorum indultorum, ſtatutorum, ordinationum, facultatum, approbationis, confirmationis, innovationis, extenſionis, ampliationis, decretorum, præcepti, mandatorum, voluntatis, derogationis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. 17. Kalend. Octobris, Pontific. noſtri anno ſecundo.

---

XIX. Quod Moniales Congregationis B. Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, perfruantur gratiis, & exemptionibus à ſuperioritate aliorum Prælatorum d. Ordinis, quibus Monachi d. Congregationis potiuntur.

*Iſtam Congregationem omnium primus approbavit Sixtus V. in ſua conſtit. 32. Religioſos, lib. 2. ubi alia indicavi.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

QUæ regulares perſonas in aliquam controverſiam ex conceſſionibus Apoſtolicis vocare poſſunt, noſtra nos decet auctoritate ſubmovere.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter Congregationem Reformatam Beatæ Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, ejuſque Superiorem Generalem, Abbatemque & Monachos Monaſterii B. Mariæ Fulienſis hujuſmodi, in quo primùm hujus Congregationis regularis obſervantia, & reformatio introducta fuerat, alioſque univerſos eorum Abbates, Monachos, & Religioſos, eorumque Monaſteria, domos, grangias, loca & bona quæcumque, tunc præſentia & futura, ab omni ſuperioritate, juriſdictione, gubernio, regimine, adminiſtratione, ſubjectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emendatione Ciſtercii, Clarevallenſis, & aliorum tunc, & pro tempore exiſtentium Generalium, ac Morimundenſis, & aliorum Abbatum, Prælatorum, & Superiorum ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis, quacumque auctoritate fungentium & functurorum, Apoſtolica auctoritate motu proprio in perpetuum exemit, ita ut nullam omninò juriſdictionem, facultatem & auctoritatem in dictam Congregationem, Abbates, Monachos, Religioſos, Monaſteria & loca, atque bona illius habere, exercere, aut prætendere dicti Generales, & Prælati dicti Ordinis Ciſtercienſis aliquo tempore poſſent.

§. 1. Ipſamque Congregationem Fulienſem, ejuſque Superiorem Generalem, necnon Abbates, Monachos, religioſos, Monaſteria, domos, loca, rés & bona prædicta, ſub immediatam ſuam, & Sedis Apoſtolicæ protectionem, regimen, ſubjectionem, gubernationem, & obedientiam recepit, prout in literis dicti prædeceſſoris in forma Brevis, die 4. Septembris 1599. confectis pleniùs continetur.

§. 3. Cumque poſtmodum idem Clemens prædeceſſor ex certis cauſis ad id animum ſuum moventibus, qui Edmundo à Cruce, tunc ac pro tempore exiſtenti Abbati Monaſterii Ciſtercii, & totius Ordinis Ciſtercii hujuſmodi Præſuli quaſcumque Congregationes ubivis, tam in Hiſpaniarum, ac etiam Portugalliæ Regnis, quàm alibi ubilibet inſtitutas, & quæcumque illarum ejuſdem Ciſtercienſis Ordinis, tam virorum quàm mulierum Monaſteria viſitandi, & reformandi facultatem conceſſiſſet, prout in aliis d. Prædeceſſoris, etiam in ſimili forma Brevis, ſub datum die 15. Januarii 1603. expeditis literis etiam pleniùs continetur, prædictus Clemens prædeceſſor conſiderans, quod ex ſupradictarum literarũ diverſitate facilè dubitare poſſet de ſua intentione, & exinde inter Abbatem Monaſterii Ciſtercii, & d. Congregationis Fulienſis Generalem, alioſque Superiores & Monachos cõtroverſia, & perturbatio exoriri poſſet, volens propterea omnem ambiguitatem in ea parte tollere, ac Congregationem ipſam ab eadem Sede approbatam, & illi immediatè ſubjectam, privilegio Apoſtolicæ gratiæ extollere, ſingulari motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus per alias, etiam in forma Brevis confectas literas, mentem & intentionem ſuam non fuiſſe per dictas poſteriores ſuas literas prioribus ſuis literis prædictis in aliquo derogare, neque adverſus illas prædicto Abbati Monaſterii Ciſtercii juriſdictionem, ſuperioritatem, vel auctoritatem aliquam, aut viſitandi facultatem in Congregationem Fulienſem prædictam, illiuſque Generalem, & alios Superiores, Monachos, Monaſteria, & loca regularia, ac bona quæcumque tribuere, vel impartiri. Quinimò priores ſuas literas prædictas confirmans & innovans, ipſam Congregationem Fulienſem, ejuſque Generalem, & alios Superiores, Monachos, Monaſteria, loca, & bona prædicta in poſterioribus literis ſuis minimè comprehendi debere, ſed ab illis ſemper excepta eſſe, & cenſeri, nec ipſum Abbatem Generalem Ordinis Ciſtercienſis illarum vigore viſitationis munus, aut alium juriſdictionis, ſuperioritatis, vel auctoritatis actum in Congregatione Fulienſi, ejuſque Generali, ac aliis Superioribus, Monachis, Monaſteriis, locis, & bonis prædictis quovis modo exercere poſſe, aut debere declaravit, prout etiam in dictis literis pleniùs continetur.

*Declaravit poſtea facultates datas Abbati Ciſtercienſi, viſitandi varias Congregationes, & loca Ordinis, non præjudicare ſupradictæ exemptioni d. Congregationis Fulienſis.*

§. 4. Cum autem, ſicut accepimus, lites & diſcordiæ inter prædictum Generalem, & alios Superiores dicti Ordinis Ciſtercienſis pro tempore exiſtentes, & Generalem hujuſmodi Congregationis Fulienſis, ſub prætextu quod tam in prioribus, quàm in poſterioribus literis eidẽ Congregationi à prædicto Clemente prædeceſſore noſtro cõceſſis, nulla de Monialibus dictæ Congregationis Fulienſis, quæ ſuſceperunt gerere, & continuò gerunt habitum d. Congregationis, & regularibus illius inſtitutis ſe conformant, & hactenus ſemper fuerunt, & ſunt ſub juriſdictione ipſius Congregationis, mentio facta fuit, oriri formidentur. Nos omnem in præmiſſis dubitandi materiam amputare, & pro majore præmiſſorum dilucidatione, ac litibus & diſcordiis obviare, & dictæ Congregationis quieti conſulere cupientes, necnon dictarum literarum tenores perinde ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, Motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac ex certa noſtra ſciẽtia, harum ſerie declaramus, tam in dicti Clementis, quàm hujus Congregationis confirmatoriis noſtris literis ſub nomine totius Congregationis comprehendi, & comprehenſas eſſe, & cenſeri Abbatiſſas, Prioriſſas, & alias quaſcumque Moniales, quæ gerunt, & in futurum gerent habitum dictæ Congregationis, ac omnibus, & ſingulis exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, & aliis gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus eidem Congregationi per quoſcumque Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac Nos, & ſucceſſores noſtros quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, ac in poſterum concedendis uti, frui, potiri, & gaudere, illaſque ſuppoſitas, & ſubjectas eſſe in omnibus, & per omnia juriſdictioni Superiorum pro tempore exiſtentium dictæ Congregationis, eodem planè modo, quo & omnes ejuſdem Congregationis Monachi, nec ipſum Abbatem Generalem dicti Ordinis Ciſtercienſis viſitationis munus, aut alium juriſdictionis, ſuperioritatis, vel auctoritatis actum

*Et modò hic Pontifex declarat, Moniales quoque comprehendi in dicta exemptione.*

actum, in Abbatiſſas, Prioriſſas, & aliàs Moniales dictæ Congregationis, quovis modo exercere poſſe, aut debere.

*Eaſque itera ò ſupponit regimini Congregationis Fratrum B. M. Fulienſis, & ab aliis omnibus eximit.*

§. 5. Et nihilominus potiori pro cautela ipſas Abbatiſſas, Prioriſſas, & alias quaſcumque dictæ Congregationis Fulienſis Moniales, earumque Monaſteria, grangias, loca, res, & bona quæcumque ab omni ſuperioritate, juriſdictione, gubernio, regimine, adminiſtratione, ſubjectione, obedientia, viſitatione, correctione, & emendatione Ciſtercii, Clarevallenſis, & aliorum nunc, & pro tempore exiſtentium Generalium, ac Morimundenſis, & aliorum Abbatum, Prælatorum, & Superiorum ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis, quacumque auctoritate fungentium, & functurorum, & quantumvis ampliſſimis privilegiis, & facultatibus utentium & uſurorum, Apoſtolica auctoritate, & earumdem tenore præſentium perpetuò eximimus & liberamus, ita ut nullam omninò juriſdictionem, facultatem, & auctoritatem in dictas Abbatiſſas, Prioriſſas, & Moniales, earumque bona quæcumque, tam præſentia, quàm futura, habere, exercere, aut prætendere poſſint Generales, & alii Abbates, & Prælati dicti Ordinis Ciſtercienſis. Et denique illæ etiam exemptæ ſint, quemadmodum Congregatio ipſa, ejuſque Generales, Abbates, & Monachi, per ipſius Clementis prædeceſſoris, & noſtras literas prædictas exempti fuerunt. Sicque per quoſcũque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, ac definiri debere, necnon irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Quæcumque contraria removet.*

§. 6. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens prædeceſſor, & Nos in ſingulis literis prædictis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi iubet.*

§. 7. Et quia difficile foret præſentes literas originaliter ad omnia, & ſingula loca in quibus opus eſſet deferri, volumus, & prædicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut manu Superioris Generalis, & ſigillo ejuſdem Congregationis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 2. die 10. Oct.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 10. Octobris 1606. anno ſecundo.

## XXX. Quod in promotione perſonarum Militiæ, & Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ad magnam Crucem, habeatur ratio meritorum magis quàm antianitatis promovendorum, juxta dictæ Religionis ſtatutum de Electionibus, ſi eſt in uſu.

*De hac regulari militia multa adnotavi ſuprà ad Anaſtaſii IV. conſt. 2. Chriſtiana. lib. 1.*

*Edita A. D. 1606.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Dilectis filiis Magiſtro, & Conſilio Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani.*

*Statuto 5. de Electionibus inter alia cavetur, quod in promotione ad magnã Crucem habeatur ratio meritorum magis, quàm antianitatis reſpectu temporis.*

Accepimus inter alia laudabilia ſtatuta iſtius Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Apoſtolica auctoritate confirmata, ſtatuto quinto de electione providè ordinatum fuiſſe, ut in promotione ad magnam Crucem ratio habeatur meritorum, & ſufficientiæ promovendorum, potius quàm antianitatis, quo fit, ut fratres ejuſdem Hoſpitalis, alioquin ſi jure antianitatis tantum ad aſſequenda beneficia, ac dignitates ejuſdem Hoſpitalis aditũ haberent, onera Religionis minus promptè ſubeuntes, virtute, ac meritis certatim anteire non contenderent.

*Quod Papa præcepit obſervari, ſi eſt in uſu.*

§. 1. Proinde nos hoc ſtatutum in viridi obſervantia retinendum eſſe cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra vobis per præſentes præcipimus, & mandamus, ut ſtatutum prædictum quintum de Electionibus, cujus tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, ſi eſt in uſu, inviolatè obſervari auctoritate etiam Apoſtolica mandetis, & faciatis, itaut occurrente quandocumque aliqua vacatione, atque mutatione dignitatum magnæ Crucis, juxta ipſius ſtatuti diſpoſitionem, magis de ipſo Hoſpitali benemeriti, ceteris licèt antianis, reſpectu temporis, minus tamen benemeritis præferantur, omni exceptione & affectione ceſſante; irritumque decernatis & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Co... non o... tibus.*

§. 2. Non obſtantibus quibuſvis aliis ejuſdem Hoſpitalis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, ac etiam conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis, & indultis, ac literis Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium diſponentibus quibuſcumque.

*Dat. ... die 4. ...*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 4. Decembris 1606. anno ſecundo.

## XXXI. De auctoritate Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, & Commiſſarii generalis Ordinis Fratrum Reformatorum, ſuper Fratribus Minoribus Reformatis, ſeu de ſtrictiori Obſervantia.

*Hos Fratres Reformatos approbavit Clemens VII. ut ſuprà in ejus conſtit. 35. In ſuprema, lib. 2. ubi alia de eis, & toto Ordine S. Franciſci adnotavi.*

*Edita ... 160...*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Dilecto filio Archangelo à Meſſana, Miniſtro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia.*

*Exordium.*

Poſtulat Apoſtolici muneris ratio, quod nullis noſtris exigentibus meritis divina dignatio gerere nos voluit in terris, ut inter ceteras agri Dominici excolendi curas, minimè negligatur reſtitutio diſciplinæ Ordinis regularis, qui meritò, ut flos quidam, & pretioſus lapis, inter Eccleſiæ ornamenta Sanctorum Patrum præconio celebratur, ut quæ humanæ fragilitatis vitio tempore collabuntur, paſtorali vigilantia, divina aſpirante gratia corrigantur.

*Miniſ... neralis ... ctoritas ... omnibus ... Fratrib... etiam ... matis.*

§. 1. Ut igitur B. Franciſci Fratres Minores de Obſervantia nuncupati, quod nomine præ ſe ferunt, in dies magis reipſa præſtent, motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, ut tu, & tui pro tempore ſucceſſores Miniſtri generales, ſuper omnibus reformationibus, & Fratribus Reformatis eandem Ordinariam poteſtatem, quam ſuper aliis ejuſdem Ordinis Fratribus habes, & exerces, ſimiliter habere, & exercere liberè poſſis.

*Miniſ... Provin... reform. ... ctoritas ... Cuſtodi... & refor...*

§. 2. Quodque Miniſtri Provinciales, qui Reformati erunt, ordinariam ſuper Cuſtodibus, & Reformatis ſimiliter habeant, & exerceant poteſtatem.

*Miniſ... Familiæ ... præceda...*

§. 3. Qui verò ex dictis Miniſtris de Familia erunt, eiſdem Cuſtodibus, & Reformatis præcedant, & pro eorum Superioribus cenſeantur, & recognoſcantur.

*Cuſto... eius vo... facultas ... capitulo ... vinciali.*

§. 4. Cuſtos autem, & ejus vocales ad Provinciale Capitulum accedant, & in eo in electione Miniſtrorum, & Definitorum vocem activam, & paſſivam habeant, ipſeque Cuſtos à vocalibus ſuæ Cuſtodiæ in prædicto Capitulo eligatur, qui unà cum diſcretis Guardianos conſtituet, & familias in ſua cuſtodia diſponet, & ulteriùs, ut ipſe Cuſtos, quoties ſibi neceſſarium videbitur, ſuam cuſtodiam viſitare, mutare, corrigere, & punire poſſit.

*Appel... ad Mini... Generale... datur.*

§. 5. In caſu verò appellationis, ad te & pro tempore exiſtentem Miniſtrum generalem appellandum erit.

*Tranſit... Reforma... ne ad Fa... liam, ... contra ... permit...*

§. 6. Ruſus quotieſcumque aliquis ex Fratribus Reformatis ob infirmitatem, vel aliam legitimam cauſam à Reformatione exire, & ad Familiam tranſire voluerit, in Capitulo, aut Congregatione Provinciali de conſenſu Cuſtodis, & majoris partis vocalium Cuſtodiæ illi concedatur, & eorumdem conſenſu, necnon Miniſtri Provinciæ Fratres de Familia ad reformationem poterunt migrare.

§. 7. Novitiis

§.7. Noviliis quoque qui in Capitulo, aut Congregatione recipiuntur, utrum ad reformationem, vel ad Familiam ad Noviciatum agendum ſe conferre velint, eligere liberum erit, ſervata tamen felic. record. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri conſtitutione.

§.8. Præterea circa Conventus de Familia acceptandos, quicquid à dilecto filio noſtro Pompeio tit. S. Balbinæ Presbytero Cardinale Arigonio nuncupato, & à te, ac pro tempore exiſtenti iſtius Ordinis Protectore, ac Generali Miniſtro ordinatum fuerit, obſervetur.

§.9. Quocirca in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis dicti Ordinis, & Reformationis prædictæ Superioribus, & Religioſis præcipimus, & mandamus, ut præmiſſa omnia, & ſingula inviolabiliter obſervent, tibique in illis promptè pareant, obediant, & aſſiſtant, alioquin ſententiam, ſive pœnam quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§.10. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ejuſdem Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque ſuperioribus, & perſonis, ac quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Februarii milleſimo ſexценteſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Sequitur extenſio auctoritatis Miniſtri Generalis, ad Commiſſarium Generalem, de qua in rub.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Dilecto filio Evangeliſta de Gabiano, Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum S. Franciſci de Obſervantia. Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

§.1. CUpientes regimini, & gubernio Fratrum Reformatorum S. Franciſci de Obſervantia opportunè proſpicere, ac de tua pietate, prudentia, religionis zelo, ac in gubernando experientia plurimùm in Domino confiſi, tibi durante officio Commiſſarii Generalis ejuſdem Ordinis, & abſentia Miniſtri, ſeu Vicarii Generalis dicti tui Ordinis, & vice ac loco ipſius, Univerſos dicti Ordinis Fratres Reformatos cum eadem auctoritate, ſuperioritate, juriſdictione, & facultatibus Miniſtro, ſeu Vicario Generali totius Ordinis S. Franciſci de Obſervantia competentibus, & competituris, in ſpiritualibus, & temporalibus regendi, & gubernandi plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem tribuimus, & impartimur.

§.2. Mandantes propterea dilectis filiis Cuſtodibus, & aliis Superioribus, & Fratribus Univerſis Reformatis prædictis, ut tibi debitum honorem, & reverentiam exhibentes, tua ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant, humiliter, & efficacitèr adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus (auctore Domino) uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§.3. Ceterùm volumus, ut quæ per fel. record. Clementem Papam prædeceſſorem noſtrum, per ejus ſub plumbo in favorem eorumdem Fratrum Reformatorum, ſeu alias expeditas literas diſpoſita fuerunt, immutare, aut aliquo modo alterare nõ poſſis, ſed illa obſervari facere tenearis.

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis Ordini prædicto, ac Miniſtro generali, & aliis Superioribus, necnon Fratribus, tam Reformatis, quàm de Familia, & aliis quibuſlibet perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Julii milleſimo ſexceнteſimo decimo quinto, Pontific. noſtri anno undecimo. *Dat. P. A. D. die 8. Julii.*

---

## Quod Rectores Eccleſiarum Parochialium Indiarum Occidentalium, ab iis qui in Eccleſiis, & domibus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſepeliuntur, majorem non exigant eleemoſynam, quàm à Concilio Tridentino præſcriptam, & à Pio Quarto explicatam. XXXII.

*Ampliorem ſanctionem edidit hic idem Pontifex pro Fratribus, & Monialibus ordinis S. Franciſci de Obſervantia, infrà in conſtit. 47. Expoſitum.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.* *Edita A. D. 1607.*

*Ad futuram rei memoriam.*

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Franciſci Pereira, Aſſiſtentis Generalis totius Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, necnon Provincialis Provinciæ Mexicanæ ejuſdem Ordinis novæ Hiſpaniæ in Indiis, quod Rectores Parochialium Eccleſiarum Indiarum Occidentalium, ne ita commodè Chriſti fideles, qui in Domino moriuntur, in Eccleſiis Ordinis hujuſmodi, ac in propriis eorum Parochialibus ſepeliri valeant, de conſilio forſan ſuorum Superiorum abuſum introduxerunt, ut ſcilicet exigant majorem eleemoſynam ab iis qui in Eccleſiis dicti Ordinis ſepeliuntur, quàm ſi in propriis Eccleſiis ſepelirentur, ita ut fideles qui in Eccleſiis Ordinis hujuſmodi ſepeliri deſiderant, parem ad minus Parochialibus Eccleſiis eleemoſynam relinquere debeant ratione eorum ſepulturæ, quam Eccleſiis Ordinis hujuſmodi relinquunt. *Rectores Eccleſiarum Parochialiũ Indiarũ Occidentalium, majorẽ exigunt eleemoſynam ab his qui in Eccleſiis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini ſepeliri volunt, quàm ſi in propriis Eccleſiis ſepelirentur.*

§.2. Et quod pejus eſt, ſi quis pro animæ ſuæ refrigerio nonnullas Miſſas à Fratribus Ordinis hujuſmodi dicendas reliquerit, prætendunt Parochi eleemoſynam ratione Miſſarum hujuſmodi relictam, inter ipſos & Fratres prædictos eſſe dividendam, quo fit ut non parum in eligendis ſepulturis in Eccleſiis dicti Ordinis graventur ſæculares, cùm duplum pro ſepultura ſolvere cogantur. *Prætendunt inſuper eleemoſynã Miſſarum, quas pro anima ſua à dd. Fratribus dicendas relinquunt teſtatores, cum ipſis dividendam.*

§.3. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, plerique Chriſti fideles in dictarum domorum Eccleſiis, ob difficultatem tam magnas expenſas perſolvendi ſepeliri ſe facere non poſſint, quo fit ut Eccleſiæ hujuſmodi mortuorum ſepulturis, & conſequenter eleemoſynis in dies fieri conſuetis propemodum priventur; idcircò pro parte eorundem Franciſci Aſſiſtentis generalis & Provincialis Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Huiuſmodi abuſum à Papa remòveri Ordinis Prælati ſupplicant.*

§.4. Nos igitur hujuſmodi abuſus omninò tollere, ac dicti Ordinis commoditatibus, & propagationi, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de conſilio Venerabiliũ fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſuper conſultationibus, & negotiis Epiſcoporũ, & Regularium deputatorum, omnibus, & ſingulis Parochialium Eccleſiarum univerſarum Indiarum Occidentalium, & Orientalium Rectoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, harũ ſerie interdicimus, & prohibemus, ne ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna, à qua nonniſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poterunt, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, majorem eleemoſynam ab iis qui in dictarum domorum Eremitarum Sancti Auguſtini Eccleſiis *Qui propterea Rectoribus dictarũ Parochialiũ prohibet majorem eleemoſynam petere, quàm præſcriptã à Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 13. & à Pio V. explicatam in ſua conſt. 5. num. 13. lib. 2.*

Eccleſiis ſepelientur, ea quam illis præſcribit Concilium Tridentinum ſeſſ.25. cap.13. juxta explicationem à felic. record. Pio Papa V. prædeceſſore noſtro emanatam, ſub datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1567. 17. Kal. Junii, Pontificatus ſui anno ſecundo, quovis prætextu, aut occaſione, etiam de conſilio, conſenſu & mandato ſuorum Ordinariorum, exigere valeant, ſeu præſumant.

*Executores huius conſtitutionis deputat.*

§.5. Quocirca dilectis filiis cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Indiarum Occidentalium & Orientalium Societatis JESU Provincialibus pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Aſſiſtentis generalis, & Procuratoris prædictorum, nunc & pro tempore exiſtentium, aut alicujus eorum fuerint requiſiti, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos omnium & ſingulorum effectu pacificè frui, & gaudere: non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcumque, ac præmiſſis non parentes, eiſque auxilium, conſilium, vel favorem, publicè vel occultè, directè, ſeu indirectè quomodolibet præſtantes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariis que derogat.*

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, domorum & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus quoque, indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, domibus, & Ordini, earumque Rectoribus, Superioribus, & Fratribus, ac quibuſvis aliis perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac literis Gregorii XIII. etiam prædeceſſoris noſtri, ſub Dat. Romæ apud S. Petrum, anno 1572. Pontificatus ſui anno primo. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis quoque credi jubet.*

§.7. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 2. die 16. Febr.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 16. Februarii 1607. anno ſecundo.

---

## XXXIII. Ordinationes, & Statuta ſuper bono regimine Congregationis Caſſinenſis Monachorum Ordinis S. Benedicti.

*Quæ ad hanc pertinent Congregationem, plenè dixi in conſtitut. 1. Iulii II. Super Cathedram, ſuprà lib. 1. ibi videas.*

*Edita A. D. 1607. & 1608.*

*PAULUS PAPA QUINTUS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

CUm, ſicut accepimus, in Ordine S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, aliàs S. Juſtinæ Paduanæ, qui primò ab eodem S. Benedicto inſtitutus, & deinde à tot, tantiſque Patribus ſanctitate, & diſciplinæ regularis exemplo per diverſas totius Orbis Chriſtiani regiones propagatus, virtute Altiſſimi, ad laudem ſui nominis jam multis ab hinc ſæculis floruit, nonnulli abuſus exorti fuerint, quibus niſi noſtræ Paſtoralis ſolicitudinis providentia celeriter occurratur, dubitandum ſit ne hujuſmodi morbo invaleſcente, regularis diſciplinæ obſervantia paulatim collabatur.

*Conſtitutio ſeptem Provinciarum in Italia.*

§.1. Nos igitur attendentes, quod ubi gubernaculum diſciplinæ contemnitur, reſtat ut Religio naufragetur, pro noſtri paſtoralis officii debito præmiſſa conniventibus oculis pertranſire nequivimus, quapropter re priùs maturè diſcuſſa, & examinata, adhibitis viris gravitate, prudentia, & uſu rerum præſtantibus, quibus negotium demandavimus, de eorum conſilio hujuſmodi abuſibus, quantum cum Domino poſſumus, occurrendum decrevimus. Motu igitur proprio, non ad alicujus nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Congregationis prædictæ Ordinis S. Benedicti in univerſa Italia, Inſuliſque ei adjacentibus ſeptem Provincias, nempe Romanam, Hetruriæ, Neapolis, Siciliæ, necnon Venetiarum, Lombardiæ, ac Liguriæ, per præſentes perpetuò valituras conſtituimus & deputamus, illiſque ſic conſtitutis & deputatis.

*Roman.*

§.2. Romanæ videlicet S. Pauli prope, & extra muros Almæ Urbis noſtræ, necnon S. Scholaſticæ Sublaci, ac S. Mariæ Farfenſis, & S. Petri Peruſini, necnon ejuſdem S. Mariæ, etiam prope, & extra muros Cæſenatenſis, ac S. Vitalis Ravennatenſis, & S. Proculi Bononienſis, necnon ejuſdem S. Benedicti Ferrarienſis.

*Hetrur.*

§.3. Hetruriæ S. Eugenii Senenſis, necnõ SS. Floræ, & Lucillæ Aretinenſis, necnon S. Mariæ Florentinæ, & S. Honorati Lerini, ac S. Mariæ Cromenſis, Raguſinenſis diœceſis, & S. Petri Mutinenſis, ac S. Petri Regienſis.

*Neapol.*

§.4. Necnon Neapolitanæ ipſius S. Benedicti Caſtri Villarum, S. Michaëlis Montis Caveoſi, S. Mariæ Andrienſis, Sanctiſſimæ Trinitatis Cavenſis, necnon S. Severini Neapolitanæ, ac S. Angeli Caëtanenſis, & S. Laurentii Averſanæ, & ejuſdem S. Benedicti Montis Caſſini.

*Sicula.*

§.5. Siculæ S. Placidi Meſſanenſis, necnon S. Nicolai Catanienſis, & S. Mariæ Fondroni, necnon S. Flaviæ, ac S. Mariæ Montis Regalis, & S. Martini Panormitanæ, necnon ejuſdem S. Mariæ de Gangio, & S. Philippi de Argitione.

*Veneta.*

§.6. Ac Venetæ S. Nicolai Lictoris, necnon S. Georgii Venetiarum, & S. Mariæ de Pratalia, & S. Juſtinæ de Padua, necnon SS. Felicis, & Fortunati Vicentinæ, & S. Nazarii Veronenſis, ac S. Pauli de Argon, necnon S. Jacobi de Pontida Bergomenſis diœceſis, & S. Fauſtini, ac S. Euphemiæ Brixienſis.

*Lombard.*

*Huic ad- ſunt h... frà duo ... ma loc... vincia ... cia. Liguria.*

§.7. Necnon Lombardiæ S. Simpliciani, ac S. Petri in Glaſſiate Mediolanen. S. Spiritus, & S. Salvatoris, Papien. necnon S. Sixti Placentin. ac S. Mariæ Gratiarum Placentin. diœceſis, & S. Joannis Evangeliſtæ Parmenſis, necnon S. Columbani Bobienſis, ac S. Benedicti de Padolione.

§.8. Liguriæ verò Provinciis prædictis S. Nicolai Buſchetti, S. Benigni, & S. Juliani, ac S. Catharinæ, necnon S. Hieronymi Cervariæ Januenſis diœceſis, ac S. Bartholomæi Aſtenſis, ac S. Petri Salviani Taurinenſis diœceſis, dictorum Ordinis & Congregationis Monaſteria, etiam perpetuò ſubjicimus, & ſupponimus.

*Ex dictis ... vinciis ... vem A... tes Defi... res eli... ſunt.*

§.9. Et ut deinceps in definitorio æqualitas votorum habeatur, quo de cetero perpetuis futuris temporibus in dictis ſeptem Provinciis novem Abbates Definitores, ex quibus Romana unum, Hetruriæ unum, Neapolitana unũ, & Siciliæ alium, & Liguriæ alium, Veneta verò, & Lombardiæ Provinciæ prædictæ ob illarum majorem Monaſteriorum numerum, pro qualibet earum duos Abbates hujuſmodi ex illis reſpectivè oriundos habeant, eligantur ac deputentur, dictique novem Definitores canonicè per vota, & ſcrutinia ſecreta, ut moris eſt, canonicè electi, in quibuſcumque Capitulis generalibus omnes, & ſingulas, tã ſpirituales, quàm temporales gratias, & facultates ab hac Sede Apoſtolica eis cõceſſas, & quas hactenus habuerunt, habeant, hac tamen ratione, ut poſthac ſinguli Definitores ſeptem Provinciarum prædictarum diverſarum nationum, & profeſſionum exiſtant, nulloque modo duo ex eadem natione vel profeſſione uno, & eodem tempore in prædicto Capitulo, licèt ex diverſis Provinciis prædictis profeſſi ſint, eſſe patiantur, ſed ex eiſdem Provinciis oriundi eligantur, ut ſuprà, ac conſtituantur.

*De q... tres ex ... quioribus ... quolibet ... no vac... & alii ſ... ciantur.*

§.10. Et ad tollendam dictorum Definitorum perpetuitatem quieti dictæ Congregationis maximè contrariam, quod ſingulo quoque anno tres Definitores ex antianis, ſive antiquioribus, duo nempe ex Lombardiæ, Venetæ & Liguriæ, ac unus ex Romana, & Hetruriæ, Neapolitana, & Sicula Provinciis prædictis ab eodem Definitorio per biennium vacent, ac illorum loco tres ſubſtituantur reſpectivè ex eiſdẽ Provinciis, ita ut ſemper unaquæque Provincia ſuũ, vel ſuos ſemper habeat Definitorẽ,

ſeu

ſeu Definitores præſcriptum, vel præſcriptos.

§.11. At ſi aliqua juſta cauſa Abbates alicujus Provinciæ ad prædictum Capitulum non accederent, vel accedentes ab electione Definitorii excluſi remanerent, ſeu illo anno Viſitatorum officio functi eſſent, ſeu quod per biennium minimè vacaſſent, & eo caſu in prædicto Definitorio ab hujuſmodi electione excluſi eſſent, tunc ex Provincia illi viciniori Abbas definitor, ſervatis tamen ſuperiùs narratis, pro illa vice tantum eligatur.

§.12. Conſervatores quoque juxta conſtitutiones dictæ Congregationis approbatas, nempe duo ex Romana, Hetruriæ, & Neapolitana, alii verò ex Veneta, Lombardiæ & Liguriæ Provinciis prædictis eligantur, ipſique ſic electi cum Dei timore, omnique diligentia omnia illo anno à Definitoribus, Viſitatoribus, ac Præſidente prædictis geſta, & præcipuè electiones Prælatorum, & Officialium perſpiciant, ac recognoſcant, & quicquid contra Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum decreta, ac conſtitutiones dictæ Congregationis factum eſſe reperient, illud nullum, & irritum declarent, ac cum effectu ſub privationis dignitatum, quas pro tempore obtinerent, ac inhabilitatis ad illas obtinendas pœnis eo ipſo incurrendis, illorum habilitationem nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, quandocumque exiſtentibus omninò reſervando, exequi mandent, & contra inobedientes, etiam Definitores, nulla habita perſonarum, vel dignitatum ratione, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas auctoritate noſtra procedant.

§.13. Et in qualibet ex Provinciis prædictis tot Abbates, Priores, Cellerarii, ac Magiſtri Novitiorum ex ea oriundi, quot ſunt in ea Monaſteria, vel Prælaturæ, & Officia, exiſtant, & caſu quo in ſingulis Monaſteriis idonei ad hoc munus ſubeundum minimè reperiantur, tunc idonei alii ex Monaſteriis ejuſdem Provinciæ profeſſi ſubrogentur. Quod ſi in tota Provincia non ſint tot Monachi idonei profeſſi, qui ad prædicta officia ſuæ Provinciæ aſſumi poſſint, tunc è Monaſteriis vicinioribus alterius Provinciæ idonei aſſumantur.

§.14. Ne autem facultas regiminis dictæ Congregationis diminuta intelligatur, quod pro arbitrio dicti Regiminis Abbates, Priores, omneſque Officiales, ac ſingulos privatos Monachos ex Provincia in Provinciam, prout expediens ei videbitur, ut antea poterant & valebant, ita ut omnia in dicta Congregatione communia ſint, & eſſe intelligantur, amovere, & deſtinare poſſint & valeant, nulla nationum, & perſonarum, ſeu Monaſteriorum habita ratione: quinimò ſinguli Abbates cujuſque Provinciæ Monaſteriis Congregationis Diffinitorii, & Regiminis arbitratu deputentur, & præficiantur.

§.15. Quodque Abbates, Priores, cæterique Officiales prædicti juxta præſcriptum uſum dictæ Congregationis alicui Monaſterio non præficiantur ultra quinquennium, & ab illius adminiſtratione, etiam per quinquennium omninò vacent. Et ut tam Abbates, quàm cæteri Officiales prædicti quotannis præfuerunt, tot etiam ab ejus Monaſterii, ac officii adminiſtratione vacent, & quod ſinguli reſideant, nec ab eis ullo quæſito colore ultra unam dietam, & per octo dies ſine licentia Præſidentis, juxta cauſam expreſſam Conſervatoribus in proximo Capitulo generali exhibendam & examinandam, an juſta fuerit cauſa diſceſſus, abeſſe poſſint, & qui ſecus fecerint illorum arbitrio puniantur.

§.16. Ne aliis prædicantes Abbates prædicti, reprobi inveniantur, quod ad vitam communem, necnon divina Officia, tam diurna quàm nocturna, omniaque alia regulæ dictæ Congregationis inſtituta cum Dei timore, habita tamen perſonarum, ac temporum qualitate concurrant, ut ſi cum hoſpitibus impediti ſint, vel alia juſta cauſa excuſentur.

§.17. Monachis verò literis operam dantibus, de idoneis Lectoribus, ac aliis neceſſariis, & decentibus rebus, ac commoditatibus illis beneviſis provideant.

§.18. In omnibus quoque Monaſteriis parem formam vivendi & veſtiendi, ac regularem diſciplinam ab omnibus obſervari curent.

§.19. In adminiſtratione autem rerum temporalium ea cautio adhibeatur, ne Prælati eam per ſeipſos, ut cauſa vagandi tollatur, exerceant, ſed ea per Cellerarios à dictis Definitoribus, vel prædicti Ordinis regimine deputatos (corruptela, & abuſu Cellerariam in pectus, ut dicunt Abbatis condendi, penitus ſublata) exerceatur.

§.20. Ac conſtitutiones prædicti Ordinis, ut Cellerarii à regimine deputati Decani exiſtat, omninò obſerventur.

*Qui Decani ſint.*

§.21. Duo autem Viſitatores dictæ Congregationis, ex Romanæ, Hetruriæ, ac Neapolitanæ, ac alii duo ex Lombardiæ, Venetæ, necnon Liguriæ Provinciarum prædictarum Abbatibus, ex ipſiſmet Provinciis oriundi eligantur, qui extraneas Provincias viſitent, non autem proprias, ſi id diffinitores expedire judicaverint, aliàs conſtitutiones dictæ Congregationis ſerventur, & in Provincia Sicula duo Viſitatores, juxta præſcriptum uſum dictæ Congregationis eligantur, dictique Viſitatores, Deo juvante, munus ſuum Viſitationis cum omni diligentia ſubeant, ac abſolvant, ſinguloſque Monachos de ſtatu Monaſterii, necnon Præpoſitorum, & Miniſtrorum qualitate, ac rerum ſpiritualium & temporalium ſtatu exactiſſimè examinent.

*Viſitatorum munus, & officia.*

§.22. Monachos verò, vel Commiſſos ab aliquo Monaſterio, in quo ſaltem per annum continuum non permanſerint, & quos amovendos neceſſarium judicaverint, ſuper quo illorum conſcientias gravamus, per illam Provinciam tantum mutare valeant, dicto Capitulo Generali mutationes de una ad aliam Provinciam (ut ſumptibus ſuperfluis parcatur) reſervando.

*Præſertim circa Monachorum ablectionem.*

§.23. Et Novitiatus pro Novitiorum educatione in ſingulis Provinciis prædictis conſtituti, & conſtituendi in ſuo robore permaneant, ita tamen quod in quibuſlibet Novitiatibus prædictis ex eiſdemmet Provinciis hujuſmodi oriundi juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, & decreta Concilii Tridentini idonei ad probationem admittantur, ac ſemper & ubique Cives Civitatum, & locorum in quibus Monaſteria hujuſmodi ſita ſint, cæteris extraneis paribus præferantur.

*Novitiorum educatio, & probatio ſignificatur.*

§.24. Quodque in Provincia Romana prædicta, etiam in Monaſteriis S. Proculi Bononienſis, ac S. Benedicti Ferrarienſis Novitiatus conſtituatur, & in eis juvenes ex eadem Provincia oriundi ad probationem recipiantur.

*Novitiatus duo conſtituantur.*

§.25. Quælibet autem Provincia illum tantum numerum Novitiorum recipiat, & ad profeſſionem admittat, quem commodè alere poterit, ſi verò aliqua Provincia, ſeu Monaſterium plures Monachos, quàm ex ejus redditibus ali poſſunt, habere comperiantur, neminem recipiat, priuſquam ad numerum præfixum illius profeſſi redacti fuerint.

*Novitiorum numerus indicatur.*

§.26. Et quia in dicto Monaſterio S. Pauli de eadem Urbe pro illius aëris intemperie (ut aiunt) Romani, vel ex eadem Provincia oriundi, in maximum eorum, dictæque Congregationis detrimentum minimè recipiuntur, quemadmodum præteritis temporibus recipere ſolitum fuit, & hoc in aliis Monaſteriis ſervatur, quod deinceps ſingulo quoque anno ſaltem ſex Novitii ad probationem ibi recipiantur, ſed in dictum Monaſterium ſanctæ Scholaſticæ Sublaci, ad probationem & profeſſionem emittendam, ſumptibus tamen & expenſis dicti Monaſterii S. Pauli, cujus profeſſi ſint, & eſſe intelligantur, mittantur.

*Novitii ſex in Monaſterio S. Pauli de Vrbe ſingulis annis recipiantur de Provincia Romana.*

§.27. Hacque de cauſa ſaltem duo Novitii pro Monaſterio Farfenſi, & alii duo pro Monaſterio Sublaci prædictis ex eadem Provincia Romana oriundi, in dicto Novitiatu Sublacenſi, uſque ad numerum qui ex illorum Monaſteriorum redditibus ali, & ſuſtentari poſſint, redacti fuerint, quibuſcumque non obſtantibus recipiantur.

*Et alii quatuor in Novitiatu Sublacenſi.*

§.28. Quodque quoties contigerit Abbatem dicti Monaſterii S. Pauli oriundum, vel profeſſum eſſe ex Monaſteriis Lombardiæ, Venetæ, & Liguriæ Provinciarum prædictis, tunc Procurator Generalis dictorum Ordinis, & Congregationis oriundus, vel ſaltem profeſſus ex aliquo Monaſterio Romanæ, Hetruriæ, vel Neapolitanæ Provinciarum prædictarum, & viceverſa exiſtat, & eſſe debeat, nec ambo ullo unquam tempore ex Monaſteriis earundem, ſed diverſarum Provinciarum prædictarum eſſe debeant.

*Abbas d. Monaſterii S. Pauli, & Procurator Ordinis non ſint de eadem Provincia oriundi, vel profeſſi.*

§.29. Similiter perpetuò ſtatuimus, & ordinamus; ac ita ab omnibus & ſingulis quos præmiſſa concernunt; & concernent quomodolibet in futurum, ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrenda inviolabiliter obſervari debere volumus & mandamus.

*Hæc declaratur hic iuſſio præmiſſa obſervandi.*

*Confirmatio privilegiorū, & ordinationum Pontificiarum, quæ præmiſſis non contrariantur.*

§.30. Ac pro præmiſſorum complemento, omnia & ſingula privilegia, libertates, immunitates, favores, antelationes, aliaſque tam ſpirituales, quàm temporales per fel. rec. Eugenium Papam IV. & Gregorium XIII. necnon Clementem VIII. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſub quacumque verborum forma & expreſſione ſuper dictorum Definitorum electione, dictæque Congregationis felici ſtatu, ac directione, & aliàs ſuper præmiſſis quomodolibet conceſſa, necnon ſingulas literas Apoſtolicas deſuper expeditas, ac illarum formas, & continentiam, tenores & effectus, perinde ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſerta eſſent, dummodo præmiſſis contraria non exiſtant, pariter perpetuò approbamus & confirmamus, illiſque ac earum ſingulis perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adjicimus, necnon omnes & ſingulos, tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum in his quomodolibet requiſitarum, ac neceſſariarum defectus, excogitatos, vel non cogitatos, ſi qui principaliter, vel acceſſoriè, aut aliàs quomodolibet intervenerint in eiſdem, & ſi de illis ad hoc, ut ſuppleri & ſanari poſſint, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio facienda eſſet, ſupplemus.

*Appoſitio clauſularum præſervativarum.*

§.31. Decernentes prædictas eorum prædeceſſorum literas validas & efficaces fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & ab eis ad quos nunc ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, firmiter obſervari debere, nec ab illis ullo unquam tempore reſilire poſſe: ſed ad illarum obſervationem obligatos fore & eſſe, ac ſub eiſdem majoris excommunicationis, & privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis cogi, & compelli, præſentes verò de ſubreptione, vel obreptione, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, ſeu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, ſeu invalidari, aut ad viam & terminos juris reduci, ſeu in jus, vel controverſiam vocari, aut adverſus eas quodcumque juris vel facti, aut juſtitiæ, ſeu gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus unquam poſſe, ſicque ab omnibus & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Deputatio executoris.*

§.32. Quocirca dilecto filio noſtro Alexandro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Montalto nuncupato, S.R.E. Vicecancellario, moderno & pro tempore exiſtenti dictæ Congregationis Caſſinenſis apud Nos & Apoſtolicam Sedem Protectori, per præſentes mandamus, ut præmiſſa omnia & ſingula per eos ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, auctoritate noſtra obſervari curet & faciat. Contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorū.*

§.33. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.34. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiā impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P.A. 2. die 6. April.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Aprilis 1607. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Sequitur declaratio & moderatio prædictarum, ac aliarum editio ordinationum.*

*Edita A.D. 1608.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam aliqua ex eis, quæ pro bono regimine, & felici directione Religioſorum, ſub Regularis vitæ obſervantia Altiſſimo famulantium conſueverat, ſaniori judicio mutat, alterat, ac diſponit, prout rerum, temporum, & perſonarum qualitatibus diligenter penſatis, conſpicit Domino ſalubriter expedire.

*Relatio [...] tenorum præcedent. Bullæ.*

§.35. Sanè cum nos aliàs per quaſdam in forma Brevis, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Aprilis 1607. Pontificatus noſtri anno ſecundo confectas literas, inter alia in tota, ac univerſali Italia, Inſuliſque ei adjacentibus, ſeptem Provincias Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, aliàs S. Juſtinæ, nempe Romanam, Neapolitanam, Siculam, Venetam, ac Hetruriæ, necnon Liguriæ, & Lombardiæ, perpetuò conſtituerimus, & deputaverimus, illique, ac eorum ſingulis Monaſteriis dictorum Ordinis, & Congregationis in Italia, ac Inſulis prædictis conſiſtentibus, ſuppoſitis S. Petri Mutinenſis, ac ejuſdem S. Petri Regienſis, Monaſteria dictorum Ordinis, & Congregationis dictæ Provinciæ Hetruriæ, etiam perpetuò ſubjecerimus, & ſuppoſuerimus, & quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus in dictis ſeptem Provinciis novem Abbates Definitores ex illis reſpectivè oriundi, diverſarum tamen nationum, & profeſſionum, ac quatuor dictorum Ordinis & Congregationis Viſitatores ex eiſdemmet Provinciis oriundi, eligerentur, & in qualibet ex Provinciis prædictis, tot Abbates, Priores, Cellarii, ac Magiſtri Novitiorum, ex ea tamen oriundi quot ſunt in ea Monaſteria, vel Prælaturæ, & Officia eſſent. Quodque quoties contingeret Abbatem Monaſterii S. Pauli prope, & extra muros Almæ Urbis noſtræ dictorum Ordinis, & Congregationis oriundum, vel profeſſum eſſe ex Monaſteriis Lombardiæ, Venetæ, & Liguriæ Provinciarum prædictarū, tunc Procurator Generalis ipſius Ordinis & Congregationis oriundus, vel ſaltem profeſſus ex aliquo Monaſterio Romanæ, Neapolitanæ, & Hetruriæ Provinciarum hujuſmodi, ac vice verſa eſſet, & eſſe deberet, nec ambo ullo unquam tempore ex Monaſteriis earundem, ſed diverſarum Provinciarum prædictarum eſſe deberent, ſimiliter perpetuò, prout in dictis literis pleniùs continetur, ſtatuerimus, & ordinaverimus.

*Cauſa h[...] moderationis.*

§.36. Nihilominus ex relatione dictorum filiorum Anaſtaſii à Carpenedulo, Abbatis dicti Monaſterii S. Pauli, ac Joan. Baptiſtæ Romani, Ordinis, & Congregationis prædictorum Procuratoris Generalis, ad nos per illorum Capitulum Generale ſuperiori anno celebratum, ut ex literis nobis exhibitis conſtat deſtinatorum, accepimus prædicta Monaſteria S. Petri Mutinenſis, ac ipſius S. Petri Regienſis eidem Provinciæ Lombardiæ, quàm Hetruriæ viciniora eſſe, idque illorum Abbatibus, ac Conventibus incommodum inferre, & illorum Regularibus inſtitutis magis conſonum eſſe, ut profeſſi Monaſteriorū dictorum Ordinis, & Congregationis, qui non ſunt oriundi Civitatum, vel locorū, aut Provinciarum in quibus profeſſionem emiſerunt, omnibus illorum dignitatibus & officiis privētur, Abbates verò, & alii Prælati dictæ Provinciæ Siculæ à regimine ipſius Monaſterii S. Pauli, ac officio Procuratoris Generalis dictorum Ordinis & Congregationis, cum de eis in prædictis literis ad hæc nulla mentio facta fuerit, in eorum damnum, & præjudicium excludantur.

*Mutat[io] duorum [Mo]naſteri[orum] Provinci[æ] Hetruriæ.*

§.37. Nos igitur in ſupremo dignitatis culmine, divina diſponente clementia conſtituti, in his remedium proviſionis noſtræ adhibere cupientes, dictarum litterarum veriores, & totos tenores præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, S. Petri Mutinenſis, ac ejuſdem S. Petri Regienſis Monaſteria hujuſmodi, illorumque Abbates, Priores, Conventus, ac alias illorum perſonas, nunc & pro tempore exiſtentes, ab eadem Provincia Hetruriæ perpetuò disjungimus, & ſeparamus, illaque & illos prædictæ Provinciæ Lombardiæ etiam perpetuò ſubjicimus & ſupponimus.

*Profeſſ[i]que mo[...] Monaſt[...] ex quib[us] ſunt o[...]di, om[...] gaudeā[nt] [pri]vilegiis [...]tus pl[...]di perſ[...]tur.*

§.38. Quodque de cætero perpetuis futuris temporibus, illi qui in Monaſteriis dictorum Ordinis & Congregationis Civitatum, & locorū, ex quibus non ſunt oriundi, ad præſens profeſſi exiſtunt, non autem qui de cætero ad ipſorum Ordinis, & Congregationis habitus ſuſceptionem, ac profeſſionem regularem admitterentur, omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus,

favoribus

favoribus, antelationibus, prærogativis, aliiſque gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus oriundi Civitatum, locorum, & Provinciarum hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariter, & pariformiter, ac æquè principaliter in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi ex eis oriundi eſſent, utantur, potiantur, & gaudeant, ac nihilominus oriundi ceteris paribus profeſſis, in aſſecutione dignitatum, ac officiorum hujuſmodi præferantur.

§. 39. Quodque Abbates, & Priores dictæ Provinciæ Siculæ, unà cum Abbatibus, & Prioribus Romanæ, Neapolitanæ, & Hetruriæ Provinciarum prædictarum ad regimen dicti Monaſterii S. Pauli, & officium Procuratoris Generalis hujuſmodi concurrant, ac ad illa, & eorum alterum ad inſtar Abbatum, & aliorum Priorum aliarum Provinciarum prædictarum eligi poſſint & valeant.

§. 40. Ac pro pace inter regulares perſonas dictorum Ordinis & Congregationis conſervanda, illorumque augmento, quod in ſingulis eorum Monaſteriis pro quolibet decimotertio numero Monachorum profeſſorum unus graduatus, nempe unus Abbas, vel Procurator generalis, aut Cancellarius Præſidis, ſive unus Prior pro qualitate & capacitate profeſſorum, & ſingulorum reſpectivè Monaſteriorum, & pro quinque Monachis profeſſis unus Decanus, computatis Cellerariis, ac Novitiorum Magiſtris, Confeſſoribus Monialium, ac Rectoribus, aliiſque Officialibus, ita tamen quod ipſi Decani numerum tercentum non excedant, aſſignentur.

§. 41. Ad officium tamen Decanorum quoad ſufficientiam literarum, illi dumtaxat Monachi aſſumantur, qui vel per examinatores ab Ordinariis locorum pro tempore deputatos, ſeu per dictos Viſitatores, vel alios ab ipſis Viſitatoribus, vel Definitoribus ſubrogatos, ad confeſſiones Chriſti fidelium audiendas examinati cum effectu per patentes literas in forma probanti Viſitatoribus tradendas, & ab ipſiſmet Viſitatoribus an favore, vel merito illas impetraverint, examinandas, & Definitoribus Capituli Generalis præſentandas, tanquam idonei approbati fuerint. Quo verò ad integritatem vitæ, & morum probitatem, pro potiori cautela & ſecuritate exactiſſimam inquiſitionem faciant Viſitatores, examinando tam Abbates, Priores, quàm ceteros Monachos cum omni diligentia, ac puram, & meram veritatem repertam Definitoribus in ſcriptis medio eorum juramento deferant.

§. 42. Præterea quod conſtitutiones dictorum Ordinis & Congregationis per felic. rec. Gregorium Papam XIII. prædeceſſorem noſtrum approbatæ, & confirmatæ, in omnibus & per omnia, ſub pœnis à Definitoribus ſtatuendis, ac præfigendis, pro ſingulis tranſgreſſionibus præfatarum conſtitutionum ipſo facto incurrendis, dummodo per alias conſtitutiones Apoſtolicas revocatæ non ſint, inviolabiliter obſerventur.

§. 43. In Monaſteriis dictorum Ordinis & Congregationis, etiam in quibus licèt tantum decem de Conventu Monachi exiſtant, Horæ Canonicæ, tam diurnæ, quàm nocturnæ in Choro pſallendo ſingulis diebus recitentur.

§. 44. Culpæ Monachorum in Capitulo, ſemel in qualibet hebdomada ad minus, audiantur.

§. 45. Miſſæque decantentur, & lectio Caſuum conſcientiæ ſaltem bis in unaquaque hebdomada habeatur, ac diſciplina Monaſtica, prout in aliis Monaſteriis ſervatur, etiam ſervetur.

§. 46. In Refectorio lectio aſſidua audiatur.

§. 47. Carnes verò in illis Monaſteriis, ac temporibus tantum in conſtitutionibus prædictis præſcriptis, & per dictum Gregorium prædeceſſorem approbatis, extra tamen illorum Refectoria, edantur.

§. 48. Præmiſſaque omnia non obſervantes, tam Superiores, quàm inferiores, voce activa, & paſſiva ad arbitrium dictorum omnium Definitorum, ſeu Regiminis ipſo facto privati exiſtant.

§. 49. Quodque decreta, facta & non impreſſa, ac in poſterum facienda pro bono regimine dictorum Ordinis & Congregationis in illorum Capitulis generalibus, per vota ſecreta à majori parte illorum Prælatorum approbentur, & ad effectum ut omnes ad eorum obſervationem ſub pœna præcepti teneantur, & obligati exiſtant, à Sede prædicta confirmari debeant.

§. 50. In reliquis verò omnia & [illegible] noſtris literis contenta, in omnibus & per [illegible] illorum tenorem obſerventur, nec illorum [illegible] moderatio aliqua in parte vel in totum, ſeu revocatio, quovis quæſito colore vel ingenio, niſi de conſilio, & conſenſu dictorum Ordinis, & Congregationis Prælatorum, etiam ſub privationis dignitatum & officiorum, quæ, & quæ pro tempore obtinuerint, ac inhabilitatis ad alia obtinendum, eo ipſo incurrenda, pœna nullo unquam tempore intentari, vel impetrari poſſint, itidem perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ac ita in omnibus & ſingulis quos concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, ſub pœnis præfatis inviolabiliter obſervari debere volumus.

*Additio clauſulæ [illegible]*

§. 51. Præſentes verò noſtras literas de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, ſeu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, ſeu invalidari, aut ad viam & terminos juris reduci, ſeu in jus, vel controverſiam vocari, aut adverſus eas quodcumque juris & facti, vel juſtitiæ, aut gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus unquam poſſe; ſed eas ab omnibus & ſingulis quos concernunt & concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter obſervari debere, ſicque ab omnibus & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcumque Judices, tam ordinarios, quàm delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii noſtri Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ac interpretandi facultate, & auctoritatem judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Deputatio executorum.*

§. 52. Quocirca dilectis Filiis prædictorum Ordinis & Congregationis Protectori, necnon Curiæ cauſarum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ generali Auditori, nunc & pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes noſtras literas, ac in eis contenta quæcumque, ubi, & quando, ac toties quoties opus fuerit, ac pro parte nunc & pro tempore exiſtentium dictorum Ordinis, & Congregationis Patrum, aut alius eorum nomine, & Congregationis requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eas, & ea auctoritate noſtra ab omnibus inviolabiliter obſervari, ac omnes dictorum Ordinis, & Congregationis Prælatos, Monachos, ac alias illorum perſonas eis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper quomodolibet moleſtari, vel perturbari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per quaſvis Eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, etiam pecuniarias pœnas, eorum arbitrio imponendas, moderandas, & applicandas, ceteraque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.

*Derogatio contrariorum.*

§. 53. Non obſtantibus præmiſſis, ac felicis recordat. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium extra ſuam Civitatem, & Diœceſim ultrà tres dietas ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitution. & ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, dictorum Ordinis & Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, ſtabilimentis, uſibus & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Dat. [illegible] die 11. Martii.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Martii milleſimo ſexcenteſimo octavo, Pontificatus noſtri anno tertio.

## XXXIV. Declaratio, & confirmatio privilegii fori Religioſorum Regularium intra clauſtra degentium.

*De hiſce Regularibus extra clauſtra delinquentibus puniendis, Clemens VIII. edidit conſtit. 39. Suſcepti, ſup.*

*Edita A. D. 1607.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Religioſorum ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium quieti proſpicere cupientes, quæ illam quoquo modo perturbare poſſe videntur, opportuna noſtra declaratione è medio tollere, ac aliàs deſuper opportunè providere curamus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

*Ordinarii quidam prætendebant, quod Religioſi coram eis conveniventur, ex cap. Volentes de privileg. in 6. cap. 20. ſeſſ. 24. Concil. Trid.*

§. 1. Cum itaque nomine dilecti filii Baſilii Anguſſolæ Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii interpretum expoſitum fuerit, in Hiſpaniarum Regnis quoſdam Ordinarios Locorum contendere, Religioſos intra clauſtra degentes coram ipſis Ordinariis conveniri debere in cauſis civilibus, cap. Volentes, de privileg. in 6. comprehenſis, propter illius innovationem à Concilio Tridentino factam ſeſſ. 7. cap. 14. quo præfatos Religioſos, eorum privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. Præterea eoſdem locorum Ordinarios pariter contendere, eoſdem Religioſos intra clauſtra degentes in prima inſtantia coram ipſis conveniri debere, ex decreto ejuſdem Concilii Tridentini, ſeſſ. 24. cap. 20. de Reform.

*Sacra Congregatio ſup. interpretatione Concil. Trid. contrarium decrevit.*

§. 2. Cumque ab eodem Baſilio Procuratore generali in eadem Congregatione ſupplicatum fuerit, ut ſuper utraque re reſponſa darent. Ab eadem verò Congregatione fuerit reſponſum, neque conſtitutione in generali Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit, Volentes, neque decreto Concilii Tridentini cap. 14. ſeſſ. 7. comprehendi Regulares, ideoque eos juxta eorum privilegia, coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus eſſe conveniendos. Necnon Decretum ejuſdem Concilii Tridentini dicto cap. 20. ſeſſ. 24. ad Regulares non pertinere, nec eorum Conſervatorias imminuere, nec quoad primam illarum inſtantiam aliquid novi inducere, ipſeque Baſilius Procurator Generalis nobis humiliter ſupplicari fecerit, ut pro ſui Ordinis quiete ſupradictas declarationes ab eiſdem locorum Ordinariis ſervari debere, Apoſtolica auctoritate præcipere dignaremur.

*Iſeque Pont. id approbat.*

§. 3. Nos illius hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus & ſingulis locorum Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes diſtrictè præcipiendo mandamus, ne Fratres & Religioſos dicti Ordinis Carmelitarum contra diſpoſitionem declarationum prædictarum perturbare, vel inquietare quoquo modo audeant, vel præſumant, irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Et ità ſervari mandat.*

§. 4. Quocirca dilectis cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, & noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Religioſorum, eorumve Superiorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos eorumdem præmiſſorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§. 5. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur, ſi originaliter forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides ... plenaria ...*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Auguſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri anno tertio. *Dat. ... die 24.*

## XXXV. Contra Canonicos Regulares Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Auguſtini, dignitates, & officia ipſius Ordinis conquiſitis extra Religionem favoribus ambientes, eorumque complices, & fautores. Necnon Superiores eoſdem in electionibus favores attendentes.

*Congregationem iſtam probavit Gregorius XII. ut ſuprà in ejus conſtitut. 2. Excitat, lib. 1. ubi alia eam concernentia tibi indicavi.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita ... 160...*

Quoniam nemo debet ſibi aſſumere honorem, niſi vocatus à Deo tanquam Aaron, & à regularis vitæ inſtituto valdè alienum eſt, ut religioſi mendicatis, ſæcularium præſertim perſonarum ſtudiis, ad dignitatum gradus ſibi aditum patefacere contendant, unde magna in Eccleſia Dei mala provenire ſolent. *Ambitio ... probatur.*

§. 1. Nos pro muneris noſtri debito huic malo quantum in nobis eſt, opportunum remedium adhibendum cenſuimus. Cum itaque, ſicut accepimus, quidam in Congregatione Canonicorum regularium S. Salvatoris Ordinis S. Auguſtini, dignitatum & officiorum in dicta Religione ambitione ducti, pro iis conſequendis, Eccleſiaſticorum, & ſæcularium Principum, aut aliarum perſonarum ſtudia requirant, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, aliiſque Prælatis commendatitias literas, alioſque favores, & gratias procurent, quibus adjuti, gradus & dignitates in eadem Religione conſequi valeant. *Canonici ... gulares ... Salvatoris ad ... das dig... tes Ordi... favores ... ſonarum ... tra reli... requirunt.*

§. 2. Propterea nos dictæ Religionis officia & dignitates pro meritis cujuſque, abſque ambitu conferri cupientes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, omnes, & ſingulos Canonicos regulares dictæ Congregationis & Ordinis, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis & dignitatis exiſtentes, qui de cetero pro prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & aliis officiis Congregationis, & Ordinis prædictorum conſequendis, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tam Eccleſiaſticarum, quàm ſæcularium de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium favores recurrerint, aut aliàs viis illicitis ad hujuſmodi Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, & alia officia obtinenda aſpiraverint, vel aliis minùs legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint, ac iis obtentis uſi fuerint, illorumque complices & fautores, ad quaſcumque Prælaturas, dignitates, officia, gradus, honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privamus, & ſic privatos voce tam activa, quàm paſſiva carere decernimus, & declaramus. *Hunc ... ambitum Pont. ... graviter ... nis ... cit.*

§. 3. Atque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus dictorum Congregationis & Ordinis Superioribus, Prælatis, Canonicis quocumque titulo nuncupatis, etiam Priori generali, præſentibus & futuris præcipimus, diſtricteque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis vel favoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, ſeu requiſitionem vel contemplationem Principum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & Rerumpublicarum, vel Prælatorum, etiam S. R. E. Cardinalium, aut aliarum *Superioribus ... qui in ... tionibus ... juſmodi ... vores at... dere, vel ... nas ali... remittere ... prohibet ... pœna ... dientia ... excommu... cationis ... ſententiæ.*

quarum

quarumcumque perſonarum, tam ſæcularium quàm Eccleſiaſticarum, extra dictum gremium exiſtentium, ad cujuſvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones & officia dictæ Congregationis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant vel præſumant.

§.4. Decernentes electiones & promotiones ad Monaſteria, ſeu Prioratus vel officia dictorum Congregationis & Ordinis contra præſentium diſpoſitionem, quod abſit, quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorſus, invalidaſque fore, & eſſe, nulliſque viribus ſubſiſtere.

§.5. Ac omnes & ſingulos in præmiſſis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & abſque proceſſu deſuper habendo, ſententias & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere.

§.6. Et ad illos ſententias, & pœnas præmiſſas damnabiliter incurriſſe legitimè probandum, ſolas præmiſſarum perſonarum inſtantias, preces & favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam & ſufficientem in judicio & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri.

§.7. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretādi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Canonicis regularibus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§.9. Vt autem harum litterarum notitia ad omnes dictæ Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Auguſtini Canonicos regulares faciliùs deveniat, volumus eas etiam in Capitulis generalibus ac Congregationibus, dietis nuncupatis, lectas ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ fuiſſent, illarumque exemplis, etiam impreſſis, manu prioris generalis ipſius Congregationis ſubſcriptis, & ejus ſigillo munitis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur.

Dat. Romæ apud S. Marcum, &c. die 22. Septemb. 1607. anno tertio.

---

XXVI. Confraternitatis Doctrinæ Chriſtianæ erectio in Archiconfraternitatem in Baſilica S. Petri Principis Apoſtolorum de Vrbe, cum indulgentiarum, privilegiorumque elargitione.

*De inſtituendis his Confraternitatibus, habes ſuprà Pii Quinti conſtitut. 137. Ex debito, lib. 2. ubi alia indicavi. De forma autem aggregandi alias Confraternitates, attende conſtitut. 115. Clementis VIII. Quæcumque, hic ſuprà.*

A.D. 1607.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

EX credito nobis paſtoralis officii munere, piis locis quæ majora in dies in ſpiritualibus, & temporalibus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem incrementa ſuſcipiunt, ulteriora ſubſidia, ampliora concedimus privilegia, ne quicquam illarum rerum prætermittamus, quæ ad Chriſtianam propagandam religionem conducere videntur.

§.1. Ob has cauſas conſiderantes nos jure optimo à Sacro Tridentino Concilio, & ſummis Pont. prædeceſſoribus noſtris ſtatutum, & jam multos abhinc annos maximo Eccleſiæ Dei commodo obſervatum fuiſſe, ut pueri ſingulis Dominicis, & aliis feſtivis diebus fidei rudimenta, obedientiam erga Deum & parentes, aliaſque Chriſtianas virtutes ab iis ad quos ſpectat edocerentur, ut hac ratione qui ad mundi voluptates ſequendas natura proni ſunt, Chriſtiana pietate eruditi, de virtute in virtutem proficientes, tales evaderent, qui ad Populi Chriſtiani mores reformandos, & Catholicæ fidei incrementum idonei efficerentur Miniſtri. *Concil. Trid. & Pont. inſ-ſerunt inſtitui Confraternitates doctrinæ Chriſtianæ*

§.2. Atque hoc conſilio, cùm nonnulli probitatis Viri zelo charitatis accenſi pro divini cultus augmento in hac Alma Vrbe noſtra ceterarum Matre, & Magiſtra, Tridentino Concilio publicato, in quibuſdam Eccleſiis pueros & adultos quoſcumque ſumma pietate ac diligentia Doctrinam Chriſtianam docere cœpiſſent, hoc pium opus, præſtante Domino, exiguo temporis ſpatio adeo incrementa ſuſcepiſſe, ut Congregatio ſub doctrinæ Chriſtianæ nomine jampridem inſtituta fuerit, ex quibus licèt aliqui tantum in communi vivant cum ſuo Præpoſito, in Eccleſia S. Agathæ Regionis Transſtyberinæ, in unum tamen omnes ſub uno Protectore conveniunt, atque ſub uno Præſide huic ſaluberrimo operi ſingulis feſtivis diebus ſedula incubuerunt, & incumbunt diligentia. *Et pridem in Vrbe inſtituta modò fuit Congregatio laicorum, & Clericorum*

§.3. Nos pro noſtro Paſtoralis officii munere hoc pium, Chriſtianæque Reipublicæ neceſſarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt, ac multo uberiores poſthac proventuros ſperamus, ex animo amplectentes, illudque in dies augeri magis ac magis cupientes, Congregationem prædictam in Vrbe inſtitutam, necnon ſingulas illius perſonas & Eccleſias, nempe S. Martini Regionis Arenulæ, & S. Agathæ Regionis Tranſtyberinæ, eidem Congregationi Apoſtolica Auctoritate ceſſas, ſub noſtra & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipientes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in celeberrima Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ hujuſmodi, in Archiconfraternitatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus. *Hic modò Pont. d. Confraternitatem erigit in Archiconfraternitatem in Baſilica S. Petri de Vrbe*

§.4. Illiuſque ſic erectæ & inſtitutæ perpetuum Adminiſtratorem, & Protectorem dilectum filium noſtrum Hieronymum tituli S. Blaſii Presbyterum Cardinalem Pamphilium nuncupatum, ac pro tempore exiſtentem in Vrbe, & ejus diſtrictu Rom. Pont. Vicarium harum ſerie conſtituimus, & deputamus. *Eiuſque Protectorem deputat ſummi Pontificis Vicarium.*

§.5. Ac ipſius Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore exiſtentibus aggregandi dictæ Archiconfraternitati alias quaſvis ejuſdē Doctrinæ Chriſtianæ in qualibet Mundi parte canonicè erectas & inſtitutas, ac inſtituendas Confraternitates, illiſque privilegia, indulta, favores, exemptiones, gratias & indulgentias infraſcriptas ſibi per nos conceſſas, ac pro tempore à Sede Apoſtolica concedendas communicandi. *Eidem Archiconfraternitati facultatem alias Confraternitates aggregandi, & indulgentias communicandi concedit. Ad hoc vide etiam bullas Clem. VIII. cit. in rubr.*

§.6. Necnon de Adminiſtratoris & protectoris prædicti conſenſu, quæcumque ſtatuta felix regimen & gubernium dictæ Archiconfraternitatis concernentia, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, & decretis Concilii prædicti, conſtitutionibuſque Apoſtolicis minimè contraria condendi, illaque ſic condita, pro rerum, & temporum qualitate, in toto vel parte, ac toties quoties opus fuerit, immutandi, & in eorum locum alia de novo edendi, licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus & impartimur.

§.7. Vt autem devotio Chriſti fidelium ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui pro Miniſtris, operariis & Confratribus dictam Archiconfraternitatem ingredientur, die primo illorum ingreſſus, ſeu eo *Indulgentias plenarias confratribus in die ingreſſus elargitur.*

die quo dictæ Archiconfraternitati aſcripti fuerint, plenariam.

*Et in feſto præcipuo Cōfraternitatis.*

§.8. Necnon eiſdem ſic deſcriptis, qui verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in feſto quod ab ipſa Archiconfratetuitate, & aliis Confraternitatibus aggregatis ſeu aggregandis, pro earum præcipuo & principali reſpectivè eligetur, ſumpſerint, etiam plenariam.

*Ac in articulo mortis.*

§.9. Quique verè pœnitentes, & confeſſi dictum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut id facere non valentes, animo contrito nomen Jesu ſaltem corde in mortis articulo invocaverint, ſimiliter plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & indulgentiam dicta auctoritate earundem tenore præſentium concedimus.

*Alias indulgentias Confratribus quolibet menſe communicatis concedit.*

§.10. Præterea eiſdem Confratribus, qui verè pœnitentes, & confeſſi ſemel quolibet menſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas.

*Inducentibus alium ad diſcendam Doctrinam.*

§.11. Quique in cauſa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ perſonæ ad diſcendam Doctrinam Chriſtianam eant, ducentos dies.

*Diſcentibus & docentibus Doctrinā in diebus Stationum Vrbis.*

§.12. Qui verò diebus Stationum Vrbis hanc Doctrinam in Eccleſiis docuerint, ac etiam illi qui ad eandem diſcendam acceſſerint, eaſdem indulgentias conſequantur, quas conſequerentur, & conſequi poſſent, ſi Eccleſias Stationum perſonaliter viſitarent.

*Viſitatoribus Scholarum Doctrinæ.*

§.13. Eaſdem etiam indulgentias Viſitatores dictæ Archiconfraternitatis, qui ex commiſſo ſibi officio viſitabunt illas Scholas, quas in illo die viſitare poterunt, conſequantur.

*Docentibus eandem diebus feriatis.*

§.14. Inſuper eiſdem Confratribus, qui diebus feriatis hanc doctrinam Chriſtianam aut publicè, aut privatim explanaverint, centum dies.

*Præceptoribus eandem docentibus diebus feſtivis.*

§.15. Necnon omnibus & ſingulis Præceptoribus, qui diebus feſtivis diſcipulos ſuos ad Doctrinam Chriſtianam duxerint, eoſque illam docuerint, ſeptem annos.

*Explicantibus eam in Schola diebus feriatis.*

§.16. Quique diebus feriatis in propriis Scholis eandem doctrinam explicaverint, centum dies.

*Sacerdoti Archicōfraternitatis in eius Eccleſia prædicanti, &c.*

§.17. Sacerdoti etiam dictæ Archiconfraternitatis, qui in Eccleſia ſeu Oratorio illius Confraternitatis verbum Dei prædicaverit, aut collationes fecerit, licèt illo die non intervenerint in aliqua Schola docendi cauſa, ſeptem annos.

*Parentibus Doctrinam domi familiam docentibus.*

§.18. Omnibus autem, & ſingulis Patribus, & matribusfamilias, qui in ſuis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriuſque ſexus Doctrinam Chriſtianam explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies.

*Convocantibus alios ad Doctrinam.*

§.19. Item Confratribus, qui per Civitatem viros, mulieres, aut pueros ad eandem Doctrinam Chriſtianam ducendi cauſa circumierint, ſeptem annos.

*Confratribus per Caſtella euntibus, & Doctrinam docentibus.*

§.20. Eiſdem autem Confratribus, qui extra Civitatem ad illam docendam per Caſtella, & Villas exierint, decem annos.

*Diſputationi Doctrinæ intereſſentibus.*

§.21. Item eiſdem Confratribus, qui diſputationibus, quæ in Scholis dictæ Archiconfraternitatis fieri ſolent, interfuerint, ducentos dies.

*Doctrinam docendi, vel diſcēdi cauſa ſtudentibus.*

§.22. Omnibus item, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui per mediam horam Doctrinam, aut docendi, aut diſcendi gratiâ ſtuduerint, centum dies.

*Infirmos Cōfratres viſitantibus.*

§.23. Eiſdem etiam Confratribus, qui infirmos dictæ Archiconfraternitatis viſitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies.

*Euchariſtiā ad eos comitantibus.*

§.24. Quoties verò Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint, ſeptem annos.

*Corpora eorundem defunctorum aſſociantibus aut exequiis intereſſentibus.*

§.25. Eiſdemque Confratribus, qui corpora Confratrum, & Conſororum defunctorum ac defunctarum ad ſepulturam aſſociaverint, aut exequiis, anniverſariis, officiiſve, quæ pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes interfuerint, tres annos.

*Congreg. vel divinis officiis Archic. aſſiſtentibus.*

§.26. Ac quoties divinis officiis, & Congregationibus publicis vel ſecretis dictæ Archiconfraternitatis intervenerint, ducentos dies.

*Proceſſionibuſque per Ordinarios indicendis.*

§.27. Eandemque Indulgentiam conſequantur quandocumque proceſſionibus à locorum Ordinariis ſub vexillo dictæ Archiconfraternitatis præſcribendis interfuerint.

§.28. Item omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus, & cujuſlibet ætatis Chriſti fidelibus ad Doctrinam Chriſtianam diſcendam in dictis Scholis convenire ſolitis, qui peccata ſua quolibet Beatæ MARIÆ Virginis, aut alio feſto à Superioribus dictæ Congregationis determinando, confeſſi fuerint, tres annos: iis verò, qui ad communicandum habiles ſunt, ſi dictum Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſumpſerint, quinque annos.

§.29. Præterea quolibet die dicta Congregatio in quavis Civitate, vel Terra publicabitur, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus dictæ Confraternitatis verè pœnitentibus, confeſſis ac communicatis ſeptem annos, & totidem quadragenas de eis injunctis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino concedimus, & relaxamus.

§.30. Noſtræ propterea intentionis eſſe declaramus, quod indulgentiæ, gratiæ, & indulta prædicta intelligantur, ac ſint conceſſa cuivis Confraternitati canonicè erectæ ſeu erigendæ in qualibet Orbis parte, ſtatim ac prædictæ Archiconfraternitati, juxta conſtitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri fuerit aggregata, nec abſque aggregatione hujuſmodi gratiarum & indulgentiarum prædictarum particeps ullo modo eſſe poſſit.

§.31. Declarantes nihilominus quod cùm una Confraternitas dictæ Doctrinæ Chriſtianæ unius civitatis aggregata fuerit, intelligantur & ſint omnino aggregatæ reliquæ omnes utriuſque ſexus ab Ordinario loci erectæ & erigendæ, earundemque indulgentiarum & gratiarum prædictarum participes ſint.

§.32. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.33. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Archiconfraternitatis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 6. Octobris 1607. Pontificatus noſtri anno tertio.

---

## Congregationi Clericorum Regularium Somaſchæ, alias Sancti Majoli, quæcumque gratiæ & privilegia Ordinibus Mendicantium conceſſa & concedenda communicantur, & de novo conceduntur, quatenus ſint in uſu, non revocata, nec ſacris Canonibus, aut Concilo Tridentino contraria.

*Iſtam Congregationem primò approbavit Pius V. Vt ſuprà in eius conſtit. 78. Injunctum, lib. 2. licèt antea à Paulo III. eſſet in ſocietatem recepta, ut ſuprà in eius conſt. 21. lib. 1. ubi alia notavi.*

### *PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Ex quo divina Majeſtas ad paſtorale faſtigium nos quanquam immeritos evexit, illud quantum in nobis ſemper fuit, ſupremo auxilio freti agere conati ſumus, ut piorum hominum Congregationes, quæ ad divini cultus augmentum & animarum ſalutem inſtitutæ ſunt, & in obſervatione inſtitutorum ſuorum piè & religiosè perſiſtunt, magis quotidie in hujuſmodi ſuo pio propoſito confirmentur.

§.1. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectorum filiorum Congregationis & Clericorum regulariū Somaſchæ, aliàs S. Majoli nuncupatorum fortiores quotidie vires, adjuvante Domino in militantis Eccleſiæ Caſtris appareant, ut Clerici Congregationis hujuſmodi eo ferventiùs adhuc pugnare ſtudeant, quo majoribus ſe viderint ſpiritualibus gratiis fore munitos, ipſos & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, præter alia

aliâ quæcumque privilegia & gratias, iiſdem Congregationi & Clericis haſtenus quomodolibet conceſſa, omnia & ſingula privilegia, prærogativas, conceſſiones, favores, facultates, declarationes, immunitates, exemptiones, libertates, cæteraſque gratias, præeminẽtias & indulta cujuſvis generis exiſtentia, ſpiritualia & temporalia, qualiacumque illa ſint, (excepta tamen exemptione à juriſdictione Ordinariorum) quibuſvis Mendicantium Ordinũ Congregationibus, eorũque profeſſoribus, ac eorum Monaſteriis, Eccleſiis, Domibus & Regularibus locis, necnõ dilectis filiis earundem Religionum & Congregationum Generalibus, Præpoſitis, Superioribus, Prælatis & Capitulis, tam Generalibus quàm Provincialibus, Fratribus, Novitiis, Converſis, Donatis, ac quibuſvis eorum, & earum perſonis, in quibuſcumque Mundi partibus exiſtentibus, & illorum intuitu, etiam per viam communicationis vel extenſionis, aut aliàs quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſeu per nos & ſucceſſores noſtros, aut alios auctoritatem habentes conceſſa ſunt & conceduntur, ac quibus ſingulæ Congregationes prædictæ, earumque Monaſteria, Eccleſiæ, Domus & loca, ac Superiores, Fratres & perſonæ hujuſmodi de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate, in genere, vel ſpecie, ac tam conjunctim quàm diviſim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, vel poterunt quomodolibet in futurum, quarum conceſſionum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, etiamſi talia ſint & forent, quæ ſpecialem & individuam requirerent mentionem, ſeu particularem inſertionem, (quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub ullis revocationibus comprehenſa, ac ſacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis non adverſentur) ad eandem Congregationem Somaſcam, ſeu S. Majoli, ac ſingulos illius Conventus, illorumque Superiores, Præpoſitos, Prælatos & quaſcumque perſonas, auctoritate & tenore prædictis perpetuò extendimus, illaque eis communicamus, & de novo concedimus, & ſuffragari volumus & declaramus.

§.2. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, quàm aliis quibuſcumque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, tam Judicibus delegatis & Conſervatoribus, quàm perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocan. necnon quibuſvis privilegiis & indultis Apoſtolicis quibuſvis ſæcularibus vel regularibus, Militiis, Communitatibus, Vniverſitatibus, Capitulis, Caſtris, Villis, Terris, & quibuſvis Cathedralibus & Metropolitanis vel Collegiatis, aut aliis Eccleſiis, Capitulis, Conventibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, etiam motu, & ſcientia ſimilibus, & de non tradendis eorum ſubditis vel perſonis ipſarum Eccleſiarum, Civitatum, Univerſitatum, Caſtrorum, Villarum & locorum reſpectivè, extra eas, aut coram ullis Judicibus & perſonis, quàm etiam vigore quarumcumque litterarum Apoſtolicarum, aut aliàs quibuſvis modis, & qualitercumque, ac quibuſvis verborum formis & tenoribus, de quibus etiam plena & expreſſa, ſpecialis, ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ſeu ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenã & expreſſam, ac de verbo ad verbũ de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Cæterùm volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem præſentium tranſumptis, etiam manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut manu Præpoſiti Generalis, & ſigillo ejuſdem Congregationis Somaſchæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & alibi ubi opus fuerit, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, die 9. Novembris 1607. anno tertio.

## Ampliatio juriſdictionis S. R. E. Cardinalium Congregationis boni regiminis Communitatum Status Eccleſiaſtici, etiam mediatè S.R.E. ſubjectarum, quoad cognitionem cauſarum earumdem tangentium, non tamen quoad pœnas maleficiorum. XXXVIII.

*Iſtam Congregationem inſtituit Clemens VIII. in ſua Conſtit. 10. Pro commiſſa, ſup. ubi notavi.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS. Ad futuram rei memoriam.* — *Edita An. D. 1605.*

§.1. CUpientes conſtitutionem à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro ſuper bono regimine & adminiſtratione reddituum Communitatum, & Vniverſitatum ditionis temporalis Eccleſiaſticæ editam debitæ executioni, pro earundem communitatum, & Vniverſitatum utilitate demandari, ac de ſingulari fide, prudentia & integritate dilectorum filiorum noſtrorum Mariani Sanctorum Marcellini & Petri, de Camerino, Octavii S. Sabinæ Bandini, Dominici S. Honuphrii Thuſci, Dominici Gymnaſii, Innocentii S. Thomæ in patione titulorum Presbyterorum, Bubali & Bartholomæi S. Mariæ in Porticu Diaconi de Cæſiis nuncupatorum S.R.E. Cardinalium, plurimùm in Domino confiſi, eiſdem Cardinalibus, quos pro executione dictæ conſtitutionis harum ſerie deputamus. — *Cauſa huius conſtit.*

§.2. Omnes & quaſcumque cauſas, tam civiles quàm criminales & mixtas, ad Communitates & Vniverſitates quaſcumque Status noſtri Eccleſiaſtici nobis mediatè vel immediatè ſubjectas, tam activè quàm paſſivè pertinentes, per ſe, vel ab eis ſubdelegandos audiendi, diſcutiendi, examinandi & terminandi, ac omnia alia & ſingula in eadem conſtitutione contenta executioni demandandi. — *Iuriſdictio Card. in cauſis quarumcumque Communitatum, etiam mediatè S.R.E. ſubiectarum.*

§.3. Ac pro faciliori negotiorum hujuſmodi expeditione aliquos Prælatos, aut alias perſonas Juriſprudentia præditas, à nobis approbandas, in eorum Conſultores adhibendi, necnon aliquem ex illis, aut alium idoneum eis beneviſum, in eorum Congregationis Secretarium deputandi, & cauſas quaſcumque reaſſumendi & avocandi. Necnon quibuſcumque Judicibus & aliis perſonis, etiam ſub cenſuris & pœnis inhibendi & quoſcumque citandi, etiam per edictum publicum, conſtito de non tuto acceſſu, cæteraque omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria & opportuna faciendi, gerendi, ordinandi & exequendi, ita ut occaſione cauſarum criminalium, cenſuram Eccleſiaſticam, aut irregularitatis notam, dũmodo ſententias ſanguinis per ſeipſos non ferant, minimè incurrant, plenam, liberam & amplam auctoritatem, facultatem & poteſtatem cõcedimus & impartimur. — *Prælatoſque congregationi adiungendi & Secretarium deputandi.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ d. Clemens Prædeceſſor in eadem conſtitutione voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. — *Derogatio contrariorum.*

§.5. Volumus etiam ut ea quæ à majori parte eorum reſoluta fuerint, plenam obtineant firmitatem, & plenariæ executioni demandari debeant. — *Major pars totam Congregationem repræſentat.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Iunii 1605. Pontificatus noſtri anno primo.

*Sequitur declaratio dictæ conſtitutionis.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS, Ad perpetuam rei memoriam.* — *Edita A.D. 1607.*

IAm pridem cupientes Conſtitutionem à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro ſuper bono regimine Status Eccleſiæ editam executioni demandari, dilectis filiis noſtris S. R. E. Cardinalibus pro ejuſdem Conſtitutionis executione à nobis deputatis, omnes & quaſcumque cauſas, tam civiles, quàm criminales & — *Relatio conſtit. præcedentis.*

mixtas,

mixtas, ad communitates & univerſitates quaſcumque Status Eccleſiaſtici nobis mediatè vel immediatè ſubjectas, tam activè quam paſſivè, per ſe vel alios ab eis ſubdelegandos, audiendi, diſcutiendi, examinandi & terminandi, ac omnia alia & ſingula in eadem conſtitutione contenta executioni demandandi, eaſdemque cauſas quaſcumque reaſſumendi & avocandi, quibuſcumque Iudicibus inhibendi, & alia, prout in noſtris litteris in hujuſmodi forma brevis deſuper expeditis ſub die quarta Junii 1605. Pontificatus noſtri Anno primo, pleniùs continetur, facultatem dedimus.

*Cauſa hujus declarationis.* §. 1. Quia vero ob generalitatem prædictarum litterarum noſtrarum facilè videri alicui poſſet, ea nos commiſiſſe, quæ noſtræ intentionis committere minimè fuit, idcirco ad ſolvendas hujuſmodi difficultates, prædictarum litterarum tenorem præſentibus pro ſufficienter expreſſo, & ad verbum inſerto habentes.

*Declaratio.* §. 2. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, maturaque deliberatione, vigore præſentium declaramus, intentionis noſtræ fuiſſe Cardinalibus his eas ſolũmodo, & nõ alias cauſas civiles, criminales & mixtas, tã activè quàm paſſivè ad Communitates & Vniverſitates Status noſtri mediatè vel immediatè ſubjectas pertinentes, per ſe, vel alios, ut præmittitur ſubdelegandos, audiendi, diſcutiendi, examinandi, expediendi & terminandi, reaſſumendi & avocandi, quæ ad redditus & proventus, (non tamen pœnarum maleficiorum) ad illas quomodolibet ſpectan. & quæ in futurum ſpectabunt, aut rationem ſeu computorum redditiones, etiam ratione adminiſtrationis Annonæ, ſeu Abundantiæ, & pecuniarum ac rerum illius, ſeu illi deſtinatarum Civitatum, Terrarũ & Locorũ ejuſdem Status Eccleſiaſtici, ſive ad quorumcumque, bonorum adminiſtrationes prædictarum Communitatum & Vniverſitatum, quomodocumque, & qualitercumque pertinent & pertinebunt, facultatem tribuere, ita ut eas tantum, & non alias cauſas iidem Cardinales per ſe vel alios ſubdelegandos audire, diſcutere, examinare, expedire & terminare, reaſſumere & avocare à quibuſcumque Iudicibus, necnon iiſdem inhibere, & omnia & ſingula in eis contenta, omnibuſque aliis & ſingulis in prædictis litteris noſtris facultatibus illis conceſſis, in præmiſſis, & circa ea uti poſſent & valerent, ac poſſint & valeant.

*Clauſula ſublata, &c.* §. 3. Irritum decernentes & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.* §. 4. Non obſtantibus præmiſſis, necnon quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 3. die 22. Nov.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Novembris 1607. Pontificatus noſtri anno tertio.

---

## XXXIX. Contra Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici, qui ad effectum conſequendi officium Magiſtri generalis pro ſe vel aliis, ad favores extra Religionem recurrunt, vel aliis minùs legitimis viis & modis illud obtinere quærunt.

*De hoc Ordine multa notavi ſuprà ad Honorii III. conſt. 2. Religioſam, lib. 1.*

*Edita A. D. 1608.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* ADmonemur paſtoralis officii noſtri debito diligentiùs proſpicere ne religioſis ad dignitates & officia per emendicata ſuffragia pateat acceſſus.

*Greg. XIII. in ſua conſt. 61. ſup. lib. 2. Prælatis Ordinis Fratrũ Prædicatorũ vetuit ullam gratiam cuivis religioſo d. Ordinis facere.* §. 1. Aliàs ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa Decimus tertius prædeceſſor noſter, per ſuas in forma Brevis litteras die 1. Iunii 1580. Pontificatus ſui anno nono datas, Magiſtro generali, ac Provincialibus & reliquis Ordinis Fratrũm Prædicatorum Prælatis tunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ mandavit, ne ad inſtantiam & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam laïcarum quàm Eccleſiaſticarum, extra ſupradictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore & quacumque ſæculari dignitate & excellentia, etiam Ducali, Regali & Imperiali, fulgentium cuivis dicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere auderent.

§. 2. Quinimò quotieſcumque dicti Ordinis Fratres & Religioſos, qui contra decreta ſuarum conſtitutionum, hac via & iis mediis per conquiſitos favores & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda, perpetuò inhabiles etiam declaravit.

§. 3. Et ſubinde cum à nonnullis ambigeretur, an ſub gratiarum vocabulo gradus, honores, dignitates, officia & munia Ordinis prædicti comprehenderentur, ſimilis mem. Clemens Papa Octavus etiam prædeceſſor noſter, per alias ſimiles literas die 23. Maii 1592. Pontific. ſui anno 1. datas, priores litteras prædictas & in eis contenta quæcumque approbavit, & confirmavit, ac prædictam Gregorii de gratiis, ut prædicitur per mendicatos favores minimè conceden. prohibitionem, ad quoſcumque gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, prælaturas ejuſdem Ordinis perpetuò extendit & extendi debere decrevit, & præterea dilectis filiis Magiſtro generali, Provincialibus & aliis Prælatis, & Superioribus ejuſdem Ordinis, ne in poſterum aliquod præmiſſorum cuiquam ad inſtantiam, ſeu requiſitionem vel contemplationem perſonarum ſuperius expreſſarum quarumcumque, quovis modo concedere, Religioſis verò, ac Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque, non ſolùm in præmiſſis omnibus ſæcularium favorem minimè procurare, ſed nec etiam ſponte oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua ſæcularibus impendere, vel exhibere auderent, vel præſumerent, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in dictis Gregorii literis contentis præcepit, & expreſsè interdixit ac prohibuit, prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur.

§. 4. Cùm autem, ſicuti accepimus, ad electionem novi Magiſtri generalis dicti Ordinis brevi deveniendum ſit, nos quantum interſit ut electio hujuſmodi eliminatis procul favoribus in ſanctitate & juſtitia celebretur, probè cognoſcentes, & ideo dicti Ordinis Fratres non ſolùm pœnarum in dd. litteris contentarum, ſed etiam cenſurarum Eccleſiaſticarum metu, in officio debito continere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dictorum Gregorii & Clementis prædeceſſorum prædictas literas, & in eis contenta quæcumque, harum ſerie præſentibus pro expreſſis habentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

§. 5. Et inſuper omnibus & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, cujuſcumque conditionis, gradus & præeminentiæ exiſtentibus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ne ad quarumcumque perſonarum, tam laïcarum quàm Eccleſiaſticarum extra ſupradictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque ſæculari dignitate & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium favores, ad effectum conſequendi dictum officium Magiſtri generalis, pro ſe vel aliis recurrant, vel aliis minùs legitimis viis & modis illud obtinere quærant, qui verò mandato noſtro hujuſmodi contravenerint, ultra ſupradictas pœnas, etiam vinculo excommunicationis latæ ſententiæ, à qua niſi per nos & Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, innodamus.

§. 6. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Ordini & Fratribus prædictis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſt. non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 7. Volumus autem, quod præſentium litterarum exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici &

ſigillo alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ muniris, eadem fides ubique adhiberi debeat, quæ præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, die ſeptima Januarii 1608. anno 3.

---

## Gratiæ & indulta Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis Captivorum, ad partes Infidelium pro dicta Redemptione ſe transferentium; Necnon aliorum Chriſti fidelium, etiam non Captivorum ibi exiſtentium.

*Hujus Ordinis inſtitutionem & regulam vide ſup. in conſtitut. 1. & 9. Innocentii III. Operante, lib. 1. ubi plenè dixi.*

### *PAVLVS PAPA QVINTVS, Ad perpetuam rei memoriam.*

Ex omnibus Chriſtianæ charitatis officiis, quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro Jesu-Christo maximè placere credimus, per quæ infelices captivi à terrâ impiorum, & miſera ſervitute revocantur, ac eorum ſaluti proſpicitur.

§. 1. Supplicationibus igitur dilectorum filiorum Superiorum, & Bernardi de Morone Adminiſtratorum Ordinis Sãctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum nobis humiliter porrectis inclinati, d. Bernardo, qui ut aſſerit, forſan cum aliis dicti Ordinis profeſſis, Superiorum prædictorum juſſu, brevi in Africam pro redimendis captivis profecturus eſt, & aliis profeſſis ad hujuſmodi munus obeundum deputandis, ut Algerium, & alias Africæ, & Infidelium partes ſe transferre, declinare, ac migrare, ibique converſari, & commorari, ac in eiſdem partibus omnium, & ſingulorum utriuſque ſexus Chriſti fidelium Captivorum, & non captivorum, ibidem nunc & pro tempore degentium, & commorantium confeſſiones audire, ipſoſque in Captivitate poſitos, ac etiam liberos Chriſti fideles inibi commorantes (dummodo tamen animo infraſcripta facultate fruendi ad partes illas non confugerint) à quibuſvis ſuis peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ac etiam contentis in literis die Cœnæ Domini legi conſuetis, non tamen Hæreſis, læſæ Majeſtatis, Apoſtaſiæ, Idololatriæ, Judaïſmi, nec delationis prohibitorum ad partes infidelium, ſcilicet ſemel in anno Captivos prædictos, liberos autem prædictos ſemel tantùm in vita, necnon à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, in foro conſcientiæ tantùm abſolvere.

§. 2. Necnon etiam cum Presbyteris captivis, ſuper quacumque irregularitate per eos quomodolibet (præterquam in homicidio voluntario, & bigamia cõtractas) cum liberis verò Presbyteris, in dictis partibus commorantibus, ſuper irregularitatibus hujuſmodi per eos dumtaxat in illis partibus contractis (ex homicidio & bigamia, ut præfertur, provenientibus pariter exceptis) in eodem foro tantùm diſpenſare.

§. 3. Ac captivos etiam prædictos, utriuſque ſexus, in eiſdem partibus nunc & pro tempore exiſtentes, à quibuſcumque votis, non tamen ſolemniter emiſſis, vel quæ Captivi prædicti in eiſdem partibus converſantes, vel poſtea in libertate conſtituti commodè adimplere poterunt, pariter abſolvere.

§. 4. Præterea ſuper bonis incertis, quæ Captivi prædicti malè parta habuerint, erogata tamen priùs aliqua portione in beneficium & uſum redemptionis hujuſmodi, Bernardi & profeſſorum prædictorum arbitrio diſponere, illaque eis concedere & condonare.

§. 5. Quodque Bernardus & profeſſi prædicti pro uſu locorum & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum dictarum partium paramenta & ornamenta Eccleſiaſtica benedicere eo tempore dumtaxat, quo apud eoſdem infideles commorabuntur, niſi ibi quiſpiam alius reperiatur, qui ex officio illa benedicere valeat.

§. 6. Quodque Religioſi & alii presbyteri, etiam Captivi, in illis partibus nunc & pro tempore exiſtentes, per unam horam ante ortum diei uſque ad horam meridianam, & poſt meridiem per aliam horam, Miſſam in locis etiam profanis, ad id eis commodioribus, cum ornamentis in Altari portatili celebrare poſſint, etiamſi tempore celebrationis hujuſmodi Mauri, Turcæ, Iudæi, Idololatræ, Hæretici, Apoſtatæ, & alii ab Eccleſia Catholica ſeparati ibidem præſentes exiſtant, niſi adſit probabilis ſuſpicio illos irriſuros hoc ſacrum Myſterium, vel aliquam aliam irreverentiam illi illaturos, cauſa ibidem ex profeſſo adeſſe. *Religioſi & alii presbyteri, etiam Captivi certis horis Miſſam in illis partibus celebrare poſſint, in locis etiam profanis, cum ornamentis, & in Altari portatili.*

§. 7. Atque tam Religioſi quàm alii Presbyteri prædicti Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in aliqua capſa ad id per dictos Religioſos benedicta incluſum, ad Chriſti fideles, qui ad locum in quo miſſam celebrari contigerit, accedere nequiverint, ſine luminibus, vel aliqua exteriori pompa, ſubtus veſtes ordinarias deferre poſſint. *Et Sacramentum Euchariſtiæ ad Chriſti fideles deferre valeant.*

§. 8. Quodque dicti Religioſi omnes & ſingulas pecunias, res & bona quæ ad eos tranſmitti contigerit, recipere & retinere, illaque penes ſe habere, ac in neceſſarios dumtaxat uſus, tam proprios quàm eorumdem Captivorum, aut in prædictorum Captivorum redemptiones cõvertere valeant, cùm aliunde non habebunt unde hujuſmodi neceſſitatibus ſubvenire poſſint, ac cum quibuſvis Turcis, Mauris, Iudæis, Hæreticis, & aliis infidelibus communicare, paciſci, & conſuetudinem habere, juſta ſubſiſtente cauſa. *Bonaque Fratribus data recipere pro eorum uſu, & Redemptione Captivorum ipſi poſſint.*

§. 9. Quodque dictus Bernardus, & alii profeſſi Sacerdotes nunc & pro tempore in illis partibus exiſtentes poſſint in qualibet hebdomada tres Miſſas in refrigerium animarum in Chriſti charitate defunctorum dicere & celebrare, & in unaquaque illarum unam animam ex fidelibus in illis partibus decedentibus à pœnis Purgatorii liberare poſſint. *Fratres tradit. Miſſam celebrare, & animas è Purgatorio liberare.*

§. 10. Denique quod omnes utriuſque prædicti ſexus Chriſti fideles, tam liberi quàm Captivi in dictis partibus pro tempore exiſtentes, qui per unum, aut duos dies ante feſtivitates Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini Noſtri Jesu Christi, Pentecoſtes, Aſſumptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis Beatiſſimæ & Glorioſiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, Omnium Sanctorum, Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, Martyrumque BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon S. Jacobi Zebedæi, aut in ipſis feſtivitatibus peccata ſua confeſſi, & ſacra communione refecti, ſi modò illâ refici poſſint, alias ſi non poſſint, ſaltem ſacramentaliter confeſſi, pro exaltatione fidei Catholicæ, ac Maurorum & Infidelium converſione pias ad Deum preces effuderint, in ſingulis feſtivitatibus prædictis, in quibus præmiſſa peregerint, plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem conſequantur. *Indulgentia plenaria pro omnibus Chriſti fidelibus in illis partibus exiſtentibus, confeſſis & ſacra communione refectis.*

§. 11. Ipſique fideles qui aliquem ex Captivis in eorum tribulationibus & Anguſtiis conſolati fuerint, ſeu ægrotum viſitaverint, aut nudum veſtiverint, egenis quovis modo ſubvenerint, vel mortuum terræ commendaverint, qualibet vice, prout id pro tempore fecerint, decem annos de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis conſequantur. *Alia indulgentia pro eiſdem.*

§. 12. Ipſique fideles qui die Sabbati cujuſlibet hebdomadæ ad occaſum ſolis congregabuntur in aliquo loco populoſo, ſeu deſerto, vel in mari, ac in honorem ejuſdem intemeratæ Virginis Matris Mariæ Antiphonam quæ incipit, Salve Regina, ſemel recitaverint, vel cantaverint, aut cum aliis illam piè recitantibus, vel cantantibus affuerint, quolibet die Sabbati, quo id egerint, quadraginta annos de injunctis eis, ut præfertur, ſeu aliàs quomodolibet pœnitentiis debitis conſequantur. *Præſertim die Sabbati certo modo orantibus.*

§. 13. Præterea quod ſupradicti Chriſti fideles in articulo vel periculo mortis, quando non dabitur acceſſus, vel ſpes accedendi ad ipſos Religioſos, peccata ſua cuilibet Sacerdoti, etiam in hujuſmodi captivitate detento, confiteri, dictique Sacerdotes illos à quibuſcumque peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis, etiam Sedi prædictæ reſervatis, etiam contentis in literis die Cœnæ Domini, ut præfertur, legi ſolitis, etiam Hæreſis, Apoſtaſiæ, Idololatriæ, & Judaïſmi, abſolvere, illiſque plenariam *Indultum eorundem confitendi in periculo mortis, Sacerdoti etiam Captivo, qui ab omnibus delictis abſolvat.*

nariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum, indulgentiam & remiſſionem concedere & impartiri liberè & licitè valeant.

*Alia plenaria indulgētia pro eiſdē in articulo mortis.*

§.14. Et præterea, quod omnes & ſinguli utriuſque ſexus Chriſti fideles prædicti, in dictis partibus Infidelium nunc & pro tempore exiſtentes, verè pœnitentes & confeſſi, vel qui ſine culpa ſua non potuerint ad Confeſſarios accedere, in dicto mortis articulo conſtituti, qui piè nomen Jesu corde, ſi ore non potuerint, invocaverint, ſimiliter plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem conſequantur.

*Declaratio quod conceſſio iſta ſit ad decennium.*

§.15. Præſentibus ad decennium proximum tantùm valituris.

§.16. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 3. die 8. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, &c. die 8. Februarii 1608. Pontific. noſtri anno tertio.

---

## XLI. Erectio Ordinis Militaris ſub titulo, habitu, & regula Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmelo in Gallia, quem Henricus III. Francorum Rex ad S.R.E. exaltationem, ac hæreſum extirpationem, ex bonis ſuis merè laïcalibus inſtitui poſtulavit. Necnon ordinationum præſcriptio pro feliciori regimine ejuſdem Ordinis.

*Edita An. D. 1607.*

### *PAVLVS PAPA QVINTVS,*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmanus Pontifex, cujus Principatum ſuper omnes extulit divina Majeſtas, piis devotorum & ſuis obſequentiſſimorum filiorum votis, qui majorum ſuorum quàm ſimillimi evadere, & quam nobilitatem à majoribus acceperunt, eandem poſteris ſuis inſigni aliqua acceſſione cumulatam tradere cupiunt, libenter annuit, & quæ ad id, ac ad fidem Catholicam ſartam tectamque tuendam, & illius inimicos propulſandos, ſalutemque animarum procurandam tendere dignoſcuntur, concedit, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Henricus III. Rex Galliæ Ordinem militarem ſub denominatione & regula B. Mariæ de Monte Carmelo, pro nobilibus, & ingenuis Gallicæ nationis viris, de bonis ſuis merè laicalibus inſtitui cupiens, huic Papæ pro opportuna proviſione ſupplicavit.*

§.1. Expoſuit ſiquidem nobis nuper dilectus filius nobilis vir Carolus de Neufville, Dominus in temporalibus d'Halincourt, & Eques utriuſque Ordinis Regii, nomine chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, cujus ipſe ad nos, Sedemque Apoſtolicam Orator exiſtit, quod ipſe Henricus Rex pro ſingulari, quo etiam uti dictæ Sedis Apoſtolicæ filius primogenitus, tuendæ, & propagandæ, augendæque Religionis Catholicæ deſiderio fervet, ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltationem, & profectum, hæreſumque extirpationem & hæreticorum depreſſionem, aliaque jam diu & uſque à primordio ejus feliciter ſuſcepti Francorum Regni, in eodem Regno & aliis ditioni ſuæ ſubjectis locis conſuevit adhibere remedia. Quare unam militiam, ſeu Ordinem militarem ad ipſius Henrici Regis arbitrium competenter de ſuis bonis merè laicalibus (non tamen beneficialibus, ſeu redditibus Eccleſiaſticis) dotandam, ſeu dotandum, ex dilectis Gallicanæ nationis viris nobilibus & ingenuè natis, denominatione, ſeu titulo, ac Regula Glorioſiſſimæ, ſemperque Virginis Dei Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo, quam prædictus Henricus Rex ſui protectricem & advocatam ſingulari devotione ſemper habet ac veneratur, ſub noſtro & dictæ Sedis beneplacito & auctoritate erigi & inſtitui ſummopere deſiderat, dictuſque Carolus nomine ipſius Henrici Regis nobis humiliter ſupplicavit, quatenus eundem Henricum Regem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui Ordinem Militarem ſub denominatione, habitu & regula prædictis*

§.2. Nos igitur hoc pium, & numquam ſatis laudandum deſiderium promovere cupientes, ac dictum Henricum Regem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harū ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Militiam, ſeu Ordinem hujuſmodi, ſub eadem Regula, cujus Militiæ ſuprema, vel principalis Sedes, & Conventus ad id per dictū Henricum Regem in ipſo Franciæ Regno, ſeu alio ab eodem Henrico Rege poſſeſſo dominio cōſiſten. loco aſſignan. & ſtatuen. exiſtat, & eſſe debeat, ac in Militia, ſeu Ordine hujuſmodi unum Magiſtrum, Magnum vocandum, ſupremam ſeu principalem illius dignitatem, pro uno Magiſtro Magno vocando, qui ejuſdem Militiæ, vel Ordinis caput & ſupremus ſit, cum Conventu per dictum Henricum Regem (ſine alicujus præjudicio) conſtituendo, necnon militū, ſeu Miniſtrorum numero eidem Magiſtro beneviſo. Qui Magiſter & Milites cum una, & ea defuncta, cum altera muliere, etiam vidua, dumtaxat matrimonium contrahere poſſint, & aliàs ipſi caſtitatem conjugalem & obedientiam expreſsè profiteantur, cum ſigno ejuſdem B. MARIÆ Virginis, & habitu ab aliis aliarum Militiarum ſignis omnino diverſis & diſſimilibus, non immutandis. Ac menſa magiſtrali, Prioratibus, præceptoriis, aliiſque beneficiis & officiis, de bonis merè laïcalibus, non tamen beneficialibus, ſeu ex redditibus Eccleſiaſticis, ut præfertur dotandis, ex nunc proút ex tunc & è contra poſtquam Militia, ſeu Ordo hujuſmodi competenter, ut præfertur, dotata, vel dotatus fuerit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò & ſine alicujus præjudicio erigimus & inſtituimus.

§.3. Ita quod dicti Magiſtratus etiam à primæva illius erectione & inſtitutione vacantis de cætero perpetuis futuris temporibus, quotieſcumque illum quovis modo, & ex cujuſcumque & qualitercumque qualificata perſona, etiam apud Sedem prædictam, aut aliàs quocumque tempore, aut quandocumque vacare contigerit, proviſio, & commoda diſpoſitio ad dictum Henricum, & pro tempore exiſtentem Francorum Regem, perpetuò ſpectet & pertineat, ſpectareque & pertinere debeat.

§.4. Et tam hac prima vice quàm quotieſcumque alia ejuſdem Magiſtratus vacan. evenerit, quicumque de eo per dictum Regem proviſus fuerit, ut præfertur, poſt proviſionem hujuſmodi factam intra tres menſes ex nunc proximos, novam deſuper ab eadem Sede proviſionem, ſeu confirmationem petere & impetrare, ac fidei Catholicæ profeſſionem juxta articulos à dicta Sede traditos emittere, illamque ſic emiſſam, & ab eodem Magno Magiſtro manu ſua ſubſcriptam, ad eandem Sedem intra eoſdem tres menſes tranſmittere debeat, & teneatur, cum eo tamen quod dictus Magnus Magiſter in Regno, & adminiſtratione dictæ Militiæ, niſi poſt obtentam novam proviſionem, & emiſſionem profeſſionis hujuſmode, nequeat ſe intromittere. Necnō prædictæ erectæ Militiæ dotem per dictum Henricum Regem de ſuis bonis merè laïcalibus, non tamen Eccleſiaſticis, ut præfertur dotandæ, etiam perpetuò concedimus, & applicamus.

§.5. Ac inſuper pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro hujuſmodi, ut ſupremam ſeu principalem ejuſdem Militiæ, vel Ordinis Sedem poſt hanc primam vicem ad quemcumque locum etiam Maritimum in Regno, ſeu locis per eundem Regem poſſeſſis, de licentia tamen ejuſdem Sedis Apoſtolicæ, transferre & collocare, ac Milites creare, qui eandem fidem profiteri, & fidelitatis juramentum tam Romano Pontifici, quàm dicto Magno Magiſtro præſtare etiam teneantur, & debeant.

§.6. Stabilimenta quoque, ſtatuta, & ordinationes Militiæ, ſeu Ordinis hujuſmodi, illiuſque proſperum regimen concernentia, à Sede Apoſtolica prædicta approbanda condere, ac condita pro temporum, & rerum qualitate, ſi opus fuerit, mutare, & alia de novo edere, dummodo licita, & honeſta ſint, ac ſacris Canonibus, & præſertim decretis Concilii Tridentini ac conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus.

§.7. Necnon prædicto Magno Magiſtro, ut perpetuis futuris temporibus per ſeipſum dumtaxat, & non alium, juxta ſtabilimenta & decreta prædicta, de omnibus & ſingulis Prioratibus, Præceptoriis & membris, ceteriſque

que beneficiis Eccleſiaſticis ejuſdem Militiæ, ſeu Ordinis ut præfertur erecta, ſeu erecti, qui pro tempore qualitercumque, & ex quorumcumque perſonis etiam quamcumque reſervationem inducentibus, ubique etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictam vacaverint, Militibus & perſonis dicti Ordinis providere poſſit.

§.8. Prioribus verò & Præceptoribus, ac Capellanis Militiæ, ſeu Ordinis hujuſmodi, habito & obtento ſui Magiſtri conſenſu ac licentia & approbatione à locorum Ordinariis, in Eccleſiis etiam Militiæ Miſſas celebrare, necnon quibuſcumque Militibus & perſonis Militiæ, ſeu Ordinis hujuſmodi Extremæ Vnctionis, aliaque Eccleſiaſtica ſacramenta, etiam in mortis articulo & omni tempore (ſine tamen Parochialium Eccleſiarum, & illarum Rectorum præjudicio) adminiſtrare, & eorum Confeſſiones prævia Ordinariorum approbatione audire, & illos in forma Eccleſiæ conſueta, impoſita pœnitentia ſalutari abſolvere.

§.9. Magiſtro autem ac Militibus, Presbyteris ac Capellanis prædictis, eorumque ſingulis, tam Clericis quàm laicis, etiam uxoratis, & bigamis (non tamen trigamis, ut unam vel plures penſiones annuas, Magiſter videlicet uſque ad mille quingentorum, ceteri verò Milites prædicti ad quingentor. ducator. auri de Camera ſummas ſuper Cathedralium etiam Metropolitanarum, & aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum etiam Conſiſtorialium, Prioratuum, Canonicatuum, etiam præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium & quorumvis Ordinum regularium, qualitercumque qualificatorum, in Dominiis per dictum Regem poſſeſſis dumtaxat conſiſten. fructibus redditibus, & proventibus, juribus, & emolumẽtis univerſis, ac etiam diſtributionibus quotidianis, eis Apoſtolica auctoritate reſervatas, & reſevandas, vel loco penſionum annuarum hujuſmodi omnia, & ſingula fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones & emolumenta, ac diſtributiones hujuſmodi, ſibi uſque ad dictam ſummã, ut præfertur reſervata, & reſervanda, etiamſi poſt illarum, vel illorum reſervationem uxorem duxerint, & matrimonium contraxerint, ac etiam, ut præfertur, bigami (non tamen trigami) & ultra, dictoque matrimonio conſtante ad eorum vitam, unà cum quibuſvis Præceptoriis, & aliis beneficiis dictæ Militiæ percipere, exigere, & levare, & in ſuos uſus, & utilitatem convertere liberè, & licitè valeant, eiſdem auctoritate, & tenore de ſpeciali gratia etiam indulgemus, ac deſuper cum eiſdem Magiſtro, & militibus, ac eorum ſingulis diſpenſamus.

§.10. Præterea Militiam prædictam, illiuſque Milites, res, & bona à quibuſvis exemptionibus, quartis, mediis, & aliis quibuſcumque gravaminibus impoſitis, & quandocumque imponendis, ac ſuperioritate quorumcumque ordinariorum, etiam perpetuò eximimus, & liberamus, illaque omni modo juriſdictioni, ſuperioritati, & obedientiæ dicti Magiſtri ſubjicimus & ſupponimus.

§.11. Poſtremò ad augendam Chriſti fidelium devotionem, & animarum ſalutem procurandam, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, Magiſtro, Militibus, & aliis perſonis prædictis verè pœnitẽtibus & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, tam in die qua in dicta Militia, ſeu Ordine recepti fuerint, & in ea ſeu eo profeſſionem emiſerint, quàm ſingulis annis in feſto ejuſdem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, die 16. Julii celebrari ſolito, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem feſti, & etiam in eorum mortis articulo ſaltẽ contritis, ac nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocantibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem dicta Apoſtolica auctoritate earumdem tenore præſentium miſericorditer in Domino ei perpetuò concedimus, & elargimur.

§.12. Quocirca dilectis filiis Anicien. & Damaſcen. ac Pariſien. Officialibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta, ubi, & quando opus fuerit publicari, & ab omnibus ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum firmiter obſervari, non permittentes Milites prædictos deſuper à quoquam quomodolibet moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo.

§.13. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, illarumque Præſulibus, Capitulis, Conventibus, Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cũ quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, & contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede prædicta indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. *Contraria ſ[...] que derogat.*

§.14. Nulli, &c. noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, indultorum, diſpoſitionis, exemptionis, liberationis, ſuppoſitionis, conceſſionis, mandati, derogationis, & elargitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctionem pœnalem adjicit.*

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1607. 14. Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno 3. *Dat. P. A 3. 16. Febr. * aliàs 1608.*

*Sequuntur Pontificia Ordinationes, de quibus in rubrica.*

## *PAVLVS PAPA QVINTVS.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.* 

*Edita A.D. 1607.*

Militantium Ordinum inſtitutio Reipublicæ Chriſtianæ utilis, & Catholicæ fidei tutelæ & propagationi proficua futura eſſe dignoſcitur, ſi certæ regulæ præſcribantur, ſub quarum felici auſpicio & regimine, Militiis hujuſmodi nomen daturi, & rectè vivere, & Catholici nominis hoſtes debellare valeant. *Exordium.*

§.1. Hinc eſt, quod nos qui nuper piis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Francorum Regis Chriſtianiſſimi nomine ſupplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, ad omnipotentis Dei, & ejus Glorioſiſſimæ Matris Virginis Mariæ gloriam, & S.R.E. Exaltationem, hæreſumque extirpationem, & hæreticorum depreſſionẽ, Militiam de delectis Gallicanæ Nationis viris nobilibus & ingenuè natis, ſub denominatione, ſeu titulo, ac regula ejuſdem Glorioſiſſimæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo ereximus & inſtituimus, cupientes ut illa piis & opportunis regulis ordinata, & innixa, religioſo gradu jugiter & feliciter incedat, ejuſdem Henrici Regis nomine nobis humiliter porrectis precibus annuentes. *Vt Militia prædicta piis regulis ordinata feliciùs in dies procedat, hic PP. hæc ſtatuit, videlicet.*

§.2. Quod perpetuis futuris temporibus dictæ Militiæ Milites fidei profeſſionem juxta articulos tempore felicis recordationis Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri à Sede Apoſtolica propoſitos, & approbatos, in manibus Magni Magiſtri ejuſdem Militiæ, ſeu ab eo deputandi, emittere, illamque manu propria ſubſcriptam, ei qui curam Archivii ipſius militiæ habebit conſignare. *Milites fidei profeſſionem emittant.*

§.3. Eoque die quo habitum militarem ſuſcipiunt, ante illius ſuſceptionem, peccata ſua ſacramentaliter confiteri, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere. *In ſuſceptione habitus Euchariſtiæ Sacramentum ſumant.*

§.4. Necnon in palliis Crucem fulvi ſeu impluviati coloris, imaginem dictæ Virginis Mariæ in medio habẽtem geſtare, aliam quoque Crucem auream, cui ab utroque latere ejuſdem Glorioſiſſimæ Virginis imago ſit ſericea ejuſdem coloris à collo pendentem deferre. *In Palliiſque Crucem fulvi coloris imaginem B. Virginis in medio habẽtem, & aliã Crucem cum d. imagine à collo pendentem geſtent.*

§.5. Inſuper Deo, & eidem Glorioſiſſimæ Virgini Matri Mariæ, & dictæ Militiæ magno Magiſtro, juxta tenorem *Vota obedientiæ & caſtitatis co[n]jugalis emittant.*

prædictæ erectionis creato, obedientiæ & caſtitatis conjugalis vota emittere.

*Contra R. E. hoſtes pugnare promittãt.*

§.6. Ac quotieſcumque à nobis, & Sede Apoſtolica, aut Francorum Rege Chriſtianiſſimo pro tempore exiſtente prædicto Magno Magiſtro præcipietur, contra Romanæ Eccleſiæ hoſtes pugnare.

*Officium B. Mariæ, ſeu Coronã ſingulis diebus recitent.*

§.7. Ad hæc ſingulis diebus officium B. Mariæ, ſeu Coronam, quanta majori poterit devotione recitare.

*Feſtis & Sabbati diebus Miſſam audiant.*

§.8. Feſtis quoque, & legitimè non impediti, Sabbati diebus ſacrum Miſſæ ſacrificium audire.

*Feria III. ab eſu carnium ſe abſtineãt.*

§.9. Necnon Feria tertia cujuſlibet hebdomadæ ab eſu carnium abſtinere.

*Feſtis B. Mariæ Euchariſtiam ſumant.*

§.10. Quolibet verò ipſius glorioſiſſimæ Virginis Mariæ feſtivitatis die, & præcipuè de Monte Carmelo, quæ die 16. Julii celebrari ſolet, peccata ſua ſacramentaliter confiteri, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere.

*De Feſto B. Mariæ ad ea celebrandam conveniant.*

§.11. Eodemque die feſtivitatis B. Mariæ de Monte Carmelo, in locum per dictum Magnum Magiſtrum deſignandum, ad devotè celebrandam hujuſmodi feſtivitatem ſimul congregari.

*Militiæ ærario ſolitas reſponſiones perſolvant.*

§.12. Denique ratione commendarum, quæ juxta tenorem erectionis prædictæ fundabuntur, quaſque obtinebunt, ſolita jura, & reſponſiones ærario dictæ Militiæ prout aliarum Militiarum Milites perſolvere ſolent, etiam ſolvere debeant & teneantur.

*Sub quibuſvis ducibus abſque licẽtia Magni Magiſtri non militent.*

§.13. Quia verò ex Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſubditis d. Militiæ Milites juxta prædictæ erectionis tenorem eſſe debent, ſub quibuſcumque ducibus abſque expreſſa dicti Magni Magiſtri licentia, ſub pœna privationis habitus dictæ Militiæ nullo modo militare poſſint, perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ſicque à Militibus prædictis obſervari præcipimus & mandamus.

*Quibuſcumque non obſtant.*

§.14. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 3. 26. Febr.*

Datum Romæ apud S. Petrum, die 26. Februarii 1608. Anno 3.

---

## XLII. Quod Rex Franciæ perpetuus Adminiſtrator Militaris Ordinis ſancti Spiritus, etiam exteros Catholicos ad Militiam admittere poſſit. Et tam ipſe, quàm alii ejuſdem Militiæ Sacramentum Euchariſtiæ infra octavam ante generalem ejus Congregationem, & ad habitus admiſſionem ſumere debeant.

*Edita A.D. 1608.*

### PAVLVS PAPA QVINTVS.

*Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico Francorum Regi Chriſtianiſſimo, Sal. & Apoſt. bened.*

*Statutis Ordinis Militaris S. Spiritus cavetur, quod exteri qui habilitati, & Regni Franciæ Incolæ non ſunt non recipiãtur, & tam Rex quàm cæteri die Congregationis generalis Euchariſtiã ſumere teneantur.*

§.1. Majeſtatis tuæ nomine nobis nuper expoſitum fuit, quod Statutis Militaris Ordinis ſancti Spiritus, cujus majeſtas tua perpetuus Adminiſtrator eſſe dignoſcitur, inter alia cautum eſt, ne exteri, qui habilitati, & Regni Franciæ incolæ non ſunt, in Milites dictæ Militiæ recipiatur, die verò generalis Congregationis dicti Ordinis, quando etiam aliquis ad habitus per ejuſdem Militiæ Milites geſtari ſoliti ſuſceptionem admittitur, ut tam Majeſtas tua, quàm Officiales dicti Ordinis & Milites, & quiſquis ad habitum admittitur, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere teneantur.

*Rex autem hunc Ordinẽ etiam ad exteros qualificatos extendi, & Euchariſtiæ ſumptionem magis devotè ante diem Congregationis, vel admiſſionis ad habitum eius ſumere poſſe expetãs Pont. ſupplicat pro opportuna proviſione.*

§.2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Majeſtas tua, quæ ſicut & prædicti Officiales, ac Milites, ſtatuta hujuſmodi obſervare voto, & juramento ſe aſtrinxerunt, ad Spiritus ſancti gloriam, & Catholicæ fidei exaltationem dictum Ordinem extra Regnum Franciæ longius diffundi, & in exteros fidei prædictæ zelo conſpicuos, ac alias juxta ejuſdem Ordinis ſtatuta qualificatos extendi poſſe plurimùm deſideret. Cumque etiã dicto die generalis Congregationis, & admiſſionis ad habitus ſuſceptionem, aliis negotiis, & officiis magna cum mentis agitatione potiùs, quàm orationi & ſpirituali contemplationi vacari ſoleat, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramẽtum aliquot diebus ante, longè majori cum reverentia, & ſpirituali fructu ſumi poſſet. Idcirco eadem Majeſtas tua nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis de benignitate Apoſt. providere dignaremur.

*Igitur ... Regi ... ditis exter... Catholicos recipere, ... eidem, ac aliis infra Octavã ... ordinis ... Congregationis Euchariſtiam ſumere ...*

§.3. Nos igitur, qui illa quæ ad Spiritus ſancti gloriam & Catholicæ fidei exaltationem cedunt, ac fidelium devotionem augent, ejuſdẽ ſancti Spiritus gratia ſuffragante, promovere deſideramus, Ordinis prædicti propagationi, & Militum ejuſdẽ animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, votum & iuramentum prædicta, illis in cæteris omnibus in iis contentis firmis remanentibus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium relaxamus. Vtque Majeſtas tua, & prædicti Officiales, ac Milites, exteros etiam non habilitatos, nec Regni Franciæ Incolas, Catholicos tamen, & gratiã, & communionẽ Sedis Apoſtolicæ habentes, dicto ſtatuto non obſtãte, in Milites dictæ Militiæ admittere, illique admitti (dummodo tamen in eorum admiſſione, aut alias quandocumque, qui non Majeſtatis tuæ, ſed aliorũ Principum, aut Dominorũ ſubditi & Vaſſalli exiſtent, votum aliquod, aut juramentum non emittant, aut præſtẽt, quod poteſtati aut ſuperioritati, vel juriſdictioni, aut alii cuicumque juri Principum, ſeu Dominorum, quorum ſubditi, aut Vaſſalli erunt, quomodolibet adverſetur) liberè & licitè poſſint. Necnon ut Majeſtas tua, Officiales & Milites prædicti, & quiſquis ad dictæ Militiæ habitus ſuſceptionem admittitur, non ipſo die Congregationis generalis, & quo habitum ſuſcipit, ſed infrà Octavam præcedentem Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere valeant & teneantur, (ita tamen, ut ante diem Congregationis & admiſſionis ad habitum hujuſmodi, tam Officiales & milites, quàm ad habitum admittendi, ſe prædictum, Sacramentum infra dictum tempus ſuſcepiſſe legitimè oſtendant) eadem auctoritate concedimus, & indulgemus. Et votum, ac juramentum Prædicta ad hunc effectum commutamus, & pariter relaxamus, ac ſtatuimus, & ordinamus.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.4. Non obſtantibus præmiſſis, ac dictæ Militiæ ſtatutis, etiam juramento, &c. roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. ... die 16. F...*

Datum Romæ apud S. Marcum, &c. die 16. Februarii 1608. Pontificatus noſtri Anno 3.

---

## XLIII. Quod ſacrum opus, Agnus Dei in cera ſignandi, & fractum renovandi, perpetuò ſpectet ad Monachos dumtaxat Congregationis B. Mariæ Fulienſis in Vrbe, Ciſtercienſis Ordinis S. Benedicti.

*Hujus Congregationis inſtitutionem, & alia attende ſuprà in Sixti V. conſt. 32. Religioſos, lib. 2. ubi notavi.*

*Edita A.D. 1608.*

### PAVLVS PAPA QVINTVS.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

Romanum decet Pontificem in ſupremo Sedis Apoſtolicæ ſolio divina diſpoſitione conſtitutum, ad ea munera in quibus ſacra, & ſancta ex Catholicæ religionis ritu tractanda ſunt, viros ex delectu peculiari cura, & ſollicitudine aſſumere, qui æquè vitæ integritate, ornatu, ac uſu, & peritia præditi, in muneribus hujuſmodi hinc cum utilitate & fide, illinc cum rerum dignitate verſari poſſint, & velint.

*Clem. VIII. delegit religioſos ... ſignandi ... cera Agnus Dei, toto tempore ſui ...*

§.1. Quod prudenti conſilio à fel. record. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro factum fuit. Nam cùm animo deſtinaſſet ad opus ſacrum, Agnus Dei in cera ſignandi, & fractum renovandi, certas, & idoneas perſonas deputare, quæ ad hoc pium, & devotum munus deligerentur, religioſos Congregationis B. Mariæ Fulien. dignos & idoneos judicavit, ac etiam pro inſigni ſua pietate, toto ſui pontificatus tempore delegit.

*Ipſi ... plenè ... verunt.*

§.2. Religioſi autem ipſi delatum munus aggreſſi, expectationi d. Clementis Prædeceſſoris abundè reſponderunt.

*Leo idem ... eiſdem ... munus ... probavit ...*

§.3. Quod permovit piæ mem. Leonem Papam XI. etiam prædeceſſorem noſtrum, ut ipſos religioſos in eo munere confirmaret.

*Hic ... Pont. eiſ... dumtaxat ... illud per... tuò ... dat.*

§.4. Cujus veſtigiis nos inhærentes, ac exiſtimantes ipſos Religioſos in prædicto munere retinendos, ac ſpeciali aliquo Sedis Apoſtolicæ privilegio & decreto in eam ſententiam cohoneſtandos, Motu proprio, non ad

ipſorum

ipſorum religioſorum, vel alicujus alterius nobis pro eis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtra, ac de Apoſt. poteſtatis plenitudine, d. Congregationi, illiuſque religioſis nunc & pro tempore exiſtentibus, munus & officium factum Agnus Dei in cera ſignandi, & fractum renovandi, in Monaſterio S. Pudentianæ, & Prioratu S. Bernardi de Vrbe dictæ Congregationis, ac quolibet eorum, vel alibi (ſi ita nobis, & Rom. Pontifici pro tempore exiſten. viſum fuerit) per religioſos ad id à moderno, & pro tempore exiſtente ejuſdem Congregationis Generali deputandos debitis temporibus obeundum & exercendum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, perpetuò committimus & mandamus, ac etiam concedimus, & aſſignamus, ipſoſque religioſos ad opus, munus & officium hujuſmodi, ab illis modo & forma præmiſſis obeundum, & exercendum, cum plena, libera & omnimoda facultate, & auctoritate omnia & ſingula circa illud neceſſaria faciendi, & exequendi, perpetuò conſtituimus, & deputamus.

§.5. Diſtrictiùs propterea præcipientes & inhibentes omnibus & ſingulis quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, & hoſpitalium Monachis, Fratribus, & religioſis, ac cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & authoritatis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, ne in opere, munere, & officio hujuſmodi, per ſe vel alium, ſeu alios ſe ingerere, vel immiſcere, ſeu religioſos dictæ Congregationis Fulienſis deſuper quoquo prætextu vel cauſa moleſtare, perturbare, ſeu inquietare quovis modo audeant, ſeu præſumant.

§.6. Ac irritum decernentes, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non obſtan. præmiſſis, & quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Martii 1608. Pont. noſtri anno 3.

## LIV. Facultas Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, perpetui Adminiſtratoris Militaris Ordinis S. Spiritus, Statuta pro illius proſpero regimine neceſſaria, & utilia edendi, corrigendique & immutandi.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico Francorum Regi Chriſtianiſſimo, Salutem & Apoſt. bened.*

MAjeſtatis tuæ votis, quæ ex Catholicæ religionis zelo prodire conſpicimus, libenter annuimus.

§.1. Hinc eſt quod nos ſupplicationibus ejuſdem Majeſtatis tuæ, quæ Militaris Ordinis S. Spiritus perpetuus adminiſtrator exiſtit, nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Adminiſtratori, ſeu Magno Magiſtro, ut quæcumque ſtatuta prædicti Ordinis, prout rerum & temporum qualitas, & ratio exegerit, ac tibi adminiſtratori, ſeu Magno Magiſtro pro tempore exiſtenti expediens videbitur, corrigere, ſeu in meliorem formam reducere, reformare, alterare, mutare, & interpretari, ac alia dicti Ordinis, illiuſque Militum, rerum & bonorum proſperum ſtatum, regimen, & gubernium, felicemque directionem & adminiſtrationem concernentia, ac aliàs Ordini & Militibus prædictis neceſſaria, & utilia, licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus & Concilii Tridentini decretis, necnon conſtit. & ordinat. Apoſtolicis non contraria, de novo ac ex integro cōdere, & facere liberè, & licitè poſſis, & valeas, ac poſſit, & valeat, plenam, & liberam facultatem & licentiam ac auctoritatem, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & elargimur.

§.2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum, &c. die 17. Aprilis 1608. Anno 3.

## LV. Canonizatio S. Franciſcæ Romanæ, ex oblatis Sororibus Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti.

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita An. D. 1608.*

CÆleſtis aquæ flumen, quod ab inexhauſto vitæ fonte procedens, perpetuo fluit impetu, qui lætificat Civitatem Dei, cum abundantius effunditur, & hortos plantationum ſupernæ Sapientiæ, hoc eſt fidelium mentes, ſeptem chariſmatum donis felici inundatione fœcundat, tunc ſanè qui magnus eſt ſemper, magnus nimis apparet, & mirabilis in altis Dominus, in Sanctis ſuis videlicet, qui terrena abnegantes deſideria, ac ſolem Juſtitiæ induti Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, vitæ puritate ſine reprehenſione nitidi, virtutum luminibus igne charitatis accenſi, quaſi ſtellis ornati, excelſi ſpiritu, in carne ambulantes, & ſecundum carnem non militantes, cœli pretioſi Domino, & Dei ſedes efficiuntur. *Miſericordia Domini et ſi in terris ſuper ſervis ſuis multa ſunt.*

§.1. Quæ ſanè dexteræ Excelſi opera multò illuſtriora reſplendent, multoque cernitur admirabilior magnificentia Domini, cum erga vaſcula infirmiora, & ſexum conſilii imbecillioris apponens cor ſuum, miſericordiarum ſuarum divitias ſuperabundanter elargitur. *Etiam in imbecilli ſexu mulierum.*

§.2. De quo cœleſti dono meritò omnis Eccleſia, ſed Romana præcipuè in Domino gloriatur. Quæ cum inenarrabili Dei beneficio cunctis prælata Eccleſiis, principatum acceperit Eccleſiarum, & beatorum Principum Apoſtolorum doctrina fuerit unà cum ſanguine irrigata, in hoc etiam agnoſcit felicitatem ſuam, quod ut fortiſſimorum Martyrum purpuratis populis, ut venerabilium Sacerdotum beatis cœtibus, caſtiſſimarumque Virginum ſplendidis choris, ita etiam ſanctarum Mulierum cœleſtibus numeris, quaſi multiplici rutilantium honore gemmarum coronâ decora, Orbi univerſo præfulget. *Hinc omnis, & magis Romana exultat Eccleſia, mulierum Sanctorum decore illuſtrata.*

§.3. In hac igitur Eccleſia, matre Eccleſiarum & magiſtra ſanctitatis, renovans Dominus caſtitatis, & multarum excellentium virtutum vetuſta Romanarum mulierum fidelium exempla, ducentis fermè ab hinc annis in ornamentū totius domus ſuæ, & Eccleſiæ univerſæ, ſuſcitavit mulierem, vera fortitudine fortem Franciſcam nomine. Hæc enim per gratiam Spiritus Sancti, naturæ uſum, & ſexus, infirmitatem tranſgrediens, accincta robore, & in ſpiritu ambulās, deſideria carnis nō perfecit, ſed odit animam ſuam in hoc mundo, ut in vitam æternam cuſtodiret eam, & per altiſſimam humilitatem elegit abjecta eſſe in domo Domini, ac propter verba labiorū ejus cuſtodire vias duras, currens per arduas Chriſtianæ perfectionis ſemitas in odorem unguentorum ſpōſi, quamobrem introduxit illam Rex in cellaria ſua, ubi exultat, & lætatur in eo, ubi non occidet ultra Sol ejus, & Luna ejus non minuetur. Hujus virtutes, fidei puritas, vitæ, morumque ſanctitas, aliaque hujuſmodi cœleſtia dona, miraculorum inſignibus cōprobata teſtimoniis, adeo excellentia fuerūt, ut Eccleſiæ Catholicæ auctoritate illuſtratione diutiùs deſtitui planè non deberent, ſed proponenda aliquando eſſent imitanda fidelibus, ut glorificaretur per illam Dominus Pater miſericordiarum. *Et mox Beata Franciſca de Pontianis Romana ſanctitate illuſtris reddita.*

§.4. Quam etiam ob rem nonnulla de ejuſdem virtutibus, & miraculis hic duximus ex legitimis actis referenda. Dilecta Dei filia Franciſca ex Paulo Buxio, & Jacobella de Broffedeſchis Romanis, nobilibus genere, ſed longè nobilioribus prole conjugibus nata, & è Laurentii mariti familia de Pontianis vocata, data eſt Eccleſiæ ſuæ à Domino circa annum 1384. Quæ ut erat ſorte gratiæ Spiritus ſancti ſortita animam bonam, vel in infantia ſua ſigna futuræ ſanctitatis dabat. Averſabatur gaudia hujus ſæculi, ejuſque ætatis ludos, & illecebras abhorrens, ſolitudine magnopere capiebatur. Creſcens confortabatur ſpiritu, & quam amabat, ſolitudine fruebatur, in dies magis orationi vacando. *Cujus multarum virtutum præclara aliqua mox recenſentur. Infans etenim ſæculi illecebras fugit, & in ſolitudine Orationi vacavit.*

§.5. Undecimum annum nata, ut jugum Domini citò portare inciperet, Chriſto Virginitatem conſecrare, & Monaſterium ingredi propoſuit, ſanctoque propoſito hujuſmodi convenienter vivendo, quaſi ſolitariam vitam agebat, & jam in cœlis converſari incipiebat. Verùm quia voluntas Dei erat, ut conjugalis ſtatus perfectionis grāde documentum daret, parentes quibus ſubdita erat, nubere viro diviti, & nobili eam voluerunt. Illa verò haud deſiit nupta cogitare quæ Dei ſunt, ſed in ſācto, & immaculato conjugio virum habuit tanquam non haberet, *Nupta virū habuit tanquam non haberet.*

& quemadmodum Sara obediebat Abrahæ, ſic illa viro ſemper obediens fuit.

*Devotis meditationibus aliiſque ſanctis operibus ſtuduit.*

§.6. Curis familiaribus à ſpiritualibus minimè diſtrahebatur, ſed rebus domeſticis diſpoſitis, non egrediebatur foras cum *Dina*, ut videret *filias alienigenas, ſed ipſas* horas in ſecreto cubiculi ſui devotè orando, & meditando quotidie tranſigebat. Abſtinebat ſpectaculis, nuptiarum celebritatibus, nec ingrediebatur domum convivii, neque etiam cognatorum, ejuſque oblectamenta, & deliciæ erant Eccleſias, & Hoſpitalia frequentare, verbi Dei prædicationibus, & divinis Officiis cum devotione intendere.

*Religioſam domum pro mulieribus Oblatis Ordinis S. Benedicti in Vrbe inſtituit.*

§.7. At qua ratione in dies magis Chriſto placeret indagans, quod ſibi viro alligatæ non licebat, id ut Sorores ſuæ in Chriſto Romanæ mulieres præſtarent, curavit. Itaque complures à ſæculari ad arctioris vitæ *inſti*tutum revocās, domum religioſam Oblatarũ ſub Regula S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti in Vrbe inſtituit. Et cum *dediſſet* Domino innupta, dediſſet nupta fructus ſuos, multiplicans Deus cum illa miſericordiam ſuam, fructificare etiam eam voluit in ſancta viduitate.

*Quarum numero poſt viri obitum aſcripta fuit, ibique ſanctiſſimam vitam duxit.*

§.8. Itaque *defuncto* marito, paucis annis ante ſuam dormitionem, variis ſervitutis obſequiis non deſtitit Chriſto famulari. Proinde ſanctum clauſtralis vitæ propoſitum ſollicitè adimplere volens, abſque mora Oblatas, quas ipſa Chriſto pepererat, *nudis pedibus adit*, ac vinculo de collo pendente, prona in terram, multiſque cum lachrymis quaſi peccatrix indigna, non tanquam earum parens ſuppliciter illas orat, ut ſe ipſarum numero adſcribant. Adſcripta, verbo, & exemplo magnopere, ut par erat, in Sororibus profecit, donec conſummato curriculo, ad coronam juſtitiæ accipiendam de manu Dei, ætatis ſuæ annuo LVI. virtutum donis onuſta, & ſignis ac prodigiis clara, à Domino evocata eſt.

*Humilitate, & in proximum charitate nimia claruit.*

§.9. Cujus ex multis, ac præclaris virtutibus humilitas in primis, per quam ad ſolidam, veramque celſitudinem pervenitur, maximè enituit. Non illi, etiam dum in conjugio vixit, quanquam nobili & opulento viro collocatæ, ſerica, non auro contexta, ſed vilis, & lanea veſtis. In Clauſtrali vita, eſſet licet omnium Oblatarum mater, item domi, quaſi domina miniſtrari nunquam, ſed memor Domini verbi, miniſtrare omnibus amabat, ac tanquam ancilla tractari, & ancilla videri delectabatur, alioque honoris titulo, quàm peccatricis, immunditiæ vaſculi, fœminæque viliſſimæ, & abjectæ ſe minimè inſignivit. Nec verbis tantùm, ſed re etiam propter Chriſtum, ut abjecta eſſet, ſedulò curabat, ita ut ſæpè ſuburbana vinea ſua revertens, lignorum faſces in capite pauperibus portaret, interdum aſellum lignis, & ſarmentis, in uſum ſimiliter pauperum onuſtum, per Vrbem ageret, oſtendens videlicet omnia eſſe facilia charitati, qua etiam beatam mulierem abundè fuiſſe à Spiritu Sancto donatam, præter hujuſmodi perfectionis opera, cujus eſt vinculum charitas, illa præterea declarant. Super egenos & pauperes benignè, & multifariam reſpiciebat, largas eleemoſynas, hoſpitalium præſertim infirmis erogabat. Viſitabat eos frequenter, neque ſolùm afferebat corporis cibaria, ſed monita etiam ſalutis, & ad Eccleſiæ ſacramẽta ſuſcipienda illos inducebat. Pium afflictos conſolandi officium, ad amorem Dei, & mundi contemptum cohortando, aſſiduè præſtitit. Orabat frequenter pro peccatoribus ferventi ſpiritu, maximeque in id incumbebat ejus ſollicitudo, ut Romanas matronas à pompis ſæculi, & ornatus vanitate abduceret.

*Patientia & fortitudine multa eminuit.*

§.10. Et quoniam, ut Beatus inquit Gregorius, pœna interrogat, ſi quietus veraciter amat, ſicut non extollebatur proſperis, ſic tribulationibus agitata, non ſolùm æquo animo, patienterque ferebat, ſed novit etiam, Sanctorum æmulando virtutem, Domino gratias agere. Nam exilio mariti, bonorumque magna jactura, & domus univerſæ mœrore aliquando graviter tentata, ejus querelæ benedictiones illæ frequentes fuere, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Potuit ſimiliter in eo qui illam confortabat, non ſolùm adverſis mundi hujus, ſed Principis quoque tenebrarum viſibilibus inſultibus fortiter reſiſtere. Sæpè enim inter orandum à Diabolo verberibus affecta, ad terram alliſa, cæſaque in facie, induta loricam juſtitiæ, & ſumpto ſcuto fidei, tentatorem ſic imperterrita eluſit, ut illi formidabilis evaderet, ſed & Angeli præſidio, quem familiarem, protectorem & comitem ſingulari Dei beneficio habebat, ab hujuſmodi inimici tentationibus defenſam in actis conſignatum apparet. Vnde factum putatur, ut poſt B. Franciſcæ dormitionem, ſtatim ejuſdem *imagines cum Angelo pingerentur, & uſu retentum fuerit.*

§.11. Nec minori virtute in Chriſto *Jeſu cum hoſte* domeſtico pugnavit. Sed exemplo electorum Dei admirabilem in modum caſtigavit corpus ſuum, & in ſervitutem redegit. Cibum illi ſemel in die herbæ & legumina, aqua potum præbuerunt. Sive vigilaret, ſive dormiret, aſperum laneum induſium non exuebat, duroque cilicio, ac ferreo cingulo ſuper nuda membra mortificabat; accedebant flagella ferreis aculeis aſpera, quibus corpuſculum, quanquam *aliunde attritum, ſeveriſſimè* atterebat. Sed quoniam tanti illi erat obedientia, ut juſſa ageret etiam quod nolebat, confeſſarii mandato ab hujuſmodi *corporis* cruciatibus modicè temperavit. *His* autem modis eum qui foris eſt, hominem affligens, ex quo ille qui intus eſt, firmior redditur, magno mentis ardore divina omnia, præſertim *Domini* paſſionem contemplabatur, tantumque lachrymarum profundebat, ut doloris ſenſu acerbiſſimo confici putaretur. Sæpè cum oraret, maximè ſumpto Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſpiritu in Deo elevata, ac cœleſtium contemplatione rapta immobilis perſiſtebat.

*Ap... vita, b... xima... tia ... Divi... qui ... platio...*

§.12. Hujuſmodi virtutes ardentis fidei munere ſtabilitas, miraculorum clariſſimis luminibus manifeſtare volens mirabilis Dominus, multa grandia ſigna, multaque mirabilia operari per Sanctam ſuam, & viventem, & dormientem dignatus eſt.

*Mira... viven... ſtris ſui... rum ali... refer...*

§.13. Nam ut multis pauca referantur, primùm ſuper ægros manus impoſuit, & bene habuerunt. Siquidem comitiali morbo graviſſimo quinque annorum ægrotus adoleſcens, Menicus nomine, Tartagliæ cujuſdam filius, cum illum ad ſanctam mulierem Rentius avunculus duxiſſet, ut orationibus ejus juvaretur, & illa manu ſuper ægroti caput impoſita, bene ſperare juſſiſſet, quando divina bonitate conſideret amplius morbum non paſſurum, confeſtim ſanatus eſt.

*Ægrum comiti... morbo ſ... vit.*

§.14. Ejuſdem manus contactu puerum, Lælii de Cinque Romani filium, hernia cum ruptura laborantem, & mox chirurgo tradendum, extrema remedia adhibituro, ſtatim ſimiliter ancilla Chriſti ſanavit.

*Herni... boran... beravit.*

§.15. Ac Sanctæ auxilium implorando, obviam illi facta fœmina quædam, Angelella nomine, quæ ex articulari morbo brachii uſum abſque ſpe ſanitatis perdiderat, illicò convaluit.

*Brachii ... mulieri ... didit.*

§.16. Dedit quoque admirabiliter per illam Dominus eſcam eſurientibus, & opera quæ ipſe fecit, innovavit. Cùm in Monaſterio ageret jam Oblata, contigit aliquando ut ſororibus, tunc numero quindecim, ſub refectionis horam, panis paucula ſolùm fragmenta, quæ vix tribus reficiendis ſufficiebant, eſſe cognoſceret: quamobrem, ceteris valde ſollicitis, ſola ipſa immota Dominum proviſurum inquit, poſitiſque fragmentis ſuper menſam benedixit, & comederunt omnes agentes gratias Deo, ac ſaturatæ ſunt, tantumque panis ſuperfuit, ut caniſtrum impleretur.

*Panes ... tiplica...*

§.17. Ad hæc, cum ex eiſdem ſororibus complures extra Vrbem, ligna parandi cauſa, menſe Januario eſſent, ac præ labore ſitirent, & ad aquam hauriendam ullam ex iis procul ire Franciſca honeſtum non duceret, in Domino ſperare illas jubet, Dominumque proviſurum pariter affirmat: tum verò ſtatim ad vicinam arborem converſæ vitem, & in ea tantum uvæ adſpiciunt, ut ſuum unaquæque botrum, juſſu Franciſcæ gratias Deo agentis, decerpere, ac ſitim extinguere potuerit.

*Vua ſor... bus ſiti... bus, ea ... te appar... runt.*

§.18. Elementa quoque non ſemel B. Franciſcæ ſanctitatis teſtimonium dederunt. Primùm enim, cum vigilia Sanctorum, Apoſtolorum Petri, & Pauli à viſitanda Apoſtoli Pauli Baſilica, nonnullis ex ſororibus comitata reverteretur, in proximam vineam ſuam cum flexiſſet, ibique ad aquæ rivum ſediſſet, mentemque levaſſet ad Deum, in ecſtaſin rapta, ſuper labentem aquam, minimè advertens, genua flexit, nec modico tempore aqua circu-

*Aqua l... bens ei ... ti perſiſt...*

ſepta

ſepta perſtitit, poſtquam verò ad ſe rediit, ſiccis veſtibus ex aqua egreſſa eſt, non ſecus ac ſi illam non attigiſſent. Simili deinde miraculo eodem anno, & loco, B. Virginis *Mariæ Horas recitans*, ancilla Dei honorificata eſt, *maximo enim imbre in aperto oppreſſa*, orare nihilominus perſeveravit, & *comitibus omnibus madidis, ſola madefacta non eſt.*

§. 19. Potens etiam fuit cœleſtis gratiæ dono ſecreta cordium cognoſcere. Etenim Laurentium Tuccii filium adoleſcentem, à propoſito occidendi gladio linguæ Franciſcum Sclavium educatorem ſuum revocavit, chriſtiana charitate illum corripiendo, & à concepto peccato dehortando, quod nulli revelaverat.

§. 20. Simili ſpiritu mortem inopinatam incolumis infantis quaſi *prævidens*, vitam illi æternam procuravit. Nam hora ſecunda noctis, quæ diem natalem ejuſdem infantis ſequuta eſt, domo præter morem egreſſa, ſtimulo charitatis, & gratia Spiritus ſancti, quæ tarda neſcit molimina, impellentibus, intempeſtiva ſollicitudine, ut ceteris videbatur, cum nulla accelerandi baptiſmi appareret cauſa, ut ſtatim baptizaretur curavit, poſt baptiſma verò ſubitus infantem morbus, quem mors cõſequuta eſt, occulto Dei judicio invaſit. Et his quidem ſignis inter cætera clarificavit Dominus famulam ſuam in ſervitute corruptionis vitæ hujus degentem.

§. 21. Poſtquam verò ab hac ſervitute in libertatem gloriæ liberata eſt, ipſo die dormitionis ejus, quæ Vrbem univerſam commovit, & duobus ſequentibus, quibus diebus ejus corpus inhumatum fuit in Eccleſia S. Mariæ Novæ nuncupatæ, ſimili miraculo, quo Sanctorum ſuorum corpora non ſemel honoravit, Franciſcæ etiam corpus honorare dignatus eſt Dominus. Tantis enim odoribus fragravit, ut omnia odoratis floribus referta viſa fuiſſe, acta teſtentur.

§. 22. Multa exinde ancillæ Dei ſanctimoniæ præclara miracula fidem fecerunt. Complures enim graviſſimis & extremis morbis opem, quam in medecinæ auxiliis invenire non potuerunt, in ejus, vel libri Horarum B. Mariæ Virginis, vel veſtium contactu, per ejus merita, & interceſſiones præſentaneam invenerunt.

§. 23. Conſtat enim inter cetera Viterbienſem fœminam Auguſtinam Angeli lippitudine, quæ viſum illi ademerat, panno oculis admoto, quo ſacrum Franciſcæ corpus contectum fuerat, ſubitò ſanatam.

§. 24. Et Hieronymum quendam Aromatarium qui peſte laborabat, in articulo mortis ejuſdem ſanctæ Veſte ſuperinjecta, ac voto eidem facto, ſubitò ſimiliter convaluiſſe.

§. 25. Aliam verò fœminam febri cum pleuritide ad perniciem procedente affectam, cui medicus neque ad ſequentem diem vitam promittebat, Franciſcæ velo lateri impoſito, dolore ſtatim liberatam, & poſtridie è lecto ſanam conſurrexiſſe.

§. 26. Multi etiam ſanctæ mulieris auxilio & interceſſione devotè ſolùm invocatis, è morbis ſimiliter variis & gravibus divina gratia evaſerunt. In his mulier quædam nomine Magdalena de Clarellis, peſte & ipſa laborans, quæ quamquam chirurgi ſcalpello læſa, brachii dolore ita cruciaretur, ut non putaretur à morte procul abeſſe, eadem hora convaluit qua mater ad Franciſcæ ſepulchrum pro filiæ ſanitate oravit.

§. 27. Inſigni quoque miraculo crurum ſanitate, B. Frãciſcæ interceſſione à Domino donatus fuit puer annorũ quatuor, Pauli Totti filius, qui cùm gravibus ulceribus inceſſu prohiberetur, mater quod puerum minimè ſaneſcere medicinæ remediis cerneret, illo in ulnis ſuſcepto, cùm ad ſanctæ imaginem in Eccleſiam B. Mariæ Tranſtyberim, pro ejus ſanitate devotè oratum veniſſet, nondum finita oratione, ecce ex ulnis deponi puer rogat, depoſitus ambulare incipit, ac domum pedibus redit, ſolutiſque ligaminibus, & motis emplaſtris, non ſolùm ſanis cruribus, ſed etiam ut divina magis per Sanctæ ſuæ merita eluceret potentia, ſine cicatricibus invenitur.

§. 28. Hujus itaque tam excellentis ſanctitatis lucernã, quoniam ſub modio eſſe nolebat Dominus, ſed aliquando ſuper candelabrum Apoſtolicæ auctoritatis decreto conſtituendum præordinaverat, factum eſt, vel paucis menſibus poſt felicem Sanctæ obitum, ut bon. me. Andreas Epiſcopus Maximanus, fel. rec. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri tunc in Vrbe in ſpiritualibus Vicarius, examen teſtium ſuper ejus vita, & miraculis committeret Epiſcopo Boven., ac Priori Monaſterii Sanctæ Crucis in Hieruſalem Ordinis Carthuſienſis, qui multorum teſtimoniis ſuſceptis, ſummariam inquiſitionem egerunt.

§. 29. Deinde verò biennio, ac nonnullis menſibus elapſis, & cauſa bon. me. Cardinali de Albertis delegata, inſtantibus Procuratore, & Syndico Monaſterii S. Mariæ Novæ, anno 1443. proceſſu cauſæ hujuſmodi coram bon. mem. Dominico Cardinale Firmano nuncupato, ſubdelegato Cardinalis de Albertis, ritè inſtituto, triginta & octo teſtes ſuper octoginta articulis recepti ſunt. *Proceſſus per Cardinalem ad hoc deputatum, ſubdelegato à Cardinale factus.*

§. 30. Defuncto Eugenio prædeceſſore prædicto, anno 1451. meritis B. Franciſcæ exigentibus, fel. rec. Nicolaus Papa V. pariter prædeceſſor noſter, qui Eugenio in Apoſtolatu ſucceſſerat, ac Canonizationis ejus negotium aggreſſus, inquiſitionem peragi per Spoletanum, & Mindonenſem Epiſcopos mandavit, coram quibus Procuratore, & Syndico prædicti teſtes ad numerum centum & triginta duorum ſunt producti, & ſuper novis articulis ritè, & rectè recepti, ac proceſſus accuratè & legitimè formatus. *Duo poſtea Epiſcopi juſſu Nicol. V. aliudm deſuper proceſſum fecerunt.*

§. 31. Ac licet rem tranſigi, & B. Franciſcam Sanctam declarari, nec tunc temporis, neque poſtea tot annis ſucceſſerit, tamen Dominus Sanctæ ſuæ ſummum honorem in terris debitum, ad hanc uſque diem occulta diſpenſatione differri volens, nõ permiſit interea aliis honoribus deſtitui, nunquam enim devotio fidelium erga ancillam ſuam refrixit in Vrbe, quinimò die tranſitus ejus auctoritate Apoſtolica, & Populi Romani pia ſollicitudine in honore, & in Curia Capitolina feſtus habitus fuit, donec fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, pro ſua Paſtorali providentia, ſpiritu Dei motus, piis ejuſdem Populi Romani precibus benignè aures præbens, Canonizationis B. Franciſcæ opus, ad decorem, & utilitatem domus Dei jamdiu cœptum, conſummandum cenſuit. *Dies obitus B. Franciſcæ feſtus habitus eſt uſque ad Clem. VIII. qui ejus Canonizationem terminare voluit.*

§. 32. Itaque bonæ mem. Seraphino S. Salvatoris in Lauro, necnon dilectis filiis noſtris Hieronymo S. Blaſii de Annulo Pamphilio, & Jo. Garziæ SS. Quatuor Coronatorum tit. S.R.E. presbyteris Cardinalibus Millinò nũcupatis, tunc Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus commiſit, ut viderent, an ſecundùm Sacrorum Canonum decreta, & Eccleſiæ Romanæ receptum morem Canonizatio hujuſmodi celebrari poſſet. Illis verò, & in eorum locum iiſdem ad Cardinalatus honorem, eorũ exigentibus meritis promotis, poſtea ſubrogati dilecti etiam filii Franciſcus Peña, Horatius Lancellotus, & Jo. Baptiſta Pamphilius, ejuſdem Sacri Palatii cauſarũ pariter Auditores, proceſſus, & acta omnia ab exordio cauſæ ut res poſtulabat recenſentes, probationes diligenter perpenderunt, novoque proceſſu ritè confecto, ſanctitatis, & miraculorum B. Franciſcæ, ab ejus obitu ad annum uſque 1604. quo anno hæc agebantur, continuam conſtantemque famam probari voluerunt. *Tribus Rotæ Auditoribus negotium commiſit.*

§. 33. Verum viam univerſæ carnis ingreſſo Clemente prædeceſſore, & humilitate noſtra ad ſummum Apoſtolatus gradum, nullo ſuffragio meritorũ à Domino evocata, nec ceſſante Populo Romano ſancta ſedulitate inſtare, ut cauſa Canonizationis hujuſmodi abſolveretur. Nos ex officii debito Paſtoralis, quæ ad Dei laudẽ, & fideliũ ædificationem ſunt, quãtum in Domino poſſumus, promovere cupientes, ac non ambigentes id genus eſſe triumphalem Canonizationis honorem, per quem ſapientiam Sanctorũ narrant populi, & laudem eorum nunciant Eccleſiæ; patriæque noſtræ Inclytæ Vrbis Romæ charitate cogente, ne filiæ ſuæ merita veneratione quaſi nova corona deſtitueretur prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, rei tantæ in nomine Domini perficiendæ conſilium cœpimus. Quapropter cognita ex eorundem auditorum relatione, illorum pro Canonizatione ſententiã illã, & univerſã cauſam à venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus ſacris ritibus, & Ceremoniis præfectis, accuratiſſimè recognoſci, & examinari mandavimus. *Eo defuncto iſte Pont. habita relatione & ſententia dd. Auditorum, Canonizationis definitionem Card. præfectis Sacris ritibus commiſit.*

§. 34. Qui re diu multumque diſcuſſa, ac diſputata, B. Franciſcæ vitæ excellentem cum fide ſanctitatem, & præclara miracula ex omnibus proceſſibus, primo excepto, *Qui tandem B. Franciſcæ canonizandam eſſe ſuaſerunt.*

ſatiſque legitimè ad rem de qua agebatur probata, in Canonizationem procedi rectè poſſe cenſuerunt.

*Hic Pont. horum omnium relationem in Conſiſtorio Secreto habuit, & etiam ſententiam Card. quos ipſi omnes hortatus eſt ad piis operibus divini desuper auxilium implorandū.*

§. 36. Itaque eorum ſententia una cum omnibus, quæ in cauſa erant, in Conſiſtorio noſtro Secreto à Venerabili fratre noſtro Dominico Epiſcopo Hoſtien. S.R.E. Card. Pinello nuncupato, Sacri Collegii Decano, & eorundem Cardinalium antiquiore, ſummatim, & appoſitè relatis, cum reliqui Cardinales qui adfuerunt, idem cenſuiſſent, in publico ſequenti Conſiſtorio audita dilectorum filiorum Cameræ & Vrbis noſtræ Conſervatorum pro Canonizatione hujuſmodi per dilectum filium Hieronymum de Rubeis P.R. Advocatum, habita diſerta oratione, ac de re tanta Nos ut oportebat, cum iiſdem Cardinalibus, & Epiſcopis deliberaturos reſponſo dato, eoſdem Cardinales, & Epiſcopos ad implorandum eleemoſynis, jejuniis & orationibus divinum auxilium in Domino hortati ſumus.

*Tandem ſententiam in dicto Conſiſtorio Prælati comprobarūt.*

§. 37. Deinde eorundem Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Vrbe præſentium Conſiſtorio ſemipublico indicto, in quo etiam noſtri, & Apoſtolicæ Sedis Notarii, & Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores vocati adfuerunt, iidem Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi omnes, B. Franciſcam, ex iis quæ à nobis propoſita, & ex proceſſu relata fuerant, jure canonizandam eſſe cenſuerunt.

*Quos Pont. ad idem hortatus fuit.*

§. 38. Quorum ſententiis auditis, Nos gratias Deo agentes, quod ancillam ſuam per miniſterium noſtrum honorificari velle dignaretur, Canonizationis diei declarationem nobis reſervavimus, omneſque ad devotè interim nobiſcum orandum, & eleemoſynis, & jejuniis, ac ſacrificiis cæleſtem Spiritus ſancti favorem in eam rem infirmitati noſtræ procurandam iterum adhortati ſumus.

*Hodieque tandem ſervatis ſervandis, B. Franciſcam ſanctam eſſe pronunciat, & canonizat.*

§. 39. Ac tandem ritè peractis omnibus, quæ Sanctorum Patrum auctoritas, Sacrorum Canonum ſtatuta, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ antiqua conſuetudo in re hujuſmodi peragenda præſcribunt, hodie in ſacra B. Petri Principis Apoſtolorum Baſilica, ad quam una cum iiſdem fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, ac familiaribus noſtris, Clero ſæculari ac regulari hymnum Ave maris ſtella, B. Mariæ Virginis, Cantorum cœtu reſonante, ſolemni ritu proceſſimus, maxima populi frequentia. Poſt prædictorum Conſervatorum, pro Canonizationis decreto per eumdem Advocatum conſuetas petitiones repetitas, poſt ſacras Litanias, Hymnoſque decantatos, precibuſque in ſpiritu humilitatis præmiſſis, ac Spiritus ſancti gratia ritè implorata, ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, ad Fidei Catholicæ exaltationem, & Religionis Chriſtianæ augmentum, auctoritate ejuſdem Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Vrbe præſentium conſilio, & unanimi conſenſu, B. Franciſcam Romanam, ex Oblatis Monaſterii Turris Speculorum Vrbis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Montis Oliveti, cujus corpus Romæ in Eccleſia S. Mariæ Novæ nuncupatæ in pace quieſcit, de cujus Sanctitate vitæ, fidei ſinceritate, & miraculis plenè conſtabat, & conſtat, Sanctam eſſe definivimus, ac Sanctarum mulierum catalogo adſcribendam decrevimus, prout præſentium tenore definimus, decernimus, & adſcribimus, illamque omnes fideles venerari mandavimus, & mandamus.

*Ejuſque in honorē Eccleſias conſtrui, & feſtum die 9. Martii celebrari jubet.*

§. 40. Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ & Altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari, & conſecrari poſſint, & ſingulis annis die 9. Martii Feſtum ipſius, & officium Sanctarum nec Virginum, nec Martyrum, ad Breviarii Romani præſcriptum devotè celebretur.

*Indulgentias ejuſdem ſepulchrum viſitantibus elargitur.*

§. 41. Præterea eadem auctoritate omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui annis ſingulis eodem die feſto ad ſepulchrū in quo Corpus ejus requieſcit, devotè acceſſerint, necnon Eccleſias, & Altaria in ipſius honorem conſtructa devotè pariter viſitaverint, eaſdem indulgētias, & peccatorum remiſſiones conceſſimus, & elargiti ſumus, prout concedimus, & elargimur, quæ ceteris dicti Ordinis Eccleſiis in diebus feſtis ejuſdem Congregationis Montis Oliveti Sanctorum jam conceſſæ ſunt.

§. 42. Denique exactis omnibus, quæ Canonizatio hujuſmodi poſtulabat, ac Deo Patri immenſæ majeſtatis, venerandoque ejus vero & unico Filio, ſanctoque paraclito Spiritui laudibus ſacro Hymno cantatis, Eccleſiæ communi prece oravimus Dominum, ut qui nos annua B. Franciſcæ feſtivitate gaudere facit, ejus exemplo piæ devotionis erudiremur affectu, ac ſacroſanctis ſacrificiis ad Altare Principis Apoſtolorum Pontificali ritu, cum ejuſdem Sanctæ commemoratione oblatis, plenariam omnibus Chriſti fidelibus ibi præſentibus, ad Dei laudem, & gloriam Sanctæ ejus, peccatorum indulgentiam & remiſſionem conceſſimus.

§. 43. Confiteantur igitur Domino Dominorum, per quem amici ejus honorificantur nimis, & à quo gloria, & honor omni operanti bonum. Et quoniam Sanctæ etiā hujus præſidium jam cernimus nobis divinitus comparatum, æquum eſt nos ſempiternam clementiam orare, ut cujus in terris voluit his noſtris calamitoſis temporibus gloriam manifeſtari, illam etiam in tribulationibus noſtris nobis adeſſe, & obſecrationes pro Eccleſiæ ſacræ exaltatione, hæreſum extirpatione, Principum Chriſtianorum unione, patrocinio ſuo promovere ſentiamus, per Chriſtum Dominum noſtrum.

§. 44. Ceterum, quia nimis difficile foret, præſentes noſtras litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus ut earum exemplis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus, ſi exhibitæ vel oſtenſæ eſſent, haberetur.

§. 45. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1608, 4 Kal. Junii, Pont. noſtri Anno 4.

Ego Paulus Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

Ego Dominicus Epiſc. Oſtien. Card. Pinellus.
Ego Fr. Hieronymus Epiſc. Portuen. Card. Aſculan.
Ego Antonius Maria Epiſc. Preneſtin. Card. Gallus.
Ego Antonius Epiſc. Albanen. Card. Saulus.
Ego Marianus Epiſc. Thuſculan. Card. de Camerino.
Ego Evang. tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Cuſentin.
Ego Fr. Gregorius tit. S. Mariæ Tranſtyb. Presb. Cardinalis de Monte Elpero.
Ego Franc. Maria tit. S. Mariæ in Aracœli presb. Card. à Monte.
Ego Octavius tit. S. Alexii presb. Card. Pallavicinus.
Ego Octavius tit. S. Praxedis presb. Card. Aquaviva.
Ego Octavius tit. S. Sabinæ presb. Card. Bandinus.
Ego Laurentius tit. S. Lauren. in Pane & Perna, presb. Card. Blanchettus.
Ego Bartholom. tit. S. Mariæ in Porticu presb. Cardin. Ceſius.
Ego Franciſcus tit. S. Mariæ de populo presb. Cardin. Mantica.
Ego Pompeius tit. S. Balbinæ presb. Card. Arigonus.
Ego Bonifacius tit. S. Hieronymi Illyricorū presb. Card. Bevilaqua.
Ego Dominicus tit. S. Honufrii presb. Card. Thuſcus.
Ego Robertus tit. S. Mariæ in Via presb. Card. Bellarm.
Ego Dominicus SS. Duodecim Apoſtolorum presb. Card. Gymnaſius.
Ego Antonius tit. S. Crucis in Hieruſalem presb. Card. Zapata.
Ego Innic. tit. SS. Nerei, & Achillei presb. Cardinal. Bubalus.
Ego Joannes tit. S. Marci presb. Card. de Vicentia.
Ego Jacobus tit. S. Stephani in Monte Cælio presb. Card. Sannetius.

Ego

Ego Hieron. tit. S. Blaſii de annulo Presbyt. Cardinalis Pamphilius.
Ego Ferdin. tit. S. Euſebii Presbyt. Card.
Ego Scipio tit. S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Burghesius.
Ego Ludovicus tit. S. Pancratii Presb. Cardinalis Montisregalis.
Ego Maphæus tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. Barberinus.
Ego Joan. Garſia tit. SS. Quatuor Presbyter Cardinalis Millinus.
Ego Marcellus tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Card. Lantes.
Ego Franc. Sfortia diac. Card. in Via Lata.
Ego Alexander S. Laurentii in Damaſo, diacon. Cardin. Montaltus, S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Andreas S. Angeli in foro Piſcium Diacon. Cardin. Perettus.
Ego Joan. Baptiſta S. Mariæ in Coſmedin, diac. Cardin. Delfin.

---

LI. **Ampliatio privilegiorum Militiæ S. Stephani circa annuas penſiones Eccleſiaſticas, habitumque à Militibus deferendum.**

*De Inſtitutione, totoque ſtatu hujus Militiæ, attende ſuprà conſtitut. 60. Pii IV. His quæ, cum his quæ tibi indicavi lib. 2.*

A. D. ... *P A U L U S   E P I S C O P U S, Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.*

DUm generoſa Militum militiæ S. Stephani Papæ, & Martyris, ſub felici religioſiſſimi Principis Ferdinandi Magni Hetruriæ ſibi ſubjectæ Ducis, & dictæ Militiæ Magiſtri auſpicio, gubernio, & directione plurimùm progredientis geſta, laudabileſque & glorioſas contra nefarios Turcarum auſus reportatas victorias animo perpendimus, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut eoſdem Milites, utpote Domini Noſtri Jeſu Chriſti athletas acerrimos, peculiari beneficentiæ noſtræ largitate proſequamur, eorumque commodis, & congruæ ſuſtentationi opportunè conſulamus, ut ipſi exinde ad majora ab ipſorum Turcarum copiis trophæa reportanda alacriores reddantur, & promptiores.

§. 1. Aliàs ſiquidem felicis record. Pius Papa Quartus prædeceſſor noſter, poſt erectionem, & inſtitutionem dictæ Militiæ ſub regula ſancti Benedicti, per claræ memoriæ Coſmum tunc Florentiæ, & Senarum Ducem, in Ducatu Florentiæ de licentia Sedis Apoſtolicæ ipſi Coſmo Duci per literas ejuſdem Pii prædeceſſoris attributa antea factam, eidem Coſmo Duci Magno Magiſtro, necnon Conventui, Militibus, Priori, ceteriſque miniſtris Eccleſiæ dicti Conventus, & aliis perſonis, etiam in ſacris, etiam Presbyteratus ordinibus conſtitutis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, cum cura, & ſine cura, beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, eorumque beneficiis, præceptoriis, ſive Commendis, rebus & bonis diverſas exemptiones, etiam à juriſdictione Ordinariorum, libertates, immunitates, etiam à contributione decimarum, & onerum, indulta, privilegia, facultates, indulgentias, & gratias ſpirituales & temporales benignè conceſſit, & elargitus fuit, atque inter cetera indulſit omnibus, & ſingulis dictæ militiæ Militibus, etiam conjugatis, ac etiam bigamis, aliiſque prædictis, ut ſinguli ſingulas penſiones annuas uſque ad ſummam ducentorum ducatorum auri de Camera, ſuper quorumvis Cathedralium, & Metropolitanarum, aliorumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, & præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium fructibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis aliàs ſibi canonicè reſervandas accumulativè, cum quibuſvis aliis penſionibus annuis, quas illos ex quovis alio privilegio Apoſtolico pro tempore percipere contingeret, ad vitam percipere, exigere, & levare, ac in ſuos uſus, & utilitatem convertere liberè & licitè valerent, prout in ejuſdem Pii Quarti prædeceſſoris binis literis, prioribus nimirum ſub Kalend. Februarii, poſterioribus verò ſub Nonis Julii, dat. Pont. ſui anno tertio confectis, pleniùs continetur.

§. 2. Succeſſivè verò piæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, per ſuam quæ incipit Sacroſanctum, deſuper editam conſtitutionem revocavit, & abolevit omnia, & quæcumque privilegia, facultates, diſpenſationes & indulta percipiendi ſimiles penſiones, fructus, & alias res Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & Regularium dicti S. Stephani, ceteriſque Militiis, & Hoſpitalibus, eorumque Militibus, Fratribus & perſonis, tam Clericis, quàm conjugatis, quibuſvis modo, & forma, ac quibuſcumque de cauſis conceſſa, & approbata, ita quod ipſi, ſive conjugati, ſive bigami, ſive Clerici, ſive etiam Presbyteri, nullas de cetero reciperent, ſed eas ſolas quas tunc habebant, retinerent, & eæ quoque per futurum contractum matrimonii extinctæ cenſerentur, prout in eadem conſtitutione latiùs continetur.

*Pius V. indultum obtinendi penſiones Militibus iſtis abſtulit, & obtentas per contractum Matrimonii vacare decrevit, ut ſuprà in conſtit. 73. Sacroſanctum, lib. 2.*

§. 3. Poſtmodùm recol. mem. Sixtus Papa V. ſimiliter prædeceſſor noſter, conſiderans ſuis potiſſimùm temporibus hujuſmodi Milites, pro Dei, Chriſtiani nominis gloria, & fidei Catholicæ defenſione, non ſolùm ſæpiùs in diverſis expeditionibus contra, &c.

*Sixtus V. Bullā Pii V. quoad iſtos Milites revocavit, ut ſup. in conſt. 104. Circumſpecta, lib. 2.*

Omittitur reſiduum, quia tota bulla eſt ſuprà in loco hic in margine indicato.

§. 4. Cum autem, ſicut Nobis innoteſcit, dicta Militia ſub felicibus ipſius Ferdinandi Magni Ducis auſpiciis, fortium & ſtrenuorum Militum, triremiumque, & aliorum Navigiorum bellicis, & nauticis apparatibus optimè inſtructorum numero copioſo ſit aucta, ipſique illius Milites piratarum infidelium oras Tyrrheni maris paſſim infeſtantium excurſionibus, & deprædationibus armata claſſe obſiſtentes, non ſolùm Italiam ipſam pluries ab incurſionum hujuſmodi damnis, & incommodis, magno ejus bono, egregia animi fortitudine tutati ſint, ſed etiam in ipſorummet infidelium dominia & regiones magnis auſibus, ſummo cum vitæ fortunarumque diſcrimine irrumpentes, graves eis clades, Oppidorum expugnationes & direptiones intulerint, ac partis non ſemel de illis inſignibus victoriis, eorumdem audaciam repreſſerint, vires fregerint, impios conatus contuderint, ac perinde ſeſe magna ſui gloria, & nominis Chriſtiani commendatione formidabiles eis reddiderint. Hiſce & aliis rebus præclarè geſtis, de ipſa Italia, atque adeò tota republica Chriſtiana optimè meriti, & apud etiam exteras nationes inclytam magnanimitatis, reliquæ militaris peritiæ famam adepti ſint, ipſaque Militia tum dicti Ferdinandi Magni Ducis, qui majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens in hoc ejus eminentiori animi ſtudio, & cura incumbit, præſtanti virtute, & potentia, tùm etiam propriorum Militum fortitudine eximia, clarior & illuſtrior in dies evadat: & quemadmodum hucuſque reipublicæ Chriſtianæ adverſus infidelium incurſiones magno propugnaculo fuit, ita etiam de cetero in expeditionibus contra eoſdem infideles, pro fidei Catholicæ defenſione pari, vel majori adjumento eſſe poſſit.

*Iſte modò Pont. ex cauſis hic enunciatis.*

§. 5. Nos idcircò eam magis in dies florere, ac novis incrementis augeri deſiderantes, illiuſque Milites pro inſigni eorum virtute, ac in nos & Sedem Apoſtolicam devota propenſione, ſpeciali aliqua Apoſtolicæ beneficentiæ gratia cohoneſtare volentes, omniumque & ſingularum literarum, & conſtitutionum prædictarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, necnon dictum Ferdinandum Magnum Ducem, ac Conventus hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, dicti Ferdinandi Magni Ducis Nobis deſuper porrectis ſupplicationibus inclinati, facultatem, & indultum percipiendi & exigendi penſiones

*Gratias & facultates à Pio IV. Sixto V. percipiendi penſiones Militibus, tam Laicis, quàm Clericis, tam Conjugatis, quàm bigamis conceſſas reſtituit, & ad ſummam ducat. 400. extendit, etiam ad favorem illegitimorum.*

annuas uſque ad ſummam ducentorum ducatorũ auri de Camera hujuſmodi, Militibus prædictis, tam Laïcis, quàm Clericis, etiã conjugatis, etiam bigamis, aliiſque etiã Presbyteris per Pium IV. conceſſa, & per Pium V. revocata, deindeque per Sixtũ V. prædeceſſores prædictos adverſus ipſam revocationem in integrum reſtituta, repoſita, & revalidata, ac de novo etiam conceſſa, ut præfertur, ac ſingulas eorum Pii Quarti, & Sixti Quinti prædeceſſorum deſuper confectas literas, uſque ad ſummam quadringentorum ducatorum auri de Camera hujuſmodi in totum. Ita quod omnes & ſinguli Milites dictæ Militiæ, nunc & pro tempore exiſtentes, tam Laïci, quàm Clerici, etiam conjugati, & bigami, aliique etiam Presbyteri, etiam illegitimi, ex quovis reprobato, vel damnato coïtu procreati, deinceps in perpetuum quaſcumque penſiones annuas, uſque ad ſummam præfatam quadringentorum ducatorum auri de Camera, ſuper quibuſvis Cathedralium, & Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Canonicatuum, præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis Ordinum Regularium hujuſmodi fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis, ac diſtributionibus etiam quotidianis, aliàs eis canonicè reſervandas, etiam accumulativè, cum quibuſvis aliis penſionibus annuis, quas ex quovis alio privilegio, ſeu indulto, aut diſpenſatione Apoſtolica eis in genere, vel communiter, ſeu eorum cuilibet nominatim, & ſigillatim, etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis, ante & poſt datam præſentium, quandocumque conceſſa, aut concedenda, uſque ad quamcumque ſummam dictis quadringentis ducatis longè majorem de præſenti percipiunt, & pro tempore percipient, ad vitam retinere, percipere, exigere, levare, & recuperare, inque ſuos uſus, & utilitatem convertere liberè, & licitè valeant, & ex iis, tam Laïci, quàm Clerici, conjugati, & non conjugati, ratione penſionis hujuſmodi, quas ſic pro tempore perceperint, ad incedendum in habitu, & tonſura clericali, deferendumque veſtes talares, juxta præfatam Sixti prædeceſſoris conſtitutionem minimè teneantur, neque ad id obligati exiſtant, aut aliqua ratione cogi, aut compelli poſſint, neque ipſarum penſionum, vel illarum loco fructuum, redditiuum, & proventuum hujuſmodi reſervationes, ob non delationem habitus, tonſuræ, aut veſtis hujuſmodi, ſeu per contractum matrimonii, ſeu per bigamiam quamcumque, etiam ſupervenientem, aut per exercitium militiæ, & quoſcumque actus bellicos Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis, de jure, & per ſanctos Canones prohibitos, nimirum militares, & ſanguinis effuſione, membrorum mutilatione, & morte infidelium ſubſequuta, minimè ceſſent & expirent, aut ceſſatæ, vel extinctæ dici, aut cenſeri poſſint, ſed ipſi Milites nihilominus ut priùs penſiones, ac fructus, redditus, & proventus hujuſmodi percipere, & exigere poſſint, & valeant, dummodo habitum militarem, veſtes nimirum laïcales communes, cum inſignibus Crucis dictæ Militiæ conſuetis, juxta alias dicti Sixti Quinti prædeceſſoris ſuper declaratione hujuſmodi habitus militaris, ſub dat. videlicet pridie Kal. Februarii, Pontificatus ſui anno quarto, quæ incipiunt, Paſtoris, editas literas deferant, utque conſtitutioni ejuſdem Sixti Quinti prædeceſſoris plenè ſatisfacere intelligantur, & cenſeantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ampliamus, & quatenus opus ſit, uſque ad dictam ſummam quadringentorum ducatorum hujuſmodi de novo concedimus.

Clauſ. præſervativas gratiæ.

§. 6. Decernentes facultatem, & indultum hujuſmodi, & literas Pii Quarti, & Sixti Quinti prædeceſſorum eorumdem deſuper editas, ex nunc perpetuò extenſas, & ampliatas eſſe & fore, nec præmiſſa, ac præſentes literas de ſubreptionis, obreptionis & nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad viam & terminos juris reduci, ſeu adverſus illas quodcumque juris, gratiæ vel facti remedium impetrari, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus concedi poſſe, aut debere, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum ſuſpenſionibus, revocationibus, limitationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, à Nobis & ſucceſſoribus noſtris, ac Sede Apoſtolica quavis de cauſa, quantumvis juſta, pro temporum exigentia, & emendandis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori Data, per dictum Ferdinandum Magnum Ducem & Magiſtrum, & Milites dictæ Militiæ pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda conceſſas eſſe & cenſeri, ſicque per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Florentino & Piſano Archiepiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ferdinandi Magni Ducis, ac Conventus & Militum prædictorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos, & eorum quemlibet eiſdem præſentibus, & in eis contentis quibuſcumque, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper à quoquam quomodolibet indebitè moleſtari: contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 8. Non obſtantibus recolendæ mem. Bonifacii Papæ Octavi pariter prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo non ultra tres dietas aliquis vigore præſentium ad judicium trahatur, necnon Pictavien. Concilii contra illegitimos, ac dicti Pii Quinti prædeceſſoris revocatoria, ac illa qua inter alia vetuit gratias hujuſmodi ſuis excludi temporibus, & quod ſibi licere non eſt paſſus, etiam ſuis ſucceſſoribus non licere judicavit, necnon præfatis Sixti Quinti prædeceſſoris, & quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiã generalibus editis, & quarumcumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, & Ordinibus, eorumque Præſulibus, Capitulis, Conventibus, Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, ac aliis, quæ præſenti gratiæ obeſſe poſſent, etiamſi pro illarum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè pleniſſimè derogamus, ac derogatum eſſe volumus & decernimus, & contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1608. 14. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Quod

VII. **Quod Rectores Eccleſiarum Parochialium Indiarum Occidentalium & Orientalium, ab iis qui in Eccleſiis & domibus Fratrum, & Monialium Ordinis S. Franciſci de Obſervantia ſepeliuntur, eam tantùm quærant eleemoſynam, quæ à Concilio Tridentino præſcripta, & à Pio V. explicata fuit.**

*Non abſimilem edidit conſtitutionem pro Fratribus Eremitis S. Auguſtini, quæ eſt ſuprà. Quinimò & pro his Fratribus de Obſervantia Clem. VIII. ſuam ediderat conſtit. 96. Expoſitum, hic ſuprà.*

Hanc conſtitutionem confirmavit cum deputatione Inquiſitorum hæreticæ pravitatis pro ejuſdem executione, S. D. N. Urbanus VIII. in conſtit. 21. aliàs felic. record. inf. tom. 4.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

EXpoſitum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Matthæi de Recalde Vicecommiſſarii generalis Indiarum Occidentalium, Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, quod Rectores Parochialium Eccleſiarum Indiarum Occidentalium, & Orientalium, ne Chriſti fidelium qui pro tempore ab humanis decedunt, cadavera ita commodè in Eccleſiis Fratrum, & Monialium dicti Ordinis Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi valeant, ut in eorum Parochialibus Eccleſiis valerent, de conſilio forſan ſuorum Superiorum abuſum introduxerunt, ut majorem ſcilicet eleemoſynam ab illis exigant, qui in Eccleſiis dicti Ordinis ſepeliuntur, quàm ſi in propriis Eccleſiis ſepelirentur, itaut Chriſti fideles qui in Eccleſiis hujuſmodi ſepeliri deſiderant, parem ad minus Parochialibus Eccleſiis eleemoſynam relinquere debeant ratione eorum ſepulturæ, ei quam Eccleſiis Ordinis hujuſmodi relinquunt.

§. 2. Et quod pejus eſt, ſi quis pro animæ ſuæ refrigerio nonnullas Miſſas à Fratribus prædicti Ordinis celebrandas reliquerit, prætendunt Parochi eleemoſynam ratione Miſſarum hujuſmodi relictam, inter ipſos & Fratres prædictos dividendam eſſe.

§. 3. Et ulterius iidem Rectores de mandato forſan ſuorum Ordinariorum, filios quorum patres in Eccleſiis dictorum Fratrum & Monialium ſepulti ſunt, aut ſepulturam particularem pro ſe & ſuis habent, nulla conſuetudine legitima ſuffulti, in eorum Parochialibus Eccleſiis ſepeliri, & dictos patres ad hoc ut in dictis Parochialibus Eccleſiis ſepeliantur, cogere & compellere contendunt, & quotquot Fratres regulares defunctum aliquem ad Eccleſiaſticam ſepulturam in ſuas regulares Eccleſias comitantur, tot etiam ſæculares ſacerdotes, aut clericos aſſumi volunt, in maximum domorum & Monaſteriorum dicti Ordinis præjudicium, eo quòd multi duplicis hujuſmodi funerum impenſæ difficultate deterriti, in dictis regularibus Eccleſiis ſepulturam eligere nequeunt; unde fit ut dicti Ordinis Eccleſias mortuorum ſepulturis, & conſequenter eleemoſynis, etiam quæ in ſuffragium animarum fieri conſueverunt, paulatim deſtitutas iri verendum ſit.

§. 4. Quare dictus Matthæus Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut domorum & Monaſteriorum, necnon Fratrum & Monialium dicti Ordinis illarum partium indemnitati conſulere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur hujuſmodi abuſus è medio tollere, ac dicti Ordinis, ejuſque religioſorum utriuſque ſexus, ut majores in Vinea Domini fructus in dies afferre ſtudeant, commoditatibus, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere cupientes, de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſultationibus & negotiis Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, omnibus & ſingulis Parochialium Eccleſiarum in partibus Indiarum, tam Occidentalium, quàm Orientalium Rectoribus, nunc & pro tempore exiſtentibus, harum ſerie interdicimus & prohibemus, ne ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna, à qua nonniſi à Nobis, ſeu à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus majorem eleemoſynam ab iis qui in dictarum domorum utriuſque ſexus Ordinis S. Franciſci Eccleſiis ſepulturam eligunt, & ſepeliuntur, ea quam illis præſcribit Concilium Tridentinum ſeſſione 25. cap. 13. juxta explicationem à fel. record. Pio Papa V. prædeceſſore noſtro emanatam, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1567. 17. Kalend. Junii, Pont. ſui anno 2. quovis prætextu aut occaſione, etiam de conſilio, conſenſu, & mandato ſuorum Ordinariorum exigere.

§. 6. Nec filios quorum patres in Eccleſiis dictorum Fratrum & Monialium ſepulti ſunt, aut ſepulturam particularem pro ſe, & ſuis habent, in eorum Parochialibus Eccleſiis ſepeliri, & dictos patres ad hoc ut in dictis Parochialibus ſepeliantur, cogere valeant, ſeu præſumant. *Nec ad ſepeliendum in Parochialibus cogere poſſe, qui in domibus d. Ordinis ſepulturam elegerunt.*

§. 7. Quocirca dilectis filiis Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac Indiarum Occidentalium Societatis Jeſu Provincialibus pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Superiorum & Fratrum cujuſcumque domus & Monaſterii dicti Ordinis illarum partium fuerint requiſiti, vel eorum aliquis fuerit requiſitus, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illorum omnium & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcumque, & præmiſſis non parentes, eiſque auxilium, conſilium, vel favorem, publicè vel occultè, directè vel indirectè quomodolibet præſtantes, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis. *Executores hujus conſtitutionis deputat.*

§. 8. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, domorum, & Monaſteriorum, & Ordinis hujuſmodi, &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Eccleſiis, ac illarum Rectoribus, aut quibuſcumque aliis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogat.*

§. 9. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tràſumptiſque credi mandat.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, die 25. Junii 1608. anno quarto. *Dat. P. A. 4. die 25. Junii.*

---

XLVIII. **De ambitu Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini interdicto.**

*Alia de his Fratribus indicavi ſuprà in Alex. IV. conſt. 6. Licet, lib. 1. Quibus adde conſt. 80. nuperrimè editam circa ſcrutinium in electione Superiorum hujus Ordinis.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.* *Edita A. D. 1608.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

ADmonemur Paſtoralis officii noſtri debito diligentiùs proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſæculo renunciarunt, ad dignitates & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus. *Exordium.*

§. 1.

*Ambitus prohibetur Prælatis hujus Ordinis.*

§. 1. Quocirca motu proprio, & ex certâ ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectis filiis Priori Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis S. Auguſtini Fratrum Eremitarum Prælatis, nunc & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus & mandamus, ne ad inſtantiam & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam Laïcarum, quàm Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſeculari dignitate & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, officia, & adminiſtrationes, functiones, vel prælaturas ejuſdem Ordinis concedere audeant.

*Favores exquirentium pœna.*

§. 2. Quinimò dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his mediis per conquiſitos favores & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus.

*Prohibitionis ampliatio.*

§. 3. Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque, ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, ut non ſolùm in præmiſſis omnibus favores hujuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant.

*Derogatio contrariorũ.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptorum fides.*

§. 5. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 4. Iulii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Julii 1608. Pont. noſtri anno quarto.

---

## XLIX. Ampliatio juriſdictionis S. R. E. Cardinalis Archipresbyteri, & Judicis cauſarum Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ, & Capituli intereſſe concernentium.

*De hac juriſdictione extat ſup. conſt. 45. Gregor. XIII. lib. 2. Cùm ſicut, ubi notavi.*

*Edita A. D. 1608.*

*P A U L U S E P I S C O P U S, Servus ſervorum Dei: Dilecto filio Scipioni, tituli Sancti Chryſogoni Preſbytero Card. Burgheſio nuncupato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Exordium.*

AD ea circumſpectioni tuæ multis nominibus de Sede Apoſtolica benemeritæ, & Nobis plurimùm gratæ & acceptæ concedenda libenter inducimur, per quæ felici Eccleſiæ Lateranenſi opera tua proſpici, & perſonarum ipſius Eccleſiæ, erga quam peculiarem geris devotionis affectum, commoda in dies augeri, & illarum jura conſervari poſſint.

*Confirmatio omnium privilegiorum, quæ aliis Archipresbyteris conceſſa fuerunt.*

§. 1. Cùm itaque nos nuper Archipresbyteratum dictæ Eccleſiæ certo, quem haberi volumus pro expreſſo, modo vacantem, Tibi qui noſter ſecundum carnem ex ſorore germana nepos exiſtis, per te quoad vixeris, tenendum, regendum, & gubernandum Apoſtolica commendaverimus auctoritate, prout in noſtris inde confectis literis pleniùs continetur, ipſius Eccleſiæ indemnitati, utilitati, & bono regimini ſalubriter conſulere, prout ex debito Paſtoralis officii tenemur, ac dilectorum filiorum illius Capituli, Canonicorum, ac miniſtrorum commodis, ac jurium conſervationi, & ne ad diverſa tribunalia dictæ perſonæ trahantur, earum quieti, & litium diſpendiis providere cupientes, necnon de tui integritate, providentia, & circumſpectione plurimùm in Domino confidentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera noſtra deliberatione, ac certa ſcientia, omnes & ſingulas juriſdictiones, poteſtates, privilegia, exemptiones, libertates, prærogativas, antelationes, indulta, etiam ſuper collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque, auctoritates, & facultates per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, aliis S. R. E. ejuſdem Lateranenſis Archipresbyteris, qui pro tempore fuerunt, quod Eccleſias ipſas, & illarum perſonarũ intuitu, & ad eorum inſtar, etiam in genere, vel in ſpecie conceſſa, ad te quandiu dictum Presbyteratum obtinueris, tuumque, & dictæ Eccleſiæ Vicarium per te deputatum, & pro tempore à te deputandum, dicta auctoritate tenore præſentium extendimus, & ampliamus.

§. 2. Et nihilominus motu, & ſcientia ſimilibus, & inhærentes aliis facultatibus, & privilegiis per felic. rec. Gregorium Papam XIII. & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros Archipresbyteris, & Canonicis, ac beneficiatis dictæ Eccleſiæ Lateranenſis pro tempore exiſtentibus hactenus conceſſis, quas & quæ ſalvas & illæſas, ac ſalva & illæſa eſſe, ac ſuam valoris firmitatem obtinere, illaſque, & illa ampliare & extendere volumus & intendimus, omnes & ſingulas cauſas, etiam beneficiales Eccleſiaſticas, ſpirituales, merè profanas & mixtas, etiam compromiſſas, tam civiles, quàm criminales (citra tamen pœnam ſanguinis, & corporis afflictivam) inter dictos Capitulum, Canonicos, & Beneficiatos, ac Clericos, necnon Capellanos, Miniſtros, ſervientes reſpectivè, ſeu quæcumque eorum ex una, & quaſcumque alias perſonas, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ exiſtentes, necnon Hoſpitalia, pia loca, & Collegia, Communitates, vel Univerſitates ex altera partibus, ſive inter dictum Capitulum, & Canonicos, vel eorum quemlibet, ac Beneficiatos, Clericos, ſeu Capellanos prædictos, vel quoſcumque eorum, coram quibuſcumque Judicibus ordinariis, extraordinariis, Commiſſariis, & exequutoribus, etiam S.R.E. Cardinalibus, ac cauſarum Palatii Apoſtolici, & Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, & Locumtenentibus, ſuper quibuſcumque rebus, bonis, & pecuniarum ſummis, etiam vigore obligationis in forma Cameræ Apoſtolicæ vertentes & pendentes reſpectivè, quorum omnis & ſingulorum ſtatus & merita, nominaque & cognomina, ac qualitates, tam partium & perſonarum prædictarum, quàm etiam rerum ſuper quibus lis pendet, præſentibus pro expreſſis habentes, ad nos per eaſdem præſentes avocantes, illaſque in ſtatu, & terminis in quibus ad præſens reperiuntur, & quas in futurum moveri denuò contigerit, tam activè, quàm paſſivè, etiam per prædictos Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos & Capellanos, ſeu eorum quemlibet, contra quaſcumque perſonas, Conventum, Collegia, Capitula, Univerſitates, Societates, Hoſpitalia, & loca quæcumque ſæcularia, & quorumvis Ordinum, Militiarum, & Hoſpitalium regularia privilegiata, etiam per prædictos Capitulum, & Canonicos, contra Beneficiatos, Clericos, & Capellanos prædictos, ſuper quibuſcumque pecuniarum ſummis, bonis Eccleſiaſticis, cenſibus, Canonibus, tritici, grani, vini, pecuniarum, aut aliarum rerum reſponſionibus, prædiis, rebuſque, & bonis ad quamcumque pecuniarum ſummam, numerum, & quantitatem, ac valorem aſcendentibus, ad d. Lateran. aut illi unitas, vel annexas Eccleſias, & Parochiales, ſeu Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & Miniſtros, etiam privatim, ac ratione ſingularum perſonarum quomodolibet ſpectantibus, aut eorum intereſſe directè, vel indirectè, communiter, vel diviſim ad eorum quemlibet concernentibus, rebus aliis in actis cauſæ, & cauſarum hujuſmodi latiùs deductis, & deducendis, ac illorum occaſione, cum omnibus & ſingulis ſuis inciden. emergen. annexis & connexis, Tibi, tuoque Vicario nunc & pro tempore per te deputato, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola veritate facti inſpecta, & quatenus opus ſit, exequutivè, etiam ma-

nu

manu regia, abſque terminorum ſubſtantialium, & alicujus telæ judiciariæ obſervatione, ſine conſectione regiſtri, ſive extractus, quacumque appellatione poſtpoſita, etiam non frivola, audiendas, cognoſcendas, verificandas, fineque debito terminandas, dicta auctoritate earumdem tenore præſentium committimus & mandamus, eiſdem præſentibus perpetuis temporibus duraturis.

§.3. Cum poteſtate dictas partes reſpectivè, & omnes alios, quos opus fuerit, ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes, omnes in executione citationis nominandos, in Romana Curia, vel extra, etiam per edictum publicum, conſtito ſummariè & extrajudicialiter de non tuto acceſſu citandi, et omnibus judicibus ſupradictis, & quibus, & quoties opus fuerit, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis & pecuniariis tuo arbitrio moderandis, & applicandis, etiam per ſimile edictum inhibendi, cauſaſque ipſas coram quibuſvis eorum de facto forſan introductas, ſeu introducendas ab eis avocandi & reaſſumendi, etiam in eventum non paritionis, pœnas & cenſuras prædictas damnabiliter incurriſſe, & incidiſſe declarandi, illaſque etiam iteratis vicibus aggravandi & reaggravandi, interdictum Eccleſiaſticum apponendi, & brachii ſæcularis auxilium habendi & invocandi, loco unius ſententiæ, ſeu ſententiarum prædictarum, mandata executiva in forma ſolita & conſueta decernendi, illudque & illa, & quicquid per te & Vicarium prædictum, vel alterum veſtrûm judicatum fuerit, exequendi. Expenſas quaſcumque taxandi & moderandi.

§. 4. Ac in cauſis omnibus & ſingulis præmiſſis, vel earum qualibet, ſeu quolibet præmiſſorum, etiam ſingulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, procedendi.

§.5. Necnon Capitulum, Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & Capellanos prædictos, ſeu eorum quemlibet à vinculo juramenti, ad effectum agendi, aliiſque cenſuris & pœnis, quatenus oportuerit abſolvendi, omniaque, & ſingula alia faciendi, gerendi, & exercendi in præmiſſis neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna.

§. 6. Ac inſuper, ſi in præjudicium auctoritatis, juriſdictionis, & facultatum præfatarum contingat cauſas ſub diverſis prætextibus à Te, ſeu dicto Vicario avocari, ac aliis Judicibus committi, omnes & quaſcumque commiſſiones, tam Gratiæ, quàm Juſtitiæ, intereſſe Eccleſiæ Lateranenſis, Capituli, & perſonarum hujuſmodi quomodolibet concernentes, aliter quàm manu noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, te ad id vocato ſignatas, & inhibitiones earum prætextu emanandas, proceſſuſque per eoſdem habendos, & inde ſecuta quæcumque, nullius roboris, vel momenti eſſe, & illis non obſtantibus, te, dictumque Vicarium, ut ad ulteriora in cauſis hujuſmodi procedere poſſis, atque ad parendum commiſſionibus prædictis, earumque prætextu emanatis inhibitionibus minimè teneri, ac ob non paritionem, cenſuras, aut pœnas aliquas minimè incurrere poſſe declaramus.

§.7. Decernentes eaſdem præſentes ad tui vitam, ſeu quamdiu Archipresbyteratum hujuſmodi obtinueris, tam noſtris quàm Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum temporibus durare, ſuamque vim & roboris firmitatem obtinere, nec eaſdem præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium facultatum, & gratiarum derogationibus, revocationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, per Nos vel Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros præfatos, etiam motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine edendis comprehendi, nec per eas immutari, ſuſpendi, limitari, moderari, aut ad terminos juris reduci poſſe, ſed eas perpetuò validas, & efficaces fore, ac quoties hujuſmodi contraria emanabunt, toties illas in priſtinum, & eum in quo antea erant, ſtatum reſtitutas, & ſub poſteriori data per te, ſeu dictum Vicarium eligenda, de novo conceſſas cenſeri, & quicquid illarum vigore aliàs ritè geſtum, ſtatutum, factum, mandatum, indultum, & exequutum fuerit, perpetuam vim, & roboris firmitatem obtinere, ac de ſubreptionis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel ad terminos juris, ſeu in jus, vel controverſiam revocari non poſſe.

§. 8. Sicque per quoſcumque Judices, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quavis cauſa & inſtantia judicari, & diffiniri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clauſula ſublata.*

§.9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis, ſtylo Palatii, regula Cancellariæ Apoſtolicæ prohibente mandata exequutiva aliàs quam ſub plumbo expediri, facultatibus, & juriſdictionibus noſtro in Urbe, & ejus districtu in ſpiritualibus Vicario generali, Senatori, & cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ſeu S. R. E. Cardinalibus, & quibuſvis dictæ Urbis Judicibus ſupradictis, & aliis quibuſvis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & fortioribus decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, etiam conſiſtorialiter per Nos, ſeu quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiamſi cautum ſit in eis expreſsè, quod illis nullatenus, vel non niſi ſub certis inibi forſan expreſſis & nominatis modis & forma derogari, ſeu contra illa quicquam concedi poſſit, & aliter factæ pro tempore derogationes, & cõceſſiones nullatenus eis quibus concedentur ſuffragari poſſint, ſeu debeant, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtant. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, etiam motu & ſcientia ſimilibus, ſpecialiter & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe, nec illa eiſdem præſentibus quicquam adverſari, vel obſtare volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo, &c. *Derogatio contrariorũ.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1608. ſexto Idus Julii, Pont. noſtri anno quarto. *Dat. P. A. 4. die 6. Iulii*

---

## Quod Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum non recipiant Fratres Minores S. Franciſci Capuccinos, neque alios ſtrictioris Regulæ. L.

*Eandem ferè conſtitutionem ad favorem omnium Fratrum Minorum edixit Clem. VIII. ſuprà in ſua conſtitut. 46. Nuper ad nos. Quo verò ad Capuccinos, vide indicata ſuprà in Clem. VII. conſtitut. 21. Religionis, lib. 1.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.* *Edita A. D. 1608.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

NUper ad nos perlatum eſt Religioſos Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, prætextu cujuſdam indulti Apoſtolici dicto Ordini antiquitus conceſſi, ac demùm per fel. rec. Clementem Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum per ſuas in hujuſmodi forma Brevis literas datas 15. Decemb. 1596. Pont. ſui anno 5. aboliti, & revocati, aut forſan alterius, Profeſſores Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum, & alios regulæ ſtrictioris, in eorum ſodalitatem, ſeu Domos, aut Conventus recipere. *Cauſa huius conſtit.*

§. 1. Quare cùm id ſæpiùs meritas pœnas eludendi cauſa fiat, & ex hoc multa ſcandala in populo generentur, & alia multa incommoda naſcantur. Nos hujuſmodi ſcandalis obviare, & quieti Religioſorum ampliùs proſpicere cupientes, ne quis Prælatorum, ſeu Superio- *Prohibitio de qua in rub.*

rum

rum, aut Fratrum Conventuum, ſeu domorum dicti Ordinis B. Mariæ de Mercedis Redemptionis Captivorum, tam in Regnis Hiſpaniarum, quàm alibi conſiſtentium, quavis ille dignitate, præeminentia, prærogativa, vel munere fungatur, prætextu cujuſvis indulti, ſeu privilegii Apoſtolici, eos recipere audeat, vel præſumat, cauſa quarti voti, quod ipſi Profeſſores Ordinis B. Mariæ de Mercede hujuſmodi faciunt, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium diſtrictè prohibemus.

*Derogatio contrariorũ.*

§. 3. Non obſtantibus privilegiis, ſeu indultis hujuſmodi, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis B. Mariæ de Mercede juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illi ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.*

§. 4. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 7. Iulii.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Julii 1608. Pont. noſtri anno quarto.

---

## LI. Quod Monachi Congregationis B. MARIÆ Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis, poſſint ubique de ſola Ordinariorum licentia nova Monaſteria conſtruere.

*Conſonat Concilii Trident. diſpoſitio in c. 3. ſeſſ. 25. in fine.*

Iſtam Congregationem primò approbavit Sixtus V. ut ſup. in ejus conſtit. 70. Super, lib. 2. ubi alia notavi.

*Edita A. D. 1608.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

MInisterio ſacri Apoſtolatus officii licèt immeriti præſidentes, ad ea per quæ cunctorũ fidelium, præſertim religioſorum ſub reformatione ad arctiorem regularis diſciplinæ obſervantiam introducta vacantium profectui, & eorum locorum regularium propagationi provideatur, libenter intendimus, & ea quæ his quodammodo obſtare videntur tollimus, & aliàs in his officii noſtri partes favorabiliter impartimur, prout rerum, temporum, & perſonarum qualitatibus diligenter penſatis conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Monachi Congregationis B. Mariæ Fulienſis, in omnibus mundi partibus maiores in dies fructus afferunt, ideoque eorum propagatio multũ profutura ſperatur.*

§. 1. Cùm igitur, ſicut cum magno ſpirituali gaudio noſtro accepimus, dilecti filii Religioſi, & Monachi Congregationis B. Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, tam in Galliæ, quàm Italiæ, aliiſque Mundi partibus pergant aſſiduè Deo & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, non ſolùm ipſi Deo per orationem & contemplationem ſedulò vacando, verùm etiam animarum ſalutem exemplo, & doctrina ſollicitè procurando, gratum exhibere famulatum; cumque in dies fructus uberiores ex dictæ Religionis propagatione, benedicente Domino ſperandi ſint: Nos ea quæ religioſorum prædictorum adjumento eſſe poſſunt, concedenda, & ad ea quæ illis in hoc impedimentum aliquod adferre dignoſcuntur, removenda meritò propenſiores ſumus.

*His ergo Põtifex loca ubique de ſola Ordinariorum licẽtia conſtruere, & recipere poſſe ei[illegible]*

§. 2. Quapropter dictam Congregationem Fulienſem ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, illiuſque ſingulares perſonas à quibuſvis excõmunicationis, &c. cenſentes, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, ac certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, ejuſdem Congregationis Fulienſis Generali, Abbatibus, Prioribus, & Religioſis ubique locorum, juxta literarum felic. record. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri ſuper erectione Congregationis hujuſmodi, ſub datum Idibus Novemb. Pontific. ſui anno 3. expeditarum formam & tenorem, quas præſentibus pro expreſſis, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus, ac dictæ Congregationis conſtitutiones & ſtatuta, Monaſteria, Domos, Conventus, Oratoria, Grangias, & alia quæcumque loca, juxta Conc. Trid. decreta, de ſola Ordinariorum licentia, nullo aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis, etiam Regularium requiſito conſenſu, conſtruere, fundare, & erigere, ac etiam per alios jam fundata & erecta recipere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus & impartimur.

§. 3. Quocirca Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Tholoſano & Epiſcopo Pariſienſi, ſeu eorum Officiali & Vicario in ſpiritualibus generali reſpectivè, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus, & perpetuò mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque, quoties pro parte d. Congregationis Fulienſis Religioſorum, vel cujuſlibet eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ab omnibus inviolabiliter obſervari, dictæque Congregationis Monachos, ac eorum ſingulos illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, vel quemlibet eorum per quoſcumque deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, vel perturbari, contradictores, & rebelles quoſlibet per ſententias, cenſuras, & pœnas etiam pecuniarias, eorum arbitrio imponen. moderan. & applican. cæteraque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, &c. brachii ſæcularis.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Clementis Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Quoniam ad inſtitutum, ſub dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſc. die 23. Julii 1603. Pont. ſui anno 12. necnon piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnõ in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus, ac cujuſvis alterius Ordinis, etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis aliis Ordinibus, ac eorum Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque ſenten. & formis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi alicui communiter, aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non, &c. mentionem.

§. 5. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut manu Generalis, & ſigillo dictæ Congregationis Fulienſis munitis eadem prorſus fides adhibeatur, in judicio, & alibi ubi opus fuerit, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, die 14. Auguſti 1608. anno quarto.

---

## Contra mulieres ingrediendi Monaſteria Monialium licentiis abutentes. L

*Hic idem Pontifex hujuſmodi licentias uſque tunc conceſſas revocavit,*

*revocavit, ſui Pontificatus anno octavo, ut infrà in conſtit.74. Monialium, ubi notabo.*

§. D. N. Urbanus VIII. declaravit, quod conſenſus Monialium, ſine quo mulieres ſæculares licentiis ingrediendi Monaſteria uti non poſſunt, expreſsè, capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtandus ſit, in conſtit. 29. Sacroſanctum, infrà tom. 4.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

FAcultatum plura Monaſteria Monialium ingrediendi abuſus tollere volentes.

§. 1. Tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod nulla perſona cujuſcumque gradus, ſtatus & conditionis, ac præeminentiæ exiſtat, etiamſi Ducali, Marchionali, aut alia dignitate præfulgeat, vigore licentiarum plura Monaſteria, domos, & loca Monialium pluribus vicibus ingrediendi, etiam abſque clauſula (*in totum, ſeu in univerſa, non autem in eorũ aliqua, vel ſingula*) à Nobis, vel prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſub quovis tenore, vel forma, etiam motu proprio cõceſſarum, & expeditarum, aut in poſterum forſan concedendarum, & expediendarum, aliqua vel ſingula Monaſteria pluribus vicibus ingredi poſſit, ſed licentiæ hujuſmodi reſpectu univerſorum, non autem aliquorum, vel ſingulorum Monaſteriorum ſuffragentur, itaut cui bis in Anno, ſeu amplius plura Monaſteria ingredi conceditur, bis, vel ampliùs tantum univerſa, non autem eorum aliqua, vel ſingula ingredi liceat, etiamſi prædicta Monaſteria in diverſis Civitatibus, Terris, Diœceſibus, & locis exiſtant.

§. 2. Iiſdemque mulieribus, aliter quàm ut præfertur eaſdem licentias interpretari, vel illis uti, ſub cenſuris & pœnis à Concilio Tridentino, & *Apoſtolicis* conſtitutionibus intra ſepta Monaſteriorum Monialium abſque licentia ingredientibus inflictis, ipſo facto incurrendis, eadem auctoritate prohibemus.

§. 3. Præmiſſis, & aliis quomodolibet in contrarium facientibus quibuſcumque non obſtantibus.

§. 4. Volumus autem ut harum literarum exemplis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſiſmet præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Septembris 1608. Pontificatus noſtri anno 4.

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1600. indict. 7. die verò 11. menſis Febr. Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Pauli divina Providentia Papa Quinti anno quarto, retroſcripta litera Apoſt. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Principis Apoſt. Cancell. Apoſtolica, in acie Campi Flora, & aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis, per me Dominic. de Rubeis, Sanctiſſ. D.N. Papa Curſ. Pro D. Magiſtro DD. Curſ. Franciſcus de Bonis Curſ.*

---

I. Deputatio S. R. E. Cardinalis, in Protectorem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Sancti Franciſci, cum ſuæ facultatis declaratione.

*Eaſdem ferè facultates habent alii aliarum Religionum Protectores, ſed has congruentiùs ponendas duxi, quia de hoc Ordine, & non de aliis ſunt in hoc opere conſtitutiones, nempe conſtitutio 4. Gregorii XI. Cunctos, ſup. lib. 1. & conſtitutio 4. Sixti Quarti, Sancta, eodem lib.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Dilecto filio noſtro Marcello tituli SS. Quirici, & Iulitta, Preſbytero Cardinali Lantes nuncupato.*

§. 1. CUm Ordo Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci Protectore ad præſens deſtitutus reperiatur, Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tua induſtria, ſingulari prudentia, doctrina, & integritate, ac Religionis zelo plurimùm in Domino fiduciam habentes, motu proprio, non ad inſtantiam Ordinis, aut ejus Superiorum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & deliberatione noſtris, Te ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum commodi plurimùm ſuſcepturum eſſe confidimus, prædicti Ordinis, ac illius Domorum, Conventuum, & Fratrum quorumcumque apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, cum omnibus facultatibus, juriſdictionibus, honoribus, & oneribus ſolitis & conſuetis, ac quibus alii Ordinis hujuſmodi Protectores uſi ſunt, ac uti quomodolibet potuerunt, ſeu etiam debuerunt, ad tui vitam facimus, conſtituimus, & deputamus.

§. 2. Volumus autem, ac tibi in virtute ſanctæ obedientiæ per præſentes eaſdem injungimus, & mandamus, ut Superiorum dicti Ordinis auctoritatem, quantum fieri poterit, conſervare cures. Et propterea cùm ipſi Superiores eorum officii debitò ſatisfecerint, ac gubernio ſubditorum ſufficienter incubuerint, tunc negotiis eorumdem Fratrum te non immiſceas. Quando autem ab ipſis fueris requiſitus, ut in eiſdem negotiis auctoritatem interponas, vel neceſſe fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in eiſdem negotiis exerceas, tunc id liberè facere poſſis, ſed quoad potueris per te ipſum hoc facere cures, adhibito ad ſcribendum, quando opus fuerit, in eiſdem negotiis, ſeu cauſis, loco Notarii, aliquò ex Fratribus dicti Ordinis. *Declaratio ſua auctoritatis. Ad hoc attende alias conſt. in rubr. indicatas.*

§. 3. Mandantes propterea prædictis Superioribus, necnon univerſis Fratribus, & perſonis quibuſcumque Ordinis hujuſmodi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Te in eundem Protectorem juxta præſentium tenorem recipiant, & ea qua decet reverentia proſequantur. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. *Obedientia eidem præſtanda.*

§. 4. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujuſmodi protectionis munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri. *Hortatio ad eundem.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Octobris 1608. Pontificatus noſtri anno 4. *Dat. P. A. 4. die 7. Octob.*

---

Quod Fratres Capuccini, ſunt verè Fratres Minores S. Franciſci, ejuſque filii, & eorum conſtitutiones ejuſdem S. Franciſci Regulæ conſentaneæ ſunt. LIV.

*Capuccinorum inſtitutionem primò approbavit Clem. VII. in ſua conſt. 21. Religionis, ubi alia de eis tibi indicavi, lib. 1.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.* *Edita A. D. 1608.*

ECcleſiæ militantis regimini, auctore Domino, nullo ſuffragio meritorum præſidentes, ex injuncto nobis officii debito providere tenemur, ut qui ſub B. Franciſci vexillis, qui inter ſtrenuos Chriſti Duces gloriæ ſplendore coruſcat, in hujus vitæ militia ſub ſtrictioris ejuſdem Beati Franciſci Regula diſciplinæ Altiſſimo obſequium præſtant, & per corporis caſtigationem, per divitiarum contemptum, ſuique ipſius abnegationem, jejuniis, orationibus, ſacris prædicationibus, aliiſque religioſis operibus vacantes, verbo & exemplo veros ſeſe B. Franciſci imitatores, & germina oſtendunt, tales ab omnibus abſque ulla controverſia habeantur. *Proœmium.*

§. 1. Cùm itaque, ſicut accepimus, à nonnullis revocetur in dubium, an fratres Ordinis ejuſdem S. Franciſci Capuccini nuncupati, ſint verè Fratres Minores, & etiam quoniam Regulam S. Franciſci profitentur, filii S. Franciſci, cùm tempore S. Franciſci inſtituti non fuerint, pariterque an eorum conſtitutiones aliquid habeant, quod Regulæ S. Franciſci repugnet. *Cauſa hujus conſtit.*

§. 2. Nos dubia hujuſmodi Apoſtolicæ declarationis oraculo decidere cupientes, cum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſilio matura deliberatione habita, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, auctoritate Apoſtolica declaramus, fratres Capuccinos eſſe verè Fratres Minores, ac etiam (quamvis tempore S. Franciſci minimè inſtituti fuerint, cum tamen ejus regulam profiteantur, atque eorum inſtituta congruant, tam Regulæ ſtatutis, *Capuccini ſunt verè Fratres Minores S. Franciſci.*

quàm ejuſdem Regulæ declarationibus, quæ habentur in conſtitutione felic. recor. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri in generali Concilio Viennenſi edita, quæ incipit Exivit de Paradiſo, filios S. Franciſci.

*Eorumque conſtit. ſunt conſentanea regula Sancti Franciſci.*

§.3. Eorum præterea conſtitutiones nihil continere, quod non ſit Regulæ S. Franciſci prædictæ conſentaneū.

*Clauſula ſublata, &c.*

§.4. Sicque ab omnibus & ſingulis cenſeri, ac reputari, & judicari debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Executores deputantur.*

§.5. Quocirca omnibus & ſingulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Ep:ſcopis, ac dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis per præſentes mandamus, quatenus ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte fratrum Capucinorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos præmiſſis omnibus & ſingulis juxta præſentium continentiam & tenorem, pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo: necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, illos ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illaſque iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

*Contraria removentur.*

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & auctoritate prædicta decernimus, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 4. die 15. Oct.*

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Octobris 1608. Pontific. noſtri anno quarto.

---

## LV. Quod unus ex Confratribus Congregationis Joannis Dei nuncupatæ, in qualibet domo ejuſdem Congregationis ad Presbyteratum promoveri, & Sacramenta miniſtrare poſſit.

*De hujus Congregationis inſtitu!one habes ſuprà in Pii V. conſtit. 143. Licèt, lib. 2. ubi cætera indicavi. Addo nunc diſtinctam eſſe Congregationem horum Fratrum in Regnis Hiſpaniarum, eoſque verè Religioſos regulares exiſtere, ut ſancitum fuit infrà in ejus conſtit. 69. Romanus, ubi in ſpecie duos Presbyteros in qualibet illorum domo permiſit.*

Vide etiam hujus Pauli conſtitut. 100. Romanus, ubi notavi.

*Edita A. D. 1609.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

INter alias noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis curas, quibus premimur, hæc una præcipuè eſt, ut non ſolùm Chriſti fideles in egeſtate conſtituti corporalibus cibis reficiantur, ſed ſpiritualibus præſertim alimoniis confoveantur.

*Clem. VIII. iſtis Confratribus aſcenſum ad ſacros ordines interdixit in eius conſtit. 44. ſup. lib. 2. unde Congregatio magna damna incurrebat.*

§.1. Cùm itaque, ſicut dilectorum filiorum Vicarii generalis, & Confratrum Congregationis Joannis Dei nomine Nobis nuper expoſitum fuit, omnes domùs regulares Congregationis prædictæ magna incommoda & damna patiantur ex eo, quòd quadam conſtitutione felic. rec. Clementis Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, data die nona Septembris milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, Pontificatus ſui anno Quinto, inter alia Confratribus dictæ Congregationis aſcenſus ad ſacros ordines interdictus eſt, ſiquidem Presbyteros ſeculares, qui pauperum in domibus prædictis exceptorum confeſſiones audiant, & ſacramenta miniſtrent, ac agonizantium animas omnipotenti Deo commendent, habere valdè diſpendioſum, & quod deterius eſt, dicti Presbyteri ſeculares poſt celebratum ab iis ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium à prædictis domibus ſæcularibus pro majori parte diei, & nocte tota abſunt, in maximum præjudicium animarum dictorum pauperum. Ideò Vicarius & Confratres prædicti nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut aliquibus dictæ Congregationis Confratribus licentiā ſacros ordines ſuſcipiendi, & in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrandi concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos igitur piis eorum votis favorabiliter annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, necnon ſingulares dictæ Congregationis perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati. Quod in qualibet domo dictæ Congregationis unus Confrater dumtaxat arbitrio nunc & pro tempore exiſtentis ejus Congregationis apud Nos & Apoſtolicam Sedem Protectoris, ad omnes, etiam ſacros, & Presbyteratus ordines à ſuo Ordinario, vel de ejus licentia à quocumque maluerit Catholico Antiſtite gratiam & communionem præfatæ Sedis habente, ad titulum hoſpitalitatis hujuſmodi promoveri, & promotus in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, dummodo tamen prævio diligenti examine ad hoc idoneus repertus ſit, neque aliud obſtet Canonicum impedimentum, & ante ſex annos ſaltem Congregationis hujuſmodi regulam profeſſus fuerit, liberè & licitè valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus & indulgemus.

§.3. Utque ſic promoti nullum officium, munus, aut adminiſtrationem in d. Congregatione gerere, aut exercere poſſint, ſed Miſſis celebrandis, ac ſacramentis miniſtrandis tantummodò vacare debeant.

§.4. Et ſi eorum aliquem ſuis ita exigentibus demeritis d. Congregationis habitu poſtea privari contigerit, ipſo facto, & abſque ulla declaratione ab ordinum hujuſmodi exercitio ſtatim ſuſpenſus ſit, & eſſe cenſeatur, eadem auctoritate ſtatuimus.

§.5. Decernentes præſentes litteras nullo unquam tempore, &c. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices, &c.

§.6. Non obſtantibus prædicta, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac d. Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Congregationi, illiuſque Superioribus, & Fratribus, ac quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum omnium & ſingulorum præmiſſorum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.7. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, aut ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die prima Julii 1609. Pontificatus noſtri anno quinto.

---

## Quod cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Societatis regulares perſonæ, ad eas tantùm rectà ſe transferant Indiarum partes, ad quas ab eorum Superioribus ad fidem Catholicam prædicandam, ſivè Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda delegantur.

Ad

*Ad hæc vide etiam hujuſmet Pont. conſtitut. 90. Sedis.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

ACcepimus non ſine animi noſtri moleſtia, Religioſos qui Religionis Catholicæ propagandæ, & aliàs in Vinea Domini laborandi cauſa, ad Indiarum partes & certas illius Provincias à ſuis Superioribus delegantur, deſtinatas ſibi Provincias, & loca non petere, verùm vel in ipſo itinere immorari, vel aliò deflectere, non ſine Religionis ejuſdem diſpendio, & ſalutis animarum detrimento.

§. 1. Quare nos prò noſtra Paſtoralis officii ſollicitudine omnium ſaluti intendentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, omnibus & ſingulis cujuſcumque Ordinis, & Congregationis, ac Societatis Regularibus perſonis, qui ad partes Indiarum ad fidem Catholicam prædicandam, ſive alia Eccleſiaſtica miniſteria exercenda, & in meſſem Domini operarii mittentur, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus & mandamus, ut memores voti obedientiæ per eos emiſſi, ad eas Provincias & loca rectà ſe transferant, ad quæ ab eorum Superioribus Miſſi fuerint, nec quovis prætextu, abſque eorumdem Superiorum licentia (legitimo tamen impedimento ceſſante) in itinere immorentur, vel ad loca eis non deſtinata declinent.

§. 2. Non obſtantibus conſtitutiònibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum, quorum illi profeſſi fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 3. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, præſentibus ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturis.

Datum Romæ apud S. Marcum, die 8. Julii 1606. anno quinto.

---

II. Quod cauſæ Hoſpitalis Mendicorum de Urbe in ſecunda inſtantia ab uno ex judicibus ordinariis Urbis, per Cardinalem illius pro tempore Protectorem eligendo cognoſcantur, firmo remanente Notario ejuſdem Hoſpitalis.

*Erexit hoc Hoſpitale Sixtus Quintus, ut ſuprà in ſua conſtitut. 57. Quamvis, lib. 2. Et juriſdictionem ejus lites in prima inſtantia cognoſcendi, Doctori ab illius Adminiſtratoribus deputando conceſſit in alia conſtitut. 86. Poſtulat.*

A. D.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Dilecto filio noſtro Alexandro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Montalto nuncupato, S. R. E. Vicecancellario, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

§. 1. ALiàs felic. record. Sixtus Papa Quintus prædeceſſor noſter, indemnitati Hoſpitalis pauperum Mendicantium per eum apud Pontem Sixtum nuncupatum de Urbe erecti, conſulere cupiens, inter alia motu proprio, & ex certa ſcientia ſua perpetuò ſtatuit & ordinavit, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus prò tempore exiſtentes dicti Hoſpitalis Adminiſtratores, unum utriuſque juris Doctorem dictum in Judicem cauſarum Hoſpitalis prædicti eligere, ſeu deputare poſſent & valerent.

§. 2. Decernens quod à pro tempore exiſtentis Doctoris, ut præmittitur electi & deputati ſententiis ſemel tantùm pro qualibet parte liceret appellare, & alia remedia intentare coram pro tempore exiſtenti Urbis Gubernatore, ſeu alio Judice ab ipſo Gubernatore deputando, ei verò parti quæ ſemel appellaſſet, ſecundò, vel ulterius, ſublata eſſet omnis, & quæcumque appellatio, ſed duæ ſententiæ conformes plenariam executionem obtinerent, ac ſi eſſent tres conformes. *A cujus ſententia ſemel tantùm ad Gubernatorem Urbis appellari poſſe decrevit ibid.*

§. 3. Cùm autem, ſicut accepimus, Adminiſtratores, Officiales, & Miniſtri prædicti, ut expeditionem dictarum cauſarum in ſecunda inſtantia coram Gubernatore, ſeu Judice ab ipſo Gubernatore deputando proſequi poſſint, regiſtra & extracta cum magnis expenſis conficere, & nonnunquam pecuniis ad id neceſſariis ſibi deficientibus, cauſas ipſas in maximum eorum præjudicium deſerere cogantur: Nos propterea eorumdem Adminiſtratorum, Officialium, & Miniſtrorum prædictorum indemnitati in præmiſſis conſultum eſſe cupientes, ac illos, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, diſcretioni tuæ, quem rec. mem. Clemens Papa VIII. etiam prædeceſſor noſter, d. Hoſpitalis Protectorem, cum auctoritate, facultatibus, juriſdictione, ſuperioritate, honoribus, & oneribus aliis ſimilium piorum locorum Protectoribus, de jure, conſuetudine, privilegio, aut aliàs quomodocumque competentibus, ad tui vitam deputavit, ut aliquem ex Judicibus ordinariis Urbis, qui omnes & ſingulas cauſas, lites, quæſtiones, & controverſias in ſecunda inſtantia per appellationem, ſeu aliàs à ſententiis prædicti Doctoris coram Gubernatore, ſeu ejus deputato, vigore prædictarum literarum, ut prædicitur introductas, & quæ introduci deberent, firmo remanente Notario per Adminiſtratores in prima inſtantia deputato, audiat, cognoſcat, & fine debito terminet, deputare liberè & licitè valeas, facultatem & auctoritatem Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & impartimur. *Iſte modò Pont. ex cauſis hic expreſſis dat Cardinali Hoſpitalis Protectori auctoritatem deputandi unum ex Judicibus ordinariis, ad cognoſcendas cauſas appellationis, firmo remanente Notario Hoſpitalis.*

§. 4. Non obſtantibus literis prædictis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Hoſpitalis ſtatutis, etiam juramento roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Judicibus & Tribunalibus conceſſis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio facienda, ſeu quævis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſſis ſufficienter, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs, &c. permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariiſque derogat.*

§. 5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptis credi mandat.*

Datum Romæ apud S. Marcum, die 20. Julii 1609. anno quinto. *Dat. P. A. 5. die 20. Julii.*

---

Moderatio Indultorum S. R. E. Cardinalium, ſuper collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum. LVIII.

*Aliam habemus moderationem Pii V. in conſtitut. 37. lib. 2. Sanctiſſimus. Ac aliam Gregorii XIV. in conſt. 19. Sanctiſſimus, eodem lib.* *Edita A. D. 1609.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. Noſter D. Paulus divina Providentia Papa V. providè attendens quod vacatione beneficiorum Eccleſiaſticorum Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervatorum, etiam apud illam prò tempore occurrente, ex quibuſdam indultis & facultatibus S. R. E. Cardinalibus ſuper diſpoſitione beneficiorum hujuſmodi conceſſis, Sedes ipſa omnium parens, & alumna ſæpenumero impeditur quo minus ſolitam ejus benignitatem erga pauperes, & perſonas de ſe benemeritas, ac aliàs ſibi gratas, & acceptas, liberaliter exercere poſſit.

§. 1. Volens propterea ſuper his opportunæ proviſionis remedium, ut par eſt, adhibere, ſimulque contentionibus & litibus circa facultatum & indultorum præfatorum *Moderatio indultorum S. R. E. Cardinalium [illegible]*

interpretationem oriri [illegible] obviare, fel. rec. Pii etiam V. & Gregorii XIV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum veſtigiis in ea parte inhærendo, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & quæcumque indulta, conceſſiones, facultates, & privilegia conferendi quæcumque apud Sedem Apoſtolicam præfatam vacantia, aut in poſterum vacatura beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia quomodocumque qualificata, etiam inter quaſcumque perſonas litigioſa, ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem, tam dictorum Cardinalium, ratione Patriarchalium, Metropolitanarum & Cathedralium, ac aliarum Eccleſiarum (non tamen earum quibus in titulum, aut denominationem ſui Cardinalatus præſunt, circa quas aliquid de novo diſponere non intendit) necnon Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ quomodolibet obtinent, & in poſterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio, & proviſio, & quævis alia diſpoſitio illis ex cauſa factæ per eos ceſſionis, regiminis & adminiſtrationis, ſeu commendæ, aut reſignationis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum hujuſmodi beneficiorum, Apoſtolica auctoritate reſervata, &c. exiſtit, vel in poſterum reſervabitur, quàm etiam aliorum quorumcumque inferiorum collatorum, aut collatricum, conjunctim vel diviſim, de jure, privilegio, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet pertinentia, ac etiam illa commendandi, & aliàs de eis diſponendi, vel de conſenſu ipſorum Cardinalium requirendo in proviſione eorumdem beneficiorum apud Sedem eandem, ut præfertur vacantium, per Sanctitatem ſuam facienda, & quod ſine conſenſu hujuſmodi factæ proviſiones, aut quævis aliæ diſpoſitiones nullæ & irritæ ſint, omnibus, & ſingulis Cardinalibus præfatis per quoſcumque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem ſuam, & dictam Sedem, etiam motu, ſcientia, poteſtatiſque plenitudine ſimilibus, & Conſiſtorialiter, ac etiam ex pactis inter dictos Pontifices, & Cardinales diverſis temporibus factis, firmatis, & juratis, necnon quibuſvis oneroſis, & aliis cauſis conceſſa, ac etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, innovata, & extenſa, quibuſcumque concepta formulis, ac etiam reſtitutivis, mentis atteſtativis, præſervativis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, etiam vim contractus inducentibus, ac irritanti, & quod ſine eorum conſenſu derogationes pro tempore factæ nemini ſuffragentur, aliiſque decretis ſuffulta, quorum omnium tenores Sanctitas ſua haberi voluit pro expreſſis, ſpecialiter & expreſsè revocavit, literaſque Apoſtolicas deſuper confectas, & quoad ea in quibus illa effectum nondum ſortita erant, & deinde ſequuta quæcumque caſſavit, annullavit, vireſque & effectum de cetero non habere decrevit. Salva tamen remanente facultate cõſenſus per ipſos Cardinales in proviſionibus Apoſtolicis beneficiorum per obitum familiarium continuorum commenſalium eorumdem Cardinalium, etiam apud Sedem prædictam vacantium præſtandi, juxta formam Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ ſuper hoc editæ, & in caſibus tãtum in ipſa Regula expreſſis. Voluit ulterius, quod eadem beneficia per obitum familiarium continuorum cõmenſalium eorumdem Cardinalium poſthac, tam apud eandem Sedem, quàm extra Romanam Curiam vacantia, etiãſi ad alicujus alterius Cardinalis collationem, vel aliã diſpoſitionem pertinere deberent, etiãſi tunc ceſſent aliæ Apoſtolicæ reſervationes hactenus editæ, nihilominus in poſterum diſpoſitioni Sanctitatis ſuæ reſervata cenſeantur, itaut in proviſionibus talium beneficiorum ſuper expeditionibus literarum illius Cardinalis, cujus tunc familiaris defunctus extitit, ſi ipſe Cardinalis tunc præſens in eadem Curia fuerit, conſenſus omninò requiri debeat, non autem beneficia hujuſmodi, etiam eodem Cardinale ab ipſa Curia abſente, ſeu prædefuncto, vel aliàs conferre impedito, ad collationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem Cardinalis ordinarii collatoris ullo modo pertineant, neque ejuſdem Cardinalis ordinarii collatoris, etiam in dicta Curia tunc præſentis conſenſus quoquo modo requiratur. Eaſdemque conſtitutiones, & Regulas Cancellariæ, etiam declaratorias ſuper beneficiis familiarium prædictorum Cardinalium editas, & edendas tam quoad Cardinales indulta hujuſmodi habentes, quàm non habentes, atque adeò indulta ipſa ad terminos præſentis conſtitutionis reduxit, & moderatus fuit.

§. 2. Inſuper ſtatuit & ordinavit, quod in quibuſcumque facultatibus, & indultis, quæ deinceps ſingulis Cardinalibus præfatis, præſentibus & futuris ſuper hujuſmodi beneficiorum, ut præfertur vacantium, & vacaturorum diſpoſitione, aut de conſenſu ipſorum Cardinalium in proviſionibus eorumdem beneficiorum requirendo per Sanctitatem ſuam, & quoſcumque alios Romanos Pontifices ſucceſſores ſuos, dictáque Sedem pro tempore concedentur, idem præſens conſtitutum ad unguem omninò obſervari debeat, omneſque literæ Apoſtolicæ deſuper, tam per Cancellariam præfatam, quàm Cameram Apoſtolicam, ac etiam via ſecreta, ſub annulo Piſcatoris, abſque limitationibus, & moderationibus prædictis, ac aliàs præter, & contra formam atque tenorem præſentis conſtitutionis hujuſmodi, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, etiam cum præſentium ſpeciali, & expreſſa derogatione pro tempore expeditæ nullius ſint roboris vel momenti, nec cuiquam ſuffragentur.

§. 3. Decernens ſic in iis, ceteriſque omnibus præmiſſis per quoſcumque, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac etiam ipſos Cardinales, ſublata eis quavis aliter judicandi atque interpretandi facultate & auctoritate, judicari, aut definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque, etiam prætextu indultorum, facultatum, & conceſſionum hujuſmodi, ſcienter, vel ignorantert attentari contigerit.

§. 4. *Statuto, & ordinatione, decreto, & declaratione* ſuæ Sanctitatis in craſtinum ejus aſſumptionis ad ſummi Apoſtolatus apicem editis, quod Cardinales in conſtitutionibus & Regulis per eam poſt priorum ſuarum conſtitutionum, & Regularum editionem, & publicationem in poſterum faciendis non includantur, niſi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipſæ edendæ conſtitutiones de illorum, ſeu majoris partis eorum conſilio editæ fuerint, necnon prædictis, & quibuſcumque aliis Regulis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus.

Placet Motu proprio, publicetur & deſcribatur C.

*Lecta & publicata fuit ſupradicta Conſtitutio Romæ in Cancellaria Apoſtolica Anno Incarnationis Dominicæ* 1609. *die verò Iovis* 22. *Octobris, Pont. S. D. N. D. Pauli divina Providentia Papæ V. anno quinto.*

*Marcus Antonius Aſcentius Procuſtos.*

*Pro D. Plinio Boniojanno Cancell. Apoſt. Cuſtode.*

---

## De diſtinctione duarum Provinciarum Caſtellæ, & Bæticæ. Et electione Vicarii Generalis, Miniſtrorum Provincialium, Definitorum, & aliorum Miniſtrorum Congregationis Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum in Regnis Hiſpaniarum. LI

*Iſtam Congregationem primò probavit Clemens VIII. in ſua conſtit. 62. Ad militantis, hic ſuprà. Inter Ordines Mendicantium aſcripſit Paulus V. Votorumque emiſſionem præſcripſit in duabus ſubſequentibus conſtitut.*

Ordinem verò inſtituit Innocentius III. in ſua conſtit. 1. Operante, lib. 1. ubi materiam indicavi.

De hac materia vide S. D. N. Urb. VIII. conſtit. 59. Accepto, & conſt. 60. Licet, infrà tom. 4.

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

EX debito paſtoralis officii nobis ex alto commiſſi inter alia nos ſumma ope niti decet, ut in domibus Religioſorum tales viri ad officia, & munera publica eligantur, ex quorum opera ipſæ Domus felicia ſuſcipiant incrementa.

§. 1. Cùm aliàs fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, ex certis cauſis adductus, unam Provinciam, ſeu Congregationem Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ

ctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, qui primitivam Regulam dicti Ordinis obſervarent, in Regnis Hiſpaniarum in perpetuum motu proprio erexerit, eamque ſic erectam ab aliis Provinciis prædicti Ordinis modificatione Regulæ perpetuò ſejunxerit, prout in literis d. Prædeceſſoris in forma brevis, die 20. Auguſti Pontific. ſui anno 8. confectis pleniùs continetur.

§.2. Nos ut dicta Congregatio felicioribus in dies augeatur progreſſibus proſpicere cupientes, ac eoſdem Fratres Diſcalceatos Congregationis hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, necnon literarum dicti Prædeceſſoris, perinde ac ſi de verbo ad verbum insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus dictæ Congregationis Nobis hac in parte humiliter porrectis inclinati, ex ſententia dilectorum filiorum noſtrorum Octavii tituli Sanctæ Sabinæ Bandini, & Joannis Garſiæ tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyterorum Cardinalium Millini nuncupatorum, quibus hoc negotium maturè examinandum, & nobis referendum commiſimus, harum ſerie perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quod in futurum perpetuis futuris temporibus in hac Congregatione Miniſtri à Conventibus ejuſdem ampliùs non eligantur, ſed de triennio in triennium in Capitulo Provinciali ab univerſo Capitulo dumtaxat eligantur: quod ſi diſſoluto jam Capitulo intra triennium rurſus Miniſterium aliquod vacare contigerit, Miniſter ab ipſiſmet Provinciali, & definitoribus, non autem per alios de eorum commiſſione, eligatur, duret verò uſque ad ſequens Capitulum Provinciale, ubi ceſſant omnia miniſteria prædicta.

§.3. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales ubique judicari, ac diffiniri debere, necnon irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Congregationi in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§.5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, 24. Decembris 1609. Pontific. noſtri anno quinto.

*Sequitur plenior diſpoſitio ſuper prædictis.*

## *PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

IN ſupremo Militantis Eccleſiæ ſolio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, nullis noſtris exigentibus meritis, ſed ſola Dei benignitate conſtituti, circa ſtatum Religionum, & ſæcularium Congregationum ad divinæ Majeſtatis gloriam, animarumque ſalutem providè inſtitutarum, illarum præſertim, quarum profeſſores ſe ad ſtrictioris vitæ normam & diſciplinam ſolemni voto devinxerunt, per noſtræ conſiderationis intuitum, quid pro hujuſmodi laudabilis earum inſtituti felici & ſalubri directione ac progreſſu conferat, diligenter proſpicimus, & deſuper providentiæ noſtræ partes propenſis ſtudiis interponimus, prout temporum & locorum rationibus debitè penſatis conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Aliàs ſiquidem per felic. record. Clementem Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod nonnulli Pii Religioſi Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Profeſſores, &c.

Omittitur tenoris reſiduum, quia ipſam conſtitutionem habes hic ſuprà.

§.2. Cùm autem, ſicut nomine Congregationis prædictæ nobis nuper expoſitum fuit, Congregatio ipſa, benedicente Domino non mediocriter adaucta & propagata, & quamplurima illius Monaſteria, domus & regularia loca in diverſis dd. Regnorum partibus, cum bonæ famæ odore, ac pietatis & charitatis, necnon ſpiritualium operum incremento, animarumque ſalute fundata & inſtituta fuerint, illaque omnia per unum Miniſtrum Provincialem regi & gubernari commodè nequeant, ac operæpretium & expediens ſit, ut ibidem aliquot Provinciæ ejuſdem Congregationis invicem diſtinctæ, juxta augmentum & numerum Monaſteriorum & domorum hujuſmodi inſtituantur, aliaque infraſcripta fiant & ordinentur.

*Quæ cùm multum propagata fuerit, [illegible]*

§.3. Nos pro paſtoralis officii noſtri debito ipſius Congregationis pium inſtitutum propenſæ voluntatis affectu proſequi & confovere, illiuſque proſperitati, & bono regimini conſulere volentes, ac univerſos & ſingulos Fratres Reformatos & Diſcalceatos prædictos à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex omnibus Monaſteriis, domibus & regularibus locis Congregationis hujuſmodi in dictis Regnis nunc fundatis & inſtitutis, & quæ in poſterum dante Domino fundari & inſtitui contigerit, duas Provincias, unam videlicet Caſtellæ, alteram verò Bæticæ nuncupandas, & in proximo futuro Capitulo dictæ Congregationis generali, prout hujuſmodi Monaſteriorum, & domorum numerus, ac locorum opportunitas ſuaſerit, & aliàs expedire videbitur, invicem diſtinguendas & ſeparandas, quarum quælibet per unum proprium Miniſtrum Provincialem ex Fratribus Reformatis & Diſcalceatis prædictis eligendum, regi & gubernari debeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Duas Provincias diſtingui decernit in futuro Capitulo, & earum quamlibet per unum Miniſtrum Provincialem gubernari præcipit.*

§.4. Præterea ſtatuimus & ordinamus, quod in eodem proximo futuro Capitulo generali, dilecti filii Miniſter Provincialis & Diffinitores dictæ Congregationis, ac etiã ſingulorum illius Monaſteriorum & domorum Miniſtri ad præſens exiſtentes, ſine Procuratorum Conventualium interventu, antequam ad electiones infraſcriptas procedant, quæcumque ſtatuta, ordinationes & decreta, ad omnipotentis Dei ſervitium, ac ejuſdem Congregationis, illiuſque regularis inſtituti proſperitatem, ſtabilitatem & obſervantiam, necnon generalis & Provincialium Capitulorum celebrationem, ac quorumcumque Prælatorum & Superiorum electionem, piorumque & ſpiritualium miniſteriorum propagationem pertinentia, ac aliàs in præmiſſis, & circa ea eorum judicio magis convenientia & neceſſaria, à nobis tamen, vel pro tempore exiſtente Romano Pontifice approbanda, ac poſtquam ſic approbata fuerint, & non antea, per omnes & ſingulos ad quos pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervanda facere & concedere.

*Et in eodem Capitulo Miniſtrum Provincialem, Diffinitores, & alios domorum Miniſtros, ſtatuta quæcumque facere conſtituit, quæ ad benè regimen Congregationis, & celebrationem Capitulorum, Superiorumque electionẽ congrua dijudicabunt.*

§.5. Et deinde unum Prælatum, Vicarium generalem nuncupandum, cujus officium & poteſtas per ſex annos duret, qui Congregationis prædictæ, illiuſque Provinciarum & Miniſtrorum, tam Provincialium, quàm Conventualium Superior exiſtat, & Miniſtro generali totius Ordinis prædicti ſubſit, prout nunc Miniſter ſubeſt, plenamque poteſtatem dictam Congregationem gubernandi prædicto tempore durante habeat.

*Poſteà ad electionẽ Vicarii generalis devenire præcipit, qui totius Congregat. Superior exiſtat, & Miniſtro generali totius Ordinis ſubſit.*

§.6. Necnon futuros diffinitores generales, ac Miniſtros, tam Provinciales, quàm Conventuales eligere liberè & licitè poſſint.

*Necnon ad electionem Diffinitorum & Provincialium.*

§.7. Et quoad electionem Vicarii generalis hujuſmodi noſter, & Sedis Apoſtolicæ Nuncius in dd. Regnis commorans, illi pro hac prima vice dumtaxat præſidere, ipſiuſque Vicarii generalis ſic electi confirmatio ad Nuntium prædictum ſpectare, in aliis verò deinceps quolibet ſexennio celebrandis Capitulis generalibus ejuſdem Cõgregationis, illius Vicarius generalis tunc munere ſuo defuncturus, ſeu in defectum ejuſdem Vicarii generalis, illius vice, & loco primus Diffinitor generalis ejuſdem Congregationis, qui ibidem tunc præſens fuerit, electioni Vicarii generalis præſidere debeat.

*Electioni Vicarii Nuncium Sedis Apoſt. præſidere iubet: [illegible]*

§.8. Et excepto primo dicto Vicario generali, ceteri omnes futuri ejus in officio Vicariatus generalis hujuſmodi ſucceſſores, confirmationem ſuarum electionum à Miniſtro

Miniſtro generali Ordinis prædicti petere & obtinere curabunt.

*Statim autem poſt electionem officium ſuum liberè exercere declarat.*

§. 9. Statim autem ut electi fuerint, auctoritatem & poteſtatem prædictas habeant, ac omnia & ſingula, quæ ad dictum officium Vicariatus generalis quomodolibet pertinent, juxta Clementis prædeceſſoris hujuſmodi, ac præſentium literarum continentiam, & tenorem exercere, & exequi valeant.

*Clauſulas hujus bullæ præſervativas apponit.*

§. 10. Decernentes præſentes literas nullatenus de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo quod Miniſter generalis dicti Ordinis, & quicumque alii intereſſe forſan habentes, ad præmiſſa vocati non fuerint, nec illis conſenſerint, notari, vel aliàs quomodolibet impugnari, neque ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam à Sede prædicta emanatis, & in poſterum emanandis comprehendi poſſe, ſed illas ſemper validas & efficaces eſſe & fore, ac ſuos plenarios & integros effectus ſortiri, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes judicari & diffiniri debere, necnon irritum, &c. attentari. Non obſtantibus præmiſſis, necnon Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Generali, & Provincialibus Miniſtris, Superioribus, Diffinitoribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 9. die 14. Aug.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, &c. die 14. Auguſti 1613. anno nono.

---

LX. Aſcriptio Fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, inter alios Ordines Religioſorum Mendicantium, cum privilegiorum communicatione.

*Hujuſmodi Mendicantium privilegia attende ſuprà in Pii V. conſtit. 11. Dum ad uberes, lib. 2. & conſtit. 41. Etſi Mendicantium, cum ibi notatis.*

De hac autem Congregatione, habes etiam hujus Pont. conſt. hanc præcedentem, & ſubſequentem, ubi dixi.

*Edita A. D. 1609.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Eccleſiæ Catholicæ regimini nullis noſtris meritis à Domino præpoſiti, ex debito paſtoralis officii Viros Religioſos, qui ſub ſanctæ religionis jugo gratum Chriſto obſequium præſtant, libenter favoribus & gratiis proſequimur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Congregat. petitio, quod inter Ordines Mendicantium Pontifex eam aſcribat.*

§. 1. Cùm itaque, ſicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Diſcalceatorum, ipſi actu mendicent, & propterea inter ceteros Ordines Mendicantium adſcribi, eorumque privilegiorum & gratiarū participes fieri deſiderent. Quare nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Pontificis adnumeratio*

§. 2. Nos igitur dictos Fratres ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, ex ſententia dilectorum filiorum noſtrorum Octavii tituli S. Sabinæ Bandini, & Joannis Garſiæ tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyterorum S. R. E. Cardinalium Millini nuncupatorum, quibus hoc negotium maturè examinandum, & nobis referendum commiſimus, dictam Congregationem inter ceteros Mendicantium Ordines auctoritate Apoſtolica tenore præſentium adſcribimus, ac illam, illiuſque Fratres ſub Mendicantium nomine comprehendi debere decernimus & declaramus, ac propterea omnia & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, indulta, & alias gratias, tam per nos, quàm quoſcumque Rom. Pont. prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam quomodolibet Mendicantibus Ordinibus conceſſa, eorum omnium, ac tam ſub plumbo quàm in forma brevis confectarum literarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, ad ipſam Congregationem Diſcalceatorum hujuſmodi, ejuſque Fratres, domos, Eccleſias & loca quæcumque, de novo quoad ea quæ eorum regulæ primitivæ, & inſtitutis, ac conſtitutionibus non repugnant tantùm, eadem auctoritate extendimus & ampliamus. Necnon omnia & ſingula Concilii Tridentini decreta pro Mendicantibus Ordinibus declarata & modificata, etiam pro Congregatione hujuſmodi, ejuſque Fratribus declaramus & modificamus: omnia præterea privilegia ſpeciali quoque nota digna, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, conceſſiones, gratias tam ſpirituales, quàm temporales, & indulta, etiam per modum extenſionis, vel communicationis, cum particula excluſiva, quorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, univerſo Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordini prædicto, illiuſque domibus, Eccleſiis & Superioribus, ac Fratribus conceſſa, prædictæ Congregationi, ita ut illius Fratres non ſolùm ad ſupradictorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, perinde ac ſi illis nominatim, & in ſpecie conceſſa fuiſſent, hujuſmodi privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, conceſſionibus, gratiis & indultis (dummodo tamen prædictis Mendicantium inſtitutis, & privilegiis non adverſentur) uti, frui, potiri & gaudere liberè & licitè poſſint & valeant, dicta auctoritate perpetuò pariter concedimus, communicamus & extendimus.

§. 3. Diſtrictiùs in virtute ſanctæ obedientiæ, ac aliis arbitrio noſtro infligendis pœnis inhibentes quibuſvis locorum Ordinariis, & aliis quibuſcumque, ne dictam Congregationem, illiuſque Religioſos contra hic eis conceſſa privilegia, deſuper quoquo modo moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant, ſeu præſumant.

§. 4. Decernentes quoque præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari ullatenus poſſe, minuſve ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, reſtitutionibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, tam per nos quàm alios Roman. Pontifices ſucceſſores noſtros quomodolibet, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, pro tempore factis & faciendis, quorumcumque tenorum exiſtant, includi, ſed illis non obſtan. in ſuis robore, & efficacia perſiſtere, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, & ſub data per ipſos Fratres Diſcalceatos eligenda de novo conceſſas eſſe.

§. 5. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, ſublata eis, &c. attentari.

§. 6. Quocirca venerabilibus fratribus Toletan. & Hiſpalen. Archiepiſcopis, ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, & pro parte dictæ Congregationis, vel illius

Fratrum

Fratrum hujuſmodi, aut alicujus eorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eos & eorum quemlibet præmiſſis omnibus & ſingulis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, &c. & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato, &c. ſæcularis.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialib. & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus & generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac quibuſvis etiam juramento, &c. roboratis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibus quoque & aliis decretis in genere vel in ſpecie, & quomodolibet per quoſcumque Rom. Pont. Prædeceſſores noſtros prædictos, ac nos & Sedem prædictam, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, etiam conſiſtorialiter, & de fratrum noſtrorum conſilio, necnon Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio, ſeu alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum quod interdici, &c. non poſſint per litteras, &c. mentionem.

§. 8. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 15. Decembr. 1609. Anno quinto.

---

XI. Approbatio conſtitutionis Clementis VIII. ſuper confirmatione Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum, primitivam Regulam obſervantium, cum adjectione duorum votorum, ultra alia vota ipſius Ordinis.

*De hac Congregatione notavi in duabus conſtitutionibus præcedentibus.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

QUæ piè & ſanctè à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris circa regularium perſonarum ſtatum facta ſunt, eo libentiùs approbamus, quo exinde majorem in Eccleſia Dei utilitatem proventuram eſſe ſperamus.

§. 1. Quare cum fel. recor. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, unam Congregationem Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, qui primitivam Regulam prædicti Ordinis perpetuò obſervent, in Regnis Hiſpaniarum per unum Miniſtrum Provincialem eligendum ex eiſdem Fratribus Diſcalceatis, regendam & gubernandam, motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine erexerit, eamque ſic erectam ab aliis Provinciis prædicti Ordinis modificatæ regulæ perpetuò ſejunxerit, ipſoſque Fratres, ac eorum domos ab omni & quacumque juriſdictione, viſitatione & ſuperioritate, tam Commiſſarii Generalis, quàm aliorum Miniſtrorum Provincialium, ac aliorum quorumcumque Superiorum modificatæ regulæ ejuſdem Ordinis perpetuò exemerit, ac ſub obedientia & ſuperioritate Miniſtri Generalis dicti totius Ordinis perpetuò ſubeſſe voluerit, aliaque fecerit, ac alia à tunc & pro tempore exiſtente Sedis Apoſtolicæ in dictis Regnis Nūcio fieri mandaverit, prout in litteris dicti Prædeceſſoris deſuper die 20. Auguſti, Pontificatus ſui Anno octavo confectis pleniùs continetur, ipſique Fratres Diſcalceati, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ac obedientiæ, paupertatis & caſtitatis vota pertinent, fideliter ut accepimus, obſervaverint.

§. 2. Nos dictos Fratres Diſcalceatos, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon tenorem dictarum literarum perinde ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus dictæ Congregationis nomine nobis hac in parte humiliter porrectis, ex ſententia dilectorum filiorum noſtrorum Octavii tituli S. Sabinæ, Bandini, & Ioannis Garſiæ tituli SS. Quatuor Coronatorum, Presbyterorum Cardinalium Millini nuncupatorum, quibus hoc negotium maturè examinandum, & nobis referendum commiſimus, literas dicti Clementis prædeceſſoris cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis, ac derogationibus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, illiſque robur Apoſtolicæ confirmationis adjicimus, illaſque ab omnibus & ſingulis ad quos pertinet, & in futurum pertinebit, obſervari volumus & mandamus. *Confirmatio d. conſtitut.*

§. 3. Quoniam verò religioſos inter alias, humilitatis præcipue virtutem habere oportet, eadē auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, quod dictæ Congregationis Fratres, qui de cetero profitebuntur, ultra alia vota tempore ejuſdem profeſſionis emittenda, aliud votum etiam emittāt, videlicet ſe directè vel indirectè, per ſe aut per alios, intra dictam Congregationem prælationem aliquam aut officium per conſtitutionem prætendi prohibitum, nunquam prætenſuros. Et pariter extra eandem Congregationē, neque directè, neque indirectè, per ſe aut per alios, ullam prælationem prætenſuros, vel oblatam acceptaturos, niſi præcepto ejus, qui eis præcipere poterit, aſtringantur, profeſſi tamen, ſi voluerint, juxta eandem formam idem votum emittant. *Adjectio duorum votorum.*

§. 4. Decernentes ſuper hujuſmodi voto diſpenſari minimè poſſe, neque illud commutari, non ſecus ac cetera ſubſtantialia vota religionis. *Diſpenſatio [illegible] votorum prohibetur.*

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis quæ dictus Clemens prædeceſſor in litteris ſuis prædictis voluit non obſtare. *Contrariis derogatur.*

§. 6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Tranſumptis fides datur.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Februarii 1610. Pontificatus noſtri anno quinto. *Dat. P. An. 5. die 10. Febr.*

---

Declaratio reſervationis beneficiorum per aſſecutionem pacificam vacaturorum. LXII.

§. 1. SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Paulus divina Providentia Papa Quintus, qui in craſtinum ejus aſſumptionis ad ſummi Apoſtolatus apicem veſtigiis felicis recordat. Benedicti XII. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum inhærendo, omnia & ſingula beneficia Eccleſiaſtica, per pacificam aſſecutionem quorumcumque aliorum per Sanctitatem ſuam, ſeu ejus auctoritate conferendorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, ex tunc vacatura ordinationi & diſpoſitioni ſuæ, cum decreto *Edita An. D. 1609.* *Cauſa hujus conſtit.*

irritanti defuper appoſito inter alia duxit reſervanda, & cui ex fide dignorum relatione innotuit, quod plerique de beneficiis Eccleſiaſticis, præſertim curam animarum habentibus, ſeu aliàs perſonalem reſidentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apoſtolica auctoritate proviſi, ſeu providendi, ante illorum aſſecutionem, alia cum eiſdem incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica per eos tunc obtenta in fraudem reſervationis & decreti prædictorum reſignabant, ſeu admittebant.

*Declaratio reſervationis beneficiorum per aſſecutionem pacificã vacaturorũ.*

§. 2. Cupiens opportunum ſuper his remedium adhibere, voluit, decrevit & declaravit, quod ſi in poſterum quibuſvis perſonis de aliquibus beneficiis Eccleſiaſticis tunc vacantibus, ſeu vacaturis per Sanctitatem ſuam, aut ejus auctoritate provideri, ipſoſque proviſos, ſeu providendos intra vacationis & proviſionis, ſeu aſſecutionis eorumdem beneficiorum tempora, quæcumque alia cum illis incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hoſpitalium regularia, per eos tunc obtenta, nulla ſpeciali & expreſſa de eiſdem in proviſionibus prædictis facta mentione, ſimpliciter vel cauſa permutationis, ac aliàs quomodolibet, ſive in Sanctitatis Suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Legatorum, vel nunciorum dictæ Sedis, ſive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus reſignare, ſeu dimittere, aut juribus ſuis in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes & ſingulæ conceſſiones, collationes, proviſiones, & quævis aliæ diſpoſitiones de beneficiis, ſeu juribus ſic reſignandis, dimittendis & cedendis pro tempore faciendæ, cum inde ſecutis quibuſcumque, caſſæ & irritæ, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtant, nec cuiquam ſuffragentur, ſed beneficia & jura, ut præfertur, reſignata, dimiſſa & ceſſa eo ipſo vacent, & vacare, ac ſub reſervatione & priori decreto præfatis, quæ Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit & ampliavit, comprehenſa cenſeantur. Ita quod de illis per alium quàm eandem Sanctitatem Suam, vel pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem nullatenus diſponi poſſit, in omnibus, & per omnia perinde ac ſi per pacificam aſſecutionem aliorum beneficiorum hujuſmodi verè, & realiter vacaviſſent.

*Clauſ. ſublata, &c.*

§. 3. Decernentes ſic per quoſcumque Judices etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, dictæque Sedis Legatos & Nuncios, ſublata, &c. judicari & diffiniri debere, irritumque, &c. attentari.

*Papa ſubſcr.*

Placet, publicetur & deſcribatur. C.

*Dat. P. A. 5. die 25. Febr.*

*Lecta & publicata fuit ſupradicta Regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica Anno Incarnationis Dominicæ 1609. die verò Iovis 25. menſis Februarii, Pontificatus prædicti S. D. N. Papæ Anno quinto.*

*M. Perettus Cuſtos.*

---

LXIII. Excommunicatio & anathematizatio quorumcumque hæreticorum, eorumque fautorum, ac ſchiſmaticorum, vel Eccleſiaſticam libertatem lædentium, aut quoquo modo diſpoſitis in hac bulla, de more in die Cœnæ Domini publicari ſolita contravenientium.

*Quoad omnia quaſi Capitula hujus bullæ, ( ultra Extravagantem 3. Pauli II. & Extravag. 5. Sixti IV. in tit. de Pœnitent. & remiſſionibus ) habes ſuprà conſtit. 1. Vrbani V. conſtit. 25. Iulii II. conſtit. 10. Pauli III. necnon conſtitut. 81. Gregorii XIII. lib. 2. Aliorum autem bullas ejuſmodi Cœnæ Domini nuncupatas volens prætermiſi, his dumtaxat contentus, ex quibus pro temporum conditione Romanos Pontifices aliquid immutaſſe cognoſcatur. Non tamen poſthabui proximè indicandas, uti apprimè neceſſarias, & ſuper hujus bullæ Capitibus ſpecialiter editas.*

Extat ergo in hoc opere ſpecialis edita ſanctio Nicol. III. circa §. primum hujus bullæ, in ejus conſt. 2. ſup. & circa §. 2. extat conſt. 5. Pii II. lib. 1. Circa §. 4. extat conſt. 7. Pii V. lib. 2. Circa §. 7. extat conſt. 3. Nicol. V. lib. 1. Circa §. 10. extat Canon Calliſti I. in cap. 24. cauſ. 24. q. 3. Circa §. 11. reſpectu Cardinalium extat conſtit. 16. Leonis X. lib. 1. & alia 93. Pii V. lib. 2. Circa §. 13. extat conſt. 11. Alexandri VI. Circa §. 14. extat conſtit. 2. Martini V. & alia 17. Innocentii VIII. ac altera 30. Leonis X. necnon alia 39. Clementis VII. lib. 1. & altera 19. Greg. XIII. lib. 2. Circa §. 15. multi ſunt Canones in corpore Juris, & extat conſt. 10. Martini V. Circa §. 19. extat conſtit. 3. Urbani VI. Et circa §. 20. extat conſtit. 8. Joannis XXII. & alia 3. Clementis VI. alia 13. Leonis X. & altera 11. Pauli IV.

Alia hujuſmodi excommunicatio in die Cœnæ Domini promulgari ſolita eſt in S.D.N. Vrbani VIII. conſt. 62. Paſtoralis, inf. tom. 4.

*P A V L V S E P I S C O P V S, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita ... 1610.*

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimùm in Catholicæ fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate atque integritate retinenda & conſervanda maximè elucet. Nimirum ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, ſed omnes occurrant in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat, ſed potiùs in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra ſub Christo capite, ejuſque in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri Succeſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificatione, atque ita divina gratia adjutrice ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Rom. Pontifices prædeceſſores noſtri hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ Commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus, ad Dei gloriam & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & juſtitiam, Deo auctore tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

§. 1. Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtra quoſcumque Huſſitas, Vvichlephiſtas, Lutcranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Vgonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes & ſingulos alios Hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cujuſcumque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoſlibet illorum defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos qui ſe à noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint, Vniverſitates verò, Collegia & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario

uſque

uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores & defenſores.

§.4. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos qui Chriſtianorũ quorumcũque navibus tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in litore inventa, cujuſcunque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni & Adriatici, quàm in ceteris cujuſque maris regionibus & littoribus ſurripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

§.5. Item excommunicamus & anathematizamus omnes qui in Terris ſuis nova Pedagia, ſeu Gabellas, præterquàm in caſibus ſibi à jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§.6. Item excommunicamus & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam vel juſtitiam concernentibus, per Romanum Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Pontificis ſignatarum, necnon falsò publicantes literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò ſignantes Supplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

§.7. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos qui ad Sarracenos, Turcas & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel hæreticos per noſtras, ſive hujus ſanctæ Sedis ſententias expreſsè vel nominatim declaratos deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque metallorum genera atque bellica inſtrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipſo canabe quàm alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipub. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem & damnum, ipſos Turcas & Chriſtianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de hujuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

§.8. Item excommunicamus & anathematizamus omnes impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe vel alios, cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§.9. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua vel aliorum opera interficiũnt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes qui juriſdictionem ordinariam vel delegatam à nobis vel noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

§.10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Vrbem cauſa devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium vel favorem.

§.11. Item excommunicamus & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis ejicientes. Necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium vel favorem.

§.12. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel ſeculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes aut procurantes, negotiorumque geſtores, advocatos, procuratores & agentes, ſeu etiã Auditores vel Judices ſuper dictis cauſis vel negotiis deputatos, occaſione cauſarũ vel negotiorũ hujuſmodi occidũt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe vel alios, directè vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque præeminentiæ & dignitatis fuerint.

*Ad Rom. Cur. pro negotiis ſuis recurrentes per ſe, vel alios lædentes.*

§.13. Item excommunicamus & anathematizamus omnes, tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares cujuſcũque dignitatis, qui prætexentes frivolam quãdam appellationem à gravamine vel futura executione litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam juſtitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis & Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatii noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus & delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanarint, aut aliàs ad Curias ſæculares, & laïcam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci procuratore vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria & alia prædicta capi & retineri faciunt. Quive illa ſimpliciter, vel ſine eorũ beneplacito & conſenſu vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones & Notarii ſuper hujuſmodi literarum & proceſſuum executione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti cujus intereſt, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiã partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores & ſubexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerãt, detinent, ex Civitatibus, Locis & regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt & cõminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè vel occultè, quive alias quibuſcumque perſonis in genere vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

*Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarũ Apoſt. ad laïcam poteſtatem.*

§.14. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos qui per ſe vel alios auctoritate propria ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum & literarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus & cõmiſſariis noſtris, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illarumve curſum & audientiam, ac perſonas, capitula, conventus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Judices interponunt. Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt & faciunt, ad revocandum & revocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel conſentiendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtatutum, vel aliàs compellunt, vel executionum literarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cãcellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii, ordinarii vel extraordinarii quorumcumque Principum ſecularium, etiamſi Imperiali, Re-

*Executionem litterarum Ap aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.*

gali

gali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

*Iudices ſeculares, qui Eccleſiaſt. perſonas trahunt ad ſua tribunalia, quique Eccleſiaſt. libertatem in aliquo perturbant.*

§.15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque perſonas Eccleſiaſticas, capitula, conventus, collegia Eccleſiarum quarumcumque coram ſe, ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter juris Canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis cõſuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

*Imped. Prælat. ne ſua iuriſdict. utantur, quique illorum, & deleg. iudicia eludentes, ad Cur. ſecul. recur. aut contra illos aliquid decernunt, præſtantque auxilium.*

§.16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa, directè, vel indirectè, carcerando, vel moleſtando eorũ agentes, procuratores, familiares, necnõ conſanguineos & affines, aut alios impediunt, quominus ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, ſecundùm quod Canones & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt, ac etiam eos, qui poſt ipſorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcũque ſententias & decreta, aut aliàs fori Eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata etiam pœnalia Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium & favorem in eiſdem.

*Vſurpantes Sedis Apoſt. & quarumcumque Eccleſ. iuriſdictiones, vel etiam fructus ſequeſtrantes. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſt. Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.*

§.17. Quive juriſdictiones, ſeu fructus, redditus & proventus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.

§.18. Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis & aliis perſonis Eccleſiaſticis ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus & proventibus hujuſmodi, abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alios, directè vel indirectè prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones & alii potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus & Terris quoquo modo præſidentes, Conſiliarii & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum cenſuris & pœnis in eis contentis.

*Iudices ſeculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalib. contra Eccleſiaſt. perſonas.*

§.19. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & quoſcumque Magiſtratus & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica & expreſſa hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique ejuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios, directè vel indirectè, ſub quocumque titulo, vel colore, invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venayſinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè ſubjecta, necnon ſupremam juriſdictionem in illis Nobis & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem, de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

§.21. Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia & quæcumque his litteris contenta, quouſque alii hujuſmodi proceſſus à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omninò ſortiri.

§.22. Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, necnon laïcis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque ſcriptura, in genere & in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§.23. Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, graviùs contra eos ſpiritualiter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

§.24. Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs à præmiſſis cum vero propoſito ulteriùs ſimilia non committendi deſtiterint, ac quoad eos qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & caſſari, ac Nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum, quantocumque tempore continuatam in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcumque juribus Sedis Apoſtolicæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, undecumque & quandocumque quæſitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari poſſe, aut debere.

§.25. Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis, cujuſcumque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis eccleſiaſtica, & mundana præfulgeãt dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis à prædicta Sede ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub

quavis

quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus & dignitatibus eorum mentionem, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque lõgiſſimis, & aliis quibuſlibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias, quominus includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri. Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§.26. Vt verò præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium noticiam faciliùs deducantur, chartas, ſeu membranas proceſſus ipſos continentes, valvis Eccleſiæ S. Ioan. Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſt. de Vrbe appẽdi faciemus, ut ii, quos proceſſus hujuſmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§.27. Inſuper ut proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia & ſingula in eis contenta eo fiant notiora, quo in pleriſque Civitatibus, & locis fuerint publicata, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerint, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

§.28. Ceterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, necnon rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri ſeculares, & quorumvis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confeſſiones quavis auctoritate deputati, tranſumptum præſentium Literarum penes ſe habeãt, eaſque diligẽter legere, & percipere ſtudeãt.

§.29. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eandem prorſus fidem in judicio & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§.30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1610. ſexto Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno quinto.

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, Indict. 11. die verò quarta menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D.N.D. Pauli divina providentia Papa V. Anno octavo, ſupradicta litera affixa & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis & Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, per nos Balthaſſarem Vacham, & Brandimartem Latinum Curſores.*

*Iacobus Brambila Mag. Curſorum.*

## LXIV. Quod Superiores Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, ubique nova Monaſteria de ſola Ordinariorum licentia fundare valeant.

*Contrarium generaliter ſtatuerat Clemens VIII. in ſua conſtit. 99. Quoniam, hic ſuprà.*

Congregationem iſtam primò approbavit Clemens VII. in ſua conſtit. 37. Vota, lib. 1. ubi alia quæ ipſam concernunt adnotavi.

*PAVLVS PAPA QVINTVS. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1610.*

*Exordium.*

ECcleſiæ militantis regimini licet immeriti, divina diſponente clementia præſidentes, utiliſſimam perfectorum Militum Chriſti multitudinem exiſtimamus.

*Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli Decollati commendatur.*

§.1. Cum ſicut non ſine ſpirituali gaudio noſtro accepimus, dilecti filii Clerici Regulares Congregationis Sancti Pauli Decollati, in diverſis Mundi partibus pergant aſſiduè Deo & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ exhibere famulatum, non ſolùm ipſi Deo per orationem & contemplationem ſedulò vacantes, verùm etiam animarum ſalutem exemplo, doctrina & ſacramentorum adminiſtratione ſolicitè procurantes.

*Facultas eius Superioribus conceditur ubique nova loca & monaſteria conſtruendi, de ſola Ordinariorum licentia.*

§.2. Cumque in dies uberiores fructus ex dictorum Clericorum religionis propagatione, benedicente Domino, ſperandi ſint, Nos ad ea quæ eorumdem Clericorum Religionis augmento cedere poſſunt concedenda, adque ea, quæ illis in hoc impedimentum aliquod afferre dignoſcuntur removenda, meritò propenſiores ſumus. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia & mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Clericorum Regularium Superioribus, ut ubique locorũ, quilibet in diſtrictu ſuo, domos & Monaſteria eorum inſtituti Regularis, ſervatis ſacrorum Canonum & Concilii Tridentini decretis, de ſola licentia Ordinariorum, nullo aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis, etiam Regularium requiſito conſenſu, condere & fundare valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus & impartimur.

*Derogatio contrariorũ.*

*Iſta Clementis conſtitut. eſt indicata hic in rubr.*

§.3. Non obſtantibus fel. rec. Clementis Papæ octavi Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Quoniam ad inſtituta, ſub datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Iulii 1603. Pontificatus ſui Anno 12. aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & cujuſvis alterius Ordinis etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſvis aliis Ordinibus, ac eorum Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, ac ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 5. die 8. Maii.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, die 8. Maii 1610. Anno quinto.

## De Magiſtris Linguarum Hebraïcæ, Græcæ, Latinæ & Arabicæ, à Regularibus in ſuis Studiis habendis. LXV.

*Hujuſmodi Magiſtros in ſtudiis generalibus teneri juſſit Clemens V. ut in clement. 1. de Magiſtr. & notavi ſuprà ad conſt. 9. Bonifacii VIII. lib. 1.*

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An D 1610.*

*Exordium.*

APoſtolicæ ſervitutis onere infirmitati noſtræ à Domino, inſcrutabili conſilio ejus, impoſito, aſſiduè admonemur, ſapientibus & inſipientibus conſtitutos nos eſſe debitores, ut ſcilicet per miniſterium noſtri Apoſtolatus, qui ſapiunt, quod Sanctus docet Bernardus, non deſipiant; qui non ſapiunt, ſapiant, & qui deſipuerunt, reſipiſcant, quibus verbis inſtrui nos ſatis perſpicimus, ut fideles in fide & charitate conſervare, infideles ab infidelitatis tenebris educere, & hæreticos ac peccatores à

perver

perverſitate erroris ac ſervitute peccati liberare, aſpirante gratia Dei, à quo omnis ſapientia, paſtorali ſollicitudine procuremus.

*Cauſa inſtitutionis.*

§. 1. Cum verò præceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac teſtimonium ejus fidele ſapientiam præſtet parvulis, omni vigilantia procurare debemus, ut Prædicatores & Doctores verbi DEI ad opus DEI operandum inſtructi reddantur in dies magis, & partes ſuas quantum cum Domino fieri poteſt, ad gloriam ejus & utilitatem animarum quotidie melius, & felicius adimpleat. Cui rei plurimùm conducere ſatis conſtat, Linguarum cognitionem, Hebraïcæ præſertim, Græcæ, Latinæ & Arabicæ, hæc enim converſio Infidelium opportuniſſima eſſe dignoſcitur, quando magna eorum pars aut Arabicè loquitur, aut intelligit; ac ſi unquam reliquarum trium linguarũ notitia in Eccleſia DEI utilis fuit, diebus noſtris profectò utiliſſima eſt: hoſtis enim humani generis Linguarum ſcientia, ſingulari dono DEI hominibus tradita, ad ipſius Largitoris contumeliam, & fidei ſuæ Catholicæ detrimentum, nunc ut cùm maximè abutitur.

*Inſtitutio linguarum Hebraïcæ, Græcæ, Latinæ & Arabicæ in Studiis Regularium.*

§. 2. Quamobrem fel. rec. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, quantum conditio temporis patitur, veſtigiis inſiſtentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ nobis attributæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſancimus, ſtatuimus & ordinamus, ut in cujuſcumque Ordinis, & inſtituti Regularium, tam Mendicantium quàm non Mendicantium, etiam quomodolibet exẽptorum, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectorum, Studiis omnibus trium Lingarum hujuſmodi, Hebraïcæ videlicet, Græcæ & Latinæ, in majoribus verò ac celebrioribus, etiam Arabicæ Doctores, Regulares quidem & ejuſdem Ordinis, ſi in illo harum Linguarum ſufficientem notitiam habentes ſint, ſin minus ſæculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu & diligẽter doceant, habeantur, ſi Studia in Vrbibus & locis exiſtunt, ubi Linguarum prædictarum peritos conducendi facultas eſt. Studiis verò locorum, ubi hujuſmodi Doctores deſunt, cum primùm in aliis Studiis ubi linguæ hujuſmodi docebuntur, Scholares tantùm profecerint, ut docendis aliis idonei ſint, de iiſdem Scholaribus provideatur.

*Deputatio executorum.*

§. 3. Quod ut citiùs & faciliùs fieri poſſit, & ſperati fructus ex Linguarum hujuſmodi ſtudio appareant, omnibus & ſingulis Regularium Superioribus ſub indignationis noſtræ pœna eadem auctoritate tenore præſentium præcipimus & mandamus, & ſi ipſi negligentes fuerint, eorundem Ordinum Regularium apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protectoribus injungimus, eorum conſciẽtias deſuper onerantes, ut omni cura & ſolicitudine quantò citiùs provideant, ut Scholæ Linguarum hujuſmodi quamprimùm inſtituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque Linguarum Lectionibus Scholares aſſignentur, qui illis ſedulam, & aſſiduam operam navent.

*Privilegium Scholarium ſtudio dictarum linguarum incumbentium.*

§. 4. Hi verò Scholares ut alacriùs huic ſtudio incumbant, volumus & decernimus, ut in promotione ad Doctoratus gradus, & ad alios ſui Ordinis honores, illi ceteris paribus præferantur, qui in cognitione trium ſaltem Linguarum prædictarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti ſint.

*Derogatio cõtrariorum.*

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſvis Vniverſitatibus, illarumque Rectoribus, ac Ordinibus prædictis, & illorum Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis.*

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Sanctionis, ſtatuti, ordinationis, præcepti, mandati, injunctionis, onerationis, voluntatis, decreti & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. ... die 31.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, pridie Kal. Auguſti, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo decimo, Pontificatus noſtri Anno ſexto.

M. Card. Nazarenus Prodat.

*Publica...*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo, Indictione octava, Pontificatus S. D. N. D. Pauli divina providentia Papæ Quinti Anno ejus ſexto, die verò 28. menſis Septembris, retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Cameræ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Bernardinum Politum, & Brandimartem Latinum, Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores, &c.*

*Virginius de Virginiis Mag. Curſ.*

---

## Quod Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupati, familiæ Vltramontanæ, habitum humilis panni, diſtinctique coloris à Fratrum S. Franciſci de Paula habitu geſtare teneantur. LXII

*De hoc Tertio, & aliis S. Franciſci Aſſiſienſis Ordinibus, plenè notavi ſuprà ad Honorii III. conſt. Solet, lib. 1. De Ordine autem S. Franciſci de Paula, quem primò approbavit Sixtus IV. in ſua conſt. 5. Sedis, lib. 1. ibi notavi.*

*Edita A. D. 1610.*

### *PAVLVS PAPA QVINTVS.*
### *Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

INter graves paſtoralis officii noſtri curas quibus aſſidue premimur, hæc potiſſimùm nos urget, ut Chriſti fideles, præſertim regularem vitam profitentes, ſemotis litium anfractibus, unanimi voce ſub concordiæ legibus Altiſſimo vota exolvant, & ſi quæ inter eos ortæ ſint lites & diſcordiæ, illæ prout jus & æquitas poſtulant, eliminentur, & ne in futurum reſurgant, opportunis remediis provideatur.

*Orta fu... differentia inter Fra... Tertii Or... nis S. Fr... ciſci, & Fratres ... lii Franc... de Paula per diſtinctione ha... tus, qua... hic Ponti... duobus C... dinalibus diffiniend... delegavit.*

§. 1. Aliàs ſiquidem per nos accepto, quod lis & cauſa inter dilectos filios Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupati Vltramontanæ Familiæ ex una, & Fratres Ordinis S. Franciſci de Paula Partibus ex altera, ſuper colore habitus geſtandi à dictis Fratribus Tertii Ordinis, ut à prædictis Fratribus S. Franciſci de Paula apertè diſtingui poſſent pendebat, nos litem & cauſam ſeu cauſas hujuſmodi venerabili fratri noſtro Mariano Epiſcopo Tuſculano de Camerino, & dilecto filio noſtro Hieronymo tit. B. Blaſii de Annulo S. R. E. Presbyteris Cardinalib. Pamphilio nuncupatis, Minorum S. Franciſci de Paula, & Fratrum Minorum de Obſervantia Ordinum hujuſmodi apud nos & Apoſtolicam Sedem reſpectivè Protectori & Viceprotectori, audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas, omni & quacumque appellatione remota commiſimus.

*Qui dic... pronunci... Fratres ... Tertii Or... nis habit... geſtare ... re ex hu... panno c... ſitum, ex ... partibus ... na nigra, ... altera la... albæ.*

§. 2. Qui quidem Marianus & Hieronymus Cardinales in executionem commiſſionis, in hujuſmodi negotio pro majori dictorum Fratrum inter ſe quiete & tranquillitate judicarunt, decreverunt & ſtatuerunt, ut juxta ipſorum regulam, indultaque ſummorum Pontificum, præſertim felicis recordationis Clementis Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri, habitus prædictorum Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia nuncupati, ſit ex humili panno confectus hoc modo, videlicet ut ex quatuor partibus lanæ naturaliter nigræ, & ſine aliqua tinctura contextæ, & una parte lanæ etiam naturaliter candidæ, ita quod ſingulis quatuor libris lanæ naturaliter nigræ, addatur una libra lanæ albæ, & aliàs prout in eorũdem Mariani & Hieronymi decreto deſuper facto pleniùs dicitur cõtineri.

*Vterque Ord... ſupplicavit Papa pro ... ſti decreti approbatione.*

§. 3. Cum autẽ utriuſque Ordinis prædicti Fratres nobis nuper exponi fecerint, quod ipſi plurimũ cupiant decretũ hujuſmodi pro illius firmiori ſubſiſtentia, & inviolabili obſervatione à nobis confirmari & approbari, ideò nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 4. Nos

*...ta illud ...robat, & ...pinò ob... ...vari præ... ...il.*

§.4. Nos igitur illorum votis, quo quietius & ſecurius in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulari valeant, annuere, eoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volẽtes, & à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Decretum prædictum & omnia & ſingula in illo contenta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus & approbamus, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos tam juris quàm facti, & quoſcumque alios etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici, vel cenſeri poſſint, ſupplemus, eaque omnia & ſingula valida & efficacia fore & eſſe, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, ac ab omnibus & ſingulis utriuſque Ordinis prædicti Fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus inviolabiliter obſervari debere decernimus.

*...tribus d. ...tii Ordi... ...d. habitu ...debere ...ti.*

§.5. Mandantes nihilominus omnibus & ſingulis ipſius Ordinis de Pœnitentia Fratribus, Miniſtris, & Prælatis Vltramontanæ Familiæ, præſertim Hiſpanorum & Gallorum, tam præſentibus quàm futuris in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub privationis officiorum, inhabilitatiſque ad illa & alia in poſterum obtinenda, necnon latæ ſententiæ incurrendis pœnis, ut poſthac elapſis ſex menſibus dicti Fratres omnes Tertii Ordinis habitu illo prædicto modo contexto induantur, & in futurum utantur.

*...putatio ...cutorum.*

§.6. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis noſtris & Apoſtolicæ Sedis Nunciis per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi per ſe vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contẽta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte utriuſque, ſeu alterius Ordinis Fratrum hujuſmodi fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos præmiſſorum omnium & ſingulorum effectu pacificè frui & gaudere, non permittentes illos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſcumque per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*...rogatio c... ...riorum.*

§.7. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum prædictorum etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis illis, illorumque Superioribus & Fratribus, & quibuſvis aliis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*...P, An. 6. 14. Aug.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, 14. Auguſti 1610. Anno 6.

---

LVII. **Canonizatio S. Caroli tit. S. Praxedis Presbyteri Cardinalis, Archiepiſcopi Mediolanenſis, ejuſque relatio in numerum SS. Confeſſorum, cum ſuæ feſtivitatis inſtitutione pro die 4. Novembris.**

*...lia An. D. ...10.*

*PAVLVS EPISCOPVS,*
*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*...riſtus va... ...s tempori... ...is in terris ...citavit ...ndos viros ...Eccleſia ...maiorem ...riam & ...templum ...liorum.*

Unigenitus æterni Patris Filius, Chriſtus Dominus, & Redemptor noſter, qui ſe quotidie unà cum Patre operari profeſſus eſt, cum Pater meus, inquit, uſque modò operatur, & ego operor, nunquam deſtitit mirabiliter illuminare terram ſuam à montibus æternis, ſed variis locis, variiſque temporibus ſuſcitando æternæ gloriæ candidatos Sanctos ſuos, Eccleſiam Sanctam illuſtrare mirabilem in modum conſuevit, non ſolùm ut addat in dies magis domui ſuæ gloriam, & decorem, ſed etiam ut irradiando humanæ vitæ tenebras ſplendoribus Sanctorum, tarditatem noſtram urgeat fratrum noſtrorum exemplo, quaſi præſenti teſtimonio oculorum.

§. 2. Idem Dominus, qui facit mirabilia magna ſolus, magnificavit noviſſimè facere nobiſcum, ac miro diſpenſationis ſuæ opere ſtatuit ſuper Apoſtolicæ petræ arcem grande luminare, eligens ſibi è gremio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Carolum, Sacerdotem fidelem, ſervum bonum, formam gregis, formam Paſtorum. Qui videlicet multiplici fulgore ſanctorum operum univerſam decorando Eccleſiam, Sacerdotibus & Populo præluceret quaſi Abel in innocentia, quaſi Enoch in munditia, quaſi Jacob in laborum tolerantia, quaſi Moyſes in manſuetudine, quaſi Elias in ardenti zelo, quique imitandã exhiberet inter affluentes delicias, Hieronymi corporis caſtigationem, Martini in ſublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii paſtoralem ſolicitudinem, liberalitatem Ambroſii, Paulini charitatem, ac demùm videndum, ac perſpiciendum oſtenderet oculis noſtris, manibus noſtris contrectandum hominem mundo maximè blandiente crucifixum, mundo viventem ſpiritu, terrena calcantem, cœleſtia jugiter negotiantem, & ſicut officio in Angelum ſubſtitutum, ita etiam mente & opere vitam Angelorum in terris æmulantem.

*Pridem ſuſcitavit Carolum pluribus magniſque virtutibus illuſtrem.*

§.3. Quamobrem meritò repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione, in inſigni die ſolemnitatis noſtræ, quando nullis meritis noſtris, ſed inſcrutabili ſapientiæ ſuæ arcano hanc diem mundo dilucere his temporibus ante ſecula præordinavit Altiſſimus, in qua per miniſterium humilitatis noſtræ Carolo S.R.E. cui auctore Domino præſidemus, Presb. Card. ſacris decernendis honoribus, unicæ ſponſæ ſuæ nova imponeretur corona, ornata omni lapide pretioſo. Ex hoc enim confundentur omnes qui adorant ſculptilia impiarum adinventionum ſuarum, & gloriantur in ſimulacris errorum, confitebuntur autem populi ſancti Domino, & exaltabitur nomen ejus ſolius.

*Quem inter Sanctos aſcribi contigit tempore huius Pont. qui de hoc plurimùm lætatur.*

§.4. Et quoniam ſolemnis declaratio Sanctitatis Chriſti famuli inveterato Eccleſiæ Romanæ ritu, & ex præſcripto ſacrorum Canonum celebrata, perpetuis futuris temporibus, noſtris Apoſtolicis litteris eſt de more conſignanda, hæc duximus ex ejus vita, miraculis, totiuſque cauſæ actis ſummatim referenda.

*Quique hæc de eius vita & miraculis hac eius conſtitutione re enſeri voluit.*

§.5. Naſcitur dilectus Dei Carolus in primaria Mediolanenſi familia Borromæa, ex parentibus Giberto Comite, & Margarita Medicea, anno MDXXXVIII. cujus futuræ eximiæ ſanctitatis ſplendorem præmonſtravit Dominus magno & inſolito lumine, qua nocte puer naſcebatur, ſuper maternum cubiculum compluribus viſo.

*Ortus ſui noƈte magnum videtur lumen ſuper cubiculo materno.*

§.6. Nec puerilis ætas ejuſdem ſanctitatis indiciis caruit, tempus enim quo vacare licebat, extruendis & exornandis altariolis magna cum voluptate dabat. Creſcente ætate, quòd bonam ejus mentem excellentioribus donis Spiritus Sanctus in dies magis præpararet, Chriſtianis moribus, & litteris non difficilè à piis parentibus imbuitur. Eminebant verò in adoleſcente præludia Benedictionum, quibus dignatus eſt eum Altiſſimus, munditia cordis, pax interna, innocentia & modeſtia, nec rebus ſolùm ſed etiam omnibus verbis turpibus, omnibuſque mendaciis abſtinebat.

*Puer & adoleſcens virtutibus emicuit.*

§.7. In utroque jure in Papienſi Vniverſitate, ubi his ſtudiis operam dederat, ad doctoratus gradum promotus, à fel. mem. Pio Papa Quarto prædeceſſore noſtro, ejus avunculo, paulò ante, diſponente Domino, ad Apoſtolatus apicem evecto, Romam evocatur, & in Sacrum S.R.E. Cardinalium Collegium adſcribitur. Deinde Mediolanenſi Eccleſiæ præficitur, graviſſimaque univerſalis Eccleſiæ negotia, & Sedis Apoſtolicæ munera illi creduntur.

*Papiæque doctoratus inſignia ſuſcepit, & Romã evocatus à Pio IV. eius avunculo, Card. poſteà Archiepiſcopus Mediolanen. creatur, & ad graviſſima Eccleſiæ negotia præponitur.*

§.8. Hic verò cœpit Dominus oſtendere in Carolo mirabilia ſua; cum enim nondum vigeſimum tertium explevisset annum, adminiſtrabat omnia diligenter, in ſapientia & juſtitia, ſummo cum zelo honoris Dei, & ſtudio Catholicæ Eccleſiæ utilitatis. Quæ omnia in negotiis fidei, Catholicæ & univerſæ Eccleſiæ, quæ in Conc. Trident. tunc agitabantur, maximè eluxerunt. Non vigiliis, non incommodis, aut laboribus ullis pepercit,

*In ea adminiſtratione inculpatè ac laudabiliter omnia geſſit.*

ut ne quid retardaret S. Synodi abſolutionem, quam ipſe ſollicitè, & cum ſpiritus ardore promovit ſemper, donec à Domino impetraret. In tam ſublimi dignitatis gradu conſtitutus, divitiarum, potentiæ, ætatis, aliiſque non paucis, nec levibus delinimentis circũdatus, tantum abeſt ut poſt carnalia deſideria abierit, quin ſuperno aſſiſtente præſidio, tunc cœperit Chriſto magis adhærere, & ſpiritualia ardentiùs æmulari.

*Mediolanum ſe contulit, & Eccleſia ſua veræ Eccleſiaſtica diſciplina nitorem reſtituit.*

§.9. Itaque urbano ſplendore & amplitudine relictis, bonus operarius in meſſem quam ſuſceperat, Mediolanũ diſcedit, ubi partes ſuas in dies magis implendo, agrum illum, malitia temporum vepribus turpiter deformem, ac ſilveſcentem, in eum reſtituit nitorem, ut Eccleſiam Mediolanenſem præclarum exemplar redderet Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Hoc autem cum à ſe præſente præſtandum cerneret, nunquam à reſidentia diſceſſit niſi coactus, aut concedente Sede Apoſtolica, vel ſeniore Epiſcopo ſuæ provinciæ approbante. Principio Concilii Trid. decreta executioni mandari ſollicitè curavit, & ut Eccleſiaſticam diſciplinam moreſque depravatos rectè & ordine emendaret, Domini via incedendum intelligens, divino auxilio facere incepit, & docere.

*Reformationi ſui ipſius ſuæque familiæ ſtuduit. Civitatis & Diœceſis loca pia conſtruxit, vel ornavit. Seminaria inſtituit, aliaque pia opera complevit.*

§.10. Nam à ſe, ſuaque familia reformationem aggreſſus, omnia ad Sacrorum & Sanctorum Patrum exempla compoſuit, laïcis familiaribus grata miſſione dimiſſis clericorum cenſuit utendum miniſterio, quibuſcum aſſiduæ illi erant ad Deum preces, aliæque complures ſpirituales occupationes, omni veſtium pompa detracta, omnique alia re minus honeſta, & religioſo indecora ſublata. Quantum in Eccleſiæ ſuæ recta adminiſtratione præſtiterit, ſatis declarant Synodi multæ Provinciales ac Diœceſanæ, ejuſque Eccleſiæ actorum edita volumina, quæ Sacerdotum manibus teruntur, & regendi Eccleſias doctrinam abundè ſuppeditant. Civitatis ac Diœceſis ſuæ Eccleſias, aut ipſe ſolus ſuis ſumptibus, aut grãdi eleemoſyna præeundo, unà cum aliis inſtauravit, alias à fundamentis ædificavit, alias ornavit, pretioſa etiam nonnullas ſuppellectili ære ſuo inſtruxit. Pueris, & adoleſcentibus Civitatis, & Diœceſis, tum Clericis, tum Laïcis, necnon Helvetiis & Rhetis moribus & literis informãdis, presb. ſecularibus in regimine animarum erudiendis Seminaria & Collegia inſtituit, præterea regularibus clericis, ſacris Virginibus regulares, ſæcularib. verò tã mulieribus quàm virginibus ſæculares domos, Mendicantibus Hoſpitale, Canonicis Eccleſiæ Mediolanenſis ordinariis commune domicilium, Archiepiſcopis, eorumque hoſpitibus opportunas ædes, aliis piis operibus complures alias pias domos magnis ſumptibus, partim propriis, partim beneficiorum Eccleſiaſticorum unione & attributione extruxit, auxit, & neceſſariis redditibus ſtabilivit.

*Prædicationi & jeiuniis ac orationi aſſiduus fuit.*

§.11. In prædicatione verbi Dei tam frequens erat B. Pontifex, ut planè in omni patientia & doctrina impleret miniſterium ſuum, vigilando, laborando labore penè incredibili, ita ut quadraginta horarum ſolemnibus precibus continuò perſiſtens, in jejunio & vigilia ſingulis horis ad populum admirabili patientia ſermonem haberet.

*Eccleſiarum viſitationi cum ſuæ vitæ diſcrimine incubuit.*

§.12. A frequenti viſitatione Eccleſiarum & populorum ſuæ diœceſis ad Provinciæ, vel aliarum etiam diœceſum, cum ab Apoſtolica Sede demandabatur, nullis incõmodis, aut periculis deterreri, vel retardari potuit, non æſtu, non algore, aut nocturnis tenebris, non præruptis & aſperis Rhetorum & Helvetiorum montium, nive & glacie rigentium, neque aliis denique multis & gravibus difficultatibus. Sed vir Dei charitate, quæ foras pellit timorem & omnia ſuſtinet; omnibus ſuperatis, etiam cum ſuæ vitæ diſcrimine, increpando, obſecrando, prædicando, & exemplo atque auctoritate perſonæ hærens, multaque alia graviſſima vitia & abuſus, præſertim à clero, per Chriſti gratiam ſuſtulit.

*Eccleſiæ patrimonium largiùs diſpenſavit & auxit.*

§.13. In adminiſtrando patrimonio Eccleſiæ tantùm induſtriæ & diligentiæ adhibuit ſervus fidelis, ut ejus redditus multò majores relinqueret quàm acceperat, nec minus tamen in illis diſpenſandis fidelis apparuit coram Domino.

*Hoſpitalitatem aſſiduè profitebatur.*

§.14. Hoſpitalitatem quippe exhibuit uſque adeò, ut oſtium ejus omnibus pateret ſemper, diœſanis, alienigenis, notis, ignotis, præſertim verò Eccleſiaſticis, quos in ſæcularibus diverſoriis manere indecorum dicere ſolebat, ſuamque domum publicum hoſpitium vocabat.

*Eleemoſ... abunda... mè ded...*

§.15. In eleemoſynis dandis ita ſe geſſit, ut in hoc opere præcipuè abundaſſe meritò dici poſſit, ac diſperſiſſe & dediſſe pauperibus. Quantum enim neceſſariis ſumptibus ex menſæ Eccleſiæ Mediolanenſis, & ex aliis propriis redditibus ſupererat, totum in pauperes abibat; & ne quemquam apertè rogandi, aut accipiendi pudor expertem faceret miſericordiæ ſuæ, ſecretis eleemoſynis fidelem præpoſuerat miniſtrum, qui eorum occultis neceſſitatibus ſubveniret. Eóque proceſſit pauperibus ſubveniendi ſtudium, ut Uritanum principatum, reliquum patrimonii ſui, nec tenuis redditus, diſtraheret, & quadraginta millium ſcutorum pretio, quamvis vili, inde percepto, diverſis piis locis Mediolani tantùm pecuniæ pauciſſimis horis attribueret.

*Peſtil... tempo... rabili... ratu...*

§.16. Cum verò peſtilentiam in Civitatem & diœceſim Dominus immiſiſſet, & gregem ſibi commiſſum bonus paſtor miſerabiliter affligi cerneret, ut egenorum calamitati temporalibus etiam auxiliis proſpiceret, vel argẽtea vaſa, ſtragulam, aliamque veſtem, oſtiorum vela, propriique demùm lectuli ſolatium dedit. Neque hîc conſtitit fervens Chriſti ſervi erga proximũ dilectio, ſed æmulando chariſmata meliora, ad eam charitatem pervenit, qua majorem neminem habere Dominus ipſe pronunciavit. Quaſi enim parũ judicaret publicis ſupplicationibus nudipedalibus verbo & opere inducere clerum & populũ ad divinam deprecandam vindictam, & ad pœnitentiam provocare, aliaque multa in commune conſulendo ſollicitè ordinare pro munere paſtorali, cernens id etiam animarum ſaluti, & gregis neceſſitatibus in Domino expedire, diſpoſitis rebus ſuis, & ſelectis nonnullis adjutoribus, infirmos tam Civitatis, quàm diœceſis cujuſcumque ordinis, die nocteque viſitando, ſpiritualia & temporalia miniſtrabat, defunctos ſepeliri, infantes orphanos nutriri, ac ſua quæque onera publicè demandata diligenter ac fideliter adminiſtrare curabat, non pauperum valetudinaria, non humiles caſas inviſas dimiſit, non ad mortuorum cadavera accedere veritus eſt, ut viventem miſerabiliter inter mortuos infantem ab uberibus defunctæ matris eriperet, & ſic agendo boni paſtoris expleret officium, qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.

*Authori... Eccleſi... optim... ſervav... titit.*

§.17. Id quod facere etiam ſe paratum pro tuendis Eccleſiæ juribus & Eccleſiaſtica reſtituenda, & conſervãda auctoritate non ſemel oſtendit, quippe qui in promptu haberet ulciſci omnem inobedientiam, mitiſſimus alioquin vir, & clementiſſimus, ita ut calumnias, contumelias, graveſque perſecutiones patientiſſimè ferret. Quapropter oblata aliquando indicia proditionis vitæ ſuæ neglexit, & literas nec reſignatas flammis tradidit.

*Miſeric... omnis...*

§.18. Ferè nullus, quamquam delictis reus, ejus miſericordiam pœnitens imploravit, qui non fuerit conſecutus.

*Bene... iuxta ... canoni... per con...*

§.19. Severus tamen arbiter erat in expediendis meritis perſonarum, cum de Eccleſiaſticis beneficiis, & officiis conferendis ageretur, beneficia enim niſi magis idoneis non dabat, neque in illis diſpenſandis ullatenus à ſacrorum Canonum voluntate recedebat.

*Munera... per rei...*

§.20. Et ut ſanctè & juſtè coram Deo & hominibus omnia tractaret, à muneribus etiam viliſſimis abſtinuit.

*Tribun... ſua ab ... quitati... be præſ... va ſtud... Quieti ... quam, ... pile op... aſſidu... buit.*

§.21. Tribunalia ſua, ut non ſolùm quavis labe iniquitatis, ſed etiam ſuſpicione vacarent, omni ſtudio, præſertim ſæpè illa viſitando, præſtitit.

§.22. Nullum tempus animi relaxationi dabat, ſed opus Dei, & proximi continuè agenti negotium negotio ſuccedebat, curam cura excipiebat. Non quietis tempus vacabat ab opere, non refectionis, bonam enim noctis partem lectione, tum ſcriptione, tum oratione abſumebat, interdum in oratione pernoctabat, neque idcirco remiſſior manè in agendo erat, ita ut in actis inter cetera conſignatum ſit, quod cùm aliquando Romæ in Catacumbis noctem, quam jejunium præceſſerat, orando inſomnem egiſſet, manè non ſolùm de corporis refectione, aut quiete non cogitavit, ſed valde longa perigrinatione ſuſcepta, ad B. Agnetis Eccleſiam pedibus proceſſit, ubi Miſſam agendo & orando, tantùm temporis poſuit, ut ante vigeſimam ſecundam horam cibum

non

101 caperet, reipſa planè oſtendens, quàm omnia poſſet in eo qui illum confortabat.

*...tatem ...rvavit.*

§ 23. Has omnes, & ſequentes virtutes exornavit mirum in modum caſtitate & pudicitia, quam in florenti etiam ætate, quanquam non leviter tentatus, illæſam fortiter defendit, ac diligentiſſimè ſemper cuſtodivit. Itaque fœminas ſine arbitris non alloquebatur, omnemque occaſionem vitæ labefaciendi candorem accuratè præcavebat.

*...octrina ...aritate ...uit.*

§. 24. Firmabat verò ejus virtutes omnes ſolidum fundamentum, præcellens vivæ fidei donum, quod & dilectionis egregia opera, & doctrinæ veritas ac puritas, quā ex ejus ore Eccleſia Mediolanenſis, aliique nō pauci Chriſti fideles tot annis hauſerunt, comprobant ſatis.

*...etate & ...tione ...is fuit.*

§. 25. Pietas præterea inſignis ac devotio, cujus fervore incenſus Chriſti famulus, ſacra Italiæ loca orationis cauſa aliquando obibat, longa & difficillima itinera alieniſſimo anni tempore pedibus agendo. Qua in re, ut nullo loco à ſanctis operibus ceſſaret, tempus rerum divinarum contemplatione, aut Pſalmorum & Sanctarum precum recitatione, aut ſermones ſpirituales cum comitibus conferendo tranſigebat.

*...idie Deo ...ficium ...bat, & ...genibus ...s cano... ...recita... & ſa... ...ſcriptu... ...rutia... ...r, ita ...ſemel; ...a ſclopi ...in eum ...oſi mira... ...er eſt ...ius.*

§. 26. Quotidie ſacrificium Deo offerebat, genibus flexis horas canonicas recitabat, & ſacras ſcrutabatur ſcripturas, idque interdum dum ſecretò refectionem ſumeret corporalem. Quamobrem meruit homo Dei in hujuſmodi operibus occupatus non mediocriter à Domino clarificari. Cum enim ex more aliquando in privato oratorio veſpere cum familia oraret, & filius perditionis, apoſtata quidam ex Ordine humiliatorum, quem alii nonnulli ejuſdem Ordinis ſimiles miniſtri Sathanæ pecunia in necem Caroli ſubornaverant, quòd eorum Ordinis reformationem auctoritate Apoſtolica urgeret, in ejus tergum plumbeis globulis inſtructum ſclopum ab Oratorii porta exploſiſſet, divina protegente dextera, ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, & globorum pars ſancti Pontificis orantis veſtes non penetravit, licet alii violentia ictus utrimque fuerint in proximo defixi, omnibuſque perculſis, ac de ejus ſalute trepidantibus, ipſe ſolus mente immotus, illos in oratione progredi mandavit, & tunc ipſum Domini monitum illud, Non turbetur cor veſtrum neque formidet, cantari non ſine divina voluntate contigerat.

*...ditus ec... ...aſticos & ...imonia... ...ac offi... ...bis enū... ...a, ut ex... ...itibus Deo ...viret, ſpō... ...a dimi...*

§. 27. Qui igitur ſui corporis ſaluti opus Dei tantum anteponeret, haud mirum ſi rerum etiam & honorum contemptu inter Chriſti ſervos enituerit Carolus, & illuxerit omnibus qui in domo ſunt. Poſtquam enim ad Eccleſiam regendam Mediolanenſem, & ad Chriſtianam perfectionem animum appulit, ut expeditior agere poſſet quod agendum ſuſceperat, majoris Pœnitentiarii officium, Archipresbyteratum Baſilicæ S. Mariæ Majoris, Vrbis, Ordinum Regularium complurium, Regnorum & Nationum honorificentiſſimas clientelas, ſeu protectiones, opulenta munera, grandeſque Eccleſiaſticos, & patrimoniales redditus ſponte ſua reliquit.

*...nile cor... ...ſuum ſe... ...iſſimè ca... ...avit.*

§. 28. Neque his tantum vinculis ſeſe exolvendum cenſuit, ut Chriſtum ſequi liberiùs poſſet, ſed quod longè difficilius eſt, quo corpus ſuum redigeret in ſervitutem, ſeveriſſimè caſtigavit, quotidiano enim non contentus jejunio, carnium, ovorum ac piſcium eſu ſibi interdixit, deinde ter qualibet hebdomada, poſt hæc tota Quadrageſima pane tātum, & aqua jejunavit. Ac demùm, ut in corde ipſius diſpoſuerat Dominus aſcēſiones, Quadrageſimale jejunium magna ex parte ſolis ficis paſſis, aut ſolis dactilis, Sanctorum veterum Eremitarum more peregit, denique poſtremo vitæ tempore hebdomada majore ſolis lupinis aqua mollitis languentem animam ſuſtentavit.

*Cilicioque ... aſpera ...atione, & ...quentibus ...gellationi...s.*

§. 29. Veſtis illi interior cilicium, & craſſa aſperaque tunica, exterior privata, lanea, ac vilis, & attrita, publica dignitatis propria, ſuper paleas, aut ſuper aſſes, paleis pleno pulvino capiti ſuppoſito cubabat, interdum ſuper ipſam humum, ſagulo tantum ſubſtrato, poſtquam enim lectum ſuum pauperibus peſtilentia laborantibus largitus fuit, nunquam ſuper lectum culcitra ſtratum dormivit. Accedebant frequentes corporis flagellationes, aliæque id genus complures mortificationes.

*...nno ætatis ...57. obdor... ...vit in Do...ino.*

§. 30. Quibus tandem gradibus, cùm ad illam ſervorum Chriſti perfectionem perveniſſet, ut per gratiā Spiritus Sancti audire à Domino poſſet, Serve bone & fidelis, à paucis, & humanis rebus in quibus fuerat fidelis, ſuper multa, & æterna bona conſtitui meruit, & intrare in gaudium Domini ſui, anno ſiquidē ineunte ætatis ſuæ LVII. cum priùs quaſi diſceſſui ſeſe comparans, Varalli montis Novarienſis diœceſis, religioſas paſſionis Chriſti memorias adiiſſet, ibique univerſos annos ſuos recogitando, generali confeſſione culpas diluiſſet, & cum amaritudine animæ ſuæ quindecim dies in oratione, jejuniis, vigiliis, aliiſque corporis afflictionibus egiſſet, æger Mediolanum delatus, conſummato curſu obdormivit in Domino.

*Miraculis claruit.*

§. 31. Ejus obitum univerſi populi Mediolanenſis luctus conſecutus eſt, aliis Sanctum, aliis communem Patrem amiſſum querentibus. Excellentem verò famuli ſui ſanctitatem comprobare etiam voluit Altiſſimus teſtimonio miraculorum, quorum cum plura, etſi ab eo vivente facta in actis recenſentur, inſigniora tamen poſt ejus beatam dormitionem edita probantur.

*Cæco infanti oculos dedit.*

§. 32. Nam quidam infans, Philippi Navæ, & Lucinæ Mediolanenſis filius, quem ſine oculis in lucem editum fuiſſe Medici re maturè perpenſa, affirmaverant, piæ matris ad Caroli auxilium cōverſæ precibus mirabiliter illos à Domino accepit, quippe ſorore quinque annorum Carolum infanti benedictionem dediſſe, & illi oculos aperuiſſe clamante, mater clamore advocata puellæ, oculos infantem habere deprehendit.

*Paralyticā ſenſum & motum reſtituit.*

§. 33. Et ſanctimonialis Monaſterii Majoris Mediolanenſis nomine Paula Juſtina Caſata, cui dexteræ partis corporis omnem ſenſum ac motum paralyſis ademerat, cum ad S. Sacerdotis imaginem, voto priùs ſuſcepto, & eleemoſyna erogata, ſacra communione refecta, magno ſpiritus ardore & fiducia oraret, ſtatim ſenſum, & motum cum valetudine recuperavit, ita ut ad O . torium ſe conferre, & gratias agere liberè potuerit.

*Hecticam & longam febrē ab infirmā expulſit.*

§. 34. Altera verò Monialis ex Capuccinis nuncupatis, ejuſdem Civitatis, cui nomen Candida de Agadis, triennio hectica febre tam acriter laboraverat, ut deſperatæ ſalutis, ac morti proxima exiſtimaretur: hæc voto ſimiliter emiſſo, & S. Pont. auxilio devotè implorato, ad Caroli veſtis ſuperimpoſitæ contactum ſtatim convaluit.

*Membrorum ſanitatē infirmis largitus eſt.*

§. 35. Votum ſimiliter cum voviſſet Angela Antonia quædam Senenſis annorum ferè 70. quo ſe Dominus per interceſſionē B. Caroli, à membrorū infirmitate ſanaret, cum abſque alterius auxilio incedere non valeret, antequam votum ſolvere finivit, valetudinem cōſequi meruit.

*Nervos & crus infirmæ ſanavit.*

§. 36. Ad imaginem rurſus ſervi Chriſti magna cum devotione, dum meritis ejus confidens Deum orat Candida Franciſca de Fortis, Monaſterii S. Agnetis Mediolanenſis, ut à gravi morbo liberaretur quo tertio jā menſe affligebatur, quem ſpaſmum ex catarrho Medici cenſebant, indeque crus illi dexterum contractum erat, nulliſque remediis depelli valuerat, ſuavi quadam quaſi aura nervos & crus dexterum perfundi, & reconciliari ſentit, ac finita oratione pedibus conſiſtit, & ſanatur.

*Articulari morbo aliam liberavit.*

§. 37. Angela quoque Buticella Papienſis graviſſimo articulorum morbo affecta, ex quo omnium membrorum motu, præterquam linguæ, deſtituta languebat, ad ejus imaginem pro ſanitate orante, meritis & precibus Caroli unà cum devotæ feminæ oratione morbus mirabiliter finivit.

*Manuum acerbiſſimū dolorem ab altera deiecit.*

§. 38. Anna, mulier nobilis Polona, ex Marchionibus de Mirou, cum annos circiter novem manuum acerbiſſimis doloribus, cum tumore, & digitorum cōtractione laboraſſet, omni medicinæ auxilio fruſtra tentato, ad imaginem itidem beati Caroli converſa, ejus opem magno cum ſpiritus ardore implorans, ſtatim ſanitatem recuperavit.

*Crurum ulcera alteri conſolidavit.*

§. 39. Sepulchrum quoque ſervi ſui placuit Domino multis ſignis mirificare, fidelium preces in diverſis eorum neceſſitatibus exaudiendo. Ex quibus illud eſt eximium, quod cùm vir quidam nobilis Mediolanenſis, nomine Io. Jacobus Lomacius, crurum quinquēnio ulceribus affligeretur, neque à medicina valetudinem conſequendi ſpes relicta eſſet, acrioribus quàm ſoleret, doloribus aliquādo correptus, ad viri Sancti ſepulchrum bacillo innixus proficiſcitur, ibique pro curanda valetudine ferventi ſpiritu orat. Oratione finita, ſine dolore Miſſam audit, deinde

deinde incolumis conſurgit,ac domum reverſus,admirabili Dei beneficio crurum ulcera conſolidata, ſibique ſanitatem redditam deprehendit.

*Perverſos diſtortoſque alterius pedes rectè compoſuit.*

§.40. Præterea Margarita Monta, Mediolanenſis puella annorum ſex,adeo diſtortis,ac perverſis pedibus nata erat, ut plantæ interius converſæ, ſe invicem adſpicerent, ac pedis pars exterior plantæ officio fungeretur: tamen à corporis vitio hujuſmodi, quod nec induſtria obſtetricis, neque ſexennio quæſitum humanum remedium corrigere valuerant, per B. Confeſſoris interceſſionem liberata eſt, à matre enim ad ſepulchrum ejus ducta, ab alterius primùm,deinde reducta, ac voto etiam edito, ab alterius etiam pedis hujuſmodi inverſione ſanata eſt.

*Infantem nervis genibuſque reſolutis natum, ſanitati reſtituit.*

§.41. Non minoris momenti eſt quod operatus eſt Dominus ſancti Pontificis meritis in altera infaute nomine Ioanna de Maronis ejuſdem Civitatis, matre ad ſepulchrum ejus ſimiliter orante, cum enim infans nervis quibus tibiis illigantur pedes, genibuſque reſolutis nata eſſet, ita ut incedere minimè poſſet, ac pedes in humeros, cum vellet,liberè attolleret, & quartum jam ætatis annum egreſſa eſſet,fama miraculorum beati Caroli excitati parentes, ad ejus ſepulchrum illam cum oblationibus deferri curant, indeque vitio ſublato, ſana domum refertur.

*Canceri morbum expulit.*

§.42. Aurelia de Angelis cancri morbo graviſſimo, multùm inveterato, cum febre & acri dolore in ſiniſtro crure affecta, quem Medici inſanabilem humana arte judicaverant, ad ſervi Dei auxilium converſa, ac voto ſuſcepto, ejuſque ſepulchrum venerationis cauſa cum ſe aditurain veſperè propoſuiſſet, mane à febre libera, ſaneſcere mirum in modum crus cœpiſſe cernit, ac triduo penitus convaluit.

*Hernia morbo liberavit puerum.*

§.43. Puer verò quinque annorum,Hieronymi Beriolæ & Agnetis ab Eccleſia filius, Melchior nomine, hernia admodum gravi & periculoſa laborabat, magno cum dolore, & univerſi corporis quaſi ex aqua inter cutem tumore: quamobrem Medicorum irritos conatus diu mater experta, beatum Carolum ſupplex orat, ut ex iis neceſſitatibus filium ſeque eriperet, vel impetrando infanti à Domino ſanitatem, vel vitæ miſerandæ finem: has preces ſomnus conſequitur infantis, qui poſt paucas horas expergefactus matrem vocat, eique refert Cardinalem ſuum morbi locum manu in qua lucidum gereret annulum tetigiſſe,ac ſanaſſe,quo audito(mirabilis Deus) mater filium adſpicit, ac verè convaluiſſe comperit.

*Alium infantem in Ticinum delapſum, à demerſione præſervavit.*

§.44.Non longè diſſimili ratione alterum puerum Papienſem Bernardini Ticoni filium, ſupraſcripto æqualem à mortis faucibus eripuit Dominus per merita famuli ſui rettibuens pietati parentum,qui ad Sancti Dei imaginem filiolum veſperè quotidie orare,& illum invocare docuerant,cùm enim in Ticinum aquis tumidum delapſus fuiſſet infans, & antequam quiſquam illi opem ferre poſſet quaſi quarta horæ pars elapſa fuiſſet, nunquam tamen eſt demerſus,ſed tanquam leve corpus ſupernatans,eouſque delatus eſt, donec educeretur,eductus planè incolumis ſeſe à Carolo rubris induto veſtibus ſuſtentatum ne mergeretur narravit.B.Caroli autem auxilium more à parentibus accepto invocans,dum decideret,à pluribus auditus fuerat.

*Hinc Clem. VIII. de Canonizatione Caroli multis modis requiſitus negotium Cardd. ſacris Ritibus deputatis demandavit, & de eorum conſilio cauſam pluribus Palatii Apoſtolici Auditoribus commiſit.*

§.45. Hæc itaque & alia quamplura ſigna & prodigia, quibus ſervi ſui præclara merita conteſtatus eſt Dominus, cum illam in Populis ſanctitatis famam, & erga B. Pontificem devotionem,quam vita excitaverat auxiſſent, & in dies magis augerent, dederunt exordia clarificationis à Patre luminum Carolo præſtitutæ. Itaque an.1601. precibus Congregationis Oblatorum S.Ambroſij Mediolanenſis à Carolo inſtitutæ,primùm à Vicario Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Mediolanenſis, duo proceſſus de vita, alter de miraculis ſancti Confeſſoris formati ſunt, exinde Clerus & Conſilium generale ejuſdem Civitatis Mediolanenſis ad fel. rec. Clementem Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum,Oratores de B. Caroli Canonizatione miſerunt, quibus auditis, idem Clemens cauſam Venerabilibus fratribus noſtris, tunc ſuis S.R.E. Cardinalibus ſacris Ritibus præfectis demandavit, de quorum cõſilio cauſa delegata tribus Sacri Palatii noſtri cauſarum Auditoribus, dilecto videlicet filio Franciſco Peniæ Decano, ac dilecto etiam filio noſtro Ioanni Garziæ tit. SS. Quatuor Coronatorum presbytero Cardinali Millino nuncupato,tunc earundem cauſarum Auditori, ac bon.mem. Alexandro Littæ,quibus deinde bon. etiam mem. Alexander Juſtus, & Bernardinus Scotus, & huic demum dilectus filius Horatius Lancellotus earundem cauſarum ſimiliter Auditores ſubrogati fuerunt,cum facultate novos proceſſus,ſi eis videretur,conficiendi.

*Qui novos proceſſus faciendos cenſuerunt. Leo XI. ad ulteriora procedi juſſit.*

§.46. Ipſi re maturè examinata, novos proceſſus auctoritate Apoſtolica faciendos cenſuerunt.

§.47. Deinde eodem Clemente prædeceſſore viam univerſæ carnis ingreſſo,ac fel.rec.Leone Papa XI. ſimiliter prædeceſſore noſtro, ad Apoſtolatum aſſumpto, eadem cauſa prædictis Auditoribus commiſſa, ut ad ulteriora procederent, mandatum fuit.

*Hic Pont. pariter ... Canonizationem promovit.*

§.48. Eodemque Leone, ſicut altiſſimo placuit, ab humanis exempto,noſtraque humilitate, inſcrutabili Dei judicio, nullis ſuffragantibus meritis, ad Catholicæ Eccleſiæ regimen vocata,officii noſtri debitum exigere cenſuimus,ut S. Card. Canonizationis negotium promoveretur, quando, ſi Deo aſpirante,ut ſperabatur, ſucceſſiſſet, magno cum Eccleſiæ ſuæ augmento decoris, & credentium, præſertim Sacerdotalis ordinis fructu, geſtum iri conſtabat.

*Regeſque ... Principes expoſtulant.*

§.49. Accedebant etiam Chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Philippi III. Hiſpaniarum Regis Catholici, Sigiſmundi etiam III. Poloniæ Regis, & Conſtantiæ Reginæ Illuſtrium Principum, & aliorum multorum preces, quibus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris prædictis, & à nobis id ſæpius poſtulaverant, & poſtulabant.

*Supradicti ergo Auditores, completo proceſſu, ... maturè examinata, Caroli Canonizationem ... poſſe retulerunt.*

§.50. Quamobrem, cum in eadem cauſa abſque mora progredi Auditores mandaviſſemus,ipſi ex novo proceſſu, auctoritate Apoſtolica per Venerabiles fratres noſtros Philippum Comenſem & Claudium, Placentinum Epiſcopos confecto, & ad ſe miſſo mandatu noſtro, diu multumque negotio diſcuſſo,& accuratè examinato,nobis primùm, deinde Cardinalibus prædictis tandem retulerunt conſtare de B. Caroli ſanctitate vitæ, excellentia fidei, & miraculis, & omnia ad Canonizationem à Sacris Canonibus requiſita, legitimè fuiſſe probata,ita ut ſi nobis videretur, ad Servi Dei Canonizationis ſolemnem actum procedere poſſemus.

*Supradicti Cardd. causam recenſent, & accuratiſſimè in eadem ſententiam convenerunt.*

51. Reſtabat ut relationem Auditorum, & univerſam cauſam de more iidem Cardinales accuratiſſimè recenſerent, & pro rei gravitate recognoſcerent,id quod cum rectè fideliterque præſtitiſſent,idemque omnes cenſuiſſent, ac deinde Venerabilis frater noſter Dominicus Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, S.R.E.Card. Pinellus nuncupatus, eorum antiquior, ſuam, Collegarumque ſententiam, cum totius ſumma proceſſus retuliſſet in Conſiſtorio noſtro ſecreto, reliqui Card. qui aderant, in eandem ſententiam conceſſerunt.

*In publico conſiſtorio Advocatus conſiſtorialis Papa de Canonizatione diſertè dixit & Regis Philippi nomine ſupplicavit Pontifici.*

§.52. Quapropter ſequenti publico Conſiſtorio, in quo pro Canonizatione diſertè dixit dilectus filius Julius Roma, Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus,ac nomine prædicti Philippi Regis nobis humiliter ſupplicavit, Nos de tanti momenti negotio, ut par erat, deliberaturos cum iiſdem Cardinalibus & Epiſcopis in Curia præſentibus reſpondimus, & Card. & Epiſcopos, qui tunc aderant hortati ſumus, ut eleemoſynis, jejuniis & orationibus Spiritus Sancti auxilium devotè implorarent.

*Qui in ſemipleno Conſiſtorio de hoc ſermonem habuit, & omnes B. Carolum Canonizandum eſſe dixerunt.*

§.53. Cum verò in Semipublico Conſiſtorio,quod ex more deinde habuimus,vocatis non ſolùm Cardinalibus, ſed etiam Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis prædictis, ac præſentibus noſtris, ac Sedis Apoſtolicæ Notariis,ac Sacri Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditoribus,nos de vita, & miraculis B. Caroli quæ oportebat propoſuiſſemus, omnes B. Carolum Canonizandum eſſe apertis ſuffragiis cenſuerunt.

*Idem Pontif. Deo gratias egit.*

§.54. Quorum unanimi conſenſu audito, aperuimus os noſtrum in benedictionibus, & gratias egimus divinæ clementiæ,quod tantam gratiam tribuiſſet puero ſuo ac per eum honorificare vellet miniſterium noſtrum, & Canonizationis declaravimus diem, adhortantes omnes, ut junctis nobiſcum precibus, eleemoſynis, jejuniis, & ſacrificiis Spiritus ſancti gratiam infirmitati noſtræ in eam rem procurarent.

§.55.

*Deinde Altare D. Petri, præviis ſolemniis Miſſam egit, cum S. Caroli commemoratione.*

§. 55. Denique cum nihil reſtaret eorum quæ ex Sanctorum Patrum auctoritate, ſacrorum Canonum Decretis, ac S.R.E. antiqua conſuetudine agenda, & obſervanda ſunt, hodie in Sacroſancta B. Petri Principis Apoſtolorum Baſilica, in qua ſolemni ritu cum iiſdem Venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis prædictis, Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, ac familiaribus noſtris, Clero ſæculari, & regulari, ac maxima populi frequentia manè convenimus, poſt repetitas pro Canonizationis decreto petitiones nomine ejuſdem Philippi Regis à dilecto filio noſtro Ferdinando S. Euſebii Presbytero Cardinale, per Julium Advocatum prædictum, poſt ſacros Hymnos, Litanias, aliaſque preces, poſt Spiritus ſancti gratiam ritè imploratam, ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, ac fidei Catholicæ exaltationem, & Religionis Chriſtianæ augmentum, auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii, & Spiritus ſancti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, de venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Vrbe præſentium conſilio, & unanimi conſenſu bonæ memoriæ Carolum Borromæum dum vixit tituli S. Praxedis presbyterum Cardinalem, & Archiepiſcopum Mediolanenſem, de cujus ſanctitate vitæ, fidei ſinceritate, & miraculis plenè conſtabat, & conſtat, Sanctum eſſe definivimus, ac ſanctorum Confeſſorum Pontificum Catalogo adſcribendum decrevimus, prout præſentium tenore definimus, decernimus, & adſcribimus, illumque omnes fideles venerari mandavimus, & mandamus.

§. 56. Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & Altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari, & conſecrari poſſint, & ſingulis annis die 4. Novemb. Feſtum ipſius, & officium ſancti Confeſſoris Pontificis ad Breviarii Romani præſcriptum devotè celebretur.

§. 59. Eademque auctoritate omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis eodem die feſto, ad ſepulchrum in quo Corpus ejus requieſcit, devotè acceſſerint, viſitandum, unum annum & unam quadragenam, iis verò qui in ejuſdem Feſti octava quadraginta dies de injunctis, ſeu quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta.

§. 58. Poſtremò Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Chriſtum, Patris ſempiterni Filium, ac ſanctum Paracletum Spiritum, unum Deum, unum Dominū laudibus, & confeſſionibus venerati, ſacroque Hymno decantato, ſolemni Oratione Confeſſorum Pontificum per B. Caroli merita ritè ſumus precati, atque ad Altare ſancti Petri Apoſtoli Miſſam egimus, cum ejuſdem ſancti Pontificis commemoratione, omnibuſque Chriſti fidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem conceſſimus.

*Dat poſtremò gloriam Deo, omneſque apud eū orare hortatur, ut B. Carolū Eccleſia ſua patronum præſtare dignetur.*

§. 59. Æquum eſt igitur dare nos gloriam, & honorem, & benedictionem viventi in ſecula ſæculorum, qui benedixit conſervum noſtrum in omni benedictione ſpirituali, ut eſſet ſanctus & immaculatus coram ipſo, & cùm illum dederit nobis Dominus tanquam fulgentem ſtellam in hac nocte peccatorum, & tribulationū noſtrarum, adeamus ad Divinam Clementiam ore & opere ſupplicantes, ut Carolus Eccleſiæ, quam vehementer dilexit, proſit etiam meritis & exemplo, adſit patrocinio, & tempore iracundiæ fiat reconciliatio, per Chriſtum Dominum noſtrum.

*Exemplis hujus Bullæ credi jubet.*

§. 60. Ceterùm, quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus ut earum exēplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadē ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus, ſi exhibitæ, vel oſtēſæ eſſent, haberetur.

*Sanctionemque pœnalem apponit.*

§. 61. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. 6. die 1. Mai. Papa ſubſcr.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1610. Kal. Novemb. Pont. noſtri Anno 6.

*Card. ſubſcr.*

Ego Paulus Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

Ego A. Maria Epiſc. Præneſtin. Card. Gallus.
Ego Antonius Epiſc. Albanen. Card. Saulius.
Ego Evang. tit. S. Laurentii in Lucina presbyter Cardin. Cuſentin.
Ego Fr. Greg. tit. S. Mariæ Tranſtyb. presb. Card. de Monte Elpero.
Ego Fr. Maria tit. S. Mariæ in Aracœli presb. Cardinalis à Monte.
Ego Flaminius tit. S. Mariæ de Pace presbyter Cardin. Plattus.
Ego Federicus tit. S. Mariæ Angelorum presb. Cardin. Borromæus.
Ego Petrus tit. S. Jo. & Pauli presb. Card. Aldobrandinus S.R.E. Camerarius.
Ego Octavius tit. S. Sabinæ presb. Card. Bandinus.
Ego L. tit. S. Lauren. in Pane, & Perna preb. Cardinalis Blanchettus.
Ego Bartholom. tit. S. Mariæ in Porticu presb. Cardin. Cæſius.
Ego Franciſcus tit. S. Mariæ de Populo presbyter Cardin. Mantica.
Ego Io. B. tit. S. Priſcæ Presb. Card. Bevilaqua.
Ego Dominicus tit. S. Petri in Monte Aureo presb. Card. Thuſcus.
Ego Robert. tit. S. Mariæ in via presb. Card. Bellarm.
Ego Dominicus SS. Duodecim Apoſtolorum presb. Card. Gymnaſius.
Ego Antonius tit. S. Crucis in Hieruſalem presb. Cardin. Zapata.
Ego Carolus tit. S. Clementis presb. Card. de Comitibus.
Ego Jacobus tit. S. Stephani in Monte Cælio presb. Card. Sanneſius.
Ego Erminius tit. S. Mariæ Tranſpontinæ presb. Card. de Valentibus.
Ego Ferdinandus tit. S. Euſebii presb. Card.
Ego Scipio tit. S. Chryſogoni presb. Card. Burgheſius, Major Pœnitentiarius.
Ego Jo. Garſia tit. SS. Quatuor Coronatorum presb. Card. Millinus.
Ego Marcellus Card. Lantes, tit. SS. Quirici, & Julittæ.
Ego Cardinalis de la Roche-Foucault, tit. S. Calixti.
Ego Michaël Angelus Tontus Card. Nazarenus, tit. S. Bartholomæi.
Ego Fabritius Card. Verallus tit. S. Auguſt.
Ego Ioan. Baptiſta tit. S. Sixti Card. Lenius.
Ego Alexander S. Laurentii in Damaſo Diac. Card. Montaltus, S.R.E. Vicecancellarius.
Ego Odoard. S. Euſtachii Diac. Card. Farneſius.
Ego A. S. Angeli in foro Piſcium Diac. Card. Perettus.
Ego Jo. Baptiſta S. Mariæ in Coſmedin, Diaconus Card. Dætus.
Ego A. Sanctæ Agathæ Diac. Card Capponius.

---

## Declaratio, & extenſio conſtitutionis Clem. VIII. circa formam communicandi Indulgentias, ad Canonicos, & Capitulum Baſilicæ Lateranenſis de Vrbe, & alios quoſcumque huiuſmodi facultatem communicandi Indulgentias habentes. LXIII.

*Ipſa Clementis conſtitutio eſt 115. incipiens Quacumque, hic ſuprà.*

*Edita An. D. 1610.*

*PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Exordium.*

QUæ ſalubriter à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus conſtituta ſunt, ut ab omnibus, præſertim in Alma Vrbe noſtra inviolabiliter obſerventur, ex officii noſtri debito providere tenemur, prout in Domino conſpicimus expedire.

*Clem. VIII. præſcripſit omnibus Regularibus, & Inſtitutis formam ſibi ...*

§. 1. Olim ſiquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, volens nonnullas pravas conſuetudines tollere, quæ irrepſerant in uſu facultatum à Sede

*gregādi alias Confraternitates, & Cōgregationes, & indulgentias communicatione, ut in ſua conſt. 115. Quacumque, hic ſup.*

Apoſtolica conceſſarum nonnullis regularibus Ordinibus, Religionibus, & Inſtitutis, ac etiam Chriſti fidelium ſæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diverſarum nationum, & inſtitutionum, tam in prædicta Alma Vrbe noſtra, quàm in aliis Civitatibus, & locis Chriſtiani Orbis inſtitutis erigendi, & inſtituendi, necnon etiam ſibi aggregandi Confraternitates & Congregationes, ejuſque privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta ſibi conceſſa reſpectivè communicandi, perpetuò valitura conſtitutione, quæ incipit, Quæcumque à Sede Apoſtolica: facultates hujuſmodi moderando, indulgentias, aliaſque ſpirituales gratias communicandas, & formulam eaſdem Confraternitates, & Congregationes erigendi, inſtituendi, aggregandi, & reſpectivè communicandi præſcripſit, & alia conſtituit, voluit, & ordinavit, prout in litteris in hujuſmodi forma Brevis, ſub Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 7. Septemb. 1604. Pontificatus ſui Anno decimo tertio, deſuper expeditis pleniùs continetur.

*Canonici, & Capitulum Baſilica Lateranenſis de Vrbe, in d. conſt. non comprehendi prætendebāt.*

§. 2. Cum autem ſicut accepimus, dilecti filii Capitulum, & Canonici Baſilicæ Lateranenſis de eadem Vrbe, diverſas ubique conſtitutas Eccleſias, vel Capellas, ſeu Altaria, vel Oratoria eidem Baſilicæ ſubmittere, ſubjicere, annectere, incorporare, ac in Baſilicæ prædictæ membrum recipere, atque in ſubmiſſione, ſubjectione, annexione, incorporatione, & receptione hujuſmodi eiſdem, necnon aliis ſimiliter Eccleſiis, Capellis, Altaribus, ſeu Oratoriis, & piis locis, ædificatis, & conſtructis in ſolo Lateranenſi varias indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, indulta, & privilegia concedere ſoleant, dictæ conſtitutionis forma & quod in ea ſe non comprehendi prætendant, minimè ſervata.

*Hic igitur Pontifex declarat, dictū Capitulum Lateranenſe, & alia quæcumque quoad indulgentias per ea aliis communicandas comprehendi.*

§. 3. Propterea nos volentes ut conſtitutio prædicta, tam ab eiſdem Lateranenſis Eccleſiæ capitulo, & Canonicis, quàm ab aliis quibuſcumque jus, & facultatem communicandi hujuſmodi indulgentias habentibus, ut par eſt, ſine diſcrimine in poſterum obſervetur, conſtitutiones & literas prædictas dicti Clementis prædeceſſoris cum ſuis clauſulis & decretis ad Baſilicæ Lateranenſis, & aliarum Baſilicarum, & Eccleſiarum quarumcumque, capitula, Canonicos, & quaſvis alias perſonas, ſimiles facultates habentes, illiſque utentes, ad effectum videlicet ut ipſa capitula, & Canonici, ac perſonæ nullas in poſterum indulgentias communicare poſſint, niſi prædictæ conſtitutionis forma ſervata, & ea ſolummodò, quæ à nobis illis præſcribitur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ab ipſis perinde ac ſi eorum expreſſa mentio in dictis literis facta eſſet, perpetuis futuris temporibus, ſub pœnis in eiſdem literis contentis inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.

*Clauſula derogatoria.*

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, & omnibus illis, quæ idem Clemens prædeceſſor dictis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus tamen, quod indulgentiæ, peccatorum remiſſiones, gratiæ, & privilegia per dictum capitulum, & Canonicos Lateranenſes vigore indultorum eis à Sede prædicta conceſſorum quibuſvis Eccleſiis, Capellis, Altaribus, Oratoriis, & locis piis, hactenus conceſſa, & communicata in ſuo robore permaneant.

*Fides tranſumptorum.*

§. 5. Quodque præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. An. 6. 23. Novemb.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, &c. 23. Novembris 1610. Anno 6.

---

**LXIX.** Declaratio, quod Fratres Congregationis Joannis Dei, in Regnis Hiſpaniarum tria vota ſubſtantialia, & quartum ſerviendi Infirmis ejus Hoſpitalium emittere, & ſub regula S. Auguſtini, Ordinariorumque correctione & obedientia degere debeant, verique propterea Religioſi & Regulares cenſeantur.

*Hæc eadem particularis Congregatio nonnulla nuper edidit pro bono ejus regimine ſtatuta, quædam Sanctiſſimus confirmavit, ſed eorum authenticum opportunè haberi non potuit.*

Congregationem verò generaliter approbavit Pius V. in conſt. 143. ſup. lib. 2. Reformavitque Clem. VIII. in conſt. 44. hic ſup. Et unum ex ejus Fratribus in qualibet ejuſdem Domo ad presbyteratum promoveri indulſit hic idem Paulus V. ſup. in conſt. 55.

Adverte etiam inf. ad hujus Pont. Conſt. 110. Romanus, ad quam notavi.

*Edita An. D. 1611.*

## *PAVLVS PAPA QVINTVS.*
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Romanus Pontifex circa ſacrarum Religionum, & Congregationum, ac etiam Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum ſalubrem directionem, & felicem progreſſum ex demandatæ ſibi Apoſtolicæ ſervitutis officio intentus, ea quæ deſuper à prædeceſſoribus ſuis facta fuiſſe comperit partim approbat, & confirmat, partim verò aliis juſtis cauſis ita ſuadentibus alterat, & immutat, aliaſque ejuſdem officii ſui partes favorabiliter interponit, prout rerum, locorum, temporum, & perſonarum qualitate penſata conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Congregationis Fratrum Ioannis Dei pauperum & infirmorum ſubventioni maximè utilis Romani Pont. nonnullas gratias largiti fuerunt.*

§. 1. Dudum ſiquidem cùm congregatio Ioannis Dei ſub regula S. Auguſtini in republica chriſtiana introducta, & ſubinde Apoſtolica auctoritate recepta, atque admiſſa fuiſſet, ut gratia cooperante divina per varias partes multiplicatis illius Fratribus mirabiliter propagaretur, & quamplurima hoſpitalia ex congeſtis Chriſti fidelium eleemoſynis conſtrueret, in eiſque innumerabiles pauperes utriuſque ſexus, videlicet ſenes, mente captos, membrorum, & virium impotentia atque debilitate laborantes, aliaſque miſerabiles perſonas pro eorum morbis, & infirmitatibus, etiam incurabilibus ſublevandis, refovendis, & ſanandis, continuò reciperet. Diverſi interim Romani Pontifices prædeceſſores noſtri Congregationem hujuſmodi in eadem Republica Chriſtiana, pauperum & infirmorum hujuſmodi ſubventioni apprimè utilem, ac perſonarum inibi ſub illius habitu eiſdem pauperibus & infirmis charitativè deſervientium opera apud Deum valde meritoria fore animadvertentes, ac ipſius congregationis felici ſucceſſui, & ſalubri regimini, atque directioni intendentes, illis nonnulla privilegia, gratias, & indulta benignè conceſſerunt.

*Pius V. habitū Fratrib. præſcripſit, eleemoſynas colligendi pro eius Hoſpitalium ſubventione licentiam conceſſit, Ordinariorumque obedientia ſuppoſuit.*

§. 2. Siquidem fel. record. Pius V. prædeceſſor noſter hoc præſtantiſſimum genus officii, infirmos in Hoſpitalibus exiſtentes adjuvandi, certior factus, per tunc exiſtentem confratrem Majorem nuncupatum, Hoſpitalis Ioannis Dei nuncupati Granatenſis, Ordinis S. Auguſtini, in dicto, & nonnullis aliis ad inſtar illius erectis Hoſpitalibus piè exerceri, conceſſit licentiam, & facultatem pro tempore exiſtentibus Fratribus dictorum Hoſpitalium deferendi certum habitum tunc deſignatum, eleemoſynaſque colligendi, & de earum adminiſtratione ſingulis annis legale computum loci Ordinario, in quo hoſpitalia hujuſmodi conſiſterent, reddendi, dummodo ſub regula S. Auguſtini, & ſub obedientia Ordinarii ejuſdem loci, in quo ipſa Hoſpitalia exiſterent, degeret nonnullaque alia quoad eoſdem Fratres, eorumque Hoſpitalia ordinavit.

*Sixtus V. eoſdem in unam Congregationem Ioannis Dei univit, & in Vrbe capitulum generale celebrandum indixit, Provinciaſque diſtinguendi, & Generalē eligendi facultatem conceſſit.*

§. 3. Et deinde fel. rec. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, cum plerique eorum tria vota ſubſtantialia, ac quartum de juvandis infirmis emitterent, nec Generalem, nec conſtitutiones, aut certum vivendi modum haberent, omnia Hoſpitalia Ioannis Dei nuncupata, tam in Italia, quàm in ceteris quibuſvis Provinciis, etiam Tranſalpinis exiſtentia, invicem univit, ac unam congregationem Ioannis Dei nuncupatam erexit, ac in Hoſpitali S. Ioannis Calavitæ de Vrbe Capitulum generale dictorum confratrum de menſe Maii, tunc proximè venturo celebrandum indixit, ac Provincias diſtinguendi, & Generalem eligendi, aliaque deſuper faciendi, licentiam, & facultatem conceſſit.

*Clem. VIII. unum hos Fratres inſerviēdi Ho-*

§. 4. Et poſt eos fel. record. Clemens Papa VIII. ſperans Fratres dictæ congregationis, quorum plerique

tria

*[…]alibus […]um dum- […]at emit- […], & ſub […]dinariorũ […]dientia […]re de- […]vit.*

tria vota ſubſtantialia religionis, ac etiam quartum de juvandis infirmis emittebant, nulla profeſſione præterquam Hoſpitalibus, & infirmis inibi ſerviendi per eos emiſſa, ſub obedientia Ordinariorum locorum quietius, & tranquilliùs victuros, ac delinquentes, ſine ſcandalo aut nota aliqua ex locis ubi degerent, ſic expelli poſſe, per ejus literas in forma Brevis confectas, ſub dat. die 13. Februarii, Pontificatus ſui anno 1. inter alia perpetuò ſtatuit & ordinavit, quod de cetero Fratres Congregationis hujuſmodi unum dumtaxat inſerviendi prædictis Hoſpitalibus ſub obedientia Ordinarii votum emitterent, *prout in ipſis literis pleniùs continetur.*

*[…]ajor auiẽ […]ſpitalium […]Regnis Hi- […]aniarum […] Pon if- […]ni fecit, […] d. de- […]um Cle- […]tis VIII. […]illas Hoſ- […]alibus ef […]um ſecun- […] non eſt, […] Fratres […]a vota, & […]am quar- […] de ju- […]ndis infir […] emittere […]ſueviſſe, […]que & eos […]ſaculo ſe- […]ngi, & Cõ- […]egationis […]unia, & […] regula S. […]uguſtini […]re ſalu- […]ius eſſe.*

§.5. Cùm autem, ſicut dilectus filius Petrus Frater Major Hoſpitalium, & locorum dictæ Congregationis in Regnis Hiſpaniarum conſtitutorum, Nobis nuper exponi fecit, quod literæ Clementis VIII. ſupradictæ in Hoſpitalibus, & locis Regnorum hujuſmodi, nonnullis tamen, iiſque paucis exceptis, quoad hoc nunquam executioni demandatæ, nec effectum ſuum ſortitæ fuerint, imò poſt eas Fratres ſupradicti tria vota, & quartum de juvandis infirmis emittere, prout antea ferè in omnibus ſuorum Hoſpitalibus locis perrexerint, idque etiam nunc obſervent, utiliuſque & ſalubrius, ac bono regimini ipſorum & Hoſpitalium gubernationi conducibilius eſſe experti fuerint, quin etiam progreſſu temporis experientia docente compertum ſit, Fratres dictæ Congregationis qui inibi ſub regula S. Auguſtini degere, & ultra receptionem atque ſervitium Infirmorum, proprium ipſius Congregationis inſtitutum, juxta normam in eadem Eccleſia præſcriptam, ad inſtar illius profeſſorum ſedulò obſervare, eique inſiſtere dignoſcuntur, ſi pariter à ſæculo abſcinderentur, & ejus Congregationi per emiſſionem trium votorum ultra quartum de juvandis Infirmis, religioni penitus auctoritate Apoſtolica manciparentur, ea ratione ſervitium & aſſiſtentiam dictorum Infirmorum, aliaque munia eis ex inſtituto Congregationis hujuſmodi jugiter incumbentia expeditiùs & ſalubriùs obituros, ac propterea æquum, & ſuæ vocationi congruum fore eos, etiam [illegible] emiſſionem ſupradictorum votorum per nos, & Sedem [illegible] Apoſtolicam admitti.

*[…]is ergo Pũ- […]fex, Fra- […]es in illis […]egnis ſic […]ofeſſionem […]mittere de- […]re decre- […]it.*

§.6. Nos igitur, qui ſimilia opera pia, & meritoria Deo accepta, miniſterio noſtri Paſtoralis officii libenter promovemus, de conſilio dilectorum filiorum noſtrorum Pompeii S. Balbinæ Arrigoni, Joan. Garziæ SS. Quatuor Millini, Michaëlis S. Michaëlis, S. Bartholomæi in Inſula, S. R. E. Presbyterorum Cardinalium Nazareni nuncupatorum, quibus hoc negotium ſedulò examinandum, & deinde nobis referendum commiſimus, circa præmiſſa, ac etiam alia dictæ Congregationis laudabile inſtitutum concernentia, prout ex ejuſdem officii debito tenemur, maturiùs diſponere cupientes, ipſumque Petrum à quibuſvis, &c. cenſentes, necnon ordinationes, ſtatuta, privilegia, gratias, & indulta hujuſmodi, ac tam ſuper eis confectarum, quàm ſupradictarum ejuſdem Clementis prædeceſſoris literarum tenores, etiam veriores, atque inde ſequuta quæcumque præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus dicti Petri in ea parte inclinati, de nobis attributæ poteſtatis plenitudine, præſentium tenore perpetuò ſtatuimus & ordinamus, quod ex nunc perpetuis futuris temporibus, in Hoſpitalibus & locis Regnorum hujuſmodi, quæ proprium Confratrem Majorem eorum regimini, & adminiſtrationi, ſub juriſdictione tamen, & viſitatione Ordinarii præfectum habere conſueverunt, illique videlicet hactenus eis nomen ſuum dederunt, & inibi ultra annum ſteterunt, ſtatim, reliqui autem, & qui in poſterum in eis habitum ſuſcipient, anno eorum probationis elapſo, ac aliàs juxta ſacrorum Canonum, & decretorum Concilii Tridentini præſcriptum tria vota antedicta, videlicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, ac inſuper quartum votum ſerviendi Infirmis, in ſuorum Superiorum manibus ſolemniter emittere omninò teneantur.

*[…]t ſic profeſ- […]ſos, verè, & […]roprie reli- […]gioſos, & re- […]gulares, eo- […]rumque ve- […]ram ſub re- […]gula S. Au- […]guſtini reli- […]gionem eſſe […]declarat.*

§.7. Hujuſmodi autem perſonas, quæ elapſo probationis anno quatuor prædicta vota ſolemniter emiſerint, verè ac propriè Religioſos, ac proprios & veros Regulares eſſe, ac pro talibus ab univerſis Chriſti fidelibus habendos & recipiendos, illamque veram & propriam ſub regula S. Auguſtini Religionem eſſe, ac inter reliquas Eccleſiæ Catholicæ Religiones eſſe connumerandam.

*Nos autem ad habitum, & profeſſionem, qui pro numero infirmorũ neceſſarii erũt, dumtaxat admitti præcipit.*

§.8. Non liceat autem Superioribus dictorum Hoſpitalium, & locorum plures inibi ad habitum, aut profeſſionem admittere, quàm quot pro numero Infirmorum, aliarumque miſerabilium perſonarum illuc recurrere ſolitarum miniſterio neceſſarii fuerint.

*In ſingulis Hoſpitalibus, eorumdem Regnorum duos Fratres Presbyteros ad miniſtrationem Sacramentorũ pro Infirmis Fratribus & Miniſtris permittit.*

§. 9. Præterea eiſdem Hoſpitalibus dictorum Regnorum, ut deinceps in eorum ſingulis duo Fratres Presbyteri manere, & ali poſſint, qui confeſſiones, tam Infirmorum, quàm aliorum Confratrum & Miniſtrorum inibi audire, & injuncta ſibi pœnitentia ſalutari, eos à peccatis ſuis abſolvere, illiſque ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctionis ſacramenta miniſtrare liberè & licitè valeant, ac aliis verbo, & exemplo præire debeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus.

*Maiorem, & cæteros dictorum locorũ iuriſdictioni, & correctioni Ordinariorum ſuppoſuit.*

§.10. Ceterùm omnia Hoſpitalia, & loca eorumdem Regnorum, illorumque perſonas, & Superiores, etiam quod perſonæ Religioſæ ſint, ac etiam dictum Confratrem Majorem, & quemcumque alium pro tempore exiſtentem, juriſdictioni, ſuperioritati, viſitationi, & correctioni Ordinariorum locorum perpetuò ſubeſſe, Ordinarioſque in loca, & perſonas hujuſmodi, quoad cauſas civiles, criminales, & mixtas, tam in viſitatione, quàm extra, plenam poteſtatem, facultatem, & auctoritatem perpetuis futuris temporibus habere, ac ratione omnium & ſingulorum bonorum, proprietatum & rerum, tam mobilium, quàm immobilium, decimas, primitias, novalia, & alia onera quomodolibet nuncupata, ſolita, & conſueta, quibuſcumque locorum Ordinariis, Monaſteriis, Domibus, Capitulis, Hoſpitalibus, Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, aliiſque perſonis & locis, quibus ea colligendi jus competit, perſolvere teneri, & ad id per opportuna juris remedia cogi, & compelli, niſi privilegio Apoſtolico, vel legitima præſcriptione hactenus obſervata muniantur, nec deinceps contra juriſdictionem & ſuperioritatem Ordinariorum, aut ſolutionem decimarum, primitiarum, novalium, & aliorum onerum præmiſſorum, ullo unquam tempore quantumvis longiſſimo præſcribere, aut præſcripſiſſe dici, vel cenſeri.

*Et ſi ceſſat Hoſpitalitas eorum locorum, adminiſtrationem ad Ordinarios ſpectare decernit.*

§.11. Quinimò, ſi quando in Hoſpitalibus, & locis antedictis hoſpitalitas defecerit, eoſdem Ordinarios illa, eorumque bona per Fratres hujuſmodi, aut alias perſonas, etiam ſæculares adminiſtranda, ita quod Hoſpitalia & loca, illorumque bona prædicta nullatenus unquam dictæ Congregationi incorporentur, committere & demandare poſſe, ac etiam debere volumus, decernimus & declaramus.

*Et durante Hoſpitalitate, quotannis locorum Ordinariis hos Fratres rationem reddere iubet.*

§.12. Imò dum dictorum Hoſpitalium adminiſtratio ad ipſos Fratres pertinebit, teneantur omninò ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis rationem Ordinario reddere ad Tridentini Concilii præſcriptum.

*In prædictis tamen aliorũ iuribus non præiudicare declarat.*

§.13. His tamen quæ ſuperiùs in quacumque parte conceſſimus, declaravimus, & ordinavimus, Univerſitatum, Collegiorum, aut ſingularium perſonarum quarumcumque juribus qualibuſcumque, ſi quæ illis ſuper dictis Hoſpitalibus, bonis, perſoniſve, etiam ratione Capellaniarum, vel aliorum beneficiorum ex fundatione, dotatione, vel aliàs legitimè competat, ullo pacto præjudicatum, vel præjudicium ullum quantumvis minimum illatum eſſe non intendimus, idque expreſsè declaramus, & pro declarato, ac in qualibet hujus diſpoſitionis parte pro repetito haberi volumus, & mandamus.

*Huius conceſſionis præſervativas clauſulas ſubdit.*

§.14. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari ullatenus poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque per quoſcumque Judices, &c. ſublata, &c. irritumque, &c.

*Contrariis […] derogat.*

§.15. Non obſtantibus fundationibus, & inſtitutionibus Hoſpitalium, & locorum hujuſmodi, ac dicta ejuſdem Clementis prædeceſſoris, aliiſque Apoſtolicis, necnon in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Hoſpitalium,

lium locorum, & Congregationis hujuſmodi juramento roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi, &c. de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro expreſſis habentes derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 7. die 7. Julii.* Datum Romæ apud S. Marcum, die 7. Julii 1611. anno ſeptimo.

---

## LXX. Inſtitutio Congregationis Prælatorum & egregiorum virorum, ad ubertatem Annonæ, & Graſciæ in Sedis Apoſtolicæ temporali ditione, & in Urbe potiſſimùm curandam, ultra aliam Congregationem Cardinalium à Sixto V. deſuper erectam. Elargitioque privilegiorum pro artem Agriculturæ exercentibus, & Ordinationes pro feliciori ejuſdem artis propagatione.

*Erectionem Sixti V. habes ſup. in ſua conſtitut. 74. Immenſa, lib. 2. Privilegia autem perlege in conſtitut. 5. Clementis VII. ſuprà lib. 1. & Pii V. conſtitut. 16. Pia, lib. 2. & conſtitut. 19. Cupientes, & in conſtitut. 72. Clementis VIII. Inter, ſup. & in prædictis Bullis, ac aliis ibi indicatis, juriſdictionem Præfecti Annonæ videre poteris.*

*Edita A. D. 1611.*

### *PAVLVS PAPA QVINTVS.*
*Motu proprio, &c.*

*Exordium.* PAſtoralis officii cura Nos admonet, ut quæ ad Annonæ, & Graſciæ ubertatem in ditione noſtra temporali, potiſſimùm verò in hac Alma Urbe noſtra, ad quam in dies tanta hominum frequentia undique confluit, conſervandam ſpectare noſcuntur, intenſiori animo amplectamur, ac quantum in Domino poſſumus, in primis providere ſtudeamus, ut in Agro Romano, lociſque finitimis Agriculturæ ars humano uſui adeò neceſſaria nullatenus deſeratur. Licèt enim quamplures prædeceſſores noſtri Romani Pontifices eadem ſolicitudine ducti, in hanc rem diligenter incumbentes, plura remedia, & proviſiones adhibere, privilegia concedere, ac ſubſidia parare curaverint, quibus tum rei frumentariæ, tum aliarum rerum Annonam, & Graſciam concernentium ubertas nedum conſervari, ſed augeri facilè poſſet, hominum tamen culpâ, quod non ſine animi noſtri perturbatione recenſemus, fruſtratoria cuncta redduntur.

*Cauſa hujus conſtit.* §. 1. Quapropter Nos tanquam paterfamilias à Domino ſuper familiam ſuam conſtituti, ſummoperè cupientes, quantum in nobis eſt, noſtra vigilantia hiſce malis occurrere, dormientes Agricolas excitare, ac opportunè etiam providere, ut Annonæ, & Graſciæ negotium univerſum in futurum benè provideque geratur, Agriculturæ exercitium uberius fiat, necnon frumenti, & aliarum rerum ad communem vitæ uſum, & ſuſtentationem neceſſariarum copia, in ipſa Urbe, & reliquo Statu noſtro temporali ſemper ſuppetat. Cum verò populi promerentibus peccatis ob terræ ſterilitatem, ſeu aliàs Annona, vel Graſcia aliquid incommodi, ſeu anguſtiæ inciderit, viri prudentes ſint, qui eam citò ſublevent, congruaque remedia ſubminiſtrent.

*Inſtitutio Congregationis ad curandã ubertatem Annonæ, & Graſciæ, quintodecimo quoque die cogenda.* §. 2. Motu ſimili, ac ex certa ſcientia, & deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ nobis attributæ poteſtatis plenitudine, Congregationem Prælatorum, Officialiumque, & egregiorum virorum pro ubertate Annonæ, & Graſciæ curanda inſtituimus, in qua dilecti filii Theſaurarius noſter Generalis, ac Annonæ Præfectus, & Graſciæ Præſes, necnon Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarius Generalis pro tempore exiſtentes à nobis deputati, & dilectus filius Joan. Baptiſta Coſtaguta Januenſis familiaris noſter, ſeu alius à nobis ad Congregationem hujuſmodi deputandus perſonaliter interſint, & quintodecimo quoque ab eis ſtatuendo die in unum conveniant, ac de arte Agriculturæ reſtituenda, & augenda, laboreriis, & paſcuis dividendis, atque vendendis, & de ſtatu Annonæ, & Graſciæ hujuſmodi, rebuſque omnibus illam concernentibus invicem conferant, tractent, & diligenter perpendant, & quod ab eis, ſeu majori parte matura conſultatione præhabita fuerit reſolutum, nobis referant, ut quid pro publica utilitate ſtatuendum ſit, providere poſſimus, firma remanente in rebus arduis Congregatione S. R. E. Cardinalium ſuper ubertate ejuſdem Annonæ à felic. record. Sixto Papa V. prædeceſſore noſtro inſtituta.

§. 3. Præterea agnoſcentes quantum ad agros excolendos, artemque Agriculturæ conſervandam, boves aratorii perneceſſarii ſint, motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus omnibus & ſingulis perſonis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, cujuſcumque gradus, & conditionis, etiam S. R. E. Cardinalibus, necnon Principibus, Ducibus, Baronibus, & aliis quacumque dignitate, titulo, & prærogativa ſuffultis, ne boves aratorios, ſeu ad arandum aptos, etiam nondum domitos, præcipuè autem decem annis minores, pro uſu macellorum, ſive Urbis, ſive quarumvis aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Sedi Apoſtolicæ mediatè vel immediatè ſubjectorum, vel ad effectum incontinenti, vel in aliud tempus mactandi emere, vendere, aut aliquem contractum, ſeu pactum inire, ſub amiſſionis boum, & quingentorum ſcutorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ applicandorum pœna. *Prohibi[...] mercandi boves ara[...]rios, vel [...] arandi [...]tos, ad [...] [...]lli mac[...]di.*

§. 4. Necnon Dohaneriis, & Gabellariis etiam Urbis, ac quorumvis aliorum Civitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, eorumque Officialibus, & Miniſtris, & aliis ad quos ſpectat, ſub aliorum quingentorum ſcutorum eidem Cameræ, ut præfertur, applicandorum, aliiſque etiam corporalibus pro qualitate perſonarum, & exceſſuum, arbitrio Annonæ Præfecti pœnis irrogandis, ac moderandis, ne aſſignationem, notam, ſeu ſolutionem aliquam Dohanæ, ſeu Gabellæ, pro venditione, vel contractu boum quorumcumque, etiamſi aratorii, vel ad arandum apti non ſint, recipere, niſi priùs dictos boves ſuper quibus contractus initus fuerit, tam ipſi quàm Commiſſarius ad id ab Annonæ Præfecto deputatus diligenter inſpexerint, ubi verò eos aratorios, vel ad arandum aptos eſſe cognoverint, contractum aliquem ſub eadem pœna nullatenus admittere. *Doh[...] non recip[...] gabellam [...] contractu quorumcumque Boum, niſi ipſi[...] & Commiſſarii à Præfecto Ann[...] deputati [...] prævia inſpectione.*

§. 5. Laniis verò, & aliis animalium mactatoribus, ne ſub eiſdem, & etiam fuſtigationis pœnis ejuſdem Præfecti arbitrio irrogandis boves aratorios, vel ad arandum aptos hujuſmodi mactare audeant, vel præſumant, diſtrictiùs prohibemus. *Lanii, & [...] non mact[...] boves ad arandum aptos.*

§. 6. Ac quaſcumque ordinationes, tam per Nos, & prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, quàm ejuſdem S.R.E. Camerarios, & Annonæ Præfectos deſuper factas, ſeu editas, illarum tenorem præſentibus etiam pro expreſſo, & inſerto habentes, approbamus, confirmamus, & innovamus. *Conſtitutiones prædeceſſorum & [...] per edita [...] firmantur.*

§. 7. Mercatores autem, & quivis alii greges, ſeu armenta vaccarum albarum habentes, ad quotannis juvencos vigintiquinque pro quolibet centenario vaccarum hujuſmodi, ad uſum artis Agriculturæ educandum, necnon ad veram earumdem vaccarum quantitatem, quam habent, in principio cujuſlibet anni eidem Annonæ Præfecto notificandum, & aſſignandum teneri ſtatuimus, & mandamus, & ad id ſub ſcutorum quingentorum, aliiſque etiam gravioribus pœnis ejuſdem Præfecti arbitrio irrogandis etiam compellantur. *Juvenci [...] ex centum Vaccis ali[...] ad uſum [...]tis Agricu[...] tura quota[...]nis nutri[...]tur, & [...]merus Va[...]carum Præ[...]cto aſſign[...]tur.*

§. 8. Inſuper ut artis Agriculturæ exercitium latiùs patere poſſit, Agricultorumque, & Colonorum copia ſit, nec illorum numerus minuatur, prohibitioni aliàs à rec. mem. Clemente Papa VIII. ſimiliter prædeceſſore noſtro per ſuas literas deſuper factæ inhærentes, illamque extendentes, & ampliantes: Volumus pariter, & declaramus, *Vaſſalli [...] voluerint, agros colere poſſint, [...] obſtante qu[...]cumque D[...]minorum privilegio.*

mus, quod quicumque etiam Ducum, Baronum, Domicellorum, Principum, & etiam ejuſdem S. R. E. Cardinalium, aut alia quacumque, temporali, vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentium Vaſſalli, ſeu ſubditi, quò eis placuerit ad laborandum, & colendum agros accedere poſſint, nec ipſi etiam in propriis terris Ducum, Baronum, & Domicellorum ſuorum, etiam Principum, & S.R.E. Cardinalium, aut aliàs, ut præfertur qualificatorum inviti laborare cogantur, aut quo minus ad loca eis beneviſa ad laborandum, & colendum, etiam cum eorum bobus & animalibus accedant, ab eiſdem Ducibus, Baronibus, *Domicellis*, & etiam Principibus, & S.R.E. Cardinalibus, aut aliàs, ut præfertur qualificatis, eorúmve Officialibus, Agentibus, Factoribus & Miniſtris, ſub confiſcationis bonorum, & feudorum, ac etiam excommunicationis latæ ſententiæ pœna, directè vel indirectè impediri poſſint, ſeu debeant, etiam prætextu quorumvis privilegiorum, & indultorum eis conceſſorum, aut conſuetudinum, vel etiam juramentorum, quæ tanquam contra publicam utilitatem inducta quoad hoc tollimus, & abrogamus.

*Privilegia exercentium Agricultura confirmantur, in quo huic non adverſantur.*

§.9. Ut autem mercatores, & alii quicumque ad agros excolendos, artemque agriculturæ exercendam eo magis alliciantur, & invitentur, illos gratiis & favoribus proſequentes, omnia & ſingula indulta & privilegia in favorem artem prædictam exercentium, per Nos, & prædeceſſores noſtros quomodolibet hactenus conceſſa, quoad ea quæ præſentibus non adverſantur, confirmamus & approbamus.

*Eiſdem in Territorio Urbis, Latii, Campaniæ, Maritimæ Provinciis, facultas extrahendi frumentum certo modo conceditur.*

§.10. Item omnibus Agricultoribus, Mercatoribus, & Colonis, qui tam in propriis, quàm in alienis, & conductis terris, in Territorio & diſtrictu Urbis, necnon Latii, Campaniæ, Maritimæque Provinciis Agriculturam exercuerint, & ſementem fecerint, ſingulis annis quibus pretium, & valor frumenti communiter in Urbe per ipſos Agricultores & Mercatores vendendi à tempore Meſſis, & recollectionis uſque ad Kal. Martii cujuſlibet anni ſummam Juliorum quinquaginta quinque in ſingula rubra non exceſſerit, quintam partem totius frumenti per ipſos eodem anno recollecti, deducto tamen ſemine, ad quævis loca, præter infidelium, & S.R.E. hoſtium, terra, marique liberè extrahendi, & tranſportandi, ſeu extrahi, & tranſportari faciendi facultatem concedimus, & hoc etiam intelligi volumus de frumento quod Domini, & Locatores tenutarum, ſeu terrarum à conductoribus receperint, quatenus tamen eorum tenutas, & terras ad frumenti recolligendi quotam, & non aliàs locaverint, & dummodo quota hujuſmodi quintam partem prædictam non excedat, ii autem qui aliter quàm ad quotam tenutas, ſeu terras locaverint, hujuſmodi extractionis beneficio pro frumento ab eis exigendo frui minimè poſſint; dictæ autem extractionis licentia de menſe Martii cujuſlibet anni, & non priùs concedi debeat à Congregatione prædicta, ac præcedente Chirographo à Nobis ſubſignato, ſolutis tamen priùs Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Juliis quinque pro quolibet rubro extrahendo. Quod ſi aliqui prædicti ob maris diſtantiam, ſeu aliàs quantitatem frumenti permiſſam extrahere nequiverint, ſeu noluerint, facultatem & privilegium extractionis hujuſmodi aliis ad rationem Juliorum quinque pro quolibet rubro vendere, ſeu cedere valeant. Si autem per Nos, vel Succeſſores noſtros, Cameramque aut Annonæ Præfectos ex quavis cauſa dictam licentiam impediri contigerit, teneatur ipſa Camera eiſdem Agricultoribus, ſeu Dominis tenutarum, ſeu terrarum, pro intereſſe dicti impedimenti ſummam Juliorum ſex pro quolibet rubro ſolvere, liberè, & abſque ulla prorſus exceptione, dummodo tamen totum eorum frumentum ad Urbem conduxerint, ſeu licentiam obtinuerint illud extra Urbem dimittendi, ſub obligatione ad Urbem conducendi, & data nota ſummæ, & loci ubi dictum frumentum repoſitum fuerit.

*Subventioni ſcutor. 100. vel alterius ſummæ à Præfecto Annonæ ordinanda.*

§.11. Ac eiſdem Agricultoribus, & Agriculturæ artem exercentibus præterea de aliquo ſubventionis auxilio providere volentes, quo faciliùs arti hujuſmodi incumbere, pecuniaſque minori interuſurio habere valeant, motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus dilectis filiis Proviſoribus ſacri Montis pietatis Urbis, eorumque Miniſtris, ad quos ſpectat, per præſentes diſtrictiùs præcipiendo mandamus, ut cuilibet vero Agricultori uſque ad ſummam mille ſcutorum monetæ, ſeu aliam à Præfecto prædicto ordinandam, accepto eodem emolumento duorum pro centenario nomine meriti, ſeu aliàs ab aliis ratione expenſarum ſolvi conſueto, & accepto idoneo & ſufficienti Pignore, aliiſque ejuſdem Montis legibus & inſtitutis hactenus obſervari ſolitis, adimpletis, & obſervatis debeant mutuare, de licentia tamen Præfecti Annonæ prædicti, & non aliter, & cum conditionibus, & clauſulis ab eo præſcriptis, dummodo illæ Montem prædictum majori, quàm prædicto onere non afficiant: qui quidem Annonæ Præfectus antequam Agricultorem ad hujuſmodi commodum admittat, licentiamque expediat, quantitatis laborerii, & qualitatis perſonæ rationem habebit, dictamque licentiam opportunis temporibus tantum, & pro ea ſumma quæ ſibi videbitur neceſſaria, dummodo quantitatem mille ſcutorum prædictam non excedat, concedet. Summa autem mille ſcutorum prædicta de ordine ipſius Congregationis pro qualitate perſonæ & laborerii, ejuſdem Congregationis arbitrio, etiam uſque ad ſummam bis mille ſcutorum augeri poſſit, ſicque in præmiſſis omnibus, &c. ſublata, &c. irritum, &c.

*de 2 parvo ſub emolumento eiſdem dari præcipitur.*

*Auctoritas Congregationis pro obſervantia hic contentorum.*

§.12. Mandantes etiam Congregationi, & Deputatis prædictis, & eorum ſingulis, ut præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque obſervent, & exequantur, & faciant ab aliis quantum in eis erit, condigna pœnarum inflictarum animadverſione, aliiſque opportunis juris, & facti remediis, firmiter, & inviolabiliter obſervari. Dantes eis in præmiſſis, & circa ea plenam & omnimodam facultatem, & poteſtatem.

*Derogatio contrariorum.*

§.13. Non obſtantibus præmiſſis, necnon quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac illa etiam quatenus opus ſit, ejuſdem Pii IV. prædeceſſoris noſtri de regiſtrandis, ita ut præſentes abſque alia in eadem Camera admiſſione, & regiſtratione validæ ſint, ſuumque debitum ſortiantur effectum, necnon Urbis, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Villarum, & locorum quorumcumque juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, reformationibus, decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Communitatibus, Univerſitatibus, Baronibus, aliiſque prædictis, & quibuſvis à Sede prædicta, vel à Nobis forſan conceſſis, ac etiam confirmatis, approbatis, & innovatis, quæ eis quoad præmiſſa nolumus ſuffragari, quibus omnibus & ſingulis, etiamſi, &c. illorum tenores, &c. pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hac vice ad effectum præſentium dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè, ac latiſſimè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sola ſignatura ſufficit.*

§.14. Volumus etiam, quod præſentium ſola ſignatura ſufficiat, etiam abſque alia data, & regiſtratura, regula quacumque contraria pariter non obſtante.

*Literæ deſuper expediri poſſint.*

§.15. Et nihilominus literæ in quavis forma expediri poſſint cum clauſulis opportunis.

*Fides tranſumptorum.*

§.16. Præſentiumque & literarum deſuper forſan expediendarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu unius Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus ex Congregatione prædicta obſignatis, in judicio, & extra plena fides adhibeatur.

Placet motu proprio. C. *PP. ſubſcr.*

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1611. *indictione nona, Pontificatus Sanctiſſimi D. N. D. Pauli Papæ Quinti anno ſeptimo, die verò* 19. *menſis Octobris, ſupradicta Cedula motus proprii publicata, & affixa fuit in acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis & conſuetis, per me Io. Dominicum de Pace Curſ. Chriſtophorus Fund. pro Mag. Curſ.*

*Publ. Pontif. An. 7. die 19. Octobris.*

---

Reformatio Tribunalium Almæ Urbis, & ejus officialium. LXXI.

Hæc

*Huic reformationi addidit hic Pont. taxas Notariorum eorumdem Tribunalium in conſtit. ſeq. Et opportunas deinde edidit declarationes utriuſque conſtitutionis in alia conſtitut. ſubſeq.*

*Edita A. D. 1611.*

*PAVLVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

UNiverſi agri Dominici curam, meritis licèt imparibus, divina diſpenſatione gerentibus, ſedulò Nobis invigilandum eſt, ut quæ ex veteri maledicto quotidie in eo ſpinæ innaſcuntur, & tribuli, miniſterio noſtri Apoſtolatus, quantum ex alto permittitur extirpentur: quod ſi hanc ſollicitudinem omnibus Mundi partibus ex officii noſtri debito debemus, illis ſanè impendere præcipuè tenemur, quæ noſtro etiam temporali regimini creditæ ſunt.

*Cauſa hujus Reformationis, & abrogationis aliorum Pontif. Reformationum, quæ huic adverſantur.*

Sanè cum à diverſis prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ad Tribunalium Almæ Urbis noſtræ reformationem, præſertim à felic. record. Paulo III. & IV. Pio item IV. & V. Gregorio XIII. & Sixto V. multa variis temporibus providè ac ſalubriter conſtituta ſint, tamen quia ſucceſſu temporis, ut humana fert conditio, complures abuſus irrepſerunt, idcircò ut debitus decor, ac forma, ſicut Juſtitiæ ratio, & publica utilitas poſtulant, iiſdem Tribunalibus reſtituatur, Apoſtolica auctoritate providendum duximus. Negotium verò hujuſmodi, ut matura deliberatione, & prudentium conſilio, prout rei gravitas poſtulabat, tranſigeretur, omnes penè Almæ Urbis noſtræ prædictæ Magiſtratus, alioſque viros doctrina, & uſu præſtantes ſimul convenire, ac rem per eos diu multumque, vocatis etiam iis quorum intereſſe poterat, examinari fecimus. Quod cùm longo tempore, multoque ſtudio, & labore diligenter, fideliterque perfecerint, Nos de eorumdem conſilio omnes & quaſcumque alias prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones ſuper reformatione Tribunalium Urbis noſtræ prædictæ, in iis quæ præſentibus noſtris adverſantur, abrogantes, & revocantes, in aliis verò omnibus, præſertim in iis quæ in prædictis Conſtitutionibus conſtituta, & ordinata ſunt, confirmantes, & innovantes, hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut ſequitur.

## De Signatura Gratiæ, & Juſtitiæ.

*Ad hæc vide conſt. 59. Pii IV. lib. 2. §. 1. 5. & 7. & 10. & Sixti V. conſt. 74. Congregat. 2. lib. 2.*

1. §. 1. IN primis, quod nullus Referendariorum Commiſſionem expediat, in qua non adſit à tergo nomen Procuratoris, ſeu impetrantis, noti ſaltem ipſi Referendario, cujus ſolius citatio ſufficiat in reformatione ipſius.

Verùm ipſi Procuratores, ſeu impetrantes ſuum nomen à tergo manu propria inſcribant, & de mendacio convicti, juxta juris diſpoſitionem puniantur.

2. Ubi verò in Commiſſionibus expediendis requiritur
3. citatio partis, una ſaltem citatio una die pro altera fieri debeat perſonaliter, aut factis diligentiis per duos Curſores (ut moris eſt) dimiſſa copia.

4. Atque in ipſis citationibus apponatur ſemper nomen Referendarii, alioqui Referendarii ipſi Commiſſionem non expediant.

5. Similiter nullus Referendariorum propoſitas, & rejectas in Signatura Juſtitiæ Commiſſiones, in Signatura Gratiæ coram nobis proponere audeat, niſi per Signaturam Juſtitiæ ad eandem Signaturam Gratiæ remiſſæ fuerint, vel niſi talis ſit materia, quæ ſcientiam noſtram requirat, & tunc præhabita ſemper licentia noſtra, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, vel ſaltem Cardinalis Præfecti pro tempore Signaturæ Gratiæ, qui parte audita deliberare poterit an cauſa proponenda ſit.

6. Nec in antiquis, & arduis materiis, in quibus plures hinc inde expeditæ fuerint Commiſſiones, & in avocatoriis à prioribus judicibus, & quovis modo præjudicialibus, Referendarii manum apponant, niſi priùs citata coram eis parte intereſſe habente.

Et cum agitur de revocatione, aut moderatione alicujus præinſertæ, ſimiliter manum non apponant, niſi in præinſerta appoſitum ſit nomen Referendarii qui illi manum appoſuit, ut rationem reddere, & eam juſtificare poſſit. 7.

Nec etiam reformatio, ſive moderatio ejuſdem præinſertæ à Præfecto Signaturæ Juſtitiæ, niſi nomen Referendarii, ut præmittitur, in ipſa præinſerta appoſitum fuerit, aliquo modo ſignetur. 8.

In Commiſſionibus appellationum ab interlocutoriis manus non apponatur, niſi expreſſo relevanti gravamine, neque in Commiſſionibus appellationum à definitiva cum clauſula, aut vim definitivæ habente, niſi res adeò exprimatur, ut videat Referendarius an tale ſit gravamen, quod per definitivam reparari non poſſit, & ſi in Commiſſione appoſita fuerit clauſula, cum toto negotio principali, tunc addatur, Juſtificato tamen dicto gravamine. Et idem ſervetur quando eſt appoſita clauſula, Quam, & quas, quæ tamen non ſit reſtricta per ſola verba, de & ſuper præmiſſis. 9.

Et nihilominus in ſupradictis Commiſſionibus appellationum ab interlocutoriis, ſemper citetur pars, etiamſi exprimatur gravamen, ut ſuprà dictum eſt, quod per definitivam irreparabile videatur. 10.

Et ab exceſſiva taxatione expenſarum ſemel tantum appellatio committatur, & duæ ſententiæ habeant vim trium. 11.

Ubi pars Commiſſionem aliquam doloſè extorſerit, & ob id Commiſſio reformata fuerit, Præfectus manu regia, & executivè expenſas factas in reformatione Commiſſionis reſtituere faciat, ſine litis minimè expectato. 12.

Commiſſio pro dilatione vel alternativa, ſemel tantùm concedatur, quam qui jam impetraverit, lapſo trimeſtri aliam, niſi à Nobis vel Succeſſoribus noſtris, & Signatura noſtra Gratiæ impetrare nequeat, & impetrata non ſuffragetur, nec tribuat juriſdictionem. 13.

Abſtineant præterea Referendarii ab appoſitione manuum in Commiſſionibus nullitatum, & attentatorum, niſi exprimantur nullitates ex defectu juriſdictionis, citationis vel mandati, & ipſa attentata. 14.

Item in Commiſſionibus moleſtationum, & jactationum, niſi addita clauſula, dummodo non ſint judicialiter illatæ. 15.

Et omninò abſtineant ab illis in quibus narratur pronunciatum fuiſſe, prout in cedula. 16.

Nec etiam manum apponant in Commiſſionibus prorogationis fatalium in cauſis criminalibus, nec illa concedatur ultra primam vicem, niſi prævia præſcriptione Judicis aſſerentis Commiſſionem ſibi ſignandam videri, & citato Fiſco. 17.

In Civilibus autem prorogationes hujuſmodi ultra primam vicem non niſi ex cauſa concedantur. 18.

Et ſimiliter inſtantia quæ cauſis diſcuſſionum præſcripta eſt, nullo modo, niſi ex magna cauſa, & per Signaturam noſtram Gratiæ prorogetur. 19.

Quilibet autem Referendarius teneatur recipere contra Commiſſiones, & eas omninò in eadem Signatura proponere, eoque caſu ſufficiat partem adverſam per quinque dies ante Signaturam fuiſſe modo ſupraſcripto citatam. 20.

Cauſæ matrimoniales, & criminales Clericorum, & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, committantur iis tantùm quibus diſpoſitum eſt per Concilium Tridentinum committendas eſſe. 21.

Cauſæ verò criminales Laïcorum in Terris Eccleſiæ locorum Gubernatoribus committantur. 22.

Regentes Cancellariæ, & alii officiales ad expeditionē Commiſſionum Signaturæ Juſtitiæ deputati, abſque mora receptis Commiſſionibus illas expediant, nec ſub quovis prætextu illas penes ſe retineant. Et qui illas per turnum diſtribuere debent, illas ſine aliqua ordinis ipſius turni perverſione diſtribuant, illaſque ad bancum Curſorum, etiam irrequiſiti, ſine mora tranſmittant, ſub pœna privationis officii, & aliis arbitrio noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum. 23.

De

## De Camerario, & Camera Apoſtolica.

*Taxa hujus Curia eſt in conſtit. ſeq. §. 1.*

1\. (hac vide 57. conſt. § 3. & … conſt. lib. 2.) §. 2. CAmerarius, Præſidentes, & Clerici Fiſci noſtri negotiis incumbant, utque illud liberiùs & faciliùs facere, & exequi poſſint, cauſis inter Fiſcum noſtrum, ac privatos juxta propriam eorum Tribunalis naturam contenti ſint, & propterea à cognitione cauſarum inter privatos, etiam per viam appellationis, etiam ex *Terris Eccleſiæ ad Sedem* Apoſtolicam interpoſitæ omninò abſtineant, niſi cauſæ à negotiis Fiſcalibus dependeant, aut ab illis originem trahant.

2\. Similiter abſtineant à Commiſſionibus, & avocationibus cauſarum, necnon literis monitorialibus, & inhibitoriis, & ſequeſtrationibus, & aliis hujuſmodi, ubi non agitur de intereſſe Fiſci, etiam in Terris Eccleſiæ, cùm hæc ad Signaturam noſtram ſpectare noſcantur, & aliàs ordo Judiciorum multipliciter confundatur.

3\. Permittimus tamen Camerario pro minori pauperum diſpendio, ut cauſas appellationum à ſententiis definitivis, vel earum vim habentibus interlocutoriis intra quadraginta milliaria ab Urbe, in rebus minimis, & profanis ſummā vigintiquinque ducatorum non excedentibus (*de quo diſpoſitivè mentio fieri debeat*) per ſimplices literas, aliàs juxta formam juris, & juxta ſolitum, committere poſſit.

4\. Inſuper, ne delicta impunita remaneant, ab abſolutionibus, & remiſſionibus delictorum quorumlibet, etiam levium, aut illarum Commiſſionibus, necnon ſalviſconductibus pro delinquentibus, etiam de delictis extra Terras Eccleſiæ commiſſis, omninò abſtineant.

5\. Similiterque à moratoriis dilationibus, nec etiam ad modicum tempus.

6\. Necnon literas Camerales pro adipiſcenda poſſeſſione beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam Nobis ac Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, ac prorogationem temporis ad expediendas literas Apoſtolicas quarumcumque gratiarum, aut ad ſolutionem annatarum, de Collegio Cardinalium, aut officialibus debitorum, minimè concedere valeant.

7\. Clerici Cameræ, cùm nullam juriſdictionem ut ſinguli, ſed tantùm collegialiter, & in plena Camera habere noſcantur, nihil expediant privatim & ſingulariter, nec aliquas literas, aut patentes de quacumque re ſubſcribant, niſi ex commiſſione eis facta in eadem plena Camera, in qua omnia clarè & diſtinctè proponi, ac in libro propoſitionum adnotari debeant, vel niſi agatur de negotiis Guberniorum, & Præſidentatuum, & Præfecturarum, quæ privatim juxta ſolitum expedire poſſint.

8\. Notariique in expeditionibus, & ſcripturis deſuper conficiendis de propoſitione & commiſſione hujuſmodi mentionem expreſſam facere teneantur.

9\. Sed & tam Camerarius quàm Clerici ipſi, ultra prohibita in præſenti reformatione, à quibuſcumque licentiis, gratiis, & indultis de rebus ſpiritualibus, in forma gratioſa, vel commiſſaria, etiam cum clauſulis juſticativis, & aliis, tam in Terris Eccleſiæ, quàm extra illas, omninò abſtineant.

10\. Et ſimiliter à quibuſcumque aliis expeditionibus, quæ ſibi ratione ſuæ ordinariæ juriſdictionis propter publicam utilitatem expreſsè, per literas ſuarum facultatum conceſſæ non reperiuntur. Nec prætextus conſuetudinis, aut quaſi poſſeſſionis, etiam antiquiſſimæ & immemorabilis in ſimilibus concedendis eis ſuffragetur, etiamſi conſuetudo, vel quaſi poſſeſſio hujuſmodi per literas aliquorum Pontificum generaliter approbatæ fuerint.

11\. Conſtitutio felic. record. Pii Papæ IV. ſuper reformatione Tribunalis Cameræ Apoſtolicæ, incip. Cùm inter ceteras, ſub datum Kal. Novembris, Anno 1564. juxta ſolitum legatur ſingulis annis in prima Camera menſis Octobris.

12\. Cauſæ conjunctorum, & propinquorum alicujus Clerici ad quartum gradum excluſivè, ipſi Clerico nullatenus committantur, nec quiſquam eorum ſibi commiſſas audiat, ſed eas expreſſa cauſa recuſet.

13\. Nec etiam in diſcuſſionibus, & deciſionibus, tam illarum quàm aliarum quarumcumque cauſarum, in quibus aliquod intereſſe prætendere poſſet, ſive Clericus, ſive Aſſiſtens ille ſit, ullo modo intereſſe, nec ullum votum habere, ſed ſtatim à dicta Camera, etiam dum cauſa proponitur, etiam injuſſus (cum in hoc ignorantiam prætendere non poſſit) egredi debeat, & ſi ſecus fecerit, Clericus per menſem ſuſpenſionem ab exercitio, & perceptione emolumentorum ſui officii, aliis Clericis applicandorum ipſo facto incurrat, aſſiſtens verò jocalium, & ſalarii exactione aliis aſſiſtentibus applicanda, ipſiuſque Cameræ ingreſſu trium menſium ſpatio mulctetur.

14\. Quicumque autem, ſive ex Clericis, ſive ex aliis Cameralibus prædictis ab aliquo ſuſpectus in cauſa recuſatus fuerit, recuſans nonniſi expreſſa ſuſpicionis cauſa audiri, illaque expreſſa, abſente recuſato ut ſuſpecto, in Camera diſcuti, eaque à pluribus approbata, ſuſpectus ipſe in hujuſmodi cauſa nullo modo ſe intromittere, aut intereſſe debeat: ſi verò probari nequiverit, nulla ejus allegatæ ratio habeatur.

15\. Caveant autem appellationes à decreto vim definitivæ habente ullo pacto recipere, neque alias appellationum cauſas committere, niſi gravamine, & gravaminis cauſa ita expreſſa, ut Camera poſſit intelligere, & deliberare, an appellatio ſit admittenda, necne, & in omni caſu nonniſi citata parte hæc fiant.

16\. Ad hæc pauperum Advocatus, necnon Fiſci tam Advocatus quàm Procurator, Commiſſarius, & quivis alius de eadem Camera, ſub eiſdem, & aliis noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio pœnis, non ſcribant in cauſis privatorum in Cameræ Tribunali pendentibus, exceptis pauperum cauſis, & reſpectivè iis in quibus Camera alicui adhærendo partem facit in judicio, vel in quibus aliàs de Fiſci, & Cameræ intereſſe agitur.

## De Gubernatore Urbis, & ejus Tribunali.

*Taxa hujus Curia eſt in conſtit. ſeq. §. 2.*

1\. (Vide conſtit. 72. Sixti V. lib. 1.) §. 3. LOcumtenens Civilis Gubernatoris Almæ Urbis pro tempore exiſtentis unus dumtaxat ſit, legum ſcientia, vitæque probatæ, & Romanæ Curiæ experientia inſignis, & ex hoc loco qui ab Urbe diſtet ſaltem per quadraginta milliaria oriundus, qui omnes cauſas civiles, tam Commiſſarias juxta formam Commiſſionum, quàm ordinarias, vel alias in ipſo Tribunali introducēdas, juxta ſuas facultates cognoſcat, terminet & decidat. Audientiā terminorum, pro quibus litigantes pro certa hora citati non ſint, in ſala palatii Gubernatoris circa horam vigeſimam pro Tribunali ſedendo teneat. Jus reddat ſingulis diebus, exceptis feſtivis de præcepto, aut conſuetudine Almæ Urbis, necnon diebus Coronationis Pontificis viventis, ingreſſus Gubernatoris, Jovis, Lunæ, & Martis immediatè ante Cineres, ac ipſius diei Cinerum, totius Hebdomadæ majoris, Commemorationiſque omnium fidelium defunctorum, & Vigiliæ Nativitatis Domini.

2\. Significationes per viam recurſus concedendas ſemper concedat cum clauſula, non tamen in contumaciam.

3\. In cauſis ordinariis, vel via ordinaria introducendis, etiamſi ad probationem producantur cedulæ, jura, & inſtrumenta obligationum Carmeralium, non relaxet mandata executiva, ſi reſpectu ſummæ, vel aliàs ex natura cauſæ de qua agitur, dictæ cauſæ ſint appellabiles, niſi elapſis decem diebus datis ad appellandum, & ſervatis ſolitis terminis ad docendum de legitima appellatione, & ejus legitima proſecutione, & conſtito ſibi de re judicata.

4\. Suſpectus poſt litem conteſtatam, vel pro conteſtata habitam, allegari non poſſit niſi à principalibuſmet, vel eorum Procuratoribus ad id ſpeciale mandatum habentibus, & ex certa cauſa per eos in actis ſpecificata, & jurata, à Gubernatore pro legitima approbata.

5\. Ab ejus ſententiis definitivis appelletur ad Nos, noſtramque ſanctā Sedem Apoſtolicam in cauſis appellabilibus, in quibus verò de jure recurſus datur, recurratur ad Gubernatorem, qui cauſas hujuſmodi recurſus per ſeipſum, vel aliū ab eo deputandū juxta ſuas facultates expediat. Qui deputandus, tam in ipſis cauſis recurſus, quàm in illis in quibus in locum Locumtenentis uti ſuſpecti recuſati à Gubernatore deputabitur, & in cauſis quoque

commiſſariis

commiſſariis, in quibus reſcripto Signaturæ à Gubernatore ſimiliter deputabitur, ea dumtaxat emolumenta recipiat, quæ ut mox dicetur, Locumtenens recipere poſſet, & nihil penitus ultra, ſub pœnis eis indictis.

6. Recurſus ut ſupra ad Gubernatorem à Locumtenentis, vel deputandi decretis, & ſententiis petendi, infrà decem dies dumtaxat peti debeant, & tunc executionem non retardent uſquequò Gubernator hujuſmodi recurſus non admiſerit.

7. Locumtenens habere debeat ſcuta auri in auro quinque à quolibet ex duobus Notariis cauſarum Civilium hujus Curiæ, ipſi tantum Locumtenenti quolibet menſe in ejus principio ſolvenda, & percipere poſſit julium unum pro ſingulis infraſcriptis expeditionibus. Videlicet pro quolibet mandato executivo, non tamen in contumaciam. Pro quolibet Areſto in carceribus, mandato de excarcerando, ſignificatione Dotali, aut vigore termini, aut in vim litis pendentiæ, aut litis finitæ, aut ſtante depoſito, vel negatione, aut data cautione de ſtando juri, & judicatum ſolvendo conceſſa. Et etiam pro qualibet citatione, vel inhibitione vigore commiſſionis, aut extra Curiam decreta, dummodo in quolibet ipſorum caſuum agatur de re, vel ſumma ſcutorum auri ſeptem, qui conſtituunt julios ſeptuaginta ſeptem.

8. Gubernator Urbis cumulativè procedere valeat in omnibus, & quibuſcumque cauſis criminalibus, in quibus Camerarius Ripæ vigore ſuarum facultatum procedere poteſt, ita ut inter eos juxta ſolitum ſit locus præventioni.

9. Habeatque juriſdictionem in Hebræos, prout infrà diſpoſitum eſt.

## De Auditore Cameræ, & ejus Tribunali.

*Taxa hujus Curiæ eſt in conſtit. ſeq. §. 3.*

1. §. 4. IN primis, quoad formam, & executionem obligationis Cameralis, mandamus ſervari ſtylum hodiernum, ut ſcilicet quis obliget ſe, hæredes, & bona in ampliori forma Cameræ, cum ſolitis clauſulis, & renunciationibus, citra tamen conſtitutionem Procuratorum, & qui voluerit arctiùs obligari, conſentiat relaxationi mandati executivi, aut illud in ſe ſuſcipiat, unica, ſi ſic placuerit, citatione, aut intimatione præcedente. Nec ullo unquam tempore renovetur vetus illa cenſurarum ſuſceptio jam antiquata, & à Curia eliminata.

*Ad hæc vide Pii IV. conſt. 36. & Pii V. conſtit. 113. lib. 2.*

2. Minuſque ad dictarum cenſurarum relaxationem deveniatur, niſi in juris ſubſidium, & factis prius diligentiis in locis deſtinatæ ſolutionis, prout hactenus fieri conſuevit.

3. Et ſi parti petenti, ac debitum agnoſcenti danda videbitur aliquando longior aliqua dilatio ad ſolvendum, intra quam nullum omninò mandatum, aliudve executionis genus relaxari poſſit, ea erit dierum triginta ad ſummum, aut etiã viginti, vel minor, arbitrio Judicis, qui pro debitoris qualitate, ac debiti ſumma, quem maluerit de prædictis terminis eliget. Hoc tamen omninò obſervando, ut nonniſi ſimpliciter, & abſque ulla cõditione, proteſtatione, vel reſervatione, quæ confeſſioni ſit cõtraria, debitum confitenti concedatur, & qui aliter, aut præmiſſa aliqua proteſtatione, vel reſervatione petere, aut ſuſcipere voluerit, repellatur. Et nihilominus proteſtatio, vel reſervatio fortè clandeſtinè, aut aliter facta, quoad præjudicium dictæ confeſſionis, & ſuſceptionis termini pro infecta omninò habeatur, & nullius ſit roboris, & momenti. Et ſi poſt decretum, aut etiam Actori à Notario traditum mandatum executivum, Judici præfatam dilationem concedere viſum fuerit, nec Reus intra eam ſolverit, Actor abſque alio novo judicio, citatione, vel mandato, ſed eodem illo quod antea decretum, vel relaxatum, aut traditum fuerat, executionem ſuam proſequatur.

4. Quodque ſuperſeſſoriæ, ſeu (ut vocant) non gravetur, aut inhibitiones, vel dilationes non concedantur, præterquam in vim ſuſceptionis cenſurarum, vel termini judicialis à debitore ſuſcepti, & niſi adjecta hac conditione, dummodo alium terminum ab ipſo, vel alibi non ſuſceperit. Et tam pro dictis ſuperſeſſoriis, quàm pro illarum revocationibus juxta ſtylum dicti Tribunalis conſuetum nihil prorſus recipiatur, ſed gratis, etiam pro ſigillo, ac ſine ulla Secretarii, Judicis, aut cujuſcumque alterius perſonæ mercede concedantur.

5. In cauſis criminalibus, in locis Nobis & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectis, in poſterum non decernantur, neque relaxentur monitoria contra aliquem in prima inſtantia, niſi per Auditorem Cameræ pro tempore, facto priùs verbo nobiſcum, ſeu cum Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in caſibus in Bulla in Cœna Domini legi ſolita contentis, in quibus nihilominus quando monitoria extra Italiam decernenda erunt in locis Nobis, & eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ non ſubjectis, vel aliàs contra Officiales Curiales exemptos, & contravenientes inhibitionibus, & literis Apoſtolicis, vel etiam pro rebus dependentibus à cauſis criminalibus coram Auditore Cameræ pro tempore legitimè introductis, ac pendentibus, hujuſmodi monitoria non relaxentur, niſi facto prius verbo nobiſcum, ſeu cum Romano Pontifice pro tempore exiſtente.

6. Nec decernat Monitoria ſpecialia in cauſis profanis, etiam in Terris Eccleſiæ, ultra quadraginta milliaria ab Urbe, quando valor cauſæ non excedit ſummam centum florenorum.

7. Appellationes non aliter recipiat, audiat, vel admittat, quàm ſi exhibita fuerit Notario in actis ab appellante fides publica, ſeu publicum inſtrumentum (ita quod ſimplex copia nec recipiatur, nec admittatur) ſententiæ, à qua extitit appellatum, eaque ſit diffinitiva, vel vim habeat diffinitivæ, neque aliter earum ratione inhibeat, quàm inſerto in literis inhibitionis toto fidei, ſeu inſtrumenti hujuſmodi tenore, & expreſſa clauſula, Quatenus à diffinitivà, vel vim diffinitivæ habente appellatum ſit. Facta tamen fide de petitione appellationis, & Judicis ſive Notarii denegatione, Auditor inhibere, & in cauſa procedere poſſit.

8. In expeditionibus vigore hujuſmodi appellationum apponatur clauſula, & quatenus re vera ſententia non ſit diffinitiva, vel vim diffinitivæ non habeat, præſentes literæ nullius ſint roboris, vel momenti.

9. In monitoriis generalibus reſervet facultatem, etiam Ordinario loci, abſolvendi incurrentes cenſuras in his contentas.

10. Item non decernat ſequeſtra in cauſis beneficialibus, in quibus procedere poteſt, niſi juxta formam conſtitutionis felic. record. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Ad compeſcendas, prout ſervatur in Rota, & in illis ſemper apponatur clauſula, Proviſo quod de fructibus ſequeſtratis cultus divinus manuteneatur, animarum cura exerceatur, & alia onera beneficio incumbentia ſupportentur.

11. Mandata de manutenendo nunquam, niſi ſervatis ſervandis, & parte legitimè citata, decernat, aut concedat.

12. Idemque in ſequeſtris, & in mandatis ſuſpicionis fugæ ſervet, niſi aliqua ratione timendum ſit Judicis arbitrio de ſuſpicione fugæ, vel bonorum dilapidatione, quo caſu juramentum præſtari debeat de ſuſpicione fugæ, vel de metu dilapidationis bonorum.

13. Non decernat contra Epiſcopos, & iis Superiores monitoria ad perſonaliter comparendum, niſi prævia commiſſione ſignata manu noſtra, aut pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, & pro decreto monitorii ad perſonaliter comparendum nihil recipiat.

14. Non concedat, neque dari permittat Auditor remiſſoriam ad partes examinandum, vel repetendum citata parte teſtes ad inſtantiam Fiſci, vel probandam ejus intentionem, ſed advocentur teſtes ad Curiam, vel cauſa remittatur ad partes ubi delictum eſt commiſſum.

15. Nec minus concedat literas ad partes pro capiendis indiciis contra aliquem, niſi priùs in Curia ipſimet auditori Cameræ ejus arbitrio aliqualiter conſtiterit de delicto.

16. Et in cauſis ordinariis Auditor prædictus, ſeu ejus in Civilibus Locumtenens, non recipiat ſportulas, neque Notarius aliquid pro nota ſententiæ, ſed in cauſis commiſſariis, & declaratoriis contumacialibus tantùm.

17. Præterea Auditor non concedat Monitoria, ſeu Inhibitiones in vim conſtitutionis Eugenianæ ad favorem Curialium, niſi pro illis qui ſaltem per annum in Curia continuè reſidentiam fecerint.

Ut

18. Ut tollantur controverſiæ inter Tribunalia Curiæ, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur, declaramus executionem obligationis in forma Cameræ ad prædictum Auditorem Cameræ privativè ad alia Tribunalia pertinere, præterquam in inſtrumentis dependentibus à cauſis, & actis in aliis Tribunalibus hujuſmodi geſtis, ac ſine præjudicio motus proprii in favorem populi Romani editi; & quoad Clericos, ratione originis vel beneficii Romanos, & loca pia, locus ſit præventioni inter ipſum Auditorem, & noſtrum in Urbe Vicarium.

19. Et quoad præventionem inter ipſum & forum Capitolinum in cauſis vertentibus inter Cives, & Incolas, ſtatuimus, & declaramus, nomen Incolarum juxta juris cõmunis diſpoſitionem eſſe intelligendum, & ubicumque ſuper hoc dubitari contigerit, orta inter Tribunalia differentia, ad Præfectum Signaturæ Juſtitiæ recurri mandamus, qui hunc articulum manu regia, ſine ſcriptura, omni, & quacumque appellatione, & recurſu remotis, in quolibet caſu controverſiæ terminet, & decidat.

20. Citationes autem extra Urbem executæ, quarum vigore hodie corã Auditore Cameræ ad executionem obligationis Cameralis procedi ſolet, reproducantur infra menſem ab executione earum in partibus facta, alioqui pro circumductis habeantur.

21. Litteras Apoſtolicas, quibus certus qui per ſeipſum procedat executor præſcriptus eſt, nullo modo Auditor prædictus exequatur, ſed & omnes præterea, in quarum executione pars vocanda fuerit, non aliter exequatur, quàm ſervatis pro rerum contingentia Conſtitutionibus felic. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, niſi ipſis conſtitutionibus derogatum fuerit expreſsè in literis, quæ fuerint exequendæ; ſed & tunc, ne quemquam extra Diœceſim ultra tot dietas evocet, quot in ipſis literis expreſſum erit, exceptis literis penſionum, quarum ſolutio in Romana Curia deſtinatur, & his omnibus quibus ipſe nominatim executor præſcriptus fuerit; his enim caſibus poſſit ad ſe undecumque, & quócumque partes evocare, neve aliis vices ſuas committat, vel ſubdeleget, quàm conſtitutis in dignitate Eccleſiaſtica, aut aliis, quibus Sedes Apoſtolica cauſas committere ſolet.

22. Monitoria generalia, vulgò Significavit appellata, quæ ſcilicet, ut aliquid reveletur, ſeu reſtituatur, aut probetur, cum cenſuris Eccleſiaſticis publicari ſolent, nullo modo decernat, ſive expediat.

23. Similiter nihil ſine ſpeciali noſtra Commiſſione decernat, aut faciat, aut mandet, quod Epiſcopos, aut alios locorum Ordinarios impedire poſſit, ne ad executionem decretorum Sacri Concilii Tridentini, correctionemque morum liberè procedant.

24. Ab omnibus autem, & ſingulis iis quæ ad ejus juriſdictionem ſecundùm præmiſſa pertinere nolumus, uſque adeò abſtineat, ut neque monitoria, neque citationes, neque inhibitiones, neque ſequeſtra, neque mandata de manutenendo, neque aliud quicquam quocumque ſub prætextu ſuper iis aut ipſe decernat, aut ab aliis decreta revocet, & pariter ejus Notarii nihil omninò expediant, aut etiam ſcribant, ſub pœna ſcutorum quingentorum pro qualibet vice Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & ſi adſit accuſator, vel inſtigator, ei quarta pars pœnæ ſolvendæ detur.

25. In cauſis verò ſui fori civilibus, etiam in quibus ſummariè, & ad inſtar beneficialium procedendi ei conceſſa eſt facultas, nunquam omninò ad pœnas contumaciales deveniat, ſed potiùs receptis probationibus ad negotium principale ſpectantibus, datoque competenti termino parti abſenti, demùm ſuper his, ſervatis ſervandis diffinitivè pronunciet, etiam ſine litis conteſtatione.

26. Ne autem contingat, ut abſentes, & in remotiſſimis ab Urbe partibus degentes, maxima itineris incommoda & diſpendia pati abſque culpa compellantur, dum ob prætenſum delictum ad comparendum perſonaliter moniti comparent, & inculpabiles reperiuntur, neminem poſthac extra Italiam exiſtentem ad comparendum perſonaliter moneat, niſi facto verbo nobiſcum, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, de quo verbo habito fiat mentio in literis monitoriis.

27. In cauſis quæ ordinarie ſecundùm Auditoris facultates in ejus Tribunali introductæ fuerint, vel introduci potuerint, ſive poſt cœptam cauſam ſuperveniat Commiſſio, ſive antè impetrata ſit, ſive in prima, ſive in ulteriori inſtantia, nulla in re augeat impenſam, ſed quoad hoc habeatur ſemper cauſa pro ordinaria, itaut etiam ratione ſententiæ, neque Notarii, neque Judices quicquam propterea accipiant ultra id quod accipere potuiſſent, ſi Commiſſio non adeſſet.

Permittimus tamen ejus in civilibus Locumtenenti in cauſis per commiſſionem ab initio introductis, etiam ſui natura ordinariis, ob magnam laborum aſſiduitatem, & emolumentorum tenuitatem, ſportulas moderatas juxta præſentem conſtitutionem recipere. Declarantes nihilominus in reliquis omnibus cauſas intelligi ordinarias, nec Notarios quicquam ampliùs exigere poſſe, aut debere, quàm in aliis ordinariis permiſſum eſt. 28.

Quodque Auditoris Cameræ pro tempore exiſtẽtis Locumtenens mandata executiva, niſi priùs ipſemet Locumtenens in libro expeditionum diem ſubſcriptionis manu propria notaverit, ſubſcribere non poſſit. 29.

Quodque Auditoris Cameræ pro tempore exiſtentis Judex Locumtenens in criminalibus pro ſportulis, ſalario ſibi jam aſſignato contentus, nihil percipere poſſit. 30.

In cauſis civilibus verò Locumtenenti ſingulis menſibus quinquaginta ſcuta monetæ à Notariis dicti Auditoris Tribunalis pro rata ſolvi, nec aliqua alia portio pro eo retineri debeat. 31.

### De Auditorio Rotæ.

*Taxa hujus Curiæ eſt in conſtit. ſeq. §. 4.*

§. 5. CONſtitutiones fel. rec. Innocentii VIII. Pii IV. & aliorum prædeceſſorum noſtrorum innovantes, & Auditorium noſtri palatii, in quo univerſorum Chriſti fidelium graviores cauſæ maturè cognoſcuntur, & juſtè terminantur, novis prærogativis augentes, volumus & ordinamus, ut unica tantùm Commiſſio in qualibet inſtantia ſufficiat, & illius vigore Auditor cauſam ſibi commiſſam cognoſcere, & cum omnibus & ſingulis dependentibus, & emergentibus, ac aliàs quomodolibet incidentibus decidere valeat. 1. *Ad hac vide etiam Pii IV. conſt. 44. §. 11. 2. & 17. lib. 2.*

Poſſit etiam Auditor ſine nova Commiſſione præfigere terminum ad docendum de attentatis, & nullitatibus, & cauſis propter quas quis in integrum reſtitui debeat, ac illo elapſo, & non docto, ad cauſæ expeditionem procedere, remiſſorias non decernere, dilationes concedere, liquidationes fructuum in partibus delegare, ac omnia & ſingula alia uſque ad finalem ſententiarum ſuarum executionem incluſivè facere, quæ de jure Ordinarii facere poſſunt. 2.

Necnon poſſit Auditor præfigere terminum ad docendum de appellatione, & ejus legitima proſecutione ad effectum procedendi ad executionem ſententiæ latæ in cauſa appellabili, in qua condemnatus non appellavit. 3.

Inſuper & tempus quadriennii in cauſis reſtitutionis in integrum poſſit Auditor prorogare arbitrio ſuo. 4.

Et tam dictam, quàm omnes alias facultates ſibi vigore vel Innocentianæ, vel Conſtitutionis Pii Quarti, aut aliorum Summorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum competentes extendimus, & habere locum decernimus etiam in cauſis cuilibet Rotæ Auditori extra Rotam commiſſis. 5.

Prorogationes autem fatalium ſæpiùs & paſſim non concedat, ſed tantùm ex aliqua honeſta cauſa, ac prævia illius cognitione, arbitrio Rotæ. 6.

Auditor tamen in aliqua cauſa, ſive magni, ſive parvi momenti exiſtat, etiamſi ejus deciſio clari Juris eſſe videatur, diffinitivam ſententiam, vel interlocutoriam vim diffinitivæ habentem ferre non valeat, niſi cauſa in Rota propoſita, & habitis votis Coadjutorum, niſi partes in actis expreſsè conſenſerint, quod cauſa ſine voto eorumdem expediri poſſit. 7.

Idemque in aliis quibuſvis præjudicialibus decretis ſervari volumus, ſi actor, vel reus, ut negotium in plenà Rota cognoſcatur, inſtiterit. 8.

Item ſententiæ latæ per Auditores, prout in cedula, ut moris eſt, vel per viam termini pro ſervato, ſubſcribantur, & publicentur in actis intra quindecim dies, & in ultimi anni audientia infra menſem, alioquin pronun- 9.

ciationes, & termini hujuſmodi pro circumductis habeantur.

10. Termini etiam pro ſervatis habiti, & cedulæ ipſarum ſententiarum, quæ interdum per alium Notarium quàm actuarium ipſius cauſæ ad referendum accipi conſueverunt, referantur ipſi Notario cauſæ eadem vel ſequenti die qua recipiuntur, in ultimis verò audientiis ſaltem infrà triduum. Et ſi Auditor qui pronunciavit prout in cedula, vel terminum habuit pro ſervato, retinuerit citationem penes ſe, illam Notario cauſæ ſimiliter intra prædictos dies conſignare debeat, aliàs termini hujuſmodi circumducti, & irriti cenſeantur.

11. Auditor verò non pronunciet in cauſa niſi perfecto regiſtro, & illo ad Rotã delato unà cum dictis teſtium, illiſque, ac juribus in eadem Rota, prout res exegerit, lectis.

12. In ultima verò anni audientia, & quandocumque agetur de ferenda declaratoria contra contumacem, etiam regiſtro non perfecto, ex actis originalibus pronunciare valeat, ita tamen quod pars ad cujus inſtantiam pronunciatum fuerit, regiſtrum ipſum pro actorum conſervatione quantocitiùs perfici curare teneatur.

13. Et inſuper Auditor, partibus petentibus copiam deciſionis in cauſa factæ, cum juribus ac rationibus tradere debeat, prout antiquitus laudabiliter fieri conſuevit.

14. Cauſæ autem propriæ Auditorum, & eorum familiarium, ac conſanguineorum, vel affinium uſque ad ſecundum gradum juxta jus Canonicum computandum, non cognoſcantur in Rota.

15. Nec Auditores in eorum domibus, Subſtitutos vel Doctores, aut alios Juriſperitos, etiam conſanguineos habeant, qui Subſtituti, vel Advocati, aut Procuratoris officio fungantur, aut in caſibus Rotalibus, vel eorum proceſſibus ſeſe quoquo modo intromittant.

16. Item, Advocati, aut Procuratores conſanguinei vel affines, uſque ad ſecundum gradum ut ſupra computandum alicujus Auditoris, ac etiam illius Notarii in cauſis coram eo pendentibus nullatenus patrocinari valeant.

17. Nec iidem Auditores compellant, aut aliquo modo inducant partes, per ſe, vel per alios, ut aſſumant certum Advocatum, vel Procuratorem, ſed electio hujuſmodi omninò ipſarum partium arbitrio relinquatur.

18. Item Decanus, & alii Auditores, præſertim antiquiores, attendant ne aliquid non ſolùm contra jus, ſed nec etiam contra ſtylum, & deciſiones antiquas factas in Rota, quæ impreſſæ habentur, quoquo modo decidatur, etiam prætextu æquitatis in jure non ſcriptæ, niſi maxima cum ratione & diſcuſſione, omnibus votis, ſeu ſaltem illorum duabus tertiis partibus, aliter faciendum eſſe judicaverint.

19. Non attendantur præterea aliquæ nullitates in cauſis, præterquam ex defectu juriſdictionis, citationis, vel mandati.

20. A liquidatione fructuum, & expenſarum taxatione ſemel tantùm appellare liceat, ita quod duæ conformes rem judicatam faciant.

21. Auditores cauſas ſibi commiſſas ad ſolam partium inſtantiam ad Cancellarium remittere non poſſint, ſed tantùm habita licentia à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, vel ex juſtis cauſis deductis in Rota, & ab ea probatis.

22. Et ſi Auditor cognoverit in actis adeſſe ſuſpicionem criminis, remittat acta hujuſmodi, vel illorum exemplum, prout res exegerit, ad Iudicem ordinarium, & ſi cauſa criminalis præjudicialis fuerit cauſæ civili, in ejus cognitione ſuperſedeat.

23. Quandocumque Iudex ipſe ordinarius in cauſis criminalibus coram eo pendentibus indiguerit depoſitionibus teſtium, vel aliquibus ſcripturis ad cauſas criminales facientibus, teneatur Auditor illas, vel earum exemplum, ut præfertur, exhiberi facere.

24. Nemini liceat turbare ordinem ſervandum in diſtributionibus cauſarum, ſed illarum Commiſſiones diſtribuantur bona fide juxta ordinem Turni, qui nullo prorſus modo, neque à Notariis, nec à quoquam alio Pervertatur, prout ſuprà de Signatura Iuſtitiæ diſpoſitum eſt.

25. Ut autem debitus modus ſportulis imponatur, non poſſint Auditores à partibus, per ſe, vel alium quovis modo ſportularum nomine aliquid petere, vel exigere, ſed nec à ſponte dantibus ultra taxam infraſcriptam accipere, videlicet:

In cauſis pecuniariis, ſeu profanis, aut quæ aliàs pretio quoquo modo æſtimari poſſint, ſi æſtimatio rei de qua agetur, non excedat ſummam mille ducatorum, aureos decem, à mille verò uſque ad decem millia, vigintiquinque, à decem millibus uſque ad viginti millia, quinquaginta, ab inde ſuprà uſque ad quamcumque ſummam, centum. In beneficialibus verò, ſi redditus annuus de quo agetur, non excedat ſummam centum ducatorum, ſimiliter decem, à centum verò uſque ad mille, vigintiquinque, à mille uſque ad tria millia quinquaginta, ab inde verò ſuprà, centum aureos pro ſportulis cujuſcumque ſententiæ diffinitivæ dumtaxat, ut præfertur accipere valeant. Si verò cauſa æſtimationem non facilè recipiat, ſportulæ moderatæ, pro rerum & perſonarum qualitate juxta taxas prædictas recipi poſſint. Nec aliquid ultra non ſolùm ipſis Auditoribus, ſed nec eorum familiaribus, vel conſanguineis, aut aliis quibuſvis perſonis, directè vel indirectè, quovis quæſito colore, vel ingenio, exceptis eſculentis & poculentis quæ triduo conſumi poſſint, ipſarum ſententiarum, aut Auditorum intuitu præſtari poſſit. Quas quidem ſportulas juxta taxam prædictam apud Notarium cauſæ poſt ſubſcriptam ſententiam, & Notario traditam, & non antea, deponi, & Auditori conſignari volumus. Quodque Notarius diſpoſitionem, & conſignationem hujuſmodi in actis notare, & ſpecificare teneatur. 26.

## De Capitolio, & ejus Officialibus.

*Taxa hujus Curiæ eſt in conſtit. ſeq. §.6.*

§.7. SEnator, & Judices ipſius poſſint primas inſtantias unica vice eorum arbitrio abſque ulla commiſſione prorogare. 1. *Ad hæc etiam IV. conſt. lib. 1*

Capitaneus appellationum, pro revocatione, ſeu moderatione quarumcumque inhibitionum, ſportulas nullo pacto accipiat, Notarius verò duntaxat mercedem actus, ſive ſcripturæ. 2.

Si petito Conſultore, pars quæ petierit neglexerit per decem dies inſtare pro illius electione, Capitaneus poſſit per ſeipſum cauſam expedire. 3.

Et ſi conſultor electus, infrà duos menſes à die electionis non acceptaverit, vel recuſaverit, ad alterius electionem procedatur. 4.

Terminus quinque dierum datus à Statuto Urbis ad redeundum pro apoſtolis, ita & taliter intelligatur, ut ſufficiat interim quandocumque pro apoſtolis redire. 5.

Conſervatores Urbis abſtineant ab omni genere muneris, etiam eſculenti & poculenti, à piſtoribus, laniis, ſalſamentariis, olitoribus, fructariolis, & aliis artificibus, nec ab eis aliquid ſub quovis prætextu accipiant. A quibus etiam abſtinere faciant omninò eorum Scribam, Notarium, Secretarium, Fiſcales, & alios eorum Officiales, atque in primis Extraordinarios, corporali eos pœna coërcendo, & deinde ab officio removendo. 6.

Nec poſſint de pœnis ſtatutariis, vel per eorum edicta inflictis aliquo modo gratiam facere in totum, & præſertim de corporalibus, nec illas commutare ſine conſenſu ipſorum omnium ſimul convocatorum, & eo caſu non ultra medietatem pœnæ remittere, nec in domo propria ſua ſuper hujuſmodi gratiis aliquid ſignare poſſint, ſed ad earundem pœnarum executionem, poſtquam de illarum incurſu conſtiterit, celeriter procedant. 7.

Ad quarum etiam pœnarum, præſertim corporalium executionem, in eventum in quem non mittantur executioni per ipſos Conſervatores à die delati criminis intra quinque dies, quilibet alius Iudex ordinarius, & aliàs competens procedere poſſit.

Extraordinarios ad officium Extraordinariatus exercendum nullatenus admittant, niſi recepta ab eis cautióne, ſub pœna ipſis Conſervatoribus bene viſa, de officium ipſum fideliter exercendo, & præmiſſa obſervando, ac de ſeipſos repræſentando pro omni eo quod in dicto eorum officio committere, vel omittere poſſent, ac dictis Extraordinariis fidem adhibeant, juxta formam decreti aliàs à Conſervatoribus editi, & non aliter. 8.

Cogant inſuper extraordinarium majorem ad exercendum 9.

dum officium, etiam per ſeipſum, & per ſubſtitutum idoneum ab ipſis Conſervatoribus approbandum.

11. Atque iidem Extraordinarius major, & ejus ſubſtitutus, ac minores extraordinarii cogere poſſint quoſcumque, etiam per detentionem perſonarum, ut permittant ponderari carnes, & alia omnia quæ ſub eorum cura ſunt, & pretium denuncient, & recuſantes puniantur prima vice in duplum valoris rei penes eos inventæ, quod ſi alia vice illud idem admiſerint, in duplum, & alia etiam pœna corporali, arbitrio Conſervatorum: & nihilominus Extraordinarii, tam majores, quàm minores, omnia Conſervatoribus denuncient, & res taliter inventas nullatenus ſibi retineant, ſed ad ipſos Conſervatores deferre teneantur.

12. Et Baroncellus, ac alii Executores quarumcumque Curiarum eiſdem Extraordinariis majoribus in prædictis & aliis eorum officium concernentibus obedire teneantur.

13. Magiſtri Viarum ad vias lateribus, ſeu ſilicibus ſternendas, prout eis opus eſſe videbitur, dominos contiguarum domorum, cujuſcumque ſint dignitatis, aut ipſis abſentibus, vel ſolvendo non exiſtentibus, illorum inquilinos juris remediis opportunis, ac ſub eorum arbitrariis pœnis cogant.

14. Poſſint autem Inquilini retinere de penſione ſolvenda ratam ut ſupra per eos ſolvendam, non obſtante obligatione Camerali, aut quacumque exceptione quæ opponi poſſet, & non obſtantibus quibuſvis ſequeſtris, etiam anterioribus.

15. Curentque eaſdem Urbis vias continuò, & Plateas ad minus quater in anno, & hoc in Martii, Junii, Septembris, & Decembris menſibus, ab immunditiis purgari.

16. Nullos actus, nullaque negotia, quæ alicujus momenti fuerint, ſine rogitu ſui Notarii expediant.

17. Reddant rationem Cameræ ſingulo quoque ſemeſtri, prout in literis ad Cameræ Tribunal ſpectantibus conſtitutum eſt.

18. Edant initio eorum officii edicta ſub nomine Camerarii, & de pœnis in illis, atque etiam in ſtatutis contentis nullam ſine ejuſdem Camerarii, aut ſaltem Clerici Præſidentis mandato gratiam facere poſſint.

19. In ceteris, tam quoad appellationes ab eorum ſententiis, quàm quoad reliqua omnia, ſervent omninò ſtatuta de eorum officio loquentia.

20. Submagiſtri verò ſuas relationes, quas tanquam periti facere ſolent, nonniſi medio juramento faciant, & ſi quid dolo vel fraude egerint, perjurii, & alias pœnas arbitrio Camerarii, & Clerici Cameræ pro tempore Præſidentis incurrant, & ad intereſſe partibus condemnentur.

21. Conſules Artium quarumcumque obſervent earum ſtatuta legitimè approbata, & uſu recepta. Nec reaſſumant cauſas, præſertim mercedum, ac miſerabilium perſonarum, coram majoribus Magiſtratibus introductas.

22. Minus impediant, aut moleſtent aliquo modo peritos, ſive æſtimatores à Judicibus electos, ſub pœna privationis, & aliis arbitrio Superioris.

23. Notarii verò ipſorum Conſulum, taxam eis per ſtatuta præſcriptam, & ubi aliqui ipſorum nullam minorem taxam haberent, aliorum qui illam habent, ſequantur, & ſecundùm illam exigant.

24. Aſſeſſores prædictorum Conſulum, & aliorum Officialium Curiæ Capitolinæ ſalarium non habentes, caveant ne in cauſis minimis, ideſt à quinque ſcutis infrà, quicquam pro eorum voto, ſeu conſilio, & in aliis non ultra ſportulas dictis ſtatutis taxatas percipiant.

25. Procurator Fiſci Capitolini illud ipſum in omnibus & per omnia obſervet, quod Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Procurator, quoad ea ſcilicet Capitula ſuperiùs adnotata, quæ ipſum etiam concernere, & ſibi convenire poſſint.

### De Juriſdictione in Hebræos.

*Taxa Notarii Hebræorum eſt in conſtit. ſeq. §. 11.*

1. §. 7. GUbernator Urbis poſſit contra Hebræos in criminalibus cauſis procedere, etiam quod agatur inter ipſos Hebræos tantùm.

2. In cauſis Cameralibus, ſeu ad Cameram quomodocumque ſpectantibus, aut ad Camerarium, etiam ratione



pignorum, aut perſonarum Hebræorum Bancheriorum, aut ad Præſidentes, Camerarios, & Præſides, poſſint contra eos procedere.

In cauſis furtivorum pignorum quoad Hebræos Bancherios, ſit locus præventioni inter Camerarium & Gubernatorem. 3.

Quoad Auditorem Cameræ Hebræi ſint illius juriſdictioni ſuppoſiti privativè quoad alios, ubi agitur de obligatione Camerali, præterquam in dependentibus à cauſis, & actis aliorum Tribunalium, juxta ſuas facultates. In criminalibus autem poſſit idem Auditor Cameræ contra eos procedere, prout in præteritū procedere conſueverat. 4.

Inter Vicarium & Senatorem, in delictis in quibus Chriſtiani ſunt aliquo modo participes, & ſic quando adeſt mixtura delinquentium Chriſtianorum & Hebræorum, ex officio, non autem ad querelam locum habeat præventio, in aliis verò caſibus ſervetur conſtitutio fel. record. Julii Papæ III. prædeceſſoris noſtri, diſponens quod quando agitur inter Hebræos, habeat Vicarius in eos juriſdictionem activè & paſſivè; quando verò inter alios, paſſivè tantùm. 5.

### De Curia Sabellorum, & Turris Nonæ.

*Taxa hujus Curiæ eſt comprehenſa in conſtit. ſeq. §. 2.*

§. 8. JUdex Curiæ de Sabellis gratuitò à Mareſcallo deputetur, adeò ut neque Judici dare, neque Mareſcallo propter hoc accipere quicquam liceat, etiam mutui vel alio nomine, aut quavis de cauſa vel prætextu, ſive ante, ſive poſt adeptum officium, etiam in vim, vel prætextu cujuſcumque indulti Apoſtolici, vel conſuetudinis, quod & quam per præſentes expreſsè revocamus, & improbamus, & ut ſuprà omninò ſervari mandamus. 1.

*Ad hæc vide etiam Pii IV. conſtit. §. 8. 9. 23. lib. 2.*

Deputatio verò Judicis fiat cum participatione & approbatione Gubernatoris Urbis pro tempore, & fiat ad annum dumtaxat, quo finito, finitum ſit etiam ejus Judicis officium, niſi propter aliquam rationabilem cauſam prorogandum viſum fuerit, quæ tamen prorogatio annum nullo pacto excedat, & ſemel tantùm fieri poſſit. 2.

Antequam incipiat exercere officium, caveat idoneis fidejuſſoribus de ſtando Syndicatui, & finito officio, etiamſi nec querelatus, nec requiſitus fuerit, offerat ſe Syndicatui coram Gubernatore Urbis præfato, ille verò quadraginta diebus Syndicatum abſolvat, Judicemque, prout jure faciendum erit, vel abſolvat, vel condemnet, & puniat. Quod ſi intra dictorum dierum numerum non fecerit, Camerarius S.R.E. qui tunc erit, duos viros deputet, qui intra alios viginti dies hujuſmodi Syndicatum peragant, lapſis autem dictis terminis pro abſoluto habeatur. 3.

Commentarienſis, & Capitanei, necnon executorum ejuſdem Curiæ munia per idoneos, & fidos miniſtros gerantur, & neque vendantur, neque locentur ullo modo, nec quicquam pro illis conſequendis, aut exercendis quovis nomine, & prætextu ſolvatur, vel reſpondeatur, etiam vigore contractuum, aut locationum de præterito factarum, quæ per præſentes nullæ, & irritæ intelligantur: & qui aliquid ſolverint vel reſponderint, officio privati ſint, & publicè fuſtigentur. 4.

Turris Nonæ Judex non ſe intromittat in cauſis ſummam decem ſcutorum excedentibus, nec in criminalibus, niſi levibus, & minimis. 5.

Et dictus Judex Turris Nonæ coram Gubernatore præfato in fine cujuſlibet anni Syndicatui ſe offerre, & ſtare teneatur, prout de Judice Curiæ Sabellorum ſupra dictum eſt. 6.

### De Curia Ripæ, & Ripettæ.

*Taxa hujus Curiæ Ripæ eſt in conſtit. ſeq. §. 9. & Curiæ Ripettæ in §. 10.*

§. 9. RIpettæ Præſes, aut Judex, non faciat aliquam compoſitionem, minuſque ſolvere faciat aliquam pœnam quantumlibet minimam, ſub quovis prætextu, niſi ſervatis ſervandis, ac prævio proceſſu, ac decreto, ut ex actis intelligi poſſit, an juſtè pœna ſoluta, vel compoſitio facta fuerit. 1.

*Ad hæc vide etiam Pii IV. conſtit. … §. 23. lib. 2.*

Neque Camerarius, neque Ripettæ Præſes tranſmittant 2.

extra Urbem Commiſſarios ad menſurandum paſſus lignorum.

3. Ripæ, & Ripettæ Judices in fine officii coram Clerico Cameræ ejuſdem Ripæ Præſide Syndicatui ſtare teneantur.

4. Nec Camerarius Ripæ ultra ſex menſes in ejus officio permanere, nec confirmari debeat.

5. Pro mala menſuratione lignorum nullus pœna pecuniaria, ſed corporali, veluti trium ictuum funis, aut fuſtigationis, aut berlinæ, arbitrio Judicis puniatur.

6. Camerarius Ripæ aliquas compoſitiones facere non poſſit, niſi præcedente legitimo proceſſu & decreto, & omnes compoſitiones in libro annotentur.

De Judicibus criminalibus Urbis, & pertinentibus ad eos.

*Ad hæc vide etiam Pauli III. conſt. 44. § 3 & ſeq. lib. 1. Pii IV. cōſt. 93. lib. 2. & Clement. VIII. conſt. 5. hoc eodem lib. 3.*

1. §. 10. Judices criminales Urbis, ſeu Locumtenentes, & eorum Subſtituti, quibus certum à nobis ſalarium eſt conſtitutum, illo contenti nihil prorſus, aut pecuniæ, aut alterius cujuſcumque rei, etiam minimæ quantitatis, à quoquam etiam ſponte dante accipiant, neque pro ſportulis, ſeu propinis ſententiarum, vel pro decretis, abſolutionibus, aut relaxationibus quibuſcumque in quibuſcumque cauſis, etiam delegatis, & commiſſariis, neque quovis alio modo, titulo, vel nomine, etiam muneris, vel regaliorum, quamvis eſculentum, vel poculentum, etiam in caſibus alioqui de jure, vel quacumque conſtitutione permiſſis, ſub privationis officii, & inhabilitatis in poſterum ad quodlibet judicandi munus, & aliis noſtro, & Succeſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pœnis.

2. Camerarius, Theſaurarius, & Præſides Cameræ, excepto Præſide Riparum, item Hoſpitalium, Confraternitatum, ac aliorum locorum piorum, ſeu Collegiorum Rectores, & alii quicumque habentes in Urbe juriſdictionem criminalem, & facultatem Judices deputandi, non deputent in criminalibus cauſis alios Judices, quàm aliquem ex ordinariis ſibi beneviſum, qui nullas debeat recipere ſportulas, ut ſuprà ſancitum eſt, & in deſcribendis actis, atque proceſſu utatur proprio ſui Tribunalis Notario, niſi Notarius deputantis habeat officiū titulo oneroſo, & jus ſcribendi etiam in criminalibus, quo caſu ipſe deſerviat in dictis cauſis, etiam apud Judices deputatos.

3. Nullus autem Judicum in cauſis criminalibus procedat, vel ſententiam ferat, niſi Procuratore Fiſcali, vel Commiſſario Cameræ reſpectivè in omnibus actis, in quibus de jure citari debent, legitimè citatis.

4. Minuſque tranſmittantur extra Urbem Monitoria, nec aliquod judicium ad Fiſci, vel Commiſſarii Cameræ reſpectivè inſtantiam introducatur ſine procuratoris Fiſci, vel Commiſſarii Cameræ licentia.

5. Nec quiſquam capiatur ſine indiciis ad inſtantiam cujuſcumque inſtigatoris, niſi in cauſis gravibus arbitrio Judicis, & tunc nonniſi data cautione per inſtigatorem de reficiendo damno, expenſas, & intereſſe, necnon etiam (ſi ita Iudici viſum fuerit) de ſe repræſentando.

6. Nec concedant Iudices in cauſis Criminalibus ſignificationes aliquas, niſi in cauſis coram ſe, vel in ſuo Tribunali, & aliter datæ non obſerventur.

7. Pariter non relaxent monitoria Criminalia pro contraventione inhibitionis obtentæ in cauſa Civili, ſed agatur pro ea civiliter coram Iudice, qui dedit inhibitionem, niſi fortè contraveniendo fuerit vis aliqua illata, vel injuria realis, aut verbalis in ſpretum inhibitionis, & Judicis contemptum.

8. Contra reum abſentem, & contumacem pro delicto, quilibet Judex competens procedere valeat, nec alter alterius proceſſu impediatur.

9. Non tranſmittantur contra reos abſentes citationes, aut Monitoria ad informandam Curiam, ſub pecuniaria mulcta, quando Judex habet in proceſſu probationes, vel indicia contra illos ſufficientia ad tranſmittendum Monitoriū, ſive Inquiſitionem, aut citationem ſuper delicto.

10. Nec comminentur unquam in Monitoriis pœnæ corporales majores pœnâ delicti, pro quo monitio fit.

11. Item inquiſito Reo non fiat inventarium illius bonorum, niſi agatur de delicto pro quo veniat imponenda pœna capitalis, vel confiſcationis bonorum, aut alia notabilis pœna.

Et quando inventarium conficiendum fuerit, non deſcribatur inventarium hujuſmodi in regiſtro, ſed tantùm moderata merces pro qualitate rei à Notario accipiatur. 12.

Et caſu, quo propter Rei contumaciam Inventarium fieri contingat, nonniſi unicum fiat. 13.

Relaxatus ab uno Iudice, non poſſit ab alio pro eadem cauſa carcerari. 14.

Similiter pro pugnis, & verbis altercatoriis, & injurioſis in rixa, & ex accidenti inter viles perſonas prolatis, 15. aut pro quavis alia ſimplici rixa, miniſque etiam in flagranti reperti non carcerentur, niſi prius ducti ad præſentiam Iudicis, ſub pœna privationis, & aliis arbitrio ſui Iudicis. Et ſi relaxandi erunt, gratis ubique relaxentur.

Querelas Dominorum contra famulos, vel operarios, 16. qui jam Dominos ex cauſa mercedis convenerunt, non recipiant niſi facto depoſito, vel data cautione in forma depoſiti Iudicis arbitrio, & nonniſi in eo Tribunali in quo cauſa mercedis pendet, ſi juriſdictionem habeat criminalem.

Captus ab incompetenti Iudice, vel ab eo qui non 17. proceſſit, remittatur ad eum qui proceſſit; ſed captus ab eo qui proceſſum formaverat, non remittatur, etiam quod ab alio fuiſſet in procedendo, vel in contumaciam condemnando præventum, quinimò proceſſus omnes, & informationes tranſmittantur ad illum qui fuit diligentior in captura.

Quod ſi ex pluribus delicti Conſortibus quilibet ali- 18. quem habeat carceratum, remittantur omnes ad eum qui habet principaliorem in manibus.

Curent autem Iudices quicumque ne Rei detineantur 19. in ſecretis ultra triduum antequam examinentur, niſi cauſæ natura aliud ſuadeat.

Et tam Reos, quàm Teſtes interrogent, deſcriptis & 20. extenſis à Notario integrè verbis omnibus interrogatorii, rejecto prorſus, & ſublato abuſu illo ſcribendi, Ad opportunam Domini interrogationem, vel interrogatus reſpondit, aut Subdens interrogatus, aut ſimili, quem tanquam pernicioſum, & uti ſuggeſtivarum interrogationum velamentum, & fraudibus plenum damnamus.

Reſponſiones ſimiliter reorum, & teſtium integrè de 21. verbo ad verbum, prout ex eorum ore profluunt, etiam quod contra Fiſcum ſint, non diminutè, nec per relationem, & in externæ nationis hominibus adhibito Scriba, vel interprete illius linguæ perito, fideliter ſcribi faciant.

Nec ullo pacto Iudicibus liceat, vel Notariis, Teſtes 22. quos ipſi veriſimiliter informatos crediderunt, citatos, ſeu vocatos, extrajudicialiter cum juramento, vel ſine eo interrogare, & non ſcriptis eorum reſponſionibus dimittere, forſan ex eò quod contra Fiſcum deponant, & pro reo, ſeu omninò prævio juramento de veritate dicenda, eorum examen recipiatur, & in ſcriptis redigatur, dummodo non adſit vehemens ſuſpicio ſubornationis.

Reorum recognitiones non fiant niſi Iudice præſente, 23. & coram pluribus, nec ullo pacto reus antea ipſi teſti oſtendatur.

Teſtes pro Informatione Curiæ non niſi in graviori- 24. bus carcerentur, & tunc pro relaxatione nihil penitus ſolvant, nec etiam pro alimentis, quæ vel inſtigator, ſi adeſt, ſolvere debeat, vel Fiſcus.

Captum pro uno crimine, ſuper aliis de quibus indi- 25. cia non habent, interrogare nullo modo præſumant, ſed in hoc & aliis omnibus occurrentibus, Iuris communis diſpoſitionem Iudices ſervare teneantur.

Et in quocumque crimine, quantumvis graviſſimo, 26. reos antequam torturæ ſubjiciant, etiam non petentes, admittant ad purgandum indicia, data eis indiciorum copia, pro ea tantum parte proceſſus quam ipſi petierunt in forma boni extractus, & non regiſtri, cum expreſſione nominum, teſtium, & competenti termino ad faciendas defenſiones, & eo pendente detur commoditas carceratis liberè loquendi cum eorum Advocatis, & Procuratoribus, etiam ſemotis arbitris; niſi tamen qualitas cauſæ aliud neceſſarium ſuadeat, & dicta copia indiciorum detur pauperibus gratis, vel oſtendantur originalia Advocato, & Procuratori Pauperum ſimiliter gratis, & abſque ulla impenſa.

Neque cogantur rei declarare ſe habere teſtes Curiæ 27. pro ritè, & rectè examinatis, & quatenus voluerint illos

ſic

ſic habere, præter abſentes, & mortuos, & ſalvis exceptionibus contra perſonas, & dicta teſtium, ſalvoque jure illos repetendi, talis proteſtatio admittatur, minimeque rejiciatur.

28. Ac teſtes contra reum repetendi, priùs examinentur ſuper interrogatoriis pro ejus parte datis, deinde ſuper eorum depoſitionibus repetantur.

29. Ac Iudices, Auditores, ſeu Locumtenentes Gubernatoris Urbis, *ſeu alterius cujuſcumque Magiſtratus* habentis facultates procedendi præter, aut contra formam Iuris vel Statutorum, non utantur dictis facultatibus, niſi prævio decreto dicti Gubernatoris, vel Magiſtratus, concedente *ſibi facultatem ſic procedendi in illa cauſa.*

30. Tormento vigiliæ Iudices non utantur, niſi in delictis atrociſſimis, & in quibus etiam urgentiſſima præcedant *indicia*, & tunc non *niſi de voto* Congregationis *illius* Tribunalis in quo proceditur contra reum, nec unquam reus ſubjiciatur huic tormento vigiliæ eodem die quo alio genere tormentorum *fuit* tortus, minuſque reus, qui tormento funis ſemel atque iterum tortus fuit. Nec quiſquam in hoc tormento vigiliæ poſitus detineatur brachiis exten*ſis* ad modum torturæ, *ne ultra* vigiliæ tormentum patiatur etiam tormentum funis, ſed in omnibus modus adhibeatur, quo vel innocentiæ reus, vel ſupplicio reſervetur, & Iudices, tam in hoc quàm in aliis tormentis ipſi aſſiduè continueque aſſiſtant omninò, nec eorum loco Notarium, vel Subſtitutum Fiſcalem dimittant.

31. Nec in tormento funis quemquam ultra horam pro qualibet vice detineant.

32. Inſuper abſtineant omninò à verbis, & factis injurioſis in reos ac teſtes.

33. In ſententiis, & condemnationibus reorum abſentium, & contumacium, Judices exprimant pœnas certas, neque ſe referant ad jus commune, Statuta, Conſtitutiones, vel edicta.

34. Reis in contumaciam condemnatis, & captis ante executionem ſententiæ, detur copia proceſſus, ſi petatur, & actorum, etiam quod non fuerint admiſſi ad novas defenſiones.

35. Nec ullus inquiſitus, ſive carceratus, ſive nõ carceratus, non ſolùm à Notariis juxta conſtitutionem nuper à Nobis de Anno 1608. editam, quam innovamus & illibatam eſſe volumus, ſed nec etiam à Judicibus, ſeu aliis quibuſcumque Officialibus cogatur directè vel indirectè proceſſus caſſare, ac abſolutionem, ſeu abolitionem petere.

36. Similiter Iudices, Fiſcales, aut Notarii nullo modo cogant, vel inducant directè vel indirectè reos ad compoſitionem. Idcircò ſtudeant Iudices celerrimæ cauſarum expeditioni, ne rei diutiùs tædio Carceris, vel laboribus & expenſis fatigati, componere, & ſe redimere cogantur.

37. Studeant ſimiliter omnes Iudices, & Officiales quorumcumque Tribunalium generaliter dilationes in favorem Fiſci abbreviare, ne rei diutiùs laboribus, & expenſis fatigentur, nec differant expeditiones cauſarum inter privatos pendentium, licèt Procurator Fiſci proteſtetur cauſam non expediri, niſi ipſo citato pro ejus intereſſe, niſi de eo incontinenti ſaltem ſummariè doceat.

38. Obligationes & ſatiſdationes quæcumque de non offendendo, vel ſe repræſentando, aboleri vel caſſari nequeant, niſi citato Fiſco, vel Commiſſario Cameræ reſpectivè, & aliter caſſæ habeantur pro non caſſis, niſi quando cautio de non offendendo caſſatur ob pacem ſequutam, & conſenſum præſtitum caſſationi.

39. Et in quibus caſibus Officiales, aut Executores habent aliquam partem pœnarum, ſi ex gratia pœnæ moderatio fiat, etiam poſt executionem, tamen non recipiant niſi partem ejus quod juxta gratiæ tenorem perſolvitur.

40. Inhærendo conſtitutionibus felic. rec. Pii IV. incip. Cùm aliàs per ſpecialem; &, Cupientes pro injunctæ, & Sixti V. incip. Ad Romanum Pontificem pertinet non modò, & Clem. VIII. incip. Inter ceteras animi noſtri, prædeceſſorum noſtrorum, ac illas ampliando, omnes & quaſcumque pœnas, mulctas, compoſitiones, & confiſcationes à reis vel delinquentibus, maleficiorũ, vel quaſi, fraudum, & contraventionum quarumcumque, vel alia quavis occaſione per quemcumque Iudicem quavis dignitate, & quantumvis ſpeciali nota dignum fulgentem, Magiſtratum, ſeu Tribunal Urbis, etiam S.R.E. Camerarium, Gubernatorem, Auditorem Cameræ, Vicarium, Senatorem, Annonæ Præfectum, Præſides, eorumque Locatenentes, Auditores, & Iudices, alioſque Cameræ Urbis Miniſtros, quacumque dignitate fulgentes, & quovis *titulo*, & nomine, criminum, vel *quaſi* cognitionem in Urbe habentes, vel quoquo modo exercentes, exigendas, ſive ex bonorum mobilium vel immobilium prædictorum reorum, vel delinquentium venditione, vel ſubhaſtatione redigendas, cujuſcumque etiam minimæ quantitatis, penes Cameræ noſtræ Depoſitarium pro tempore exiſtentem, & non alium, integrè, & abſque ulla diminutione deponi debere præcipimus.

*Hæ conſtitutiones ſupra proximè ibi indicatæ ſub n. 1. huius §.*

Nec quiſquam ex Iudicibus, *Magiſtratibus*, aut Officialibus præfatis, minus etiam Fiſci Procurator, Cameræ Cõmiſſarius, aut quivis alius dictarũ pœnarũ, mulctarum, cõpoſitionum, confiſcationum, pecuniarum, aut participationum cognitionem quovis modo vel titulo habens, audeat vel præſumat ſibi propria auctoritate partem aliquam, etiam minimam retinere, nec aliter recipere quàm de manibus Depoſitarii prædicti, prævio dictorum Magiſtratuum mandato, & Fiſci Procuratoris, & in cauſis in quibus Commiſſarius Cameræ intervenire ſolet; ipſius Commiſſarii manu ſubſcripto, cauſam propter quam ſolvit, quantitatem & perſonam cui ſolvitur, explicitè expreſſam continente, ſub pœna privationis officii & inhabilitatis ad alia, ſolutioneſque aliter quàm ut ſuprà factæ, tanquam indebitè extortæ, reſtitui, atque ad earum reſtitutionem quilibet prædictorum ab eodem Commiſſario Cameræ cogi omninò, & cum effectu debeat. Et nihilominus Depoſitarii aliter, quàm cum prædicto mandato, ut ſuprà ſubſcripto ſolventes, de ſuo erogaſſe cenſeantur, & in reddẽdis rationibus id eis minimè cõputari debeat. 41.

De Judicibus in cauſis Civilibus.

§. 11. Nullus Judicum audeat Superſeſſorias dilationes, aut Non gravetur, cuiquam adverſus mandata ab aliis Iudicibus, aut in aliis Tribunalibus relaxata concedere, & conceſſa ſint nulla, neque ſerventur à Iudicibus, qui mandata relaxarunt, ſalvis tamen inhibitionibus, quæ vigore appellationum, ſeu commiſſionum, aut in vim reaſſumptionis cauſæ, aut ſuſceptionis cenſurarum, ſeu termini ab Auditore Cameræ conceduntur, & ſalvis etiam Chartis dotalibus. 1.

*Ad hæc vide etiam Pii IV. conſtitut. 58. §. 14. & conſtitut. ſeq. lib. 2. §. 11. ac Pii V. conſtit. 17. lib. 1.*

Minus etiam Judices apponere poſſint in mandatis illam clauſulam, videlicet Exequatur per executores noſtros, ſub pœna nullitatis, vel ſimili. 2.

Expediant cauſas à quinque ſcutis infrà ſummariè, manu regia, & ſine ſcriptis, partibus tantùm oretenus auditis, niſi aliter ipſis Iudicibus ex rationabili cauſa viſum fuerit, quam Turris Nonæ, Sabellorum, Ripæ & Ripettæ Judices & conſules Artium exprimere in actis teneantur. 3.

Cauſas autem ſummam ſcutorum undecim monetæ non excedentes, & coram competentibus Iudicibus vertentes, nullus prorſus Iudex, aut Magiſtratus reaſſumere poſſit. 4.

Similiter cauſæ cujuſcumque Collegii, Societatis, Confraternitatis, Archiconfraternitatis, Hoſpitalis, Ordinis, ſeu Religionis, Loci pii, Artis, aut perſonæ habentis ex privilegio proprium, & ſpecialem Iudicem, non reaſſumantur poſtquam eorum Officiales, vel Procuratores, aut perſonæ privilegiatæ conſenſerint in juriſdictionem alterius Iudicis ordinarii aliàs competentis, ſine tamen præjudicio facultatum & juriſdictionis Auditoris Cameræ, necnon Tribunalis ipſius Cameræ Apoſtolicæ, & Cameralium. 5.

Et cauſæ mercedis ad effectum faciendi depoſitum, illæ tantùm intelligantur, in quibus agitur de diurna, vel menſtrua mercede, ſive ſalario. 6.

Non attendant nullitates, niſi ex defectu citationis, juriſdictionis, aut mandati, ſed ad expeditionem cauſæ procedant. 7.

Non relaxent Arreſta contra debitores, niſi præcedente mandato relaxato ſervatis ſervandis, & aliter relaxatæ ſint nullius roboris & momenti. 8.

Pro debito ſummam ſeptem aureorum ad rationem juliorum duodecim pro quolibet aureo non excedente nemo carcerari poſſit, niſi debitum habeat annexum crimen. 9.

10. Neque in dicta ſumma comprehendantur expenſæ mandati; neque fiat cumulatio ſummarum, vel debitorum ad effectum carcerandi.

11. *Nec concedant Inhibitiones, Significationes, aut Non gravetur* in vim cujuſcumque Commiſſionis pro dilatione, vel alternativa obtinenda impetratæ cum clauſula, Servata forma Motus proprii, niſi delato bireto viridi, & *non aliter. Et nihilominus quæcumque Inhibitiones, & Non gravetur, aliter quam ut ſupra conceſſa, non ſuffragentur*, & ſint nullius roboris & momenti, eiſque non obſtantibus executio quælibet realis & perſonalis contra debitores *ſine bireto viridi repertos fieri poſſit, & valeat.*

12. Nec quiſquam Judex, aut Magiſtratus, præter Auditorem Cameræ, audeat directè vel indirectè, ſub quovis prætextu concedere terminum, ſive dilationem triginta dierum debitoribus.

13. Poſſit autem quilibet Judex, cui cauſæ reſtitutionis in integrum, nullitatis, & attentatorum fuerint commiſſæ, abſque ſpeciali commiſſione terminum præfigere ad docendum de cauſis reſtitutionis, ſive de ipſis nullitatibus, vel attentatis, & eo lapſo, nihilque quod relevet, docto, ad negotii principalis expeditionem devenire.

14. Poſſit etiam quiſque Judex in quibuſcumque cauſis coram eo introductis vel introducendis, omnes terminos ſubſtantiales abſque alia ſpeciali commiſſione reïterare.

15. Mandata de manutenendo in poſſeſſorio ſummariiſſimo nullus Judicum det, niſi per viam decreti, non autem cedulæ, nec quicquam ſportularum, aut propinæ pro eis, etiam à ſponte dantibus accipiatur.

16. Mandata ſuſpicionis fugæ, non citato debitore in Urbe non concedantur, niſi conſtito in actis ſummariè de credito liquido, ac de ſuſpicione fugæ ſaltem per juramentum creditoris, & quod ipſi creditori non ſit cautum per alios correos, vel fidejuſſores; & tunc etiam non relaxentur, niſi deducendo debitorem ad præſentiam Judicis, non autem ad carceres, & Judex ipſe debitore ducto audito, prout ipſi videbitur, provideat. Expenſas autem mandati, & capturæ creditor ipſe abſque ulla ſpe repetitionis exſolvat. Et ſi creditor aliter hujuſmodi mandatum extorſerit, arbitrio Judicis puniatur, & Notarii in conceſſione hujuſmodi mandatorum ſuſpicionis fugæ, aut ſequeſtrorum, nullo pacto poſſint creditores cogere ad ſolvendam, vel deponendam mercedem mandati executivi.

17. Mandata ſuſpicionis fugæ non ſubſcribantur, niſi viſis à Judice juribus, & à Judicibus non ſubſcripta executioni nequaquam mandentur.

18. Juramentum calumniæ non admittant Judices, niſi præſtitum juxta formam à nobis infrà Notariis in illius receptione præſcriptam.

19. Pro perjurio autem in dicto juramento calumniæ commiſſo, non facilè Judices criminaliter procedant, neque in alio Tribunali, quàm ubi perjurium commiſſum prætenditur, & tunc non retardato judicio civili.

20. Juramenta verò litis deciſiva coram Judice ſuſcipiantur, & non aliter, niſi Judex aliud arbitratus fuerit ex cauſa infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti litigantium.

21. Cauſæ diſcuſſionum inter creditores, & hæredes defuncti, ſeu alterius debitoris, de cujus bonis inter ipſos creditores agitur, intra tres menſes quoad præſentes, quoad abſentes verò citra montes intra ſex, ultra autem intra novem menſes expediantur. Et nullo modo, niſi ex magna cauſa, ut ſuprà diximus, inſtantia prædicta prorogetur. Et à die obitus debitoris intra duos menſes hæredes præſentes, abſentes autem citra montes intra quatuor, ultra verò montes intra ſex, inventarium conficere, & an velint hæreditatem adire, deliberare teneantur. Et interim Judices coram quibus cauſas diſcuſſionis hujuſmodi pendere contigerit, bona ipſius debitoris, vel defuncti, vel decocti creditoribus habentibus ſua credita liquida, recepta idonea cautione de reſtituendo habentibus priora & potiora, & contribuendo habentibus æqualia jura, conſignari mandent & faciant.

22. Et quia jam à fel. rec. Pio Papa V. Prædeceſſore noſtro conſtitutum eſt, ut in cauſis diſcuſſionum miſerabiles perſonæ aliis anterioribus creditoribus pro ſumma ſcutorum quinquaginta præferantur: Volumus & declaramus id habere locum, etiam cùm dictæ miſerabiles perſonæ ſunt in majori ſumma creditrices, ut nihilominus pro dicta ſumma ſcutorum quinquaginta dumtaxat aliis, etiam anterioribus, in omni Judicio juxta dictam conſtitutionem præferantur.

23. Et dictarum miſerabilium perſonarum cauſæ, ad inſtantiam Creditorum coram quibuſcumque Judicibus *ordinariis competentibus introduci, & ab illis terminari* poſſint.

24. Pro ſigillo Judices ordinarii in quibuſcumque cauſis *& expeditionibus (his tantùm exceptis, quæ taxam requirunt) non niſi julium unum recipiant.*

Communia Judicum omnium, tam civilium, quàm criminalium.

§. 12. Nullus Judicum, ſive ordinariorum, ſive delegatorum quantæcumque dignitatis & auctoritatis, etiam ſpeciali nota dignus, domi ſuæ familiariter retineat Advocatum aliquem vel Procuratorem, etiam conſanguineos, aut ſuæ Curiæ Notarium. 1. *Ad hu[c] etiam Pi[i] conſtitu[t.] §. 12. lib.*

2. Similiter nullus Judicum, ſive ordinarius, ſive delegatus ſuadendo vel rogando, minùs etiam commendando, vel aliàs quomodolibet directè ſe immiſceat in proponendis Advocatis, Procuratoribus, vel Solicitatoribus in cauſis, tam coram eis, quàm coram aliis pendentibus.

3. Ipſi autem Judices ordinarii quicumque, tam civiles, quàm criminales, abſtineant omninò à Procuratoris, vel Advocati munere, tam publicè, quàm ſecretè exercendo.

4. Ad hæc Judices omnes, item Auditores, Subauditores, Locatenentes, & Subſtituti, ſeu alio quocumque nomine nuncupati, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus, & mixtis, à partibus coram ſe litigantibus, ſive ſint actores, accuſatores, querelantes, aut inſtigatores, ſive etiam rei conventi, inquiſiti, vel querelati, nihil prorſus muneris, aut doni, neque ſub alio quocumque titulo, nomine vel prætextu, quantumlibet minimum accipiant, ſub pœnis noſtro, & Succeſſorum noſtrorum arbitrio infligendis.

5. Judices quicumque, tam civiles, quàm criminales, tam ordinarii, quàm delegati, etiam in cauſis in officio Archivii Prælatis Romanæ Curiæ commiſſis, ſententias, prout in cedula ferre, & terminos pro ſervatis habere ſoliti, dictarum ſententiarum cedulas ſubſcribere & publicare, necnon terminos pro ſervatis habitos intra decem dies omninò à die habiti termini pro ſervato, & non ultrà declarare poſſint & debeant, exceptis Rotæ Auditoribus, qui in hoc eorum facultatibus utantur.

6. Nec citationes in quarum terminis pronunciare, vel quarum terminos pro ſervatis habere contigerit, penes ſeipſos retinere poſſint, ſed penes Notarios dimittant: alioqui ſententiæ, & termini ipſi, lapſis dictis decem diebus, pro nullis, & circumductis habeantur.

7. A litigantibus Judices, & eorum uſque ad ſecundum gradum cognati & affines, eorumque familiares, neque mutuum, neque fidejuſſiones, nec alias ſimiles obligationes recipiant.

8. Similiter à baroncellis, & quibuſvis aliis executoribus, etiam ſuarum Curiarum particularibus, etiam ſponte dantibus, ſub quovis prætextu nihil prorſus recipere poſſint.

9. Innovamus Conſtitutionem felic. record. Gregorii Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri, de datis & promiſſis propter gratiam vel juſtitiam conſequendam, quæ incipit, Ab ipſo Pontificatus noſtri, & eſt ſub data anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi quarti, nonis Novembris, Pontificatus ſui anno Tertio: cujus tenor hic pro expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto habeatur.

De Sportulis, ſeu Propinis.

§. 13. Nullus Judicum ordinariorum Urbis, & Romanæ Curiæ, cujuſcumque dignitatis, etiam ſpeciali nota dignus, in cauſis civilibus ordinariis ratione ſportularum, ſive propinarum aliquid prorſus accipiat, etiam à ſponte dare volentibus. 1. *Ad hoc vide etiam Pii V. conſt. 58. §. 1. 6. & 7. lib. 2.*

2. In Commiſſariis autem pariter civilibus, ubi de ſumma ſcutorum vigintiquinque agitur, & infrà, nihil prorſus, à viginti quinque ſuprà uſque ad centum incluſivè, ſcuta

tria

tria, à centum uſque ad ducentum, ſcuta ſex, à ducentis uſque ad quamcumque ſummam, ſcuta decem, & & non ultra.

3. Pro quacumque ſententia declaratoria ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultra julios ſeptem cum dimidio.

4. Pro declaratoria in vim litterarum, aut aliàs habente vim diffinitivæ, ſi ſumma ſit certa, accipiant juxta taxam prædictam, ſi verò incerta, ſed agatur ad ipſarũ litterarum executionem accipiant juxta cauſæ, & perſonæ qualitatem, dummodo non ultra quinque aureos.

5. Pro quacumque interlocutoria, ſive decreto ante ſententiam diffinitivam, nihil omnino.

6. Similiter & pro decreto mandati de manutenendo, item decreto moderationis inhibitionis, & multò magis pro decreto taxationis expenſarum, nihil omninò recipiatur.

7. Pro decreto ſuper contractibus minorum, mulierum, aut rerum Eccleſiæ, & piorum locorum in domo ipſorum Iudicum interponendo, non ultra julios quinque, extra domum verò, non ultra julios decem.

8. Quæ decreta non niſi à Gubernatore, Auditore Cameræ, Vicario, & Senatore, eorumque Iudicibus, ac Iudice Burgi in Burgo, & advocato Pauperum dumtaxat, & à nullo alio interponantur, & à pauperibus nihil recipiant.

9. Facultates autem interponendi decreta quibuſvis aliis perſonis, & Iudicibus in Vrbe hactenus conceſſæ, pro caſſis & annullatis haberi volumus, prout illas omnino caſſamus & annullamus.

10. Capitaneus autem appellationum Curiæ Capitolii recipiat ſportulas juxta taxam ei conſtitutam ab Vrbis Statutis, non tamen in caſibus ſibi hac conſtitutione interdictis.

At prædictas ſportulas, ſive propinas, ut ſuprà taxatas, Iudicibus, nonniſi de manibus Notarii cauſæ, & ſententia priùs ab ipſis ſubſcripta accipere ullo modo liceat.

12. Debeantque propterea Notarii librum habere, in quo dictas ſportulas, ſeu propinas notent, cùm pro Judicibus deponuntur, ubi cum poſtea lata ſententia Iudici perſolvuntur, ipſe Iudex manu propria notato depoſito ſubſcribat ſe illam recepiſſe. Quæ ſic ut ſuprà Iudici data deinceps inter expenſas litis taxandas ac reficiendas omnino ponatur, & victori reficiatur, uſu quocumque contrario non obſtante.

### De Commiſſariis.

1. §.14. QUicùmque Commiſſarii, & Subcommiſſarii, tã ad inſtantiam Fiſci noſtri quàm etiam particularium perſonarum à Nobis, aut à Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, vel Almæ Vrbis noſtræ Gubernatore, Cameræ Apoſtolicæ Auditore, Vicario, Senatore, & aliis quibuſcumque Iudicibus ordinariis, ſeu delegatis ad diverſa loca miſſi, ad ſumendas informationes, formandos proceſſus, & alia neceſſaria gerenda, necnon omnes & ſinguli Notarii ſecum ad effectus prædictos aſſumpti, teneantur omnia & ſingula Acta per eos ſcripta & recepta, proceſſus, teſtium dicta originalia, & authentica, cum primùm ad Vrbem redierint, vel commiſſio finita fuerit, omni mora poſtpoſita, penes acta Notarii, ubi ipſa cauſa ſpecialis pendet, vel pendere ſperatur, aut ſi id dubium ſit, apud eum Iudicem quem Procurator Fiſcalis noſter elegerit, exhibeant, deponant, & dimittant, ſub amiſſionis integri eorum propterea debendi ſalarii, ac etiam ducentorum ducatorum Cameræ Apoſtolicæ applicandorum pœna.

2. Ne autem propterea Notarii & Scribæ prædicti laborum ſuorum jacturam faciant, mandamus ut ſi pars certa & manifeſta fuerit, ad cujus inſtantiam talis proceſſus ſit formatus, contra eam pro condigna Notarii ſatisfactione Iudices ipſi ſummariè & executivè procedant, prout in cauſis mercedum, & depoſitorum Gubernator procedere conſuevit. Sin autem nulla ſit pars, ſed ſolus Fiſcus noſter ex officio inquirat & procedat, tunc de primis, quæ ex cauſa hujuſmodi proveniunt, emolumentis eidem Notario celeriter & ſine fraude Iudices cauſæ ſatisfieri mandent, & faciant cum effectu.

3. Necnon Commiſſarii prædicti ad bona quæcumque, tam mobilia, quàm immobilia, & ſe moventia, ubicumque exiſtentia, & quarumcumque perſonarum pro tempore delinquentium, & quorumcumque exceſſuum, ſeu delictorum prætextu, quæ judices ipſi coram quibus cauſas hujuſmodi pendere contigerit, Cameræ, ſeu Fiſco noſtro applicanda eſſe putaverint, capienda & apprehendẽda deputati, ſeu deputandi, ſe de bonis ipſis non ampliùs intromittere, nec ex eis quicquam etiã ratione viatici, ſeu alia quavis ratione, vel cauſa, ſibi retinere ullatenus poſſint, aut debeant, ſed cauſis & proceſſibus hujuſmodi coram Judicibus illis coram quibus illæ priùs pendebant, terminandis & finiendis remanentibus, ipſi Commiſſarii in informationibus & proceſſibus in ſimilibus fieri ſolitis ritè formandis dumtaxat verſari, ac fideliter & ordinatè, omnique ceſſante ſtrepitu & confuſione, bona ipſa uti decet, in Inventarium redigere & annotare, ac illa ſic redacta & annotata, Theſaurario, ſeu depoſitario Cameræ prædictæ in Provincia, ſive ejus Vicetheſaurario, aut Vicedepoſitario in illa Civitate, vel loco deputato, realiter, & cum effectu dare, tradere, & conſignare teneantur. Volumus autem, quod de bonis ſic annotatis & conſignatis, eiſdem Commiſſariis de eorum Viaticis juxta formam & ordinem à Iudicibus, à quibus dicti Commiſſarii tranſmiſſi fuerint præſcriptum, ſatisfieri à Depoſitario poſſit & debeat.

Commiſſarii verò ad ſpolia, decimas, ſubſidia, vel alia regalia aut credita, Cameralia, vel fiſcalia exigenda, ſive recuperanda, non niſi idonei & probatæ vitæ, nullum habentes in ea intereſſe conſtituantur, qui etiam jurejurando, ac idoneis cautionibus de eorum officio fideliter & diligenter exercendo aſtringantur. Serventurque quoad eos in omnibus decreta Congregationis bono regimini Communitatum Status Eccleſiaſtici præpoſitæ, & edicta Cameralia, quæ per præſentes approbamus & innovamus. 4.

### De Advocatis Pauperum, & Fiſci.

§.15. ADvocatus pauperum ſolicitè ſtudeat, ne carcerati in aliquo tam à Iudicibus, quàm etiam ab Executoribus, & Carcerum Cuſtodibus graventur, & propterea non abſit unquam in viſitationibus Carcerum, tam publicis, quàm privatis. Et Procuratores Pauperum, ac illorum ſubſtitutos, & etiam Carcerum Viſitatorem ſingulis hebdomadis una vice ad ſe evocet, & de omnibus carceratis, præſertim iis qui in ſecretis detinentur, diligenter ſe informet. Et ſi ipſos Procuratores, vel ſubſtitutos, & Viſitatorem negligentes invenerit, Viſitatoribus Carcerum denunciet, atque ut de aliis provideatur inſtet; & cùm ratione ſui officii gratis pauperes defendere, & illis patrocinari debeat, nihil prorſus ab illis accipiat. Et ut facilius pauperibus operam ſuam impendere valeat, Viſitator Carcerum quolibet die ad eum accedere, & alia quæ illi hac Conſtitutione injuncta ſunt, facere teneatur. 1. *Vide etiam d. conſtit. 58. Pii IV. lib. 2.*

Non poſſit advocatus præfatus contra reos ad offenſam, etiamſi cauſa extra carceres agatur, patrocinando, aut aliàs quomodolibet ſub quovis prætextu intervenire, nec (exceptis pauperibus) pro ullo alio qui contraxerit aut litiget cum Camera, patrocinetur. 2.

Fiſci Advocatus in omnibus cauſis criminalibus, & aliàs Fiſcum tangentibus, ubi articuli Iuris emerſerint, interveniat, & Procurator Fiſci ipſum ſuper hoc omnino requirere teneatur, & in eis abſque ullo præmio patrocinetur. Poſſit tamen ab inſtigatoribus propriam injuriam vel intereſſe proſequentibus, ſi quid ſponte dare voluerint, illud percipere. Idemque in omnibus viſitationibus Carcerum adeſſe teneatur, nec eorum, etiam extra Carceres exiſtentium defenſionem aſſumat, ſed pro veritate & juſtitia cauſam Fiſci tueatur. 3.

### De pauperum Procuratoribus.

§.16. PRocuratores Pauperum, ac ipſorum Subſtituti ſingulo quoque die carceres viſitare, & nomina omnium qui ad illos ducuntur, ac Judicum de quorum mandato, ac etiam cauſas eorum detentionis, & diem cùm in liberiori carcere, ſeu ad largam ponuntur, & an ante vel poſt prandium, ſive cœnam, annotare teneantur, & ſimiliter pecunias & alias quaſcumque res, quas invenerint 1. *Vide etiam conſtit. 58. Pii IV. lib. 2.*

nerint repertas fuiſſe penes ipſos carceratos, & deinde omnia ad notitiam dicti Advocati Pauperum deducant, ad quem etiam quod ab ipſo minimè requiſiti fuerint, ſemel in hebdomada, & interim toties quoties carceratis opus erit, accedant.

2. Nihil omnino accipiant non ſolùm à pauperibus, ſed nec etiam ab aliis carceratis, etiam quod divites ſint.

3. Non poſſint aliquo modo dicti Procuratores & ſubſtituti contra eos ad offenſam, etiamſi extra carceres ipſorum reorum cauſa agatur, patrocinando, vel aliàs quomodolibet ſub quovis prætextu intervenire.

### De Fiſci Procuratore, & Subſtitutis.

1. *Vide etiam conſtit. 58. Pii IV. lib. 2*

§. 17. IN omnibus cauſis criminalibus quorumcumque Iudicum & Tribunalium, etiam Ripæ, Ripettæ, & aliorum omnium, unus tantum ſit Fiſci Procurator generalis, à Nobis & ſucceſſoribus noſtris ſcilicet deputatus, quo citato, vocato & audito, & non aliter, poſſit ad earum expeditionem, compoſitionem, ſeu quodcumque aliud decretum procedi, exceptis dumtaxat cauſis fori Capitolini, & iis in quibus pro Fiſco intervenire ſolet Cameræ Commiſſarius.

2. Qui Fiſci Procurator in primis proſpiciat, ut quemadmodum in admiſſione ad ejus officium in Camera juramentum præſtat de illud rectè ac fideliter adminiſtrando, ita deinde taliter in illius proſecutione ſe gerat, ut promiſſis reſpondeat, nec ullam cauſam promoveat quam calumnioſam eſſe cognoverit, & cùm primùm de calumnia, lite cœpta, vel de rei innocentia conſtiterit, ab illa deſiſtat, etiam non expectata ſententia.

3. Cumque ratione ſui officii cogatur ad introducendas cauſas in quibus de intereſſe Fiſci agitur, nihil omninò ab inſtigatoribus accipiat pro decreto vel ſubſcriptione cujuſcumque Monitorii, etiam ad perſonaliter comparendum, vel alia quacumque cauſarum introductione.

4. In proſecutione verò cauſarum tam ipſe quàm Subſtituti ipſius, non niſi moderatè pro labore per eum ſive ejus Subſtitutos ad utilitatem & commodum eorundem inſtigatorum ſubeundo. Nihil verò accipiat à reis ſub quovis prætextu, & præſertim ab iis qui obtinuerint ſententiam abſolutoriam, à qua ipſe Procurator appellare noluerit, nec etiam pro appoſitione manus in mandatis de relaxando.

5. Similiter & ſubſtituti ipſius, pro inventariis, caſſationibus proceſſuum, citationibus, informationibus, aut alio quocumque prætextu, titulo vel cauſa, nihil prorſus à reis, ſive in carceribus, ſive extra eos conſtitutis, aut pecuniæ, aut muneris, etiam eſculentum, aut poculentum, & à Iure, vel Conſtitutionibus permiſſum, accipiant, ſub pœna infamiæ, privationis officii, inhabilitatis in poſterum, & aliis etiam noſtro & ſucceſſorum noſtrorum arbitrio.

6. Quoad expenſas contumaciales, vel quæ aliàs à reo reficiuntur, ſi inſtigator aderit, ſive apertus, ſive ſecretus, qui ipſas fecerit, ipſi inſtigatori Procurator Fiſcalis, cui ratione condemnationis ſolvendæ veniunt, reſtituat, ubi verò nullus adfuerit inſtigator, ſatisfactis priùs de illis Notariis pro mercede laborum ſuorum, reſiduum dictarum expenſarum, cum non ſit juſtum, reum ex contumacia ſua commodum conſequi, eidem Procuratori Fiſci ſolvatur.

7. Reos ipſe Fiſci Procurator, aut ejus Subſtituti non interrogent, neque teſtes examinent, niſi in præſentia Iudicis. Atqui extra Carceres liceat eiſdem cum interventu Notarii examinare. Et pro aſſiſtentia, ſive examine reorum vel teſtium, ſive ad offenſam, ſive ad defenſam, vel aliàs pro reo productorum, nihil prorſus accipiat ipſe, nec ejus Subſtituti, & ubi in termino citationis examini teſtium non intervenerit, vel interrogatoria non dederit, teſtes inducti ſine ulteriori dilatione examinentur.

8. Citatus originalem citationem non poſſit ultra diem penes ſe retinere, ſed illam die ſequenti reſtituere teneatur, in qua citatione pars ad cujus inſtantiam fit, nomen Notarii in cujus officio cauſa tractatur vel tractari debet, & Procuratoris, ſi principalis abſit ab Vrbe, debeat apponere, alioqui citatio ipſa nulla cenſeatur, nec ipſum Fiſci Procuratorem afficiat.

Non det mandata de capiendo quempiam voce, vel 9.
ſcriptis, niſi ubi adfuerit periculum fugæ, & Judicis copiam in continenti habere non poſſint.

Et cùm ad Signaturam ſpectet cauſas appellationum 10.
nomine dicti Procuratoris Fiſcalis ſententiis contra eum latis interpoſitarum rejicere vel committere, idem Procurator appellare non prohibeatur, verùm quoad illarum rejectionem vel commiſſionem, pro cauſarum, vel perſonarum qualitate Signatura ipſa occurrentibus caſibus hujuſmodi providere poterit, in cujus Commiſſionis Signatura citetur priùs, antequam ſignetur, Pars quæ ſententiam abſolutoriam obtinuit, & aliter Signatura nullius ſi roboris, vel momenti.

Et cùm officium Procuratoris Fiſci quoad cauſas cri- 11.
minales principaliter conſiſtat in proſecutione publicæ vindictæ, non ſe intromittat pro obtinendis inhibitionibus de ſuperſedendo in cauſis civilibus, & præſertim uſurarum, niſi ubi de jure ad ejus inſtantiam inhiberi poteſt.

Nec ei concedantur litteræ ad partes pro capiendis 12.
indiciis, niſi dato priùs aliquo fumo arbitrio Iudicis à quo impetrantur, & tunc non committantur alteri quàm loci Ordinario vel ejus Vicario, niſi ſubſiſtente probabili cauſa ſuſpicionis.

Nec etiam dilationes non neceſſariæ, nec debito lon- 13.
giores. Quinimmò potiùs ſtudeant Iudices quamprimùm cauſas expedire.

Procurator præfatus non tractet de compoſitione cum 14.
ipſis reis, ſed expeditioni cauſarum incumbat, & ubi reus compoſitionem fieri petierit, non fiat niſi cum interventu Iudicis, & ipſius Fiſci Procuratoris.

Qui etiam non proſequatur cauſam appellationis à 15.
ſententia contra eum lata, ubi adſit inſtigator ſecretus vel apertus, niſi data priùs per eundem inſtigatorem cautione de reficiendo expenſas tam prioris quàm ulterioris inſtantiæ in eventum ſuccumbentiæ.

Non audiatur Fiſcus proteſtando, cauſam quæ agitur 16.
inter privatos non expediri niſi ipſo citato ſub prætextu intereſſe ipſius, niſi de illo incontinenti, quantum Judici ſufficere videbitur, docuerit.

Et cùm ſit Fiſci & Cameræ Apoſtolicæ Procurator ge- 17.
neralis, & propterea ad eum ſpectet Procuratores Fiſcales uti ejus Subſtitutos in terris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deputare, illos Legati etiam de latere cum literis patentibus dicti Procuratoris Fiſcalis ad eorum officia admittere teneantur, & faciant admitti. Qui ſubſtituti ſub pœna privationis eorum officii, ac aliis arbitrio noſtro imponendis, ipſum Procuratorem generalem de omnibus Fiſcum concernentibus, & præſertim de ſententiis, tam abſolutoriis quàm condemnatoriis certiorem facere debeant.

Caveant autem idem Procurator generalis ne à dictis 18.
ejus Subſtitutis, ſive pro ſubſtitutione facienda, ſive quavis alia ratione, vel cauſa quicquam recipiat, ſed omnia emolumenta eiſdem Subſtitutis liberè & integrè dimittat.

Vigeſimum autem dicto Fiſci Procuratori, & centeſi- 19.
mum Subſtitutis ipſius de compoſitionibus, confiſcationibus & pœnis eorum opera & interventu jam incameratis, id eſt facta jam cameratione, & non priùs, deberi ac perſolvi volumus & declaramus.

Et amplius iidem Subſtituti Fiſcales cum ad reforman- 20.
dos proceſſus extra Vrbem mittuntur, ultra victus & equorum impenſam, poſſint etiam debita & taxata viatica recipere.

Et Fiſci Procurator ſeptem Subſtitutos habere de-
beat, quibus ſingulis Camera ſcuta quinque menſtrua 21.
perſolvat, videlicet quatuor ſubſtitutos pro Tribunali Gubernatoris, duos pro Tribunali Auditoris Cameræ, & unum pro Tribunali Vicarii.

### De Advocatis, Procuratoribus, & Solicitatoribus.

*Aliam habes in hoc Opere eorundem reformationem quam edidit Bened. XII. in ſua conſt. 2. Decens, lib. 1.*

§. 18. Advocati

1. §. 18. **A**Dvocati, ſeu Procuratores, Conſanguinei, vel affines uſque ad ſecundum gradum alicujus Iudicis, vel Officialis, in cauſis coram eo pendentibus nullo pacto valeant patrocinari.

...de etiam ...v. conſt. §. 10. lib.

2. Non omnes paſſim, ſed hi ſolùm ad procurandum in *Rotæ Auditorio* admittantur, qui *doctrinæ, uſus* & morum examen ſubierint, & per ipſius Rotæ Decanum, vel alium loco Decani arbitrio Rotæ deputandũ, adhibitis duobus vel tribus Procuratoribus ab ipſorum Collegio deputatis, *ſuper his univerſis approbati fuerint*, unde ſi qui tales in præmiſſis idonei reperti non erunt, à Procuratoris officio removeri volumus, ac pro dicto examine aliquid exigi, vel ſolvi debere expreſsè prohibemus.

3. In Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarii & Senatoris, Procuratores non admittantur, qui non ſint priùs approbati à Superioribus illius Tribunalis, & in libro particulari deſcripti.

4. Quin etiam ut indemnitati litigantium conſulatur, omnibus & quibuſcumque Iudicibus diſtrictè præcipimus, ne Procuratores inhabiles ad cauſas coram ipſis agendas admittant.

5. De propinis, ſeu bibalibus dandis, Procuratores, aut etiam Advocati ſe non immiſceant, ſed curam hanc partibus, vel earum Solicitatoribus relinquant.

6. Stipendia modeſtè, nec ultra meritum, aut ultra taxas capiant.

7. Et ſicut de quota litis, ita de fructibus & expenſis, aut parte earum, in quibus Adverſarii condemnantur, aut aliis emolumentis & præmio, cum partibus in eventum victoriæ quiſquam Advocatus, vel Procurator nullatenus conveniat.

8. Unum Procuratorem idoneum cum competenti ſalario, qui patrocinium pauperibus gratis præſtet, ſingulis annis deputent Procuratores in eorum Collegio, & factam deputationem denuncient Advocato Pauperum, qui ejus opera uti, & pauperes ad eum, cum occurrerit, mittere poſſit.

9. Cum Notariis, vel aliis, de gratiis regiſtrorum & extractuum, præterquam in partium principalium utilitatem & commodum, ita quod evidenter appareat per inſtrumentum publicum, non paciſcantur, & in his reperti culpabiles perpetuò ſint procurationis officio privati.

10. Notariatus aliquod officium Procuratores emere non poſſint, neque cum Notario ſocietatem aliquam inire, neque in totum, neque in partem, ſub pœna amiſſionis ipſius officii. Quod Advocatis etiam prohibitum eſſe volumus ſub eadem pœna.

11. Sententias contra eorum principales à Curia abſentes, à quibus procurare licet; in rem judicatam tranſire non permittant, ſed appellare, & cauſam committi facere teneantur, ac principalibus ſuis ſignificare; & prorogationem fatalium ſemel petere, ſub pœna privationis officii, & aliis pœnis arbitrio Judicis.

12. Poſtquam alicujus cauſæ patrocinium ſuſceperint, & onus Procuratoris receperint; indefenſas cauſas non dimittant, ſed pro viribus defendant, niſi excuſationem legitimam habeant à Iudice approbandam; necnon ſecreta cauſarum adverſariis non revelent aliquo prætextu, vel cauſa, ſub iiſdem pœnis.

13. Procuratores & Solicitatores quarumcumque cauſarum non poſſint à ſuis clientibus ſalarium petere, niſi conventum.

14. Pridie ejus diei quo Rota agitur, non liceat advocatis, Procuratoribus & Solicitatoribus, etiam tanquam amicis vel aliter attinentibus, ſtudia Auditorum perturbare.

15. Procuratores qui ſunt de Collegio Procuratorum, præcedant omnes alios Procuratores, licèt antiquiores.

16. Neque advocatus, neque Procurator, aut Sollicitator, qui pro una parte patrocinium ſuſcepit, in eadem cauſa pro altera patrocinari poſſit, ſub pœna privationis officii, & infamiæ.

### De Notariis Tribunalium Vrbis.

1. ...d hoc vide ...iam Pii IV. ...ſt. 58. §. ...§. 68. ...ſeq. Greg. XIII. conſt. ...§. 6. ac ...xti V. conſt. ...lib. 2.

§. 19. **N**Ullus Notariorum cujuſcumque Curiæ; ſive criminalium, ſive civilium cauſarum, audeat quicquam exigere, niſi juxta taxam eis traditam, quam vulgari ſermone ſcriptam in eorum officiis appenſam, ita ut ab omnibus legi poſſit, habere teneantur.

Exerceant autem ſinguli (etiam quibus officia per Sedem, ſeu Cameram Apoſtolicam conceſſa fuiſſent) eorum officia per ſeipſos, nec illa arrendare, locare, aut in adminiſtrationem quovis modo concedere poſſint ſine expreſſa, aut ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum *licentia in ſcriptis obtenta*, & *tunc non niſi* perſonis à Superioribus ſui Tribunalis approbatis, ac receptâ ſatiſdatione de fideliter exercendo, & obſervandis taxis, & reformationibus. 2.

Et *loca pia* habentia aliquod ſimile officium illud exerceri faciant ab aliquo viro probo ab eis ſtipendiato, & à Superiore ſui Tribunalis approbato, qui taxas & reformationes obſervare, ut ſuprà ſatiſdare teneatur. 3.

In juramento calumniæ à partibus præſtando Notarii jurantem admoneant vim & importantiam ipſius, & faciant hæc nominatim & ſpecificè aſſeri, & jurari. Primò quod non animo calumniandi agit, vel defendit, ſed quia pro parte ſua ſibi juſta videtur. Secundò, quod probationem non exiget, niſi quam pro veritate ſibi neceſſariam putabit. Tertiò, quod nihil dedit aut promiſit, dabit vel promittet Iudicibus aut Notario vel teſtibus, aut mediatoribus, aut alicui alteri perſonæ, ut ſententia detur. Quartò, quod calumniandi animo aliquam dilationem non petet. Quintò, quod pactum de quota litis non fecit. Quæ Capitula per Actuarium jurantibus declarari mandamus ſub pœna decem aureorum vice qualibet incurrenda. Et nihilominus ulteriùs ad ſcribendum in illa cauſa non admittantur. In actis tamen non apponatur, niſi juraſſe monitum juxta formam hujus conſtitutionis. 4.

Nihil ſcribant in cauſis ubi agitur de ſumma vel re valoris infra quinque ſcuta, niſi aliter Iudex mandaverit. 5.

Et in cauſis ſcutum unum non excedentibus Notarii cujuſcumque Curiæ nihil prorſus recipiant à partibus; ab uno verò ſcuto uſque ad duo incluſivè pariter nihil, niſi ſi quid à Iudice fuerit eis conceſſum, ſub pœna furti. 6.

Neque poſſint rogari de inſtrumentis quæ extra judicium fiunt ad referendum alteri, quamvis Connotario, etiam Cameræ, vel Auditoris Cameræ, ſed quiſque per ſe, aut per proprios Subſtitutos, qui in ipſius officio commorantur, de dictis inſtrumentis rogetur, & non pro altero ad referendum. 7.

Si contingat unum Notarium accipere terminum pro alio Notario ad referendum, teneatur accipiens per totam illam diem qua acceperit, relationem facere, & decretum ſcribatur, ſive ſubſcribatur manu Notarii referentis. 8.

Nec quiſquam ſimiliter poſſit in futurum plura Notariatus officia in diverſis Tribunalibus obtinere, ſed cenſeantur eſſe dicta officia inter ſe incompatibilia, abſque noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum licentia. 9.

Et tam ipſi quàm eorum Subſtituti non poſſint eſſe Procuratores in Curia, in qua Notarii ſunt, aut ſubſtituti officium exercent. 10.

Citationes, monitoria, ſeu quaſvis alias proviſiones extra Vrbem mittendas non expediant ad alicujus inſtantiam, niſi notato in actis nomine Procuratoris, principalis, aut alterius illas obtinentis, ut ſi ad illarum moderationem ſit procedendum, poſſit pars incontinenti ſcire, quis ſit citandus, ejuſque citatio ſufficiat ad obtinendam moderationem. 11.

Nec ſufficiat in actis exprimere nomen procuratoris, niſi is notus ſit in Curia ad hoc ut citari poſſit, vel ſaltem talis Procurator eligat domicilium ubi citari velit. 12.

In mandatis executivis vigore inſtrumentorum ſivè apocharum relaxatis, tam in Curia quàm extra eam mittendis; apponatur dies, menſis, & annus inſtrumenti, ſivè apochæ, cujus vigore mandatum relaxatum fuit. 13.

Similiter in ralaxatione mandatorum & quarumcumque expeditionum, tam in Curia quàm extra eam mittendarum, citatis partibus, vel earum Procuratoribus, aut in contradictorio judicio obtentarum, apponi debeat altera ex iſtis clauſulis, videlicet in contumaciâ N. Procuratoris, vel ſi Procurator verè contradixerit, & in actis proteſtationem fecerit, loco prædictæ clauſulæ ſcribatur, Non obſtante proteſtatione N. ex adverſo Procuratoris. 14.

Porrò moderatis Inhibitionibus à ſuo Iudice emanatis 15.

nullo

nullo prætextu Notarii lapſo termino intimationis poſſint obtentæ moderationis fidem retardare, niſi de impedimento verè conſtet in actis. Notarii quorumcumque Tribunalium Vrbis, excepta Rota, teneantur in quibuſcumque cauſis, etiam commiſſariis intra Statum Eccleſiaſticũ dare literas miſſivas loco Remiſſorialium, & pro ſingulis literis hujuſmodi, atque illarum inſtrumento, etiam cum articulis & interrogatoriis introcluſis, ſolvatur merces juliorum novem, nec pars hujuſmodi literas petens contra ejus voluntatem cogatur remiſſoriam accipere.

16. Summaria teſtium quando à Notariis dari continget, ſcribantur in bona charta, non bibula, & charactere intelligibili, ſoluta ſolita mercede.

17. Notarii nullam prorſus mercedem, aut emolumentum etiam minimum recipiant, quod priùs in libro receptorũ (quem retinere debeant) fideliter non annotaverint, cum expreſſione diei, cauſæ & perſonæ ſolventis, ut ex libro ſuperior poſſit ex officio cognoſcere, ſi quid ultra taxas indebitè receperint.

18. Ceterum de datione Arrharum pro regiſtris, extractibus, aut copia Indiciorum, non ſtetur libro Notarii, nec ejus annotationi, niſi cum ſubſcriptione partis, aut Procuratoris arrham dantis.

19. In manualibus, vel broliardis, vel libris inſtrumentorũ Actorum, & filzarum quas vocant ligatarum, non dimittant Notarii folia ulla in parte alba, ubi ſcribi ſolet, ſed ubi ſic alba remanſerint, ea interlineare teneantur.

20. Non retineant ſcripturas & jura quæcumque producta in pulpitis, ſed infrà biduum à die productionis, eorum productionem in manuali, ſeu broliardo actorum annotare, & in filzis ponere teneantur, etiam quod productio fuerit in calce citationis annotata. Examina reorum & teſtium quorumcumque, tam in civilibus quàm in criminalibus, ab initio & in ipſo actu examinis deſcribantur in libro benè compacto & compaginato.

21. Non audeant Notarii inconſulto Iudice facere ex ſe decretum aliquod quantumlibet ſolitum & ordinarium, nec aliquem terminum quamvis leviſſimum in forma, ut aiunt, ſervare, ſed ſemper Iudicem adeant, & citationes omnes coram eodem legant, ab eoque decreta ſumant, & deinde in actis apponant, & idem ſervent, etiamſi terminus ſit ad videndum inhiberi, juxta formam commiſſionis, ſub pœna falſi & privationis exercitii.

22. Citationes, & aliæ Curſorum & mandatariorum relationes nullatenus in actis apponantur, niſi Curſores & Mãdatarii eas in chartulis earum ſubſcripſerint, & ſupra ſubſcriptionem nomen Notarii cauſæ appoſitum fuerit.

23. Citationes & alios actus pro aliquo, vel contra aliquem non recipiant, niſi tam Actoris quàm rei nomen, cum cognomine, & exercitii, vel habitationis, vel patriæ deſignatione ſpecificè in eis exprimatur.

24. Citationes ad videndum mandari conſignari pignora non recipiant, niſi appoſitum ſit etiam ad videndum mandari ſubhaſtari.

25. Item non audeant differre, vel retardare publicationem, oſtenſionem & lectionem ſententiarum, tam civilium quàm criminalium, ſub prætextu non ſolutæ notæ ipſarum, aut regiſtri, aut alterius cujuſcumque mercedis ſibi debitæ: Quinimò teneantur per totum ſequentem diem illas unà cum citationibus ad ſententiam in peculiari libro, quem ad hoc habeant, regiſtrare.

26. Quod etiam ſervetur in cedulis privatis Depoſitorum, quæ ſcilicet ſtatim facta illarum productione regiſtrẽtur.

27. Sententiarum, Decretorum, aut aliarum quarumcumque ſcripturarum, tam civilium, quàm criminalium copiam unicuique petenti, ſoluta copiæ petitæ competenti mercede, dare teneantur.

28. Caveant inſuper Notarii ſcribere quempiam in actis uti inſtantem, proteſtantem, producentem, ſeu quomodolibet comparentem, niſi is tunc præſens fuerit, nec ſuffragetur mandatum generale Notario datum à quavis perſona, ut poſſit ejus nomen in cauſis vel actis apponere.

29. In eventum in quem in cauſis fiant nullitates, quæ poſſint aſcribi culpæ, aut negligentiæ Notarii, & pars propter paupertatem expenſas reficere non valeat, ad illas Subſtitutus Notarii, qui in cauſa ſcripſit, teneatur.

30. Proteſtationes ſcribantur in broliardo eodem die, nec recipiantur in foliis volantibus, & quatenus ob eorum longitudinem in hujuſmodi foliis recipiantur, ſtatim hujuſmodi receptio in broliardo annotetur.

31. Similiter non audeant expedire mandata, quæ non fuerint à Iudice manu propria ſubſcripta, & aliter expedita ſint omninò, & in quacumque Curia, etiam Capitolii nulla. Verùm dicta ſubſcriptio gratis fiat, nec ob eam augeatur ullatenus ſolita impenſa mandatorum.

32. Quando aliquis Notarius allegatur ſuſpectus, & alius deputatur, una tantùm merces conſignanda eſt alteri ex dictis Notariis, cui de jure perſolvatur.

33. Cuſtodiant Notarii diligenter ſcripturas omnes, extractus & regiſtra, & quibuſvis perſonis accommodata infrà annum à die accommodationis recuperare, alioquin eis, vel aliquo eorum deperditis illa ſuis ſumptibus reficere teneantur.

34. In Notariorum officiis non recipiantur Subſtituti, Scribæ, Juvenes, vel alii quicumque ad teſtes examinandos, neque ad conficienda acta civilia, aut criminalia, niſi qui priùs fuerint tam quoad ſufficientiam pro munere ab eis exercendo, quàm quoad vitæ probitatem à Superiore Tribunalis approbati.

35. Ad rogandum verò quælibet Inſtrumenta, Teſtamenta & alias quaſcumque diſpoſitiones, tam inter vivos quàm in ultima voluntate, non admittantur, niſi prævio rigoroſo examine ſint priùs creati Notarii ab habẽte facultatem, neque tamen propterea talis approbatio principalem Notarium ſive officialem excuſet, quo minùs ſi quid præfatorum culpa, vel facto minus rectè geſtum fuerit, ipſi omnino Notarii teneantur, prout teneri volumus, ad damna, expenſas & intereſſe partibus damnum paſſis.

36. Notarii non audeant rogare, vel ſtipulari obligationes alienas, ſive contractus, etiam parvi momenti, niſi vel contrahentes ipſos Notarii bene noverint, vel ab uno ſaltem ex teſtibus cum juramento adhibitis, cognitos eſſe ſciant, teſteſque prædicti, aut unus eorum contrahentes ut ſupra recognoſcentes, noti ſint iiſdem Notariis, & nihilominus in quibuſcumque contractibus ultra nomen & cognomen cujuſlibet contrahentium, apponatur etiam patria & nomen patris, aut alia ſimilis demonſtratio, atque de hujuſmodi cognitione mentio fiat in inſtrumento, alioqui ultra pœnas infra ſubjectas teneantur etiam partibus ab omnia damna, expenſas & intereſſe, neque per hoc derogatum cenſeatur ſtatutis majorem in propoſito ſolemnitatem vel diligentiam requirentibus.

37. Prohibemus inſuper ne in inſtrumentis, teſtamentis & aliis actibus, in quibus teſtes requiruntur, Notariorum ſocii, Subſtituti, & alii in officio illius Notarii qui rogatur, degentes admittantur, ſed alios adhiberi omninò mandamus.

38. Diſdictam ſocietatis officii teneantur Notarii non ſolùm in manuali regiſtrare, ſed etiam in margine inſtrumenti ſocietatis annotare his verbis, videlicet: Die tali diſdicta, & die tali reproducta, neque talis reproductio diſdictæ in actis alterius Notarii de ſocietate non rogati fieri poſſit, neque facta ſuffragetur, niſi quando cõtractus ſocietatis extra Vrbẽ eſt rogatus, vel etiam in Vrbe, quãdo eſt rogatus Notarius qui non ſit actuarius alicujus Tribunalis, quibus caſibus diſdicta regiſtretur in manuali, ut ſuprà, ſub pœna in quolibet præfatorum caſuum Notario principali ſcutorum centum ipſo jure Fiſco applicandorum, & Subſtituto ſcribenti, vel de tali actu rogato, ſub pœna infamiæ, & ſuſpenſionis ab exercitio.

39. Idemque ſervetur in nominatione, necnon & in tranſlatione periculi vitæ, quæ non ſuffragentur, neque cuiquam proſint, niſi parti intra tempus ad nominandum vel transferendum intimatæ, & per Notarios, ut ſuprà, fuerint annotatæ.

40. Et ſi Notarii, eorumque Subſtituti, Actuarii, vel Iuvenes quicumque ſe quoquo modo, directè, vel indirectè, ſub quovis etiam amicitiæ nomine, vel prætextu ingeſſerint, interpoſuerint, vel tractaverint, ſeu mediatores fuerint in aliquo cenſuum, ſocietatis officiorum, aut aliorum quorumcunque negotiorum contractu, non poſſint ſub pœna perpetuarum triremium, ac privationis officii, ejuſque proprietatis & tituli ipſo jure Cameræ Apoſtolicæ applicandi, ullas pecunias, bona, ſeu res, etiam minimæ quantitatis, à quoquam etiã ſponte dante, occaſione

præmiſſa

præmiſſa recipere, ſed ſint & eſſe debeant contenti debita eis mercede rogitus inſtrumenti, ſi quod ab eis fuerit rogatum.

41. Quælibet inſtrumenta ſubſcribantur ab eo Subſtituto qui illa confecit, apponendo nomen & cognomen ſuum in margine finis inſtrumenti.

43. Inſtrumenta quoque in ſuis manualibus dietim extendantur & deſcribantur.

44. Inſtrumenta quæcumque ab eis rogata Notarii debeant infra tres menſes à die celebrati contractus, vel inſtrumenti in librum quem filsam vocant, redegiſſe, vel in protocollum, quod alii manuale extenſorum appellant, deſcripſiſſe cum ſuo indice. Non derogando per hoc ſtatutis diligentiorem formam requirentibus.

45. Teſtamenta autem & codicillos viventium nemini oſtendant, ſed fideliter recondita ſervent, & quatenus ſint aperta, illa & illos intra tres menſes in librum ad hoc de more compactum redigant.

46. Alia cujuſcumque generis, qualitatis, quantitatis contractus, acta, inſtrumenta, vel ab ipſis rogata, vel apud eos producta, teneantur partibus intereſſe habentibus ad earum beneplacitum gratis oſtendere, ipſiſque copiam facere & tradere, ſoluta ſolita mercede competenti, ſine tamen die, anno, menſe, teſtibus, ita ut nullam in judicio fidem facere poſſint.

47. Neminem tamen poſſint aſtringere ad accipiendum inſtrumenta publica, vel eorum exempla, niſi ita ipſis Contrahentibus, aut aliis intereſſe habentibus placuerit.

48. Pro rogitu cujuſlibet inſtrumenti, cum quibuſvis conditionibus & clauſulis, ubi non adſunt particulares taxæ, & ubi non præcedit conventio partium, ſolvantur pro quolibet centenario ſcutorum, uſque ad ſcuta mille julii duo, à mille uſque ad quinque millia, Julius unus pro quolibet ſimili centenario, à quinque mille uſque ad quacumque ſummam bononeni quinque pro quolibet ſimili centenario, dummodo in totum non excedat ſummam ſcutorum vigintiquinque.

49. Pro caſſatione cujuſlibet inſtrumentis, ſeu retrovenditionis cenſus vel ſimilium, cum quibuſvis ceſſionibus, reſervationibus, conditionibus, ſeu tranſlationibus & aliis clauſulis, ubi non adſunt particulares taxæ, ſolvatur ad eandem rationem, prout dictum eſt pro rogitu cujuſlibet inſtrumenti.

50. In tradendis autem publicis inſtrumenti quoad mercedem quicumque Notarii, ſive deſcripti in Archivio Romanæ Curiæ, ſivè in Archivio Capitolii, & alii Notarii retinentes publica officia, non habentes ſpecialem taxam publicorum inſtrumentorum, vel in quibus eorum taxa non diſponeret, teneantur ſervare taxam Statutorum Vrbis.

51. Pro rogitu teſtamentorum, codicillorum, donationum inter vivos & cauſa mortis, ubi non adſint taxæ minores, vel ubi Notarii non ſubjiciuntur Statutis Vrbis, & ubi non fuerit aliter conventum per partes, ſi fuerint factæ à perſonis quorum patrimonium non excedat ſcuta quinque millia, ſolvantur julii quinque: à quinque millibus uſque ad viginti millia, ſcutum unum; à viginti millibus uſque ad quamcumque ſummam, non exigant ultra ſcuta duo.

52. Orta inter Notarios & litigantes, vel alios differentia ſuper ipſorum Notariorum mercede, non à Notariorum Collegiis, ſeu deputatis ab eis, ſed ab eorum Iudicibus, qui non ad menſarios, ſeu Notarios remittant, ſed ipſimet proprio ipſorum arbitrio diffiniant, inviolabiliter obſervata taxa.

53. Et quandocumque Notarii vigore hujus conſtitutionis ex facto ſuo vel ſuorum tenentur aliquid refundere, reſtituere, aut partibus reſarcire, procedatur contra eos executivè & manu regia.

54. Ad hæc Archivii privilegia illæſa eſſe cupientes, ſtatuimus & mandamus, quod Protonotarii, Comites Palatini, & alii quicumque habentes, vel habere prætendentes facultatem creandi Notarios, aut ſpurios legitimandi, non poſſunt illos creare, vel legitimare, nec juriſdictionem aut poteſtatem aliquam in Vrbe, & extra eam per unam Dietam legalem exercere in præjudicium Collegii Archivii, & privilegiorum ejus, juxta conſtitutionem fel. rec. Leonis X. prædeceſſoris noſtri, editam pridie nonas Octob. 1513. quæ incipit, Ex miniſterii paſtoralis, quam innovamus & approbamus.

55. Quodque ſi aliquis creditor mandatum de capiendo ratione ſuſpicionis fugæ in quocumque Tribunali, etiam Auditoris Cameræ, contra debitorem ſuum, vel ipſius debitoris pecunias & bona ſequeſtrum aliquod obtinuerit, creditor ipſe ad mandati executivi expeditionem, vel aliquo modo illius ſolutionem faciendam, aut ejus taxam deponendam cogi non poſſit.

56. Iuramenta ſuſpicionis fugæ ab aliis quàm à principalibuſmet, vel perſonis ad id ſpeciale mandatum habentibus, non recipiant.

57. Sequeſtra non ſcribant etiam in cauſis mercedum, niſi in executionem mandatorum ſervatis ſervãdis relaxatorum, vel niſi docto de credito etiam extrajudicialiter, arbitrio judicis, juratoque priùs de dilapidatione, aut fugæ ſuſpicione.

58. Advocatos, Procuratores & Solicitatores pro fidejuſſoribus occaſione litium dandis nullo pacto recipiant

59. Significationes per viam recurſus concedendas non ſcribant, niſi cum clauſula, Non tamen in contumaciam.

60. Alias verò ſignificationes non ſcribant, niſi vigore termini, aut niſi productis juribus, vel probationibus ſuper ſolutione, aut niſi ſtante pendentia litis, ſive lite finita, vel niſi data cautione de ſtando juri, & judicatum ſolvendo, quando eſſent relaxata mandata ſuſpicionis fugæ pro aſſecutione judicii, aut niſi ſtante negatione contra mandata in contumaciam relaxata.

61. Reſponſiones ad articulos & juramenta ſuper partitis deciſivis, coram Judice tantùm recipere poſſint & debeant, niſi ipſe Iudex aliter decreverit ex cauſa infirmitatis, aut legitimi impedimenti collitigantium.

62. Conſtitutionem à nobis die prima Martii 1608. contra Notarios Criminales Vrbis etiam innovantes, denuò & diſtrictè inhibendo præcipimus omnibus & quibuſvis Notariis cujuſcumque Tribunalis & Curiæ quoquo modo cauſas criminales exercentibus, ne ſub pœna privationis officiorum & proprietatis ipſorum ipſo facto incurrenda, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ applicanda, aliiſque gravioribus etiam corporalibus, arbitrio Iudicis imponendis pœnis audeant, vel præſumant mercedes notulæ ſententiæ vel decreti, aut caſſationis proceſſus in relaxatione carceratorum, ſeu abolitione querelarum carceratorum, etiam à ſponte dantibus, nec etiam ad minimum accipere, niſi quando Reus ipſe fabricato proceſſu, & præcedente plena cauſæ cognitione & diſcuſſione, Fiſco, & parte, ſi aderit, citatis in ipſa ſententia, vel decreto vim diffinitivæ habente, & à Iudice ſubſcripto fuerit à crimine pro quo detinebatur, vel querelebatur, diffinitivè tanquam innocens, vel tanquam hactenus non repertus culpabilis, expreſsè abſolutus.

63. Pro compoſitionibus verò eaſdem notulas decretorum, & caſſationes accipere, niſi in cauſis & criminibus gravibus, & gravem pœnam merentibus, & in quibus non ſolùm intervenerit plena cauſæ cognitio, ſed etiam diſcuſſio, & decreta fuerint non Iudicis tantùm, ſed & Procuratoris noſtri Fiſcalis manu ſubſcripta, minimè poſſint.

64. Remiſſiones tamen gratioſas Bannitorum in contumaciam condemnatorum, necnon exilii & triremium pœnarum de ordine noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis excipimus, in quibus iidem Notarii notulas decretorum, & caſſationis proceſſuum accipere licitè poſſint. In aliis autem quibuſcumque caſibus contẽti eſſe debeant ſola mercede mandati de relaxando, ſi rei fuerint carcerati, & ſi non fuerint carcerati, pariter contenti ſint ea mercede, quæ ſi carcerati fuiſſent, eis deberetur pro dicto mandato de relaxando, reprobata, prout reprobamus, omni prava conſuetudine & obſervantia Notariorum, ad effectum extorquendi notulam decreti in omnibus ferè decretis de relaxando apponentium illa verba: Mandavit caſſari, Ampliùs non moleſtari, Silentium imponi, vel ſimilia.

65. Et inſuper ſub eiſdem pœnis omnibus Notariis prohibemus, ne per ſe vel alios, Reos quoquo modo proceſſatos ad proceſſus caſſationem, aut cujuſcumque ſententiæ vel decreti abſolutorii impetrationem, vel poſtulatio-

nem

nem per citationem ad ſe repræſentandum, aut ad ſententiam, vel aliàs qualibet via, directè vel indirectè, aut quoquo modo cogere, inducere, aut invitare audeant, vel præſumant, ſed omnia & quæcumque hac noſtra conſtitutione contenta ad unguem omninò obſervent.

66. Et pro mandatis de excarcerando quibus à Iudice adjectum eſt, Gratis, nihil prorſus, & in forma pauperum pro medietate tantum accipiant, ideoque nec mandati mercedem ante recipiant, quàm à Iudice fuerit ſubſcriptum, & fortè receptam omnino reſtituant.

67. Nec pro copia indiciorum quam effectualiter reo non dederint, quicquam percipere (niſi loco arrhæ) debeant, & ubi reus amplius ipſam copiam habere noluerit, etiam quod arrham dederit, ab ipſo non exigant, niſi pro rata copiæ confectæ.

68. Similiter alimenta Carceratorum penes eos depoſita Notarii ſine ulla ratione pro depoſito, vel alia qualibet diminutione, carceratis integrè conſignent.

69. Quicumque ex Notariis in eorum officiis ſcribentibus in aliquo præmiſſorum contravenerint, pro qualibet vice pœnam ſcutorum vigintiquinque, aliaſque pœnas pecuniarias & corporis afflictivas, pro modo exceſſus à ſuo Iudice arbitrandas incurrat, damnaque & intereſſe partibus reficere cogatur.

70. Vltra præmiſſa diligenter per omnes Notarios cujuſvis Tribunalis obſervanda, ſancimus ut Notarii infraſcriptorum Tribunalium, etiam ſequentes ordinationes quemlibet eorum tangentes ſervare debeant.

71. Notarii Cameræ illis qui annatas & alia jura Cameræ pro expeditionibus debita perſolverint, quietantiarum & liberationum inſtrumenta ſuper ſolutionibus per eos factis intra triduum juxta veterem conſuetudinem, mercede ſolita recepta, in forma authentica tradere compellantur, aut per eos non ſtet quo minùs tradantur. Et abſtineant ab indebitis exactionibus, maximè pro obligationibus ſolvendi annatas.

72. Bullas quarum ratione commune, annata, vel alia jura ſolvi debent Cameræ Apoſt. vel quæ quomodolibet concernant intereſſe dictæ Cameræ, aut Sedis Apoſt. ſive earum continentiam, per ſeipſos tantùm, & non per ſubſtitutos ſcribant & annotent in libris, & bullæ regiſtratæ auſcultentur per menſarium ipſorum Notariorum, qui in ſignum auſcultationis manum apponere in regiſtro, & de mala auſcultatione teneri debeant. Et regiſtra in Archivio Palatii Apoſtolici cuſtodiantur.

73. Obligationes ſolvendi commune & alia jura Cameræ pro Monaſteriis, vel Eccleſiis oneratis penſione, aut ſolvendi quindennium ratione unionum, infra quindecim dies ab ipſiſmet Notariis in libro ſcribantur.

74. De reſtitutis autem ſervetur conſuetudo capiendi julios duos cum dimidio Cancellariæ pro qualibet reſtitutione bullarum, & non ultra.

75. Emolumenta eis debita, tam ratione regiſtrationis Bullarum, quàm alia quæcumque, inter ſe certo pretio, vel aliàs quomodolibet non arrendent, nec arrendare poſſint.

76. In expeditionibus & ſcripturis conficiendis, de propoſitione & commiſſione facta in plena Camera mentionem expreſſam facere teneantur.

77. Ponant in maſſa communi mercedes inſtrumentorum omnium, tam Cameralium quàm intereſſe Cameræ activè & paſſivè, ſeu aliàs quomodolibet concernentium, etiam extra Cameram coram Theſaurario, vel alio per noſtrum, aut ſucceſſorum noſtrorum Chirographum, vel literas, aut aliter deputato rogatorum, de quibus rogatus Notarius teneatur illa denunciare Collegio, & ut præfertur in maſſa ponere, dempta rata ſibi pro mercede laborum debita juxta conſtitutiones ipſorum.

78. Et conficiatur liber apud eorum menſarium dimittendus, in quo quiſque Notarius in fine hebdomadæ ſummatim deſcribat ſingulas, quas fecerit, expeditiones.

79. Pro expeditionibus & ſigillo in gratioſis, quando ſunt plures perſonæ conſortes, etiamſi ſint Congregationes, Collegia, Capitula, vel Vniverſitates, non ſolvatur niſi pro taxa duorum. In judicialibus verò expeditionibus non niſi pro uno tantùm exigatur.

80. Et pro literis patentibus quorumcumque Commiſſariorum, tam à Camerario quàm à Theſaurario, vel Commiſſario Cameræ, etiam in partibus quaſi ubicumque, non ſolvatur ultra julios viginti duos in totum, computato ſigillo & mercede Secretarij ac Notarii.

81. Mercede ſemel ſoluta juliorum quinque Notario dictæ Cameræ pro deputatione Iudicum ad ſolidanda computa, pro quacumque poſtea ſubrogatione ſolvatur tantùm medietas ſummæ prædictæ.

82. Notarii Gubernatoris teneant intus vel juxta d. Palatium eorum officia ſeparata, & in locis ita diſtantibus, ut colligatorum tumultus nullum afferre poſſit impedimentum.

83. Manualia citationum, & manualia proteſtationum ſeparatim & diſtinctè teneant.

84. Expeditionum duos libros habeant, in quorum uno diſtrictè & ordinatim annotare debeant omnes ſignificationes per viam recurſus concedendas, cum expreſſione nominis colligantium & Curiarum, à quibus Locumtenens recurſus juxta ſuas facultates concedet, & etiam ſummæ, vel valoris rei de qua agitur, necnon omnia ſequeſtra & monitoria ex quavis cauſa decernenda.

85. In altero autem ſimiliter annotare debeant omnia mandata executiva, non tamen in contumaciam, & omnia arreſta, mandata de excarcerando, ſignificationes dotales, aut vigore termini, aut in vim litis pendentiæ, aut litis finitæ, aut ſtante depoſito, vel negatione, aut data cautione de ſtando juri, & judicato ſolvendo conceſſas, & omnes citationes, vel inhibitiones vigore commiſſionis, aut extra Curiam decretas, dummodo in quolibet ipſorum caſuum agatur de re, vel ſumma ſcutorum auri ſeptem conſtituentium Iulios 84. ut ſuprà.

86. Liſtas expenſarum non conficiant, neque propterea mercedem aliquam etiam à ſponte dantibus recipiant, niſi prævio Locumtenentis decreto, & ejuſdem ſubſcriptione, in calce citationum ad videndum taxari expenſas apponenda.

87. Examen teſtium ſcribere poſſint duo tantum Notarii pro quolibet officio, quos Gubernator pro tempore approbaverit, & non alii.

88. Notarii Auditoris Cameræ ultra ea quæ ſancita ſunt de Tribunali Auditoris Cameræ, & de aliis Notariis, abſtineant à monitoriis jactationis, & jactationum, aut aliis quibuſcumque, quibus prima inſtantia à ſuis ordinariis auferatur, exceptis caſibus privilegiatis.

89. Et in Monitoriis ſpecialibus in prima inſtantia, ubi permittitur, & inhibitionibus vigore appellationum, quæ ab Auditore Cam. conceduntur in partibus cum clauſula, Dummodo cauſa ſummam ſcutorum quinquaginta excedat, & moleſtiæ non ſint judiciales, debeant prædictá clauſulam, Dummdo cauſa, ſcibere litteris maſculis, & loco illius clauſulæ, Dummodo moleſtiæ non ſint judiciales, ſcribere pariter literis majuſculis hæc verba, videlicet, Dummodo judicium non ſit cœptum in partibus, ita ut ſi judicium coram aliquo Iudice competenti ſit cœptum, monitorium non afficiat. Et quatenus inter partes de dicto valore controvertatur, Auditor Cam. vel ejus in civilibus Locumtenens, conſtito ſibi etiam extrajudicialiter cauſam non excedere dictam ſummam, teneatur per literas miſſivas, & abſque ulla impenſa dictas eorum inhibitiones & monitoria revocare, & cauſas ad ſuos Iudices remittere.

90. Et quoniam experientia compertum eſt, quod Notarii multoties inducunt hujuſmodi monitos & citatos, ut in juriſdictionem tacitè conſentiant, volumus ut quando ſummam prædictá cauſa non excedit, hujuſmodi conſenſus in juriſdictioné minimè ſufficiat, niſi adſit expreſſus.

Non poſſint relaxare mandata vigore termini in eorum officiis ſuſcepti, quando jam mádatum à Iudice cauſæ in alio Tribunali eſt relaxatum. Eo verò nondum relaxato, in arbitrio ſit & poteſtate creditoris illud utrobi voluerit accipere, cogi tamen ad id non poſſit.

91. Atque in præfata termini ſuſceptioue non admittant aliquam conditionem, reſervationem aut proteſtationem terminum petentis, neque illam ſcribant, ſed tantùm ſimplicem debiti confeſſionem, & ſolvendi in fine termini obligationem, & non aliter.

92. Et ad effugienda incommoda, quæ ob citationes deperditas

perditas, fortè etiam ſubtractas, frequenter occurrunt, mandamus eiſdem Auditoris Cameræ Notariis, ut ſinguli juxta veterem conſuetudinem Manuale Actorum omninò conficiant, illudque infra unius menſis ſpatium à die publicationis præſentium debeant inchoaſſe, & quanto citius perfeciſſe, in futurum verò illud quolibet trimeſtri faciant, ac Auditori Cameræmet quolibet trimeſtri exhibere teneantur.

94. Teneantur Notarii prædicti deſcribere in liſta omnes indiſtinctè informare volentes in ſua die, nec pro ordine, antelatione vel informando Judice aliquid recipiant etiam à ſponte dantibus. Et liſta fiat una die pro altera. Et in eventum in quem omnes in liſta poſiti informare non potuerint, aliis præferantur in ſequenti informatione.

95. Pro contradictis non recipiant, niſi quod verè ſolvitur officio contradictarum.

96. Subſtituti Notariorum ejuſdem Auditoris Tribunalis ad conficiendum acta civilia ſeu criminalia, ad teſtes examinandos, necnon ad roganda quælibet inſtrumenta, teſtamenta & alias diſpoſitiones, ultra requiſitas approbationes Auditoris Cameræ, ſive ejus in civilibus vel criminalibus Locumtenentium non admittantur, niſi prævia etiam approbatione Collegii eorumdem Notariorum in qua Notarii ipſi de approbatione, fide & idoneitate admittendorum atteſtentur.

97. Quodque tam Notarii ſub amiſſionis officii, quàm eorum ſubſtituti prædicti ſub triremium perpetuarum pœna aliquas ſocietatum officiorum pecunias, cenſuum & aliorum cujuſvis generis contractuum, niſi procuratorio nomine, vel de ordine, conſenſu, aut voluntate partium exigere, recipere, & penes ſe quovis modo retinere, tractare & habere non audeant. Et ſi ſecus fecerint, Notarii ad damna & intereſſe, quæ culpa Subſtitutorum eorundem partibus evenerint, teneantur & obligati ſint, ac contra eos in his executivè procedi poſſit & debeat.

98. Poſtremò dicti Notarii nihil unquam cujuſvis generis ſcripturæ ad judicium pertinentis, quod extra Curiam mittendum ſit, expediant & parti tradant, niſi cum ſubſcriptione Auditoris vel ejus Locumtenentis.

99. Notarii Vicarii Urbis non faciant monitoria generalia vel ſpecialia extra Curiam & Urbis diſtrictum, cùm non ſit eorum officii, nec dent cenſuras neque terminum ſuper obligationibus in forma Cameræ. Neque concedant monitorium in forma Significavit, pro rebus deperditis, niſi juxta formam Concilii Tridentini.

100. Non capiant pro examine vel litteris ordinandorum, niſi quantum ſibi à Concilii Tridentini decretis & reformatione ſumere eſt permiſſum.

101. Pauperibus gratis dent ut tenentur.

102. Notarii Rotæ in confectione regiſtrorum, rubricarum & copiarum, remiſſoriis, compulſoriis, executorialibus, notis ſententiarum diffinitivarum, teſtium examine & hujuſmodi, hanc noſtram & alias Rotæ conſtitutiones accuratè obſervent, ſub pœnis in eis contentis, quas innovamus, nec ultra quàm per eas licet, accipiant.

103. Literas remiſſoriales ſcribant in charta juxta veterem morem à Chartulario lineata, cujus unaquæque linea contineat ſaltem ſyllabas decem & octo, atque rotuli palmus ſit linearum triginta.

104. Dent iidem Notarii Rotæ petitas à partibus expeditiones abſque requiſitione depoſiti pro regiſtro illius actus, vel expeditionis conficiendo, vel facto depoſito regiſtrum de illis omninò fiat, & non relinquant folia in albis.

105. Facto regiſtro conficiant inventarium actorum, inſtrumentorum & ſcripturarum in eo deſcriptarum, Actoris primum, deinde Rei acta & jura notando, cum adjectione foliorum in quibus illa deſcripta reperiuntur, & dictum inventarium aſſuant initio regiſtri.

106. Pro notis verò interlocutoriarum nihil accipiant, quod idem de moderatis ſolutionibus in copiis & publicatione teſtium ſervetur.

107. Ac pro relationibus ſocio faciendis de rogatis per eos nihil capiant.



Faciant præterea ſinguli in eorum officio broliardum qui dicitur actorum, in quo omnes omninò proviſiones, decreta, comparitiones & proteſtationes, etiam à tergo citationum ſcriptæ notentur. Item & manuale citationum cum ſuis proteſtationibus & decretis, atque aliarum rerum regiſtrari ſolitarum, ita ut nihil prorſus ſuperſit in cartulis, quod non ſit in libris deſcriptum. 108.

Officia Notariorum Rotæ non conferantur niſi perſonis peritis & idoneis, quæ per ſeipſos illa exercere ſciant & exerceant, niſi aliqua legitima cauſa impediantur. Nec eo caſu officia aliquibus arrendare aut Subſtitutos deputare valeant, niſi à proprio Auditore approbati fuerint, qui inſuper de officio fideliter exercendo arbitrio Auditoris cavere debeant. 109.

Et pro ipſorum Subſtitutorum facto Notarii ipſi quo ad intereſſe partium, tanquam principaliter obligati omninò teneantur. 110.

Pauperes omnes qui juxta formam conſtitutionum admitti debent ad juramentum paupertatis, tam in beneficialibus quàm in profanis, etiam per Procuratorem admittant, & ſi ille pro quo juratur, præſens non erit, ultra Notarii vel Procuratoris aſſertionem per duos teſtes de paupertate doceri debeat, ita tamen ut quicumque fuerit admittendus, non ſine juramento, & obligatione pinguioris fortunæ, ut moris eſt, admittatur, & hoc niſi evidens ſit atque notorium, quod paupertatem jurare volens, ſit opulentus, quo caſu illum admittere non teneantur. 111.

Quæ omnia, & ſingula inviolabiliter obſervari mandamus ſub pœna ultra aliàs infra expreſſas vigintiquinque aureorum, ac ſuſpenſionis ad ſex menſes pro prima vice, & ſi ſecundò erraverint, eo ipſo in pœnam privationis officii, & alias hac noſtra conſtitutione contentas incurrant. 112.

Quocirca querelæ omnes pauperum & oppreſſorum ad Rotæ Decanum deferantur, qui his omnibus opportunis remediis provideat, tum ne partes opprimantur, tum ut opprimere auſi puniantur, & prædicta exactiſſimè ſerventur. 113.

Notarii Conſulum Agriculturæ, & cæterarum Artium taxam eis per ſtatuta præſcriptam, & ubi aliqui ipſorum nullam minorem taxam haberent, aliorum qui illam habent ſequantur, & ſecundùm illam exigant, & qui non habent officium titulo oneroſo, exigant tantum pro medietate taxæ aliorum Notariorum Capitolinorum, & non ultra in omnibus, & per omnia. 114.

Protonotarius Senatoris non ſe immiſceat in cauſis criminalibus, neque fidejuſſiones recipiendo, neque mandata ſubſcribendo. 115.

Notarii Capitolini deſervientes Collateralibus Senatoris pro Actuariis, per ſeipſos coram Collateralibus acta conſcribant, nullumque aliud officium Notariatus in alia quavis Curia obtineant. 116.

Et tam dictus Protonotarius, necnon maleficiorum & Collateralium Notarii, quàm Scriba Senatus, Secretarius Conſervatorum, Notarius Magiſtrorum Viarum, & alii omnes Notarii Curiarum Capitolii, aliquid etiam minimum non recipiant ultra taxam ipſis ſtatutam, ſub quocumque prætextu. 117.

Eorumdem Notariorum Capitolii defunctorum, & eorum qui in poſterum decedent Hæredes, ac quicumque alii ſcripturas eorum detinentes, exceptis iis qui emerunt officia juxta conſtitutionem fel. recor. Sixti Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri, infra quindecim dies ab obitu ipſorum Notariorum, ac publicationis præſentium reſpectivè computandos, ſcripturas prædictas cum nomine Notarii cujus fuerint, ſub pœna amiſſionis dictarum ſcripturarum & emolumentorum inde provenientium, conſignent Archivio populi Romani, cujus Cuſtos librum teneat, in quo per Inventarium dictæ ſcripturæ annotentur. 118.

Notariorum officia in Curia de Sabellis duo tantum habeantur, neque hic numerus ullo prætextu augeri unquam poſſit, & ii etiam approbandi ſint ab Urbis Gubernatore pro tempore exiſtente. 119.

Notarius Curiæ Turris Nonæ obſervet tabulam Notariorum Curiæ Sabellorum. 110.

121. Notarii locorum piorum debeant ſervare ſtylum, conſuetudinem & taxas Tribunalis Vicarii, nec prorſus aliquid recipere ultra quod Notarii Vicarii in ſuis cauſis ordinariis recipere poſſunt. Qui autem ex eis gratis ſunt deputati, nec habent officium titulo oneroſo, non poſſint exigere niſi pro medietate dictæ taxæ Notariorum Vicarii, & non ultra in omnibus & per omnia.

122. *Notarius Ripettæ* pro publicandis inſtrumentis, & in publicam formam dandis, exigat juxta formam ſtatutorum Urbis.

123. Et in conficiendis extractibus ſervet formam Capitolinam, & normam aliis *præſcriptam*.

124. Atque in prima inſtantia nullus in Curia Ripettæ fiat extractus, minuſque in ſecunda coram Præſide, niſi de utriuſque partis conſenſu, vel Notarius fuerit juratus ſuſpectus, ita ut acta tranſportari debeant, & ſi ſecus factum fuerit, qui arrham dedit, totum de ſuo ſolvere teneatur, nec ulla detur cedula depoſiti contra alium.

125. Nullum mandatum Notarius dare poſſit pro indiciis abſque Judicis licentia.

126. *Singulis* autem dicbus etiam feſtivis, ab ortu ſolis uſque ad occaſum, officium apertum tenere debeat, neque ab illo diſcedat ſine cauſa neceſſitatis.

127. Depoſita non recipiat, niſi uſque ad ſummam permiſſam, & penes eum facta, poſt decretum de conſignando debeat omninò infra diem conſignare ſub pœna arbitrio Præſidis.

## De Regiſtris, Extractibus & Exemplis, ſeu Copiis.

*Ad hac vide taxas Notariorum, de quibus in conſt. ſeq. per totam.*

1. §.10. QUoad Regiſtra & Extractus perpetuò ſtatuimus & ordinamus, quod in omnibus & quibuſcumque cauſis cujuſcumque generis ordinariis in quibuſcumque Urbis Tribunalibus, & coram quibuſvis Judicibus, nullis prorſus exceptis, motis & movendis (quæ ſcilicet à principio via ordinaria introductæ fuerint, etiamſi in illarum progreſſu una forſan, aut plures commiſſiones ſupervenerint, ac materia introducta via ordinaria non eſſet de juriſdictione Judicis ordinarii) nulla penitus fiant regiſtra, ſed tantùm extractus ſimplices & abſque aliqua terminorum extenſione, qui in uno confecti in quibuſvis aliis Tribunalibus, ſi ad illa tranſportentur, plenam fidem faciant in omnibus & per omnia, perinde ac ſi eſſent regiſtra extenſa.

2. Minuſque extractus in cauſis ordinariis fiant, etiam una vel utraque partium petente, niſi de Judicum licentia in ſcriptis obtenta, vel niſi acta eſſent ad alium Judicem tranſportanda.

3. In verè autem commiſſariis cauſis ſummam ducatorum ducentorum auri de Camera excedentibus, quarum videlicet principia ordinariè non ſunt introducta, regiſtra quidem fiant, ſed modo infraſcripto, quem & in extractibus prædictis ſervari volumus & mandamus.

4. Regiſtra bona & legibilia Notarii accuratè, & juxta normam hac noſtra conſtitutione traditam & innovatam faciant.

5. Tam in regiſtris quàm in Extractibus hujuſmodi conficiendis, facultates Judicum ordinariorum, vel deputationes eorum Locatenentium, cum illæ ſint notoriæ, & illarum exempla publica & impreſſa habeantur, nullatenus præinſerantur, & pro illis Notarii nihil à partibus exigant.

6. Deinde tam in ordinariorum extractibus quàm in eorum & aliorum quorumcumque delegatorum, etiam cauſarum Palatii noſtri Apoſtolici Auditorum, & S. R. E. Cardinalium regiſtris, dimittantur appoſitiones Feſtorum ordinariorum & certorum. Sin autem occurrant Feſta incerta & repentina, in quæ caderet obſervatio alicujus termini, fiat mentio de illis ſummariè, & hoc modo, videlicet, Die tali fuit Conſiſtorium publicum, & ſic de cæteris ſimilibus.

7. Succeſſivè citationes ſive cum inhibitione ſive abſque ea factæ, in earum reproductione nullo pacto repetantur, ſed illarum executio tantum apponatur his aut ſimilibus verbis, Tali die reproducta fuit citatio, de qua ſupra, quæ fuit executa.

8. Nec monitoria Procuratoribus de ſolutione regiſtri facta ponantur in regiſtro, niſi fortè ad effectum docendi de cenſuris.

9. Præterea ſi contingat commiſſiones ſemel regiſtratas aliis Commiſſionibus dependentibus præinſeri, illæ ampliùs non regiſtrentur, ſed annotetur folium in quo ſuperiùs fuerint regiſtratæ, & idem de Motibus propriis, Brevibus & aliis literis Apoſtolicis, ac aliis quibuſcumque jam ſemel regiſtratis.

10. *Idem* & de terminorum etiam ſubſtantialium extenſione obſervari mandamus, ut ſemel tantum pro qualibet parte extenſa non amplius extendantur, ſed tantum eorum reiteratio ſine extenſione notetur, etiam in citatione ad ſententiam.

11. Inſtrumenta quæ in actis cauſæ rogantur, non ultra illorum notulam extendantur; quoad ea verò quæ producuntur, præinſeratur aliquid de illorum ſubſtantia, idque ſuccinctè: deinde illorum tenor apponatur hoc modo, Talis conſtituit Procuratorem ſuum talem, prout in inſtrumento cujus tenor ſequitur, & *ſic* de aliis.

12. Conſequenter, tam in regiſtris quàm extractibus cauſarum, in quibus per duos vel tres annos nihil actum fuerit, non ponantur in illarum reaſſumptione mutatio anni vel menſis, indictio vacantiarum, creatio Pontificis, & ſimilia ad cauſam non ſpectantia.

13. Porrò ſi contingat in aliqua cauſa plurium recipi juramenta teſtium uoico contextu, in regiſtris hujuſmodi unicum juramentum, ubi omnes jurati nominentur, dumtaxat extendatur.

14. Inſuper non repetantur dignitates vel tituli Judicum, vel locus eorum Tribunalium & partium litigantium, ſed tantum talis Judex vel Auditor prædictus, vel talis Actor vel Reus aut Procurator, aut ſimilia.

15. Singula folia in regiſtris confectis coram quibuſcumque Tribunalibus, ac aliis Judicibus prædictis contineant in qualibet illorum pagina ad minus lineas viginti quatuor, & unaquæque linea ad minus duodecim ſyllabas, quæ ſcribantur literis bonis & intelligibilibus, & in charta bona, non infecta, nec bibula, alioqui liceat unicuique tam Judicum quàm partium vel Procuratorum litigantium folia aliter ſcripta lacerare, & omninò debeant poſtmodum expenſis Notarii convenienter reſcribi, ſive lacerata ſint, ſive non, aut ſi Judici, & partibus ſeu Procuratoribus magis placuerit, folia ſic malè ſcripta taxentur pro medietate, vel alia rata ad Judicis arbitrium.

16. Rubricellæ regiſtrorum ſimiliter literis bonis & intelligibilibus ſcribantur, ſintque fideles & ſufficientes, integrè & exactè introſcripto actui reſpondentes, totiuſque actus & decreti tenorem, prout in brolliardo jacet, & inſtrumentum, diem, annum, menſem & partium nomina, reique geſtæ ſummam vel indicem continentes.

17. Proceſſus de partibus, itemque Remiſſoriales, Compulſoriæ & alia, nulla ſcripturæ habita ratione, ſive ſit longa, ſive ſit brevis, ſive excedat, ſive non excedat numerum foliorum vigintiquatuor, non regiſtrentur, neque in Regiſtris aut Extractibus deſcribantur, ſed tantùm ut dicitur, rubricentur, ſi rubricati non fuerint, & pro dicta rubricatione ſolvatur merces foliorum ipſius proceſſus originalis tantum.

18. Niſi quando ſcriptura dicti originalis in qualibet facie excederet lineas triginta, continentes in earum qualibet ultra ſyllabas decem & octo, quo caſu exceſſivitas reguletur & ſolvatur ad rationem linearum & ſyllabarum, ut ſupra.

19. Copiæ quæ inſtar Regiſtri vel extractus dantur, non minori ſyllabarum aut linearum numero deſcriptæ tradantur.

20. Inſtrumenta in actis rogata, etiam ſemel publicata, aut quæ in actis aliàs producta ſunt, ſi repetantur, & poſtea regiſtrari contingat, non ſolvatur merces niſi foliorum ſcripturæ ad rationem regiſtri vel extractus, & ſi non fuerint aliàs publicata, ſolvatur tantum tertia pars mercedis debitæ pro publicatione, cujus etiam ratio habeatur in caſu quo poſtea ſumantur in publica forma, ut ſcilicet tanto minus de mercede publicationis ſolvatur.

20. **Pauperibus dentur gratis extractus, regiſtra, inſtrumenta etiam publica, copiæ & aliæ quæcumque expeditiones & ſcripturæ, tam civiles quàm criminales, & oſtendantur etiam originalia Pauperum Advocato, & Procuratori ſimiliter gratis, & abſque ulla impenſa, & ſi quando contigerit probandam eſſe paupertatem teſte, *ſimiliter gratis & ſummariè examinentur*, & de paupertate ſtetur arbitrio Judicis.**

21. Et quoniam aliquando Notarii extorquent à partibus modicam arrham, ut poſtea cogere illas poſſint ad recipiendum Extractus, arrha non obliget, niſi in caſibus in quibus extractus jure conficiendus eſt.

22. Neque exigant Notarii, quicumque illi ſint, etiam Archivii Romanæ Curiæ, mercedem extractus, ſive regiſtri, niſi illis completis.

23. Notarii Rotæ, ultra præmiſſa per eos omnino ſervanda, *rubricationes* per ſe fideliter, & ſufficienter faciant, & correſpondentes actui introſcripto, ut ſupra dictum eſt.

24. Non rubricentur proceſſus de partibus rubricati, ut jam ſupra dictum eſt, *niſi quantum illis* deeſſe viſum fuerit, nec regiſtra de illis ullatenus fiant, ſed poſt regiſtra de Curia, ut moris eſt, ligentur, & ſi interpretationem fieri neceſſe fuerit ob idioma à Latino diverſum, in quo proceſſus fortè conſcriptus erit, non fiat in forma regiſtri, ſed proceſſus de partibus, ita ut una charta regiſtri illius importet dimidiam ad minus proceſſus de partibus, niſi de partium conſenſu id fieri convenerit.

25. De parte lucri regiſtrorum, vel teſtium, vel copiarum, antequam cauſæ ſuis ſint Auditoribus commiſſæ, cum Solicitatoribus, Advocatis vel Procuratoribus non paciſcantur, nec de gratia quam de regiſtro facere intendunt, veluti de dando quindecim vel viginti folia pro ducato, ita ut perſonæ cum quibus agunt, de lucro participent, ſub pœna privationis, ſed totum quicquid poſt commiſſam cauſam convenerit, partis beneficio penitus cedat.

26. Mandantes omnibus, & ſingulis Judicibus, & Auditoribus prædictis ſub indignationis noſtræ pœna, ut pro præmiſſorum inviolabili obſervatione in cauſis coram eis ad præſens pendentibus, & quæ in poſterum pro tempore pendebunt, nulla aliter quàm ut præfertur, confecta regiſtra, & extractus admittant, & recipiant, imò illa tanquam in fraudem ac damnum partium litigantium confecta rejiciant, ſuoſque Notarios, ut extractus, & regiſtra hujuſmodi juxta præmiſſa conficiant, cogant & compellant, atque ut illa obſerventur diligentem curam adhibeant. Diſtrictius nihilominus inhibentes Notariis ipſis ſub mille ducatorum auri de Camera, partim partibus litigantibus, partim Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, ac privationis, & amiſſionis Notariatus per quemcumque contravenientem eo ipſo incurrendis pœnis, ne de cetero in cauſis in quibus Notarii deputati fuerint, & ſcripſerint, regiſtra & extractus aliter quam ut præfertur, omnibus ſemotis fraudibus, conficere audeant ſeu præſumant. Volumus tamen & mandamus, quod Gubernator Urbis, & Auditor Cameræ cumulativè poſſint, & debeant, etiam ex officio, & partibus non inſtantibus inquirere etiam extrajudicialiter, & manu regia, an Notarii cujuſvis Tribunalis præmiſſa ſervent, & contravenientes ſupradictis pœnis punire, prout etiam ipſimet Scribæ extractuum & regiſtrorum, qui in illis ſcribendis præmiſſa omnia non ſervaverint, poſſint ab iiſdem eorum arbitrio pœnis puniri, non obſtante quavis appellatione, reclamatione aut recurſu.

De Curſoribus, & Mandatariis.

1. *Ad hæc vide etiam Pii IV. const. 58. §. 73. & ſeq. lib. 2.*

§. 21. Curſores & Mandatarii quicumque, eorum officium fideliter, & ea qua decet integritate, diligentia, peritia, & diſcretione exerceant.

2. Ad dicta officia non admittantur perſonæ ſuſpectæ de falſitate, & qui neſciant legere vel ſcribere latinè, neque infirmi non valentes ambulare propriis pedibus, vel ſenes excedentes annum ſexageſimum.

3. Curſores ſolitam & debitam aſſiſtentiam irreprehenſibiliter obſervent, Conſiſtoria publica, & privata, necnon **alias ſolemnitates & divina officia intimari ſolita fideliter debito tempore intiment Cardinalibus & illis quibus tenentur, abſque præmii, & mercedis alicujus expectatione, niſi ſolita antiquitus** & conſueta.

4. Citationes, & intimationes perſonales vel ad domum, vel in valvis, & locis publicis, tam Curſores quàm Mandatarii, *pro eorum officio & Curiis quibus ſerviunt*, fideliter & maturè faciant, & factas referant, & contra proprias perſonas non ſuppoſitas vel falſas, aut non cognitas per eos, ſub pœna amiſſionis officii. Et quando perſonæ citandæ eis notæ non ſunt, non aſſertioni partis, ſed duorum teſtium teſtimonio de citandorum qualitate veram notitiam habentium ſtare debeant, aliàs executionem citationis facere vel factam referre non debeant ſub ſimili pœna, & pro falſariis habeantur contrarium facientes, ſintque ſtatuta mercede contenti, novas angarias *non faciant*, neque inducant.

5. Relationes de citationibus perſonaliter executis, niſi ſit perſona citanti cognita, & perſonaliter apprehenſa, tam Curſores quàm Mandatarii facere non audeant, neque debeant.

6. Nec poſſint Curſores vel Mandatarii citationes ab aliis Curſoribus vel Mandatariis executas ſubſcribere, etiam quod inter ſe citationes Urbis vel Regionis diſtribuat, ſed illemet Curſor vel Mandatarius qui citationem eſt executus in pede, ejuſdem debeat fidem, & relationem facere factæ per eum executionis, ſub pœna falſi.

7. Officia pro alio vel aliis in arrendam capere, vel exercere non debeant, nec poſſint.

8. Caveant etiam ab appaltu citationum, ſuper quibuſvis, quod pactum cum quibuſvis perſonis iniri omninò interdicimus.

9. Inſuper curent tam Curſores quàm Mandatarii omnes citationes perſonaliter exequi. Et ſi perſonas commodè habere non poterunt, teneantur dimittere citationum copiam in manibus alicujus de familia, qui ſi non adſit, aut fores aperire nolit, citationes affigant ad januam domus ſibi cognitæ, adhibito ſaltem uno teſte, & relationes in ſcriptis dumtaxat referre debeant, exprimendo an perſonaliter vel domi dimiſſa copia vel affixa, in caſibus præmiſſis, qui in citatione exprimi debeant, & an ad ſtatim, vel ad hodie per totam, ſeu ad primam diem vel aliam fecerint, ſub pœnis prædictis.

10. Præterea citationes, & earum copiæ citatis dimittendæ vel affigendæ, tam à Curſoribus quàm à Mandatariis fiant omninò bono, & intelligibili charactere, & dictæ copiæ ſubſcribantur à Curſoribus & Mandatariis, qui eas exequantur, ut in omnem caſum poſſit ad eum qui eas fecerit, recurri.

11. Citationes, intimationes, & alia non exequantur prædicti ſive perſonaliter, ſive domi dimiſſa copia poſt tertiam horam noctis, per affixionem autem in caſibus præmiſſis non niſi de die, & tunc in relationibus exprimant feciſſe de die, dimiſſa copia affixa in tali loco.

12. In citationibus & aliis nomen tam actoris quàm rei cum cognomine, exercitio, vel habitationis, vel patriæ deſignatione exprimant.

13. Iidem Curſores, & Mandatarii in ſubhaſtationibus pignorum affigere debeant ad valvas officii in quo fit ſubhaſtatio, oblationes quæ dietim fiunt pro pignoribus captis ſubhaſtandis.

14. In citationibus ad videndum mandari conſignari pignora apponant etiam, Et videndum mandari ſubhaſtari.

Pignora omnia ab executoribus quibuſcumque eis conſignanda ordinatim ſingulariter adnotare debeant in eorum libris, exprimendo rerum qualitates, & quantitates, nomen executoris, & colligitantium.

15. Oblationes recipiendas annotare debeant in eorum libris cum appoſitione anni, menſis, & diei, ac expreſſione nominis, cognominis, exercitii, vel habitationis, vel patriæ offerentium.

16. Non recipiant oblationes cujuſcumque officialis illius Tribunalis in quo facta eſt executio, nec ipſius officialibus inſervientium, neque Notariorum, & aliorum juvenum Tribunalis, neque ipſorum Curſorum, & Mandatariorum affinium vel conſanguineorum uſque ad tertium gradum.

17. Minùs officium ipſorum cuiquam impartiri doloſe

recuſent vel differant, nec etiam ſub prætextu modicæ mercedis, vel quod majorem habere velint.

19. Curſores (ad quos ſpectat) commiſſiones ad bancum Curſorum perventas, ſtatim ſcribant, & in libro ſolito annotent, ita ut ab omnibus videri poſſint, nec quovis modo aliquam commiſſionem non annotatam vel occultatam penes ſe retineant.

20. Quicumque ex Curſoribus, & Mandatariis, qui in aliquo præmiſſorum contravenerit, pœnam ſcutorum decem pro qualibet vice, aliaſque pœnas pecuniarias, & corporis afflictivas, privationiſque officii pro modo exceſſus à ſuo Judice arbitrandas incurrat, damnaque & intereſſe partibus reficere compellatur.

21. Curſores pro qualibet citatione, inhibitione, vel quavis alia intimatione cujuſlibet actus judiciarii non exigant ultra bononenos duos, niſi forſan executio citationis vel alterius actus judiciarii hujuſmodi facienda eſſet in loco ſatis diſtanti à Tribunalibus Urbis, quo caſu exigere poſſint bononenos quatuor, & non ultra. Et loca intelligantur eſſe diſtantia, exempli gratia, ſi executio ſit facienda in regione Tranſtyberim, Montium, Trivii, & non longè ab Eccleſia B. Mariæ de Populo. Et ſi extra mœnia Urbis (in illius tamen ſuburbiis) non ultra carolenum unum.

22. Pro citatione verò, inhibitione, vel intimatione ſimili, facienda contra Epiſcopos, & Prælatos, ac alias perſonas qualificatas, & Procuratores Fiſci, non ultra bononenos quinque.

23. Pro citationibus vel executionibus, aut intimationibus quarumcumque literarum extra Curiam, & in partibus faciendis, ſtatuta, & debita eis antiquitus mercede ſint contenti, & ultra exigere non audeant.

24. Pro ſubhaſtatione quorumcumque pignorum, tam mobilium, quàm immobilium, iidem Curſores exigant prout hactenus exigere conſueverunt.

25. Pro deliberatione vero, cuſtodia, vel reſtitutione pignorum, aut alio prætextu, etiam quando bona non ſunt poſita ſub haſta, nihil, etiam à ſponte dantibus, recipiant.

26. Nec quiſquam ipſorum pro ea intimatione qua parti intimatur, mandatum procuræ eſſe in actis productum, vel Procuratores in cauſa eſſe revocatos, ultra julium unum percipere audeat, etiamſi dictum procuræ mandatum de partibus veniret.

27. Et pro prima Commiſſione, per quam cauſa coram aliquo Judice introducitur, exigant bononenos quinquaginta, pro aliis verò, ſi quæ in cauſa ſupervenerint bononenos decem & octo, etiam quòd dictæ Commiſſiones poſt primam ſupervenientes adderent aliquid, vel alterarent juriſdictionem, aut haberent aliquam novam clauſulam, vel admitterent aliquem tertium pro ſuo intereſſe ad cauſam, quocumque contrario uſu, vel potius abuſu non obſtante.

28. Diem præſentationis in Commiſſionibus appellationum, vel principalibus in cauſis, manu propria antequam præſentent, vel in Arca eas ponant, ſeu ut vulgo dicitur, incapſent, verè, & fideliter ponere teneantur; nec ſine tali manus, & nominis appoſitione, ultra manum Magiſtri Curſorum dictæ Commiſſiones ponantur in Arca.

29. Ceterum Mandatarii quarumcumque Curiarum non exigant ultra bononenum unum pro citatione, niſi facienda ſit in longinquis locis ab eorum Curiis, quo caſu exigant duos, & non ultra, itemque exigant duos bononenos pro intimatione cujuſlibet ſequeſtri, monitorii, inhibitionis, decreti, & cujuſcumque actus judiciarii, exceptis citationibus faciendis contra Fiſcum, pro quibus exigere poſſint bononenos tres.

30. Pro ſubhaſtatione, & deliberatione pignorum, ſive rerum, & bonorum mobilium, & immobilium, uſque ad ſummam trium ſcutorum, bononenum unum pro quolibet ſcuto, abinde ſupra bononenos duos pro quolibet ſcuto, ita tamen quod ultra unum ſcutum non exigant pro quacumque ſumma, etiam quod res ſubhaſtatæ, & deliberatæ ad magnam ſummam aſcendant.

## De Baroncellis, & Executoribus.

*Taxa iſtorum eſt in conſt. ſeq. §. 13.*

§. 22. BAroncelli, & Executores omnes quarumcumque Curiarum, obſervent in omnibus, & per omnia Tabulam, ordinationes, & taxam de mandato noſtro editas, & pro exequutione quacumque nihil ultra prædictam taxam, & mercedem eis aſſignatam, etiam à ſponte dantibus recipiant, ſub pœnis in ea contentis. 1.

*Ad hæc vide etiam Pii V. conſtit. 51. §. 30. & 31. lib. 2.*

Quinimmò nec debitam mercedem, nec aliud quicquam etiam à ſponte dantibus recipiant, niſi facta vere & realiter exequutione reali vel perſonali, aut captis pignoribus, quorum retractus ſi non ſufficeret, ita ut ſit opus nova exequutione, novam propterea mercedem recipere non poſſint, ſed teneantur denuo gratis, & toties idem mandatum exequi donec integre creditori ſatisfiat. 2.

Quo verò ad pignorum in exequutione captorum cuſtodiam, ſubhaſtationem, & reſtitutionem, quo res integre, & ſine ulla fraude fiat, quiſque Magiſtratus in ſuo Tribunali ſuum quemque Depoſitarium eligat, & deputet, penes quem pignora conſerventur. 3.

Capta autem pignora debeant Baroncelli, & Exequutores per totam ſequentem diem conſignare depoſitario, quem quiſque Magiſtratus ad hoc hujus noſtræ Conſtitutionis authoritate deputaverit. 4.

Quæ pignora fideliter deſcribantur in literis ad hunc effectum ſpecialiter per quemlibet Baroncellum, Exequutorem, & Depoſitarium ut ſupra deputandum retinendis, cum annotatione quantitatis, & qualitatis bonorum, diei, & Exequutoris. 5.

Et quando contingit poni ſub haſta bona in partibus exiſtentia vigore mandati in Urbe relaxati, volumus, & mandamus, præter edicta, & diligentias in loco ſubhaſtationis, & judicii fieri ſolitas, fieri debere etiam in loco ubi, vel in cujus territorio bona ipſa ſubhaſtanda reperiuntur pro reperiendis oblatoribus, nec aliter poſſe ad deliberationem deveniri, niſi habita priùs ab officiali illius loci relaxatione de edictis ibi publicatis. 6.

Ad hæc in pignorum ſubhaſtationibus, ſi lapſo ad offerendum tempore quiſpiam plus obtulerit, non fiat deliberatio niſi intimato eo qui prius licitando vicerat, ut poſſit iterum, ſi velit per totam ſequentem diem plus offerre, alioqui oblatio, & deliberatio illi cui facta eſt non ſuffragetur. 7.

Cum autem in Exequutionibus realibus contigerit recipi cautionem in forma depoſiti, aut pignora alicui in depoſitum tradi, non credatur de hoc Exequutoribus, niſi vel cum ſubſcriptione ipſiuſmet depoſitarii à tergo mandati, vel cum interventu duorum teſtium, quorum nomina ſimiliter à tergo mandati deſcribantur, ac deinde in prædictum librum referantur. 8.

Mandata civilia birruarii vel Exequutores non exequantur in diebus feſtivis, neque de nocte, niſi ſint mandata ſuſpicionis fugæ, neque de die in domo januis clauſis, niſi parte citata, & cum ſpeciali decreto Judicis. 9.

Mandata ſibi à partibus conſignata teneantur infra triduum exequi, vel illa partibus reſtituere, & caſu quo mandata aliqua ipſis conſignata perdiderint, ad ſumptus duplicatorum extrahendorum teneri decernimus. 10.

Et oſtenſa Exequutoribus carta dotali, non gravetur, vel inhibitione aliqua, nihil exigant mercedis, neque faciant exequutionem aliquam, & ſi quam fecerint, gratis reſtituant. 11.

Quando autem Exequutor aſſerit aliquam exequutionem non feciſſe eo quia ſibi exhibitum fuerit non gravetur, vel carta dotalis vel inhibitio, debeat ſumere ejus copiam ſi brevis eſt, vel ſaltem annotare diem, Notarium, & Judicem, qui hujuſmodi inhibitionem, aut Non gravetur, aut cartam dotalem conceſſit, aliàs Exequutor Judicis arbitrio puniatur. 12.

Reſtituat quilibet Exequutorum prædictorum exequutiones, ſive bona in executione capta gratis, quotieſcumque Judex id mandaverit. 13.

Porro,

14. Porrò, traditis ſibi mandatis de conſignandis pignoribus in exequutione captis, non poſſint Exequutores eorum conſignationem vigore cujuſvis impedimenti ſupervenientis effugere vel differre, ſed teneantur omninò dicta pignora conſignare.

15. Ceterum nullus Exequutor aut birruarius poſſit mandata civilia exequi alterius Tribunalis, quàm ejus in quo ſunt ipſi exequutores, exceptis Exequutoribus aut birruariis Gubernatoris Urbis, Vicarii, Auditoris Cameræ, Senatoris, & burgi, pro quibus omnibus teneantur eorum Baroncelli, contra quos quocumque caſu procedatur exequutive, & manu regia.

16. Baroncelli autem, & ceteri Exequutores Urbis poſſint ad exequutionem procedere contra committentes fraudes, & facere, ut aiunt inventiones, eo modo quo Extraordinarii, & alii Curiæ Capitolinæ, & Conſervatorum exequutores faciunt, dummodo in fraude deprehenſos ad ipſos Conſervatores deferant, & deducant, habeantque partem pœnarum hujuſmodi inventionum, ſicuti & dicti Extraordinarii.

17. Nec quiſpiam eorum qui exequutionem non fecerit ſub prætextu quod facta fuerit exequutio ab eo exequutore à quo fieri non poterat, vel in loco in quo certus exequutor deputatus erat, aliquid prorſus a partibus contra quas exequutio facta fuerit, ſub pœna furti audeat exigere.

18. Capti cum mandato de deducendo ad præſentiam, non carcerentur, nec ad carceres, niſi de expreſſo ordine Judicis illius qui mandatum relaxavit ducantur, etiam quod ipſius Judicis præſentia commodè haberi non poſſit.

19. Baroncelli non exigant à carceratis quicquam ratione expenſarum in explorationibus factarum.

20. Baroncelli, & alii Exequutores quarumcumque Curiarum, Extraordinariis majoribus in ſpectantibus ad eorum Officium obedire teneantur.

11. Quicumque in præmiſſis, ac aliis ſibi vetitis aut ordinatis contravenerit, pro modo exceſſus etiam corporalibus pœnis, ac etiam privationis officii, Superioris ſui arbitrio plectatur, damnaque & intereſſe partibus reficere cogatur, pro quibus damnis, & intereſſe quilibet Baroncellus cujuſcumque Curiæ, pro ſuis Exequutoribus & birruariis obligatus ſit.

## De Carceribus, & Carceratis, & eorum Viſitatoribus, & Cuſtodibus.

*Taxa Cuſtodum eſt in conſt. ſeq. §. 12.*

1. §. 13. CArceres Curiæ Sabellorum, Turris Nonæ, & Capitolii, nullo pacto locentur, ſed ad eorum cuſtodiam, & officium Commentarienſis, ipſorum carcerum domini, ſub certa mercede deputent aliquem virum probum, à Gubernatore Urbis, & quoad Capitolium à Senatore approbatum. Et quatenus de licentia noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum locentur, conductores approbentur à Gubernatore, & Senatore reſpectivè, qui etiam poſſint ipſos conductores ex cauſis illis bene viſis, & ad eorum libitum removere.

*Ad hæc vide ... Pauli III. const. 44 §. 3. ... 31. & seq. ... 36. lib. 1. ... IV. const. ... §. 15. & ... VIII. ... 16. §. 5. ...*

2. Gubernator Urbis, ſemel in Menſe unà cum Pauperum, & Fiſci Advocatis, & Procuratoribus, ac deputatis à Societatibus Charitatis, & Pietatis, ultra Viſitationem ordinariam ſemel in hebdomada fieri ſolitam (quam omninò fieri volumus, & mandamus) viſitet Carceres, tam ſecretos quàm publicos per ſeipſum, ne carcerati indebitè à Cuſtodibus carcerum malè tractentur. Atque ut tabula noviſſimè edita, & in ipſis carceribus affixa tenenda obſervetur, provideat.

3. Protector autem Charitatis, & illius deputati, cum interventu Gubernatoris, & Fiſci Procuratoris, eligat duos Medicos fideles, & expertos, unum ſcilicet Phyſicum, alterum verò Chirurgum, qui viſitent carceratos infirmos & curent, ac de eorum infirmitate cum opus fuerit, fidem gratis faciant eidem Gubernatori, & aliis Judicibus, provideatque eiſdem de competenti ſalario ex pœnis maleficiorum ſolvendo.

4. Eligat etiam in primis aliquem Presbyterum, ſæcularem vel regularem, qui confeſſiones ipſorum infirmorum vel aliorum carceratorum (non tamen ultimo ſupplicio damnatorum, poſtquàm in manibus executorum conſignati fuerint, quorum cura ad Confratres Societatis Miſericordiæ ſpectat) audiat, eoſque carceratos viſitet ac ſpiritualiter conſoletur.

5. Triremes bis in anno viſitentur à Commiſſario ad id deputato.

6. Viſitator verò carcerum, qui nunc à Societate Pietatis carceratorum eligitur, & deputatur, quolibet die poſt carcerum Viſitationem ad Advocatum pauperum accedere, & ſibi nomina eorum qui in dies carcerantur, in ſcriptis, & pariter etiam Judicibus deferre teneatur.

7. Capſæ omnes eleemoſynarum quæ fiunt carceratis, clauſæ teneantur, & claves ſint penes Pauperum Advocatum, qui ſuo arbitrio eas aperiat, & eleemoſynas in eis repertas diſtribuat inter carceratos, qui facultatem ſe alendi, & alimenta aliunde non habent.

8. Carcerati in Ripa præſententur in Viſitatione Capitolii; Carcerati verò in Burgo præſententur in Viſitatione Turris Nonæ, & Viſitationes intimentur Camerario Ripæ, & Judici Burgi per Procuratores Pauperum.

9. Ceterum omnes de carcere ad carcerem occaſione Viſitationis tranſportandos, birruarii cujuſvis Tribunalis requiſiti tranſportare debeant gratis, & nihil prorſus recipiant etiam nomine muneris, ſub pœna privationis officii, & trium ictuum funis publicè infligenda.

10. Citationes contra carceratos in carceribus exequendæ nonniſi perſonaliter fiant.

11. Arreſta contra debitores aliter quàm præcedente mandato ſervatis ſervandis relaxata, nulla ſint, & eis non obſtantibus arreſtati relaxentur.

12. Alimenta debitoribus carceratis ex decreto præſtanda deponantur anticipatè ſaltem pro decem diebus, & integra carceratis ſolvantur, & conſignentur abſque ulla diminutione vel retentione.

13. Carcerati pro teſtibus, quibus ab Inſtigatore vel Fiſco præſtari debent alimenta neceſſaria, quamdiu ibi detinebuntur, expediti ſtatim relaxentur gratis ubique, nec pro dictis alimentis ſive expenſis ullatenus retineantur, ſed carcerum Cuſtodes illa exigant ab Inſtigatoribus, vel Fiſco.

14. Inſtrumenta ſatiſdationum pro carceratis in partibus datarum vel receptarum, nonniſi parte cujus intereſt citata, in actis producantur, & aliter producta non ſuffragentur, & Notarii qui ea ſine partis citatione receperit, periculo recepta intelligantur.

15. Julius dari ſolitus Cancellario Baroncelli pro quolibet carcerato relaxando, ſolvatur Cancellario dumtaxat Baroncelli Gubernatoris, & non aliis cujuſvis alterius Tribunalis, & quando mandatum erit ſignatum gratis, nihil, quando verò in forma pauperum, nonniſi medietatem Julii Cancellarius præfatus poſſit, & audeat exigere, ſub pœna arbitrio viſitatorum.

16. Relaxati à carceribus in quibus pro cauſa criminali detinebantur, per ſpatium horæ non poſſint pro civili cauſa capi, & carcerari.

17. Relaxati verò à carceribus ob non præſtationem alimentorum, poſſint quidem volente quandocumque creditore alimenta præſtare, denuò carcerari, ſed non cum eodem mandato, niſi prævia nova citatione, & facto alimentorum depoſito, ſaltem pro quindecim diebus, aut amplius arbitrio judicis.

18. Pauperes carcerati quando ſunt in caſu liberationis, liberentur, & relaxentur gratis ubique, quoad Judices, Notarios, Executores, carcerum Cuſtodes, & alios omnes, nec quicquam pro nota ſententiæ vel decreti Judicum propinis, aut quibuſvis juribus Fiſcalibus ſolvere teneantur.

19. Et ſi cum exilio relaxentur, conſerventur in ſolita exemptione non ſolvendi Cuſtodibus carcerum expenſas victus habitas in carceribus, & juxta formam mandatorum, ſtatim ac liberè dimittantur.

20. Cuſtodes quorumcumque carcerum, ſeu Commentarienſes, obſervent & ipſi tabulam poſt præſentem conſtitutionem ſuo loco imprimendam, quam etiam

publicè affixam teneant, & alias ordinationes, & decreta ipſos concernentia, ſub pœnis contentis in eis.

21. Obſervent inſuper, & executioni ſemper demandent quicquid communi Viſitatorum voto fuerit deliberatum & inobſervantes eorumdem Viſitatorum arbitrio puniantur.

22. Et poſt decretum à Viſitatoribus factum de relaxando debitorem, Cuſtodes ad inſtantiam cujuſvis creditoris Arreſta eadem die non recipiant, ſed nec etiam poſtea ad inſtantiam illius creditoris qui eum detinebat, niſi Arreſtum fuerit à duobus Viſitatoribus ſubſcriptum.

23. Teneantur etiam dicti Cuſtodes, poſt publicam viſitationem carcerum, à Viſitatoribus ſeu ab Advocato pauperum requiſiti, dare notam carceratorum criminalium in ſecretis exiſtentium, cum expreſſione temporis & Judicis illorum.

24. Et infirmos etiam pro civili cauſa detentos, teneantur ponere in Valetudinario, quod infirmariam appellant.

25. Detentos in publicis carceribus ſuperioribus, & in mediis, quolibet die conducant ad audiendam Miſſam.

26. Nullum recipiant in carceres, quem prius non deſcribant in libro carceratorum, de cujus mandato, ad cujus inſtantiam, & pro qua cauſa captus, & an pro ſuſpicione fugæ. Alioqui carceratus non deſcriptus ad nullas victus aut carceris expenſas teneatur.

27. Ac bona, vel pecuniæ quæ penes ipſum ad carceres ductum reperiuntur, facto inventario in ejuſdem carcerati præſentia, cum duobus teſtibus conſignentur Cuſtodi carcerum, qui teneatur omnia integre reſtituere ad mandatum Judicis, qui illum capi fecit.

28. Nec poſſint Cuſtodes vel Capitanei, quicquam veſtimentorum carceratis auferre, vel ſibi retinere, prætextu alimentorum præſtitorum, ſub pœna privationis officii, & aliis arbitrio Viſitatorum.

29. Detentis in ſecretis carceribus nullo pacto, directè vel indirectè prohibeant, vel impediant quo minus alimenta aliundè deferantur, facta tamen prius per ipſos Cuſtodes diligenti inquiſitione, ne apodiſſa, vel quid aliud in ferculis tranſmittatur, niſi aliud ſibi à Judice demandatum fuerit. Atque in tali caſu alimentorum aliunde habitorum, non poſſint Cuſtodes quicquam à dictis carceratis, neque pro alimentis, neque alia de cauſa prætendere.

30. A carceratis autem in publicis carceribus, & ut dicitur ad largam exiſtentibus, nihil pro Camera, paſſaggio, vel etiam alimentis ultra quinque dies petere poſſint.

31. Similiter pro tranſportatione carceratorum ad alios carceres de mandato Judicis facienda, vel pro extractione à carceribus ad effectum alicujus contractus vel obligationis faciendæ, aut etiam pro extractione compedum nihil recipiant.

32. Nec pro Arreſto ab Arreſtantibus, etiam ſponte dantibus plus exigant vel recipiant, quàm à carcerato exigitur pro relaxatione à carceribus.

33. Non permittant in publicis mulierum carceribus neque ad earum ferreos cancellos, ſeu feneſtras, aliquem alium carceratum accedere ſeu verſari.

34. Et ubi Judices in mandatis de excarcerando apponunt clauſulam, Abſque alia manu, etiam Procuratoris Fiſci, vel Commiſſarii Cameræ reſpectivè, Cuſtodes ob dire, & carceratos dimittere teneantur, licet Procurator Fiſci, aut Commiſſarius Cameræ reſpectivè manum apponere recuſaverit.

### De facultatibus Viſitatorum carcerum.

1. *Ad hæc vide cõſt. 44. Pauli III. lib. 1. & conſtit. 68. Pii V. lib. 2.*

§. 16. Viſitatores carcerum poſſint relaxare debitores à carceribus ex cauſis infraſcriptis.

Primò, concedendo dilationem data cautione de ſolvendo infra tempus aſſignatum, & hoc præſertim quando Viſitatores conſiderant retentionem debitoris

2. cedere non ſolum in ipſius præjudicium, verum etiam creditorum, cum debitor in carceribus exiſtens efficiatur deterioris conditionis, & in dies minus ſolvendo, ubi extra carceres faciliùs intra tempus aſſignatum modum ſatisfaciendi repertorus ſit, & hoc dummodò creditores ſint ditiores, & ære alieno non onuſti.

Secundò, relaxare poſſint debitorem, qui licet non habeat pecunias in promptu, habet tamen tot bona, ex 3.
quorum venditione poteſt creditoribus ſatisfieri, & ex tunc conſenſit eorumdem bonorum ſubhaſtationi, & Viſitatores hoc faciant facta prius per debitorem indicatione ſuorum omnium bonorum, ac data cautione de ſe repræſentando, in eiſdem ſtatu, & terminis in quibus carceratus reperitur, in caſu impedimenti, vel quod bona non ſufficiant.

Et ſi bona non ſufficiant, nec bonis cedere velit, neque 4.
biretum viride deferre, nonniſi de omnium creditorum conſenſu quemquam relaxare poſſint.

Idemque ſervetur etiam quod clarum ſit, debitores 5.
nullum prorſus habere modum ſatisfaciendi creditoribus ſuis, niſi ex ſudore vultus ſui.

Tertiò, relaxare poſſint quando creditor executionem 6.
habet realem, & eſt in bonis captis per executionem ſibi bene cautum.

Quartò, in caſu infirmitatis creditores eorum ſumpti- 7.
bus pauperibus debitoribus alimenta, & medicamenta miniſtrent in carceribus, quibus creditoribus recuſantibus relaxentur habita fide à Medicis deputatis, & data cautione, ſi illam habent, ſin minus recepta juratoria cautione, de ſe repræſentando poſtquam convaluerint. Quod ſervetur etiam in debitoribus non pauperibus infirmis, qui data pariter cautione de ſe repræſentando, ut ſupra, ſub pœna debiti relaxari poſſint.

Quintò, relaxentur debitores quando cognita eorum 8.
paupertate, & pertinacia creditoris, qui tamen non ſit æquè pauper, ei mandatum fuit ut carcerato debitori ſubminiſtret alimenta, & ipſe hoc facere recuſat. Quandocumque autem debitori relaxato creditor paratus ſit alimenta præſtare, poſſit illum cogere ad redeundum ad carceres, prout ſupra diſpoſitum eſt.

Sextò, relaxentur mulieres pro debito civili detentæ 9.
quando ſunt honeſtæ, etiamſi captæ ſint pro debito publico.

Septimò, relaxare poſſint debitores, qui ex natura de- 10.
biti de jure non tenentur ultra id quod facere poſſunt, tunc enim nec carcerari poterunt, & propterea contra bona eſt executio dirigenda.

Octavò, relaxentur debitores capti ut ſuſpecti de 11.
fuga, data cautione de ſe repræſentando ſub pœna debiti.

Nonò, relaxentur debitores facta ceſſione bonorum 12.
prout de jure, & ſervata forma conſtitutionum fel. rec. Pii Papæ IV. incip. Cupientes mercatoribus, & Pii Papæ V. incip. Reverendi Domini Viſitatores.

Decimò, relaxentur debitores nulliter, & indebitè 13.
capti, de qua nullitate manifeſtè conſtet.

In quibus omnibus relaxationibus ſint præſentes Ju- 14.
dices, qui mandata relaxarunt, & uti edocti atque inſtructi de meritis cauſæ rationem reddant.

Et in præmiſſis habeatur ratio paupertatis creditoris, 15.
& an debitor calumnioſè diu litem ſuſtinuerit, fatigando creditorem expenſis, & laboribus, & an aliam dilationem habuerit, & creditori non ſatisfecerit, non conſtito de legitimo impedimento. Et in his omnibus Viſitatores arbitrio utantur, & penſatis qualitatibus tam creditoris quàm debitoris, ac facultatibus, & natura debiti, decernant ea quæ juri, & æquitati, & utilitati etiam creditorum conveniant.

Cum autem à Viſitatoribus carcerum fuerit alicujus 16.
carcerati cauſa commiſſa alteri Judici, quàm illi cui mandatum de carcerando relaxatur, manent nihilominus dictæ cauſæ Notarius is, per cujus acta fuit relaxatum mandatum, & id ipſum ſervetur quandocumque contigerit cautionem aliquam recipi per alium quàm cauſæ Notarium, quo caſu is qui cautionem recipit, teneatur dictæ cautionis integram fidem, & authenticam dare cauſæ Notario.

Quando in viſitatione alicui carcerato dilatio vi- 17.
detur concedenda, illa ſemper intelligatur conceſſa, etiam quoad executionem realem, niſi in ſpecie in decreto ſit appoſita clauſula, Sine præjudicio executionis realis.

Atqui

18 Atque Præſides carcerum, & alii quibus à dictis carcerum Viſitatoribus alicuius carcerati cauſa commiſſa eſt eum carceratum à carceribus relaxarint, nullo pacto ſe amplius in principalis cauſæ cognitionem immiſceant, ſed merita ſuo Iudici cognoſcenda relinquant.

## De Protomedico, & Aromatariis.

*De protomedico vide notata ſupra in conſtit.40. Greg. XIII. lib. 2. Et de Aromatariis attende notata hic ſupr. in conſt.47. Clem. VIII.*

1. §. 25. PRotomedicus in viſitatione Aromatariorum faciat in manibus Notarii præſtare juramentum ab Aromatariis, quod bona in Aromataria exiſtentia, ſunt propria ipſorum, nec alia habent alio loco abſcondita, & qui falſum juraverint, ab eodem Protomedico, & Conſiliariis debita pœna puniantur.

2. Conſules Aromatatiorum, ſicut & ceteri Aromatarii ſint ſuppoſiti jurisdictioni, & obedientiæ Protomedici, à quo ſi quando ſe gravatos ſenſerint, ad Auditorem Cameræ recurrant.

3. Atque in puniendis Aromatariorum delictis, & aliis caſibus in quibus vigore concordiæ Protomedicus, & Conſiliarii tenentur exquirere conſilium Conſulum Aromatariorum, ſi dictis Protomedico & conſiliariis viſum fuerit dictum conſilium minime ſequi, faciant eo non obſtante ſuum decretum, à quo qui ſenſerint ſe gravatos recurrant ad Auditorem Cameræ, & interim, recurſu, vel tempore ad recurrendum pendente, ſuperſedeatur in executione decreti.

4. Iidem Conſules nullam prorſus habeant poteſtatem, & juriſdictionem eligendi Aromatarium, quem Proconſulem vocant, ad viſitandas Aromatarias extra Vrbem degentes, minuſque ſubſcribendi patentes, vt Conſules diſtrictus Vrbis, & ſuperintendentes Artis in Statu Eccleſiaſtico, ſed talis eligendi poteſtas penes Protomedicum ſit, & remaneat.

5. Decreta facta in Congregationibus Aromatariorum, quod nullus Aromatarius poſſit pro veritate fidem aliquam facere niſi de conſenſu vel licentia Conſulum, ſint penitus nulla, & invalida, & quiſque ad libitum poſſit abſque vlla prorſus licentia pro veritate ſe examini ſubjicere, aut extrajudiciales fides facere.

6. Pro pretio rerum Aromatariæ ſervetur præſcriptio quinquennalis, non obſtante quavis interruptione etiam per receptionem partis pecuniarum, aut per dationem aliarum rerum Aromatariæ. Aromatarii nullam prorſus audeant in quemquam exercere, ſub quovis prætextu criminalem juriſdictionem, Protomedicus autem non niſi in delictis pro quibus veniat imponenda pœna pecuniaria vſque ad aureos vigintiquinque.

### Pœnæ Conſtitutionis.

*Pœnarum ordinatio in contravenientes.*

§. 26. QVicumque vero ex iis, qui hac Conſtitutione ſunt comprehenſi, aliquid contra præmiſſa eos reſpectiue concernentia, in quibus ſpecialiter pœna non eſt adiecta commiſerint, illi ſcilicet qui ſupremo magiſtratu funguntur, vel alia dignitate præfulgent, indignationis noſtræ, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aliaſque ſimiliter arbitrio noſtro, & Romani Pontificis infligendas pœnas. Ceteri vero omnes, vltra rerum & pecuniarum male, indebite, vel alias perceptarum reſtitutionem, & alia damna, expenſas & intereſſe, ad quæ omnino, tam ex ſuo quam ſuorum in officio exiſtentium facto teneri, & pro eis executiue ac manu regia procedi volumus & mandamus, pœnam privationis, exilii, & alias pœnas pecuniarias, & etiam corporales arbitrio Iudicis, pro facti & perſonarum qualitate infligendas incurrant.

*Procedatur tam ex officio & per inquiſitionem, quàm ad inſtantiam quorumcumque.*

§. 27. Vt autem præmiſſa omnia & ſingula à Nobis, vt præmittitur, ad publicam præcipue Pauperum carceratorum, & litigantium vtilitatem & leuamen ſtatuta, decreta, & ordinata, debitæ in omnibus & per omnia executioni mandentur, & inuiolabiliter obſerventur, Mandamus omnibus & ſingulis Almæ Vrbis, & Curiæ noſtræ Iudicibus, & Magiſtratibus, ac præcipue Camerario, Vicecamerario, Gubernatori Vrbis, Auditori Cameræ, ac Præſidi Carcerum pro tempore exiſtentibus, & eorum ſingulis, vt vltra alios etiam in aliquo caſu ſpecialiter deputatos, præmiſſa omnia & ſingula ab omnibus obſervari faciant cum effectu, inobedientes coërceant & compeſcant tam ex officio & per inquiſitionem quàm ad inſtantiam Advocati pauperum, Procuratoris Fiſci, Commiſſarii Cameræ, & Procuratorum pauperum pro tempore exiſtentium, & aliorum quorumcumque, omni & quacunque appellatione ſiue recurſu remota.

*Omnes ſunt etiam majores Magiſtratus iſta conſtitutione comprehendantur.*

§. 28. Declarantes hac noſtra Conſtitutione, ſub ſimplici ac generali Magiſtratuum, Iudicum, Notariorum, aut Officialium nomine omnes omnino Magiſtratus, Iudices, & perſonas quantalibet dignitate fulgentes, ac ſpeciali nota dignas, omniaque Tribunalia quavis ſuprema, Camerarii, Vicecamerarii, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarii, cauſarum Sacri Palatii noſtri Auditorum, & Clericorum prædictæ Cameræ Præſidentium, Senatoris, Conſervatorum, locorum Piorum, & ceterarum Curiarum Judices quoſcumque, tam majores quam minores, eorumque Notarios, Officiales, & Miniſtros omnes, nullis prorſus exceptis, comprehendi & ſignificari, & in ea expreſſis pœnis ſubjici, & ad eorum quæ in ea ſancita ſunt, obſervantiam indiſtincte teneri.

*Clauſula ſublata, & decretum irritans.*

§. 29. Et ita per quoſcumque Iudices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & de latere Legatos, judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate. Decernentes irritum & inane quicquid ſecus in præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, & hac noſtra Conſtitutione contentorum, & ſtatutorum, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate, ſcienter aut ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum, & ſanctio pœnalis.*

§. 30. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, legibus, ac Vrbis & Romanæ Curiæ Tribunalium, & Collegiorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtylis & conſuetudinibus, quos & quas per præſentes improbamus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, & literis Apoſtolicis eiſdem Tribunalibus, Officiis, ac perſonis, etiam motu proprio, & conſiſtorialiter, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, etiam in vim contractus, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere vel in ſpecie, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, aut etiam nos conceſſis, approbatis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda, ſeu quævis alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi præfatis perſonis, vel quibuſvis aliis communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo, &c.

*D.P.A.7. die 1. Martii.*

Datum Romæ apud S.Petrum, Kalendis Martii, anno incarnationis Dominicæ 1611. Pontificatus Noſtri Anno 7.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1611. Indictione 10. die verò 10. menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto patris, & D.N. D. Pauli divina providentia Papæ V. anno ejus ſeptimo ſupra ſcriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in Cancellaria Apoſt. & in acie campi Floræ per nos Joannem Dominicum de Pace, & Petrum Matthæum Lucarutium Curſores Apoſtolicos.*

*Paulus Bartocins Mag. Curſ.*

LXXII.

## Taxa Notariorum & Officialium Almæ Urbis.

*Reformavit hic idem Pontifex Tribunalia Romanæ Curiæ, vt in conſt. præcedenti. Et tam illam, quàm iſtam conſt. poſtea declaravit, vt in conſt. ſubſeq.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Motu proprio, &c.*

*Proœmium.* CVm Nos nuper generali reformationi Tribunalium Vrbis incumbentes, Iudicibus, Notariis, aliiſque Officialibus, & Iuſtitiæ Miniſtris ſingulorum Tribunalium, ſingulariumve Curiarum Taxas, juxta quas mercedes & emolumenta exigere & percipere deberent, confici & tradi mandauerimus, jamque expedito reformationis negotio, ac noſtris literis deſuper confectis & publicatis, Taxæ prædictæ, necnon ordinationes nonnullæ ad illarum clariorem intelligentiam de conſilio prudentum virorum, quibus curam hanc demandavimus, vocatis & auditis iis etiam de quorum intereſſe agebatur completæ, ac pleraſque veteres Taxas à prædeceſſoribus noſtris editas, proceſſuque temporis in abuſum tranſactas innovando, pleraſque novas, pro perſonarum & rerum qualitate addendo, tandem Dei auxilio ad formam & modum infraſcripta reductæ fuerint.

*Confirmatio Taxarum.* §. 1. Nos vt illæ validiores & firmiores ſint, omnibuſque innoteſcant, & à cunctis inuiolate ſeruentur opportune providere volentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Taxas & ordinationes omnes & ſingulas ſupradictas, illarum omnium tenorem hic pro repetito, expreſſo & inſerto habentes, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac Bullæ noſtræ generalis reformationis annecti volumus.

*Iuſſio eas obſervandi.* §. 2. Ac ab omnibus Iudicibus, Notariis, Officialibus, & Iuſtitiæ Miniſtris Tribunalium & Curiarum Urbis, & aliis ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ſub pœnis in Bulla reformationis, ac Taxis, & ordinationibus ſupradictis irrogatis, inconcuſsè ac inviolabiliter obſervari.

*Ac in loco publico eas retinenas.* §. 4. Ac in ſingulis Notariorum officiis, Curiiſque & Tribunalibus Taxas illas, quæ Curias, Tribunalia, & officia prædicta concernunt, vulgari idiomate impreſſas in loco publico, quo ab omnibus inſpici, legi & intelligi poſſint, affixas retineri mandamus.

*Contrariis derogatur.* §. 4. Non obſtantibus omnibus, quæ in noſtra Bulla reformationis prædictæ volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Solam ſignaturam ſufficere.* §. 5. Volumus etiam quod præſentium ſola Signatura ſufficiat abſque alia data, & regiſtratura, regula quacumque contraria pariter non obſtante.

*Papa ſubſcr.* Placet Motu proprio C.

## Taxa Notariorum Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ, & ſolutionis Sigilli Illuſtriſſimi D. Card. Camerarii.

*Reformatio Cameræ & Camerarii eſt ſup. in conſt. præced. §. 1.*

1\. §. 1. CItatio ſiue monitorium extra Curiam, vigore commiſſionis Sanctiſſimi, cum inhibitione vel ſine, etiam ſub cenſuris pro vno vel pluribus litis conſortibus, Collegio, Capitulo, vel Vniuerſitate, ſoluantur Notario julii octo, bon. duo cum dimidio. Et pro ſigillo ſoluantur bonon. viginti ſeptem cum dimidio.

2\. Citatio ſiue monitorium ſimile per edictum, Notario ſcutum vnum, ſigillo bon. viginti ſeptem cum dimidio.

3\. Compulſoriales generales ſiue ſpeciales, pro vno ſiue pluribus, vt ſup. Notario ſcutum vnum, ſigillo bonon. 27. cum dimidio.

4\. Remiſſoriæ inſtrumentum, pro vno ſeu pluribus, vt ſupra, Notario julii quindecim, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

Remiſſoriæ rotulus ſi fiat, pro quolibet palmo ſolvantur Notario julii ſeptem cum dimidio, ſit autem palmus linearum triginta, & ſyllabarum decem & octo. 5.

Literæ miſſiuæ clauſæ loco remiſſorialium cum articulis introcluſis pro vno ſiue pluribus, vt ſup. Notario julii ſex, bon. duo cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 6.

Inſtrumentum declaratoriæ vigore commiſſionis, pro vno ſiue pluribus, vt ſup. Notario ſcutum vnum, & ſigillo bon. 27. cum dimidio. 7.

Inſtrumentum litis pendentiæ extra Curiam, pro uno ſiue pluribus, vt ſup. Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 8.

Inſtrumentum ſententiæ vigore commiſſionis, ſi extrahatur pro vno ſiue pluribus, vt ſup. Notario ſcutum vnum, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 9.

Inſtrumentum abſolutionis vel commiſſionis, pro vno, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 10.

Inſtrumentum abſolutionis pro pluribus, Capitulo, Vniverſitate, & ſimilibus, Notario ſcutum vnum, ſigillo julii quinque cum dimidio. 11.

Inſtrumentum abſolutionis cum reincidentia, pro vno ſiue pluribus, vt ſup. Notario Iulii quinque, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 12.

Inhibitio in Curia vigore commiſſionis, pro vno ſiue pluribus, vt ſupra, Notario julii quatuor, ſigillo julius vnus. 13.

Inſtrumentum litis pendentiæ in Curia, pro vno ſiue pluribus, vt ſupra, Notario julii quatuor, ſigillo julius vnus. 14.

Monitorium extra Curiam ſpeciale, in ordinariis etiam cum inhibitione, & etiam pro pluribus conſortibus, Capitulo, vel Vniverſitate, Notario julii quinque, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 15.

Inhibitio in Curia vigore priuilegii, vel recurſus, aut præuia citatione, pro vno vel pluribus conſortibus, Notario julii tres cum dimidio, ſigillo julius vnus. 16.

Citatio extra Curiam vigore appellationis, etiam cum inhibitione, etiam pro pluribus, vt ſupra, Notario julii quinque, ſigillo bon. viginti ſeptem cum dimidio. 17.

Monitorium per edictum extra Curiam, pro vno vel pluribus, ut ſup. Notario Iulii 7. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 18

Remiſſoria per literas clauſas cum articulis, pro vno vel pluribus, vt ſup. Notario julii ſex, bon. duo cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 19.

Sequeſtrum extra Curiam, ſiue mandatum de ſequeſtrando, pro vno vel pluribus, vt ſupra, Notario julii quinque, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 20.

Sequeſtrum in Curia, nihil vbique. 21.

Inſtrumentum litis pendentiæ extra Curiam, pro vno vel pluribus, vt ſup. Notario julii quinque, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 22.

Inſtrumentum declaratoriæ pro vno vel pluribus, vt ſup. Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 23.

Mandatum executiuum poſt declaratorias, pro vno vel pluribus, vt ſup. Notario ſcuta duo, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 24.

Mandatum ſuſpicionis fugæ vſque ad quamcumque ſummam, etiam vigore obligationis Cameralis, pro vno vel pluribus, vt ſup. etiam parte citata, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio. 25.

Mandatum executiuum vſque ad ſcuta vigintiquinque, pro vno vel pluribus, vt ſupra, Notario julii quinque, ſigillo bon. 27. cum dimidio. 26.

A vigintiquinque vſque ad quingenta, Notario julii vigintiduo, ſigillo jul. 11. 27.

A quingentis vſque ad mille, Notario iul. 15. ſigillo julii 11. 28.

A mille vſque ad quamcumque ſummam, Notario ſcuta nouem, & jul. nouem, ſigillo jul. 11. 29.

Mandatum

30. Mandatum de excarcerando ſive relaxando, pro uno vel pluribus, ut ſupra in eadem cauſa, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio.

31. Pro examine cujuſlibet teſtis in officio, tam in commiſſariis quàm in ordinariis, cum articulis & interrogatoriis, Notario jul.4.

32. Si autem ſuper materiis expreſſis in citatione, julii duo.

33. Extra officium capiatur duplum.

34. In exceſſivis arbitrio Judicis.

35. Pro examine cujuſlibet teſtis ſuper intruſione, Notario jul. unus.

36. Pro mandato ſuper intruſione ſine teſtibus etiam pro pluribus, & Capitulo, vel Univerſitate, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. viginti ſeptem cum dimidio.

37. Pro nota ſententiæ diffinitivæ in prima inſtantia, pro uno ſive pluribus, ut ſup. Notario julii trigintaſeptem cum dimidio.

38. In ſecunda inſtantia ſcuta tria.

39. In tertia inſtantia julii 22.

40. Pro nota ſententiæ abſolutoriæ, pro uno vel pluribus, ut ſup. ſcutum unum.

41. Pro nota declaratoriæ, pro uno vel pluribus, ut ſup. ſcutum unum.

42. Pro nota interlocutoriæ, pro uno vel pluribus, ut ſup. ſcutum unum.

43. Tranſumptum extra Curiam alicujus bullæ, inſtrumenti ſeu cedulæ, vel etiam plurium ſimilium, vel aliorum jurium in eodem tranſumpto deſcriptorum, non tamen de ſcripturis Archivii Cameræ, ſi fuerint in fórma probanti (habita ratione ſcripturæ) arbitrio Judicis, pro uno vel pluribus, ut ſup. Notario jul. ſex, ſigillo bon.27. cum dimidio.

44. Pro tranſumpto alicujus bullæ extra regiſtrum bullarum Arhivii, Notario ducatus unus, ſigillo jul.quinque cum dimidio.

45. Pro tranſumpto alicujus bullæ ex Archivio, quando ex licentia Superiorum dare contigerit, ſalva ſemper exceſſivitate ſcripturæ arbitrio Judicis, tam in ſumpto, quàm in tranſumpto, Notario ducatus unus, ſigillo jul. 12.

46. Pro quolibet inſtrumento publicato valoris uſque ad quinquaginta ducatos auri, Notario julii quinque.

47. Uſque ad centum incluſivè, ducatus unus.

48. Uſque ad quingentos, ducatus unus pro quolibet centenario.

49. A quingentis uſque ad mille, dimidium pro quolibet centenario.

50. A mille ſup. ſolvatur unum quartum pro quolibet centenario excedente.

51. Pro inſtrumentis non Cameralibus, quorum merces non ponitur in maſſa, ſervetur taxa Notariorum Auditoriæ Cameræ.

52. Pro literis de jure ſummario, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bonon. vigintiſeptem cum dimidio.

53. Pro literis commendatitiis, Notario jul. quinque, ſigillo bon.27. cum dimidio.

54. Pro rogitu quorumlibet inſtrumentorum, caſſatione, & pro rogitu teſtamentorum, & aliorum, ſervetur conſtitutio Sanctiſſimi Domini noſtri in rubr. de Notariis, §. pro rogitu cujuſlibet, & §. pro caſſatione, & §. in tradendis, & §. pro rogitu teſtamentorum.

55. Pro quocumque depoſito cujuſcumque ſummæ vel rei, per cedulam vel ſine, nihil recipiatur.

56. Pro reſtitutione verò cedulæ vel depoſiti, uſque ad ſummam ſcutorum quadragintaquinque incluſivè, recipiant Notarii omni caſu bonon. duos tantum pro quolibet ſcuto, nec aliud quicquam, neque pro reſtitutione cedulæ, neque pro mandato, neque pro quietatione.

57. A ſcutis quadragintaquinque ſupra, uſque ad quamcumque ſummam, quando depoſitum eſt factum ante mandati relaxationem abſque conditione, vel proteſtatione extrinſeca, cum conſenſu quod conſignetur adimpletis conventis, & facta legitima quietatione, tunc pro mandato de conſignando habeat Notarius jul.4. cum dimidio, & alios quatuor cum dimidio pro conſignatione cedulæ, & non ultra.

58. Quando vero depoſitum eſt cum proteſtatione, vel conditione extrinſeca, non conventa in ſcriptura cujus vigore agitur, adeo quod oriatur ſuper ea decretum, tunc pro mandato de conſignando illud, habeat Notarius tantum quantum ſolveretur pro mandato illius ſummæ executivo, & amplius jul. 4. cum dimidio pro reſtitutione cedulæ, ſi conſignetur in totum, ſin minus, julium unum pro quietatione ſummæ quæ conſignabitur, & non ultra.

59. Quando depoſitum eſt falſum poſt mandati executivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura deſuper fieri decreta contingat, nunquam habeat Notarius, niſi julios quatuor cum dimidio pro mandato de conſignando, & totidem pro reſtitutione cedulæ & quietantia, ſi integrum conſignetur, alioqui ultra mandati prædicti mercedem habeat julium unum pro quietantia, ut ſup. & nihil amplius in quolibet prædictorum caſuum.

60. Mandatum de conſignando, aut deliberando à vigintiquinque ſcutis infra, Notario jul.3. cum dimidio, ſigillo julius unus.

61. A viginti quinque ſup. uſque ad quamcumque ſummam, Notario jul. quinque cum dimidio, ſigillo bon.27. cum dimidio.

62. Mandatum regaliarum in totum, Notario Julii quinque cum dimidio, ſigillo bonon. vigintiſeptem cum dimidio.

63. Mandatum gratioſum de ſolvendo, pro uno ſeu pluribus, ut ſup. Notario julii tres cum dimidio, ſigillo julius unus.

64. Mandatum de reſtituendo à ſcutis vigintiquinque infra, pro uno ſeu pluribus, ut ſup. Notario julii 3. cum dimidio, ſigillo julius unus.

65. Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

66. Mandatum de immittendo, aſſociando, vel manutenendo, ſeu ſimile, ſervatis ſervandis, exigatur prout in mandatis executionis.

67. Mandatum eleemoſynæ ſalis, Notario jul. tres.

68. Mandatum de obſervando cum inſertione privilegii, pro uno ſeu pluribus, ut ſup. Notario ſcutum unum, ſigillo bon.27. cum dimidio.

69. Pro mandato de retinendo annatam, Notario ſcutum unum, ſigillo ſcutum unum.

70. Patentes quod ſoluto damno non teneatur ad pœnam, pro uno ſive pluribus, ut ſupra, Notario julii 11. ſigillo julii 11.

71. Patentes faciendi mercatum, ſeu nundinas, Notario jul.22. ſigillo jul.11.

72. Patentes ad favorem conducentium graſciam ad Urbem Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon.27. cum dimidio.

73. Patentes conceſſionis Arcis, vel aliorum bonorum, Notario jul.11. ſigillo jul.11.

74. Patentes aperiendi apothecam barbitonſoris, Notario julii 11. ſigillo jul.11.

75. Patentes deferendi arma pro Miniſtris, & Appaltatoribus Cameralibus, Notario ſcutum unum, ſigillo ſcutum unum.

76. Patentes ad favorem deferentium aurum ſeu margaritas ad Urbem, & ſtatum Eccleſiaſticum, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio.

77. Patentes conceſſionis officii proxenetæ Ripæ in numero 25. Notario julii 22. ſigillo ſcuta quadraginta auri in auro.

78. Patentes conceſſionis officii Notariatus Rotæ, ex illis duodecim ad Cardinalem Camerarium ſpectantibus, Notario jul. undecim, ſigillo ſcuta vigintiquinque in auro.

79. Quietantia decimarum vel alterius ſubſidii, pro uno Notario jul.5. cum dimidio, ſigillo bon.27. cum dimidio.

80. Pro Clero, & Capitulo, vel pluribus, Notario jul.11. ſigillo jul.5. cum dimidio.

Quietantia

81. Quietantia conſuetam unius anni, pro uno ſeu pluribus conſortibus, Notario jul. tredecim, ſigillo jul. quatuordecim.

82. Quietantia unius quindennii, pro uno ſive pluribus, Univerſitate, vel Capitulo, Notario julii duodecim, ſigillo julii 12.

83. Remiſſio caducitatis in plena Camera, pro uno vel pluribus conſortibus, Notario jul. vigintiduo, ſigillo jul. undecim.

84. Salvus conductus pro Navi, Notario julii 15. ſigillo julii 11.

85. Rogitus præſtationis juramenti, pro computis ſolidandis, & fide illius, Notario 5. cum dimidio.

86. Pro quietantia apponenda in mandatis de ſolvendo, non tamen ordinariis, Notario jul. 2. pro quolibet centenario, pro ordinario verò nihil.

87. Pro patentibus confirmationis ſtatuti, & capitulorum, ſive pro privatis, ſive pro Collegio, vel Univerſitate, Notario julii 11. ſigillo julii 11.

88. Pro patentibus confirmationis officiorum, ſeu bonorum Cameræ, pro uno vel pluribus, ut ſupra, Notario julii 11. ſigillo julii 11.

89. Pro patentibus deputationis alicujus officialis, Notario julii 11. ſigillo julii 11.

90. Pro literis Cameralibus juſtitiæ, pro uno vel pluribus conſortibus, ut ſupra, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio.

91. Mandatum de admittendo aliquem ad officium Curſoratus, Notario julii 11. ſigillo julii 11.

92. Patentes cum inſertione motus proprii, ſive brevis in Camera Apoſtolica præſentati pro uno ſive pluribus, ut ſupra, Notario jul. 11. ſigillo jul. 11.

93. Pro tolerantia pro Judæis pro quolibet anno, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo jul. 11.

94. Abſolutiones, quas vocant, à tranſgreſſibus pro Judæis non ſunt taxatæ, quia nullo modo ſunt concedendæ.

95. Patentes exemptionis ob numerum duodecim filiorum, Notario jul. 11. ſigillo jul. 11.

96. Patentes effodiendi theſauros, ſive mineras, aut puteolanam, Notario jul. 11. ſigillo jul. 11.

97. Atteſtatio viſitationis liminum, Notario julii quinque cum dimidio, ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio.

98. Mandatum de caſſando annatam alicujus Eccleſiæ, Notario ſcutum unum, ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio.

99. Pro quolibet conſenſu præſtito per principalem, Notario bon. 27. cum dimidio.

100. Pro recognitione mandati, Notario jul. unus.

101. Pro conſenſu coadjutoriæ, Notario ducatus unus.

102. Pro conſenſu ceſſionis Monaſterii Conſiſtorialis, Notario ducatus unus.

103. Pro conſenſu ceſſionis Eccleſiæ Cathedralis, Notario ducati duo.

104. Pro conſenſu reſervationis penſionis per obitum, ad favorem Palatinorum, ſeu alterius perſonæ, comprehenſis obligatione principalis, & fidejuſſionibus, ſi in Italia adeſt beneficium, Notario ducatus unus, ſi extra Italiam ducati duo.

105. Pro conſenſu reſervationis penſionis ſuper fructibus menſæ Monaſterii Conſiſtorialis, Notario ducatus unus.

106. Pro conſenſu reſervationis penſionis ſuper fructibus alicujus Eccleſiæ majoris, Notario ducatus unus.

107. Pro regiſtratura unius bullæ, pro ſingulis quinque lineis, Notario bon. 11.

108. Pro regiſtratura bullæ alicujus Monaſterii virorum, Notario ducati tres.

109. Pro regiſtratura bullæ alicujus Eccleſiæ majoris, Notario ducati 4.

110. Pro regiſtratura bullæ Monaſterii Monialium uſque ad valorem annuum ducentorum ducatorum, Notario ducatus unus.

111. Uſque ad trecentos ducatos, Notario ducatus unus cum dimidio.

112. A trecentis uſque ad quingentos, Notario ducati duo.

113. Et Notarius regiſtri, vel ejus Subſtituti non poſſint gravare partes ultra taxam appoſitam in bulla per menſarium Taxarum ſub pœnis in reformatione Sanctiſſimi appoſitis, ac ſoluta taxa ordinaria, nihil prorſus pro collationatura, vel regiſtratura recipiant.

114. Pro qualibet obligatione annatarum, Notario bon. 27. cum dimidio.

115. Pro quolibet teſte, Notario bon. 11.

116. Pro qualibet quietantia annatæ uſque ad ducentos ducatos excluſivè, Notario bon. 27. cum dimidio.

117. Pro ducentis ducatis, Notario jul. 5. cum dimidio.

118. A ducentis uſque ad quatuorcentum excluſivè, Notario julii 8. cum dimidio.

119. Pro ducatis quatuorcentum, Notario ducatus unus.

120. Pro quietantia communium uſque ad ducatos de Camera centum, Notario ducatus unus.

121. A centum uſque ad quingentos, Notario ducati duo.

122. A quingentis uſque ad mille excluſivè, Notario ducati tres.

123. Pro mille ducatis, Notario ducati quatuor.

124. A mille verò uſque ad quamcumque ſummam, multiplicetur uſque ad dictam rationem quatuor ducatorum pro quolibet milliari.

125. Pro qualibet obligatione ſolvendi commune, Notario jul. 5. cum dimidio.

126. Pro decreto relaxationis bullæ Eccleſiæ Cathedralis, Notario ducati duo.

127. Pro decreto relaxationis bullarum Monaſterii, Notario ducatus unus.

128. Pro qualibet reſtitutione bullarum, etiam quod ſint plures, Notario bon. 27. cum dimidio.

129. Abſolutio à cenſuris pro uno, Notario julii 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

130. Abſolutio à cenſuris pro pluribus, Capitulo, vel Univerſitate, Notario jul. 11. ſigillo jul. 5. cum dimidio.

131. Arreſtum pro uno vel pluribus in eodem negotio vel cauſa, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

132. Atteſtatio valoris ducati, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

133. Atteſtatio ſuperviventiæ, vel obitus, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

134. Atteſtatio decreti Cameralis, pro uno vel pluribus, ut ſupra, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

135. Aggravatoria excommunicationis, ſeu aggravatoria cum invocatione brachii ſecularis, pro uno vel pluribus, aut Collegio, Capitulo, vel Univerſitate, Notario jul. novem, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

136. Bannimentum pro uno vel pluribus conſortibus, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

137. Exequatur mandatorum non emanatorum à Tribunali Cameræ, ſi prævia cauſæ cognitione, & tranſportatis actis, & ſi ſupra ſcuta 25. exigatur prout in mandatis executivis.

138. Si Infra, vel ſupra, ſine cauſæ cognitione, Notario jul. 3. cum dimidio, ſigillo jul. unus.

139. Pro fide præſtiti juramenti, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

140. Pro fide pro nauta, Notario jul. 5. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

141. Inſtrumentum moderationis, vel reductionis inhibitionis ad viam juris, vel ſuperſeſſoriæ, pro uno vel pluribus, Notario jul. 5. ſigillo bon. 27. cum dimidio.

142. Indultum ſuper aliquo novo modo invento, Notario jul. 21. ſigillo julii 21.

143. Indultum imponendi, & exigendi collectam etiam pro Univerſitate, Notario julii 11. ſigillo jul. 11.

144. Indultum faciendi lottum, Notario julii 11. ſigillo julii 11.

145. Salvus conductus à debitis extra Statum Eccleſiaſticum contractis juxta formam noviſſimam, Notario jul. 11. ſigillo jul. 11.

146. Tracta grani extra Statum Eccleſiaſticum, & Civitates Bononiæ & Ferrariæ (quæ non concedatur, niſi prævio chirographo ſignato manu Sanctiſſimi) ab uno rubro uſque ad decem rubra, Notario jul. unus, ſigillo jul. unus.

147. A decem uſque ad quinquaginta incluſivè Notario bon. 27. cum dimidio, ſigillo bon. 27. cum dimidio.

148. A quinquaginta uſque ad centum incluſivè, Notario jul.

jul. quinque cum dimidio , ſigillo bon. vigintiſeptem cum dimidio.

149. A centum uſque ad ducenta , Notario jul.11. ſigillo jul.11.

150. Et ab inde ſupra pro ſingulo centenario rubrorum, jul.5. cum dimidio , ſigillo jul.11.

151. Pro tractis expediendis à Præfecto Annonæ :

152. Ab uno rubro uſque ad quinquaginta , Notario jul. unus, ſigillo jul. unus.

153. A quinquaginta uſque ad centum , Notario jul.2. ſigillo jul.2.

154. A centum uſque ad quamcumque ſummam , Notario jul.5. ſigillo jul.5.

155. Pro tractis infra Statum de Provincia ad Provinciam ( præter loca comprehenſa in facultatibus Præfecti Annonæ ) quæ non concedantur niſi prævio chirographo ſignato manu Sanctiſſimi, ab uno uſque ad quinquaginta , Notario jul.2. ſigillo jul.2.

156. A quinquaginta uſque ad centum , Notario jul.4. ſigillo jul.4.

157. A centum uſque ad quamcumque ſummam, Notario ſcutum unum , ſigillo ſcutum unum.

158. Pro tractis de loco ad locum in eadem Provincia, nihil ubique.

159. Licentia extrahendi uſque ad unam ſalmam olei, pellium , vel ſaponis ; nihil ubique.

160. Pro ſalmis duabus , Notario jul.2. ſigillo jul.2.

161. Pro ſalmis tribus uſque ad quinque , Notario jul.3. ſigillo jul.3.

162. Pro ſalmis quinque uſque ad decem , Notario jul.5. ſigillo jul.5.

163. Pro decem , Notario jul.21. ſigillo jul.11.

164. Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam , pro ſingulis decem ſalmis, Notario jul. 5. cum dimidio , ſigillo jul.5. cum dimidio.

165. Pro rebus quibuſcumque, quæ ad Urbem conducuntur , nihil ubique.

166. Idem fiat de pellibus quando concedi contigerit.

*Eſt ſublata in conſt. ſeq. §.15.*

167. Idem de ſapone ex Urbe vel aliunde extrahendo.

168. Pro licentia extrahendi oleum extra Statum ( prævio tamen chirographo manu Sanctiſſimi ) ad rationem milliarium , pro ſingulis tribus millibus , Notario jul.11. ſigillo jul.11.

169. Et ſic augeatur , & minuatur proportionabiliter.

170. Idem fiat de carnibus ſalitis.

171. Pro licentia extrahēdi petia tria ſolæ albæ, nihil ubiq.

172. Pro licentia extrahendi ſalmam unam calceamentorum novorum , ſeu veterum , nihil ubique.

173. Licentia extrahendi cincia uſque ad libras mille, nihil ubique.

174. A mille uſque ad tria millia , Notario bon. 27. cum dimidio , ſigillo bon.27. cum dimidio.

175. A tribus millibus uſque ad quinque millia , Notario jul.5. cum dimidio, ſigillo jul.5. cum dimidio.

176. A quinque millibus uſque ad octo millia , Notario jul.8. bon.2. cum dimidio , ſigillo jul.8. bon.2. cum dimidio.

177. Ab octo millibus uſque ad decem millia, Notario jul. 11. ſigillo jul.11.

178. Et ſic augeatur proportionabiliter.

179. Pro licentia extrahendi agnos quinquaginta , Notario jul.2. ſigillo jul.2.

180. Pro centum , Notario bon. 27. cum dimidio , ſigillo jul.2.

181. Pro ducentis , Notario jul. quinque cum dimidio , ſigillo bon.27. cum dimidio.

182. [illegible] paſſus , Notario jul. quinque cum dimidio , ſigillo [illegible] dimidio.

183. Et ſic [illegible] ducentis.

184. Literæ [illegible] pro uno vel pluribus, Notario jul. unus , ſigillo jul. [illegible]

185. Licentia accipiendi [illegible] cenſum , vel ſe obligandi pro Communitate vigore decreti Cameræ , uſque ad quamcumque ſummam , Notario jul. ſexdecim cum dimidio, ſigillo jul.5. cum dimidio.

186. Pro non comprehenſis in præſenti taxa, nihil omnino recipiatur , neque à Notariis , neque pro ſigillo.

*[illegible] declara- [illegible] inf. à in [illegible] ſeq. §.16.*

## Taxa Notariorum civilium Gubernatoris Urbis, Vicarii Burgi , & aliorum Tribunalium non habentium propriam taxam.

*Reformatio Curiæ Gubernatoris , & aliorum Tribunalium hujuſmodi eſt ſupr. in conſt. præced. §.3. & ſeqq.*

§.1. PRo quocumque monitorio , arreſto , ſeu præcepto litis introductivo , cum clauſula, Si quis, &c. nihil recipiatur. 1.

Pro quacumque petitione , comparitione , proteſtatione , ſive allegatione , bon. unus. 2.

Pro quacumque revocatione inhibitionis de facto factæ arreſti , ſequeſtri , ſeu cujuſvis mandati , bon.2. 3.

Pro mandato ſuſpicionis fugæ cum examine teſtium, uſque ad ſummam ſcutorum decem , bon. decem. 4.

Cum productione jurium à decem infra , bon.7. cum dimidio. 5.

A decem ſupra cum examine teſtium , bon.12. 6.

Cum productione jurium à decem ſup. bon. decem. 7.

Pro arreſto in carceribus idem ſolvatur reſpectivè. 8.

Pro mandato de relaxando , cum cautione uſque ad ſummam ſcutorum decem , comprehenſa mercede cautionis , bon. quindecim. 9.

Si verò cum conſenſu ſine cautione , bon.12. 10.

Ab inde ſupra, ſi cum cautione, comprehenſa mercede cautionis , ut ſup. bon.25. 11.

Si vero ſine cautione , bon.20. 12.

Pro quocumque mandato in contumaciam , bon.3. 13.

Pro revocatione mandati in contumaciam, bon.2. 14.

Pro non gravetur, ſeu mandato de non moleſtando in forma juris , bon.3. 15.

Pro quocumque depoſito , ſive cedula cujuſcumque ſummæ in actis faciendo , nihil. 16.

Pro reſtitutione depoſiti pro quolibet ſcuto, bon. unus. 17.

Pro rogitu cujuſcumque obligationis in officio uſque ad ſummam ſcutorum decem , bon.7. cum dimidio. *Hoc [illegible] in conſt. ſeq. §.17.*

Ab inde ſupra bon. decem. 18.

Extra officium duplum. 19.

Pro caſſatione cujuſcumque obligationis judicialis uſque ad ſummam ſcutorum decem , bon.5. 20.

Ab inde ſupra , bon. decem. 21. 22.

Pro ſuſceptione termini in judicio ad ſolvendum, bon.2. 23.

Pro moderatione termini , bon. unus. 24.

Pro quocumque partito litis deciſivo, bon.2. 25.

Pro quocumque juramento extra officium, ſuſceptione termini aut actus judicialis uſque ad ſcuta decem, bon.7. cum dimidio. 26.

Ab inde ſupra , bon.decem. 27.

Pro quocumque mandato vigore termini in judicio ſuſcepti , vel juramenti , uſque ad ſummam ſcutorum quinque , bon.5. 28.

A ſcutis quinque uſque ad decem , bon. decem. 29.

A decem uſque ad viginti , bon. viginti. 30.

A viginti uſque ad quamcumque ſummam, bon. quinquaginta. 31.

Pro decreto ſupradicti mandati , bon.2. 32.

Pro quacumque fide de exequendo mandatum in alia Curia decretum , ſeu appoſitionis manus in contumaciam , vel aliàs non facto proceſſu , bon.2. 33.

Pro quocumque rogitu procuræ in officio , bon.2. 34.

Extra vero officium , bon.8. 35.

Pro fide cujuſque procuræ in actis rogatæ vel productæ , bon. decem. 36.

Pro productione quorumcumque jurium , articulorum , & interrogatoriorum , bon.2. 37.

Pro quacumque reſtitutione jurium , cum dimiſſione copiæ à decem ſcutis inf. ( ſupra tamen duo ) in ſcripturis privatis , bon.7. cum dimidio. 38.

A decem uſque ad viginti, bon. quindecim. 39.

A viginti ſupra , bon.20. 40.

Si verò inſtrumenta publica, vel alia jura , duplum in quolibet caſuum prædictorum. 41.

Pro relatione ad videndum jurare teſtes , & illorum inductione , ſpecificatione materiarum , etiamſi inſimul cum inductione teſtium fiat , bon.2. 42.

Pro

43. Pro reſponſione articulorum, ſive præparatoriorum, pro quolibet articulo, ſeu præparatorio etiam generali, ſive fiat cum verbo, ſive fiat per productionem cedulæ, bon. unus.

44. Pro examine teſtis, in quacumque ſumma ſummariè abſque articulis & interrogatoriis, bon.7.cum dimidio.

45. Pro examine ſuper recognitione teſſerarum, bon.4.

46. Pro recognitione apochatum, bon.3.

47. Pro examine ſuper articulis,& interrogatoriis, à ſcutis decem infra (ſupra tamen duo) bon. decem.

48. A decem uſque ad viginti, bon.quindecim.

49. A viginti uſque ad quamcumque ſummam, bon. vigintiquinque.

50. *Si verò articuli, & interrogatoria fuerint exceſſiva, ſolvatur arbitrio Judicis.*

51. Extra verò officium ſolvatur duplum.

52. Pro examine ſuper articulis abſque interrogatoriis uſque ad ſcuta decem (ſupra tamen duo) bon.8.

53. Uſque ad ſcuta viginti, bon.decem.

54. Uſque ad quamcumque ſummam, bon.quindecim, & non ultra.

55. Pro copia teſtium publicatorum,ſolvatur ad rationem ut ſupra pro examine.

56. Pro quacumque informatione Judici facienda, cum oſtenſione actorum, jurium, vel teſtium, ſi qui adſint, à quinque ducatis infra, nihil.

57. A quinque uſque ad decem, bon. ſex.

58. Ab inde ſupra, bon.7. cum dimidio.

59. Et unica tantum informatio in omnibus caſibus ſolvatur.

60. Et ſi fiat extractus,vel regiſtrum,ubi juxta reformationem fieri licet, nihil ſolvatur pro informatione.

61. Pro nota ſententiæ diffinitivæ, & pro quocumque decreto vim diffinitivæ habente, uſque ad ſummam ſcutorum quinque, bon.3.

62. Uſque ad decem, bon.7. cum dimidio.

63. Uſque ad viginti, bon.25.

64. Uſque ad quamcumque ſummam, bon. quadragintaquinque.

65. Pro quocumque mandato vigore ſententiæ ſervatis ſervandis, vel cauſa cognita, uſque ad ſummam ſcutorum quinque, bon. quinque.

66. Uſque ad decem, bon.7. cum dimidio.

67. Uſque ad viginti bon.25.

68. Uſque ad quamcumque ſummam, bon.45.

69. Pro copia cujuſlibet commiſſionis, bon. decem.

70. Pro copia ſimplici cujuſlibet inſtrumenti in actis rogati, bon.7. cum dimidio.

*Declaratur in cõſt ſeq. §.18.*

71. Pro copia ſubſcripta pro fide eorundem, bonon. decem.

72. Pro copia articulorum, ſi ſit magna ſcriptura, bon. decem.

73. Pro copia cujuſlibet petitionis, partiti, juramenti, allegationis, & cujuſcumque alterius acti judicialis in actis facti, bon.2.

74. Pro mandato de evacuando domum, bon.25.

75. Pro quocumque mandato de conſignandis pignoribus, bon.3.

76. Pro quocumque decreto confeſſionis debiti, bon.2.

77. Pro quibuſcumque literis,& declaratoriis vigore monitorii, vel illarum loco,mandato in contumaciam, bon. 37. cum dimidio.

78. Pro quibuſcumque literis excommunicatoriis, ſive declaratoriis, vigore obligationis in forma Cameræ, vel monitorii reintegrati, vel mandato loco illarum, uſque ad ſummam 25. ſcutorum, bon.37. cum dimidio.

79. A vigintiquinque uſque ad quamcumque ſummam, bon. quinquaginta.

80. Pro abſolutione à cenſuris, bon.7. cum dimidio.

81. Pro inſtrumento abſolutionis à cenſuris, idem ſolvatur prout in literis.

82. Pro quocumque brachio ſeculari, ſolvatur duplum ad rationem ſummæ prædictæ.

83. Pro monitorio extra Urbem in illius diſtrictu, bon. viginti.

84. Pro rogitu inſtrumenti poſſeſſionis infra mœnia Urbis, bon.37. cum dimidio.

85. Extra verò mœnia Urbis, arbitrio Judicis.

Pro inventario de bonis extra officium, bon. quinquaginta. 86.

Pro mercede publicorum inſtrumentorum, ſerventur Statuta Urbis. 87.

In cauſis à quinque ſcutis infra ſpecificentur materiæ in actis, & examinentur teſtes abſque articulis, & interrogatoriis, & Notarius teneatur ſuper generalibus examinare, & ſi pars voluerit dare interrogatoria, concordet Notarium. 88.

Et ſi agatur de bonis, & non de pecuniarum quantitatibus, ſtetur arbitrio Judicis, quæ taxa ſolvi debeat. 89.

Pro extractibus fiendis juxta reformationem Sanctiſſimi,& non aliter, pro quolibet folio bene ſcripto juxta dictam reformationem ſub rub. de regiſtris, bon. ſex. 90.

In cauſis verò commiſſariis, juxta prædictam reformationem pro comparitionibus, & relaxationibus, nihil recipiatur. 91.

Et in omnibus caſibus ſolvatur prout in aliis Urbis Tribunalibus ſolvi ſolitum, & conſuetum eſt. 92.

A pauperibus, & miſerabilibus perſonis, nihil: de paupertate, & miſerabilitate ſtetur relationi Advocati, vel Procuratoris pauperum. 93.

## Taxa Notariorum Auditoris Cameræ.

*Reformatio Curiæ A. C. eſt ſup. in conſtitut. præced.4.*

§. 3. IN cauſis ordinariis ad hoc forum pertinentibus etiam quod adſit commiſſio quocumque tempore impetrata, exigatur ut infra. 1.

Pro expeditionibus quando ſunt plures perſonæ conſortes, etiamſi ſint Congregationes, Collegia, Capitula, vel Univerſitates, non niſi pro uno tantum exigatur, prout & in reformatione Sanctiſſimi ſancitum eſt ſub rub. de Notariis, §. pro expeditionibus, *Eſt hic ſup. numero* 79. 2.

Pro monitorio ſpeciali ad partes, jul.9. 3.

Pro monitorio ſpeciali per edictum, jul.11. 4.

Pro monitorio in vim bullæ Eugenianæ, jul.12. 5.

Pro Eugeniana per edictum, jul.15. 6.

Pro monitorio in vim bullæ Cœnæ Domini, jul.duodecim. 7.

Pro citatione cum inhibitione vigore appellationis extra Curiam cum inſertione inſtrumenti ſententiæ, à qua appellatur, jul. decem. 8.

Pro inſtrumento remiſſoriæ, jul.9. 9.

Pro inſtrumento litis pendentiæ extra Curiam, jul. novem. 10.

Pro tranſumpto ſimplici unius bullæ, vel inſtrumenti, aut cedulæ, vel etiam plurium ſimilium,ſeu aliorum jurium in eodem tranſumpto deſcriptorum, ſi fuerint in forma probanti, jul.12. 11.

Si verò in forma, Vidimus, jul.9. 12.

Habita tamen ratione exceſſus ſcripturarum, arbitrio Judicis quoad laborem Notarii. 13.

Pro ſequeſtro extra Curiam, jul.9. 14.

Pro literis ſuperviventiæ, quæ non taxentur, comprehenſo ſigillo, jul.4. 15.

Pro fide legalitatis apponendæ in inſtrumentis Notariorum, in totum unà cum ſigillo, jul.2. 16.

Pro mandato de exequendo, jul.9. 17.

Pro nota ſententiæ, nihil. 18.

Pro ſportulis, nihil. 19.

In cauſis commiſſariis juxta reformationem Sanctiſſimi, ſub rubr. de Auditore Cameræ, §. in cauſis. 20.

Pro citatione vigore commiſſionis abſque inhibitione extra Curiam, jul.9. 21.

Pro citatione cum inhibitione ſimplici, [illegible] 22.

Pro citatione cum inhibitione ſub cenſuris, jul.14. 23.

Pro citatione cum inhibitione ſub cenſuris per edictum, etiam pro neceſſario examine, jul. decem & octo. 24.

Pro inhibitione ſimplici extra Curiam, [illegible] 25.

Pro inhibitione extra Curiam ſub cenſuris, jul.12. 26.

Pro inhibitione in Curia, bon.[illegible] 27.

Pro monitorio ſpeciali, jul. quindecim. 28.

Pro inſtrumento remiſſoriæ, jul.12. 29.

Pro notis ſententiarum diffinitivarum, quæ in ſcriptis 30.

profe

proferuntur, in prima inſtantia ſcuta quatuor, ideſt jul. quadraginta.

31. In ſecunda inſtantia, jul. triginta.

32. In tertia inſtantia, jul. viginti.

33. Pro nota abſolutoriæ ab obſervatione judicii, jul. quindecim.

34. Pro nota interlocutoriæ, jul. quindecim.

35. Pro nota declaratoriæ, jul. octo.

36. Pro mandato de exequendo, jul. quindecim.

37. Pro ſequeſtro, jul. quindecim.

38. Pro ſportulis judicum pro ſententiis diffinitivis in ſcriptis proferendis, non ultra id quod in aliis Curiæ Tribunalibus ordinariis, olim à fel. rec. Pio Papa Quarto, & nuper à Sanctiſſimo præſcriptum, & innovatum eſt, ſub rub. de ſportulis. *Eſt hic ſuprà.*

39. *In certis actis, ſcripturis, & expeditionibus infraſcriptis, ſive cauſæ ſint ordinariæ, ſive commiſſariæ, ſolvatur ut infra, videlicet:*

40. *Pro compulſorialibus generalibus, ſive ſpecialibus, jul. duodecim.*

41. Pro palmo rotuli remiſſoriæ, qui ſit linearum triginta. & quælibet linea ſit ſyllabarum decem & octo, jul. tres.

42. Pro inſtrumento litis pendentiæ in Curia, bon. quadragintaquinque.

43. Pro interdicto ſpeciali, jul. quindecim.

44. Pro inſtrumento relaxationis interdicti, jul. quindecim.

45. Pro executorialibus, jul. triginta ſex.

46. Pro mandato de immittendo in poſſeſſionem vigore literarum Apoſtolicarum, ſeu brevis, jul. decem.

47. Pro abſolutione, ſive abſolutionis commiſſione pro uno, jul. novem.

48. Pro duobus litis conſortibus, jul. quatuordecim.

49. Pro tribus litis conſortibus, jul. decem & octo.

50. Pro quatuor litis conſortibus, jul. viginti tres.

51. Ultra quatuor quotcumque addantur perſonæ litis conſortes, nihil augeatur pretium expeditionis.

52. Pro Capitulo, Collegio, Confraternitate, aut Univerſitate, jul. quinquaginta.

53. Pro inſtrumento abſolutionis, jul. duodecim.

54. Pro decretis à Judice non ex ſcripto prolatis, etiam vim diffinitivæ habentibus, nihil.

55. Pro nota eorumdem, nihil.

56. Pro ſportulis eorumdem, nihil.

57. Pro ſimplici fide, etiam plurium actorum, jul. duo.

58. Pro examine teſtium cum articulis, & interrogatoriis in cauſa æſtimationis, à quinquaginta ſcutis ſuprà uſque ad quamcumque ſummam, ſi articuli non excedant numerum vigintiquinque, & interrogatoria numerum trigintaquinque, in domo, vel officio Notarii, jul. quatuor.

59. Extra officium, non ultra duplum.

60. In cauſa æſtimationis, à quinquaginta ſcutis infrà, ad rationem jul. 11. pro ſcuto ſolvatur tantùm pro dimidia.

61. Quod ſi articuli excedant numerum vigintiquinque, & interrogatoria trigintaquinque, ſolvatur merces Notarii arbitrio Judicis.

62. Pro inſtrumento ſententiæ, ſi extrahatur, jul. quindecim.

63. Pro inſtrumento declaratoriæ, non tamen vigore obligationis in forma Cameræ, jul. duodecim.

64. Pro brachio ſæculari ob non paritionem monitorii, aut litterarum Apoſtolicarum, vel executorialiũ, jul. triginta.

65. Pro mandato ſuſpicionis fugæ, uſque ad quamcumque ſummam, etiam in vim obligationis Cameralis, & etiam parte citata decreto, jul. quatuor cum dimidio.

66. Pro mandato de conſignando vigore ſequeſtri, etiam ubi pro illius verificatione debitor priùs fuiſſet conventus via executiva, vigore obligationis Cameralis, jul. quatuor cum dimidio.

67. Pro mandato de conſignandis pignoribus, ſubhaſtandis, aut deliberandis, jul. quatuor cum dimidio.

68. Pro mandato de relaxando pro debito civili, jul. quatuor cum dimidio.

69. Pro mandato in cauſis civilibus loco literarum, pro parva ſumma, jul. quatuor cum dimidio.

70. Computato in his omnibus mandatis julio ſigilli.

71. Pro mandato executivo, ſive brachio ſæculari, ubi ejus invocatione opus fuerit, per omnia expedito, omnibus comprehenſis, ab uno ſcuto uſque ad quindecim, ad rationem jul. undecim pro ſcuto, jul. quatuor cum dimidio.

A ſcutis quindecim uſque ad vigintiquinque ad eamdem rationem, jul. vigintiduo. 72.

A ſcutis vigintiquinque uſque ad quingentos ad eamdem rationem, jul. trigintatres. 73.

A ſcutis quingentis uſque ad mille, ad eandem rationem, jul. ſexagintaſex. 74.

A ſcutis mille uſque ad quamcumque ſummam ad eamdem rationem, ſcuta undecim. 75.

Pro cenſuris Eccleſiaſticis, vel, in expeditione mandati executivi, ſeu brachii ſæcularis, vel ſeorſum ab eo, nihil. 76.

Neque uſquam aliàs, niſi ubi ad illas ritè proceſſum fuerit re ipſa. 77.

Pro declaratoria, aggravatoria, & reaggravatoria ſimul junctis, & totali earum omnium expeditione, ubi ad eas ritè proceſſum fuerit, & non aliàs, exigatur tantumdem quantum pro mandato, ſeu brachio ſæculari, habita diſtinctione ſummarum, ut ſuprà, ita ut omnis impenſa utriuſque expeditionis, tam mandati ſcilicet, vel brachii ſæcularis, quàm cenſurarum, ſimul juncta, duplum non excedat ejus pretii, quod pro mandato ſeu brachio ſæculari pro qualibet dictarum ſummarum taxatum eſt, excepta ultima majori ſumma, videlicet à mille ſuprà, in qua etiamſi contingat ultra, vel poſt mandatum executivum, ſeu brachium ſæculare cenſuras quoque relaxari, nihil earum nomine exigatur, ſed tantùm ultra pretium ſolius mandati, ſeu brachii ſæcularis, ut ſuprà taxatum, accipi poſſit juſta merces pro ſcriptura. 78.

Nec unquam cogantur partes invitæ unà cum mandato executivo vel brachio ſæculari, cenſurarum quoque expeditionem accipere, aut earum expeditionis pretium ſolvere, etiamſi ad cenſuras ipſas in ſubſidium contra contumacem Judex comminando ritè proceſſerit, & extra loca temporali dominio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubjecta, vel etjam extra Italiam expeditio mittenda foret. 79.

Et ubi quiſquam legitimè ſervatis proceſſibus utramque expeditionem, mandati ſcilicet, vel brachii ſæcularis, & cenſurarum eodem tempore habere voluerit, tunc apponatur verbis expreſſis in ipſa expeditione quoad cenſuras, ne is pretium quod illarum ratione expendit, ullo modo repetere poſſit ab his contra quos decretæ, & prolatæ fuerunt, niſi adverſus eoſdem vigore mandati executivi, ſeu brachii ſæcularis, non ſatisfacientes, aut aliàs non parentes, cenſuris ipſis uti neceſſe fuerit. 80.

Pro duplicatis etiam poſt quodcumque tempus expeditis, nihil præter ſcripturæ mercedem. 81.

Pro ſigillo parvo appenſo in qualibet expeditione, ſi non adſit minor taxa, ſolvatur tantùm jul. unus. 82.

Pro mandatis executivis, vel aliis quibuſcumque expeditionibus, Notarii nihil recipiant, niſi illis effectualiter partibus conſignatis. 83.

Nec partes cogantur accipere aliquam expeditionem, niſi quam voluerint. 84.

Pauperibus expeditiones in forma pauperum, miſerabilibus verò gratis omninò tradant, etiam ſcripturæ mercedem: diſtinctio verò iſtarum perſonarum Judicis arbitrio remittitur. 85.

Pro terminis coram Judice ſervandis, Judicibus informandis, ſcripturis ad eos deferendis, ſeu etiam in officio perquirendis, regiſtris, ſeu extractibus tranſportandis, & aliis hujuſmodi, Notarii, vel eorum ſubſtituti, ſcribæ, & copiſtæ, etiam nomine regalium, ſeu bibaliorum, nihil prorſus etiam à ſponte dantibus accipiant. 86.

In cauſis criminalibus expeditionum, quæ erunt ejuſdem generis, ſeu nominis, cujus ſunt ſupraſcriptæ, pretium augeri non poſſit ultra tertiam partem ejus, quod ſuprà in civilibus præſcriptum eſt. 87.

In regiſtris, extractibus, copiis indiciorum, & alterius quàm ſupradicti generis, ſeu nominis expeditionibus criminalibus, ſervetur Taxa aliis Tribunalibus ordinariis Urbis in criminalibus præſcripta. 88.

Pro rogitu inſtrumentorum, caſſatione, & pro rogitu teſtamentorum, & aliorum, ſervetur conſtitutio Sanctiſſ. D.N. ſub rubr. de Notariis, §. pro rogitu cujuſlibet, §. pro caſſatione, §. in tradendis, & §. pro rogitu teſtamentorum. 89.

Pro mercede inſtrumentorum, ſeu teſtamentorum pu- 90.

bricatorum, ab uno ſcuto uſque ad vigintiquinque, bon. quadragintaquinque.

91\. A ſcutis vigintiquinque uſque ad quinquaginta, jul. ſeptem cum dimidio.

92\. A ſcutis quinquaginta uſque ad centum, ſcut. unum.

93\. A ſcutis centum uſque ad quingenta, pro quolibet centenario ſcutum unum.

94\. A ſcutis quingentis uſque ad quamcumque ſummam, pro quolibet centenario jul. duo.

95\. Dummodo in totum uſque ad centum ſcuta pro qualibet ſumma, & non ultra recipere valeant.

96\. Pro quocumque depoſito cujuſcumque ſummæ vel rei, per cedulam vel ſine, nihil recipiatur.

97\. Pro reſtitutione verò cedulæ, vel depoſiti uſque ad ſummam ſcutorum quadragintaquinque incluſivè, recipiant Notarii omni caſu bon. duos tantùm pro quolibet ſcuto, nec aliud quicquam, neque pro reſtitutione cedulæ, neque pro mandato, neque pro quietatione.

98\. A ſcutis quadragintaquinque ſuprà uſque ad quamcumque ſummam, quando depoſitum eſt factum ante mandati relaxationem, abſque conditione vel proteſtatione extrinſeca, cum conſenſu quod conſignetur adimpletis conventis, & facta legitima quietatione, tunc pro mandato de conſignando habeat Notarius jul. quatuor cum dimidio, & alios quatuor cum dimidio pro conſignatione cedulæ, & non ultra.

99\. Quando verò depoſitum eſt cum proteſtatione, vel conditione extrinſeca non conventa in ſcriptura cujus vigore agitur, adeo quod oriatur ſuper ea decretum, tunc pro mandato de conſignando illud, habeat Notarius tantum quantum ſolveretur pro mandato illius ſummæ executivo, & ampliùs jul. quatuor cum dimidio pro reſtitutione cedulæ, ſi conſignetur in totum, ſin minùs jul. unum pro quietatione ſummæ quæ conſignabitur, & non ultra.

100\. Quando depoſitum eſt factum poſt mandati executivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura deſuper fieri decreta contingat, nunquam habeat Notarius niſi jul. quatuor cum dimidio pro mandato de conſignando, & totidem pro reſtitutione cedulæ, & quietantia, ſi integrum conſignetur, alioqui ultra mandati prædicti mercedem habeat jul. ~~unum~~ pro quietantia, ut ſuprà, & nihil ampliùs in quolibet prædictorum caſuum.

101\. Pro reſtitutione ſcripturarum quarumcumque in eodem termino productarum, etiamſi plures ſint, jul. quatuor cum dimidio.

102\. Pro quibuſcumque copiis, benè & una margine deſcriptis ad inſtar originalis, pro quolibet folio jul. unus.

103\. Pro contradictis, quod verè ſolvitur officio contradictarum, & non ampliùs.

## Taxa Notariorum Rotæ.

*Reformatio hujus Tribunalis habetur ſuprà in conſtit. præcedenti, §. 5.*

1\. §. 4. PRo quolibet centenario foliorum regiſtri boni facti juxta reformationem Sanctiſſimi ſub tit. de regiſtris, jul. ſexaginta. *Eſt hic ſup.* *in conſt. ſeq. Declaratur, § 19.*

2\. Pro quolibet folio copiarum inſtar boni originalis, bon. 7. cum dimidio.

3\. Pro rubricatura cujuſlibet centenarii foliorum proceſſus de partibus, facta juxta reformationem Sanctiſſimi ſub tit. de regiſtris, §. rubricellæ, & §. proceſſus de partibus, & §. Notarii Rotæ, jul. vigintiquinque. *Eſt hic ſuprà, num. 16. 17. & 24.*

4\. Pro rubricatura teſtium de partibus, pro medietate.

5\. Et idem ſolvatur de proceſſibus per alium quàm Notarium rubricatis in Curia, niſi quod deducatur ad favorem partis tantum quantum ſolviſſet Notarius cauſæ copiſtæ rubricanti.

6\. De aliis verò proceſſibus rubricatis in partibus, in quorum rubricatura nihil eſt corrigendum, addendum, vel minuendum, ſolvantur pro reviſione cujuſlibet centenarii jul. quindecim.

7\. Pro citatione ſimplici extra Curiam, jul. ſeptem cum dimidio.

8\. Pro citatione cum inhibitione extra Curiam, jul. quindecim.

9\. Pro citatione cum inhibitione per edictum extra Curiam, vel ſub cenſuris, jul. quindecim.

Pro inhibitione ſimplici facta in Curia, bon. triginta ſeptem cum dimidio. 10.

Pro inhibitione ſimplici extra Curiam ſub cenſuris, jul. undecim, & bon. duo cum dimidio. 11.

Pro citatione ad valvas in Curia tempore feriarum, bon. quindecim. 12.

Pro compulſoria generali extra Curiam, jul. ſeptem cum dimidio. 13.

Pro compulſoria ſpeciali extra Curiam, jul. quindecim. 14.

Pro arreſto generali, jul. tres. 15.

Pro inſtrumento remiſſoriæ ad partes, jul. quindecim. 16.

Pro quolibet palmo rotuli remiſſoriæ numerati juxta reformationem Sanctiſſimi ſub tit. de Notariis omnium Tribunalium, §. literas remiſſoriales, jul. ſeptem cum dimidio. *Eſt hic ſuprà num.* 103. 17.

Et ſi remiſſoria conſignatur non facto regiſtro, depoſitum reguletur ad rationem ſexaginta foliorum regiſtri, excomputandum poſtea in mercede regiſtri. 18.

Pro quolibet ſequeſtro extra Curiam cum illius inſtrumento, jul. quindecim. 19.

Pro inſtrumento revocationis, ſeu relaxationis ſequeſtri, jul. ſeptem cum dimidio. 20.

Pro monitorio pœnali in eventum citatorio extra Curiam, jul. quindecim. 21.

Pro literis excommunicationis in Curia ob non ſolutam mercedem Notarii, vel aliàs, bon. trigintaſeptem cum dimidio. 21.

Pro mandato de reportando regiſtrum, acta, vel proceſſus, ſeu de perquirendo, jul. quatuor cum dimidio. 23.

Pro nota ſententiæ diffinitivæ in prima inſtantia, jul. trigintaſeptem cum dimidio. 24.

In ſecunda inſtantia, jul. triginta. 25.

In tertia inſtantia, jul. vigintiduo cum dimidio. 26.

Pro inſtrumento ſententiæ diffinitivæ, jul. quindecim. 27.

Pro inſtrumento diffinitivæ ſententiæ cum taxatione expenſarum, jul. vigintiduo cum dimidio. 28.

Pro inſtrumento taxationis expenſarum ad partem, jul. ſeptem cum dimidio. 29.

Pro nota ſententiæ interlocutoriæ, nihil. 30.

Pro litteris executorialibus, ſive eorum inſtrumento ultra depoſitum ſcutorum quatuor cum dimidio, excomputandum poſtea in mercede regiſtri, julii quindecim. 31.

Pro nota ſententiæ declaratoriæ vigore monitorii, vel literarum exequutorialium, jul. ſeptem cum dimidio. 32.

Pro inſtrumento ſententiæ declaratoriæ, jul. quindecim. 33.

Pro inſtrumento aggravationis ad partem, jul. quindecim. 34.

Pro inſtrumento reaggravationis ad partem, julii quindecim. 35.

Pro inſtrumento interdicti ad partem, jul. quindecim. 36.

Pro inſtrumento brachii ſæcularis per ſe, & ſimpliciter abſque declaratione, jul. triginta. 37.

Pro inſtrumento abſolutionis ab excommunicationis ſententia, ſive commiſſionis ejuſdem abſolutionis in partibus facienda, etiamſi fuerint plures, ſive Communitas, Capitulum, aut Collegium, in eadem cauſa, & expeditione, jul. quindecim. 38.

Pro mandato executivo cujuſcumque ſummæ, jul. triginta. 39.

Pro mandato de manutenendo, reintegrando, ſive de immittendo, jul. triginta. 40.

Et ſi dentur non confecto regiſtro, liceat exigere depoſitum pro foliis quinquaginta, excomputandum ut ſuprà in mercede regiſtri. 41.

Pro inſtrumento ceſſionis juris, litis, & cauſæ, ſive litis, & cauſæ dumtaxat, ſi extrahatur conjunctim, vel ſeparatim, jul. ſeptem cum dimidio. 42.

Pro nota, ſeu rogitu inſtrumenti hujuſmodi ceſſionis, bon. trigintaſeptem cum dimidio, videlicet quando non extrahitur inſtrumentum; ſed ſi extrahatur, tunc in extractione dicti inſtrumenti defalcatur dicta ſumma, bon. trigintaſeptem cum dimidio. 43.

Pro inſtrumento proceſſus ſubrogationis in jure cujuſvis, jul. quindecim. 44.

Pro examine teſtis in domo Notarii jurati coram Domino, bon. trigintaſeptem cum dimidio. 45.

Extra domum, vel officium Notarii, jul. ſeptem cum dimidio. 46.

Et ſi articuli excedant numerum vigintiquinque, & 47.

interrogatoria

interrogatoria triginta, habeatur ratio exceſſivitatis juxta laborem Notarii.

48. Pro copiis teſtium publicatorum, ſive in partibus, ſive in Curia examinatorum ſolvatur prout de foliis regiſtrorum dictum eſt.

49. Pro quocumque inſtrumento, ſive prorogationis remiſſoriæ, ſive mutationis Judicum, vel alicujus intimationis, aut alio quovis actu judiciali in publicam formam redacto, jul. ſeptem cum dimidio.

50. Pro quocumque *depoſito* cujuſcumque ſummæ vel rei, per cedulam vel ſine, nihil recipiatur.

51. Pro reſtitutione verò cedulæ vel depoſiti, uſque ad ſummam ſcutorum quadragintaquinque incluſivè, recipiant Notarii omni caſu bon. duos tantum pro quolibet ſcuto, neq; aliud quicquam, neque pro reſtitutione cedulæ, neque pro quietatione.

52. A ſcutis quadragintaquinque ſuprà, uſque ad quamcumque ſummam, quando depoſitum eſt factum ante mandati relaxationem, abſque conditione vel proteſtatione extrinſeca, cum conſenſu quod conſignetur adimpletis conventis, & facta legitima quietatione, tunc pro mandato de conſignando habeat Notarius jul. quatuor cum dimidio, & alios quatuor cum dimidio pro conſignatione cedulæ, & non ultra.

53. Quando verò depoſitum eſt cum proteſtatione, vel conditione extrinſeca non conventa in ſcriptura, cujus vigore agitur, adeo quod oriatur ſuper ea decretum, tunc pro mandato de conſignando illud habeat Notarius tantum quantum ſolveretur pro mandato illius ſummæ executivo, & amplius julios quatuor cum dimidio pro reſtitutione cedulæ, ſi conſignetur in totum, ſin minus, jul. unum pro quietatione ſummæ quæ conſignabitur, & non ultra.

54. Quando depoſitum eſt factum poſt mandati executivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiam quod plura deſuper fieri decreta contingat, nunquam habeat Notarius niſi julios quatuor cum dimidio pro mandato de conſignando, & totidem pro reſtitutione cedulæ, & quietantia, ſi integrum conſignetur, alioquin ultra mandati prædicti mercedem habeat julium unum pro quietantia, ut ſuprà, & nihil ampliùs in quolibet prædictorum caſuum.

## Taxa Archivii.

1. §.5. PRo quolibet folio copiæ factæ inſtar boni originalis, Bon. ſex.

2. Pro fide cujuſlibet primi actus, jul. quatuor cum dimid.

3. Et ſi fuerint plures, addatur jul. duo pro quolibet actu.

4. Pro quolibet centenario regiſtri Boni juxta reformationem Sanctiſſimi ſub rubr. de regiſtris, jul. quadragintaquatuor.

5. Pro quolibet centenario rubricaturæ proceſſus de partibus, jul. viginti.

6. Teſtes qui non rubricantur, ſolvantur pro medietate.

7. Proceſſus habiti vigore remiſſoriæ, ſeu compulſoriæ, & alii, etiam non excedentes folia viginti duo, non regiſtrentur, & circa rubricaturam fiat numeratio juxta dictam reformationem Sanctiſſimi ſub rub. de regiſtris.

8. Pro nota ſententiæ in prima inſtantia coram Referendario, jul. triginta.

9. In ſecunda, jul. viginti.

10. In tertia, jul. quindecim.

11. Pro nota ſententiæ interlocutoriæ, jul. quinque.

12. Pro nota ſententiæ declaratoriæ, jul. quinque.

13. Pro inſtrumento declaratoriæ, jul. ſex.

14. Pro brachio ſæculari, jul. decem & octo.

15. Pro nota ſententiæ abſolutoriæ à cenſuris, julii quinque.

16. Pro inſtrumento abſolutionis, etiamſi fuerint plures, aut Capitulum, Communitas, vel Collegium in eadem expeditione, & cauſa, jul. ſex.

*Declaratur inf. ſeq. 10.*

17. Pro inſtrumento reintruſionis in cenſuras ſimiliter ut ſuprà, jul. ſex.

18. Pro quolibet teſte examinato in officio, jul. quatuor cum dimidio.

19. Extra officium, duplum.

20. Et ſi materiæ fuerint exceſſivæ in officio, jul. ſex.

Extra officium, duplum. 21.

Exceſſivitas intelligatur ſi articuli excedant numerum viginti quinque, & interrogatoria numerum trigintaquinque. 22.

Pro publicatione, ſeu ſummario teſtium, ſolvatur modo quo ſuprà, & habeatur reſpectus ad exceſſivitatem modo prædicto. 23.

Pro mandato de manutenendo, jul. decem. 24.

Et ſi fuerit vigore ſententiæ, jul. quindecim. 25.

*Pro* ſimili de reſtituendo, & reponendo, jul. quindecim. 26.

Pro mandato de ſubhaſtando extra Curiam, jul. ſeptem cum dimidio. 27.

In Curia, Jul. quatuor cum dimidio. 28.

Pro alio de deliberando in Curia & extra, tantumdem. 29.

Pro citatione cum inhibitione in Curia, jul. quatuor cum dimidio. 30.

Pro ſimili extra Curiam abſque cenſuris, jul. decem. 31.

Pro citatione cum inhibitione ſub cenſuris extra Curiam, jul. duodecim. 32.

Pro citatione ſimplici extra Curiam, jul. ſeptem cum dimidio. 33.

Pro compulſorialibus generalibus, jul. octo. 34.

Pro compulſorialibus ſpecialibus, jul. decem. 35.

Pro monitorio pœnali vigore commiſſionis, jul. octo. 36.

Pro ſequeſtro extra Curiam, jul. octo. 37.

Pro inſtromento relaxationis illius, jul. ſex. 38.

Pro mandato de conſignando pecunias, res, & bona, poſtquam fuit relaxatum mandatum executivum extra Curiam, jul. novem. 39.

In Curia, jul. ſex. 40.

Pro inſtrumento intimationis litis, ceſſionis, & ſimilium, jul. ſex. 41.

Pro mandato executivo extra Curiam, julii vigintiquinque. 42.

In Curia, jul. vigintiduo. 43.

Pro mandato de exequendo extra Curiam, jul. octo. 44.

Pro fide Decreti, ſeu ſimili mandato in Curia, julii quatuor. 45.

Pro inſtrumento remiſſoriæ, jul. quindecim. 46.

Pro literis miſſivis, etiam cum articulis & interrogatoriis introcluſis, jul. novem. 47.

Pro inſtrumento prorogationis termini remiſſoriæ, ſeu deputationis Judicum, jul. ſex. 48.

Pro quolibet palmo rotuli remiſſoriæ factæ juxta reformationem Sanctiſſimi ſub rubr. de Notariis, §. litteras remiſſoriales, jul. quinque. *Eſt hic ſuprà, n.* 103. 49.

Pro inſtrumento ſubdelegationis, jul. decem. 50.

Pro mandato de immittendo in poſſeſſionem, ſolvatur tantum quantum pro mandato executivo, in Curia, & extra. 51.

Pro depoſito quocumque, etiam cedularum, nihil ſolvatur. 52.

Pro reſtitutione verò cedulæ vel depoſiti, uſque ad ſummam ſcutorum quadragintaquinque incluſivè, recipiant Notarii omni caſu bon. duos tantum pro quolibet ſcuto, nec aliud quidquam, neque pro reſtitutione cedulæ, neque pro mandato, neque pro quietatione. 53.

A ſcutis quadragintaquinque ſuprà, uſque ad quamcumque ſummam, quando depoſitum eſt factum ante mandati relaxationem abſque conditione vel proteſtatione extrinſeca, cum conſenſu quod conſignetur adimpletis conventis, & facta legitima quietatione, tunc pro mandato de conſignando habeat Notarius julios quatuor cum dimidio, & alios quatuor cum dimidio pro conſignatione cedulæ, & non ultra. 54.

Quando verò depoſitum eſt cum proteſtatione vel conditione extrinſeca non conventa in ſcriptura, cujus vigore agitur, adeo quod oriatur ſuper ea decretum, tunc pro mandato de conſignando illud habeat Notarius tantum quantum ſolveretur pro mandato illius ſummæ executivo, & ampliùs julios quatuor cum dimidio pro reſtitutione cedulæ, ſi conſignetur in totum, ſin minus julium unum pro quietatione ſummæ quæ conſignabitur, & non ultra. 55.

Quando depoſitum eſt factum poſt mandati executivi relaxationem, quomodocumque fiat, etiã quod plura deſuper 56.

fieri decreta contingat, nunquam habeat Notarius niſi julios quatuor cum dimidio pro mandato de conſignando,& totidem pro reſtitutione cedulæ, & quietantia, ſi integrum conſignetur, alioqui ultra mandati prædicti mercedem habeat julium unum pro quietantia, ut ſuprà, & nil ampliùs in quolibet prædictorum caſuum.

57. Pro reſtitutione quarumcumque ſcripturarum ſimul & eodem actu reſtituendarum, jul. quatuor.

58. Et ſi fuerint exceſſivæ habeatur reſpectus quoad copiam à Notario faciendam,& in actis dimittendam.

59. Item quod pro regiſtratura quorumcumque mandatorum, & aliorum inſtrumentorum, pro quibus ſolet fieri depoſitum in Rota, ſolvantur folia quinquaginta regiſtri, quod tamen omninò fiat.

60. In cauſis coram Cardinalibus ſolvatur duplum juxta ſolitum.

61. In cauſis Cardinalium, videlicet pro Cardinalibus propriis, & aliorum privilegiatorum ſervetur ſolitum eorumdem privilegiatorum.

62. Pro pauperibus tam præſentibus quàm abſentibus, ſervetur reformatio Sanctiſſimi, ſub titulo de regiſtris, verſ. pauperibus. *Eſt hic ſuprà num.* 21.

*Hoc declaratur infra in conſt. ſeq. §. 21.*

63. Pro duplicatis ſolvatur medietas omnium ſupradictorum.

## Taxa Notariorum cauſarum criminalium, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarii, Senatoris, ac Iudicis Burgi.

*Reformatio Iudicum criminalium eſt ſupra in conſtit. praced* §. 10.

1. §. 6. PRo receptione querelæ, ex officio vel ad inſtantiam partis, ſive in officio, ſive extra officium, nihil.

2. Pro examine teſtium pro informatione Curiæ, ſive in officio, ſive extra officium, ſimiliter ex officio vel ad inſtantiam partis, nihil.

3. Pro examine reorum in carceribus, nihil.

4. Pro quolibet monitorio, inhibitione vel ſequeſtro in Curia, cum clauſula, Si quis, bon. tres.

5. Pro inhibitione, arreſto, monitorio vel ſequeſtro, ſine dicta clauſula, bon. quinque.

6. Pro qualibet ſignificatione, cum fidejuſſione ſive obligatione, bon. quindecim.

7. Pro ſimili ſignificatione abſque fidejuſſione, & obligatione, bon. decem.

8. Pro monitorio pœnali, citatione, inhibitione, ſequeſtro, arreſto aut alio quovis inſtrumento, ſive in Curia, ſive extra Curiam, ſive auctoritate ordinaria, ſive commiſſaria pro Fiſco, nihil.

9. Pro ſimili monitorio in Curia in vim commiſſionis, ſi adeſt inſtigator ſecretus vel apertus, bon. trigintaſeptem cum dimidio.

10. Pro monitorio vel ſequeſtro extra Curiam auctoritate ordinaria, ſi adeſt inſtigator ut ſuprà, bon. vigintiquinque.

11. Pro monitorio vel ſequeſtro extra Curiam in vim commiſſionis, ſi adeſt ſimilis inſtigator, ſecretus vel apertus, ſcutum unum.

12. Pro inhibitione in Curia vigore commiſſionis ad inſtantiam partis, vel ſi adeſt inſtigator, ut ſuprà, bon. trigintaſeptem cum dimidio.

13. Pro inhibitione ſimili extra Curiam, jul. ſex.

14. Pro citatione etiam cum inhibitione vigore commiſſionis, etiam per edictum extra Curiam ad inſtantiam partis, vel ſi adeſt inſti[illegible] ut ſuprà, ſcutum unum.

15. Pro compulſorial[illegible] [illegible]libus vel ſpecialibus extra Curiam vigore [illegible]ionis, ſcutum unum,

16. Pro inſtrumento remiſſoriæ, ſcut. unum.

17. Pro quolibet palmo [illegible] remiſſoriæ factæ juxta reformationem Sanctiſſimi ſub rub. de Notariis, §. litteras remiſſoriales, bon. trigintaſeptem cum dimid. *Eſt hic ſuprà, num.* 103.

18. Pro litteris miſſivis pro examinandis teſtibus extra Curiam loco remiſſorialium, jul. duo.

19. Pro literis declaratoriis ob non paritionem monitorii extra Curiam, jul. ſeptem cum dimidio.

20. Si in cauſa commiſſaria, ſcut. unum.

21. Pro brachio ſæculari ſimiliter ob non paritionem monitorii extra Curiam in cauſa ordinaria, ſcut. unum cum dimidio.

Pro brachio ſæculari vel mandato executivo loco executorialium extra Curiam in cauſa commiſſaria, ſcuta duo cum dimidio. 22.

Pro mandato de capiendo extra Curiam auctoritate ordinaria ad inſtantiam partis vel inſtigatoris ſecreti vel aperti, bon. vigintiquinque. 23.

Si in cauſa commiſſaria, ſcut. unum. 24.

Pro edicto tempore vacantiarum, bon. quinque. 25.

Pro comparitione, relatione, jurium productione vel aliis quibuſvis actis pro Fiſco, nihil. 26.

Pro qualibet relatione, comparitione, proteſtatione, jurium productione vel alio actu, parte inſtante, ubi non ſit extractus vel regiſtrum, bon. duo. 27.

Pro actu depoſiti pecuniarum vel cedulæ, nihil. 28.

Pro conſignatione depoſiti, pro quolibet ſcuto bononenus unus. 29.

Pro conſignatione pignoris vel rei depoſitatæ, in totum bon. ſeptem cum dimidio. 30.

Pro examine cujuſlibet teſtis in cauſa capitali, vel in qua veniret imponenda pœna corporis afflictiva, cum articulis, & interrogatoriis, vel cum interventu Judicis, vel Fiſci in officio, vel domo ipſius Judicis, jul. quinque. 31.

Si extra domum, & officium, etiamſi teſtis ſit egregius vel illuſtris, ſuper eiſdem, ſcut. unum. 32.

Si abſque interrogatoriis, & interventu Judicis, & Fiſci, vel ſuper bona fama, aut ſuper uno vel duobus articulis tantum in officio, jul. duo. 33.

Si extra officium, etiamſi teſtis ſit illuſtris, ut ſuprà, jul. quatuor. 34.

Pro examine teſtis in aliis cauſis non capitalibus ſuper articulis, & interrogatoriis, vel cum interventu Judicis vel Fiſci in officio, jul. tres. 35.

Si extra officium, etiamſi teſtis ſit egregius vel illuſtris, jul. quinque. 36.

Si abſque interrogatoriis, & interventu Judicis vel Fiſci in officio, bon. quindecim. 37.

Si extra officium, bon. vigintiquinque. 38.

Si materiæ in articulis vel interrogatoriis fuerint exceſſivæ, in quolibet ex caſibus prædictis augeri poſſit taxa juxta exceſſivitatem arbitrio Judicis. 39.

Pro examine teſtis in officio ſummariè abſque articulis, & interrogatoriis, jul. unus. 40.

Si extra officium, bon. quindecim. 41.

Pro oſtenſione depoſitionis teſtium publicatorum abſque copia ſolvatur medietas ejus quod ſolutum fuerit pro examine reſpectivè. 42.

Pro copia ipſius depoſitionis teſtium, pro quolibet folio facto in forma boni extractus, juxta reformationem Sanctiſſimi, ſub rubr. de regiſtris, bon. ſex. *Eſt hic ſup.* 43.

*Declar. in conſt. ſeq. §. 32.*

Pro quolibet folio copiæ indiciorum continente lineas vigintiquatuor, & pro qualibet linea [illegible] ſyllabas ad minus, ſi unus tantum reus fuerit, bon. quinque. 44.

Si duo vel plures rei fuerint, etiam pro Collegio, Univerſitate vel Capitulo, eandem copiam [illegible] [illegible], & pro quolibet folio [illegible] bon. [illegible] cum dimidio [illegible]. 45.

Pro quolibet folio extractus facti juxta prædictam reformationem Sanctiſſimi, etiamſi fuerint plures rei vel adhærentes in eadem cauſa [illegible], dummodò in aliquo ex prædictis Tribunalibus minor taxa non exigatur, quam omninò ſervari volumus. 46.

Pro quolibet folio boni regiſtri facti juxta dictam reformationé in cauſis in quibus illud fieri licet, ſolvatur idem. 47.

Pro quolibet centenario rubricaturæ proceſſus de partibus, ſcut. unum cum dimidio. 48.

Pro mandato de relaxando aliquem in cauſa capitali vel alia, in qua veniret imponenda pœna corporis afflictiva, ubi præceſſerint indicia, & reus fuerit examinatus, non tamen fuerit lata, & ſubſcripta ſententia, julios quinque. 49.

Ubi verò reus præcedentibus indiciis examinatus fuerit condemnatus, vel etiam tam ante quàm poſt compoſuerit aut ſolverit pœnam, ſeu ex gratia pœna ei remiſſa fuerit, ſcutum unum. 50.

Pro mandato de relaxando aliquem in alia cauſa ubi præcedunt indicia, & reus componat, vel pœnam ſolvat, aut condemnatus ex gratia liberetur, jul. tres. 51.

In aliis verò quibuſvis caſibus pro ſimili mandato de excarcerando, jul. duo. 52.

53. Pro præcepto injuncto illi qui excarceratur, nihil.

54. Pro rogitu cujuſlibet fidejuſſionis in officio vel carcere, jul. unus.

55. Si extra officium, & carcerem, jul. duo.

56. Pro mandato de capiendo aliquem pro indiciis vel pro Curiæ informatione, nihil.

57. Pro mandato de capiendo pro cautione de non offendendo, bon. ſeptem cum dimidio.

58. Pro non gravetur, bon. quinque.

59. Pro mandato de evacuando ſervatis ſervandis, jul. duo.

60. Pro inventario in cauſa capitali, ſcut. unum.

61. Pro ſimili inventario facto de mandato Judicis in quavis alia cauſa criminali, jul. quinque, & plus vel minus arbitrio Judicis.

62. Et pro ſimili inventario in cauſa civili, ſi fieri contingat, jul. duo.

63. Pro æſtimatione, ſubhaſtatione, & venditione bonorum mobilium vel ſe moventium Fiſco incorporatorum uſque ad valorem ſcut. decem, bon. quindecim.

64. A ſcut. decem uſque ad viginti, jul. tres.

65. A ſcutis viginti uſque ad quinquaginta, bon. ſexagintaquinque.

66. A ſcut. quinquaginta uſque ad centum, ſcutum unum.

67. A ſcutis centum uſque ad quinquaginta, ſcuta duo.

68. A ſcutis quingentis uſque ad quamcumque ſummam ſcuta tria, & non plus.

69. Pro adeptione poſſeſſionis bonorum ſtabilium Fiſco incorporatorum intra mœnia, ſcutum unum.

70. Si extra, ſolvatur juxta importantiam cauſæ, & diſtantiam loci arbitrio Judicis.

71. Pro ſubhaſtatione, venditione, & deliberatione ſimilium bonorum ſtabilium uſque ad valorem ſcutorum centum, ſcut. unum.

72. Ab inde ſuprà capiatur arbitrio ejuſdem Judicis.

73. Pro nota ſententiæ diffinitivæ, declaratoriæ, vel interlocutoriæ in quavis inſtantia pro Fiſco, nihil.

74. Pro nota ſententiæ abſolutoriæ diffinitivæ in cauſa capitali in prima inſtantia, ſcut. quatuor.

75. Si in ſecunda inſtantia, ſcuta tria.

76. Si in tertia inſtantia, ſcut. duo.

77. Pro ſimili nota ſententiæ in alia cauſa, in qua veniret imponenda pœna corporis afflictiva in prima inſtantia, ſcut. tria.

78. Si in ſecunda, ſcut. duo.

79. Si in tertia, ſcut. unum.

80. Pro ſimili nota ſententiæ abſolutoriæ diffinitivæ in cauſa non capitali, & in qua non veniret imponenda pœna corporis afflictiva, in prima inſtantia ſcut. duo.

81. Si in ſecunda, ſcut. unum cum dimidio.

82. Si in tertia inſtantia, ſcut. unum.

83. Pro ſimili nota ſententiæ declaratoriæ in quavis cauſa, & inſtantia, ſcut. unum.

84. Pro nota ſententiæ diffinitivæ in cauſa diſcuſſionis, recipiatur juxta importantiam cauſæ arbitrio Judicis.

85. Pro nota decreti habentis vim ſententiæ diffinitivæ in quolibet ex caſibus prædictis, permiſſis tamen, & juxta reformationem Sanctiſſimi ſub rubr. de Notariis, §. conſtitutionem, capiatur pro medietate juxta taxam prædictarum ſententiarum reſpectivè, & pariter ſi fuerint plures, arbitrio Judicis. *Eſt hic ſuprà n. 79.*

86. Et in quolibet ex caſibus prædictis, ſi fuerint plures, pro nota ſententiæ ſolvatur arbitrio Judicis.

87. Pro quolibet folio copiæ articulorum vel jurium productorum, factæ inſtar boni originalis, bon. ſex.

88. Pro reſtitutione jurium, etiamſi fuerint plura, & diverſo tempore producta, bon. vigintiquinque.

89. Pro reſtitutione rerum furtivarum domino, etiamſi fuerit neceſſarium mandatum, nihil.

90. Pro quolibet ſalvoconductu pro homicidio ad quodvis tempus, ſi fortè dari contingat de mandato S.D.N. ſcut. unum.

91. Si pro alio minori delicto, jul. quinque.

92. Pro decreto ad exequendum mandatum jam decretum revocationis, inhibitionis vel ſequeſtri, de conſignando bona depoſitata, vel ſimilis naturæ, unà cum fide vel mandato deſuper opportuno, bon. ſeptem cum dimidio.

93. Pro caſſatione cujuſlibet ſimplicis fidejuſſionis, obligationis vel querelæ, in caſibus permiſſis, jul. unus.

Pro caſſatione ſimilis fidejuſſionis vel querelæ, ubi ſecutus fuerit proceſſus vel examen inquiſiti, non tamen condemnatio in caſibus permiſſis, jul. duo. 94.

Pro caſſatione ſimilis fidejuſſionis vel obligationis in cauſa gravi, & pro perſona illuſtri, attendatur importantia ipſius cauſæ, & perſonæ inquiſitæ, & ſtetur arbitrio Judicis, niſi partes fuerint inter ſe concordes. 95.

Pro caſſatione proceſſus in cauſa capitali, ſcutum unum; & ſi fuerint plures, arbitrio Judicis. 96.

Si in cauſa minori, in qua tamen veniret imponenda pœna corporis afflictiva, bon. ſeptuagintaquinque, & ſi fuerint plures, arbitrio Judicis. 97.

Pro caſſatione proceſſus in alia cauſa non capitali, & in qua non veniret imponenda pœna corporis afflictiva, jul. quinque, & ſi fuerint plures, arbitrio Judicis. 98.

Pro caſſatione proceſſus in cauſa gravi, & perſona illuſtri, attendatur importantia cauſæ, & perſonæ, ac ſtetur arbitrio Judicis, ut ſuprà. 99.

Pro inſtrumento ſententiæ in cauſa capitali, ſcut. duo. 100.

Pro ſimili inſtrumento in cauſa, in qua tamen veniret imponẽda pœna corporis afflictiva, ſcut. unum cum dimid. 101.

Pro ſimili inſtrumento in cauſa minori, ſcut. unum. 102.

Pro inſtrumento ſententiæ declaratoriæ abſolutionis, vel decreti habentis vim ſimilis ſententiæ, jul. quinque. 103.

Pro ſuſceptione cenſurarum, vel termini in judicio, bon. quinque. 104.

Pro fide cujuſlibet actus judicialis, jul. unus. 105.

Pro fide decreti viſitæ in die viſitæ nihil, extra diem viſitæ, bon. quinque. 106.

Pro rogitu procuræ in officio, bon. quinque. 107.

Si extra officium, jul. unus. 108.

Pro expenſis contumacialibus in cauſa capitali ordinaria, in qua præcedentibus indiciis reus fuerit monitus, & in contumaciam condemnatus, ſcut. unum cum dimidio, & nihil ulterius à Fiſco, vel alio recipiatur. 109.

Si in cauſa non capitali, in qua tamen modo præmiſſo reus ſit in pœnam corporis afflictivam condemnatus, ſcut. unum, & nihil ultra, ut ſuprà. 110.

Si in alia minori cauſa, in qua eodem modo reus ſit tantum in pœnam pecuniariam condemnatus, jul. quinque, & nihil ultra, ut ſuprà. 111.

Pro ſimilibus expenſis contumacialibus in cauſa commiſſaria in primo capite, ut ſuprà, ſcut. duo cum dimidio, & nihil ultra, ut ſuprà. 112.

Si in ſecundo, ſcut. duo, & nihil ultra, ut ſuprà. 113.

Si in tertio capite, ſcut. unum cum dimidio, & nihil ultra, ut ſuprà. 114.

Si verò hujuſmodi expenſæ fuerint in cauſa gravi, vel pro perſona Illuſtri, exigatur juxta importantiam cauſæ, & qualitatem perſonæ arbitrio Judicis. 115.

Pro quibuſvis aliis inſtrumentis, expeditionibus, & ſcripturis, quarum merces in præſenti taxa non exprimitur, & etiam in præinſertis, in quibus videlicet controverſiam inter Notarium, & partem oriri contigerit, ſtetur arbitrio Judicis, niſi aliter per reformationem Sanctiſſimi fuerit proviſum, & Judex per ſe cognoſcat, & ad Notarios non remittat. 116.

In omnibus caſibus prædictis, & aliis quomodolibet contingentibus, pro paupere nihil penitus recipiatur, & de paupertate ſtetur relationi Domini Advocati vel Procuratoris pauperum, & ubi opus fuerit, loco copiæ indiciorum vel jurium, oſtendantur originalia ipſi Domino Advocato vel Procuratori dictorum pauperum gratis. 117.

Eadem taxa præinſerta ſervetur in quibuſvis officiis criminalibus prædictis, etiam in cauſis mixtis, vel etiam civilibus à criminalibus dependentibus, aut in quibus de intereſſe Fiſci agitur. 118.

In aliis verò merè civilibus in eiſdem officiis pertractandis, etiam in caſibus prædictis, ſervetur taxa Notariis civilibus impoſita. 119.

## Taxa Notariorum Curiæ Capitolii.

*Reformatio hujus Curiæ legitur ſup. in conſt. præced. §. 6.*

### De inſtrumentis publicis.

§. 7. PRo publicis inſtrumentis quorumcumque contractuum inter vivos, & quorumcumque 1.

teſtamentorum,& aliarum ultimarum voluntatum,uſque ad quantitatem, ſeu valorem ſcutorum vigintiquinque, recipiat Notarius jul.tres.

2. A vigintiquinque uſque ad quinquaginta, julios ſeptem cum dimidio.

3. A quinquaginta uſque ad centum,jul.decem.

4. A centum uſque ad ducentos,alios jul.decem.

5. A ducentis uſque ad mille, jul.quinque pro quolibet centenario.

6. A mille uſque ad quamcumque ſummam,bon.vigintiquinque pro quolibet centenario, dummodo non excedat ſummam ſcutorum vigintiquinque in totum.

7. *Pro duplicato* inſtrumenti publicati,recipiat Notarius à parte,ſi illa fuerit quæ habuit præfatum inſtrumentum, vel illius hæres,ultra mercedem ſcripturæ,quintam partem ejus quod valeret prædictum inſtrumentum, dummodo non excedat ſummam ſcutorum decem in totum.

8. Pro particula teſtamenti ſeu legati cum hæredis inſtitutione,habeat Notarius à legatario juxta importantiam particulæ ſui legati tantum,ut ſuprà in primo capite.

9. Sed ſi ſcriptus hæres ea particula quoad inſtitutionem quoquo modo utatur,poſſit cogi per Notarium ad ſolutionem mercedis totius teſtamenti,dato tamen eidem inſtrumento publico totius teſtamenti.

10. Si verò Notarius ab hærede de inſtitutione aut toto inſtrumento teſtamenti fuerit *ſatisfactus*,legatarius quartam partem prædictæ ſummæ taxatæ pro particula ſolvere teneatur.

11. Pro inſtrumentis diviſionum recipiat Notarius tertiam partem ejus quod acciperet,ſi bona illa alienarentur.

12. Pro *duplicatis illorum* quintam partem, ut ſuprà Notarius recipiat, habendo rationem in prædictis ad exceſſivitatem ſcripturæ, ſuper qua ſi eſſet controverſia inter Notarium & partem,ſtetur declarationi D.Senatoris.

13. Pro inſtrumentis emphyteuticis, vel livellariis perpetuis aut cenſuariis,in quibus non eſſet appoſita æſtimatio rei, habeat Notarius pro quantitate cenſus vel canonis, æſtimando ad rationem ſcutorum quinque pro quolibet centenario,prout in primo capite.

14. Pro duplicatis hujuſmodi inſtrumentorum, recipiat Notarius ut in capite de inſtrumentis duplicatis ſuperiùs fuit expreſſum.

15. Pro inſtrumentis quietationum, ſi ipſe Notarius de obligatione rogatus non ſit, & eſt appoſita certa quantitas,habeat tertiam partem ejus quod ſolveretur pro principali obligatione,ubi verò non eſt appoſita certa quantitas,ſi res æſtimari poteſt, habeat Notarius prout ſuprà declaratum eſt;ſi verò æſtimari non poteſt,ſtetur arbitrio D. Senatoris pro perſonarum, & rerum qualitate, qui in taxatione non excedat ſummam ſcutorum decem,ſi verò fuerit idem Notarius qui fuit de primæva obligatione rogatus,pro quacumque ſumma,ſive fuerit expreſſa,ſive non,recipiat Notarius non ultra jul.quatuor.

16. Pro inſtrumentis publicis inveſtituræ, ſeu adeptionis poſſeſſionis, ſive immiſſionis in illam, recipiat Notarius bon. trigintaſeptem cum dimidio.

17. Pro rogitu inveſtituræ in Urbe, habeat Notarius jul. tres,extra mœnia Urbis,& infra duo milliaria jul.quinque,& habeat equum ad equitandum.

18 Si verò ultra dicta duo milliaria, habeat jul. ſeptem cum dimidio quolibet die, ultra expenſas victus, & vecturas.

19. Pro inſtrumentis quorumcumque conſenſuum, ratificationum,acceſſionum,& ſimilium, ſeparatis à primo inſtrumento, cujuſcumque ſint ſummæ, & qualitatis, bononen.trigintaſeptem cum dimid.

20. Pro inſtrumento caſſationis obligationis,recipiat Notarius prout in quietationibus eſt diſpoſitum, & pro quietatione, & caſſatione uno contextu facta, ſufficiat unica ſolutio.

21. Pro inſtrumentis locationis à decem annis citra, non excedentis annuam penſionem ſeu affictum ſcutorum, bon.trigintaſeptem cum dimidio.

22. A centum uſque ad quamcumque ſummam,jul.ſeptem cum dimidio.

23. Et ſi,ſuprà decennium,dummodo non fuerit contractus emphyteuticus,vel ex aliis ſupradictis expreſſis, recipiat Notarius tertiam partem mercedis expreſſæ in primo capite.

24. *Pro inſtrumento tutelæ vel curæ*, cum inventario tutelari,jul.ſeptem cum dimidio.

25. Pro inſtrumento actoriæ,jul.tres.

26. Pro inſtrumento aditionis hæreditatis cum inventario ſolèmni ac bannimento & edicto,habeat principalis Notarius.ſcut.unum.

27. Reliqui Notarii ſe ſubſcribentes, pro quolibet bonon. decem.

28. Et ita ſervetur in his duobus poſtremis caſibus, niſi eſſent hæreditates multum opulentæ,quo caſu de inſtrumento tutelari cum inventario, & de inſtrumento aditionis hæreditatis plus recipiat Notarius arbitrio D. Senatoris.

29. Pro rogitu inſtrumenti aditionis hæreditatis cum edicto,& bannimento, ac illorum reportatione, jul. quatuor.

30. Reliqui Notarii ſe ſubſcribentes bonon.quinque pro quolibet.

31. Pro inſtrumentis mandatorum ad lites,bonon.quindecim, ad quæcumque negotia,ſeu ad exigendum, & quietandum cum quacumque clauſula,jul.tres.

32. Pro inſtrumentis fidejuſſionis, ſive ratificationis, ſive recognitionis bonæ fidei,ſubarrhationis,& aliis ſimilibus ſeparatis à primo inſtrumento,recipiat Notarius bonon. trigintaſeptem cum dimid.

33. Et illud idem ſolvatur pro inſtrumento pacis.

34. Pro inſtrumento inſinuationis donationis, ſi ſine inſertione donationis fuerit, bon. trigintaſeptem cum dimidio,ſi verò cum inſertione,ultra ſcripturam jul.ſeptem cum dimid.

35. Pro rogitu caſſationis, & quietantiæ quarumcumque obligationum, recipiat Notarius à vigintiquinque infra jul. unum.

36. A vigintiquinque uſque ad quinquaginta, jul. duos.

37. A quinquaginta uſque ad centum,jul.tres.

38. Inde uſque ad quamcumque ſummam, julium unum pro quolibet centenario, dummodo in totum non excedat ſummam juliorum decem.

39. Pro rogitibus quorumcumque inſtrumentorum, ſive judicialium, ſive extrajudicialium, in quibus per hujuſmodi taxam non eſſet diſpoſitum,recipiat Notarius prout à partibus contrahentibus dari placuerit, quarum abſoluto arbitrio ſtari debeat.

40. Teneantur quoque Notarii partibus petentibus inſtrumentorum de quibus rogati fuerint, copias dare ſimplices, exceptis inſtrumentis teſtamentorum, & codicillorum,quorum copias Notarius invitus tradere non teneatur,& pro dictis ſimplicibus copiis recipiat

41. A ſcutis vigintiquinque infra,jul.unum.

42. A vigintiquinque uſque ad quinquaginta, jul. duos.

43. A quinquaginta uſque ad centum, jul.tres.

44. A centum uſque ad quamcumque ſummam, julium unum pro quolibet centenario,ita quod pro quavis ſumma non excedat julios decem.

45. Exceptis inſtrumentis locationum, & ſimilium minoris taxæ, pro quorum copiis non ultra jul. duos exigere valeat,habita tamen in omnibus præmiſſis ratione ad exceſſivitatem ſcripturæ,ſuper qua ſi fuerit inter Notarium & partem controverſia,ſtetur ſemper declarationi D.Senatoris.

46. Excipimus tamen ab obligatione hujuſmodi dandi copias Archiviſtas, qui nullo modo teneantur, nec poſſint copias quorumcumque inſtrumentorum Notariorum defunctorum ſub pœna decem ſcutorum pro qualibet copia dare.

47. Pro tranſumptis quorumcumque inſtrumentorum, teſtamentorum, & aliarum ultimarum voluntatum, Collegium habeat ſuam integram tertiam partem, etiam ex inſtrumentis defunctorum, non obſtante quocumque privilegio, etiam ex quavis cauſa, & occaſione cuivis perſonæ conceſſo, uni ex Notariis ad hujuſmodi tranſumpta facienda deputatis, ſolvendam juxta rationem faciendam per dictos deputatos: reliquæ expenſæ fiant ſumptibus partium petentium tranſumpta.

### Pro judiciariis actibus.

48. Pro expeditionibus quando ſunt plures perſonæ conſortes, etiamſi ſint Congregationes, Collegia, Capitula vel univerſitates, nonniſi pro uno tantum exigatur.

49. Pro quolibet monitorio de evacuando, & de reſpondendo articulis, bon. tres.

50. Pro quolibet monitorio cum inhibitione, & clauſula, Si quis, bon. tres.

51. Pro eorum reportatione, bon. duo.

52. Pro quolibet ſequeſtro, bon. tres.

53. Pro verificatione crediti ad effectum obtinendi ſequeſtrum, ſive per teſtes, ſive per inſtrumentum rogatum per eumdem Notarium cum ſequeſtro, in totum jul. unus.

54. Pro revocatione cujuſlibet ſequeſtri, bon. duo.

55. Pro citatione edicto Senatus, jul. unus.

56. Pro qualibet conſtitutione Procuratoris ad lites, ad tribunal, vel in officio Notarii, bon. duo, extra officium arbitrio partis conſtituentis.

57. Si vero fuerit conſtitutio cum poteſtate exigendi, quietandi, paciſcendi, & ſimilium, in officio bon. decem, extra officium arbitrio partis, ultra dictos decem.

58. Pro qualibet relatione, contradictione, replicatione, proteſtatione, comparatione, verbali petitione, bonon. unus.

59. Pro fide moderationis inhibitionis ad effectum ſuſpenſivum, quando remanet cognitio quoad effectum devolutivum, bonon. quinque.

60. Pro productione præparatoriorum, bon. unus.

61. Pro reſponſione ſuper præparatoriis, bon. tres ſolvendi per partem producentem, & pro viatico, ſi in Urbe contingat, per partem reſpondentem, bon. quinque.

62. Pro productione libelli ſive petitionis in ſcriptis, unà cum actu productionis, bon. duo.

63. Pro conteſtatione litis, & juramento calumniæ in qualibet parte litis, conteſtante vel jurante, cum Judicis interlocutoria cum decreto deſtinationis Notarii ad recipiendum juramentum calumniæ à qualibet parte, ſive in officio ſive ad tribunal juris, bon. duo.

64. Pro productione articulorum cum actu relationis, bon. duo.

65. Pro ſpecificatione materiarum ad tribunal juris ſine officio Notarii, bon. duo.

66. Pro inductione cujuſlibet teſtis, & juramento, quatreni duo.

67. Pro reſponſione articulorum ad tribunal vel in domo Notarii, quatreni duo pro quolibet articulo, ſolvendi per partem producentem, ſi extra domum, bon. quinque pro viatico per partem reſpondentem.

68. Pro decreto de habendis articulis pro confeſſariis, bonon. duo.

69. Pro inſtrumento intimationis litis, bon. trigintaſeptem cum dimid.

70. Pro relatione ad dicendum contra facultates, bonon. duo.

71. Pro inhibitione emanata vigore facultatum, bon. ſeptem cum dimidio, cum inſertione Motus proprii, bon. triginta.

72. Pro inhibitione vigore commiſſionis, ſive illius inſertione, bon. ſeptem cum dimid. & cum inſertione commiſſionis, bon. triginta.

73. Pro literis remiſſorialibus, ſive compulſorialibus, cum inſertione articulorum, & interrogatoriorum, bon. trigintaſeptem cum dimid.

74. Pro productione quorumcumque inſtrumentorum, jurium, teſſerarum, aut ſimilium, cum actu relationis pro quolibet, bonon. duo, dummodo non excedant julium unum.

75. Pro recognitione dictorum jurium, ſeu teſſerarum, bonon. duo pro quolibet teſte, & pro omnibus juribus, & teſſeris, & ſi cum interrogatoriis partis, bon. quinque.

76. Pro reſtitutione jurium quorumcumque, unica citatione, & productione, habeat Notarius julium unum in totum, & ſi ipſe Notarius copiam fecerit, habeat mercedem pro ipſius copia ultra julium unum pro reſtitutione.

77. Pro rogitu compromiſſi ex forma ſtatutorum facti, jul. unum à qualibet parte.

Pro inventario cum judicis decreto faciendo, jul. tres. 78.

Pro præſentatione cujuſlibet commiſſionis, bonon. duo. 79.

Pro prorogatione inſtantiæ ſive fatalium, ſeu nova termini præfixione vigore commiſſionis, bonon. ſeptem cum dimidio. 80.

Pro repetitione generali actorum, extractus ſive extractuum, quanti fuerint, in totum bon. ſeptem cum dimidio. 81.

Pro productione librorum, reſtitutione, & partitarum auſcultatione, à quinque ſcutis infrà, bon. quinque. 82.

A quinque uſque ad decem, bon. decem. 83.

A decem uſque ad viginti, bon. quindecim. 84.

A viginti uſque ad quamcumque ſummam, bonon. viginti. 85.

### Pro examine teſtium, & aliis.

Pro examine cujuſlibet teſtis uſque ad numerum quinque vel ſex articulorum, excluſo articulo repetitivo in domo Notarii, julium unum. 86.

Et ultra ſupradictorum articulorum numerum, bon. quindecim. 87.

Si cum interrogatoriis partis, quæ numerum decem & octo non excedant, in primo caſu, jul. duos. 88.

In ſecundo caſu, julios tres. 89.

Si interrogatoria excedant numerum præfatum, parſque dederit interrogatoria exceſſiva, ſolvat exceſſivitatem. Si vero fuerit controverſia inter Notarium, & partem, pars ſolvat Notario mercedem arbitrio Judicis. 90.

Et in quolibet caſu prædictorum, ſi alius Notarius examini adjungatur, tantumdem ſolvatur adjuncto à parte illum adhibente, ſed ſi cauſa eſſet valde gravis, & perplexa, vel articuli ſuper quibus teſtes examinantur eſſent ultra numerum prædictum, ſolvatur pro modo laboris, ſed ſi ſuper mercede eſſet controverſia, ſolvatur Notario à parte quod fuerit declaratum per Judicem. 91.

Si extra domum vel officium Notarii, intra tamen mœnia Urbis, ultra ſummam ſuperius taxatam habeat pro viatico, ſive unus, ſive plures teſtes examinentur, julium unum. 92.

Si extra mœnia per duo milliaria, habeat pro viatico julios duos, & equum ad equitandum. Si vero ultra dicta duo milliaria, habeat pro viatico (quando eſſet diſcordia inter Notarium, & partem) quod fuerit taxatum per judicem, ac expenſas victus, & vecturas pro quolibet die. 93.

Pro publicatione teſtium, & proceſſus petita, & obtenta, termino dato ad dicendum contra, ſeu excipiendum, bon. duos. 94.

Pro extractibus, & quibuſcumque copiis factis in forma extractus, bonon. tres pro qualibet pagina, quæ debeat in ſe & qualibet facie habere lineas viginti, & quælibet linea literas trigintaduas, juxta formam Statuti, ſub cap. 26. lib. 1. Sed ſi extractus ab aliqua ex partibus peteretur revideri, ſolvatur id quod per Judicem fuerit taxatum. 95.

Pro extractu duplicato, pro medietate ſolvatur. 96.

Pro rogitu voti, Aſſertamenti, & extenſione in actis, quando Judex juxta illud pronunciat in omnibus articulis, in quibus votum Aſſertamenti à Judice conceditur, exceptis definitivis, & cauſam terminantibus, julium unum. 97.

In definitivis autem, & cauſam terminantibus, bonon. quindecim. 98.

Pro lectura cujuſlibet ſententiæ definitivæ, ſive cum voto, ſive ſine voto Dominorum de Aſſertamento, bon. quindecim. 99.

Pro quolibet partito litis deciſivo, ſive in ſcriptis, ſive verbali, bon. duos. 100.

Pro juramento deſuper faciendo, bon. duos. 101.

Pro ſuſceptione termini ad ſolvendum, bon. duos. 102.

Pro decreto moderationis inhibitionis, cum clauſula, Si quis, bononenos tres. 103.

Pro moderatione ſeu decreto de exequendo ratione recurſus ad DD. Conſervatores, vel alios, etiam cum clauſula, Niſi, pro quacumque ſumma, bon. tres. 104.

Pro aliis verò moderationibus cum remiſſione cauſæ, bon. 15. 105.

106. Pro buſſula, & extractione Conſultoris, bon. ſeptem cum dimidio.

107. Pro traditione voti Aſſeſſoris ſeu Conſultoris, & viatico, in totum julium unum.

108. Pro apertura dicti voti cum ſententia, bonon. quindecim.

109. Pro electione Peritorum à qualibet parte eligendòrum, bon. duos.

110. Pro relatione eorumdem Peritorum à qualibet parte, & qualibet relatione, bon. duos.

111. Pro ſignificatione concedenda vigore inſtrumenti dotalis rogati per eumdem Notarium, bon. vigintiduos cum dimidio.

112. Pro copia cujuſlibet ſententiæ bon. decem, præterquam cauſarum diſcuſſionum prioritatis, & potioritatis, pro quibus ſolvatur pro modo ſcripturæ.

113. Pro non gravetur ſive ſignificatione de non moleſtando, bon. tres.

114. Pro interpoſitione appellationis, & cedulæ productione cum Judicis reſponſione, tam interlocutoriis quam definitivis, bon. duos.

115. Pro reditu apoſtolorum, & reſponſione facta per Judicem, bon. duos.

116. Pro inſtrumento publico appellationis cum inſertione cedulæ appellationis vel ſine, cum Judicis reſponſione, bon. quindecim.

117. Pro inſtrumento publico vel fide reſponſionis Apoſtolorum ſeparato in alio folio ab appellatione primo loco intèrpoſita, bon. decem, & ſi inſertum fuerit cum primo inſtrumento, nihil ſolvatur.

118. Pro reportatione dicti inſtrumenti cum citatione, vel ſine, bonon. duos.

119. Pro fide mandati ad lites, bon. quinque, ad alia quæcumque negotia, julium unum.

120. Pro fide remiſſionis cauſæ vel revocationis ſequeſtri, moderationis inhibitionis cum clauſula, Si quis, & aliorum ſimilium, bon. ſeptem cum dimidio.

121. Pro fide tutelæ vel curæ vel actoriæ vel aditionis hæreditatis ſubſtantialiter, ut fieri ſolet, conſenſus fidejuſſionis, obligationis apud acta, immiſſionis in poſſeſſionem, rejectionis inſtrumenti appellationis, moderationis inhibitionis ſine clauſula, Si quis, pronunciæ deſertionis cauſæ, & ſimilium, bon. trigintaſeptem cum dimidio, ubi vero taxa inſtrumentorum publicorum eſſet minor, ſolvatur prout in taxa inſtrumentorum.

### Pro repetitionibus.

122. Pro repetitione inſtrumenti, de quo ſit idem Notarius rogatus, continentis uſque ad ſummam ſcutorum vigintiquinque, julium unum.

123. A vigintiquinque uſque ad quinquaginta, jul. duos.

124. A quinquaginta uſque ad centum, jul. tres.

125. A centum uſque ad quingentos, jul. quinque.

126. A quingentis uſque ad quamcumque ſummam, julios decem.

127. Pro repetitione inſtrumenti locationis ad non longum tempus, uſque ad ſummam ſcutorum vigintiquinque annuæ penſionis, ſive affictus, jul. unum.

128. A vigintiquinque uſque ad quinquaginta, jul. duos.

129. A quinquaginta uſque ad centum, jul. tres.

130. A centum uſque ad quamcumque ſummam, julios quinque.

131. Pro repetitione inſtrumentorum in actis rogatorum per Notarium cauſæ, & alias repetitorum, bon. ſeptem cum dimidio pro omnibus, ſi verò fuerit in alio judicio, bon. ſeptem cum dimidio pro quolibet inſtrumento reſpectivè repetito.

132. Pro rogitu decreti mandati vigore prædictarum repetitionum, à vigintiquinque infra, bon. ſeptem cum dimidio.

133. A vigintiquinque uſque ad quamcumque ſummam, julium unum.

134. Pro repetitione ſententiæ in actis rogatæ, recipiat Notarius prout in capitulo de locatione ad modicum tempus dictum eſt.

135. Si vero certa quantitas expreſſa non eſſet pro mercede repetitionis, recipiat bon. ſeptem cum dimidio.

### De depoſito, & illius conſignatione.

136. De depoſito in pecunia numerata ſeu cedula, vel in re mobili pretioſa, ſeu alias in manibus Notarii faciendo, pro quacumque ſumma recipiat Notarius bonon. duos pro quolibet depoſito.

137. Pro conſignatione ſeu reſtitutione cujuſvis depoſiti in pecunia numerata vel re mobili, uſque ad ſummam ſcutorum decem, habeat Notarius bon. duos pro quolibet ſcuto.

138. Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, habeat Notarius bon. unum pro quolibet ſcuto, dummodo in totum non excedat ſummam ſcutorum trium.

139. Et idem ſervetur per Mandatarios in ſubhaſtatione pignorum, & illorum deliberatione.

140. Si vero depoſitum factum fuerit in cedula uſque ad ſcut. quinquaginta, bon. quindecim.

141. Uſque ad ſcuta centum bononenos vigintiquinque.

142. Uſque ad quamcumque ſummam, bon. trigintaſeptem cum dimidio.

143. Pro depoſito in immobilibus penes acta Notarii vel tertiam perſonam faciendo, recipiat Notarius uſque ad ſummam ſcutorum centum, bon. quinque.

144. Uſque ad quamcumque ſummam, jul. unum.

145. Et totidem pro reſtitutione, ſeu caſſatione.

### Pro ſententiis publicis, ſive in extractibus regiſtrandis.

146. Si ordinarii definitiva ſit ſententia continens quantitatem ſeu rem minoris valoris quinquaginta ducatorum, recipiat Notarius bonon. trigintaſeptem cum dimidio.

147. A quinquaginta uſque ad trecentos, ducatum unum.

148. A trecentis uſque ad quingentos, julios quindecim.

149. Inde uſque ad quamcumque ſummam, ſeu æſtimationem, ſcuta duo.

150. Si verò certam non contineat quantitatem, vel de facili ejus valor æſtimari non poſſit, habeat Notarius ducatum unum, aut plus vel minus arbitrio Judicis pro rerum qualitate, & perſonarum, dummodo prædictam ſummam duorum ſcutorum non excedat.

151. Pro ſententiis verò ſuper executione inſtrumentorum, ſententiarum, teſtamentorum, & privatarum ſcripturarum, ſi certam contineant quantitatem, vel rei valor de facili liquidari poſſit, uſque ad ſummam vigintiquinque ducatorum, recipiat Notarius bonon. vigintiduos cum dimidio.

152. Uſque ad quinquaginta, bononenos trigintaſeptem cum dimidio.

153. Inde uſque ad centum, julios ſex.

154. A centum uſque ad ducentos, ducatum unum.

155. Inde uſque ad quamcumque ſummam vel æſtimationem, ducatos duos de carolenis.

156. Pro ſententia ſuper evacuatione ſeu exfractatione, julios tres.

157. Pro ſententia ſuper interdictis quibuſcumque, julios ſeptem cum dimidio.

158. Pro ſententia lata in cauſa conventionis, & reconventionis introductæ ante litem conteſtatam, Notarius habeat mercedem, ut ſupra dictum eſt pro unica ſententia tantum, non autem pro duabus: ſecus quando reconventio facta fuerit poſt litem conteſtatam, quia tunc ſatisfiat pro duabus ſententiis juxta præcedentem taxam.

159. Pro interlocutoriis, ſi publicentur cum ſigno, bonon. quindecim.

160. Pro quolibet actu judiciario, de quo inſtrumentum actorum confecerint, bonon. tres, in quo debeant acta integra, & non mutilata ſcribere, alioquin mercedem petere non poſſint, & acceptam reſtituere teneantur.

161. In cauſis verò diſcuſſionum accipiat à quolibet graduato pro ſumma graduata mercedem, ut ſupra in cauſis executivis eſt taxatum.

### Pro mandatis.

162. Pro quolibet mandato in contumaciam, etiam de evacuando, pro quacumque ſumma, bonon. tres.

163. Pro mandato de conſignandis pignoribus, bon. tres.

164. Pro mandato de parendo ſententiæ, julios tres.

165. Pro reperatione dicti mandati, bonon. duos.

166. Si cum repetitione actorum ſententiæ, ſive ſententiarum, & rei judicatæ, bon. ſeptem cum dimidio.

167. Pro mandatis executivis in ſummariis vel executivis,

&

& vigore obligationis in forma Cameræ, uſque ad ſummam ducatorum decem, julium unum.

168. A decem uſque ad vigintiquinque, julios duos.

169. A vigintiquinque uſque ad quinquaginta, bon. trigintaſeptem cum dimidio.

170. A quinquaginta uſque ad centum, julios ſex.

171. A centum uſque ad quingentos, julios decem.

172. A quingentis uſque ad quamcumque ſummam, julios quindecim.

173. Pro mandato duplicato uſque ad ſummam ſcutorum decem, bon. quinque.

174. Uſque ad quinquaginta, jul. unum.

175. Ab inde uſque ad quamcumque ſummam, bonon. viginti.

In ordinariis.

176. Pro mandato ſervatis ſervandis à vigintiquinque ad quinquaginta ducatos, julios [illegible].

177. A quinquaginta uſque ad centum, julios ſex.

178. A centum uſque ad trecentos, ſcutum unum.

179. A trecentis uſque ad quingentos, julios quindecim.

180. A quingentis uſque ad quamcumque ſummam, ſcuta duo.

181. Pro mandatis duplicatis ſervetur forma ſuperius tradita.

182. *Pro mandato rigore termini quando aliquid non fuerit verificatum, bon. tres.

183. Quando vero fuerit aliquid verificatum, ſolvat ut ſupra fuit diſpoſitum in mandatis ſervandis.

184. Pro mandato de evacuando ſervatis ſervandis, julios tres.

185. Pro mandato ſuſpicionis fugæ cum examine ſive jurium productione, bon. quindecim.

186. Pro mandato de reſtituendis pignoribus captis vigore mandati in contumaciam, bon. tres.

187. Si verò alterius mandati, bon. quinque.

188. Pro mandato de excarcerando ſeu relaxando carcerato, pro quacumque ſumma, bon. quindecim.

189. Pro mandato gratioſo in conſignatione cedulæ depoſiti, ſeu pecuniarum alibi quàm in manibus Notarii depoſitarum uſque ad ſummam ſcutorum vigintiquinque, julium unum.

190. A vigintiquinque uſque ad quamcumque ſummam, julios tres.

191. Pro arreſto in carceribus, julium unum.

192. Pro appoſitione manus in mandatis alterius Judicis, à decem infra, bon. quinque.

193. Ab inde uſque ad quamcumque ſummam, bonon. quindecim.

194. Pro appoſitione manus in mandato de auferendo pallium, de aperiendo portam per vim, vel de capiendo, quando non poteſt exequi in bonis, vel de exequendo non obſtante ſignificatione, & ſimilibus, bon. tres.

195. Pro mandato de immittendo in poſſeſſionem, & de aſſoliando, jul. tres.

196. Sed ſi eſſet relaxatum ſervatis ſervandis, in ordinariis cauſis habeat Notarius prout in ordinariis cauſis pro mandato executivo eſt diſpoſitum. Et in dubio quando eſſet diſcordia inter partem, & Notarium, ſtetur declarationi Judicis.

197. *Pro mandato de manutenendo julium unum.

198. Pro bannimento pro ſubhaſtatione bonorum immobilium, bon. quindecim.

199. Pro reportatione illius, bon. duos.

200. Pro decreto deliberationis bonorum ſtabilium plus offerenti, bon. quindecim.

201. Pro decreto adjudicationis bonorum, bon. duos.

202. Pro decreto dationis in ſolutum, bon. quindecim.

203. Pro examine liſtæ expenſarum, bonon. ſeptem cum dimidio.

204. In caſibus autem, in quibus ſcriptura videretur exceſſiva, cujus exceſſivitatis ratio ſemper habeatur, orta controverſia, recipiat Notarius quantum per Judicem vel Senatorem reſpectivè oretenus taxatum fuerit, cui declarationi ſemper ſtare debeat Notarius, & partes in caſibus hic non expreſſis.

205. In quibus non reperitur proviſum per hujuſmodi taxam, procedatur prout in ſimilibus, & aliàs arbitrio Senatoris vel Judicum, ut ſupra, qui non excedant ſummas taxatas.

Et quod præſens taxa indiſtinctè ſervetur à Protonotario, Notariis Conſervatorum, Capitaneis Appellationum, Magiſtrorum Viarum, Juſtitiariorum quorumcumque Conſulatuum, (pro medietate tamen qui gratia officium, & non titulo oneroſo habent, juxta reformationem Sanctiſſimi) & aliis quibuſcumque Notariis Capitolinum forum verſantibus, in omnibus caſibus in quibus particulariter quoad eos reſpectivè per ſtatuta vel reformationes proviſum non fuerit. Et ita Senator, & alii Judices teneantur facere ab omnibus ſervari ſub pœnis [illegible] quorum juriſdictione, & correctione ſunt omnes Notarii præfati, Archiviſtæ, & alias quomodocumque & qualitercumque in foro Capitolino, & illius Curiis verſantes, etiamſi præfati Notarii ſint officiales. 206.

Quod quilibet Notarius, qui aliquid receperit ultra ſummam præſentis taxæ, vel alias contravenerit ſupradictis, pro qualibet vice puniatur in ſcutis decem, quæ actio ſit popularis, & applicetur pro medietate Fiſco Capitolino, & pro alia Collegio, abſque ſpe alicujus gratiæ ſive remiſſionis, & ultra dictam pœnam pro ſecunda vice ſuſpendatur Notarius ab officio arbitrio Senatoris vel Judicis cauſæ, & pro tertia vice puniatur arbitrio eorumdem. 207.

Notarius, qui quolibet anno non confecerit ſuum protocollum inſtrumentorum, & manuale actorum juxta formam Statuti Urbis, & infra duos menſes poſt feſtum Nativitatis Domini illa non exhibuerit perfecta Decano & Menſario, ultra pœnam ſtatutariam non poſſit ab aliquo exigere, niſi tertiam partem mercedis ſuperiùs taxatæ, etiam quoad acta judiciaria, ſententias, mandata & quæcumque alia, & quatenus exegerit, reſiduum reſtituat, & incidat in pœnam ſuperius impoſitam plus debito recipienti. Et Decanus & Menſarius teneantur præmiſſa ſervari facere. 208.

## Taxa Notarii Magiſtrorum Viarum.

§. 8. PRo literis patentibus licentiæ occidendi hœdos, coquendi caſtaneas in locis publicis, aperiendi Macellum porcorum, immittendi tabulata, & ſimilium rerum, non recipiat Notarius ultra julium unum. 1.

Pro literis patentibus loci perpetui in platea Agonis in Pergameno, cum capſula, ſigillo, & cera, in totum julios quinque. 2.

Pro literis patentibus facultatis ſternendi lateribus vel ſilicibus vias publicas, ſive alterius operis conſtruendi, jul. unum. 3.

Pro literis patentibus perpetui macelli, ſemel tantum julios quinque. 4.

Pro licentia fodiendi puteolanam, & lapides, julios tres. 5.

Pro literis patentibus conceſſionis aquæ, julios quinque. 6.

Pro literis patentibus licentiæ vehiculorum ſive Cocchiorum, julios tres. 7.

Pro renuncia vehiculorum ſeu Cocchiorum, julium unum. 8.

Pro literis conceſſionis fili, & terreni publici ſimul, julios quinque. 9.

Pro literis conceſſionis fili tantum, jul. duos. 10.

Pro mandato de reſtituendis pignoribus ad Curiæ ſive officii inſtantiam captis, caſſationis querelæ, contraventionis bannimentorum, ſeu incurſus pœnarum, bonon. quinque. 11.

Pro productione menſuræ ſilicatæ vel lateritii, bon. duos. 12.

Pro relatione Peritorum, bon. duos. 13.

Pro apertione relationis, & decreto, pro qualibet parte bon. quindecim. 14.

Pro mandato de reſtituendis pignoribus virtute mandati executivi captis, bon. tres. 15.

Pro mandato de reſtituendo equos, ſive bubalos aut alia animalia, bon. quinque. 16.

Pro mandato de capiendo, nihil. 17.

Pro mandato de exarcerando pro uno vel pluribus 18.

ejuſdem

ejuſdem facti conſortibus, bonon. vigintiquinque.

19. Pro mandato de aſſiſtendo, unà cum ipſa aſſiſtentia Notarii, & rogitu, bon. quinquagintaquinque.

20. Pro mandato de amovendo, unà cum aſſiſtentia Notarii, & rogitu, bon. quinquagintaquinque.

21. Pro licentia devaſtandi vias cum obligatione de reficiendo, jul. duos.

22. Pro qualibet licentia à Magiſtris data Carrecteriis expurgatoribus latrinarum, bon. duos.

23. *Pro viſione loci differentiæ in Urbe, bon. quindecim.*

24. Extra Urbem, jul. tres.

25. Pro quibuſvis edictis ſive bannimentis, nihil.

26. Pro taxa inſtaurationis ſeu directionis viarum vel jectitus, ſi uſque ad ſummam ſcutorum quingentorum, ſcutum unum pro quolibet centenario.

27. Ab inde ſupra uſque ad ſummam ſcutorum mille, jul. quinque pro quolibet centenario.

28. A mille ſupra uſque ad quamcumque ſummam ſcutum unum pro quolibet milliario.

29. Et prædicta intelligantur pro quocumque ſuo labore, tam in confectione taxæ quàm illius exactione, & executione, ita quod nihil aliud exigere poſſit, nec etiam pro confectione, & regiſtratione mandatorum ſolutionis faciendæ pro mandatis Depoſitario directis de ſolvendis pecuniis jectitus, ſive emendationis damnorum, & ſimilium, nec alio quovis prætextu.

30. Et ſi contingat taxam augeri, aut novam fieri pro eodem opere, augmentum ſeu nova taxa jungatur, & computetur cum prima taxa ad prædictam Notarii mercedem æſtimandam.

31. Et dictam mercedem Notarius exigere non valeat, niſi exacta prius integrè taxa, & interim donec taxa integrè exacta fuerit, poſſit Notarius recipere tantùm mercedem pro medietate taxæ exactæ.

32. Eadem merces ſolvatur Submagiſtris Viarum pro ſuis laboribus in confectione taxarum, & ſi labor fuerit valde exceſſivus, remittatur arbitrio Domini Præſidis, dummodo hujuſmodi arbitrium medietatem ſupradictæ taxæ non excedat.

33. Pro literis patentibus exactorum, & fidejuſſione per exactores præſtanda de fidelitèr exercendo, & ratione reddenda, non exigat Notarius ultra julios très, & pro fidejuſſione jul. unum.

34. Neque Notarius, neque ejus Subſtituti pecunias taxæ, nec etiam à ſponte offerentibus recipiat, ſed omnes taxæ debitores remittat ad exactores, ſeu Depoſitarium.

35. Nullo modo eſſe poſſint Exactores neque Notarius, neque ejus Subſtituti, neque Mandatarius, neque viarum fabricatores.

36. Supradicta merces Notarii ſervetur etiam in taxis pendentibus.

37. Pro immiſſione, ſeu reſtitutione fiſtularum Notarius non exigat ultra julium unum, & Commiſſarius ſeu perſona ad id deputata.

38. Pro rogitu inſtrumenti pro quolibet centenario uſque ad ſcuta quinquaginta, jul. duos.

39. Ab inde ſupra jul. unum pro quolibet centenario ſcutorum, dummodo non excedat in totum ſummam ſcutorum quinque.

In cauſis coram Cardinali Camerario ſeu Præſide Viarum, tam conjunctim, quàm diviſim cum Magiſtris Viarum.

40. Pro monitorio de vendendo, ſeu de reſcindendo, ſolvatur jul. unus.

41. Pro ſimili monitorio extra Urbem, cum inſertione literarum ſeu commiſſionis, bon. ſeptuagintaquinque.

42. Pro viſione loci differentiæ in Urbe, jul. tres.

43. Extra Urbem ultra unum milliare, jul. ſex.

44. Pro nota, & publicatione ſententiæ diffinitivæ, ſcuta duo.

45. Pro inſtrumento ſententiæ coram Camerario, & Magiſtris Viarum, pro quacumque ſumma bonon. quadragintaquinque.

46. Pro mandato de conſignãdo pecunias parti, bon. quinq.

47. Pro nota decreti diffinitivi in cauſis ordinariis, etiam coram Præſide, vel cum voto Cardinalis Camerarii, ſeu ejus Auditoris, bon. trigintaquinque.

48. Pro depoſito ſportularum, tam pro ſententiis quàm pro decretis definitivis, non recipiat, nec deponi faciat Notarius, neque ejus ſubſtituti, niſi ſummam verè Judicibus debitam.

49. Pro mandato de immittendo in poſſeſſionem in vim ſententiæ definitivæ, nullo alio mandato executivo præcedente, ſcutum unum.

50. Præcedente verò mandato executivo, bonon. vigintiquinque.

51. Pro repetitione ſententiæ inter alias perſonas latæ, bon. trigintaſeptem.

52. Si autem erit lata inter eaſdem perſonas, bon. duos.

53. Pro declaratione de emendo juxta formam conſtitutionis fel. recor. Gregorii Papæ XIII. ſuper jure congrui, jul. unum. *Hæc bulla eſt ſuprà lib. 2.*

54. Pro reproductione intimationis factæ viciniis, ſeu inquilinis vigore dictæ conſtitutionis, jul. unum.

55. Pro juramento juxta formam dictæ conſtitutionis præſtando tam ab emptoribus quàm à venditoribus, julium unum pro qualibet parte.

56. Pro conſignatione ſive reſtitutione cedulæ depoſiti in Monte Pietatis, uſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta, bon. unum pro quolibet ſcuto.

57. A dicta ſumma uſque ad ſcuta quingenta, ſcuta duo.

58. Ab inde ſupra uſque ad ſcuta mille, ſcuta quatuor.

59. A mille ſupra uſque ad quamcumque ſummam, non ultra ſcuta ſex in totum.

60. In cauſa verò mercedis pro conſignatione cedulæ ſeu reſtitutione depoſiti in caſibus præmiſſis, in omnibus pro medietate.

61. Pro reſtitutione cedulæ facienda ipſimet parti deponenti in cauſa ſuccumbentiæ, ceſſione litis, aut alio quocumque caſu, in quo depoſitum non habeat effectum, exigantur bon. quadragintaquinque, & non ultra.

62. Pro depoſito bonorum mobilium cujuſcumque ſummæ, vel pecuniæ uſque ad ſummam ſcutorum quinque in manibus Notarii, nihil.

63. Pro reſtitutione depoſiti uſque ad ſummam ſcutorum quinque, bon. unus pro quolibet ſcuto.

64. Pro reſtitutione verò mobilium penes eum depoſitorum, exigat ut ſuprà dictum eſt pro reſtitutione cedulæ depoſiti.

65. Pro quolibet actu coram Illuſtriſſ. D. Camerario tantum, nihil.

66. Pro examine teſtium coram Illuſtriſſimo D. Camerario, cum articulis, & interrogatoriis, bon. trigintaquinque pro quolibet teſte.

67. Super materiis verò in citatione expreſſis, jul. unus.

68. Pro mandato de parendo ſententiæ vel decreto definitivo, jul. tres.

69. Pro non gravetur coram Illuſtriſſimo Domino Camerario tantum, jul. tres.

70. Extractus autem faciat Notarius juxta formam reformationis Sanctiſſimi Domini Noſtri, ita ut acta in eo deſcribantur prout jacent in manuali, nec repetantur in omnibus dignitates aut tituli Judicum ſeu partium litigantium, aut Procuratorum comparentium, vel ſimilia, & ſingula folia contineant in qualibet eorum pagina ad minus lineas vigintiquatuor, & unaquæque linea ad minus ſyllabas duodecim, & ſcribantur litera bona, & intelligibili, & nullatenus in charta bibula, & alias juxta formam dictæ reformationis, alioquin partes ad earum ſolutionem non teneantur, & ſervata forma prædicta habeat Notarius pro ſingulis fol. bon. ſeptem cum dimidio.

71. Pro copia ſimplici bene ſcripta ad inſtar boni originalis, pro quolibet folio bon. ſex.

72. Pro extractibus, & quibuſcumque aliis ſcripturis, & actis conficiendis pro officio, nihil, nec etiam pro ſigillo.

73. Pro ceſſione litis, jul. tres.

74. In reliquis Notarius ſervet taxam noviſſimam Notariis Curiæ Capitolinæ præſcriptam, quam in ejus officio in propatulo appenſam ſimul cum iſta perpetuò retinere debeat.

75. Ultra præmiſſa non exigat Notarius, nec ejus Subſtituti aliquid etiam à ſponte dantibus, ſub pœna privationis officii, & aliis pœnis, de quibus in generali reformatione Sanctiſſimi D. N.

Taxa

**Taxa Notarii Ripæ, ſervanda etiam coram Præſide in quacumque inſtantia.**

*Reformatio Curia Ripa eſt ſupra in conſt. preced.*

1. §. 9. PEr qualſivoglia petitione, ò atto, baiocco uno.

2. Per qualſivoglia decreto che non finiſchi la cauſa, baiocco uno.

3. Per eſſame d'un teſtimonio, dove non ſiano articoli, baiocchi tre.

4. Per eſſame d'un teſtimonio dove ſiano articoli, & interrogatorii, baiocchi ſette e mezo.

5. Per la produttione di qualſivoglia inſtrumento, ò poliza, baiocchi due.

6. Per qualſivoglia decreto definitivo, dove non interviene cedula di ſentenza, baiocchi tre.

7. Per rogito di qualſivoglia ſentenza data in ſcriptis in cauſa civile, baiocchi ſette e mezo.

8. Per qualſivoglia ſentenza aſſolutoria in cauſa criminale data in ſcriptis, baiocchi ſette e mezo.

9. Per qualſivoglia mandato eſecutivo, baiocchi tre.

10. Per qualſivoglia mandato penale, baiocchi tre.

11. Per qualſivoglia mandato di relaſſo, tanto civile, quanto criminale, baiocchi cinque.

12. Per un mandato ſoſpetto di fuga, baioc. ſette e mezo.

13. Per il termine che ſi piglia in giudicio, baiocchi due.

14. Per il rogito di ciaſchedun' inſtrumento, baiocchi ſette e mezo.

15. Per inſtrumento publico ſin' alla ſomma di venticinque ſcuti, baiocchi quindeci.

16. Per inſtrumento publico ſin' alla ſomma di ſcudi cento, giulii cinque.

17. Dà cento ſcudi ſin' à mille, mezo ſcudo per cento.

18 Dà mille in sù ſin' à qualſivoglia ſomma, ſcudi ſei, & non più.

19. Per reſtitutione di ſcritture, ò d'inſtrumenti produtti, ritenuta la copia collationata con obligo di riportarli, ſe la copia ſarà fatta dal Notaro, habbia per detta reſtitutione, & obligo baiocchi quindeci, ſe li ſarà datta la copia, & lui ſolo la collationara, habbia baiocchi cinque.

20. Dove occorre far atto, ò inſtanza, ò decreto di più perſone nominate inſieme ò ſia in cauſa di diſcuſſione ò di aſſicuramenti, ò in qualſivoglia altro modo, ò cauſa, anco ſe foſſe Univerſità, Congregatione, Capitolo, ò Collegio, non ſi paghi ſe non l'ordinario che ſi paga per un ſolo.

21. Che quando ſi dimanda il conto, baſti darlo ſemplice dal Mercante ſenz' altra mercede al Notaro, che un baiocco per l'atto.

22. Quando ſi dimandaſſe eſſibir li libri, baſti ſolo eſſibirli al Camerlengo, & con il Notaro collationare il conto, che laſcierà, & riportarli, & il Notaro habbi per ſua mercede con l'atto baiocchi due.

23. Per qualſivoglia inventario, ancorche ſi faceſſe ad inſtanza di più perſone, & della Corte, per qualſivoglia cauſa civile ò criminale, baiocchi ſettantacinque.

24. Dove occorre far depoſito di qualſivoglia ſorte di robbe, in caſo di fallimento, diſcuſſione, ò morte, ſi faccia in mano d'un Mercante idoneo di Ripa. Ma ſe ſaranno denari, ſi faccia nel Monte della Pietà, & in queſti caſi il Notaro non habbia più che baiocchi due per l'atto.

25. Ne gl' altri caſi da cinque ſcudi in giù ſi faccia in mano del Notaro, & da detta ſomma in sù, ſe in denari, nel Monte della Pietà, ſe in robbe, ad arbitrio del Camerlengo.

26. Et per la reſtitutione de detti depoſiti che ſi faranno in mano del Notaro, habbia eſſo Notaro, computato l'atto, & la quietanza, per ogni ſcudo baiocchi due.

27. Per quelli che non ſi faranno in mano ſua, habbia ſolamente il Notaro per l'atto baiocchi due.

28. Che il Notaro non poſſa pigliar depoſito alcuno ſenza il decreto del Giudice, eccetto quando foſſe relaſſato il mandato contra il debitore, nel qual caſo li poſſa fare un non gravetur, ricevendo lui, ò depoſitando la parte come ſopra la quantità giudicata, & le ſpeſe fatte, le quali debbia il Notaro pagare intieramente al creditore, ſenza ritenerſi depoſito alcuno, ma farſi pagare dal debitore quanto far loro ſaranno d'accordo, gli darà il non gravetur.

29. Se per decreto di Giudice ſi farà depoſito in mano del Notaro, debbia eſſo Notaro farſi pagare quanto gli viene dal deponente quando farà il depoſito, accio il depoſito intiero ſi conſegni al creditore ſenz' alcuna diminutione.

30. Che il Notaro per portar' atti, & informare il Camerlengo, non poſſa pigliar coſa alcuna, ma per informare, & portare atti al Preſidente, poſſa pigliare baiocchi ſette e mezo.

31. Per pigliar' il poſſeſſo dentro di Roma, al Notaro ſi paghi baiocchi trentaſette e mezo.

32. Fuori di Roma ſin' à tre miglia, ad inſtanza di uno ò di più perſone, che ſiano inſieme in cauſa contra di uno, giulii ſette e mezo.

33. Et ſe ſi andaſſe lontano più di tre miglia, & contro diverſe perſone, & in diverſi luoghi, ſi pigli quel più che parerà al Camerlengo.

34. Per qualſivoglia calculo per conto di gettiti, ò altre ſimili coſe, ſe verrà il teſtimoniale fatto, il Notaro non poſſa pigliare più d'un ſcudo in tutto, computato tutto quello ſi è fatto in tal cauſa, con la ſentenza, la quale anco ſia tenuto dar autentica.

35. Se eſſaminara eſſe Notaro li teſtimonii habbia d'havere più dello ſcudo la mercede de l'eſſame delli teſtimonii, ſecondo quello che è detto di ſopra circa l'eſſame di teſtimonii, & queſto s'intenda tanto in approvare, quanto in reprovare.

36. Che il Notaro, ò altra perſona, che havrà cura di tenore li traſti, ſiano obligati tenere ſino al numero di cento traſti, & le barche, ò padroni di eſſe, che l'adopreranno, ſiano obligati à pagare li ſoliti quindeci baiocchi, & nel partir loro, conſignarli fuori dell' acqua al padrone delli traſti, overò notificare à qual barca l'haveranno conſignari per ſervirſene, ſotto pena di pagarli del ſuo, & mancando il numero delli cento traſti, & le barche che non l'adopreranno per mancamento di eſſi, non ſiano tenute à pagare coſa alcuna per tal cento, ne le fregate, che non uſano adoprarli.

37. Per qualſivoglia ſubhaſtatione, baiocchi due.

38. Per qualſivoglia deliberatione ſi paghi al Notaro ſino à ſcudi cento, baiocchi due per ſcudo.

39. Dà cento ſin' à cinquecento, baiocco uno.

40. Dà cinquecento ſin' à mille, mezo baiocco.

41. Dà mille ſopra non ſi poſſa aſcendere più.

42. Per la prima polliza, che ſi fa per l'eſpeditione delle barche, baiocchi ſette e mezo.

43. Non ſi poſſa commettere coſa alcuna, ne civile ne criminale ad Aſſeſſore alcuno, & volendo il Camerlengo il parer del Savio, lo pigli da ſe ſteſſo, ſenza intervento delle parti.

44. Il Notaro che pro tempore ſarà à Ripa, debbia per ſe ſteſſo, & non per Suſtituti ſottoſcrivere mandati, inſtrumenti, fede & ſimili atti, ſe già non foſſe talmente impedito da infermità, ò altro caſo, che pareſſe al Camerlengo di dar autorità di ſottoſcrivere ad altro idoneo, che nominaſſe il detto Notaro, & con il quale lui ſi debbia accordare.

45. Dà dieci ſcudi d'oro in giù, non ſi poſſa in modo alcuno appellare, ne dir di nullità.

46. Li Notari, ne altri poſſin' prendere parte alcuna della pena gratiata, ò in tutto ò in parte, ſe ſia fatta la gratia, mà debbiano ancor loro reſtar contenti della gratia.

47. In modo alcuno non ſi faccia eſtratto nella prima inſtanza, ancorche la cauſa foſſe commiſſaria, ſe già tutte le parti non ſe ne contentaſſero mà ſe una delle parti lo addimanda, nella ſeconda inſtanza ſi poſſa fare, & in tal caſo ſi facci all'uſanza di Campidoglio, & ſi pigli baiocchi tre per foglio.

48. Se in cauſa criminale occorrerà far eſtratto, ò dar copia d'indicii, ſi paghi baiocchi cinque per foglio.

49. Per un monitorio, baiocchi tre.

50. Per un ſequeſtro, baiocchi tre.

51. Per un' inhibitione conceſſa per facoltà ordinaria, baiocchi tre.

52. Per un' inhibitione vigore commiſſionis, baiocchi tre.

Per

53. Per un non gravetur, ò mandato di non moleſtare, baiocchi tre.
54. Per un partito che decida la cauſa, baiocchi due.
55. Per ſede di eſſeguire un mandato fuor della Corte, baiocchi due.
56. Per li mandati, & qualſivoglia altre eſſattioni, che ſi fanno del Preſidente in nome, & col ſigillo del Cardinal Camerlengo, baiocchi dieci, oltra il ſigillo.
57. Per reſtituir chiavi, ò beni inventarieti con la quietanza, baiocchi due.
58. Per un Monitorio extra Curiam in charta pergamena infra quaranta miglia, giulii nove.
59. Per un mandato ſimile extra Curiam in charta pergamena, giulii nove.

Taſſa delli Mandatarii di Ripa.

60. Per ciaſcheduna citatione, baiocco uno.
61. Per ciaſchedun mandato penale, baiocchi due.
62. Per ciaſcheduna ſubhaſtatione, & deliberatione ſino à ſcudi tre, baiocco uno per ſcudo, da tre ſcudi in sù, baiocchi due per ſcudo, porche non paſſi in tutto un ſcudo.
63. Per ciaſcheduna citatione nel luogo il quale ſi dice il franco, baiocchi due.
64. Per ciaſcheduna citatione alle porte della Città, baiocchi due.
65. Per citatione de farſi fuora delle porte della Città fra un miglio, baiocchi ſei: dà un miglio in sù, baiocchi quattro per miglio.

Taſſa delli Eſſecutori di Ripa.

66. Per ciaſcheduna eſſecutione reale ò perſonale, ſino alla ſomma di cinque ſcudi, baiocchi ſette è mezo.
67. Sino alla ſomma di dieci ſcudi, baiocchi quindeci.
68. Sino alla ſomma di cinquanta ſcuti, baiocchi trentaſette è mezo.
69. Dà li in sù ſino à ciaſcheduna ſomma, baiocchi ſettantacinque.
70. Nelli caſi nelli quali è pena capitale, over di ſangue, baiocchi ſettantacinque.
71. Et nelli caſi nelli quali ſe li deve la quarta parte della pena ſecundo il ſtatuti, cioè quando eſſo è prima inſtigatore, è delatore del delitto, ſe li paghi la quarta parte della pena che realmente, & effettivamente ſi eſſigerà. Et ſia obligato ſtare alla compoſitione, ò gratia, che ſi farà della pena in parte, over del tutto.

Taxa ſervanda in Curia Ripettæ, tam in prima quàm in ſecunda inſtantia, per Judicem, Notarium, & alios officiales dictæ Curiæ, etiam coram Præſide.

*Reformatio hujus Curiæ eſt ſuprà in conſt. preced.* §. 9.

De Sportulis Judici ſolvendis.

1. §. 10. PRo qualibet ſententia diffinitiva, ſeu decreto ſervatis ſervandis facto, uſque ad ſummam ſcutorum centum, ſolvantur bon. duo cum dimidio pro quolibet ſcuto.
2. Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, bon. duo pro quolibet ſcuto, dummodo non excedat ſcuta tria monetæ.
3. Pro quolibet mandato ſuſpicionis fugæ, etiam parte citata relaxato, bon. quinque.
4. Pro quolibet mandato reſtitutionis pignorum, bon. quinque.
5. Pro mandato relaxationis carcerati, etiam pro pluribus in eadem cauſa, bon. quinque.
6. Pro mandato vigore termini in officio ſuſcepti, bon. quinque.
7. Pro mandato vigore obligationis Cameralis, jul. unus.
8. Pro mandato de capiendo pro cautione de non offendendo, jul. unus.
9. Pro mandato de relaxando carceratum vel carceratos, etiam plures pro indiciis in eadem cauſa, dummodo indicia fuerint relevantia, jul. unus.
10. Pro caſſatione obligationis vel proceſſus, etiam pro pluribus in eadem cauſa criminali, jul. unus.
11. Pro viatico faciendo ad videndum aliquam differentiam in Urbe, bon. trigintaſeptem cum dimidio.
12. Extra Urbem citra decem milliaria, ſcutum unum auri; ultra decem, ſcutum unum auri quolibet die, & expenſæ victus.

Pro revocatione ſequeſtri data cautione, bonon. quinque. 13.

Si verò ſervatis ſervandis, ſolvatur ut ſuprà dictum eſt de diffinitiva. 14.

Pro ſententia abſolutoria, ſive decreto ſervatis ſervandis facto in cauſa criminali in caſibus permiſſis à Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, etiam pro pluribus in eadem cauſa, bon. ſeptuagintaquinque. 15.

Pro quibuſcumque pœnis pecuniariis, & aliis rebus confiſcandis, quarta pars juxta ſolitum aſſignetur eidem. 16.

Et prædicta taxa ſervetur etiam quod in cauſis ab initio adſit, vel poſtea ſuperveniat commiſſio. 17.

De mercede Notarii, tam in prima quàm in ſecunda inſtantia, etiam coram Præſide.

Pro monitorio, bon. tres. 18.
Pro ſequeſtro, bon. tres. 19.
Pro non gravetur, bon. tres. 20.
Pro inhibitione cum clauſula, Si quis, bon. tres. 21.
Pro reproductione illorum, & decreto moderationis, ſeu reductione ad viam juris, bon. duo. 22.
Pro quacumque relatione, proteſtatione, & reſponſione, bon. unus. 23.
Pro quocumque termino habito pro ſervato, nihil. 24.
Pro monitione facta partibus præſentibus, nihil. 25.
Pro mandato ſuſpicionis fugæ, etiam parte citata relaxato, & cum examine teſtium, ſine productione librorum, & jurium, uſque ad ſcuta viginti, bon. quindecim. 26.
Ab viginti ſupra pro quacumque ſumma, jul. tres. 27.
Pro arreſto contra carceratum, conſtito de credito, & mandato relaxato, ſolvatur prout in mandato ſuſpicionis fugæ. 28.
Pro mandato de relaxando carceratum cum cautione, vel de conſenſu uſque ad ſcuta decem, in totum bonon. quindecim. 29.
Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, julios duos. 30.
Pro mandato in contumaciam relaxato, bon. tres. 31.
Pro illius revocatione, bon. tres. 32.
Pro quacumque ſignificatione ſubſcripta, vel non ſubſcripta à Judice, bon. tres. 33.
Pro quocumque depoſito faciendo, bon. duo. 34.
Pro reſtitutione depoſiti pro quolibet ſcuto, bon. duo; ſed in cauſis mercedum pro medietate. 35.
Pro rogitu cujuſque obligationis in officio, jul. unus, extra officium jul. duo. 36.
In cauſis mercedum, bon. ſeptem cum dimidio. 37.
Pro caſſatione cujuſque obligationis in cauſa civili, à ſcutis quinque infra, bon. quinque. 38.
A quinque ſupra uſque ad quamcumque ſummam, jul. unus. 39.
Pro ſuſceptione termini in officio, bon. duo. 40.
Extra officium, bon. quinque. 41.
Pro moderatione termini, vel repoſitione, bon. duo. 42.
Pro quocumque partito in actis facto, bon. duo. 43.
Pro copia illius, bon. duo. 44.
Pro juramento illius, bon. duo. 45.
Pro quocumque mandato vigore termini in judicio ſuſcepti, uſque ad ſcuta decem, jul. unus. 46.
Ab inde uſque ad ſcuta vigintiquinque, bonon. vigintiquinque. 47.
Ab inde uſque ad ſcuta quinquaginta, jul. quinque. 48.
Ab inde uſque ad centum, bonon. ſeptuagintaquinque. 49.
Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, ſcutum unum. 50.
Pro fide litis pendentiæ, jul. unus. 51.
Pro fide cujuſlibet actus, jul. unus. 52.
Pro productione quorumcumque jurium, bon. duo. 53.
Pro quacumque reſtitutione cedularum privatarum, Inſtrumentorum, librorum, ac aliarum quarumcumque ſcripturarum, cum dimiſſione copiæ, uſque ad ſummam ſcutorum vigintiquinque, bon. quindecim. 54.
Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, bon. vigintiquinque. 55.
Si copia fuerit exceſſiva ſolvatur arbitrio Judicis. 56.

Pro

57. Pro reſponſione ſuper articulis pro quolibet articulo omiſſo repetitivo, bon. unus.

58. Pro examine teſtium ſine articulis, & interrogatoriis uſque ad quamcumque ſummam, bonon. ſeptem cum dimidio.

59. Cum articulis, & interrogatoriis uſque ad ſummam ſcutorum decem, bon. quindecim.

60. Ab inde ſuprà uſque ad quamcumque ſummam, bon. vigintiquinque.

61. Et ſi articuli, & interrogatoria fuerint exceſſiva, ſolvatur arbitrio Judicis.

62. Pro decreto publicationis teſtium, bon. duo.

63. Pro copiis depoſitionis teſtium ſolvatur prout in examine.

64. Pro recognitione, ſive examine ſuper recognitione teſſerarum, & aliarum ſcripturarum, ſive jurium ſine interrogatoriis, bon. 3.

65. Cum interrogatoriis ſolvatur arbitrio Judicis.

66. Pro informatione Judici facienda in cauſa cujuſcumque ſummæ, nihil.

67. Pro nota ſententiæ ſeu decreto diffinitivo ſervatis ſervandis, ſolvatur prout ſuprà in mandato vigore termini.

68. Pro mandato ſervatis ſervandis relaxato, ſolvatur ſimiliter prout in mandato vigore termini.

69. Pro quacumque appellatione interpoſita verbo vel in ſcriptis, etiam cum productione cedulæ appellationis, bon. 2.

70. Pro mandato de evacuando ſervatis ſervandis, jul. duo.

71. Pro mandato de conſignandis pignoribus mandatario ad effectum ſubhaſtandi, & de ſubhaſtando, bon. 3.

72. Pro mandato de deliberando, bon. 7. cum dimidio.

73. Pro mandato vigore obligationis in forma Cameræ uſque ad ſcuta decem, bon. 15.

74. Uſque ad triginta, jul. 3.

75. A triginta uſque ad quinquaginta, jul. 5.

76. A quinquaginta uſque ad centum, ſcutum unum.

77. Ab inde ſuprà uſque ad quamcumque ſummam, ſcuta duo.

78. Pro ſubhaſtatione quorumcumque pignorum, nihil.

79. Pro rogitu adeptionis poſſeſſionis barcæ, ſeu partis illius, bon. 25.

80. Pro rogitu adeptionis poſſeſſionis domus, ſeu vineæ in Urbe, bon. 25.

81. Extra Urbem, jul. 5.

82. Pro confectione Inventarii, ſive deſcriptionis bonorum extra officium, ſimiliter jul. 5.

83. Pro repetitione Inſtrumentorum rogatorum in officio uſque ad ſummam ſcutorum decem, bon. 7. cum dimidio.

84. Uſque ad ſummam ſcutorum quinquaginta, bon. 25.

85. Uſque ad quamcumque ſummam, bon. 45.

86. Pro bannimentis ad inſtantiam privatarum perſonarum, in totum jul. 2.

87. Pro ſequeſtris generalibus pro Univerſitatibus Artium Carrectteriorum, Impaſſatorum, & exoneratorum barcarum, bon. 35.

88. Pro ſpecificatione materiarum, bon. 2.

89. Pro juramento calumniæ, bon. 2.

90. Pro acceſſu ad locum differentiæ in Urbe, bon. vigintiquinque.

91. Extra Urbem infra duo milliaria, jul. 5.

92. In aliis locis longinquioribus, ſcutum unum.

93. Pro mandato de reſtituendis pignoribus, à decem infrà, bon. 5.

94. Ab inde ſuprà uſque ad quamcumque ſummam, jul. unus.

95. Pro patente quod ſoluto damno non teneatur ad pœnam pro carrigio lignorum ad Urbem, etiam pro pluribus inſimul, jul. 5.

96. Pro inhibitionibus vigore decreti Cameræ in reaſſumptione cauſarum ab alio Tribunali, ſtante quod agitur de juriſdictione Riparum, jul. 3.

97. Pro quolibet folio extractus facti juxta reformationem Sanctiſſimi Domini Noſtri, bon. 3.

98. Admiſſus ad juramentum paupertatis ſolvat pro medietate.



Pro caſſatione cujuſlibet Inventionis, jul. unus. 99.

Et prædicta taxa ſervetur etiam quod in cauſa adſit, vel ſuperveniat commiſſio. 100.

Pro rogitu quorumcumque contractuum, teſtamentorum ſeu inſtrumentorum, ac pro illis in publicam formam dandis, necnon caſſatione eorumdem, & aliis de quibus in præſenti taxa non eſt diſpoſitum, ſervetur taxa Statutorum Urbis. 101.

Teneatur quoque Notarius partibus petentibus inſtrumentorum copias, de quibus rogatus fuit, tradere, & pro eis julium unum pro centenario ſcutorum, ita tamen quod pro quavis ſumma julios decem non excedat, recipere poſſit, & non ultra, exceptis inſtrumentis locationum, pro quorum copiis non ultra julios duos exigere poſſit. 102.

In cauſis criminalibus ſervet taxam fel. rec. Pii Papæ Quarti à Sanctiſſimo Domino Noſtro innovatam. 103.

*Hanc taxam habes ſuprà lib. 2.*

## De mercede Mandatariorum.

Pro præſentatione monitorii, inhibitionis, ſequeſtri pro qualibet perſona, bon. 2. 104.

Pro qualibet citatione in curia, bon. unus. 105.

Extra Curiam infra unum milliare, pro qualibet perſona, bon. 3. 106.

In Curia in locis longinquis, videlicet ad Ripam, ad Eccleſias Lateranen. vel Sanctæ Mariæ Majoris, & ſimilia, bon. 2. 107.

Pro citatione exequenda in cauſa criminali contra officiales Curiæ, bon. 2. 108.

Pro executione literarum monitorialium rogatorialium citationis exequendæ extra Curiam ultra milliare ſolvatur arbitrio Judicis. 109.

Pro ſubhaſtatione, & deliberatione pignorum ſeu bonorum uſque ad ſcuta tria, bon. unus pro quolibet ſcuto. Ab inde ſuprà, duo pro quolibet ſcuto, ita tamen quod non excedat in totum ſcutum unum. 110.

Mandatarius teneatur præſtare idoneam cautionem arbitrio Judicis de fideliter exercendo, de conſignandis, & reſtituendis pignoribus, ac pretio pignorum, juxta decretum Domini, ac etiam habitare prope officium. 111.

Item teneatur ſingulis diebus, tam feriatis quàm non feriatis, bis in die ad minùs ad officium ſe præſentare, & ſignanter hora audientiæ, & durante audientia ſine licentia Judicis ab officio non diſcedere, & in hora audientiæ in præſentia Judicis apud Notarium non ſedere, & officium Mandatarii facere, & non Procuratoris, vel partis aut Notarii. 112.

## De mercede executoris.

Pro quacumque executione reali vel perſonali uſque ad ſummam ſcutorum trium incluſivè, bonon. 7. cum dimidio. 113.

Ab inde uſque ad decem, bonon. 2. cum dimidio pro quolibet ſcuto. 114.

A decem uſque ad quinquaginta, bon. 2. pro quolibet ſcuto, dummodo merces non ſit minor juliis tribus. 115.

Ab inde ſuprà uſque ad centum, jul. 15. dividendi pro rata cujuſlibet ſcuti. 116.

Ab inde ſuprà ad ducenta, jul. 20. 117.

Et à ducentis uſque ad quingenta, jul. vigintiquinque in totum. 118.

Et ab inde ſuprà uſque ad quamcumque ſummam ſolvatur arbitrio Præſidis, dummodo non excedat ſummam ſcutorum 4. in totum. 119.

Extra verò Urbem ultra duo milliaria ſolvatur duplũ. 120.

Pro executione mandati ſuſpicionis fugæ, etiam parte citata, uſque ad ſummam ſcutorum decem ſolvatur ut ſuprà. 121.

Ab inde ſuprà uſque ad quinquaginta, jul. 5. 122.

Ab inde ſuprà uſque ad quamcumque ſummam ſcutum unum in totum, & non ultra, & non niſi ab una tantùm parte ad id obligata. 123.

Item executor teneatur præſtare cautionem arbitrio Judicis de fideliter ac diligenter exercendo, ac de conſignando pignora infra unum diem, juxta Reformationem Sanctiſſimi Domini Noſtri. 124.

125. Teneatur etiam habitare apud officium, & ſingulis diebus de mane, & de ſero hora audientiæ ſe repræſentare, & per totam audientiam ibi permanere, ſaltem cum uno ſocio, vel famulo habili, & ſufficienti pro officio ſuo.

126. Item executor teneatur præmiſſa omnia ad unguem obſervare ſub privationis officii, & aliis pœnis arbitrio *Præſidis.*

127. *In criminalibus* obſervet taxam generalem aliorum executorum, niſi à Judice minus fuerit declaratum.

128. In reliquis obſervet tam reformationem generalem Sanctiſſimi ſub rub. de Baroncellis, & executoribus, *quàm alias ordinationes à Baroncellis, & executoribus* obſervandas.

## Taxa Notarii Hebræorum.

*De Hebræis habetur in præced. conſt.* §. 7.

1. §. 11. PRo qualibet citatione, intimatione, proteſtatione, bon. unus.

2. *Pro productione jurium*, bon. 2.

3. Pro recognitione jurium, bon. 3.

4. Pro monitorio de reſpondendo articulis, bon. 3.

5. Pro reſponſione articulorum in domo Notarii, dimidium bon.

6. Extra domum, pro viatico, bon. 5. ſolvendi à parte reſpondente.

7. Pro depoſito, bon. 2.

8. Pro rogitu procuræ ad lites in officio, bon. 2.

9. Extra officium, jul. unus.

10. Pro fide ſeu inſtrumento publico dictæ procuræ ad lites, jul. unus.

11. Pro conſenſu, bon. 2.

12. Pro quocumque termino ad ſolvendum, bon. 2.

13. Pro nota ſententiæ, ſeu decreti diffinitivi, ſervatis ſervandis uſque ad ſummam vel æſtimationem ſcutorum centum, bon. unus pro quolibet ſcuto.

14. A centum uſque ad ducenta, dimidium bononeni pro quolibet ſcuto ſupra centum.

15. Si excedat uſque ad quamcumque ſummam, ſcuta duo in totum.

16. Pro ſequeſtro cum examine teſtium vel productione jurium, bon. quindecim.

17. Pro mandato ſuſpicionis fugæ, etiam parte citata, & cum examine teſtium, vel productione jurium, bon. quindecim.

18. Pro inhibitione in Curia, jul. unus.

19. Extra Curiam in pergameno, bon. 45.

20. Pro non gravetur, idem quod ſupra dictum eſt de inhibitione.

21. Pro monitorio, ſeu inhibitione introductiva litis, bonon. 3.

22. Pro arreſto, bon. quindecim.

23. Pro mandato de excarcerando, bon. quindecim.

24. Pro mandato in contumaciam uſque ad quamcumque ſummam in Curia, bon. 3.

25. Extra curiam in pergameno, bon. 45.

26. Pro mandato executivo, uſque ad ſummam ſcutorum decem, jul. unus.

27. Uſque ad 25. jul. 3.

28. Uſque ad centum, jul. ſex.

29. Uſque ad ducenta, ſcuta duo in totum.

30. Uſque ad quamcumque ſummam, ſcuta 4. in totum.

31. Pro mandato de evacuando, vel de admovendo, aut ſimili, jul. 3.

32. Pro mandato de immittendo, ſeu de manutenendo, jul. 3.

33. Pro mandato de conſignandis pignoribus, ſeu de deliberando, aut de reſtituendo, jul. unus.

34. Pro obligatione ſeu fidejuſſione de ſtando juri, & judicatum ſolvendo, ſeu de repræſentãdo in officio, jul. unus.

35. Extra officium, jul. 2.

36. Pro ſuperſeſſoria in venditione pignorum intimanda per Notarium Hebræis Bancheriis, jul. unus.

37. Pro perquiſitione bonorum generaliter apud omnes Hebræos bancherios facienda, jul. 5.

38. Si autem fiat pro majori parte dictorum bancheriorum, jul. 4.

Si pro medietate eorumdem bancheriorum, bon. vi- 39.
gintiquinque.

*Si pro minori numero*, jul. 2. 40.

Pro *extractu bene facto juxta reformationem Sanctiſ-* 41.
ſimi Domini noſtri, pro quolibet folio ſolvatur prout
in aliis Curiis.

Pro examine teſtis ſuper materiis, jul. unus. 42.

*Super articulis autem ſine interrogatoriis*, jul. 2. 43.

Cum *interrogatoriis non excedentibus numerum* tri- 44.
ginta, jul. 3.

In exceſſivis autem ſolvatur arbitrio Judicis. 45.

*Pro ſummario cujuſlibet teſtis, computata mercede* 46.
ſcripturæ, tantum quantum pro examine ejuſdem.

Pro reſtitutione jurium quorumcumque uno actu 47.
productorum, jul. unus.

Et ſi Notarius copiam fecerit, ultra julium prædictum 48.
recipiat ut infra pro copia.

Pro reſtitutione bonorum depoſitorum valoris uſque 49.
ad ſummam ſcutorum decem unà cum quietantia, jul.
unus.

*Valoris* autem uſque ad vigintiquinque, jul. 2. 50.

Uſque ad quinquaginta, jul. 3. 51.

Uſque ad quamcumque ſummam, bon. quadraginta- 52.
quinque.

Pro conſignatione depoſiti, ſive cedulæ ipſius cum 53.
quietatione, pro quolibet ſcuto bon. 2.

Pro ſimplici copia bene ſcripta ad inſtar boni origi- 54.
nalis apòcharum & aliarum, pro quolibet folio jul. unus.

Pro rogitu inſtrumenti procuræ ad exigendum, ſive 55.
alia quæcumque negotia, jul. unus.

Pro fide ſeu inſtrumento publico dictæ procuræ ad 56.
negotia quæcumque, jul. 2.

Pro rogitu inſtrumentorum, pro quolibet centenario 57.
uſque ad ſcuta quingenta, jul. 2.

A quingentis uſque ad duo millia, pro quolibet cen- 58.
tenario, bon. 15.

A duobus millibus uſque ad quamcumque ſummam, 59.
ſcuta quinque.

Pro copia ſimplici dictorum inſtrumentorum integra 60.
ſolvatur pro medietate, ſi verò ſine die, anno & teſtibus,
ita ut non probet, ſolvatur quantum ſupra dictum eſt
pro copia ſimplici aliarum ſcripturarum.

Pro inſtrumentis publicis, ſeu fide illorum uſque ad 61.
ſcuta vigintiquinque, jul. 3.

Uſque ad ſcuta quinquaginta, jul. 5. 62.

A quinquaginta uſque ad trecenta, ſcutum unum pro 63.
quolibet centenario.

A trecentis uſque ad mille, ſcuta quinque. 64.

Ab inde ſupra, ſcutum unum pro quolibet milliari. 65.

Pro fide citationis, intimationis, ſeu alterius cujuſli- 66.
bet actus, jul. unus.

Pro fide litis pendentiæ, jul. unus. 67.

Pro inſtrumento publico ſententiæ uſque ad ſummam 68.
ſcutorum centum, bon. unus pro quolibet ſcuto.

Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, jul. 69.
quindecim.

Pro deputatione Curatoris, jul. 2. 70.

Pro extractione, ſeu fide partitarum, ultra viaticum, ſi 71.
fieri contingat, bon. 3. pro qualibet partita.

Pro viatico, jul. unus. 72.

Pro decreto admiſſionis ad exercitium fœnerandi in 73.
perpetuum, ſcuta quinque.

Pro decreto dictæ admiſſionis ad tempus, ſcuta duo, 74.
& jul. 5.

Pro approbatione libri Hebræorum bancheriorum, 75.
bon. 25.

Pro venditione pignorum, bon. duo pro quolibet pi- 76.
gnore vendito.

Pro ſupravantio pignorum venditorum, bon. 2. pro 77.
quolibet ſcuto.

Pro fide ſeu quietantia dicti ſupravantii, uſque ad ſcu- 78.
ta quinque, bon. 3. pro quolibet ſcuto.

Uſque ad decem, bon. 2. pro quolibet ſcuto. 79.

Uſque ad viginti, bon. unus cum dimidio. 80.

Uſque ad quadraginta, in totum jul. 4. 81.

Ab inde uſque ad ſummã quamcumque in totum jul. 5. 82.

Pro obligatione & fidejuſſione pro bollettinis amiſ- 83.
ſis, unà cum bollettino dando, uſque ad ſummam

ſcutorum quinque, bon. 5.

84. A ſcutis quinque uſque ad decem, jul. unus.

85. Ad decem uſque ad 25. bon. quindecim.

86. A 25. uſque ad centum, jul. 3.

87. Ab inde ſupra uſque ad quamcumque ſummam, jul. quinque.

88. Pro examine liſtæ expenſarum, jul. unus.

89. In caſibus in hac taxa omiſſis procedatur de ſimilibus ad ſimilia.

90. In criminalibus ſervetur taxa fel. rec. Pii Papæ Quarti à Sanctiſſimo D. Noſtro innovata.

91. Pignora vendenda vendantur unà cum ſuis involucris poſitis in pignoratione ſub pœna arbitrio Judicis.

## Ordini, & Taſſe da oſſervarſi dalli Guardiani delle Carceri.

*La riforma di queſti Guardiani ſi legge nella conſtitutione precedente, §. 63.*

1. §. 12. ET prima li Capitani, & Guardiani di qualſivoglia Carcere tengano un libro, nel quale debbano ſcrivere tutti quelli che intraranno prigione, eſprimendo non ſolo con che mandato, ad inſtanza di chi, perche cauſa, & ſe per ſoſpetto di fuga, mà anco quando entrano in ſecreta, & quando eſcano alla larga, & ſe inanzi, ò dopo pranzo, & parimente la ſera ſe inanzi ò doppo cena, à fine che ſi poſſa far conto delli paſti, & li non ſcritti al libro, non ſiano tenuti pagare ne ſpeſe, ne coſa alcuna per conto di Carcere, & non eſſendo ſcritto il tempo preciſo, come di ſopra, non ſi paga coſa alcuna per quel giorno, coſi dell'entrata, come dell'uſcire.

2. Item ſiano obligati tener una caſſa ſerrata con due chiavi, de quali una ne tenga il Capitano, & l'altra il Procurator de poveri, nella quale s'habbino à ripporre tutte le robbe & dinari che ſi trovaranno appreſſo quelli che ſaranno condutti, & ſcriverlo nel libro per inventario fatto in preſenza del Carcerato, & teſtimonii, & non facendo, ſiano puniti come di furto, con quella pena che parera à Monſignore Governatore di Roma, ò al Chierico preſidente delle Carceri pro tempore.

3. Sia in arbitrio de Carcerati farſi le ſpeſe da ſe, etiam in ſecreta, facendoſi portar da mangiare come li parra, ſe però altro per qualche raggione non ordinaſſe il Superiore, ne poſſa il Capitano, ò Guardiano in alcun modo, direttamente ò indirettamente impedire, ne mutarli di luogo, ò trattarli peggio per queſto che ſi faccian le ſpeſe da ſe, ò per qualſivoglia altro ſuo pretenſo credito, ſotto le pene infraſcritte, facendo ſolo diligenza quanto à quelli che ſaranno in ſecreta, che non ſe li portino polize, ò imbaſciate.

4. Et facendoſi il carcerato le ſpeſe da ſe, non poſſi il Guardiano, ò Capitano per il ſervitio dimandare coſa alcuna.

5. Per le ſpeſe che faranno alli prigioni in ſecreta, & non poſſino pigliare più di un carlino per paſto, & ſiano obligati à darli buon pane & buon vino à baſtanza, & una libra almeno di carne il giorno con la mineſtra, & quando non ſi mangia carne, darli ova, ò peſce ſecondo li tempi honeſtamente.

6. Ne poſſino metter mano à botte di vino per li prigioni, ſe prima non ſia provata dal Procurator de poveri.

7. Non dando, ò non facendo come di ſopra, per ogni volta che contraverranno li Capitani caſchino in pena di ſcudi dieci, da applicarſi un quarto al Procurator ſuſtituto ſopra il governo de prigioni, & gl'altri tre quarti à ſan Leonardo, & in oltre di ſtar' alla berrina per quel giorno.

8. Et li Guardiani, & Servitori che ſerviranno, non lo revelando, ipſo fatto s'intendino eſſer' incorſi nella pena della fruſta, alli quali Guardiani, ò Servidori ſi darà fede contra il Capitano ſenz' altro teſtimonio.

9. Non poſſino pigliare da quelli che ſtanno nelle Camere più di baiocchi cinque il giorno, eccetto che in Tor di Nona & Corte Savella dove ſi permette il ſolito d'un giulio per perſona.

10. Non poſſino mettere, ne tenere in dette Camere maggior numero di perſone di quello che ſara ſcritto da Superiori delle Carceri (à quali però ſi ordina che lo ſcrivino quanto prima ſopra dette Camere) ſenza eſpreſſo conſenſo d'eſſi carcerati, ò particolar' ordine de Superiori predetti. In qual caſo però non ſi accreſca la mercede ſtatuita alle Camere, mà ſi divida egualmente tra tutti, facendo il conto con l'intervento del Procuratore de poveri, & deputati della Carità.

11. Et alle controverſie di chi voleſſe ſtar nelle Camere, ò nelle ſale, & non foſſe meritevole il Prelato delle Carceri deputato dalla Carità pro tempore habbia à rimediare, & diffinirle.

12. Per la publica di ſupra per qualſivoglia lungo tempo, non ſi paghi più di cinque giulii per Carcerato all'uſcire che fara, & ſtandoſi meno di ſei giorni non paghi più di un groſſo il giorno.

13. Per publica di mezzo per qualſivoglia lungo tempo non ſi paghi più di tre giulii per Carcerato all'uſcire, & ſtandoſi meno di ſei giorni non paghi più di tre baiocchi il giorno.

14. Le publiche da baſſo, & le publiche delle donne ſiano gratis.

15. Parimente le publiche de Religioſi gratis, & le porte ſiano aperte.

16. Per la ſala dove ſi fa la Viſita, Cortili, Tinelli, Corridori & altri luoghi fuori delli ſudetti, non ſi paghi coſa alcuna. Et l'abuſo & nome di paſſeggio s'intenda levato via affatto.

17. Li poveri relaſſati con eſilio, non paghino cos' alcuna, manco di ſpeſe, ſecondo il ſolito.

18. Et quando nel relaſſo de teſtimonii ſemplici, ò altri ci ſara, Gratis ubique, s'intenda etiam quanto alla prigionia di qualſivoglia ſtanza & dalli teſtimonii ſimplici non habbino manco le ſpeſe, ma le recuperino dall' inſtigatore, o dal Fiſco.

19. Per la prigione d'ogni Carcerato non ſi facci pagar più di due carlini, ne ſi poſſa far pagare cos' alcuna per mancia del Guardiano, ò altro, perche quello è la ſua mercede per la guardia.

20. Et per ogni arreſto, che veniſſe contra il prigione, non ſi poſſa far pagare ſe non altretanto, cioe due carlini da quello che portara l'arreſto, & non dal prigione, ſotto pena della berlina, da incorrerſi irremiſſibilmente ogni volta che contraverranno, coſi all'uno come all'altro capo.

21. Per traſportare i Carcerati ò per cauſa della Viſita, ò per altro, per cavar li ferri, ò per habilitarli per occaſione di far'inſtrumento, ò altro non habbino coſa alcuna.

22. Si facci l'infermaria in ciaſcheduna prigione, & ne habbia cura il Prelato delle Carceri deputato dalla Carita pro tempore, & in caſo di biſogno, ſe ci mettino ancora li Carcerati civili, & li poveri ſtiano gratis.

23. Nell'hoſteria, che ſi permette, ſi facci pagare la foglietta del vino mezzo baiocco manco, come nell' hoſterie eſenti, & ſi tenghino le miſure giuſte di vetro.

24. Nel ricever le monete ſi oſſervino li bandi.

25. Non permettino, che li carcerati trattino con le donne carcerate, ne manco alle grati loro.

26. Menino ogni mattina li prigioni che ſtanno nelle publiche di ſopra & di mezo, alla Meſſa.

27. Del giulio di ſan Leonardo, & del giulio per il Cancelliero del Barigello del Governatore, ſi oſſervi il ſolito, & quando il mandato ſara in forma pauperum, ſi paghi per meta, & quando gratis, niente.

28. Et quando li prigioni haveranno havuto il mandato di rilaſſo, non li poſſino il Capitano, ò Guardiani ritenere, ne levarli alcun veſtito per il debito che haveranno fatto, etiam per cauſa di vitto, ò altro: mà ſi debbano ſubbito rilaſſare, imputando ſe ſteſſi ſe l'haverano tenuti di ſopra ſenza farſi pagare, ò aſſicurarſi con ſicurta, ò pegn.

29. Alli condannati à morte, galera, ò altra pena, non poſſino ſotto pena di tre tratti di corda, fruſta & berlina, levare panni, ò robba alcuna che detti condannati haveſſero, ò attorno, ò in prigione, ma tutto debbano notificare conſignate al Giudice della cauſa, acciò ne poſſa fare quel tanto ſara di giuſtitia.

30. Ne li detti Capitani, ò Guardiani poſſino pigliare più delle Taſſe ſopradette, ancorche ſe gli daſſe ſpontaneamente, & debbano ſervare tutti li ſopradetti capitoli, ſotto pena di corda, fruſta, & altre maggiori ad arbitrio de Superiori.

31. Dichiarando, che nelle Carceri dove è minor taſſa non s'intenda per queſti Capitoli innovato coſa alcuna, ma ſi ſervi ſempre la minore.

## Ordini, & Taſſe per li Barigelli, & Eſſecutori.

*La riforma di queſti ſi legge ſopra nella conſtitutione precedente, §.12.*

1. §.13. LI Barigelli, & Eſſecutori qual ſi ſiano, & di qualſivoglia Corte, non poſſino ad alcuno che *condurranno prigione levar denari, ne robbe di* ſorte alcuna, ne meno l'armi, quando non le portaranno contra bando, ma debbano le robbe laſciarle ad eſſi prigioni, & quelle conſignarle con l'arme al Capitano, ò Guardiano delle Carceri, à fin di riporle come ſi è detto, ſotto pena di tre tratti di corda, della fruſta, & berlina.

2. Item dalli decapitati, ò altramente morti, ò puniti per giuſtitia, ò da qualſivoglia altre condannato à morte, galera, ò altra pena, ancorche vi foſſe de beni loro non poſſino pigliare ne panni ne coſa alcuna per loro eſſecutione, ò altro conto, mà detti beni ſi conſegnino à chi di ragione, ſotto le ſudette pene.

3. Per cattura di quelli che condurranno prigione per cauſa capitale, & meritevole di morte, ò ſiano aſſoluti per ſentenza, ò commutatali la pena, ò in qualſivoglia altro caſo, non poſſino per loro eſſecutione pigliar più d'un ſcudo.

4. Et meritando la cauſa non pena di morte, mà galera, eſilio, mutilatione di membro, ò fruſta, ò che ſiano aſſoluti per ſentenza, ò commutatali la pena, ò rimeſſa, ò in qualſivoglia altro caſo, per eſſecutione & cattura non poſſino pigliare più di giulii cinque, & dalli puniti niente come ſi è detto.

5. Nelle cauſe civili per eſſecution reale, ò perſonale, per la ſomma di cinque ſcudi piglino due carlini, & da cinque ſcudi ſino à dieci, tre giulii, & da dieci ſcudi ſino à venti, giulii cinque, & da venti ſcudi ſino à quaranta, giulii dieci, & da quaranta ſino à ſcudi ſettanta, giulii quindieci, da ſettanta ſino à cento, giulii venti, da cento ſino à cinquecento ſcudi tre, da cinquecento ſino à mille, ſcudi quatro, & facendoſi eſſecutione per maggior ſomma, ſi paghi ad arbitrio del Giudice, de mandato del quale ſarà fatta l'eſſecutione, porche non paſſi la ſomma di ſcudi ſei al più, eccetuando li Giudici di Corte Savella, Torre di Nona, Ripa & Ripetta, li quali non poſſino eccedere la detta Taſſa ſenza licenza del Governatore, overo Auditore della Camera, ò dal Chierico preſidente delle Ripe reſpettivamente, eccettuando ancora li mandati della Corte del Governatore, nelli quali s'oſſervi la ſua taſſa, quale è minore per la povertà de litiganti che concorrono ad eſſa Corte.

6. Per mandati di mettere in poſſeſſo de beni ſtabili ſenza eſpreſſione di ſomma, un ſcudo, è non piu, & dove ſia la ſomma eſpreſſa ſi oſſervi come ſopra.

7. Per mandato di ſoſpetto di fuga ſino alla ſomma di ſcudi quaranta, ſi pigli ſecondo la taſſa ſopradetta, & da quaranta in sù, per qualſivoglia ſomma non più d'un ſcudo.

8. Per eſſecutione fatta in animali, ſi oſſervi il medeſimo, ne ſi facci pagar alcuna coſa per la capezza, come già per abuſo ſi è fatto alcuna volta.

9. Per eſſecutione fatta fuora di Roma fra tre miglia, ò ſia civile ò criminale, ſi oſſervi come dentro di Roma, & ſe oltre tre miglia, & in qualſivoglia Città, ò Caſtello ancora oltro quaranta miglia, gl' eſſecutori di Roma habbino l'eſſecutione che ſi paga in Roma duplicata, mà ſe ſaranno eſſecutori d'altre Città ſi paghi duplicata la taſſa che ſi oſſerva in quel luogo dove ſi fa l'eſſecutione.

10. Occurrendo caſo non compreſo in queſta taſſa, ſi ſtia alla dichiaratione del Giudice che hà rilaſſato il mandato, eccetto li ſopradetti Giudici di Corte Savella, Torre di Nona, Ripa, & Ripetta, li quali non poſſino far tale dichiaratione ſenza licenza del Governatore, ò Auditore della Camera, ò Preſidente delle Ripe reſpettivamente, come di ſopra.

11. Neſſuno Barigello, ne Eſſecutore predetto ardiſca pigliar denari da debitori per la loro eſſecutione ſi effettualmente non la fanno, & ne differire l'eſſecutione della quale ſon ricercati, ma debanno eſſequirla quanto prima ne dal Creditore pigliar denari, ſe non in caſo che il debitore non ſia obligato à pagarlo. Et moſtrata che li ſia carta dotale, inhibitione, ò non gravetur, non piglino coſa alcuna, ne faccin' eſſecutione, & facendola la reſtituiſchino gratis.

12. Facendo cattura in caſa d'alcuno, non poſſino pigliar' arme d'alcuna ſorte ſe non prohibite, come archibugietti, etiam ſotto preteſto che il pregione l'abbia portate in tempo prohibito.

13. Non ardiſchino ſenz' ordine particolare del Giudice della cauſa, andare con Notarii à far inventario di robbe, & in caſo che li ſia ordinato non poſſino pigliar più d'un ſcudo in caſo d'omicidio ſeguito, in ogni altro caſo non più di giulii cinque.

14. Dalli poveri non poſſino per qualſivoglia mandato eſſigere coſa alcuna, ma ſiano tenuti laſciarli gratis, ſenza un quatrino di ſpeſa, ò pigliare ſolamente la meta di quello che li verria ſecondo che li mandati ſaranno ſottoſcritti, ò gratis, ò in forma pauperum.

15. Alli quali mandati coſi ſottoſcritti neſſun Barigello, Capitano ò altro miniſtro ardiſca replicare, ma ſubito eſſequirli. Et quando li mandati ſaranno ſegnati gratis, non ſi ricerchi ſottoſcrittione di Barigello Eſſecutore, & il gratis, ò in forma pauperum, s'intenda tanto per li Notario quanto per gli Eſſecutori.

16. Non poſſino pigliare mercede ne altro, ſe non fatta realmente l'eſſecutione, ò reale ò perſonale, & per la rata d'eſſecutione fatta, & eſſendo una volta ſodisfatti, ſiano obligati ritornare quante volte biſognarà à far nova eſſecutione, ſin tanto che il creditore ſia intieramente ſodisfatto, ſenz'altra nova mercede.

17. Quelli che contraverranno alle coſe predette alle quali non è preſcritta pena, incorrano per la prima volta la pena di tre tratti di corda, per la ſeconda della fruſta per la Città, & per la terza della Galera, da eſſeguirſi irremiſſibilmente dalli ſuddetti Giudici ſenz'alcuna ſperanza di gratia.

18. Et acciò ch' ogn' uno poſſa haver notitia delli detti Ordini à Taſſe, tanto li Barigelli, & Eſſecutori, quanto li Capitani delle Carceri, ſiano obligati tenere continuamente detti decreti ſtampati in una tavola affiſſa nel muro, in parte ch' ogn' uno poſſe vederli, & leggerli d'ogn' hora. Avertendo particolarmente, che delle perſone ignoranti non ſi pigli oltre il dovere, ſotto le pene ſodette di ſcudi cinquanta, d'applicarſi à ſan Leonardo, & altre pene più gravi.

## Declaratio Conſtitutionis ſuper reformatione Tribunalium Urbis, nuper editæ.

*Eſt ſupra iſta Reformatio in duabus conſtitutionibus hanc præcedentibus.*

*PAVLVS PAPA V.* *Edita An. D. 1611.*
*Motu proprio, &c.*

CUm ſicut accepimus, nuper poſt noſtram ſuper Tribunalium Urbis reformationem à pleriſque, præſertim verò à Notariis eorumdem Tribunalium, nonnullæ difficultates ſuper intelligentia & executione dictæ conſtitutionis, & taxarum inde confectarum ſubmotæ fuerint: Nos difficultates omnes opportuna declaratione tollere volentes, Motu ſimili. *Cauſa hu… declaratio…*

§.1. In primis quoad diſpoſitionem, quæ habetur in verſ. Notarii quorumcumque Tribunalium, declaramus, Notarios in cauſis Commiſſarijs, ſummam aut valorem ducentorum ducatorum auri de Camera non excedentibus, teneri dare literas miſſivas loco remiſſorialium: ſed ſi dictam ſummam, ſeu valorem exceſſerint, & ſint veræ *Cap. iſtud in conſt. 7… §.19. n.16.*

verè Commiſſariæ, Notarios ad dandas dictas literas miſſivas loco remiſſorialium non obligamus. Et amplius declaramus copiam articulorum & interrogatoriorum, ſi quæ in Curia data fuerint, & in dictis miſſivis includendorum, ultra taxatam mercedem juliorum novem eſſe ſolvendam ad inſtar aliarum copiarum.

*Cap. iſtud eſt ibid. n. 26.* §. 2. Inſuper quoad verſ. Iidem addendo, volumus eam partem quæ inſtat pro ſententia teneri in actu depoſitionis ſportularum, ſive propinarum pro Judice, etiam mercedem notæ ſententiæ pro Notario deponere.

*Cap. iſtud eſt ibid. n. 37.* §. 3. Et quoad verſ. Notarii non audeant, declaramus ſufficere quod Notarius, aut unus ex teſtibus cognoſcat alterum ex contrahentibus. Et quando contrahens eſſet alienigena, ſive peregrinus, aut tam vilis conditionis ut ejus cognitio vel notitia eſſet in Urbe difficilis, contractum nihilominus fieri permittimus cum licentia Gubernatoris, ſive Auditoris Cameræ, aut Vicarii, vel Senatoris, ſeu Judicum ipſorum, aut Burgi, modò dicta Judicis licentia in inſtrumento adnotetur, ac pro ea nihil omnino, neque Judici, neque Notario ſolvatur.

*Cap. iſtud eſt ibid. n. 11.* §. 4. Quoad verſ. Citationes, monitoria, &c. poſt verba, Aut alterius illas obtinentis, addatur, Et electo domicilio.

*Hoc cap. eſt ibid. n. ...* §. 5. In verſ. Ad rogandum vero, &c. in fin. addatur: Volumus autem & declaramus, quod omnia teſtamenta & contractus intelligantur rogari nomine officii, ſive Notarii primarii, non autem nomine proprio, etiam quod aliter exprimeretur, alias Notarii ſubſtituti, aut alioquin in aliorum officiis manentes ſeveriſſimè puniantur arbitrio Judicum cujuſque Tribunalis.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 61.* §. 6. Quod ad verſ. Reſponſiones, declaramus excipiendas eſſe mulieres, & egregias perſonas, ad quas Notarius poſſit Judicis arbitrio tranſmitti, qui Judex quandocumque ipſe dictis reſponſionibus, aut juramentis etiam in domo reſpondentis, aut jurantis, vel alibi intervenerit, nihil recipere poſſit aut debeat.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 121.* §. 7. Quoad verſ. Notarii locorum piorum, declaramus, loca pia, quæ Notariorum opera uti hactenus conſueverunt, non poſſe de cætero alium Notarium, tam in civilibus quam in criminalibus eligere, quàm unum ex dictis Vicarii Notariis, inter quos & ſolita diſtributio ſervetur, & ſolita merces ſolvatur.

*Hoc cap. eſt ibid. § 10. n. 3. & ſeq.* §. 8. Quo vero ad regiſtra, verſ. Neque exigant, declaramus illa verba, Niſi illis completis, intelligi de actis factis uſque ad diem petitæ confectionis extractus, ſive regiſtri.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 25.* §. 9. Quoad verſ. Non rubricentur, declaramus, tunc non eſſe rubricandos proceſſus de partibus quando bene fuerunt in partibus rubricati, alioqui prohibemus in Curia ab alio quàm à Notario cauſæ rubricari.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 3.* §. 10. Quoad verſ. In verè autem Commiſſariis, & verſ. Proceſſus de partibus, declaramus non fuiſſe noſtræ intentionis comprehendere Notarium Archivii, qui propterea poſſit in cauſis Commiſſariis cujuſcumque valoris regiſtra conficere, in illiſque proceſſus de partibus, remiſſoriales & compulſorias, ſive excederent, ſive non folia 24. regiſtrare, ſervata in cæteris forma in dicta noſtra reformatione contenta ſuper regiſtrorum confectione.

*Hoc cap. eſt ſupr. in conſt. 71. §. 21. n. 21.* §. 11. Quo vero ad Curſores, verſ. Curſores pro qualibet citatione, declaramus Trivii regionem pro locis ultra fontem & arcum Trivii, non citra, nec ullo pacto inter partes longinquas enumerari loca illa quæ vel antea ipſi Curſores non enumerabant, vel pro quibus pro ſolita mercede bon. duorum contenti erant, ne quod à Nobis ad publicam utilitatem, & tollendos abuſus conſtitutum eſt, prava interpretatione contrarium pariat effectum.

*Hoc eſt additum.* §. 12. Inſuper declaramus pro citatione contra Epiſcopos, vel alias qualificatas perſonas, quinque bon. accipi poſſe, quando citatio ſit perſonaliter contra ipſammet perſonam qualificatam executa, non autem contra procuratorem, vel aliter.

*Hoc cap. eſt in d. conſt. 71. § 1. n. 14.* §. 13. Et dum in eadem noſtra reformatione prohibetur Auditori Cameræ concedere remiſſoriam ad partes ad examinandum, vel repetendum citata parte teſtes ad inſtantiam Fiſci, vel ad probandam ejus intentionem, & prout latiùs in ea, declaramus id non procedere, ſi aliqua legitima ſubſiſtente cauſa aliud in aliquo particulari caſu ipſimet Auditori viſum fuerit.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 4.* §. 14. Inſuper in verſ. Quodque ſuperſeſſoriæ, &c. poſt verba, Vel alibi non ſuſceperit, addatur: Vel niſi ex legitima cauſa, & in cauſis ſui Tribunalis tantum, & non aliàs.

*Hoc cap. eſt ibid. §. 1. n. 166. & ſeq.* §. 15. Quoad taxas impreſſas poſt dictam noſtram reformationem, infraſcripta corrigi mandamus. In primis quoad Notarios Cameræ deleatur verſiculus, Idem fiat de pellibus, & verſ. Idem de ſapone, utpote impreſſoris errore ſupervacaneè edita, ex quo jam deſuper ſufficienter erat proviſum.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 186.* §. 16. Quoad verſ. ultimum taxæ Notariorum Cam. incip. Pro non comprehenſis, declaramus intelligi de expeditionibus gratioſis. In judicialibus autem ſi quid in ea, vel aliis taxis fuerit prætermiſſum, ſervetur de ſimilibus ad ſimilia.

*Hoc cap. eſt in d. conſt. præced. § 7. n. 16.* §. 17. Quoad taxas Notariorum Gubernatoris, Vicarii, & aliorum, verſ. Pro reſtitutione depoſiti, bonon. unum pro quolibet ſcuto, intelligi volumus in cauſis mercedum; in aliis verò bon. duos pro quolibet ſcuto permittimus, ſicuti verè in taxa fel. rec. Pii Quarti prædeceſſoris noſtri habetur, licet aliter aliquando fuerit per errorem impreſſum.

*Hoc cap. eſt ibid. n. 70.* §. 18. Et in eadem taxa, verſ. Pro copia ſimplici cujuſlibet inſtrumenti in actis rogati, declaramus intelligi de inſtrumento actus judicialis, non de ſimplici extrajudicialium inſtrumentorum copia, pro qua benè & ad inſtar boni originalis deſcripta, bon. 7. cum dimidio pro quolibet folio ſolvi, & exigi permittimus.

*Hoc cap. eſt in d. conſt. præced. § 4. in princ.* §. 19. Quoad taxam Notariorum Rotæ in primo verſ. julios ſexaginta ſex, legendum declaramus, non autem ſexaginta, prout impreſſoris errore fuit notatum.

*Hoc cap. eſt in d. conſt. § 5. n. 16.* §. 20. Quoad taxam Archivii, verſ. Pro inſtrumento abſolutionis, mandamus corrigi juxta taxam fel. rec. Gregorii XIII. prædeceſſoris noſtri.

*Hoc cap. eſt n. 62.* §. 21. Rurſus in verſ. Pro pauperibus, declaramus & volumus ſervari eandem fel. rec. Greg. XIII. ut admiſſi ad juramentum paupertatis, juxta formam dictæ taxæ ſolvant.

*Hoc cap. eſt in d. conſt. præced. § 6. n. 44.* §. 22. Quoad taxam Notariorum criminalium Gubernatoris, A.C. & aliorum, verſ. Pro quolibet folio copiæ indiciorum, declaramus intelligendum, ut quælibet pagina, id eſt facies cujuſlibet continere debeat lineas viginti quatuor, prout in noſtra reformatione, ſub tit. de regiſtris, §. ſingula folia, & alibi volumus intelligi. *Eſt ſup. n. 15.*

*Hoc cap. eſt in § 7. n. 4.* §. 23. Quo ad taxam fori Capitolini, verſ. A centum uſque ad ducentos, Addatur verbum, alios, errore ſcriptoris omiſſum.

*Clauſula ſublata & decretum irritans.* Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & extraordinarios, & etiam executores dictæ noſtræ Conſtitutionis judicari & deffiniri debere, ſublata, &c. irritum, &c.

Non obſtantibus præmiſſis, ac prioribus literis ſuper reformatione & taxis emanatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque, & cum decreto quod præſentis ſola ſignatura ſufficiat, etiam abſque alia data & regiſtratura.

Placet Motu proprio. *PP. ſu'ſu*

*Sequitur declaratio ejuſdem Reformationis, quoad Aromatarios urbis.*

## *PAVLVS PAPA V.*

*Motu proprio, &c.*

*Cauſa hujus declarationis.* CUm poſt aliquas declarationes à Nobis conſtitutioni, quam ſuper reformationibus Tribunalium Urbis condidimus factas Aromatarii quædam ejuſdem conſtitutionis capita ipſos tangentia declarari ſuppliciter poſtulaverint: Nos dubia tollere, & litibus occurrere cupientes.

*Declaratio circa præſcriptionem.* §. 24. Dum in præfata noſtra conſtitutione dicitur, pro pretio aromatariæ ſervandam eſſe præſcriptionem quinquennalem, non obſtante quavis interruptione, etiam per receptionem partis pecuniarum, aut per dationem aliarum rerum aromatariæ, declaramus dictam diſpoſitionem non intelligi, neque locum ſibi vendicato

care ubi vel interruptio fuerit judicialis, vel aliter quàm per proprios ipſorum libros Aromatarii ſuum creditum probaverint, quibus caſibus diſpoſitionem Statutorum Urbis ſervari volumus & mandamus.

*Declaratio circa juriſdictionem criminalem.*

§. 25. Inſuper dum in eadem conſtitutione interdicimus Aromatariis, ne ullam prorſus audeant in quemquam exercere ſub quovis prætextu criminalem juriſdictionem, declaramus intentionis noſtræ non fuiſſe adimere eis facultatem aliàs ipſis à fel. record. Clemente VIII. prædeceſſore noſtro conceſſam, res medecinales ad eorum artes ſpectantes viſitandi, recognoſcendi, & quod in eis corrupti, vitiati, vel adulterati repertum fuerit, projiciendi, comburendique, ac juxta delicti & negligentiæ qualitatem culpabiles repertos debitis pœnis, non tamen corporis afflictivis, quæ pœnæ Eccleſiæ, & Hoſpitali S. Laurentii in Miranda nuncupatæ eo ipſo applicentur, & applicatæ cenſeantur, afficiendi. Quod tamen quoad libros negamus, etiam quod in illis fraus aliqua detegeretur, ſed hoc à ſuo Judice competenti cognoſci ac definiri debere intendimus & mandamus.

*Declaratio circa electionē Aromatarii mittēdi extra Urbem ad viſitandas aromatarias.*

§. 26. Et cum in dicta conſtitutione noſtra ſancitum eſt, quod Conſules nullam habeant juriſdictionem eligendi Aromatarium, quem Proconſulem vocant, ad viſitandas aromatarias extra Urbem, minuſque ſubſcribendi patentes uti Conſules districtus Urbis, & Superintendentes artis in Statu Eccleſiaſtico, ſed talis eligendi poteſtas penes Protomedicum ſit, & remaneat. Declaramus noſtræ intentionis non fuiſſe, quoad hoc derogare concordiæ aliàs initæ inter Collegium Phyſicorum, & Collegium Aromatariorum, dum in ea dicitur, quod quotieſcumque ad viſitandas aromatarias extra urbem Medicus ex Urbe mittendus erit, ne is forſan artis aromatariæ imperitum ſibi comitem adjungat, Protomedicus qui viſitatoris deſignandi jus obtinet, urbanis aromatariis id denunciet atque ab eis exquirat, habeantne aliquem peritum & idoneum hominem, qui Medico illi hujuſmodi viſitationis in munere comes & miniſter eſſe velit, &c. juxta prædictam concordiam confirmatam per felicis recordationis Gregorium Decimumtertium prædeceſſorem noſtrum, ſub die prima Julii 1575. verſ. Quotieſcumque ad viſitandas tabernas, &c. Dummodo Aromatarii neque juriſdictionem propterea in hoc ſibi aliquam uſurpent juxta formam dictæ concordiæ, neque electum, Proconſulem vocent, neque patentes ſubſcribant uti Conſules diſtrictus Urbis, neque quicquam contra tenorem noſtræ prædictæ conſtitutionis faciant, ſub pœnis in ea contentis.

*Sola Signat. ſufficiat.*

§. 27. Et præſentis ſola ſignatura ſufficiat, etiam abſque alia data, & regiſtratura.

*Papa ſubſcr.*

Placet motu proprio, C.

---

## LXXIV. Revocatio omnium licentiarum Monaſteria Monialium ingrediendi, aut cum eis converſandi, mulieribus hactenus conceſſarum.

*Ad hanc materiam vide conſt. 28. Greg. XIII. Ubi gratia, lib. 2. ubi notavi.*

Vide quæ de hac materia addidi ſup. ad hujus Pauli Conſt. 52. Facultatum.

*Edita An. D. 1612.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Monialium ſtatui, quæ ſæcularia deſideria abnegantes, Dei obſequio ſeſe addixerunt, paſtorali ſollicitudine conſulere cupientes, ad ea removenda, quæ religioſam earum quietem, & regularem obſervantiam perturbare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Revocatio licentiarum ingrediendi Monaſteria Monialium, mulieribus ſecularibus conceſſarum.*

§. 1. Quoniam itaque, ſicut accepimus, experientia compertum eſt, non levia incommoda licentias ingrediendi Monaſteria Monialium mulieribus ſecularibus conceſſas, dictis Monialibus inferre: Nos malis hujuſmodi opportuno remedio providere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas licentias ingrediendi Monaſteria Monialium ubique locorum exiſtentium, ac cum Monialibus converſandi, & refectionem ſumendi corporalem, mulieribus cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus & efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & etiam à Nobis conceſſas, quarum tenores ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus haberi volumus pro expreſſis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium revocamus, caſſamus & irritamus, ac revocatas, caſſas, & irritas eſſe decernimus.

*Pœna utentium licentiis.*

§. 2. Inhibentes mulieribus prædictis licentias hujuſmodi habentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſint, ne Monaſteria prædicta prætextu licentiarum hujuſmodi ingredi audeant, ſeu præſumant.

*Pœna eas admittentium.*

§. 3. Ipſorum verò Monaſteriorum Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, ac Superioribus, ſub eadem, ac privationis ſuorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, ſeu admittere, vel admiſſas quoquo modo retinere audeant, ſeu præſumant.

*Deputatio executorum.*

§. 4. Quocirca dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis pro tempore exiſtentibus Nunciis, ac locorum Ordinariis, necnon dictorum Monaſteriorum Prælatis, & Superioribus præcipimus & mandamus, quatenus præſentes literas publicari, & præmiſſa omnia obſervari faciant: Contradictores quoſlibet, ac præmiſſis non parentes, per prædictas & alias ſententias, cenſuras & pœnas, aliaque juris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorum.*

§. 5. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 6. Quia vero difficile foret has litteras ad omnia loca deferri, volumus quod earum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, ac ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. S. die 10. Julii.*

Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die decima Julii 1612. Pontificatus noſtri anno octavo.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1612. indictione decima, Pontificatus Sanctiſſimi D. N. D. Pauli divina providentia Papæ Quinti anno ejus octavo, die verò 12. menſis Iulii, retroſcripta litera affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie campi Floræ, per me Brandimartem Latinum Apoſtolicum Curſorem. Virginius de Virginiis pro-Magiſter Curſorum.*

---

## LXXV. Erectio Congregationis, ac deputatio Officialium ſuper Aquæ Paulæ & illius Aquæductus cura & adminiſtratione in Alma Urbe.

*Alterius aquæ Felicis adductionem in Urbe, & dotis pro ejus conſervatione aſſignationem fecit Sixtus, ut ſup. in ſua conſtitutione 101. Supremi, lib. 2.*

*Edita An. D. 1612.*

*PAULUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

IN Sede S. Petri, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, boni Paſtoris fungentes officio, creditas nobis oves non ſolum ſacris ac ſpiritualibus ſtudemus munire præſidiis, ſed temporalibus etiam commodis, illiſque præſertim quæ ſunt humanæ vitæ uſui neceſſaria

ceſſaria abundanter cumulare enixè curamus, ut apertius deinde ad ſupremi Paſtoris, ac mundi univerſi procreatoris immenſam benignitatem ac munificentiam extollendam, ab operibus hiſce noſtris, ut ab humanis linguis, quotidie excitentur, ac fida veluti manu ad rerum divinarum aſſiduam contemplationem laudemque deducantur.

*Hic Pont. Urbem Romam novis ædificiis, Templis, viis, aliiſque modis illuſtravit.*

§. 1. Quod ſi omnium Chriſti fidelium, cæterarumque Civitatum, & locorum noſtræ curæ & fidei commiſſorum præcipua ratio Nobis habenda eſt, quanto impenſius Urbem Romam communem patriam, ac veritatis magiſtram, in qua Chriſtus Dominus illam præ aliis diligens, Eccleſiæ fundamenta jecit, & ſtabilivit, Nos in terris Chriſti vicem agentes, ad ipſius imitationem præ cæteris amare, & novis aſſiduè ornamentis, commodiſque augere & illuſtrare debemus? Hiſce permoti cauſis Urbem hanc noſtram, tum in Templis, tum in ædificiis, viis, areis, aliiſque ſtructuris amplificare, ac pulchriorem, & commodiorem reddere non deſiſtimus.

*Et deinde aquarum fœcunditate ditare ſtudet.*

§. 2. Et jamdudum paterno conſiderantes affectu, illam licèt in cæteris ſuis partibus aquarum opportunitate fœcundam, in Tranſtyberina tamen regione, ac Civitate Leonina, quæ Burgus S.Petri appellatur, earum uſu penè deſtitutam eſſe, ac propterea complura ibi exiſtentia Templa virorum, & ſanctimonialium Cœnobia, Xenodochia, & alia pia loca, ædificiaque inſignia, & quod caput eſt, ipſius Principis Apoſtolorum Baſilicam, & Romani Pontificis Sedem & domicilium aquarum commoditate carere, incommodo huic providere neceſſarium duximus.

*Aquas multis è locis ab Urbe longè diſſitis collectas, magno ſumptu ad eam uno Aquæductu adduci fecit.*

§. 3. Scientes itaque Aquæductum illum antiquitate atque operis magnitudine celeberrimum, per quem olim aqua Sabatina, & Alſietina, quæ etiam Auguſtæ à Cæſare Auguſto Imperatore cognomentum ſumpſit, in eandem Urbem via Aurelia, ad Naumachias, aliaſque delicias, & voluptuarios uſus Gentilium Romanorum influebat, ſive barbaræ gentis, ſive temporis injuria dirutum ita jacere, ut ejus veſtigia vix alicubi apparerent, vigilantia paſtorali dignum ſanè putavimus, non ſolùm impuros ac ſuperſtitioſos veterum ritus vera religione, ſacroque cultu emendare, verum etiam reliqua, vel ad oſtentationem, & ſuperbiā ab illis extructa, vel ad illicita animi oblectamenta, relaxationeſque excogitata, ac deinde illorum temporum cujuſdam veluti intemperantiæ monumenta poſteris relicta, in meliorem, ac neceſſarium vitæ uſum, quantum in Nobis eſt convertere, ſimulque intelligentes ſupra Lacum Sabatinum, Anguillariæ & Brachiani nunc dictum, ad radices collium eidem Lacui in illius ambitu dextrorſum ſuperaſtantium, ultra Anguillariam, & Trivinianum vigeſimo octavo ab Urbe milliario, complures aquarum perennium per ſilicum venas ſcaturientium viſu & guſtu jucundiſſimarum & ſaluberrimarum fontes exoriri, de aquis prædictis colligendis, corrivandiſque, ac in Urbis, & Janiculum, & Vaticanum eminentes Colles inducendis cogitavimus, pro certo habentes, has Aquas non ſolum regioni Tranſtyberinæ, & Palatio noſtro Apoſtolico in Vaticano, ac locis omnibus dictæ regionis, & Civitatis Leoninæ, ſed etiam ultra Pontes traductas, in plura Caſtella diviſas, univerſæ ferè Urbi tum publicum, tum privatum commodum allaturas, necnon loca Tranſtyberina incolarum paucitate penè alicubi deſerta, uſu, & commoditate earum habitatu frequentiora, & frequentatione jucundiora, ac ſaniora reddenda. In primis autem Aquæductum veterem, ac ipſas Aquas, ſed longè ſalubriores quàm quæ primum ab Auguſto, poſtea à felic. record. Adriano Papa prædeceſſore noſtro reductæ ſunt, earumque ſcaturigines & diverticula perveſtigari juſſimus, certioreſque facti ab iis quibus curam hanc demandavimus, Aquas hujuſmodi colligi, & ad Urbem Colleſque præfatos cura ſolerti adhibita adduci poſſe: Nos neque laboribus, neque ſumptibus pro hujus Urbis, & in ea degentium commodo, & utilitate parcentes, opus aquæducendæ quamprimum aggredi, ac perficere deliberavimus. Ideoque complurium aquarum fontibus ſalubrioribus, qui in Territoriis Brachiani, Vicarelli, Baſſani, & Triviniani, ſub certis diſtinctis eorum denominationibus oriuntur, opportuna ſubſtructione comprehenſis, corrivatiſque rivulis unà in receptaculum collectis atque confuſis, & unam aquam conficientibus, aquam omnem per novum aquæductum, quem ob veterem diſſipatum, ſubterraneo & arcuato opere à fundamentis extruximus, & reſtituimus, ac inter cætera duobus ſublimioribus arcubus propè Urbem, cum ſuis ſubſcriptionibus, ad perpetuum rei monumentum erectis ornavimus. Longo nempe à priori receptaculo quinque & triginta millia paſſuum circuitu, ad eminentiorum collium, & humiliorum Vallium obices evitandos, & ut inflexo ductu, crebroque anfractu melior inde aqua redderetur, ad eandem urbem Dei beneficio, ingenti omnium lætitiæ adduximus, & ex ea, quæ ad uncias centum ſupra mille ſimul aſcendit, de majori ipſo aquæductu in via ſupra Sacellum ſub invocatione beatæ Mariæ Repoſi vulgò nuncupatæ, trecentas in Vaticanum pro uſu Palatii noſtri Apoſtolici, & Burgi S. Petri derivavimus, reliquas octingentas uncias in Montem Janiculum, inter Portam Divi Pancratii, & Eccleſiam divi Petri in Monte aureo nuncupatam, perduci placuit, ubi prædicto magnifico, latoque Fonte extructo, ac ingenti, ſumptuoſoque perpolitorum marmorum, & columnarum apparatu exornato, per quinque lapideas Aquilas, & Dracones, veluti per totidem latiſſima ora, magno vel aſtantium, vel è longinquo proſpicientium oblectamento abundè aqua decurrit, ac perennè manat. Ut vero Fons ipſe egregiaque ejus ſtructura meliorem è regione adventantibus præſtaret proſpectum, ac deinde publico uſui commodior & viſui jucundior eſſet, omnibuſque ad eum acclivior & facilior pateret acceſſus, parte Montis in qua Fons ipſe conſpicitur, quantum opus fuit depreſſa, aream ſatis amplam, & viam aperuimus, alia etiam ornamenta & commoditates in dies adjecturi. Atque ut cætera Urbis publica & privata loca uſu & commoditate hujus aquæ frui poſſint, eandem aquam ultra Sixtum, & quatuor Capitum dictæ Urbis Pontes traduci, & in Caſtella diviſam, in Capitolium, & aliqua Urbis loca diſtribui mandavimus.

*Et modò pro d. Aquæ, ipſiúsve aquæductus cura & conſervatione Congregationem Aquæ Paulæ nuncupandam erigit.*

§. 4. Cumque non ſatis ſit Aquam hujuſmodi adduxiſſe, & tantum opus ſummo labore, ac tam largo ſumptu abſolviſſe, niſi in ejus adminiſtratione, ac perpetua conſervatione exacta & præcipua quæque cura & diligentia adhibeatur, partes noſtri Paſtoralis officii eſſe cognovimus, ut hujus aquæ, & illius aquæductus, totiuſque operis curam, & rationem talibus viris committamus, quorum opera, fide, prudentia, ſolertique ſtudio rectè & feliciter regantur & gubernentur, ac alia quæ ad eorum conſervationem ſpectare noſcuntur ſtatuamus: Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetua conſtitutione Congregationem Aquæ Paulæ nuncupandam, in qua dilecti filii Cameræ noſtræ Apoſtolicæ generalis Theſaurarius, & Archihoſpitalis S.Spiritus in Saxia de eadem Urbe Præceptor, ac ejuſdem Cameræ Commiſſarius etiam generalis, nunc & pro tempore exiſtentes, necnon per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes ad noſtrum, ipſorumque ſucceſſorum beneplacitum deputandi, unus ex ejuſdem Cameræ Præſidentibus Clericis, & duo Cives Romani eſſe debeant, perpetuò erigimus & inſtituimus, ac ex nunc ad ipſam Congregationem Magiſtrum Galeatium Sanvitalem, ejuſdem Cameræ Præſidentem Clericum, & Alexandrum Mutium, ac Paulum Mellinum Cives Romanos, dilectos filios, quibus Nos aliàs ducendæ aquæ hujus curam demandavimus, & de quorum prudentia, fide & integritate plurimum in Domino confidimus, ad beneplacitum ſimiliter noſtrum deputamus.

*Protectorem d. Congregationis Illuſtriſſimum D. Burgheſium deputat.*

§. 5. Ipſique Congregationi dilectum filium noſtrum Scipionem tit. S. Chryſogoni presbyterum Cardinalem Burgheſium nuncupatum, noſtrum ſecundùm carnem ex ſorore germana nepotem, durante ejus vita præficimus, & in Aquæ Paulæ, & illius aquæductus & operis prædictorum Protectorem ſimiliter ad ejus vitam deputamus, ipſam protectionem & præfectionem poſt ipſius Cardinalis obitum alteri concedi prohibentes, ſed eas poſt obitum prædictum ceſſare, & penes dictam Congregationem remanere debere decernentes & declarantes.

*Secretarium ejuſdem Congregationis Jo. Jacobum Bulgarinum eligit.*

§. 6. Prætereà dilectum filium Jo. Jacobum Bulgarinum, quem aliàs ad curam ſcripturarum hujus negotii deputavimus, ad ejus etiam vitam, cum honoribus & oneribus, juribuſque & emolumentis ſolitis & conſuetis, etiam in remunerationem laborum per eum, tam in opere hujuſmodi, quàm pro ſervitio & utilitate Cameræ noſtræ impenſorum, ejuſdem Congregationis Secretarium, *cui caſtella, & receptacula, illorumque* claves cuſtodiendi, & ne à quoquam amplius aut latiori modulo, ſeu fiſtula, vel aliàs quam fuerit impetratum vel conceſſum aqua accipiatur animadvertendi cura & onus incumbat, conſtituimus, deputamus, ac declaramus, & eſſe volumus.

*Congregationis juriſdictionem & facultates præſcribit.*

§. 7. Dictæque Congregationi univerſam cuſtodiam, & curam aquæ, & aquæductus, ac operis prædictorum per præſentes committimus, & mandamus, illiuſque Deputatis prædictis ſemel ſingulis menſibus, & quoties opus fuerit ſe congregandi, & aquam prædictam pro uſu & commodo, tam publico, quàm privato, & à quavis parte aquæductus, & ad quaſvis Urbis regiones & loca deducendam diſtribuendi & erogandi, & poſtquam fuerit diſtributa & erogata per ceſſionem vel conſenſum obtinentium, in alia etiam transferendi, literaſque patentes deſuper ſub Scipionis Cardinalis quoad ipſe vixerit, & ſucceſſivè ſub Theſaurarii pro tempore exiſtentis præfatorum ſigillo & nomine expeditas deſuper concedendi, necnon pro ipſius aquæductus, & operis conſervatione ea quæ facienda, quæve vitanda fuerint decernendi, ac ſuper præmiſſis etiam ſtatuta condendi, eaque mutandi, corrigendi, variandi, & de novo faciendi, ac de & ſuper eiſdem præmiſſis, & eorum occaſione inter & contra quaſcumque perſonas cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, ac quavis tam Eccleſiaſtica quàm temporali dignitate, titulo & honore fulgentes, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, manuque regia, & ſola facti veritate inſpecta cognoſcendi, procedendi, judicandi, & definiendi, necnon citandi, ac ubi, quando, ac quoties opus fuerit inhibendi, ac pecuniarias, & ubi perſonarum & caſuum qualitatem ſic exigere Congregatio ipſa judicaverit, etiam corporis afflictivas pœnas contra tranſgreſſores ſtatutorum prædictorum, & alios contra quos opus fuerit eorum arbitrio imponendi, & ad illarum, necnon etiam earum quæ de jure communi, ac dictæ Urbis ſtatutis de cuſtodiendo aquæductu, aut aliàs in ſimilibus conſtitutæ ſunt incurſus declarationem & executionem, omni & quacumque appellatione, reclamatione, reviſione, & recurſu penitus & omninò remotis, deveniendi, ac deveniri mandandi & faciendi, aliaque neceſſaria & opportuna gerendi, & exequendi, etiam privativè quoad omnes Judices & Officiales Romanæ Curiæ, ita tamen ut ubi dicta Congregatio ad executionem alicujus pœnæ corporis afflictivæ ſuper præmiſſis deveniendum duxerit, executionem hujuſmodi dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti dictæ Urbis Gubernatori, qui ad illam omni & quacumque appellatione pariter remota procedat, committere atque demandare debeat, ſimiliter perpetuò tribuimus, concedimus, & impartimur plenariam & omnimodam poteſtatem, facultatem, & auctoritatem.

*Viſitatores aquæductus duos eſſe, & deputari præcipit.*

§. 8. Inſuper, ut præmiſſa omnia accuratius perficiantur, duos aquæductus & operis hujuſmodi Viſitatores, quorum præcipuum inter alia aquæductum inviſere, & perluſtrari, repurgari, ac reſarciri facere, ac ut aqua aliquo pacto non inficiatur, nec in aquæductu aliquid vitij fiat, neve à quopiam in aquarum juribus ulla fraus, doluſve committatur, minuſque aqua, ſive clandeſtine, ſive palam, per vim aut propria auctoritate, & niſi permiſſione aut conſenſu ipſiuſmet Congregationis accedente, & juxta modum ab ea præſcribendum, etiam prætextu, ſeu vigore cujuſcumque reſcripti, ſeu conceſſionis noſtræ vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum aliò derivetur, ſeu deducatur providè cavere, fornices, & parietes univerſos, & ipſum opus ac ædificium integrum diligenter tutari, & quicquid in eo reparatione indigere, aut in aquæductu, & illius juribus aliquid vitii ſeu damni factum fuiſſe, vel fieri repererint, quamprimum eidem Congregationi renunciare, ac de mandato ejuſdem Congregationis reparationem & proviſionem opportunam adhibere, ac in omnibus juſſa Congregationis præfatæ, ut ad effectum perducantur efficere munus exiſtat, & eſſe debeat per Scipionem Cardinalem quoad vixerit, & eo vita functo, per Congregationem hujuſmodi deputari, ipſiſque Viſitatoribus, ac prædicto Jo. Jacobo, & pro tempore exiſtenti Secretario hujuſmodi quinque ſcuta monetæ ſingulis menſibus conſtitui, & perſolvi mandamus & volumus.

*Dotem lo[illegible] rum d[illegible] tum Mon[illegible] non vaca[illegible] lis, ut em[illegible] a mittit [illegible] dum pro [illegible] quaductu[illegible] ſervation[illegible] ſervat, a[illegible] ſignat.*

§. 9. Poſtremò, ut impenſæ quæ neceſſariò fient in reparatione & conſervatione prædictis, necnon ut Officialium, & Miniſtrorum ſalaria ſolvi poſſint, ducenta loca alicujus Montis non vacabilis de pecuniis Cameræ Apoſtolicæ, ſub nomine, & in favorem aquæductus prædicti quamprimum emi etiam mandamus, illaque ſic empta ex nunc pro ejuſdem aquæductus, & illius operis perpetua dote aſſignamus hoc modo, videlicet ut illorum annuus redditus, illorumque ſors nunquam imminuatur, neque in alios uſus quàm dicti aquæductus convertatur. Quicquid autem ex ipſo redditu, impenſis neceſſariis, & ſalariis deductis annuatim ſupererit, ſorti accreſcat, & in emptionem aliorum locorum ejuſdem Montis in ſortis incrementum collocetur, & ipſius redditus, ac incrementi adminiſtratio, ac libera diſpoſitio nunc & in perpetuum penes dictam Congregationem ſit & eſſe debeat, non poſſit tamen redditus ipſe in toto vel parte, alias quàm per Congregationis mandata Depoſitario hujus Montis, nunc & pro tempore exiſtenti dirigenda exponi, & per dictum Depoſitarium abſque ejuſdem Congregationis mandato ſolvi, prout id omninò prohibemus.

*Obſervantiam præmiſſorum injungit.*

§. 10. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula per eos ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter perpetuò obſervari debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contraria derogat.*

§. 11. Non obſtantibus piæ memoriæ Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri quatenus opus ſit ſuper gratiis intereſſe dictæ Cameræ concernentibus in eadem Camera intra certum tunc expreſſum tempus regiſtrandis, ita quod præſentes, etiamſi in ipſa Camera regiſtratæ, vel in ea intimatæ non fuerint, nihilominus perpetuò valere, & in ſuo robore perſiſtere debeant, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis facultatibus, privilegiis, indultis & litteris Apoſtolicis, noſtro & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Camerario, ſeu Cameræ Apoſtolicæ, & ejus Præſidentibus Clericis, aliiſque Officialibus & Miniſtris quibuſcumque, etiam iteratis vicibus, etiam motu ſimili, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam Conſiſtorialiter, per Nos & Prædeceſſores noſtros quomodolibet, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque & aliis decretis, ac tam Præceptori Archihoſpitalis prædicti, quàm Deputatis Aquæ Paulæ, & quibuſvis aliis communiter vel diviſim conceſſis, approbatis, & innovatis, etiam in corpore juris clauſis, etiam præmiſſa fieri ſpecialiter prohibentibus, eorumque uſibus, & naturis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores hujuſmodi, ac ſi præſentibus etiam de verbo ad verbum, & forma in illis tradita nihil penitus omiſſo obſervata inſererentur, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, motu, ſcientia, & poteſtate paribus derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis apponitur.*

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum erectionis, inſtitutionis, perfectionis, conſtitutionis deputatorum, deputationis, declarationis, commiſſionis, demandationis, tributionis, conceſſionis, impartitionis, voluntatum, mandatorum, aſſignationis, prohibitionis, decretorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc

attentare

atrentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*..P. An. 8.* Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1612. Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno 8.

*..licatio.* *Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1612. indictione 10. Pontificatus Sanctiſſimi D. N. D. Pauli Divina providentia Papa V. Anno ejus 8. die verò 29. menſis Novembris, præſentes literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, in Valvis Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis & conſuetis Vrbis, per nos Apoſtolicos Curſores infraſcriptos.*

*Ita eſt. Balthaſſar Vacca Curſ. Ita eſt. Virginius de Virginiis Curſ.*

*Brandimartes Latinus Mag. Curſ.*

---

## ..XXVI. Facultas Deputatorum à Capitulo Conventuali Eremi Montis Senarii, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis, in recipiendis Novitiis. Et mitigatio jejunii in pane & aqua, pro quarta feria hebdomadæ.

*Hæc Eremus inſtituta, vel potius reſtituta fuit anno 1593. tempore Clem. VIII. ut videre eſt ſupra in ejus conſt. 80. Decet.*

Cætera de Ordine iſto Servitarum vide ſup. in conſt. 1. Martini V.

*..ita An. D. 1612.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*..ordium.* SEdis Apoſtolicæ circumſpecta benignitas, perſonarum quarumlibet in Eremis & aliis locis regularibus Altiſſimo famulantium votis ad pii eorum inſtituti propagationem & incrementum tendentibus, libenter annuit, eaque favoribus proſequitur opportunis.

*..acultas Deputatorum à Capitulo Conventuali, in recipiendis Novitiis ad ..onum.* §. 1. Hinc eſt quod nos ſupplicationibus nomine dilectorum filiorum Eremitarum domus Montis Senarii Florentinæ Diœceſis, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eiſdem Eremitis perpetuò concedimus & indulgemus, ut in eorum domo tres ex antiquioribus à Capitulo Conventuali ejuſdem domus deputari poſſint, qui eandem habeant facultatem & poteſtatem in admittendis Novitiis, quam habent Capitula generalia, & provincialia, aliaque deputandi juxta conſtitutionem ſuper Novitiorum receptione à fel. record. Sixto Papa V. prædeceſſore noſtro editam, ſub Dat. 6. Kal. Decembris, anno 3. & alteram ejus declarationem, ſub Dat. 12. Kal. Novembris, anno quarto ejus Pontificatus, dummodo in reliquis earumdem conſtitutionum formam ſervent, ad hocque plenam, & amplam facultatem, & auctoritatem dictis Deputatis impartimur. *..æ conſtitutiones ſunt ..prà lib. 2.*

*..erogatio contrariorum.* §. 2. Non obſtantibus prædictis Sixti V. & aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*..at. P. An. 8. ..Octobr.* Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 2. Octobris 1612. Pontificatus Noſtri Anno 8.

*Sequitur ſupradicta mitigatio Iejunii in pane, & aqua.*

*..dita An. D. 1612.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*..lem. VIII. ..didit conſtit. ..80. ſupra.* ALiàs fel. record. Clementi Papæ VIII. prædeceſſori noſtro, &c. Omittitur narrativa reſidui quia ipſa eſt Bulla 80. Clem. VIII.

*..etitio mitigationis Iejunii in pane & aqua.* §. 3. Cum autem ſicut pro parte dilectorum filiorum Majoris, & Conventus Fratrum Eremitarum dictæ Eremi Montis Senarii, Nobis nuper expoſitum fuit, quod prædicti Prior Generalis, ac Prior & Fratres dictæ domus Annunciatæ, conceſſa ſibi ut, præfertur, facultate utentes, erectionem & alia præmiſſa fecerint, ſtatuerint, & ordinaverint, experientia verò compertum ſit, quod jejunium in pane & aqua tantum, in tribus prædictis quarumlibet hebdomadarum Adventus, & Quadrageſimæ feriis obſervandum, dictorum Fratrum Eremitarum vires nimis debiliter, ac valetudini officiat: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis, ut infrà providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur attendentes, quod prædictorum Fratrum Eremitarum inſtitutum, etiamſi dicta panis & aquæ jejuniorum obſervantia moderetur tantum, ſatis arctum remanet, humanæ infirmitati aliquid indulgendum duximus. Itaque eoſdem Fratres Eremitas ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eiſdem nunc & pro tempore exiſtentibus Eremi prædictæ Fratribus Eremitis, ut in Feria quarta cujuſlibet hebdomadæ Adventus & Quadrageſimæ, in pane & aqua tantum jejunare minimè teneantur, firmis in reliquis remanentibus literis prædictis, dicta auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. *Conceſſio dictæ mitigationis.*

§. 5. Decernentes ipſos Fratres Eremitas ſuper præmiſſis, aut eorum aliquo nullo modo moleſtari vel perturbari quoquo modo poſſe, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Iuſſio de ſuper non moleſtandis Eremitis.*

§. 6. Non obſtantibus literis prædictis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Eremi prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariorum derogatio.*

Datum Tuſculi, ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Octobris 1612. Pontificatus noſtri Anno 8. *Dat. P. An. 8. 13. Octob.*

---

## Apoſtolica benedictio ad Petrum Patriarcham Maronitarum Antiochenum, facultaſque ei tributa omnes Catholicos Maronitas benedicendi, cum Indulgentiarum elargitione. LXXVI.

*Pro hac, Maronitarum natione Collegium Scholarium bonis artibus & catholicè inſtruendorum, erexit in Vrbe Gregorius XIII. in ſua conſtit 91. Humana, lib. 2.*

*PAVLVS PAPA V.* *Edita An. D. 1612.*
*Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

§. 1. QUoniam fraternitatis tuæ nomine Apoſtolatui noſtro Nobis nuper expoſitum fuit, quod noſtram Apoſtolicam benedictionem Tibi, cæteriſque Venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, dilectiſque filiis Clero & populo Maronitarum impartiri deſideras. *Patriarcha Maronitarum Pontificis benedictionem pro ſe & aliis poſtulat.*

§. 2. Idcirco Nos pio deſiderio hujuſmodi boni paſtoris benignè ſatisfacere volentes, eidem Fraternitati tuæ hujuſmodi Apoſtolicam benedictionem libentiſſimè impartimur. *Qui illam ſibi impartitur,*

§. 3. Quo verò ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Clerum & populum prædictos attinet, ut eorumdem perſonas utriuſque ſexus reſpectivè, tuoſque etiam & illorum agros, *et aliis auctoritate Pontificia benedicendi munus injungit.*

agros, poſſeſſiones, domos, & bona quæcumque, ex parte omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra, eadem Fraternitas tua per ſe vel alios, Epiſcopali tamen dignitate fungentes, una vice tantùm benedicere.

*Præſentibuſque huic benedictioni, cõfeſſiſque & ſacra communione refectis remiſſionem peccatorum elargiendi.*

§.4. Iiſque præterea, qui confeſſi, & ſacra communione refecti huic benedictioni præſentes erunt, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino eadem auctoritate noſtra Apoſtolica elargiri poſſit, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

*Deum inſuper orat, ut ipſum Patriarchã, totãque Maronitarũ nationem impleat benedictione ſua.*

§.5. Precamurque Dominum, ut aperiens manum ſuam, impleat vos, & bona veſtra, & univerſam Maronitarum Catholicam nationem benedictione ſua.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1612. 10. Kalend. Decembr. Pontificatus noſtri Anno 8.

*Dat. P. An. 8. 22. Novemb.*

## LXXVIII. Erectio Seminarii ſub invocatione S. Pauli in Urbe, Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Italiæ, pro Chriſtianæ fidei propagatione.

*De hoc Ordine dixi ſuprà in conſtit. 64. Gregorii XIII. Pia, lib. 2.*

*Edita An. D. 1613.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmani Pontificis providentia circumſpecta, animarum ſaluti aſſiduè invigilans, quæ antea provide facta fuiſſe videntur, ſi rerum, & temporum ratio poſtulaverit, nonnunquam in melius commutat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

*Inſtituit hic Pont. Congregationem ſub invocatione S. Pauli ex Ordine Carmelitanorum Reformatorũ pro Chriſtianæ fidei propagatione.*

§.1. Aliàs ſiquidem pro miſſione ad converſionem Infidelium inſtituenda, per noſtras in ſimili forma Brevis expeditas literas, ſub datum 22. Julii 1608. Pontificatus noſtri anno 4. Motu noſtro proprio, ex Ordine B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo novæ reformationis, tam Hiſpaniarum quàm Italiæ, unam Congregationem ſub invocatione S. Pauli, ab uno Commiſſario generali, cum Diffinitorum interventu regendam perpetuò ereximus, ipſamque Congregationem & ejus Commiſſarium generalem, ac Fratres, illorumque Monaſteria, domos, & bona, ab omni juriſdictione Ordinariorum locorum quorumcumque, necnon ab omni obedientia Præpoſitorum generalium, tam Congregationis Hiſpaniæ, quàm Italiæ, præterquam in nonnullis tunc expreſſis, etiam perpetuò exemimus, & liberavimus, ac ſub noſtra & Sedis Apoſtolicæ protectione ſubjecimus, aliaque fecimus prout in dictis literis plenius continetur.

*Eam modò revocat.*

§.2. Quoniam autem, ſicut nobis innotuit, novæ Congregationis hujuſmodi erectio, & alia præmiſſa juſtis de cauſſis, ut effectum ſortiantur, non expedire in Domino dignoſcitur. Idcircò Nos dictarum literarum tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſo habentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Erectionem Congregationis S. Pauli, & literas prædictas, ac in eis contenta, & ſi quæ ſint inde ſecuta quæcumque, tenore præſentium perpetuò caſſamus, irritamus & annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus.

*Seminariumque in Urbe pro eiſdem Fratribus Congregationis Italiæ ad eũdem effectum erigit.*

§.3. Cupientes autem dicti Ordinis Fratres in pio eorum propagandæ religionis zelo confovere, nihilque quod convertendis ad fidem infidelibus, & reducendis hæreticis opportunum in Domino judicamus prætermittere, in ædibus per dictos Fratres in Monte Quirinali prope Eccleſiam Monaſterii Monialium ſanctæ Suſannæ de Urbe noviter extructis, unum Seminarium dicti Ordinis Congregationis Italiæ, ſub invocatione S. Pauli, in quo prædicti Ordinis Fratres, qui ad meſſem Dominicam aptiores videbuntur, diverſarum linguarum & controverſiarum ſcientiam ad evertendos errores Hæreticorum, Schiſmaticorum, Saracenorum, Gentilium, & Judæorum, aliorumque infidelium, neceſſariam addiſcere, & majoribus vigiliis, abſtinentiis, aliiſque virtutum exercitiis aſſueſcere poſſint, indeque edocti, pro arbitrio Superiorum ad infidelium partes pro converſione animarum proficiſci debeant, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus etiam perpetuò erigimus,

*Gratias aliorum quorumcumque Ordinum elargitur.*

§.4. Necnon Seminario hujuſmodi, illiuſque Rectori, & Fratribus, quod omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, conceſſionibus, gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, & indultis quibus alii Fratres, tam Mendicantes quàm non mendicantes utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter uti, potiri, & gaudere poſſint & debeant, concedimus & indulgemus.

*Clauſulas præſervativas & decretum irritans apponit.*

§.5. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, perpetuò valida & efficacia fore, ac ſuos plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derogat.*

§.6. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædicti, & quorumcumque aliorum Ordinum ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi jubet.*

§.7. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, aut ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Martii 1613. Pontificatus noſtri Anno 8.

*D. P. A. 8. 7. Martii.*

## Contra Monachos S. Bernardi Congregationis Ciſtercienſium Italiæ, dignitates & officia ipſius Congregationis, conquiſitis extra eam favoribus ambientes, eorumque complices & fautores. Necnon contra Superiores, eoſdem in electionibus favores attendentes.

*Congregationem iſtam firmavit Alexander VI. in ſua conſtit. 7. Plantatus, lib. 1. ubi alia etiam de Ciſtercienſi Ordine notavi.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*Edita A. D. 1611.*

*Ut ambitio Monachorum Congregationis S. Bernardi Ciſtercienſ. in Ital. reprimatur.*

ALiàs per Nos accepto, quod quidam in Ordine S. Bernardi Congregationis Ciſtercienſium Italiæ, profeſſionis & regulæ quam profeſſi ſunt penitus immemores, nimiaque dignitatum, & officiorum Eccleſiaſticorum in d. Congregatione conſequendorum ambitione ducti, pro iis conſequendis Eccleſiaſticorum & ſecularium Principum ſtudia requirebant, commendatitias literas, alioſque favores & gratias propterea expectabant, quibus adjuti, quos ipſi ex ſe promeruiſſe minimè confidebant, gradus & dignitates in eadem Congregatione conſequi valerent, ſicque ejuſdem Congregationis

nis quieterent non sine animarum suarum periculo perturbabant.

*...Pontifex ...us extra ...imam ...habendis ...ibus in ...requirem... , pœnas ...fuit, ut ...lia ejus ...ii. quam ...ius plenè ...um præ...ſi.*

§.1. Nos malum hoc ab eodem Ordine & Congregatione pro noſtra paſtorali ſollicitudine expellere ſummopere cupientes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ ; oteſtatis plenitudine eos omnes & ſingulos Monachos dicti Ordinis & Congregationis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, qualitatis,; & dignitatis exiſtentes, qui ex tunc de cætero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis & Congregationis aſſequenda intenti., & ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tam ſecularium quàm Eccleſiaſticarum, de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſeculari dignitate, & excellentia, etiã imperiali, regali, & ducali fulgentium, favores recurriſſent, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis, directè vel indirectè, palam vel occultè ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpiraſſent, vel aliis minus legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiiſſent, aut etiam ſponte oblatis & minimè conquiſitis uſi fuiſſent, illorumque complices & fautores, ad quaſcumque prælaturas, dignitates, & officia, gradus, honores, adminiſtrationes & munera in ipſa Congregatione obtinenda perpetuò inhabiles declaravimus, & obtentis per eos prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privavimus, ac privatos voce tam activa, quàm paſſiva carere decrevimus & declaravimus.

*...erioribus ...es hu... ...di at... ...entibus ...m inobe... ...u, & ...mmuni... ...nu lata ...ntia in... ...t, ut ...um.*

§.2. Atque in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub cenſuris latæ ſententiæ pœna omnibus dicti Ordinis, & Congregationis Superioribus & Prælatis, quocumque titulo nuncupatis, etiam Præſidenti, & Patribus diffinitoribus, tunc præſentibus & futuris præcepimus, diſtricteque mandavimus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis, nec favoribus adducti, vel aliàs ad inſtantiam, ſeu requiſitionem vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam ſecularium quàm Eccleſiaſticorum, extra dictum gremium exiſtentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum, ad cujuſvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & officia prædictæ Congregationis promoveri, vel pœnas aliquas remittere auderent vel præſumerent, & aliàs prout in noſtris deſuper in ſimili forma brevis, ſub die 27. Julii 1605. expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

*...bientibus ...ædictis ...tem ex... ...munica... ...: pœnam ...t.*

§.3. Nos qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, ut Eccleſiaſtica, regulariſque diſciplina priſtino candori reſtituatur, ac hujuſmodi ambitionis malum, ne altius ſerpat, peramplius providere volentes, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus omnibus & ſingulis Monachis dicti Ordinis & Congregationis, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentibus, ne de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia Officia dicti Ordinis, & Congregationis aſſequenda, ad Principum, & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum, tam ſecularium quàm Eccleſiaſticarum, de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſeculari dignitate fungentium favores recurrant, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis directè vel indirectè, palam vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpirent, vel aliis minus legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere quærant, aut etiam ſponte oblatis favoribus, & minimè conquiſitis utantur, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientes ipſo facto incurrenda, diſtrictè præcipimus, mandamus, ac prohibemus.

*...ntrariis ...eget.*

§.4. Non obſtan. præmiſſis, necnon omnibus illis, quæ in dictis literis volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi prædictis Monachis, vel quibuſvis aliis communiter aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, &c. mentionem.

§.5. Ut autem harum literarum notitia ad omnes d. Ordinis & Congregationis Monachos faciliùs deveniat, volumus illas in Monaſteriis d. Congregationis publicè legi, illaſque in Monaſteriis hujuſmodi lectas ſic arctare, ac ſi legitimè unicuique intimatæ eſſent. *Hanc legum in Monaſteriis publicè legi mandat.*

§.6. Illarumque exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Præſidentis ipſius Congregationis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur. *Tranſumptiſque credi jubet.*

Dat. Romæ apud S.Petrum, &c. die 30. Martii 1613. Anno 8. *Dat. P. An. 8. 30. Martii.*

---

## Declaratio ſuper reformatione ſcrutinii in Superiorum electionibus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. LXXX.

*Alia quæ hunc Ordinem concernunt, indicavi hîc ſup. in conſt. 48. Admonemur, & conſt. 76. Sedis, vide etiam aliam conſtit. hujus Pont. inf. num. 93. Proviſionis.*

*PAULUS PAPA V.* *Edita An. D. 1614.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

PAſtoralis noſtra ſollicitudo nos admonet, ut ea quæ regularium ſub ſancto religionis jugo Deo militantium felici regimini conducunt, præſertim in Superiorum & Officialium, à quibus recta eorum Ordinum adminiſtratio maximè pendet, electionibus, obſervari omninò curemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. *Exordium.*

§.1. Igitur ut Prioris generalis, aliorumque Officialium Ordinis Fratrum Eremitarum S.Auguſtini, tam in proximo generali in domo regulari S. Auguſtini de Urbe, quàm in aliis ubilibet perpetuis futuris temporibus celebrandis Capitulis electiones, cum zelo honoris Dei, & regularis diſciplinæ obſervantiæ utilitate & incremento rectè in Domino fiant, ſublatis iis quæ libertatem in ferendis ſuffragiis tollere, aut quomodolibet minuere poſſent, Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore præſentium perpetuò ſtatuimus & ordinamus, ejuſdem Prioris generalis, & quorumcumque Superiorum, & aliorum Officialium d. Ordinis in proximo prædicto generali, & aliis quibuſcumque Capitulis electiones per ſecreta & clauſa ſuffragia fieri debere, quæ aperiri & legi non poſſint, niſi poſtquam omnes qui ſuffragaturi ſunt, ſuffragia tulerint, ita ut illi qui vota recipient, aut electioni aſſiſtent, intelligere, aut ſcire non poſſint in cujus favorem quiſque ſuffragatus fuerit: in reliquis verò ejuſdem Ordinis conſtitutiones ab Apoſtolica Sede approbatas ſervari debere præcipimus & mandamus, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. *Electiones Prioris generalis & aliorum Officialium fiant in Capitulis per ſuffragia ſecreta & clauſa, non aperienda niſi datis omnibus ſuffragiis.*

§.2. Non obſtan. quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac d. Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque apud Nos, & Sedem Apoſtolicam pro tempore exiſtentibus Protectoribus, & Præſidentibus in dictis Capitulis, & quibuſvis aliis Superioribus & perſonis, per Nos, ſeu quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.3. Volumus autem & decernimus, ut præſentes noſtræ in Congregatione vocalium ante electionem ejuſdem proximè futuri Prioris generalis ad hunc effectum convocanda *Publicatio hujus conſtitutionis in Congregatione vocalium injungitur.*

canda publicatæ , obligent & adſtringant perinde ac ſi ſingulis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Dat.P. An.9. die 16. Maii.*

Dat.Romæ apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris,die 16. Maii 1614. Pontif. noſtri anno 9.

*Sequitur declaratio dictæ Conſtitutionis.*

*Edita An.D. 1614.*

*P A V L V S  P A P A  V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Dubiorum propoſitio.*

§.4. NUper à Nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet ; Paſtoralis , &c. *ut ſuprà.* Cùm autem ex eo quod in conſtitutionibus d. Ordinis inter cætera cavetur, quod in electione Prioris generalis hujuſmodi, Scriba in paucis ſchedulis ſcribat plura nomina , & cognomina diverſorum Patrum ab Electoribus petita , & quod unuſquiſque ex Electoribus petat plura nomina diverſorum in diverſis ſchedulis ſcribi, ex quibus illam tantum mittat in buſſula in qua fuerit nomen, & cognomen illius Patris , quem ipſe voluerit in Priorem generalem eligere , dubitari contigerit, an per conſtitutionem noſtram ſupraſcriptum Scribæ miniſterium hujuſmodi ſublatum fuerit , ita ut nomina diverſorum Fratrum ab Electoribus petita , per Scribam in diverſis ſchedulis, ut præfertur , ſcribi amplius non poſſint. Et præterea quoniam Nobis innotuit electiones Priorũ Provincialium & Conventualium , aliorumque Officialium in Capitulis generalibus,& provincialibus reſpectivè per ſecreta & clauſa ſuffragia,ut præfertur,hoc eſt per ſecretas ſchedulas ob eorum multitudinem difficile fieri poſſe.

*Declaratio quod prædictæ electiones fiãt abſque Scriba.*

§.5. Nos licet conſtitutio noſtra prædicta ſatis aperta ſit,ad omnem tamen ambigendi occaſionem tollen. omneſque interpretationes Conc.Trid. decretis, noſtræque menti & ſecretæ electioni contrarias penitus arcendas, & prohiben. & ad amputan. quaſcumque difficultates, quæ poſſent in prædictis electionibus exoriri,Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus,Scribæ miniſterium prædictum , tam in electione Prioris generalis, quàm aliorum quorumcumque Superiorum & Officialium hujuſmodi adhiberi minimè poſſe , ſed electiones prædictas abſque ejus miniſterio, & omnimodè ſecretas juxta decreta prædicti Conc. Trid. eſſe debere.

*Aliorum autem per fabas ſecretas.*

§.6. Inſuper electiones Priorum Provincialium & cõventualium,aliorumque Officialium (Prioris & Procuratoris generalium,ac Aſſiſtentium in generalibus, necnon ſimiliter Provincialium , & Diffinitorum in Provincialibus Capitulis , electionibus dumtaxat exceptis ) per ſecretas fabas fieri poſſe decernimus pariter & declaramus.

*Clauſula ſublata , &c.*

§. 7. Sicque per quoſcumque judices ordinarios , & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,& S.R.E.Cardinales,ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & diffiniri debere , ac irritum & inane , ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari , ſimiliter decernimus.

*Clauſula derogatoria.*

§. 8. Non obſtantibus omnibus illis , quæ in literis noſtris prædictis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Publicatio quæ ſufficiat.*

§.9. Volumus autem ut præſentes noſtræ in Capitulo conventuali domus S. Auguſtini de Urbe , in quo Prior generalis , ac Procurator etiam generalis dicti Ordinis, necnon Aſſiſtentes eſſe debeant , lectæ & publicatæ perinde omnes afficiant , ac ſi in Capitulo generali publicatæ , & legitimè intimatæ fuiſſent.

*Tranſumptorum fides.*

§.10. Utque earum tranſumptis etiam impreſſis,manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis , & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur , quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat.P.A.10. die 14. Julii.*

Dat. Romæ apud S.Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris,die 13. Julii 1615. Pontificatus noſtri anno 10.

---

LXXXI. Regimen & adminiſtratio Scholarum Piarum in Alma Urbe ad pauperes gratis erudiendos inſtitutarũ,& ubicumque inſtituendarum, Cõgregationi Clericorum ſecularium B. Mariæ perpetuò demãdatur,ipſaque Congregatio B. Matris Dei de cætero nuncupari decernitur.

*Congregationem iſtam pridem ab Epiſcopo Lucenſi in ea Civitate inſtitutam , approbavit Clemens VIII. in ejus conſt.123. Ex quo divina, hic ſup.*

Mox alia pro feliciori hujus Congregationis regimine decernere intendit hic Sanctiſſimus Pontifex , ſed uſque modò ejus deſuper conſtitutio firmata non fuit.

Erexit poſtea hic idem Pont. Congregationem Clericorum Pauperum Matris Dei nuncupatorum , ad pauperes ſcholares piè , & abſque ullo præmio docendos, in Conſt. 101. Ad ea, hic inf. ubi alias Conſtitutiones de eadem Congregatione poſtea in Religionem erecta videre poteris.

*P A V L V S  P A P A  V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita A... 161..*

*Exordi...*

INter paſtoralis officii curas , quæ Romani Pontificis animum aſſiduè ſollicitum habere debent , illa non mediocris eſſe dignoſcitur, ut Chriſti fideles piis moribus , & doctrina imbuantur.

§.1. Quapropter ut pium , ac maximè laudabile opus pauperes erudiendi , & inſtituendi in Alma Urbe noſtra pridem divina gratia inſtitutum , in dies magis ad Dei gloriam promoveatur , pro noſtri muneris debito libenter procuramus , & cùm operarii religioſo zelo labores ſuos in agro Domini tam fructuosè impendere cupientes ſe offerunt, Apoſtolicæ auctoritatis favore proſequimur, ac præſidio communimus , & aliàs diſponimus , prout conſpicimus ſalubriter in Domino expedire.

§.2. Sanè cum ſicut accepimus,opus piarum Scholarum à Nobis in Urbe noſtra ad pauperes erudiendos & inſtituendos erectarum uberes fructus ferat , operæ pretium eſſe duximus providere , ut pium ac ſalubre inſtitutum hujuſmodi perpetuò duret , quod facile Deo adjuvante ſucceſſurum ſperamus, ſi dictarum Scholarum cura alicui perſonarum Eccleſiaſticarũ Congregationi, in qua perſonæ idoneæ veriſimiliter defuturæ non ſunt, committatur.

§.3. Cum verò , ſicut dilectorum filiorum Præpoſiti generalis, & Clericorum ſecularium Congregationis B. Mariæ , necnon Præfecti dictarum Scholarum nomine nobis nuper expoſitum fuit, Præpoſitus generalis,& Clerici præfati, Chriſtiana charitate ducti, ſeſe onus hujuſmodi ſuſcepturos obtulerint , & habito deſuper tractatu de conſenſu Venerabilis fratris noſtri Benedicti Epiſcopi Præneſtini , Cardinalis Juſtiniani nuncupati , earumdem Scholarum Protectoris , cum eodem Præfecto ad infraſcriptas conditiones devenerint, videlicet quod Scholarum præfatarum cura , regimen & adminiſtratio Præpoſito & Clericis d. Congregationis pro tempore exiſtentibus perpetuò incumbat , ipſe tamen Præfectus vita ſua durante in hujuſmodi officio Præfecti dictarum Scholarum , & alii qui in domo earumdem Scholarum ad præſens reperiuntur , etiam vita eorum durante , poſſint & debeant ſecundùm ſuas proprias conſtitutiones ibi permanere : illis autem vita functis , ſeu inibi permanere recuſantibus , in eorum locum non alii , quam qui juxta regulas d.Congregationis à fel.rec.Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro confirmatas , ſervare voluerint , admitti debeant.

§.4. Inſuper ut tam in dictis Scholis piis in Urbe præfata erectis , quàm in aliis in eadem Urbe pro tempore erigendis , pauperes dumtaxat cum fide Parochi de eorum paupertate, necnon filii nobilium , quorum familiæ ad inopiam redactæ fuerint , cum fide eorum Confeſſariorum, vel alterius perſonæ fide dignæ admittantur , in iiſque gratis,& abſque ullo præmio, propter charitatem & Dei amorem erudiri debeant.

§.5. Quare nos dictæ Congregationis Clericos utiles fore operis hujuſmodi miniſtros firmiter in Domino ſperantes,ac Præpoſiti & Clericorum præfatorum promptam ad præmiſſa voluntatem plurimũ in Domino commendantes,& eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis , interdicti , aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris & pœnis,à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt,ad effectum præſentium dum-

taxat

taxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon dictam Congregationem, illiuſque Præpoſitum & Clericos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium Præpoſito, Clericis, & Congregationi prædictæ, quæ de cætero perpetuis futuris temporibus MATRIS DEI nuncupari, ac illius Præpoſitis & Clericis nunc & pro tempore exiſtentibus, ſub regulis & conſtitutionibus ejuſdem Congregationis à dicto Clemente prædeceſſore confirmatis, quibus, necnon ejuſdem Congregationis privilegiis præjudicare non intendimus, exceptis iis quæ præſentibus contrariæ ſunt, militare debeant, curam, regimen, & adminiſtrationem dictarum in Urbe erectarum, & aliarum piarum Scholarum pro tempore erigendarum, cum ſupradictis conventionibus, dictis Præpoſito, Clericis, & Congregationi auctoritate & tenore præſentis perpetuò committimus, & demandamus. Ita quod liceat Præpoſito & Clericis præfatis præfatarum Scholarum hujuſmodi, & aliarum ſimul atque erectæ fuerint, illarumque bonorum & reddituum quorumcumque corporalem, realem & actualem poſſeſſionem capere, & apprehendere, ac de illis in Scholarum earumdem beneficium diſponere.

*...ta literas ...tuò va... ...a decer.*

§. 6. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper & perpetuò valida, firma, & efficacia fore & eſſe, dictiſque Præpoſito & Clericis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*...rrum ir... ...s appe...*

§. 7. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*...ſtantiaque ...ia remo...*

§. 8. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ac cõſuetudinibus, illis præſertim, quibus cavetur expreſſe, quod Clerici dictæ Congregationis novas domos, cum obligationibus docendi adoleſcentiam rudimenta Grammatices, aut literas humaniores, & cum aliis quibuſvis obligationibus quibus Clerici hujuſmodi extra Eccleſiam inſervire teneantur, recipere non poſſint: privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*...P.A 9. die ... Januar.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 14. Januarii 1614. Pont. noſtri anno 9.

---

## ...XXXII. Prohibitio de pecuniis Montium Pietatis Status Eccleſiaſtici ad alium quam ab eorum erectione deſtinatum uſum, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia quocumque modo diſponendi.

*Hujuſmodi Montium inſtitutiones licitas probavit Leo X. in conſtitut. 11. Inter, lib. 1. & eorum adminiſtrationis rationem Ordinariis locorum reddendam eſſe cenſuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 9. De Monte autem in Urbe conſtituto attende Gregor. XIII. conſtitut. 49. Inter, lib. 2. ubi notavi.*

*...ita An. D. 1615.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...rdium.*

ONeroſa paſtoralis officii cura, meritis licet imparibus nobis ex alto commiſſa poſtulat, ut bonorum quorumcumque, miſerabilium perſonarum ſubventioni deſtinatorum conſervationi conſulamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Cauſa hujus ...ohibitionis.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, pecuniæ Montium Pietatis nuncupatorum Status noſtri Eccleſiaſtici ad uſus pauperum mutuò dandæ, in alios uſus avertantur, & in dies minuantur.

*...ohibitio pe... ...nias Mon... ...ium Pietatis*

§. 2. Nos huic malo opportuno remedio quantum cum Domino poſſumus providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, univerſis, & ſingulis Montium Pietatis hujuſmodi Præſidentibus, Protectoribus, Defenſoribus, Adminiſtratoribus, Deputatis, & Officialibus quibuſcumque, necnon Communitatibus, Univerſitatibus, & earum etiam Officialibus quarumcumque Civitatum, terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici, quacumque dignitate fulgentibus, etiãſi Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, S.R.E. Cardinales, etiã de latere Legati exiſtant, ne de pecuniis ad dd. Montes quomodolibet ſpectan. & pertinen. ac tam pro ſorte principali à principio illis aſſignatis, quàm pro d. ſortis augmento poſtea acquiſitis, in alios quàm pauperum uſus, juxta modum & formam in erectione dd. Montium præſcriptam, abſque noſtra & Sedis Apoſtolicæ licentia, ſub quovis prætextu vel quæſito colore, & cum obligatione intra quodcumque breve tempus reſtituendi, diſponere præſumant, tenore præſentium prohibemus.

*in alios quam ab eorum erectione deſtinatum uſum convertendi.*

*Contravenientium pœna.*

§. 3. Quod ſi quis contra hanc noſtram prohibitionem venire præſumpſerit, Cardinales quidem, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi ſuſpenſionis, aliæ vero inferiores perſonæ excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua non niſi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo abſolvi poſſint.

*Derogatio contrariorum.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 5. Volumus autem quod præſentis prohibitionis copia in loco publico Montium Pietatis hujuſmodi, ut ab omnibus legi poſſit, continuò affixa remaneat.

*Dat. P. A. 10. die 5. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 5. Februarii 1615. anno 10.

---

## LXXXIII. Quæ ſervare debeant Clerici Regulares Congregationis S. Pauli Decollati in admittendis Novitiis ad habitum, & profeſſionem Religionis.

*Congregationem iſtam omnium primus approbavit Clem VII. in ſua conſt. 37. Votis, ubi alia de hac Congregatione tibi indicavi. Quibus adde quod hic Pontifex mox eidem Congregationi indultum conceſſit nova Monaſteria de ſola Ordinariorum licentia fundandi, ſup. in conſt. 64.*

Quo verò ad receptionem & educationem Novitiorum attende etiam conſt. 71. Sixti V. lib. 2. & conſt. 3. Greg. XIV. Circumſpecta, lib. 2. necnon conſt. 83. Clem. VIII. hic ſup.

*Edita An. D. 1615.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Sixtus V. in ſua conſt. 71. de qua ſupra §. 7. formam recipiendi Novitios ad Religionem præſcripſit.*

§. 1. ALias fel. rec. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter modum, & formam admittendi Novitios ad habitum, & profeſſionem regularem præſcribens, & antea deſuper editam ſuam conſtitutionem moderans, inter alia conceſſit, ut in qualibet Provincia ſaltem duo, vel ſi commodè fieri poſſet, tria, aut plura Monaſteria, ſeu domus regulares deputarentur, quarum, ſeu quorum Superiores infra annum ſaltem, ad inquiſitionem ſuper Novitiis facien. & ad ipſos religioſos juxta formam ejus prioris conſtitutionis recipiendos, & alia in eadem conſtitutione contenta peragenda inſimul congregarentur, prout in ejuſdem Sixti prædeceſſoris ſub plumbo deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

*Cujus Pontificis menti ſatisfieri videtur ex inquiſitione quam iſta Clericorum Congregatio facit, ſecundum ejus inſtitutum auctoritate Ap. confirmatum.*

§. 2. Cum autem, ſicut dilecti filii Præpoſitus Generalis, & Clerici regulares Congregationis Clericorum regularium S. Pauli Decollati Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Novitios ad habitũ & profeſſionem prædictos, juxta literarum prædictarum tenorem, nonniſi magno cum incommodo, propter nimiam eorum domorum regularium ab ſe invicem diſtantiam recipere non poſſint, in regularibus verò eorum inſtitutis Apoſtolica auctoritate confirmatis caveatur expreſſe, ne Novitii in Congregatione prædicta ad habitum, & profeſſionem abſque conſenſu & voto d. Præpoſiti & quatuor Aſſiſtentium recipi poſſint, indeque piæ mem. Sixti prædeceſſoris circa præmiſſa intentioni ſatis proſpectum eſſe videatur.

*Ipſa ergo Congregatio huic Pontifici ſupplicat pro opportuna proviſione.*

§. 3. Nobis propterea Præpoſitus & Clerici prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus ſibi in præmiſſis, ut infra, indulgere, aliaſque deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui eidem Congregationi indulget, Novitios de voto Præpoſiti generalis, & quatuor Aſſiſtentium ad habitum, & religionem admitti, ſervata in reliquis forma d. bulla Sixti V.*

§. 4. Nos igitur Præpoſitum, & Clericos prædictos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis regularium præpoſitorum conſilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in prædicta Congregatione Novitii ad habitum, & profeſſionem regularem ejuſdem Congregationis, cum conſenſu & voto illius Præpoſiti generalis, & quatuor Aſſiſtentium prædictorum, ſervata in reliquis prædictarum literarū forma, recipi & admitti liberè & licitè, ac validè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentiū concedimus, & indulgemus.

*Contrariiſque derogat.*

§. 5. Non obſtantibus literis prædictis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 10. die 21. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Febr. 1615. Pont. noſtri anno 10.

---

## LXXXIV. Inſtitutio Studii generalis in Collegio per Theodorum Epiſcopum Padebornen. & Sacri Imperii Principem, ad Catholicæ fidei, ac bonarum artium profectum in Civitate Padebornenſi erecti, ſub regimine Societatis Jesu, cum privilegiorum, & gratiarum elargitione.

*Edita An. D. 1615.*

*PAULUS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Studiorum univerſalium commendatio.*

IN ſupereminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, meritis licet imparibus, diſponente Domino conſtituti, & intra mentis noſtræ arcana revolventes, quantum ex literarum ſtudiis Catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, ac juſtitia colatur, ad ea per quæ literarum ſtudia hujuſmodi ubilibet excitentur, & humiles perſonæ eis incumbere deſiderantes id efficere poſſint, libenter intendimus, & in iis noſtræ ſollicitudinis partes propenſius impartimur, prout pia Eccleſiaſticorum Prælatorum vota expoſcunt, noſque locorum qualitate penſata in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Theodor. Epiſ. Padebornen. Sacri Imperii Princeps, Collegium Societatis Jeſu, à Præpoſito generali d. Societatis regendū, ad religionem, & bonas artes in ſua Civitate Padebornen. conſtrui fecit, redditibuſque cōpetentibus dotavit.*

§. 1. Sanè nomine venerabilis fratris Theodori Epiſcopi Padebornen. Sacri Romani Imperii Principis, nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſe à viginti annis, vel citra, ut adoleſcentes ſuæ Civitatis Padebornen. in bonis literis, moribus, & ſincera pietate inſtituerentur, & populus ſibi commiſſus per frequentiam Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, necnon Concionum, lectionum, & ſacrificiorum in ſpiritualibus promoveretur, in eadem Civitate unum Collegium Societatis Jesu, in quo humaniores literæ docerentur, per tunc exiſtentem Præpoſitum generalem dictæ Societatis, in vim privilegiorum ſibi ab Apoſtolica Sede conceſſorum erigi, & inſtitui curavit, illudque opportuno ædificio conſtrui fecit, & competentibus redditibus annuis dotavit.

*Et in d. Collegio univerſitatem Studii generalis Theologiæ, Philoſophiæ, &c. ad Catholicæ fidei profectum ab iſto Pontifice inſtitui petit.*

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Theodorus Epiſcopus provide conſideret, tam in ſuo, quàm vicinis Epiſcopatibus magnam pecuniam Parochorum, qui literas ſciant, ut populum erudire, & ſeſe hæreticis, eorumque falſis, & erroneis opinionibus opponere, ac etiam eorum, qui cum dignitate Clero ſeculari, Civitatibus, Oppidis & locis, ac etiam Abbatiis, & Monaſteriis præfici poſſint, exiſtere, & Academias Catholicas quinque aut ſex dierum itinere diſtare: è contra verò propinqua eſſe Gymnaſia hæreticorum in quibus omnia ſtudia ad hæreſes & falſa dogmata propaganda diriguntur, ac ſapientia hujus ſæculi gubernantur, & ad ea meliora ſæpè ingenia cum magno ſpiritualium, & temporalium rerum damno proficiſcuntur, & in tota veteri Saxonia nullam adeſſe Academiam Catholicam, & propterea, ut religionem Catholicam, quæ in locis ſibi ſubjectis, & vicinis Epiſcopatibus viget, conſervet, & ubi collapſa eſt, hac potiſſima ratione reſtituat, ac ſuos ſubditos, & vicinos quamplurimos ad literarum ſtudia, & navandi bonis literis operam excitet, Univerſitatem Studii generalis, in qua duæ facultates, *Theologia*, & *Philoſophia*, cum Scholis linguæ Latinæ, Græcæ, & Hebrææ, ſub cura tamen, regimine, & adminiſtratione dictæ Societatis Præpoſiti generalis, & Clericorum ejus, ſeu perſonæ à dicto Præpoſito generali deputandæ doceantur, ſeu legantur, ſufficientibus redditibus per eum dotandam, ac competenti habitatione, aliiſque rebus neceſſariis ei providendum, per nos erigi, & inſtitui ſummopere deſideret, Nobis idcirco humiliter ſupplicari fecit, quatenus ſubditorum ſuorum ſaluti & commodo conſulendo, in dicta Civitate, ac ædibus ipſius Collegii Univerſitatem in qua Societatis prædictæ Religioſi Theologiam, Philoſophiam, & ingenuas artes prædictas publicè profiterentur, & juvenes quoſcumque docerent, Apoſtolica auctoritate perpetuò erigere, & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

*Quin... illud ... tuit.*

§. 3. Nos igitur Theodorum Epiſcopum à quibuſvis, & cæt. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex nunc, prout poſtquam dictus Theodorus Epiſcopus ſufficienter redditus ad infraſcripta de ſuo attribuerit, & de rebus neceſſariis providerit, in Civitate prædicta, ac ædibus dicti Collegii, ubi nunc Scholæ ſunt, ſeu forſan in ampliorem formam conſtruentur, Univerſitatem Studii generalis, in qua Religioſi dictæ Societatis Theologiam, necnon Philoſophiam, tam Scholaſticam quàm poſitivam, naturalem, ac moralem, linguas Latinam, Græcam, & Hebræam, aliaſque ingenuas artes prædictas publicè profiteantur, ac juvenes quoſcumque doceant, ad inſtar aliarum Univerſitatum Studiorum generalium, tam in Tranſalpinis Provinciis, & Regnis, quàm alias ubilibet erectarum, Apoſtolica auctoritate prædicta tenore præſentium perpetuo erigimus, & inſtituimus, ſine tamen alicujus præjudicio.

*Regim... Societatis ſubjic...*

§. 4. Ipſamque Univerſitatem, & Studium generale ſic erectum & inſtitutum, curæ, regimini & adminiſtrationi dictæ Societatis, & illius Præpoſiti generalis, ſeu ab eo deputādi, qui totius Univerſitatis Rector exiſtat, prædicta auctoritate etiam perpetuò ſupponimus, & ſubmittimus.

*Privil... que, ... tis Stu... huiuſ... Collegii... que ... exo...*

§. 5. Ac eidem Univerſitati, illiuſque Rectori, Magiſtris, Scholaſticis, aliiſque prædictis univerſis & ſingulis, ut omnibus & quibuſcumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis hujuſmodi Univerſitatibus, illarumque pro tempore exiſtentibus Rectoribus, Magiſtris, Doctoribus, Præceptoribus, Scholaſticis, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, Officialibus, Miniſtris, & aliis perſonis, in genere vel in ſpecie, tam prædicta, quàm Imperiali, Regia aut Ducali auctoritatibus, & aliàs pro tempore quomodolibet conceſſis, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, ac æquè principaliter in omnibus & per omnia uti, potiri & gaudere.

*Rectori ... facultat... promov... ad grad... Studen... Collegii ... ...*

§. 6. Et inſuper Rectori ejuſdem Univerſitatis, & Collegii pro tempore exiſtenti, ut illos, quos in ipſa erecta Univerſitate, vel etiam alibi in alia quavis Catholica per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientiæ & moribus idoneos eſſe repererit, in prædictis facultatibus artium & Theologiæ, ad Baccalaureatus etiam formati, Licentiaturæ laureæ, ac Doctoratus, nécnon Magiſterii gradus (ſervata in omnibus forma decretorum Viennen. & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus) & aliàs juxta Univerſitatum aliorum Studiorum generalium conſuetudines, & erectæ Univerſitatis ſtatuta promovere, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibere.

*Promotis ... te pri... & fac... in aliis ... jujſmodi ... dis ... compet... elargitur.*

§. 7. Utque ad dictos gradus ſic per illum promoti, poſtea publicè & privatim, etiam in omnibus aliis Univerſitatibus Studiorum generalium facultates prædictas interpretari, & alios docere, & de eis diſputare, gradui ſeu gradibus hujuſmodi convenien. actus exercere, ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis & indultis, quibus alii in prædictis, ſeu aliis Univer-

ſitatibus

ſitatibus, & alibi juxta illarum conſtitutiones & mores, ad gradus prædictos promoti, de jure vel conſuetudine vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poterunt in futurum, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi gradus ipſos in Vniverſitatibus hujuſmodi juxta illarum mores & conſuetudines rite ſuſcepiſſent, vti, potiri, & gaudere.

§. 8. Necnon pro tempore exiſtenti dictæ Societatis Præpoſito generali, vt per ſe vel dd. Collegii, & erectæ Vniuerſitatis Rectorem, aut alium ſeu alios, pro ſalubri dictæ Vniuerſitatis directione, ac Rectoris, Magiſtrorum, Procuratorum, Bidellorum, Nunciorum, ac aliorum Miniſtrorum & Officialium muneribus & functionibus, modoque & forma docendi, & alias ſua officia exercendi, & Scholaſticorum manutentione, quæcumque ſtatuta & ordinationes, licita & honeſta, ac ſacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, edere & promulgare, eaque pro tempore, rerum & perſonarum qualitate mutare, corrigere, & reformare, ſeu illa caſſare & abrogare, ac alia de nouo edere, & ſuper illorum obſeruatione pœnas ejus arbitrio imponere. Dictæque Vniuerſitatis Doctores, Magiſtros, Lectores, Scholaſticos, Procuratores, Bidellos, alioſque Miniſtros, & Officiales eligere & amouere, ſeu electiones factas confirmare licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis etiam perpetuo concedimus & indulgemus.

§. 9. Necnon domum, bona & jura à dicto Theodoro Epiſcopo, vt præfertur Collegio, & illius Vniuerſitati per præſentes erectæ prædictis conceſſa & donata, ac etiam concedenda & donanda, auctoritate & tenore ſimilibus itidem perpetuo applicamus & appropriamus.

§. 10. Præſentes vero noſtras literas de nullitatis vitio notari ſeu impugnari, infringi, limitari, ſeu in jus vel controuerſiam vocari, aut aduerſus eas quodcumque juris & facti vel juſtitiæ aut gratiæ remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus vnquam poſſe, ſed illas ſemper & perpetuo aduerſus quaſcumque impugnationes & exceptiones validas & efficaces fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere debere.

§. 11. Sicque, & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac S.R.E. Cardinales judicari, &c. attentari decernimus.

§. 12. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P. An. 10. die 2. April.* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 2. Aprilis 1615. Anno decimo.

---

## LXXXV. Conſtitutio Ritualis Romani in adminiſtratione Sacramentorum, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus inuiolatè ſeruandi.

*Edita An. D. 1614.*

*PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* Apoſtolicæ Sedi per abundantiam divinæ gratiæ, nullis ſuffragantibus meritis præpoſiti, noſtræ ſollicitudinis eſſe intelligimus, ſuper vniuerſam domum Dei ita invigilando intendere, vt opportunis indies magis rationibus prouideatur, quo ſicut admonet Apoſtolus, omnia in ea honeſte, & ſecundum ordinem fiant, præcipuè vero quæ pertinent ad Eccleſiæ Dei Sacramentorum adminiſtrationem, in qua religioſe obſervari Apoſtolicis traditionibus, & Sanctorum Patrum decretis conſtitutos ritus, & ceremonias pro noſtri officii debito curare omnino tenemur.

*Pius V. Breviarium, & Miſſale reformavit ſup. in ejus conſt. 64. pag. 190. & conſtit. 106.* §. 1. Quamobrem fel. rec. Pius Papa V. prædeceſſor noſter, hujus noſtri, tunc ſui officii memor, ad reſtituendam ſacrorum rituum obſervationem in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, diuinoque officio, & ſimul vt Catholica Eccleſia in fidei vnitate, ac ſub vno viſibili capite beati Petri ſucceſſore Rom. Pont. congregata, vnum pſallendi, & orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret, Breuiarium primum, deinde Miſſale Romanum multo ſtudio & diligentia elaborata, paſtorali prouidentia edenda cenſuit.



§. 2. Cuius veſtigia eodem ſapientiæ ſpiritu ſequutus ſimilis mem. Clemens Papa VIII. etiam prædeceſſor noſter, non ſolum Epiſcopis, & inferioribus Eccleſiæ Prælatis accuratè reſtitutum Pontificale dedit, ſed etiam complures alias in Cathedralibus, & inferioribus Eccleſiis ceremonias promulgato Ceremoniali ordinavit. *Clem. VIII. Pōtificale, primò in conſtit. 58. & Ceremoniale pro Epiſcopis & Prælatis reſtitutum edidit, & ſeruari mandat.*

§. 3. His ita conſtitutis, reſtabat, vt vno etiam volumine cōprehenſi ſacri, & ſinceri Eccleſiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque eccleſiaſticis functionibus ſervari debent, ab iis qui curam animarum gerunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate prodirēt, ad cujus voluminis præſcriptum in tanta Ritualium multitudine ſua illi miniſteria, tanquam ad publicam & obſignatam normam peragerent, vnoque ac fideli ductu, inoffenſo pede ambularent cum conſenſu. Quod ſanè jampridē agitatum negotium poſteaquam generalium Conciliorum Græce, Latineque divina gratia editorum opus morari deſivit, ſollicite vrgere noſtri muneris eſſe exiſtimauimus. Vt autem recte, & ordine, vt par erat, res ageretur, nonnullis ex Ven. fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus pietate, doctrina, & prudentia præſtantibus ea demandavimus, qui cum conſilio eruditorum virorum, variiſque, præſertim antiquis, & quæ circumferuntur, ritualibus conſultis, eoque in primis, quod vir ſingulari pietatis zelo, & doctrina bo. me. Iulius Antonius S.R.E. Cardinalis Sanctæ Seuerinæ nuncupatus, longo ſtudio, multaque induſtria, & labore pleniſſimum compoſuerat, rebuſque omnibus maturè conſideratis, demum divina aſpirante clementia, quanta oportuit brevitate, Rituale confecerunt, in quo cùm receptos, & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus ſuo ordine digeſtos conſpexerimus, illud ſub nomine Ritualis Romani merito edendum publico Eccleſiæ Dei bono judicauimus. *Hic modò Pont. Rituale Rom. prævia diligenti examinatione edit, & ſeruari mandat.*

§. 4. Quapropter hortamur in Domino Ven. fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos vniuerſos, vbique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, vt in poſterum tanquam Eccleſiæ Romanæ filii ejuſdem Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ auctoritate conſtituto Rituali in ſacris functionibus vtantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia, & ab ea probatus vſus antiquitatis ſtatuit, inviolatè obſeruent. *Prælatos & alios, ut in functionibus ſacris eo utantur hortatur.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 17. Iunii 1614. Pontificatus noſtri Anno 10. *Dat. P. A. 10. die 17. Junii.*

---

## LXXVI. Erectio Capellæ in Baſilica S. Mariæ Majoris de Vrbe, & ad illam tranſlatio Sacræ Imaginis Glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ, cum Prioratus, Capellaniarum, & Clericatuum, ac Jurispatronatus inſtitutione, annuorumque redituum aſſignatione, & Cardinalis Protectoris juriſdictione.

*In hac eadem Baſilica, & è conſpectu hujus Capellæ olim ædificata fuit altera Capella Præſepis D. N. Jeſu Chriſti, cum non abſimili jurispatronatus, protectionis, juriſdictioniſque ac beneficiorum inſtitutione, à Sixto V. ut ſupra in ejus conſtitutione 58. Glorioſa, lib. 2.*

*PAVLVS PAPA V.* *Edita An. D. 1615.*

*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Immenſæ bonitatis creator omnium Deus, cujus admirabili providentia cuncta reguntur, cum ita dilexiſſet mundum, vt pro illius redemptiome dare decreuiſſet Filium Vnigenitum, ad tam magnum & ineffabile implendum myſterium, ex omni creatura Mariam Virginem puriſſimam atque ſanctiſſimam de Regia ſtirpe prælegit. Hinc Spiritus ſancti virtute ei ſicut pluvia quæ de rore cæli in vellus deſcendit, obumbrante, fecit Vnigeniti ſui Genitricem, vnaque cum vberrima fœcunditate florem Virginitatis illibatum perpetuò conſervauit, cuius virtutem & pulchritudinem Sol & Luna mirantur, natura obſtupeſcit, infernus quoque contremiſcit. Ipſa enim tot figuris, tot Prophetarum viſionibus, ac vaticiniis antea præmonſtrata, & à Sanctis Patribus diu expectata, tandem veniens ſplendore virtutum & gratiarum omnium *Beatæ Virginis aliqua ex pluribus merita, & laudes in proœmio hic Pontifex recenſet.*

ornata, ſalutifera fœcunditate ſua liberavit noxà captivitate, ac ſerpentis capite contrito, ſole amicta, lunam habens ſub pedibus, victrix & triumphatrix, duodecim corona ſtellarum coronari, ac ſuper choros Angelorum exaltata, Regina cœli & terræ appellari promeruit.

*Eamque in ſuis operibus adjutricem ſemper habuiſſe, & ſanctiſſimam illius imaginē in Baſilica S. Mariæ Majoris de Vrbe aſſervatā præcipuè coluiſſe teſtatur, in illiuſque propterea honorē novam in dicta Baſilica à fundamētis Capellam erigere, & dictā Imaginem ad eā transferre deliberavit.*

§. 1. Igitur dum præcelſa meritorum inſignia, quibus ipſa Virgo Dei Genitrix glorioſa ſedibus illata ſydereis, quaſi Stella matutina refulget, Nos piæ conſiderationis indagine perſcrutamur, dum etiam intra pectoris arcana reuolvimus, quod ipſa vti Mater miſericordiæ pro Chriſtiano Populo ſedula exoratrix, & peruigil ad Regem quem genuit, intercedit, quodque eandem ſacratiſſimā Virginem in omnium rerum difficultatibus, ac operibus noſtris ſemper inuenimus adjutricem, ac innumera quæ largitor Altiſſimus nobis contulit beneficia, piis illius precibus credimus accepiſſe, dignum quin potius debitum arbitramur, vt ſicuti Redemptor noſter, & Devs ipſam ſacratiſſimam Virginem ſublimavit in cælis, ita eam nos quantum poſſumus honoremus in terris. Atque vt Religionem quam ſemper erga ipſam Dei Genitricem animo incluſam tulimus, externi quoque cultus inſigni teſtimonio aperiremus, cum alias ejuſdem ſacratiſſimæ Virginis nomine & miraculorum ſplendore illuſtres Eccleſias ſemper in honore habuimus, tum in primis erga celeberrimam ejus in Alma Vrbe Baſilicam S. Mariæ Majoris appellatam, & illius ſacratiſſimam imaginem, quæ inibi venerabiliter aſſervatur, præcipua quadam, & pia devotione affecti ſumus: etenim Imaginem hanc Chriſti fidelium religione ſemper claruiſſe, pluraque & inſignia ex ea miracula prodiiſſe antiqua monumenta teſtantur, ipſius vero Baſilicæ fundamenta ab eadem Virgine præclaro Nivis miraculo deſignata fuiſſe, vetus traditio docet. Plurimis item privilegiis & gratiarum, tam ſpiritualium quàm temporalium titulis & prærogatiuis ipſa Baſilica, ipſaque Imago à Beato Gregorio Magno, & aliis ſummis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris decorata reperitur, ac frequens ad eam non modò Romani Populi, ſed exterarum Nationum devotus concurſus accedit. Itaque vbi primum ad Apoſtolatus apicem euecti fuimus, ſingulari erga eandem Glorioſiſſimam Virginem & illius ſacratiſſimam Imaginem prædictam devotione, & divina quadam inſpiratione permoti, in illius honorem inſignem Capellam à fundamentis extruere, & ornare, ac eandem Imaginem, quæ in media dictæ Baſilicæ Navi prope dextrum cornu Altaris majoris in ligneo ciborio marmoreis columnis elato colebatur, ad Capellam nouam prædictam transferre, & ſupra Altare ejuſdem Capellæ propterea erigendum honorificentius collocare deliberavimus, ipſamque deliberationem ex animo amplectentes & omni ſtudio proſequentes.

*Capella inſignem locum & ambitum elegit.*

§. 2. In primis locum opportuum pro Capella hujuſmodi ædificanda, ſcilicet in navi dextra ejuſdem Baſilicæ, vbi antiqua illius Sacriſtia exiſtebat, à conſpectu alterius inſignis Capellæ ad Præſepe Domini, per fœl. rec. Sixtum Papam V. prædeceſſorem noſtrum à fundamentis erectæ, & omnem illius ambitum circumſtantem vſque in vias publicas elegimus, ac antiquam Sacriſtiam prædictā demoliri, & loco illius aliā in extrema penè Baſilica ſiniſtrorſum, ſtructura, ædificio, ornatuque magnificentiſſimam & commodiſſimam, magna noſtra impenſa fieri curavimus, jactiſque Capellæ altiſſimis fundamētis, validiſſimiſque & firmiſſimis muris illius ambitum vniverſum complectentibus fabricatis, Capellam nouam prædictam ad ſui formam ereximus, ipſamque extrinſecus ſublimi teſtudine plumbi laminis tegi, ac cruſtis Tiburtinorumque lapidum tegmentis ad majorem illius roboris firmitatem vndique vallari, intus vero ſectis marmoribus, ac verſicoloribus lapidibus, & columnis pretioſis de longinquis partibus aduectis, egregiis quoque ſtatuis marmoreis, & picturis à primariis ſeculi noſtri ſculptoribus, pictoribuſque delineatis atque confectis magnificentiſſime ornari, noſtra itidem, & quidem maxima impenſa, etiam curavimus.

*In cujus præcipua parte altare mirificè exſculptum gemmiſque pretioſioribus exornatum in ipſius B. Virginis honorem erexit.*

§. 3. In præcipua vero parte ipſius Capellæ nouæ, Altare in honorem ipſius Beatæ Mariæ Virginis, quatuor ex iaſpide columnis aurata junctura contextis, ac ſtatuis æneis ſuperſtantibus excultum ereximus, medium autem qui prædictis columnis intercipitur parietem vbi locum ſacræ Imagini deſignavimus, ceruleis lapidis lazuli cruſtis inteximus, ibique locum inſtar feneſtræ æneis Angelorum figuris auro micantibus circumſeptum, ac pretioſis gēmis vndique exornatum pro ejuſdem ſacræ Imaginis digna ſede excidi ac aptari mandavimus.

*Ad Capellæ limina ex vna parte Sacellum S. Caroli, & ex altera S. Franciſcæ magnificè conſtruxit.*

§. 4. Duo præterea minora Altaria ſiue Sacella eodem modo picturis & ornamentis magnifice exculta, ad ipſius Capellæ nouæ limina ab vtraque parte, vnum videlicet ſub S. Caroli Borromæi, alterum vero ſub B. Franciſcæ, quorum nomina in Catalogo Sanctorum à nobis deſcripta ſunt, inuocationibus inſtituimus, ſupra quæ quatuor manſiones ad vſum & formam chori reliquimus, & in vna, quæ eſt ſupra Altare ipſius S. Franciſcæ, organum juſſu noſtro collocatum eſt.

*In eodem Capella loco monumentum Clem. VIII. poſuit, aliud verò ſibi ad ſepulturam reſervavit.*

§. 5. Ad dictæ vero Capellæ nouæ latera duo itidem monumenta magnifice extruximus, quorum alterum ab vna parte piæ mem. Clementi Papæ VIII. etiam prædeceſſori noſtro, cum præcipuis ab eo in ſuo Pontificatu geſtis è marmore expreſſis erectum, & alterum è regione memores viæ vniuerſæ carnis ad noſtram ſepulturam reſervatum extruximus.

*In veſtibulo ſanguine ſibi conjunctis ſepulchrū collocavit.*

§. 6. Item aliud ſepulchrum in veſtibulo dictæ Capellæ nouæ, pro ſanguine nobis conjunctis, & de parentela noſtra pro tempore exiſtentib. ſepeliendis fieri fecimus.

*Sacriſtiam Capellæ, pluresque ad majorem commoditatem manſiones ædificavit.*

§. 7. Sacriſtiam quoque eidem Capellæ nouæ annexam ad illius vſum, necnon plures manſiones ad majorem commoditatem adiunximus.

*Ad ipſam poſtea Capellā dictam Virginis Imaginē tranſtulit.*

§. 8. Et deinde Capellam nouam prædictam, ejuſdem Beatiſſimæ Virginis ope adiuti, plurium annorum Pontificatus noſtri curriculo, omni adhibita diligentia, nullis parcentes expenſis abſolvimus atque perfecimus, & ad ipſius Dei Omnipotentis, & ejuſdem Glorioſiſſimæ Virginis laudem & honorem, ac erga eam fidelis populi devotionem augendam, ſolemni ritu ſexto Kalend. Februarii ejuſdem Pontificatus Noſtri Anno octauo ſanctam imaginem prædictam, omnium S.R.E. Cardinalium cœtu, & Prælatorum Romanæ Curiæ Capitulique dictæ Baſilicæ, & fere totius Romani Cleri interuentu, ac fidelium vtriuſque ſexus multitudine aſtante, ac etiam nobis ipſis in Capella noua prædicta, in vna ex quatuor ad chori vſum deſtinatis manſionibus, ſacris ceremoniis præſentibus, proque affectu cuncta aſpicientibus, debita cum reuerentia & religione diligenter è loco vbi prius aſſervabatur amoveri, & ſolemni proceſſione extra ipſam Baſilicam per vias, & loca publica deſignata omnibus oſtendendam, Hymnis, & Laudibus decantandis Clero vniverſo pſallente circumferri, moxque in eandem Baſilicam reportatam ad eandem Capellam nouam transferri, & ſupra Altare in loco ſeu tabernaculo, vt præfertur, in muro altè exciſo, & ad id decenter aptato, inibi ſub diligenti cuſtodia, clauſuraque religioſiſſime ſeruandam collocari etiam mandauimus.

*Pro ejus majori veneratione ſacra ibidem & divina officia jugiter celebrari decrevit.*

§. 9. Quoniam vero maxime convenire cenſuimus, vt in hac Capella noua ipſa Beatiſſima Virgo, & illius Imago prædicta non ſolum in marmoribus, lapidibus, figuris, picturiſque, imaginibus & ornamentis prædictis, ſed etiā & multo magis in Miſſæ ſacrificio, veraque & actuali Corporis & Sanguinis D. N. Iesv Christi filii ſui oblatione, diuiniſque officiis jugiter honoratur, diuinuſque cultus non temporalibus modò, ſed ſpiritualibus quoque ornamentis, & rebus augeatur, in eadem Capella nova vnum Prioratum pro vno Priore, & duodecim Capellanias pro duodecim Capellanis perpetuis, ex quibus vnus Sacriſta, & alius Camerarius etiam ſint, necnon quatuor Clericatus pro quatuor Clericis amouibilibus ereximus, & inſtituimus, ac eidem Capellæ nouæ diverſa ſecularia, & forſan regularia beneficia Eccleſiaſtica vnivimus, illorumque fructus, redditus & proventus ac emolumenta in dotem aſſignavimus, vt infra.

Aliqua ideo hic enunciata prætermitto, quia aliter vt ſequitur ſtatuta fuerunt.

*Propterea unū Prioratū, duodecim Capellanias, & quatuor Clericatus in ea inſtituit, & ex illis Sacriſtā & Camerarium eligi, ac Priorem locū digniorem habere, eoſque omnes per ſe ipſos deſervire, & aliud Beneficium alibi obtinere non poſſe decrevit.*

§. 12. Et nihilominus præmiſſa, vt infra in melius declarantes, corrigentes, mutantes, ac illis addentes, & deſuper de nouo diſponentes, in dicta Capella à nobis apud Baſilicam prædictam, vt præfertur extructa, vnum Prioratum perpetuum, qui inibi dignitas exiſtat pro vno preſbytero Sacerdote ſeculari, etiam alienigena, Priore perpetuo nuncupando, & duodecim perpetuas Capellanias pro

pro duodecim Clericis ſecularibus etiam alienigenis, in presbyteratus ordine, vel ſaltem in ea ætate conſtitutis, ut infra annum ad dictum ordinem promoveri poſſint & debeant, futuris inibi perpetuis Capellanis, ex quibus etiam unus Sacriſta ſit, ad nutum Patroni pro tempore exiſtentis infraſcripti amovibilis, & alius Camerarius à Priore & Capellanis prædictis anno quolibet eligatur, & quatuor Clericatus pro quatuor Clericis pariter ſecularibus, etiam alienigenis, ac amovibilibus. Quorum ſiquidem Capellanorum, Sacriſtæ, Camerarii & Clericorum dictus Prior caput exiſtat, ac in rebus, negotiis & actibus, tam publicis quam privatis, per eos tractandis & faciendis, primum & digniorem locum habeat, idemque præſit, ac tam ipſe quam prædicti Capellani, Sacriſta, Camerarius & Clerici dictæ Capellæ, per ſe ipſos, prout inferius dicetur & deſcriptum erit, deſerviant, nec aliud beneficium Eccleſiaſticum perſonalem reſidentiam requirens, in dicta Baſilica vel alibi obtineant, Apoſtolica auctoritate perpetuò erigimus.

*...dote Prioratus, Capellaniarum, ac ...tiorum Sacriſtæ & Camerarii, & Clericatuum, ...s & redditus Archipresbyteratus, Canonicatuū ... Beneficiorum Eccleſiæ ... Laurentii Lucinæ ...preſſorum ...plicat.*

§. 11. Ipſique Capellæ pro eorumdem Prioratus, ac duodecim Capellaniarum, & quatuor Clericatuum & Sacriſtæ, Camerariique officiorum prædictorum dote, ac illos, illas & illa pro tempore obtinentium ſuſtentatione, onerumque eis incumbentium ſupportatione, eorumdem Archipresbyteratus, ac ſex Canonicatuum, totidemque præbendarum ac trium Beneficiatorum, necnon Capellaniæ ſub invocatione SS. Philippi & Jacobi in dicta Eccleſia S. Laurentii conſiſtentium, & per Nos, ut præfertur, ſuppreſſorum & extinctorum, ac dictæ Capellæ unitorum, prædia, caſalia, ac alia bona ſtabilia & jura quomodolibet nuncupata, ubilibet exiſtentia, illorumque fructus, redditus, proventus, obventiones & emolumenta univerſa, eiſdem Capellæ, ut præfertur, alias applicata, ita quod liceat eidem Priori, Capellanis & Clericis hujuſmodi per ſe vel alium ſeu alios, eorum & dictæ Capellæ, eorumque menſæ ſeu maſſæ communis nominibus, illorum omnium & ſingulorum realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem, & ſeu quaſi, propria auctoritate, abſque ſpolii & attentatorum vitio, & cujuſcumque Judicis decreto vel miniſterio, liberè apprehendere, & perpetuo retinere, illaque regere & adminiſtrare, locare & diſlocare, ac omnes & ſingulas pecuniarum, rerum & bonorum ſummas, qualitates & quantitates, necnon fructus, redditus, proventus, obventiones & emolumenta percipere, exigere & levare, ac de exactis & receptis quietare, ad infra dicendos & deſtinatos uſus convertere, noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, Diœceſani loci, vel Almæ Urbis Vicarii, ſeu dictæ Baſilicæ Archipresbyteri, aut cujuſvis alterius licentia minimè requiſita, auctoritate Apoſtolica, & tenore prædictis perpetuo damus, concedimus, aſſignamus, applicamus & appropriamus.

*Capella verò ... illius fabrica, & Sacriſtia, Cantoribus, aliiſque neceſſitatibus reliqua ...pecta unita & unienda applicat. ... hāc dotem Capella eſſe ...eparatam à menſa communi prædictorum Prioris, Capellanorum, Sacriſtæ, Camerarii, & Clericorum decernit.*

§. 12. Rurſus eiſdem Capellæ, & illius fabricæ & Sacriſtiæ, quas dotem & menſam propriam & particularem, ac ab illa Priori, Capellanis, Sacriſtæ, Camerario & Clericis prædictis, ut præfertur aſſignata prorſus diſtinctam, & ſeparatam habere volumus & declaramus, pro Capellæ & illius fabricæ & Sacriſtiæ hujuſmodi propria & particulari dote & menſa, ac illarum reparatione, reſtauratione & manutentione, ſalariorumque Cantorum & Scoparii, ut infra ab eodem Patrono ad ejus nutum deputandorum præſtatione, ac vini, olei, cerarum & luminum, aliarumque impenſarum & onerum eiſdem Capellæ, fabricæ & Sacriſtiæ nunc & pro tempore incumbentium ſupportatione, omnia & ſingula alia beneficia Eccleſiaſtica, ſecularia, & quorumvis Ordinum regularia quomodolibet qualificata, quæcumque, quotcumque & qualiacumque eidem Capellæ à nobis, ultra Archipresbyteratum, Canonicatus, præbendas, Beneficiatus & Capellaniam in dicta Eccleſia S. Laurentii conſiſtentia prædicta, quæ Priori, Capellanis & Clericis prædictis, ut ſupra, reſervata eſſe volumus, hactenus quomodolibet unita, ac in poſterum à Nobis vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu noſtra vel eorum auctoritate unienda, ex nunc prout ex tunc, quando unita fuerint, ac illorum omnia, & ſingula prædia, tam ruſtica quàm urbana, caſalia, domos, proprietates, terras, poſſeſſiones, cenſus, livellos, canones, loca montium, & quæcumque alia bona ſtabilia quomodolibet nuncupata, & ubilibet exiſtentia, cum omnibus juribus, actionibus, grangiis, membris, pertinentiis, fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus & emolumentis univerſis, cæteriſque rebus & bonis, mobilibus & immobilibus ac ſe moventibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, pretii & valoris etiam annui exiſtentibus, & ubique locorum conſiſtentibus, eorumque proprietate & dominio, ac omnia & ſingula, tam in rebus quàm in redditibus, pecuniis, juribus & actionibus hactenus à nobis quomodolibet data, donata, conceſſa, aſſignata & applicata, quàm etiam in poſterum à nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus prædictis, etiam quomodolibet danda, donanda, & concedenda, aſſignanda, & applicanda, ſimiliter ex nunc prout ex tunc, quando data, donata, conceſſa, aſſignata & applicata fuerint.

*Donata hactenus, & donanda, ac oblationes, & largitiones factas poſt tranſlationem S. Imaginis, & faciendas doti Capellæ applicat.*

§. 13. Necnon (cum infraſcripta tamen declaratione) etiam oblationes, & quæcumque à quibuſvis primodictæ Imagini, & illius Capellæ prædictæ, à dicta de primodictæ Imaginis tranſlationis data, donata ſeu relicta, dandaque, donanda & ſeu relinquenda in futurum.

*Patrono Capellæ accipiendi poſſeſſionem propria auctoritate bonorū Capellæ, ut ſup. unitorum facultatem concedit.*

§. 14. Ita quod liceat nunc & pro tempore exiſtenti ejuſdem Capellæ Patrono infraſcripto, per ſe vel alium ſeu alios, toties quoties ſibi videbitur deputandos & removendos, dictæ Capellæ illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ, earumque menſæ particularis hujuſmodi nominibus, omnium & ſingulorum, ſicut præfertur, unitorum, aſſignatorum, applicatorum, datorum, oblatorum, donatorum, ceſſorum, conceſſorum & relictorum, ac uniendorum, aſſignandorum, applicandorum, dandorum, offerendorum, donandorum, cedendorum, concedendorum & relinquendorum, poſtquam unita, aſſignata, applicata, data, oblata, donata, ceſſa, conceſſa, & relicta fuerint, realem, actualem & corporalem poſſeſſionem, & ſeu quaſi, propria auctoritate, abſque ſpolii & attentatorum vitio, & cujuſcumque Judicis decreto vel miniſterio, liberè & licitè apprehendere, & perpetuò retinere, illaque regere & adminiſtrare, locare, & diſlocare.

*Ex redditibus dictæ Capellæ ſunt per Patronū facienda impenſæ pro vino, oleo, cera, & ſalariis Cantorum & Scoparii, reſiduum verò Patroni arbitrio in utilitatem Capellæ erit convertendum.*

§. 15. Ac omnes & ſingulas pecuniarum, rerum & bonorum ſummas, qualitates & quantitates, necnon fructus, redditus, proventus, obventiones & emolumenta percipere, exigere & levare, ac de exactis, & receptis quietare, ac ex illis, in primis vini, olei, ceræ, aliaſque impenſas neceſſarias, necnon Cantorum & Scoparii ſalaria perſolvere ſeu perſolvi facere, & reliquum in ejuſdem Capellæ, ac illius fabricæ & Sacriſtiæ uſum & utilitatem, prout ſibi videbitur & placebit, & ejus mero arbitrio convertere, noſtra & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, Diœceſani loci, vel almæ Urbis Vicarii, ſeu dictæ Baſilicæ Archipresbyteri, aut cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, auctoritate Apoſtolica & tenore prædictis perpetuo damus, concedimus, aſſignamus, applicamus & appropriamus.

*Servitium incumbens Priori, Sacriſtæ, Camerario, & Capellanis ac Clericis in Capella.*

§. 16. Ut autem tam Prior, Capellani, Sacriſta, Camerarius, Clerici, quàm alii dictæ Capellæ Miniſtri quicumque, certò ſciant, quæ & qualia ſint eorum ſervitium, munia, onera & inſtituta, & in illis à quoquam quovis prætextu minimè impediantur, ſeu ab illis diſtrahantur, motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus declaramus, ſtatuimus & ordinamus, quod Prior & Capellani prædicti omnibus diebus Dominicis, ac etiam omnibus ipſis Beatæ MARIÆ Virginis feſtivitatibus, ſinguli ſingulas Miſſas, & intra quamlibet hebdomadam ſinguli alias duas Miſſas per ſe ipſos, non autem per alium ſeu alios Sacerdotes celebrare, ac in ſolemnitatibus, in quibus Capitulum & Canonici dictæ Baſilicæ in dicta Capella horas canonicas, & alia divina officia, ut infra celebrabunt, Cotta ſuperinduti, Miſſis, & horis canonicis, aliiſque divinis officiis, tam diurnis quam nocturnis, in ſcamno, & loco per Cardinalem Protectorem inſtitutum deſignando, perſonaliter intereſſe teneantur.

*Prior, & Capellani faciāt Collegium, habentque inſignia Collegialia, & habitum aliorū Capellanorū.*

§. 17. Ac tam Prior quam Capellani prædicti inſimul unum Collegium cum arca, maſſa & ſigillo communibus, aliiſque Collegialibus inſignibus ad inſtar aliorum ſimilium Collegiorum, tam in prædicta quàm in aliis quibuſcumque dictæ Urbis Baſilicis, & Eccleſiis inſtitutorum conſtituant, inibique habitum per alios Capellanos deferri ſolitum deferre poſſint.

*Sacriſta deputatur à Patrono ad ejus nutũ pro cura ſuppellectilium, de quibus Inventarium facere, cautionem præſtare, & rationem reddere tenetur.*

§. 18. Ex duodecim autem Capellanis hujuſmodi unus à pro tempore exiſtente Patrono deputetur Sacriſta, qui ad ejuſdem Patroni nutum amovibilis exiſtat, & curam celebrationis Miſſarum, necnon cuſtodiam ſacræ ſuppellectilis, ornamentorumque & paramentorum ad Capellæ prædictæ uſum pro tempore pertinentium, vaſorum, tam auri & argenti, quam aliarum rerum, & univerſæ ſuppellectilis, ſibi ſub inventario conſignandorum habeat, aliaque Sacriſtiæ hujuſmodi officium concernentia gerat, exerceat, rationem & computum paramentorum, & ſuppellectilis hujuſmodi, & aliorum ejus curæ commiſſorum dictæ Capellæ Patrono ſingulis ſex menſibus, & quoties ab eo fuerit requiſitus, fideliter reddat, & de ratione hujuſmodi reddenda, & reliquum conſignando ſe obliget, cautionemque idoneam, ſi eidem Patrono placuerit, etiam præſtet, paramenta, ornamenta, vaſa vel alias quaſvis res & bona Capellæ & Sacriſtiæ hujuſmodi, quibuſvis perſonis, Capitulis, Eccleſiis, Monaſteriis aut aliis locis, juxta formam aliarum literarum deſuper à nobis emanatarum, & ſub in eis contentis pœnis accommodare non præſumat.

*Sacriſta prohibetur, ne ornamenta, paramenta, vaſa, & bona Capellæ poſſit cuique accommodare.*

§. 19. Item de paramentis, ornamentis, vaſis, totaque ſuppellectili, & rebus omnibus Sacriſtiæ, ejus curæ commiſſis, inventarium duplicatum ab eodem Sacriſta ſubſcriptum conficiat, quorum unum penes Patronum, & alterum penes eum remaneat, quod etiam ſingulis quibuſque ſex menſibus revideatur & renovetur.

*Camerarius eligitur à Priore, & Capellanis de gremio ipſorum Capellanorum, & officium duret per annum.*

§. 20. Item ſingulis annis ab eiſdem Priore & Capellanis antedictis, in plena eorum Congregatione, unus de numero eorumdem duodecim Capellanorũ, Camerarius per ſecreta ſuffragia eligatur, qui duret per annum tantũ.

*Camerarius exigit redditus eorũ maſſæ, cum onere deponendi pecunias in Banco.*

§. 21. Et cum officio Sacriſtæ incompatibilis ſit, ac ipſorum Prioris & Capellanorum, & eorum maſſæ communis Procurator exiſtat, fructuſque, redditus & proventus, ac pecuniarum quantitates omnes eorumdem Prioris, & Capellanorum maſſæ communis exigere, & recuperare, ac tam Priori quam unicuique Capellano, & Clerico prædictis portionem ſingulis obvenientem ſtatuto tempore ſolvere, nec pecunias receptas penes ſe retinere, ſed eas in banco ad id ab ipſis Priore & Capellanis eligendo, ſtatim conſignare, claramque & diſtinctam rationem officii ſui, ac totius adminiſtrationis, necnon recepti & impenſi per eum in plena Congregatione prædicta, ſeu coram ab eadem Congregatione deputatis, ſingulis ſex menſibus, ac etiam quoties eiſdem Priori & Capellanis videbitur, reddere, ſicque ſe in manibus Prioris efficaciter obligare debeat.

*Camerarius tenetur per ſeipſũ adminiſtrare, præterquam in caſu infirmitatis, vel alterius legitimæ cauſæ, & tũc perſona ſubſtituenda ſit de illarũ gremio, & per Priorẽ & Capellanos approbanda.*

§. 22. Nec alium loco ſui ſubſtituere poſſit, niſi de licentia Prioris & Capellanorum prædictorum in caſu infirmitatis vel abſentiæ neceſſariæ, ſeu alias licitè: quo caſu perſona ſic ſubſtituenda ſit de numero eorumdem Capellanorum, & à Priore ac Capellanis prædictis approbari debeat, & in manibus Prioris de bene & fideliter adminiſtrando, & rationẽ reddendo, ac reliquum conſignando jurare & ſe obligare, ac ſi eidem Congregationi videbitur, tam ipſe Camerarius quam ab eo ſic ſubſtituendus cautionem dare teneatur. Nec ipſis liceat ipſas pecunias cuiquam mutuo dare, aut in proprios uſus convertere, alias ultra reſtitutionem debitam, etiam pœna arbitrio Congregationis prædictæ infligenda puniatur.

*Scoparius deputari debet per Patronum ad ejus nutũ amovibilis, cum ſalario 100 ſcutorum monetæ quolibet anno ex redditib. menſæ Capellæ.*

§. 23. Præterea unum Laicum qui pavimentum, ſtatuas, columnas, lampades, candelabra, & alia ornamenta dictæ Capellæ & Sacriſtiæ, ipſamque Capellam & Sacriſtiam, illarumque ædes, & manſiones tergat, verrat, ac quiſquilias, pulverem & alias ſordes auferat, ejiciat, Scoparium nuncupandum, ad ejuſdem Patroni nutum amovibilem, ab eodem Patrono toties quoties opus fuerit, ac eidem Patrono videbitur & placuerit deputari, ac illi pro ejus ſalario centum ſcuta monetæ de pecuniis propriæ dotis & menſæ dictæ Capellæ, illiuſque fabricæ & Sacriſtiæ, ut præfertur, aſſignatæ, quolibet menſe proportionabiliter, & pro rata perſolvi.

*Scopario, & quatuor Clericis fiũt quolibet anno veſtes talares panni violacei ex redditibus menſæ Capellæ.*

§. 24. Et tam ipſi quam ſingulis quatuor Clericis prædictis, quolibet anno veſtem talarem panni violacei de ejuſdem dotis, & menſæ Capellæ pecuniis fieri mandamus.

*Feſta celebrãda in Capella, & Litaniæ B. M. Virginis inibi certis diebus decantanda.*

§. 25. Inſuper ad divinum cultum, & piorum devotionem in eadem Capella quantum poſſumus, augendum, ſingulis Sabbathi diebus, ac Beatæ Mariæ feſtivitatibus, illarumque vigiliis, ac in feſtivitate Tranſlationis primodictæ Imaginis, quam ultima die Dominica menſis Januarii cujuſlibet anni in eadem Capella celebrari juſſimus, ſingulis quibuſque annis perpetuis futuris temporibus Litanias cum Antiphona pro tempore currenti ejuſdem Beatæ MARIÆ Virginis, cum organo, harmonia & cantu figurato, alternis choris decantandas iterato inſtituimus, & ordinamus.

*Pro ſalario Cantorum ad nutũ à Patrono eligendorum applicantur ſcuta 300 annua per Patroni circumſpectionem diſtribuenda ex redditibus menſæ Capellæ.*

§. 26. Ac pro Cantorum & aliorum Miniſtrorum, ad arbitrium Patroni pro tempore exiſtentis eligendorum, ad ejus nutum amovibilium, ſalario annua trecenta ſcuta, juxta providam dicti Patroni pro tempore exiſtentis circumſpectionem & ordinationem, Cantoribus & Miniſtris prædictis diſtribuenda & eroganda, de pecuniis propriæ dotis & menſæ ipſius Capellæ, fabricæ & Sacriſtiæ ſolvenda aſſignamus.

*Prior, & Capellani tenentur intereſſe Litaniis post Veſperas decantandis.*

§. 27. Quibus Litaniis Prior & ſinguli Capellani cum eorum Cottis ſemper, ſaltem alternatim in loco, modoque & ordine per Scipionem Cardinalem Protectorem antedictum præſcribendis debeant intereſſe. Verum quia Capellani, Toletani nuncupati, ad primodictam Imaginem, & illius Altare inſtituti, ex eorum inſtitutionis hujuſmodi præſcripto, ſeu aliàs Litanias ipſius Beatæ Virginis ſingulis Sabbathis, & forſan aliis diebus, etiam recitare tenentur, ne ipſorum concurſu Litaniæ à nobis, ut præfertur, inſtitutæ quoquo modo impediantur, ſtatuimus & ordinamus, quod Capellani Toletani prædicti, de mane ſtatim poſt Miſſarum ſolemnia indictas eis Litanias hujuſmodi recitare debeant, prout hactenus conſueverunt: Litaniæ vero à nobis inſtitutæ poſt Veſperas decantentur. Nos enim dicti Cardinalis de Toleto, & quamvis aliam diſpoſitionem quatenus opus ſit quoad hæc ſufficienter commutamus.

*Clerici à Patrono ad nutum deputantur, & inſerviunt Priori, & Capellanis, & Sacriſtæ in divinis deſervire tenentur.*

§. 28. Clerici autem prædicti, qui honeſtæ & bonæ indolis à pro tempore exiſtente Patrono dictæ Capellæ, ac ad ejus nutum amovibiles deputabuntur, Priori, Capellanis & Sacriſtæ in divinis inſervire, ac obſequia & onera ipſis pro tempore impoſita præſtare teneantur.

*Ex maſſa [illegible] tur quolibet anno ſcuta 300. Priori, & ſcuta 100 ſingulis Capellanis, necnon ſcuta 50 Sacriſtæ, & alia 50. Camerario, & alia 60. cuilibet ex Clericis.*

§. 29. Porrò ex fructibus, redditibus & proventibus dictæ Capellæ pro eorumdem Prioris, Capellanorum, & Clericorum dote & ſuſtentatione, ut præfertur, aſſignatis, ſcilicet ex maſſa Eccleſiæ ſuppreſſæ prædictæ tantum annis ſingulis Prior trecenta, ſinguli vero Capellani centum, & qui fuerit Sacriſta vel Camerarius, alia quinquaginta pro quolibet, ſinguli vero Clerici ſexaginta ſcuta monetæ habeant atque percipiant, & Clericis ſingulis menſibus præciſe, Priori vero & Capellanis, etiam menſtruatim, ſi pecuniæ promptæ fuerint, ſin autem in terminis inter eos ſtatuendis, illa perſolvantur.

*Et ſi aliquid ſupererit, dividatur pro virili inter Priorem, & Capellanos, & Clericos in una, alia vero medietas applicetur menſæ Capellæ.*

§. 30. Et quicquid ex eorum dote, & menſa ſingulis annis, ſolutis ſummis prædictis ſupererit, in fine anni in duas æquales portiones dividatur, quarum una inter ipſos Priorem, Capellanos, & Clericos pro virili diſtribuatur, & altera doti, & menſæ propriæ ipſius Capellæ, ac illius fabricæ, & Sacriſtiæ, ad Patroni prædicti omnimodam, & liberam diſpoſitionem augeatur, & conſignetur.

*Prior, Capellani, & Clerici continuo in Urbe reſidere, & obſequia injuncta præſtent: Sacriſta vero ac duo ſaltem ex quatuor Clericis habitent in manſionibus Capellæ.*

§. 31. Ac tam Prior quam Capellani, & Clerici prædicti ad verè & perſonaliter, continuoque in Urbe reſidendum ac debita ſervitia, & obſequia præſtandum; Sacriſta verò cùm duobus ſaltem ex quatuor Clericis prædictis, ad continuò in manſionibus dictæ Capellæ habitandum, interdicta omninò Priori, Capellanis & Clericis hujuſmodi ab Urbe abſentia, ac Sacriſtæ, & Clericis prædictis extra manſiones dictæ Capellæ pernoctatione ſub amiſſionis fructuum, aliiſque pœnis per Cardinalem Protectorem in ſtatutorum editione irrogandis, & declarandis obligati exiſtant.

*Officia Capellæ non poſſunt reſignari, nec permutari, nec penſionibus gravari.*

§. 32. Nec liceat alicui ex Priore, Capellanis, Camerario, Sacriſtæ, ſeu aliis dictæ Capellæ Miniſtris, Prioratum, Capellanias, ſeu officia, & munia eorum in favorem alicujus reſignare vel permutare, neque penſionibus gravare, aut illarum reſervationi conſentire poſſint, tametſi velint illos, illas, & illa pure & ſimpliciter tantum dimittere ad effectum alios per Patronum præſentandi, eligendi, & deputandi.

*Exptũ Prior*

§. 33. Inſuper, ut Prior, Capellani, & Clerici prædicti

ab

*…s, & capel-…rius, & …riorum à …ſſionibus …ſeruitiis, …tiam pro-…ſſionibus …ſilicæ.*

ab aliis ſeruitiis liberi promptius dictæ Capellæ …ſque … & … cui eos pia devotione … atque addictos eſſe deſideramus, incumbere … eundem Priorem, Capellanos, & Clericos ab omnibus, & ſingulis obſequiis & ſeruitiis Baſilicæ S. MARIÆ Majoris, ejuſque Chori, Capitulique & Cleri, ac ab interuentu, & intereſſentia in Miſſis, horis canonicis, & divinis officiis, etiam illis, quæ alias dictis Priori, & Capellanis iniunximus, ac à Proceſſionibus, aliiſque ſervitiis, & oneribus, ad quæ fortè alii dignitates habentes, necnon Capellani, & Clerici ejuſdem Baſilicæ tenentur, omnino eximimus, & liberamus, & nihilominus tam ipſi quam Sacriſta, & Clerici prædicti ipſam Baſilicam, & Capellam hujuſmodi, quocumque tempore libere, ſine aliqua Capituli & Canonicorum prædictorum licentia, pro ſeruitio ejuſdem Capellæ adire, & ingredi poſſint.

*Capitulum, … canonici …ligantur ad …lebrationem …vinorum in …pella in fe-…ſtivitatibus …Mariæ ac S. …ranciſcæ, & … Caroli, & …ne Sacriſta …anſmittet …lia neceſſaria …d Sacriſtiam …aſilicæ, cele-…ratis divinis …uperanda.*

§. 34. Capitulum autem, & Canonicos prædictos in feſtivitatibus Beatiſſimæ Virginis, ad Veſperas ac Miſſas in ejus honorem, ac etiam ſimiles Miſſas in honorem S. Fráciſcæ, & S. Caroli prædictorum in eorum feſtivis diebus, cum Prioris & Capellanorum Capellæ prædictæ aſſiſtentia celebrandas obligamus, & obligatos eſſe decernimus & declaramus, in quibus feſtivitatibus Sacriſta dictæ Capellæ planetas, tunicellas ac pluuialia tantum, & ad celebrationem neceſſaria, cum quibus celebrare teneantur, ad Sacriſtiam Baſilicæ prædictæ tranſmittet, vt ab ea poſtea Capitulum, & Canonici proceſſionaliter cedendo, pro ſolemni officio perficiendo ad Capellam prædictam perueniant.

*…anonici ad …lebrandum …tribus Al-…taribus dictæ …apella beni-…nè recipian-…tur.*

§. 35. Canonicis autem ad Altare Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, ſeu alia Altaria dictæ Capellæ, Miſſas priuatas celebrare volentibus, in eorum tamen canonicali, & capitulari Sacriſtia planetis, & aliis ſacris veſtibus ex eorum Sacriſtia ind tis humaniter admiſſis, & receptis, omnis commoditas celebrandi, & ſanctum Miſſæ ſacrificium perficiendi, à Sacriſta concedatur. Ita tamen, vt Prior & Capellani dictæ Capellæ nequaquam in eorum ſervitio impediantur.

*…cræ Imagi-…nis cuſtodia …datur capitu-…lo, & canoni-…cis qui depu-…tari debent …anonicos qui …laves Taber-…naculi retine-…ant, & illud …quando erit …pus aperiant.*

§. 36. Quo vero ad primodictæ Imaginis cuſtodiam, declaramus atque decernimus, quod non obſtantibus quibuſcumque noſtris, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ordinationibus, etiam per modum concordiæ, & conuentionum, ſeu alias quomodolibet editis, & ſupra recenſitis, perpetuis futuris temporibus primodictæ Imaginis cuſtodia Capitulo, & Canonicis prædictæ Baſilicæ, vbi Capella à Nobis fundata, & etiam primodicta Imago de præſenti repoſita exiſtit, ſpectet & ſpectare debeat, quorum cura, & ſollicitudo erit deputare locum & ſingulares Canonicos, vbi & apud quos claues loci ſeu tabernaculi in quo primodicta Imago repoſita eſt aſſervari, & Canonicos qui primodictam Imaginem aperire, & claudere debeant.

*Tabernaculū …ſacræ Imagi-…nis non erit …aperiendum, …niſi ex decreto …capituli, vel …de mandato …Protectoris, …vel ex inſtan-…tia Patroni, …& pro apertio-…ne aſſignatur …locus trāſitus.*

§. 37. Inhibentes tabernaculum hujuſmodi pro primodicta Imagine populo ſeu aliis Chriſti fidelibus monſtranda, & exhibenda aperiri, niſi ex ipſius Capituli decreto, vel de Protectoris mandato, ſine etiam inſtantia Patroni, tuncque Canonici ab ipſo Capitulo ad aperiendum & claudendum deputati, per oſtium à latere dictæ Capellæ verſus occaſum Solis, intra dictam Baſilicam conſtructum introëuntes, ac per ſcalam choclidis aſcendentes, & per deambulationes inibi relictas, & à cellis ſeu cameris diſtinctas, recto tramite, abſque eo quod per ipſas cellas ſeu cameras, tam in eundo quam in redeundo tranſeant, procedentes ad conclaue primodictæ Imaginis, pro ea aperienda, & claudenda eant, & remeent.

*Prohibetur …in Taberna-…culi apertio ſi-…ue acceſſus ad …conclaue ſiat …de nocte, nec …per aliū tran-…ſitum quàm …ſuprà aſſigna-…tum.*

§. 38. Volentes oſtium prædictum de die ab illius parte anteriori verſus Baſilicam ſemper poſſe à Canonicis deputatis aperiri. Veſpere autem deſcendente, & de nocte, quando aliæ ejuſdem Baſilicæ fores claudunrur, à parte interiori verſus ejuſdem Capellæ Sacriſtiam, à Sacriſta Capellæ, admoto etiam vecte, ſeu palo ferreo claudi debere, oſtii prædicti apertione, & ad ſacræ Imaginis conclaue acceſſione, prætérquam ex Capituli decreto, ſeu Protectoris mandato, ſeu ad inſtantiam Patroni, vt ſupra, noctis tempore penitus interdicta. Quod ſi quis ex Canonicis, ſeu alius ad hoc deputatus, vel ſine licentia Capituli, ſeu cum licentia Capituli, aliunde ad dictum conclaue aperiendum auſu temerario accedere, & peruenire tentauerit, pœnam excommunicationis ipſo facto, à qua nonniſi à Nobis, & Romano Pontifice ſucceſſore noſtro abſolvi valeat, incurrat.

§. 39. Sollicitudinem autem, curamque primodictam Imaginem coronis, torquibus, gemmis, & pretioſis margaritis ornandi, & eandem Imaginem conſervandi, Sacriſtæ Capellæ vnà cum Canonicis prædictis demandamus, ita tamen vt circa illius ornatum, & conſervationem nihil à prædictis, ſine conſenſu Protectoris pro tempore exiſtentis innouetur. Et ſi inter Canonicos, & Sacriſtam prædictos aliqua circa præmiſſum ornatum, & conſervationem controuerſia, vel diſſenſio orìatur, ſemper idem Cardinalis Protector conſulatur, à quo extrajudicialiter, & omni, & quacumque appellatione, & recurſu remotis, omnis controuerſia, & diſſenſio hujuſmodi decidatur, & terminetur.

*Cura ornandi ſacram Imaginem coronis & aliis pretioſis datur Sacriſta capella vnà cum canonicis; ita tamen vt circa illius ornatum nihil innovetur abſque protectoris licentia.*

§. 40. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, quod lampades ſeptem, quinque ſcilicet ante primodictā Imaginem, & reliquæ duæ ſingulæ ante ſingula Altaria S. Franciſcæ, & S. Caroli hujuſmodi, vbi de præſenti reperiuntur, diu noctuque perpetuo accenſæ permaneant, ac in honorem & venerationem primodictæ Imaginis vltra dictas lampades, duæ candelæ ceræ albæ, ſingulæ librârum quatuor, ſemper & perpetuo de die ante Altare, & in illius angulis ſuper altis candelabris ad eum confectis; in vigiliis verò, ac feſtiuitatibus ejuſdem Beatæ Virginis cum octo diebus ſequentibus, dum primodicta Imago aperta ad populi conſpectum permanebit, ſex aliæ candelæ ſimiles de die etiam perpetuò accenſæ in Altari, & ſuper inibi exiſtentibus candelabris retineantur, omniſque impenſa propterea neceſſaria ex propria dote, & menſa ipſis Capellæ, fabricæ, & Sacriſtiæ, vt præfertur, aſſignata ſubminiſtretur.

*De lampadibus & candelis accenſis in capella tenendis.*

§. 41. Reliquias quoque eorumdem SS. Caroli, & Franciſcæ in Altaribus prædictorum Sanctorum, & alias quaſcumque in dicta Capella, illiuſque Altaribus, & Sacriſtia nunc, & pro tempore exiſtentes, ab ea amoveri, ſeu extrahi, & alibi aſportari etiam in die quo Capitulum, ſeu Canonici alias dictæ Baſilicæ reliquias populo exhibebunt, omnino prohibemus, ſed tunc in Altaribus dictæ Capellæ, vt inibi à Chriſti fidelibus venerentur, in ſuis capſulis, & receptaculis publicè exponi mandamus.

*Reliquiæ non ſunt portandæ extra capellā.*

§. 42. Inſuper ad omnem differentiam, & quæſtionis materiam, quæ inter Capitulum, & Canonicos prædictos ex vna, ac Priorem, & Capellanos, alioſque Miniſtros dictæ Capellæ, illiuſque Patronum pro tempore exoriri poſſet tollendam, Capitulo & Canonicis prædictis, tam legatum bo. me. Cardinalis Elevirii, quàm alia omnia legata primoductæ Imagini hactenus ante tranſlationem primodictæ Imaginis prædictam facta, & etiam cultrices, & ſeu pallia à Camera noſtra quotannis primodictæ Imagini dari, & offerri ſolita, tam hactenus data, & oblata, quàm danda, & offerenda in futurum, dimittimus, & relaxamus. Ita tamen quod Capitulum, & Canonici prædicti cultrices & pallia prædicta pro vſu, & ornamento dictæ Capellæ, toties quoties occaſio tulerit, & fuerint requiſiti commodare, & tradere teneantur.

*Legata facta ſacræ Imagini ante tranſlationem, & pallia hactenus data relinquuntur capitulo, cum onere tamen accommodandi pallia pro ornanda capella.*

§. 43. Oblationes autem, quas manualiter à quibuſvis pro tempore in majori Altari ipſius Capellæ, ſeu altero ex duobus Altaribus S. Caroli & S. Franciſcæ in dicta Capella exiſtentibus, ſeu in manibus Sacriſtæ, aut alterius dictæ Capellæ Miniſtri, ſeu primodictæ Imagini vel Capellæ, aut Altaribus prædictis fieri contigerit, ſiue ſint in torquibus, jocalibus, margaritis, aureis, & gemmatis coronis, ſiue etiam paramentis, aut pretioſis veſtibus, vel in aureis ſeu argenteis votis, cujuſcumque generis & valoris, ſemper, & ſine aliqua diſtinctione ſint, & eſſe debeant ipſius Capellæ, & Altarium prædictorum, ac in ejuſdem Capellæ, ſuæque fabricæ, Sacriſtiæ, ac menſæ vtilitatem omninò converti debeant. Illæ verò quæ mediante teſtamento, legato, donatione, ſeu alia diſpoſitione primodictæ Imagini, vel Capellæ, aut Altaribus in ea exiſtentibus prædictis relinquentur, ſi ad ſuppellectilem Eccleſiaſticam ſpectare dignoſcentur, vt ſunt cruces, candelabra, vaſa argentea, aurea, cuſtodiæ pro reliquiis, veſtes, aut alia ejuſdem generis res & bona eidem Capellæ, & illius Altaribus, fabricæ ac Sacriſtiæ cedere, &

*Oblationes … … largitiones de … facienda … … ad quem ſpectent.*

applicari volumus. Si vero hujuſmodi relicta, ſeu aliàs donata, & primodictæ Imagini, vel Capellæ, aut Altaribus prædictis pro tempore dedicata, vel dedicanda, domus, caſalia, prædia, aut alia ſtabilia, ſive etiam pecuniæ ſint, ad Baſilicam ipſam, illiuſque Capitulum ſpectent, ac ſpectare declaramus, & ordinamus, hoc tamen ita ſtatuimus, & declaramus, niſi ex legitimis, & juſtis conjecturis, aut aliàs conſtaret piam diſponentis devotionem eſſe, etiam ſtabilia, & pecunias de quibus ſupra, primodictæ Imagini, ejuſque Capellæ & Altaribus prædictis relinquere, & ordinare, ita vt in primodictæ Imaginis, & Capellæ, dictorumque Altarium commodum, & honorem converti deberent, tunc enim piam offerentis mentem, & voluntatem in primis, & ante omnia ſervari volumus, & mandamus. Ceræ vero quæ in Anniverſariis, & funeralibus ſupererunt, pro duabus Capitulo & Capellanis, pro reliqua verò tertia partibus Priori, Capellanis, & Clericis ſupradictis diſtribuantur, provt eas diſtribui jubemus. Ipſa autem Anniuerſaria, & funeralia quando fieri continget, non intra Capellam prædictam, ſed extra eam in dicta Baſilica in loco Patrono infraſcripto beneviſo fieri & celebrari volumus & mandamus.

*Priori, Capellanis, & Clericis, eorumque Collegio communicantur omnia privilegia ſimilibus perſonis & Collegiis competentia.*

§. 44. Rurſus Priori, Capellanis, & Clericis prædictis, illorumque Collegio, vt omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, favoribus, facultatibus, indultis, & aliis gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus alii dignitates, Capellanias, & alia beneficia in dicta Baſilica S. Mariæ Majoris, & aliis ejuſdem Vrbis Baſilicis, & Eccleſiis pro tempore obtinentes, earumque Collegia de jure, vel conſuetudine, aut ex priuilegio, vel aliàs quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, & pariformiter, in omnibus, & per omnia vti potiri, & gaudere libere, & licite valeant, Apoſtolica auctoritate, & tenore prædictis indulgemus.

*Eximuntur Capella, Prior, Capellani, clerici, & alii miniſtri, eorūque bona à juriſdictione, correctione, & viſitatione Vrbis Vicarii, Baſilicæ prædictæ Archipreſbyteri, & quorumcumque aliorum Judicum.*

§. 45. Præterea eandem Capellam, illiuſque fabricam, & Sacriſtiam, necnon Priorem, Capellanos, Sacriſtam, Camerarium, Clericos, & alios Miniſtros, & perſonas ejuſdem Capellæ pro tempore exiſtentes, ipſumque Collegium, ac prædicta, ceteraque omnia, & quæcumque illius & eorum bona, mobilia, & immobilia, cujuſcumque qualitatis, & quantitatis in dictis Vrbe, & locis, & extra, ac alias vbicumque locorum conſiſtentia, ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate nunc, & pro tempore exiſtentis Vrbis Vicarii & Archipreſbyteri dictæ Baſilicæ S. Mariæ Majoris, ejuſque Vicarii, & Capituli, & cujuſvis Ordinarii loci, aliorumque quorumcumque Iudicum & Officialium in ipſa Vrbe, vel alias vbilibet conſtitutorum, perpetuò eximimus, & liberamus.

*Datur Patrono facultas nominandi Cardinalem Protectorem ad eius libitum, & ipſe Protector Capellæ cōſtituitur Judex privativè quoad omnes.*

§. 46. Ac prædictum Scipionem Cardinalem, illius vita durante, & eo vita functo, antiquiorem ejuſdem S.R.E. Cardinalem ex noſtra, ac Franciſci, & Marci Antonii prædictorum familia, & parentela, vel in ejus defectum alium Cardinalem acceptare volentem, quem etiã ex nunc requirimus, & hortamur, pro tempore exiſtenti Patrono Capellæ prædictæ beneuiſum, ac ad ipſius Patroni libitum & arbitrium toties quoties opus fuerit nominandum, & eligendum ejuſdem Capellæ, illiuſque fabricæ, & Sacriſtiæ, necnon Prioris, Capellanorum, Clericorum, Miniſtrorum, perſonarum, rerum, bonorum & jurium priuatiuè, quoad Archipreſbyterum prædictum, & Vrbis Vicarium, & etiam omnes alios quoſcumque Romanæ Curiæ, & Vrbis prædictarũ, & alios quoſvis Iudices quocumque nomine vocatos, & quacumque præeminentia, etiam Cardinalatus, ac etiam Legati de latere, & alio quocumque honore, dignitate, præeminentia, & auctoritate pollentes, Protectorem, ac defenſorem, necnon Iudicem revocabilem perpetuò conſtituimus, & deputamus. Ac Vicario Vrbis, necnon Archipreſbytero, & illius Vicario, ac prædictis, & aliis quibuſvis etiam cujuſcumque gradus, conditionis, & præeminentiæ exiſtentibus perſonis, & Vrbis, ac Romanæ Curiæ prædictarum, & aliorum locorum Iudicibus, ne ſe in Capellam, illiuſque fabricam, & ſervitium, ac Priorem, Capellanos, Clericos, Miniſtros, aut alias ejuſdem Capellæ perſonas, ac res, bona, & jura quæcumque, ſeu in litium, & differentiarum deſuper, aut illarum occaſione pro tempore ſuſcitatarum, ſeu ortarum cognitionem, etiam ratione cujuſcumque amicabilis compoſitionis, vel concordiæ, aut alias quomodocumque ingerere, ſeu decretum ſuum, vel auctoritatem interponere præſumant, diſtrictius inhibemus.

*Cardinalis de familia præfertur quoad protectionem cuicūque Cardinali etiam nec priùs nominato.*

§. 47. Prætcrea volumus, & declaramus, quod licet nullo de noſtra, & Franciſci, ac Marci Antonii prædictorum parentela hujuſmodi exiſtente in Cardinalatus honore conſtituto, alius ad id, ut præfertur, electus, & nominatus Cardinalis in unus Protectoris hujuſmodi ſubire & exercere incepiſſet, nihilominus ſi poſtmodum contigerit aliquem ex noſtra familia, & parentela prædicta ad Cardinalatus honorem aſſumi, is in ejuſdem muneris functione, ſeu Protectoris gradu præferri debeat, & electio, nominatio, conſtitutio, & deputatio de cujuſvis alterius perſona in Protectorem hujuſmodi factæ, eo ipſo ceſſare, & expirare cenſeantur.

*Facultas condendi ſtatuta Protectori conceditur.*

§. 48. Necnon eidem Scipioni Cardinali moderno, & pro tempore exiſtenti ejuſdem Capellæ Protectori, quaſcumque opportunas, & neceſſarias conſtitutiones, & ordinationes, ſtatuta, & decreta, juxta prudentiam eidem à Deo collatam pro primodictæ Imaginis veneratione, ejuſque cultus conſervatione, & augmento, tam circa tempora ſervitiorum præſtandorum, ipſorumque Prioris, Capellanorum, Clericorũ, & aliorum Miniſtrorũ felicem directionem, ac onerum eis incumbentium ſupportationem, quàm mulctas, punctuationes, & pœnas contra negligentes, & ſervitia debita omittentes, illarumque applicationem, ac ſuper aliis omnibus quæ in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac præmiſſorum cauſa, & occaſione neceſſaria eſſe judicabit, condendi, componendi, edendi, atque promulgandi, & poſtquam ſemel edita & promulgata fuerint, quoad Scipionem aut alios pro tempore exiſtentes Cardinales Protectores, Patronos, ex ſe; quo vero ad alios Cardinales Protectores non Patronos, de Patroni conſenſu ſemel edita, & promulgata, prout in Domino, ac toties quoties eis expedire videbitur, in parte, ſeu etiam in toto mutandi, & corrigendi, ac alia de novo edendi, & promulgandi, quæ ſemper, & perpetuo auctoritate noſtra, ex hunc prout ex tunc, & è contra valere, & ſervari volumus, decernimus, & mandamus.

*Omnes lites committuntur Protectori ſummariè, & appellatione remota, cum facultate a aliis Judicibus avocandi & reaſſumendi cauſas, inhibendique &c.*

§. 49. Necnon differentias, lites, & controuerſias inter quaſcumque perſonas, tam Prioris, quàm Capellanorum, & Miniſtrorum hujuſmodi, ac aliarum perſonarum ejuſdem Capellæ ſervitio vel miniſterio addictarum, & earumdem conſortes, ſeu inter ipſos, & quoſvis alios occaſione perſonarum, & bonorum dictæ Capellæ pro tempore exortas, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, omni, & quacumque contradictione, interpellatione, appellatione, & recurſu, in integrum reſtitutione, ac mora remotis, etiam privatiuè quoad Archipreſbyterum dictæ Baſilicæ, & illius Vicarium, ac etiam Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtoliæ, & Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Cameræ Clericos, & Theſaurarium generalem, ac ejuſdem Vrbis Gubernatorem, Camerarium, & Vicecancellarium, necnon noſtrum, & pro tempore exiſtentem in ipſa Vrbe in ſpiritualibus Vicarium generalem, atque omnes alios Curiæ, & Vrbis prædictarum, & aliorum locorum quorumcumque ordinarios, & delegatos Iudices, nunc, & pro tempore exiſtentes, cognoſcendi, decidendi, definiendi, terminandi, & exequendi, liteſque & cauſas hujuſmodi alibi introductas, motas, ſeu pendentes auocandi, reaſſumendi, ac quos, quibus, & quoties opus fuerit citandi, ac ſub cenſuris eccleſiaſticis, & pœnis pecuniariis ejus arbitrio imponendis, & moderandis inhibendi, pœnaſque & cenſuras hujuſmodi incurriſſe declarandi, ac ſervata forma Concilii Trident. aggrauandi, & reaggrauandi, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis, ac denique eandem prorſus juriſdictionem, ſuperioritatem & poteſtatem in Capellam prædictam, illiuſque fabricam, Sacriſtiam, Altaria, & bona quæcumque, ac univerſas & ſingulas perſonas prædictas, in omnibus, & per omnia, quam pro tempore exiſtentes dictæ Baſilicæ S. Mariæ majoris Archipreſbyter, ejuſque Vicarius in dictam Baſilicam, illiuſque Altaria, Capitulum,

Canoni

**Canonicos Beneficiatos, & Clericos, vel Miniſtros,** de jure vel conſuetudine, ac privilegio, vel alias quomodolibet exercere poteſt, & debet, ſive in futurum poterit, & debebit, etiam quoad ea univerſa, & ſingula, quæ expreſſionem, & conceſſionem requirerent magis ſpecialem, & quæ in & ſuper generali hujuſmodi conceſſione non comprehenduntur, ſeu non comprehendi dici poſſunt, libere exercendi plenam, liberamque damus, & concedimus facultatem.

*[...]dit[...] [...]inalis [...]ris [...]ndi de [...]s, & [...]ndem [...]lla adja[...] [...]tes,*

§. 50. [illegible] Scipioni Cardinali, & pro tempore exiſtenti prædictæ Capellæ Protectori, & defenſori omnes, quaſcumque, & ſingulas ſtantias, manſiones, & habitationes ejuſdem Capellæ noſtræ adjacentes, ſeu contiguas, & annexas, quas intus, & ad ambitum vel muros illius exiſtentes fabricari fecimus ad hoc, ut de illis nunc, & quandocumque ad ejuſdem Scipionis Cardinalis, & pro tempore exiſtentis Protectoris, vel familiarium, & domeſticorum, & ſibi ſervientium, ſeu aliarum perſonarum uſum, & commoditatem ac ſervitium, & aliàs ad beneplacitum, & arbitrium ſuum liberè, & licitè abſque aliqua recognitione, vel penſione, ſeu ſolutione illarum ratione, etiam prædictæ Capellæ, vel priori, & Capellanis, aliiſque Miniſtris illius, ſeu Baſilicæ hujuſmodi, aut cuivis alii facienda diſponere poſſit, liberumque earumdem ſtantiarum, manſionum, & habitationum uſum, commoditatem & ſervitium; ita tamen quod in illis, tam in toto quàm in parte nullus præter Scipionem Cardinalem, & pro tempore exiſtentem Protectorem, & defenſorem hujuſmodi, quovis prætextu, occaſione, vel cauſa, ſeu ullo unquam tempore ſe ingerere poſſit, perpetuò reſervamus, concedimus, & aſſignamus.

*[...]ſpatrona[...] Capellæ [...]ſſe, & [...] ſucce[...] [...] in illo.*

§. 51. Inſuper circa Juriſpatronatus, & præſentandi, nominandique, eligendi, & deputandi antedicti reſervationem, & ſeu Prioratus, ac Capellaniarum, & Clericatuum hujuſmodi, aliorumque prædictorum diſpoſitionem de novo ſtatuentes, vel ſtatuendum cenſentes, prædicto Scipioni Cardinali prædictum Juſpatronatus Capellæ prædictæ, ac ut ſupra, & infra præſentandi, eligendique, & deputandi, prædictamque diſpoſitionem quoad vixerit faciendi, necnon eidem Scipioni Cardinali, tanquam Patrono, & Protectori, vita ſibi comite, tam Prioratus quàm omnium, & ſingularum Capellaniarum hujuſmodi, tam ea prima vice ab ipſa eorum primæva erectione, & inſtitutione, apud Sedem prædictam vacantium, quam de cætero quibuſvis modis, & quorumcumque, etiam noſtrorum, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ſeu cujuſvis Cardinalis etiam viventis, familiarium continuorum commenſalium, ſeu dictæ Curiæ Officialium, aut alias quomodolibet reſervationem inducentibus perſonis, ſeu per liberas, vel ex cauſa permutationis reſignationes, jurium ceſſiones, etiam neceſſarias, vel ſimplices, de illis in dicta Curia, vel extra eam, etiam in noſtris vel Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manibus, etiam in dicta Curia, vel extra eam quomodolibet factas & admiſſas, aut aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici quavis auctoritate collati, ſeu illa pro tempore obtinentium deceſſum, vel quamvis aliam dimiſſionem, amiſſionem, privationem, religionis ingreſſum, matrimonii contractum, ad Cathedralium Eccleſiarum vel Monaſteriorum, etiam conſiſtorialium, ſeu quamcumque aliam promotionem, aut quomodolibet, & qualitercumque, etiam apud Sedem prædictam, & in dicta Curia, ſimul vel ſucceſſive, toties quoties vacaturorum, plenam, & liberam collationem, & proviſionem, ac omnimodam aliam diſpoſitionem, & inſtitutionem perſonarum in eiſdem Prioratu, & Capellaniis, necnon Sacriſtæ, Clericorum, & Scoparii deputationem per ipſum Scipionem Cardinalem, vel alium ſeu alios, quem vel quos ad id duxerit deputandum vel deputandos, quando, & quoties, etiamſi eundem Scipionem Cardinalem ab ipſa Curia, etiam pro ſua voluntate ubilibet, etiam ultra montes abeſſe contigerit, faciendas concedimus, & reſervamus.

*Conceditur [...]ſtriſſ. D. [...]d. Burg[...] [...]ſi facultas [...]ferendi ut [...]ra, & in [...]ſſionem [...]ittendi [...]viſos.*

§. 52. Necnon eidem Scipioni Cardinali hujuſmodi Prioratum & Capellanias, ut præfertur, vacantes, & vacaturas conferendi, & de eis providendi ac diſponendi, necnon de Prioratu. & Capellaniis prædictis ſic pro tempore; & quandocumque proviſos vel inſtitutos, in eorumdem Prioratus ac Capellaniarum, ac eorum ſingulorum poſſeſſionem veram, realem, & actualem, etiam eo ipſo, abſque aliqua alterius Judicis vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel aliàs qualificatæ miniſterio ſeu interventu aut præſentia ſeu licentia aliqua, propria auctoritate immittendi, ponendi, inducendi, & manutenendi, quos ſic in poſſeſſionem immiſſos, & inductos in Priorem ac Capellanos hujuſmodi, & in fratres ejuſdem Capellæ, illius Prior & ceteri Capellani reſpective recipere, ac ad omnia jura, & tractatus ejuſdem Capellæ admittere teneantur, plenam, & integram, liberam, & omnimodam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem attribuimus, ſibique deſuper indulgemus. Poſt obitum vero prædicti Scipionis Cardinalis, prædictum juſpatronatus dictæ Capellæ, & præſentandi perſonas idoneas etiam alienigenas ad Prioratum, omneſque & ſingulas Capellanias hujuſmodi, quotieſcumque illum, & illas, & illorum aliquos, ut præfertur, ſeu alias quomodocumque vacare contigerit, ac Sacriſtam, dictoſque Clericos, & Scoparium ad nutum deputandi, & removendi, ac Protectorem eligendi, & nominandi dicto Marco Antonio Burgheſio Principi Sulmonis, noſtro ex prædicto Joan. Baptiſta ſecundum carnem Nepoti, ejuſque natis, & deſcendentibus maſculis per lineam maſculinam legitimis, & naturalibus, ex legitimo matrimonio natis & procreatis.

*O'do primogenitura in ſucceſſione juriſpatronatus Capellæ.*

§. 53. Ita tamen quod præſentatio, electio, nominatio, & deputatio reſpectivè ſolùm fieri debeat à primogenito & ipſius primogenito uſque in infinitum, hoc modo videlicet, ſi dictus Marcus Antonius plures filios maſculos habuerit, præſentatio, electio, nominatio, & deputatio reſpectivè pertineant ad natu majorem tantum, qui ſi etiam plures ſuſceperit filios maſculos, natu major eorum tantum præſentet, & reſpectivè deputet, nominet, & eligat, & ſic jus præſentandi, & reſpectivè deputandi, eligendi, & nominandi hujuſmodi ſemper tranſeat de primogenito in primogenitum uſque in infinitum, & deficiente vel non exiſtente linea maſculorum ex maſculis à dicto primogenito deſcendentibus, tunc præſentatio & reſpectivè deputatio, nominatio, & electio modo, & forma præmiſſis, ad ſecundogenitum, ſi ſuperſtes fuerit, ſin minus ad natu majorem maſculum ſimiliter uſque in infinitum, & deficiente linea maſculorum ex maſculis deſcendentium à ſecundogenito, Juſpatronatus præſentandi, deputandi, eligendi, & nominandi hujuſmodi tranſeat ad tertiogenitum, prædicto ordine ſervato, & ſic ſucceſſive de una linea ad aliam omnes deſcendentes maſculos à dicto Marco Antonio. Non exiſtentibus verò filiis vel aliis maſculis ex dicto Marco Antonio, ejuſque poſteris maſculis deſcendentibus, vel illis quandocumque in perpetuum deficientibus, Juſpatronatus, & præſentandi, & reſpectivè deputandi, eligendi, & nominandi hujuſmodi, ad filiam feminam dicti Marci Antonii, vel ultimi maſculi legitimi ab ipſo Marco Antonio deſcendentis, legitimam, & naturalem ac natu majorem, & poſtmodùm ad ejus filios, & deſcendentes maſculos legitimos, & naturales in perpetuum ordine primogenituræ, ut ſupra dictum eſt, de deſcendentibus maſculis ſervato, ſpectet, & pertineat. Si verò contigerit lineam maſculinam ex feminis ex dicto Marco Antonio deſcendentibus penitus extingui vel non extare, tunc ex eo caſu feminæ ex filiabus vel aliis deſcendentibus feminis ex dicto Marco Antonio deſcendentes, ordine primogenituræ, ut de maſculis dictum eſt, ſemper ſervato, ad dictum Juſpatronatus & præſentandi, & reſpectivè deputandi, eligendi, & nominandi ſuccedant. Deficiente vero in totum linea, tam maſculina quam feminina ex dicto Marco Antonio deſcendente, vel illa non exiſtente, juſpatronatus, & præſentandi, ac reſpectivè deputandi, eligendi & nominandi hujuſmodi tranſeat ad prædictum Franciſcum ejuſque filios, & deſcendentes maſculos, de primogenito in primogenitum, ac eis deficientibus ad feminas, ut ſupra dictum eſt de deſcendentibus dicti Marci Antonii. Et tandem ex ipſo Franciſco deſcendentibus maſculis & feminis deficientibus vel non exiſtentibus, ad prædictum Curtium Burgheſium noſtrum ſecundum carnem hujuſmodi conſanguineum, & poſt eum, ejus primogenitum & aliàs modo præmiſſo de primogenito in

primogeni

primogenitum, prout de dicto Marco Antonio ſupradictũ eſt, etiam quoad feminas exinde deſcendentes in infinitum. *Deficientibus* autem omnibus, & ſingulis maſculis, & feminis deſcendentibus à Marco Antonio, & Franciſco ac Curtio prædictis, tunc ſuccedat in juſpatronatus, & præſentandi, ac reſpectivè deputandi, eligendi & nominandi hujuſmodi, qui nobis fuerit in linea maſculina, & ea *deficiente, in feminina ſanguine proximior*, ſervato ſemper in omnibus caſibus ſupradictis ordine primogenituræ, tranſeundo ſcilicet de primogenito ad primogenitum, & præferendo lineam primogeniti lineæ ſecundogeniti, & maſculos ex *feminis deſcendentes*, natis *ex feminis*, ac maſculos ex feminis, ipſis feminis atque alias in omnibus, & per omnia, prout in linea filiorum deſcendentium à *dicto Marco Antonio* ordinatum eſt, ita quod juſpatronatus, & præſentandi, ac reſpectivè deputandi, eligendi, & nominandi hujuſmodi, ad unum ſolum ſucceſſorem in *ſolidum*, & poſt *illum* ad alium ſemper deveniat, abſque eo quod inter plures ſucceſſores dividi poſſit.

*Patronus præſentat coram Protectore vel Prior, & quando Patronus erit in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, poterit conferre.*

§. 54. Inſtitutiones autem, collationes, & proviſiones perſonarum, ut præfertur, à Patrono pro tempore præſentatarum, videlicet quoad Prioratum per Cardinalem Protectorem, & ſeu etiam ipſum Priorem, prout ipſi Patrono magis placuerit, fieri debeant: ſi verò pro tempore exiſtens Patronus Prioratus & Capellaniarum hujuſmodi in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus eſſet, tunc ipſe Patronus in hujuſmodi dignitate conſtitutus non teneatur præſentare, ſed Prioratum ac Capellanias, ac earum ſingulas, quomodocumque & quandocumque vacantes, ut præfertur, pleno jure ac eiſdem modo & forma, & auctoritate, quibus dicto Scipioni Cardinali reſervavimus, & conceſſimus, abſque alicujus præſentatione conferre, & de illis etiam providere ac diſponere, & proviſos in poſſeſſionem immittere, inducere, ponere, & defendere, liberè, & licitè poſſit, motu, & ex certa ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus itidem perpetuò reſervamus, concedimus, & aſſignamus.

*Nova reſervatio Juriſpatronatus ad abundantiorẽ cautelam.*

§. 55. Præterea pro potiori Scipionis Cardinalis, & Marci Antonii aliorumque ad juſpatronatus, necnon præſentandi, & reſpectivè deputandi, eligendi, & nominandi, aliorumque prædictorum reſervationem, & conceſſionem per nos factam quomodolibet vocatorum, cautela & ſecuritate, & ſine aliarum donationum, & gratiarum quarumcumque illis, tam in præmiſſis quàm alias quandocumque & quomodocumque factarum aliquo præjudicio, quas præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis haberi, ac quas in omnibus iis quæ præſenti noſtræ diſpoſitioni contraria non ſunt, ſemper ſalvas, validas, & firmas eſſe, & remanere, & ſi quid in aliqua, ſeu aliquibus ipſarum deficeret, per aliam ſeu alias ſuppleri, & juvari poſſe & debere, volumus atque decernimus, dictam Capellam cum Altaribus, ſtatuis, picturis, Sacriſtia, manſionibus, ædificiis illi annexis, commoditatibus, omnique illius ſtructura, & ornatu, ac impenſa, & impenſis, etiam notabiliſſimis, cujuſcumque ſummæ extiterint ſeu extent, tam hucuſque quomodolibet factis, quam in poſterum faciendis, necnon dotibus, proventibus, introitibus, redditibus, juribus, & emolumentis, ac univerſa ſupellectili, jocalibus, & rebus, tam hactenus quomodolibet datis, donatis, unitis, & aſſignatis, applicatis, & conceſſis, quàm in poſterum à nobis dandis, donandis, uniendis, aſſignandis, applicandis, & concedendis, necnon melioramentis, & augmentis, etiam tam hactenus factis quam faciendis quibuſcumque, illorumque pretium, valorem, & æſtimationem, ac omnes, & ſingulas pecuniarum ſummas, qualitates, & quantitates, à nobis ſeu de mandato noſtro hactenus erogatas, & erogandas in futurum quaſcumque, etiam notabiles, & notabiliſſimas.

*Donatio omnium expenſarum factarum, & faciẽdarum, ac ceſſio juriũ Cameræ ſuper illis competentium.*

§. 56. Item omnia & ſingula, quæcumque jura, & actiones Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis quibuſcumque, ſeu præmiſſorum cauſa & occaſione, ex quovis jure, cauſa, & occaſione, capite vel prætextu, ingenio vel quæſito colore, etiam in corpore juris clauſis, ac tam deductis quam deducendis, cogitatiſque & incogitatis, & quæ deduci, & excogitati quomodolibet poſſent, & de quibus in præſentibus mentionem fieri oportet ſpecialem, aut aliàs quomodolibet, quomodocumque, & qualitercumque competentia, & competentes, ac competitura, & competituras, ac quæ competere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum dictis Scipioni Cardinali, ac Marco Antonio, & *alias ut ſupra*, ad Juſpatronatus, & præſentandi, ac reſpectivè deputandi, *eligendi*, & *nominandi* quomodolibet, vocatis quibuſcumque, modo, & forma ac ordine ſupradictis, qui hic ad verbum pro repetitis habeantur, & *cenſeantur*, perpetuo ac donatione libera, & irrevocabili, quæ fit, & *fieri dicitur inter vivos* pe[illegible] donamus, damus, cedimus, conce[illegible]mur, ac eos omnes, & ſingulos, in noſtrum [illegible] noſtrorum Romanorum Pontificum, ac Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ jus, *locum*, *privilegiumque univerſum* quoad prædicta ponimus, ſubſtituimus, & ſubro[illegible]us in verbo Rom. Pont. motu, ſcientia & poteſtate ſimilibus, atteſtantes atque aſſerentes, hanc tam ab initio *ipſius* Capellæ fundationis, & conſtructionis, quàm antea, & poſtea, ac ſemper fuiſſe & eſſe noſtram mentem, & intentionem, & indubitatam voluntatem, ut omnia, & quæcumque in dictæ Capellæ, & novæ Sacriſtiæ dictæ Baſilicæ fundatione, ac conſtructione, & ornatu de noſtris pecuniis exponenda, ac etiam aliunde applicanda cederet ac cedere deberet in acquiſitionem & reſervationem Juriſpatronatus, ac præſentandi, & deputandi, necnon eligendi, & nominandi pro Scipione Cardinale ac Marco Antonio, aliiſque prædicto ordine vocatis, ita ut eiſdem ex vera, & reali fundatione, & conſtructione ac perpetua dotatione Juriſpatronatus, & præſentandi ac deputandi, eligendi, & nominandi, perpetuò acquiſitum foret, & eſſe deberet.

*Decernit Juſpatronatus, & præſentandi eſſe vera, & n[...] fundatione, conſtructione & dona[...] Nobilium, Illuſtrium, Principum, ad inſtar Regum.*

§. 57. Decernentes Juſpatronatus, & præſentandi, deputandique & eligendi, & nominandi hujuſmodi, laicorum, Nobilium, & Illuſtrium, ac Principum, ac in omnibus, & per omnia ad inſtar Regum verè exiſtere, ac Scipioni Cardinali, Marcò Antonio, & aliis futuris Patronis prædictis, non ex privilegio, ſed ex veris primæva, reali, actuali, plena, integra, & omnimoda fundatione, & perpetua dotatione, ac etiam ratione ædificationis, ac totalis, & integræ à primis fundamentis, originaliſque & perpetuæ conſtructionis, tam Capellæ quàm Sacriſtiæ prædictarum competere, & ad illos pertinere, & propterea verè Juſpatronatus, præſentandi, deputandi, eligendi, & nominandi Laicorum ſeu laicale, Nobilium, & Illuſtrium, ac Principum, & ad inſtar Regum eſſe decernimus, declaramus atque pronunciamus.

*Juſpatronatus non [...]re ſub qua[...]que revoca[...]ne & derog[...]tione, ne[...] etiam ra[...] vacation[...] apud Sed[...] permutatio[...]nis, devolu[...]nis latu[...] ex quacu[...] alia cauſ[...] poſſe derog[...] etiam de [...]tronorum [...] ſenſu.*

§. 58. Illudque veram, & propriam ac non fictam naturam Juriſpatronatus, præſentandi, deputandi, & nominandi laicalis, ac talem ſubſtantiam, eſſentiam, qualitatem, validitatem & roboris firmitatem, vimque, & effectum habere, & obtinere, ac Scipioni Cardinali, Marco Antonio, & aliis futuris Patronis prædictis, & eorum cuilibet perpetuò ſuffragari debere, in omnibus, & per omnia abſque ulla prorſus differentia, ac ut tale ſub quacumque derogatione, etiam cum quibuſvis prægraviſſimis, & efficaciſſimis verbis, clauſulis, ac etiam irritantibus, & aliis fortioribus decretis, etiam cum clauſula, Quorum tenores, in quacumque diſpoſitione, etiam per viam conſtitutionis, legis, regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, etiam per Nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pont. etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter pro tempore, etiam in aſſumptionis craſtinum ad ſummi Apoſtolatus apicem quorumcumque Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum, aut alias quomodocumque factis, conceſſis, & emanatis comprehendi, nec illi ullo unquam tempore, etiam ratione cujuſvis litis pendentiæ, vel vacationis Prioratus, & Capellaniarum hujuſmodi apud Sedem prædictam, etiam ex cauſa permutationis vel devolutionis, ſeu alio quocumque prætextu, & ex quacumque cauſa quantumvis urgenti, & legitima, per Nos ſeu quoſcumque alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros pro tempore exiſtentes, vel Sedem prædictam, aut illius etiam de latere Legatos, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu cujuſvis intuitu, & contemplatione per quaſcumque literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores & inſolias clauſulas, necnon irritantia, & alia contraria decreta quæcumque, etiam toto, & integro

præſentium

præſentium tenore inſerto, ac de Patronorum ſeu cuiuſvis alterius conſenſu, aut aliàs quomodolibet derogari poſſe vel debere, aut derogatum cenſeri.

[illegible]ius & ap[illegible]nimus fa[illegible]nſa Prio[illegible] & Capel[illegible]rum non [illegible] alteri [illegible]ſa vel [illegible] applicari, [illegible] aliter diſ[illegible], contrariis [illegible]ſtantibus [illegible]cumque.

§. 59. Minuſque Archipreſbyteratum, Canonicatus & præbendas, Capellaniam, & beneficia in Eccleſia S. Laurentii, vt præfertur, ſuppreſſa, & extincta, ac dictæ Capellæ vt ſupra conſtructæ, in eaque Prioratui, & Capellaniis à Nobis erectis vnita, & applicata, ſeu eorum alicui vacatione, vt præfertur, aut aliàs quomodolibet occurrente, cuiquam conferri, nec aliter de illis, etiam in fauorem quarumvis perſonarum, vel etiam Eccleſiarum, Hoſpitalium, Capellarum, locorum piorum, aut in alios quoſvis, etiam magis pios, & priuilegiatos vſus, & quavis etiam vrgente, & vrgentiſſima cauſa, etiam de illa tunc obtinenda, ac Prioris, & Capellanorum prædictorum, & ſeu etiam Patronorum, aut Præpoſiti, Religioſorum, & totius Congregationis prædictorum, aut aliorum quorumvis conſenſu, etiam formaliter habito, & etiam præſentium facta mentione, & ad verbum inſertione, & derogatione, quomodocumque, & qualitercumque diſponi poſſe, neque debere. Ac omnes, & quaſcumque collationes, proviſiones, commendas, præſentationes inſtitutiones vel alias diſpoſitiones, tam de Archipreſbyteratu, Canonicatibus, præbendis, Capellania, & beneficiis prædictis, vt ſupra ſuppreſſis, & extinctis, quàm de Prioratu, & duodecim Capellaniis, etiam vt ſupra à nobis erectis, & inſtitutis, ſeu eorum aliqua, contra harum præſentium noſtrarum literarum formam, tenorem, & diſpoſitionem, ſub quibuſvis verborum expreſſionibus, & quomodolibet pro tempore faciendas, proceſſuſque deſuper habitos, ac omnes, & quaſcumque collationes, prouiſiones, commendas, præſentationes, inſtitutiones, vel alias diſpoſitiones de Prioratu & Capellaniis prædictis, vt præfertur, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem eamdem pro tempore vacantibus, quibuſvis perſonis, & etiam communitatibus, Collegiis, locis piis, Capellis, & alias quàm ad præſentationem Patronorum prædictorum, ſub quibuſvis verborum expreſſionibus pro tempore factas ſeu faciendas, proceſſuſque deſuper habitos ſeu habendos, ac inde pro tempore ſequenda quæcumque, nulla, & inualida, nulliuſque roboris vel momenti fore, & eſſe, ac pro nullis & infectis haberi & cenſeri, nec jus aut coloratum titulum poſſidendi cuiquam tribuere, vel per illa acquiri poſſe, ſuppreſſionem, extinctionem ac vnionem & applicationem prædictas, & reſpectiuè collationes, prouiſiones, & alias diſpoſitiones per Scipionem Cardinalem ac Protectorem ſeu Priorem reſpectiuè, vt ſupra. Necnon præſentationes per Patronos prædictos reſpectiuè pro tempore factas, ſubſecutaſque inſtitutiones validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque effectus ſortiri, ipſiſque prouiſis, præſentatis, & inſtitutis tale jus in re, vel ad rem acquiri, quale acquiritur præſentatis, & inſtitutis ad beneficia de vero & reali Iurepatronatus Laicorum Nobilium, & Illuſtrium, ratione primæuæ & integræ inſtitutionis, ac perpetuæ dotationis ex bonis mere laicalibus, & patrimonialibus dumtaxat exiſtentia. Necnon Archipreſbyteratum, Canonicatus, & præbendas, Capellaniam & beneficia prædicta, vt præfertur, ſuppreſſa, extincta ac vnita, & applicata, necnon reſpectiue, vt præfertur, erectos & inſtitutos Prioratum, & Capellanias, Sacriſtiam & Clericatus hujuſmodi, ſub quibuſcumque contrariis, vel ſimilibus, ſeu diſſimilibus, ſpecialibus vel generalibus reſervationibus, vnionibus, annexionibus, incorporationibus, ſuppreſſionibus, extinctionibus, diſſolutionibus, diſmembrationibus, applicationibus, etiam perpetuis vel temporalibus, expectatiuis, & aliis etiam præventivis gratiis, ac vniendi, & applicandi, necnon conferendi, providendi, & aliis facultatibus, conceſſionibus, literis, mandatis, etiam de providendo, ac indultis, & diſpoſitionibus quibuſcumque, illorum, & illarum reualidationibus quibuſvis perſonis, etiam prædictæ S.R.E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis ſuſpenſiuis, reſtrictiuis, ac etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, ac irritantibus, etiam vim contractus inducentibus, aut fortioribus, & arctioribus decretis, atque alias quomodolibet nunc, & pro tempore conceſſis, necnon quibuſvis clauſulis, & decretis quantumuis ampliſſimis, & prægraviſſimis, etiam cum clauſula, Quorum tenores, editis & edendis, nullatenus comprehenſa eſſe aut fore, minimeque comprehendi poſſe aut debere, ſed ſemper ab illis excepta, & excluſa eſſe, & cenſeri debere.

Clauſula, quod non poſſit dari de obreptione, vel [illegible] defectu.

§. 60. Ac omnia, & ſingula præmiſſa, necnon jam confectas literas, ac præſentes nullo vnquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod cauſæ propter quas præmiſſa facta ſunt coram Vrbis Vicario, aut Archipreſbytero dictæ Baſilicæ Sanctæ MARIÆ Majoris nunc, & pro tempore exiſtente, vel ejus Vicario hujuſmodi, aut quorumcumque locorum, vbi bona prædicta ſita ſunt, Ordinario, etiam tanquam Sedis prædictæ delegato, aut alibi, & coram quibuſvis examinatæ, verificatæ, & ab eis approbatæ, necnon Cardinales titulares Sancti Laurentii in Lucina, & Archipreſbyter Baſilicæ Sanctæ MARIÆ Majoris, qui fuerunt, & tunc ſunt, Capitulumque & Canonici ejuſdem Baſilicæ Sanctæ MARIÆ Majoris, necnon Prior & Capellani prædicti, ac Præpoſitus, Religioſi, Congregatioque Preſbyterorum, necnon Archipreſbyteratum, Canonicatus, præbendas, Capellaniam, & beneficia prædicta obtinentes, ac Guardiani, & Confratres Archiconfraternitatis Confalonis, & Confraternitatum Beatæ MARIÆ de Aracœli & Sancti Alberti, ac ceteri ſupradicti, & alii quicumque in præmiſſis quomodolibet jus ſeu intereſſe habentes vel habere prætendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, nec deſuper ſuum conſenſum præſtiterint, ſeu ex quavis alia cauſa vel quocumque prætextu, quæſito colore vel ingenio notari, impugnari, inualidari, retractari, & ad terminos juris reduci, ſeu in jus vel controuerſiam revocari, aut adverſus illa quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium impetrari poſſe, nec ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illa emanabunt, toties in priſtinum, & cum in quo antea erant ſtatum reſtituta, repoſita, & plenariè reintegrata, ac etiam de nouo ſub poſteriori data per Scipionem Cardinalem, & Protectorem, ac Patronos futuros prædictos quandocumque eligenda conceſſa, validaque & efficacia fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac perpetuò ſuffragari, præmiſſaque omnia, & ſingula, ac ſuper illis confectas literas prædictas, ac eaſdem præſentes, & in illis contenta quæcumque, etiamſi in illis, ſiue eorum aliquo de Sedis & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, necnon Cardinalium titularium Sancti Laurentii in Lucina, & Archipreſbyteri Baſilicæ Sanctæ MARIÆ Majoris, ac Capituli, Canonicorum, Capellanorum & Clericorum ejuſdem Baſilicæ, Prioriſque & Capellanorum prædictorum, necnon dictos Archipreſbyteratum, Canonicatus & præbendas, Capellaniam & beneficia ſuppreſſa prædicta obtinentium, ac Præpoſiti, Religioſorum, & Congregationis, necnon Archiconfraternitatis & Confraternitatum, aliorumque prædictorum, & aliorum quorumuis etiam ſpeciali nota dignorum, & quantumvis priuilegiatorum, & qualificatorum, etiam neceſſario exprimendorum damno, intereſſe ac præiudicio, & etiam quantumvis enormi & enormiſſima læſione ageretur, ſeu ſequeretur, aut ipſum intereſſe, damnum, præjudicium, ipſaque læſio eſſet ſervata, & ad illa, aut eorum aliqua prædicti & alii quicumque intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, auditi, citati vel vocati non fuiſſent, minuſque ſuppreſſionem, extinctionem, diſmembrationem, vnionem, applicationem, approbationem, donationes, conceſſiones, pecuniarum ſolutiones, aliaque prædicta, ac præſentes juxta Pii Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri de regiſtrandis gratiis editam conſtitutionem infra terminum in ea præfixum, ſeu vnquam in eadem Camera, vel alibi admiſſa, neque etiam juxta juris & quarumcumque Pontificalium conſtitutionum, ac etiam Statutorum Vrbis, & illorum reformationum formam inſinuata, notificata, & etiam in ejuſdem Cameræ libris, ſeu apud acta publica, vel alibi admiſſa, & regiſtrata non exiſtant, aut ex quibuſvis nullitatibus, aut dictæ conſtitutionis,

ſeu

ſeu noſtræ regulæ de non tollendo jure quæſito, & quibuſvis aliis noſtris, & etiam prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus, legibus, ſtatutis, reformationibus, decretis, & conſuetudinibus, etiam de directo & penitus contrariis, ſeu aliis quibuſvis obſtaculis, impedimentis, etiam præjudicialibus quibuſcumque, nullatenus, ſeu minus ſufficienter derogatum ſit, & quod in illis certæ formæ, certæque ſolemnitates etiam ex forma ipſarum literarum, ac donationum, conceſſionum, aliorumque præmiſſorum, aut alias de neceſſitate ſeruandæ, & quomodolibet requiſitæ, ſervatæ non ſint, nihilominus ſemper, & perpetuo valere, ac firmitatem & robur obtinere, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri debere volumus, & declaramus. Nos enim prædictos & alios quoſcumque, etiam quantumvis ſubſtantiales atque formales, & de neceſſitate exprimendos defectus, ſi qui in illis aut eorum aliquo vel circa illa quomodolibet interueniſſent, motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſupplemus, eoſdemque defectus ſanamus, tollimus, & abrogamus. Et nihilominus pro potiori ipſorum Scipionis Cardinalis, & Marci Antonii, aliorumque vocatorum, ac Prioris, Sacriſtæ, & Capellanorum prædictorum cautela, perinde ac ſi nunquam præcedentes literæ noſtræ quoad hæc à nobis emanaſſent, de nouo de per ſe, ac æquè principaliter, juxta præſentium formam, continentiam, & tenorem, omnia, & ſingula ſupradicta facimus, ſtatuimus, decernimus, declaramus, concedimus, damus, donamus, elargimur, ac vt ſupra volumus, diſponimus & ordinamus. Decernentes in omnibus, & ſingulis præmiſſis vtile per inutile non vitiari, ſed omnia rata, valida, & firma omnino per ſe, ſine aliqua dependentia ſeu correſpondentia, exiſtere debere.

*Decernitur præſentes literas non eſſe in Camera præſentandas nec regiſtrandas, nec ullibi eſſe in aliquo verificandas, & juſtificandas, nec illis contrariam probationem nocere.*

§. 61. Necnon dictum Scipionem Cardinalem, ac Marcum Antonium, & alios vocatos prædictos ſeu quoſvis alios ad prædictas literas, minuſque præſentes, & in illis ac præſentibus narrata, & contenta quæcumque, in Camera noſtra Apoſtolica præſentandum, & in ejus libris admitti, & regiſtrari faciendum, etiam juxta dictam Pii Quarti prædeceſſoris de regiſtrandis, minuſque illas vel illa in toto vel in aliqua illorum parte, in judicio vel extra, quavis cauſa, & occaſione exhibendum, probandum, juſtificandum ſeu verificandum vllo tempore teneri, aut ad id cogi vel compelli vllatenus poſſe ſeu debere, & etiam ſi eædemmet literæ non exhiberentur, & nunquam apparerent, nec apparere poſſent, nihilominus illas pro verificatis haberi debere, præſenteſque abſque aliarum literarum & ſcripturarum prædictarum exhibitione, & illarum, præſentiumque, ac in eis contentorum, etiam ſine vlla prorſus probatione, verificatione, & juſtificatione, nihilominus ad omnia, & ſingula legitimè, & ſufficienter in judicio, & extra probandum, verificandum, & juſtificandum omnino ſufficere, nec alterius probationis adminiculum requiri, immo quamcumque contrariam probationem illis minime obeſſe, ac omnia, & ſingula præmiſſa perpetuò valida, firma & efficacia fore, & eſſe, ac donationem, & conceſſionem, aliaque prædicta vim validi, & efficacis, ac initi & jurati contractus inter nos, & Sedem, Cameramque prædictas ex vna, & dictum Scipionem Cardinalem, ac Marcum Antonium, alioſque vocatos prædictos ex altera partibus, etiam titulo oneroſo habere, & obtinere, ipſiſque Scipioni Cardinali, & Marco Antonio, aliiſque vocatis prædictis pleniſſime in omnibus & per omnia ſuffragari, illoſque præmiſſorum effectu pacifice frui & gaudere debere. Noſque & Sedem, Cameramque prædictas, tam ad eorumdem promiſſorum plenariam obſervationem, quàm ad ipſius Scipionis Cardinalis, Marci Antonii, & aliorum vocatorum prædictorum in pacifica eorum poſſeſſione & vſu manutentionem perpetuò teneri, ac de omni & quacumque euictione obligatos eſſe, & fore decernimus & declaramus, provt in verbo Rom. Pontif. promittimus, ac nos & Cameram Apoſtolicam, illiuſque bona quæcumque nominatim, & in ſpecie pro eorumdem præmiſſorum obſervatione, etiam in caſu cujuſcumque euictionis dictorum jurium, tam de facto quàm de jure, ac quovis caſu, etiam inopinato, & inexcogitabili in ampliori forma Cameræ Apoſtolicæ, in ipſorum Scipionis Cardinalis, Marci Antonii, & aliorum vocatorum prædictorum favorem obligamus, & hypothecamus.

*Clauſula ſublata.*

§. 62. Sicque noſtræ mentis, intentionis, & incommutabilis voluntatis fuiſſe & eſſe atteſtamur, & ita in omnibus & ſingulis præmiſſis ab omnibus cenſeri, ac per prædictos Cardinales Vrbis Vicarios, ac d. Baſilicæ S. MARIÆ Majoris Archipreſbyteros, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarios, necnon Theſaurarios, Clericos, Præſidentes Cameræ noſtræ prædictæ, & quoſcumque Iudices ordinarios & extraordinarios, Commiſſarios, necnon Curiæ cauſarum ejuſdem Cameræ, & Palatii noſtri Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque & inane quicquid ſecus à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus, ſtatuimus, & mandamus.

*Derogatio conſtitutionum & aliorum contrariorum quorumcumque.*

§. 63. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, ac quibuſvis aliis noſtris litteris, & diſpoſitionibus, necnon ſimilis mem. Symmachi, Calliſti, Gregorii Noni & Decimitertii, Ioannis Vigeſimiprimi, Clementis Septimi, Innocentii Sexti & Septimi, Pauli Secundi, Tertii & Quarti, Julii etiam Tertii, Pii ſimiliter Quarti, & Quinti, ac Sixti pariter Quinti, & aliorum Romanorum Pont. prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ, & Cameræ prædictæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, ac dicta Pii Quarti etiam prædeceſſoris de regiſtrandis, necnon de jure quæſito non tollendo, & de non concedendis gratiis ad inſtar, & de vnionibus committendis ad partes vocatis quorū intereſt, ac de exprimendo vero valore, aliiſque noſtris & Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ regulis, necnon Lateranenſis Concilii nouiſſime celebrati, vniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, ac Bonifacii Papæ Octavi de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium vltra tres dietas ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dictarum Baſilicæ Sanctæ MARIÆ Majoris, & Eccleſiæ Sancti Laurentii, & aliarū Eccleſiarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis pro tempore exiſtentibus dictæ Baſilicæ Archipreſbytero, Capitulo, Canonicis, Beneficiatis, Clericis & Capellanis, necnon Preſbytero Cardinali, ſub cujus titulo dicta Eccleſia Sancti Laurentii exiſtit, necnon Camerario, Theſaurario, Auditoribus, Clericis, aliiſque Magiſtratibus, Officialibus, & Iudicibus prædictis, ac etiam dilectis filiis Populo Romano contra forenſes & alienigenas, necnon Archiconfraternitati, Confraternitatibus, Præpoſito, Religioſis & Congregationi Preſbyterorū, illorumque Superioribus, necnon Capellæ, aliiſque prædictis omnibus, & ſingulis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, etiam motu pari, & conſiſtorialiter, etiam in fundatione & primæua inſtitutione, ſeu alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, etiamſi in eis caueatur, quod Capellaniæ, Prioratus, & alia beneficia prædictæ Vrbis nullis niſi ciuibus Romanis, aut ciuium Romanorum originariorū filiis, & forſan aliis certo inibi expreſſo modo qualificatis conferri poſſint, aut alias de illis etiam per Sedem prædictam pro tempore factæ proviſiones, & aliæ diſpoſitiones nullæ ſint, quibus, omnibuſque aliis, quæ præſentibus quomodolibet obeſſe poſſent, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi etiam veriores, totoſque & integros etiam præſentibus pro expreſſis, inſertis, ac de verbo ad verbum regiſtratis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præſentium, & validitatis omnium, & ſingulorum præmiſſorum hac vice dumtaxat harum ſerie, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſpecialiter, & expreſ-

ſe

sè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.46. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, ſupplementi, ſanationum, abrogationum, declarationum, correctionis, mutationis, addictionis, diſpoſitionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionum, aſſignationum, applicationum, appropriationum, declarationum, ſtatutorum, ordinationum, mandatorum, commutationis, exemptionum, liberationum, decretorum, inhibitionum, dimiſſionis, relaxationis, juſſionis, indultorum, requiſitionis, conſtitutionis, deputationis, reſervationum, donationis, ceſſionis, elargitionum, poſitionis, ſubſtitutionis, ſubrogationis, pronunciationis, ſublationis, promiſſionis, atteſtationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eJus ſe noverit incurſurum.

*P. An. 11. 18. Oct.* Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1615. 5. Kal. Novembris, Pontif. Noſtri Anno 11.

---

## XXXVII. Inſtitutio Confraternitatis utriuſque ſexu Chriſti fidelium in Alma Urbe, ſub invocatione SS. Benedicti, & Scholaſticæ de Nurſia cum indulgentiarum elargitione, & quotannis unum ex capitali pœna damnatis liberandi facultate.

Iſtam Confraternitatem in Archiconfraternitatem erexit, cum facultate alias Confraternitates aggregandi Greg. XV. in conſt. 43. Pias Chriſti fidelium, inf. tom. 4.

*An. D. 1615.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

PAſtoris æterni, qui pro gregis ſalute in ara Crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia Chriſti fidelium vota quæ ad divini cultus augmentum, & ipſorum fidelium ſalutem ſpectant, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eoſdemque fideles ad religioſa opera exercenda indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus invitamus, ut per operum hujuſmodi exercitium, ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

§.1. Cum itaque ſicut dilecti filii Laërtius Cherubinus I.V.D. in Romana Curia Advocatus, ac Benedictus Paſſerinus etiam I.V.D. necnon Sebaſtianus Maſſaronus, Olympius Ciſtarellus, & Franciſcus etiam Paſſerinus nobis nuper exponi fecerunt, ipſi & alii qui à Terra noſtra Nurſiæ, & locis adjacentibus Spoletan. Diœceſis originem ducunt, peculiari devotione ducti erga S. Benedictum clariſſimum Nurſiæ lumen & decus, & ut ſaluti ſuæ magis conſulant, alioſque Chriſti fideles ad ejuſdem devotionis ſtudium accendant, in Eccleſia S. Euſtachii de Urbe, unam utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitatem, ſub invocatione ejuſdem S. Benedicti, & S. Scholaſticæ, ad Dei gloriam, animarumque ſuarum ſalutem, per nos erigi ſummoperè deſiderent.

§.2. Nos piis dictorum Laërtii ac Benedicti, Sebaſtiani, Olympii, & Franciſci, ac aliorum prædictorum deſideriis hujuſmodi annuere, animarumque ſaluti paterna charitate proſpicere cupientes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, in prædicta Eccleſia S. Euſtachii unam utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitatem, quæ non ſit pro hominibus unius ſpecialis artis, ſub invocatione prædicta, ſine alicujus præjudicio, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

§.3. Necnon Confratribus dictæ Confraternitatis pro tempore exiſtentibus, ut proceſſionaliter incedere, divina officia in ſuo Oratorio recitare, & pro ipſius Confraternitatis negotiis ſe congregare, ac quæcumque ſtatuta, capitula, ordinationes & decreta pro ſalubri eorum & dictæ Confraternitatis regimine, & directione neceſſaria & opportuna (licita tamen & honeſta, ſacriſque Canonibus & Conc. Trid. decretis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria) per dilectum filium noſtrum in Alma Urbe Vicarium in ſpiritualibus generalem examinanda, & approbanda facere, & edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, prævia ſimili examinatione, & approbatione, mutare, alterare, corrigere & in melius reformare.

§.4. Ac inſuper omnia & ſingula legata, relicta, res & bona quomodolibet qualificata, mobilia, & immobilia, per quoſcumque Chriſti fideles dictæ Confraternitati per viam teſtamenti, donationis aut aliàs quomodolibet pro tempore elargita, & relicta recipere, illaque per eorum officiales & deputatos regere, gubernare & adminiſtrare, ac in ipſius Confraternitatis, & ejus piorum operum uſus convertere, ita tamen ut de receptis & adminiſtratis per eos eidem Vicario juxta decreta Concilii Tridentini rationem reddere teneantur. *Et quæcumque eidem Cōfraternitati bona quoquo modo acquiſita regendi, & in illius pios uſus convertendi. Hoc habet in cap. 9 ſeſſ. 22. de reform.*

§.5. Præterea ſingulis annis unum reum quem petierint, & à dilecto filio moderno & pro tempore exiſtenti dictæ Urbis Gubernatore obtinuerint, capitali pœna (præterquam ob crimen hæreſis, læſæ Majeſtatis, falſificationis monetæ aut literarum Apoſtolicarum, aſſaſſinii, aut ſacrilegii, necnon homicidii deliberati, aut extractionis frumentorum vel aliarum frugum, & rerum contra Apoſtolicas conſtitutiones extra Statum Eccleſiæ) damnatum liberare, dummodo tamen pacem ab offenſis vel eorum hæredibus habuerit, liberè & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea eidem nunc & pro tempore exiſtenti dictæ Urbis Gubernatori, ut ſingulis annis in perpetuum dictis Confratribus unum ex capitali pœna damnatis, liberum dimittat & concedat, ipſumque per eoſdem Confratres pro tempore liberatum, ab omni pœna capitali eo ipſo abſolutum, cumque ad patriam, famam, gradus, honores & bona quæcumque (præterquam Fiſco incorporata) plenariè reſtitutum, & reintegratum, nec illum ſuper præteritis delictis & exceſſibus ulterius moleſtari vel perturbari poſſe decernimus, & declaramus. *Indulinam etiam quotannis unum capitaliter condemnatum liberandi concedit.*

§.6. Poſtremò ut dicta Confraternitas majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam. *Indulgentias quoque infraſcriptas elargitur, videlicet Confraternitatē ingredientibus, die prima ingreſſus Plenariā.*

§.7. Necnon tam ipſis quàm pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus & Conſororibus, in cujuſlibet eorum mortis articulo, ſi verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem verè contriti nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin autem corde devotè invocaverint, etiam plenariam. *Ac in articulo mortis, etiā Plenariam.*

§.8. Ac eiſdem nunc & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Conſororibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam vel Capellam ſeu Oratorium in die feſto eorumdem SS. Benedicti & Scholaſticæ, à primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. *Et pariter viſitantibus illius Eccleſiā vel Oratoriū, in diebus feſtis S. Benedicti, & etiam Scholaſticæ.*

§.9. Inſuper dictis Confratribus, & Conſororibus etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prædictam Eccleſiam vel Capellam ſeu Oratorium in Nativitatis, ac ſecundo Paſchatis Reſurrectionis D.N. Jeſu Chriſti, necnon Nativitatis & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis feſtis diebus, à primis ſimiliter Veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi, ut præfertur, oraverint, quo die prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. *Indulgentiam annorū ſeptē & totidem quadragenarum concedit eiſdem Confratribus pia quædā opera facientibus.*

§.10. Quoties verò Miſſis, & aliis divinis officiis in dicta Eccleſia vel Capella ſeu Oratorio pro tempore celebrandis & recitandis, ſeu Congregationibus publicis vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis *Indulgenti. in quoque ſexaginta dierum alia quædam pia opera exercentibus impartitur.*

interfuerint,aut pauperes hoſpitio ſuſceperint,vel pacem inter inimicos compoſuerint ſeu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam qui corpora Defunctorum, tam Confratrum , & Conſororum dictæ Confraternitatis quàm aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcumque proceſſiones de licentia Vicarii prædicti faciendas , ſanctiſſimumque Euchariſtiæ ſacramentum , tam in proceſſionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicumque , & quomodocumque pro tempore defertur , comitati fuerint, aut ſi impediti , campanæ ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam , & Salutationem Angelicam dixerint,aut etiam quinquies Orationem & Salutationem prædictas pro animabus Defunctorum Confratrum & Conſororum dictæ Confraternitatis recitaverint,aut peccatorem aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei , & ea quæ ad ſalutem ſunt docuerint , aut quodcumque pietatis vel charitatis opus exercuerint,toties pro quolibet prædictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

*Indulgentiarum conceſſionem revocat, ſi hæc Confraternitas alteri Archiconfraternitati uniatur,vel aliàs inſtituatur.*

§.11.Volumus autem quod ſi prædicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregetur , vel alia quavis ratione uniatur, ſeu etiam quomodolibet inſtituatur, præſentes & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ illis nullatenus quoad indulgentias, & remiſſiones præfatas ſuffragentur,ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullæ ſint.

*Dat. P.A.11. die 9.Nov.*

Dat.Romæ apud S.Mariam Minorem, ſub annulo Piſcatoris,die 9.Novembris 1615.Pontif. noſtri Anno 11.

---

LXXXVIII. Confirmatio , & declaratio conſtitutionis Sixti V.ſuper pœnis,& confiſcationibus Status Eccleſiaſtici,illarumque ſolutione Cameræ Apoſtolicæ debita.Et forma de cætero in illis perpetuò ſervanda.

*Hæc Sixti V. conſtitutio habetur ſuprà lib.2. Ad Romanum, ejuſque confirmatio à Clemente VIII. promulgata legitur hic ſup. Inter cæteras.*

*Edita An.D. 1615.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

IN ſuprema B.Petri Sede ( meritis licèt imparibus ) à Domino conſtituti,muneris noſtri eſſe cernimus,ut inter paſtorales curas Populorum noſtræ , & S.R.E. ditioni in temporalibus ſubjectorum rectò regimini noſtram ſollicitudinem impendamus , ac etiam provideamus , ut juribus Cameræ noſtræ Apoſtolicæ conſulatur, ne ex iis qui irrepere ſolent abuſibus,ipſa Camera Apoſtolica aliquod patiatur detrimentum,& quæ propterea ſedula meditatione à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ſalubriter conſtituta & ordinata fuiſſe comperimus, quò inviolabilius obſerventur, confirmemus, & innovemus,noſtræque auctoritatis munimine roboremus , aliaque diſponamus , quæ in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Sixtus V.edidit bullam de qua in rubr.*

§.1.Alias ſiquidem accepto per fel.rec.Sixtum Papam V. prædeceſſorem noſtrum,quod, &c.

Omittitur tenor hujus bullæ , quia eam habes ſuprà lib.2.

*Clemens VIII. citatus in rubrica illam confirmavit.*

§.2. Quæ quidem conſtitutio poſtmodum per recol. mem. Clementem Papam VIII. etiam prædeceſſorem noſtrum , per ſuam Motus proprii cedulam ſub die 22. menſis Aprilis anni Domini 1592. publicatam , & affixam confirmata fuit.

*Hic Pont. illius obſervātiam diſtrictè præcipit.*

§.3. Cum autem , ſicut accepimus, ſucceſſu temporis, ut humana fert conditio, Conſtitutiones & Motus proprius hujuſmodi,culpa etiam eorum qui in eodem Statu noſtro temporali juriſdictionem exercent,per eoſdem ac forſan graviores abuſus eludantur, pœnæque,mulctæ, & confiſcationes dictæ Cameræ debitæ ſimiliter intervertantur, & alia incommoda forſan etiam cum delictorum impunitate naſcantur. Nos his malis opportuna remedia adhibere , eaque de medio tollere , ac dictæ Cameræ noſtræ indemnitati conſulere cupientes , Motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia,meraque deliberatione noſtris Conſtitutionem prædictam , omniaque & ſingula in ea contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus,approbamus & innovamus,eamque inviolabilis firmitatis robur obtinere , & inviolabiliter obſervari perpetuis futuris temporibus debere conſtituimus,& ordinamus.Et nihilominus dilectis filiis noſtris,& Apoſtolicæ Sedis in Provinciis ejuſdem Status noſtri de Latere Legatis tenore præſentium injungimus,eorumque Vicelegatis,Præſidibus,Rectoribus,Gubernatoribus, Locatenentibus, Prætoribus, Vicariis, Notariis,Cancellariis & Scribis, aliiſque Officialibus,ac omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat & pro tempore ſpectabit , præcipimus , & mandamus, ut eandem Conſtitutionem inviolabiliter, & ad unguem,ſub pœnis in ea contentis,& aliis infraſcriptis obſervent,exequantur,& adimpleant.

*Officiales teneri declarat in ingreſſu Officii cum juramento promittere obſervantiam bullæ Sixti V. & iſtius conſtitutionis , abſque conſenſu Theſaurariorum ſupplicationes &c. non recipere , nec ſignare.*

§.4.Præterea motu,ſcientia,deliberatione & auctoritate paribus decernimus , & ordinamus , quod Vicelegati, Præſides,Rectores,Notarii, Cancellarii, cæterique Officiales prædicti nunc & pro tempore exiſtentes, cum primùm ſe ad eorum officia exercenda contulerint, teneantur expreſsè jurare , & juramento deſuper præſtando declarare ſe Sixti prædeceſſoris,ac præſentem Conſtitutionem noſtram in omnibus , & per omnia ſub pœnis in ea & noſtra reſpectivè contentis & expreſſis inviolabiliter, & ad unguem obſervaturos,nec illis ſub quovis prætextu , quæſito colore , cauſa vel ingenio contraventuros, quodque nec ipſi, minuſque pro tempore exiſtentes noſtri , & dictæ Sedis Legati , ullo prætextu , titulo , jure, cauſa,& forma ſupplicationes hujuſmodi ipſis vel eorum alicui pro tempore porrigendas , dandas vel mittendas taxare, & ſubſcribere, compoſitioneſque facere, decretaque quovis modo gratiam ſeu remiſſionem pœnæ ſeu delicti directè vel indirectè concernentia interponere, eaſque & illas regiſtrare,& in acta referre,proceſſuſque tam per viam ſupplicationum decretorum hujuſmodi, quàm gratiæ, compoſitionis ſeu tranſactionis vel remiſſionis, & ſimilium caſſare & abolere non poſſint,neque valeant, niſi prius Theſaurarii aut jurium ac proventuum dictæ Cameræ conductores , vel pœnarum Depoſitarii , & ſeu eorum ſubſtituti , juxta diſpoſitionem , tenorem & formam inſtrumentorum Cameralium cum eis celebratorum expreſsè ſupplicationibus,decretis,gratiis,compoſitionibus,tranſactionibus,& aliarum pœnarum remiſſionibus, abolitionibus , & ſimilibus decretis deſuper faciendis conſenſerint, illorumque conſenſum ante aliquam aliam ſubſcriptionem in calce dictarum ſupplicationum,& ſeu decretorum vel abolitionum, aut etiam ad partes , etiam propria eorum manu ſubſcriptum præſtiterint.

*Aliterque receptas gratias & ſupplicationes irritas declarat.*

§.5. Alioquin compoſitiones,decreta,abolitiones, regiſtrationes,caſſationes,& alia quæcumque contra præſentium noſtrarum, dictorumque inſtrumentorum Cameralium,& capitulorum in eis appoſitorum formam, continentiam & tenorem deſuper facienda,& demandanda,nulla & irrita, nulliuſque roboris , & momenti ſint , & eſſe cenſeantur,prout ex nunc illa motu, ſcientia & poteſtate paribus caſſamus, revocamus, & annullamus,viribuſque & effectu evacuamus,ac delinquentibus & condemnatis, & aliis quibuſcumque in proceſſibus,aliiſque actis deſuper pro tempore faciendis,vocatis & comprehenſis,& ſeu alias intereſſe quomodolibet habentibus, nullatenus decernimus prodeſſe,quinimò contra eos pro pœnis incurſis,& ſeu in ſententiis contra ipſos latis ac promulgatis, & in progreſſu temporis ferendis, & promulgandis contentis procedi poſſit,& valeat, non ſecus ac ſi compoſitiones,abolitiones,decreta, ſupplicationes & alia prædicta minimè emanaſſent,& ſeu facta fuiſſent.

*Officialibus contravenientibus pœnas infligit.*

§.6.Et nihilominus Vicelegati,Præſides,Rectores,Notarii, Cancellarii, cæterique Officiales omnes, qui ſecus fecerint,indignationis noſtræ, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis, privationis officiorum , ac mille ducatorum auri,ac alias etiam graviores arbitrio noſtro,& ejuſdem Romani Pontificis pœnas incurriſſe & incidiſſe intelligantur , & ad illorum ſolutionem cogi omninò poſſint ac debeant.

*Compendii hujus conſtitutionis ...*

§.7. Cæterum ut præſentes perpetuis futuris temporibus obſerventur , neve aliqui earum ignorantiam

prætendere

prætendere, allegare aut ſe excuſare poſſit: Volumus, decernimus & mandamus, quod earundem præſentiũ tranſumptis, & ut melius intelligantur ipſarum compendia ſive ſummaria, vulgari ſermone conſcripta, & annotata in ſingulis Civitatibus, Terris, Oppidis, Caſtellis, Villis, & Burgis Status noſtri prædicti affigantur, & publicentur, ac tam præſentium quàm ſummarii tranſumpta in Cancellariis criminalibus, & in locis reſidentiæ Gubernatorum, & Officialiũ affixa perpetuo ſub pœna ſcutorum ducentorum dictæ Cameræ applicandorum conſerventur.

§. 8. In novorum autem Legatorum prædictorum à nobis, & ſucceſſoribus noſtris pro tempore eligendorum & deputandorum deputationibus, ac literis deſuper in quacumque forma quandocumque expediendis, apponi & exprimi omnino debere volumus & mandamus, quod Legati prædicti eandem Sixti prædeceſſoris, necnon præſentem noſtram hujuſmodi conſtitutionem obſervare, implere, & exequutioni demandare omnino teneantur, & debeant, alias quæcumque per eos contra illius tenorem facienda, & mandanda, nulla, & invalida ſint eo ipſo, prout ex nunc nulla eſſe itidem decernimus.

§. 9. In diſceſſu verò, ſeu ſyndicatu dictorum Vicelegatorum, Gubernatorum, Prætorum, & aliorum Officialium quomodolibet pro tempore pariter deputandorum & eligendorum, cetera omnia per dictum Sixtum prædeceſſorem ut ſupra ordinata à Fiſci Procuratoribus ſeu Depoſitariis ac ſubſtitutis, & locorum Syndicis, ſub quingentorum aureorum, ut præfertur, applicandorum, & aliis pœnis prædictis obſervari, & exequutioni ſimiliter demandari debeant.

§. 10. Et ita in præmiſſis omnibus & ſingulis, & quolibet eorum, per Legatos, Vicelegatos, Præſides, Gubernatores & Locatenentes, Prætores, Vicarios & alios Officiales antedictos, omnes, & ſingulos, nunc & pro tempore exiſtentes, & quemlibet eorum, necnon omnes alios Judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obſtantibus omnibus illis, quæ dictus Sixtus prædeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 12. Volumus inſuper quod earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S.Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Decembris 1615. Pont. noſtri anno 11.

*Die 22. menſis Decembris 1615. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilica S.Petri, Cancellaria ac Camera Apoſtolica, & in acie campi Flora, ut moris eſt, per me Ambroſium Paulinum Sanctiſſ. Domini Noſtri Papæ Curſ.*

*Auguſtinus Braccherius Mag. Curſ.*

XXXIX. De Abbatiarum, Prioratuum, aliarumque domorum Congregationis Monachorum B. Mariæ montis Virginis Ordinis S.Benedicti erectione, Abbatumque, & Priorum, ac aliorum eis præficiendorum electione: Vocalium in Capitulis præfinitione, Novitiorumque, Converſorum, & aliorum habitu, atque regimine.

Alia de hac Congregatione Pontificia reſcripta indicavi ſuprà in conſt. 3. Cæleſtini III. & in conſt. 85. Sixti V. Dudum, lib. 2.

*PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

POſtulat ratio paſtoralis officii, Nobis licet imparibus meritis Divina providentia commiſſi, ut Congregationum ad Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem inſtitutarum conſervationi intendentes, illa ſtatuamus, & decernamus, per quæ non ſolùm ipſæ Congregationes conſervari, verùm etiam incrementum ſuſcipere valeant.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, alias dilectus filius Joannes de Leonardis Clericus Regularis Congregationis Lucentis, ad reſtituendam, & augendam regularem diſciplinam Monachorum ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, à fel. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro delegatus, decretis Concilii Tridentini inhærens, & in vim facultatum ſibi à dicto Clemente prædeceſſore attributarum, ne major eſſet Monachorum numerus quàm ejuſdem Congregationis redditibus ali poſſet, quædam Monaſteria Ordinis, & Congregationis prædictorum perpetuo retinenda, alia per modum proviſionis, & ad certum tempus, reliqua ſupprimenda decreverit, experientia verò compertum ſit in exequutione decretorum ipſius Joannis difficultates, & incommoda, ac detrimenta varia circa Eccleſiaſticum cultum, redditum, & Monaſteriorum conſervationem, & manutentionem naſci, & proinde dictus Clemens prædeceſſor multa ex illis ſuſtulerit, & immutaverit, multaque alia pro conſervatione, & augmento Ordinis, & Congregationis prædictorum veniant abroganda.

*Quia decreta delegato Ap. edita circa monaſteria Congregationis retinenda & reſpectivè dimittenda, exequi minimè opportunum fuit.*

§. 2. Idcirco Nos dictorum decretorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus pro expreſſis habentes, matura deliberatione deſuper habita, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod Monaſteria quibus tota Congregatio Montis Virginis conſtare debet, infraſcripta vigintiquatuor ſint, & in eiſdem infraſcriptus Monachorum numerus ali debeat, qui neque minui, neque augeri, niſi quatenus augeatur dictorum Monaſteriorum redditus, poſſit.

*Hic Pontifex decernit quod Monaſteria 24. ſint, cum certo Monachorum numero.*

§. 3. Videlicet Monaſterium Montis Virginis de Monte, in quo ſint Monachi centum, computatis omnibus, tam Profeſſis quam Oblatis, & famulis, ita tamen ut dimidia ſaltem pars ſint Sacerdotes. Monaſterium S. Mariæ Montis Virginis de Neapoli, in quo ſint ſexdecim: Et Monaſterium Caſæ Maricanæ, in quo quatuordecim, comprehenſis Profeſſis, Oblatis, & famulis, ut ſupra dictum eſt. Monaſterium Sanctæ Mariæ Virginis de Capua: Sanctæ Mariæ de Gratia Terræ Pintæ: Sanctæ Mariæ Montis Virginis Terræ Candidæ: Sanctæ Mariæ de Gratia Mariliani: S. Mariæ Virginis de Averſa: & S. Agathæ Urbis Romæ: S. Salvatoris de Guleto: S. Agathæ de Apulia: Sanctæ Mariæ Lauretanæ montis Falconis: Sancti Joannis de Argento, in quibus ſingulis ſint Monachi duodecim, omnibus ſupradictis computatis. Prædicta verò Monaſteria gubernentur ſub titulo Abbatis, iiſque non præficiantur niſi Monachi ſpectatæ virtutis & diſciplinæ.

*Quorum Monaſteriorum [illegible] majora regantur ſingula per Abbates [illegible] profitendos.*

§. 4. Monaſteria S. Honufrii Terræ Abbedinæ: Sanctæ Crucis Terræ Palmæ: S. Joannis de Sarno: S. Jacobi in Terra Lauri: S. Benedicti de Ariano: S. Joannis Baptiſtæ de Caſtello: S. Joannis Baptiſtæ Nuceriæ: S. Jacobi de Benevento: S. Mariæ de Gratia de Carviſcara: Sanctiſſimi Corporis Chriſti Montis Aurei: S. Jacobi Terræ S. Angeli de Scala, in quibus ſint Monachi ſex pro quolibet Monaſterio, neque plures, neque pauciores, computatis omnibus ſupradictis; & Monaſteria prædicta gubernentur ſub titulo Prioris.

*Alia verò monaſteria [illegible] regantur per Priores [illegible] eligendos.*

§. 5. Qui quidem Priores, Abbatibus decedentibus, per gradus præficiantur Monaſteriis majoribus ſupradictis, prout eorum virtutum merita, & adminiſtrationis ratio poſtulare videbuntur.

*Qui Priores juxta eorum merita ſufficiantur [illegible] decedentibus Abbatibus.*

§. 6. Ex numero verò dictorum undecim Priorum, qui erunt ad nutum amovibiles, tres eligantur per vota ſecreta ipſorum tantùm undecim Priorum, fabis albis & nigris in pyxidem conjiciendis, & qui plura vota tulerint, ii vocem electivam in ea in Capitulo habeant: ea verò electio celebretur coram Abbate Generali, & duobus Definitoribus, vel ſaltem uno, ſi alter aliquo impedimento intercedente adeſſe non poterit.

*Et eorum tres coram Abbate & Definitoribus ab ipſiſmet 11. Prioribus eligendi vocem electivam habeant in Capitulo.*

§. 7. Decanus verò, Definitores, ſeu Viſitatores, Procurator Generalis in Urbe pro tempore exiſtens, necnon ſupradicti omnes Abbates, & Magiſter Novitiorum,

*Abbates vocem habeant in Capitulis, & in electione Abbatis Generalis ac Definitorum.*

qui tantum eſt ad præſens, & Vicarius ſimiliter ad præſens exiſtens Presbyterorum Montis Virginis, qui declaretur Abbas, & deinceps eligetur ex ſupradicto numero Abbatum, ſemper vocem habeant activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, & in electione Abbatis Generalis & Definitorum.

*Abbates prædicti gaudeant privilegiis Abbatum Ordinis Camaldulenſis.*

§.8. Omneſque Abbates ſupradicti gaudeant, & gaudere debeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentiis quibus gaudent Abbates Camaldulenſes quocumque jure.

*Monachi majores an. 60. qui Abbates aut locis prædictis per an. 10. præfuerint vocem habeant, ſi Capitulum velit.*

§.9. Monachi quoque ſenes, & ſexaginta annis majores, cum fuerint Abbates ad minus decem annis, & ſeu per dictum temporis ſpatium iis locis præfuerint, qui nunc Abbatiæ appellantur, licet velint cedere officio quod obtinent, habeant pariter vocem activam & paſſivam in omnibus Capitulis & electionibus, ſi tamen ad id conſenſerit Capitulum Generale, & non alias.

*In aliis 19. Monaſteriis quæ prædictis unita ſunt, collocetur unus Monachus cum Converſo vel Oblato, Sacerdos ann. 40. major, & hi cenſeantur de familia Monaſterii, cui illud in quo degunt Monaſterium unitum erit.*

§.10. In aliis Monaſteriis ſeu domibus & membris quæ prædictis Monaſteriis unita & annexa, vel aliter reperiuntur, nulla in poſterum conſtituatur familia, ſed Monachus tantum unus Sacerdos quadraginta annorum major, ac probatæ vitæ, cum uno Converſo, ſeu Oblato collocetur, qui ſint & cenſeantur ex familia, cui domus ſeu membrum illud unitum fuerit, ac in ea Eccleſia celebrent, & bonorum, & reddituum curam habeant. Hujuſmodi verò Monaſteria ſeu domus ſic infraſcriptæ, videlicet Monaſterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Salerno: Sanctæ Mariæ Nuic de Trivico: S. Bartholomæi de Troia: S. Joannis Baptiſtæ de Avellino: Annunciatæ Altavillæ: S. Mariæ Annunciatæ de Merculliano: Montis Virginis de Thiano: S. Mariæ de Nuic de Prata: S. Leonardi de Monteſuſculo; S. Mariæ de Aſcenſione de Cariffo: S. Mariæ Annunciatæ de Iliceto: S. Donati de Aſculo: S. Mariæ de Tocco: S. Mariæ de Boiano: S. Mariæ Montis Virginis de Altavilla Capacii: S. Catharinæ de S. Martino: S. Mariæ Annunciatæ de Matalona: S. Mariæ de Airola: & S. Rochi de Baniolo.

*In reliquis domibus ſeu membris, alii deputentur ut hic.*

§.11. In Monaſterio autem Feudi, quod ſicut accipimus membrum eſt Monaſterii Montis Virginis, & animarum curam habet, ſint Monachi, quot ſicut pariter accipimus in eo eſſe ſolent, numero quinque: in Monaſterio Puteolano, quod ut aſſeritur hoſpitium eſt, & membrum Monaſterii Neapolitani, numero tres, in reliquis domibus ſeu membris deputetur unus Oblatus Profeſſus ſpectatæ probitatis, & ætatis, qui ſit ex familia Monaſterii cui domus annexa eſt, qui Eccleſiæ ſupellectilis, ædium, & reddituum curam habeat.

*Si quæ ad formam Monaſterii redigantur, cum competenti dote pro alendis 6. Monachis, ſic reſtituatur ſub Abbatis vel Prioris titulo gubernanda.*

§.12. Si vero forte contigerit, ut aliquod, ſeu aliqua ex Monaſteriis prædictis, vel domibus ad formam Monaſterii redigantur, competenterque dotentur, itaut duodecim in eo Monachi, vel ſaltem ſex ali poſſint, ut ſuprà dictum eſt, tunc cum Capituli Generalis conſenſu, & Protectoris licentia reſtituantur, ſub Abbatis vel Prioris titulo reſpectivè gubernanda.

*Novitiatus in Monaſterio Montis Virginis, & S. Agathæ de Urbe erigantur.*

§.13. Præterea ad propagationem Congregationis unum in Monaſterio Montis Virginis de Monte, & alterum in Monaſterio S. Agathæ de Urbe Novitiatum, in quibus poſtquam fabrica, & rebus neceſſariis inſtructi fuerint, Novitii recipi & admitti, ac ſumptibus dictorum Monaſteriorum reſpectivè ali, & manuteneri debeant inſtar aliorum dictæ Congregationis Novitiatuum, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, ſine alicujus præjudicio perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Qui aliorum Novitiatuum Congregationis privilegiis omnibus perfruantur.*

§.14. Illiſque ſic erectis & inſtitutis, necnon Novitiis, & aliis perſonis Regularibus profeſſis, in illis pro tempore exiſtentibus, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogativis, antelationibus, favoribus, præeminentiis, indultis, licentiis, aliiſque gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibus alii ejuſdem Congregationis Novitiatus, & illorum Novitii, ac regulares perſonæ, de jure, ſtatuto, uſu, conſuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ipſi pariter, & pariformiter, ac æquè principaliter, abſque ulla prorſus differentia, in omnibus, & per omnia, ac ſi illa nominatim, & expreſsè per præſentes conceſſa, & impartita forent, etiamſi talia eſſent quæ ſpecialem, & individuam requirerent mentionem, & ſub generali expreſſione non comprehenderentur, uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuò concedimus, & indulgemus.

*Quo vero ad Novitios recipiendos, & regendos, decreta Sedis Apoſt. ſerventur.*

§.15. Quo vero ad uniuſcujuſque loci qualitatem, & Novitiatus, & recipiendorum in Novitios formam ſpectat, eorumque regimen, decreta ſuper prædictis à Sede Apoſtolica evulgata omnino ſerventur.

*Qui, & quot Novitii recipiendi ſint.*

§.16. Et quoniam ut ex ſtatu perſonali Monachorum dictæ Congregationis nobis conſtitit, ex quorumdam Superiorum negligentia, ſeu aliquo humano affectu factum eſt, ut ex eadem patria, & etiam ex eadem familia multoties major numerus Monachorum receptus fuerit quàm par erat, ſeu Monaſterii redditibus, qui in eadem patria ſunt, ali poſſit, decernimus non plures Novitios, quàm tres ejuſdem patriæ in poſterum in Congregatione prædicta recipiendos, niſi in defectum aliorum; quo caſu recipiendi munus hujuſmodi ad Capitulum Generale cum Protectoris licentia ſpectet, & non aliter.

*Abbas, Prior vel Cellarius in propria patria non ...*

§. 17. Nemo etiam Abbas, Prior vel Cellarius creari poſſit in propria patria.

*Novitiatus duo alii arbitrio Capituli generalis conſtituantur.*

§.18. Inſuper duo alii Novitiatus Monachorum profeſſorum arbitratu Capituli generalis conſtituantur, in quibus Novitii profeſſi uſque ad Presbyteratus, vel ſaltem ad ſubdiaconatus ordinem, in obſervantia diſciplinæ monaſticæ ſtudiis incumbant.

*Eorum, Monachorum Converſorum profeſſ. tum & non profeſſorum, Oblatorum veſtitu ...*

§.19. Sicut autem veſtitus Novitiorum à veſtitu Monachorum profeſſorum diſtinctus eſſe debet, ſic Converſorum profeſſorum veſtitus à non profeſſis diſtinctus omnino ſit, & Oblatis non profeſſis Tabanus tantum cum beretto albi coloris concedatur.

*Filiationes Monaſteriorum permittuntur huic Congregationi, ... Congregationis S. Benedicti.*

§.20. Volumus etiam, & decernimus, ut filiationes Monaſteriorum, uti habent aliæ Congregationes S. Benedicti, in Congregationem hujuſmodi introducantur.

*Abbates, Priores ... prædicare ... ſint.*

§.21. Et tam Abbates quàm Priores prædicare verbum Dei poſſint in locis vigintiquinque milliaribus à ſuis Monaſteriis diſtantibus.

*Qui & quando Doctoratus gradum ſuſcipiant.*

§.22. Et poſtquam curſum in Theologia peregerint, & quinque annos continuo legerint, gradum Doctoratus ſuſcipere cum licentia Abbatis generalis, qui nulla tamen gaudeant exemptione, poſſint, & valeant.

*Oblati profeſſionem ... do emittant; & quo ... habitu ... tur.*

§.23. Ac omnes oblati, tam hactenus profeſſi quàm qui in poſterum emiſerint profeſſionem, debeant poſt illam emiſſam deferre ſcapulare parvum latitudinis palmi, longitudinis uſque ad genua, ac in ima parte ad figuram ovi redactum, cum cuculla rotunda, & ſine cauda, ut dicunt, & dicto ſcapulari conſuta, dictaque profeſſio non poſſit ab illis emitti, niſi de vita, & moribus à Religioſis Monaſteriorum ubi ſervierunt, & tunc ſervient, fuerint approbati, ac ſervatis decretis à fel. record. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro conditis, & publicatis: antequam verò emiſerint dictam profeſſionem, debeant geſtare tunicam oblongam dumtaxat cum mantello, & pileo.

*Novitiatum que faci...*

§.24. Hi autem omnes ſupradicti Oblati teneantur per annum integrum Novitiatum facere, & quæ ſunt neceſſaria addiſcere.

*Alii ſervientes autem ... bitum ...*

§.25. Alii verò qui recipientur ad ſervitia utilia obeunda, nec emittent profeſſionem, ſolum unam veſtem uſque ad genua, & non infra oblongam, unà cum mantello, & pileo ad inſtar laïcorum ſæcularium habere debeant.

*Clauſula ... jus conſtitutionis præſervativa.*

§.26. Decernentes præſentes literas, ac in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari ſeu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, ſeu invalidari, aut in jus vel controverſiam vocari, aut adverſus eas, & ea quodcumque juris, & facti, vel juſtitiæ, & gratiæ remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus unquam poſſe, ſed ab omnibus quos concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter obſervari debere.

*Decretum ... ritans.*

§.27. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, ac Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S.R.E. Cardinales, & de latere Legatos, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper

his

his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.28. Non obſtantibus noſtra,ac Cancellariæ Apoſtolicæ regula de privilegiis ad inſtar concedendis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, necnon Congregationis, & ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus,privilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtolicis,quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis,eorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè,& ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus,cæteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum quod interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

P.An.6. 19.Mart. Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 19.Martii 1611.Pont.Noſtri Anno 6.

---

## XC. Quod Superioribus Ordinum Mendicantium liceat eorum religioſos etiam per aliam viam quàm per Luſitaniam, ad Japonicas, & alias Indiarum Orientalium regiones, prædicandi aut Chriſtianam fidem docendi cauſa tranſmittere,ſervata in reliquis forma conſtitutionis Clementis VIII.

An. D. 1608.

*PAULUS PAPA V.*

*Univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

SEdis Apoſtolicæ providentia circumſpecta,quæ ratione ſuadente aliquando decrevit, experientia deinde comperto, mutatione indigere, nonnunquam immutat, prout re maturè diſcuſſa in Domino judicat expedire.

§.1. Aliàs ſiquidem fel.rec.Gregorius Papa XIII.prædeceſſor noſter,certis tunc expreſſis cauſis adductus,per ſuas in ſimili forma Brevis literas,ſub Dat.die 28.Ianuarii 1585. Pontificatus ſui anno 13. omnibus Patriarchis, & Epiſcopis, etiam Provinciæ Chinæ, & Japoniæ, ſub interdicti Eccleſiaſtici,& ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, & Pontificalium exercitio, aliis verò Sacerdotibus, Clericis,& Miniſtris Eccleſiaſticis,tam ſæcularibus quàm cujuſvis Ordinis regularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſterent, ſub excommunicationis majoris pœnis ipſo facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad earum regiones, & provincias Japonicas, Evangelii prædicandi, vel doctrinam Chriſtianam docendi, aut Sacramenta miniſtrandi, aliave munia Eccleſiaſtica obeundi cauſa,ſine ſua,& Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia proficiſci auderent.

§.2. Poſtmodum autem rec.me.Clemens Papa VIII.ſimiliter prædeceſſor noſter, accepto quod tam Chinæ, & Japonum,quàm aliæ illis vicinæ & adjacentes Inſulæ,regiones,& provinciæ,ac finitima Regna Indiæ Occidentalis ampliſſima,& populis refertiſſima erant,& pro tanta animarum multitudine ad fidem Catholicam traducenda,& ſpiritualibus alimentis fovenda,plures operarii, ac Miniſtri neceſſarii erant,quàm ex ſola Religioſorum Societate Jeſu haberi poterant,omnibus,& ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, ſeu Prioribus generalibus, tunc,& pro tempore exiſtentibus indulſit,ut cùm neceſſitas poſtulaſſet, quoſlibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ, & eruditionis religioſos,quos nimirum ad prædicta officia, & Miniſteria idoneos, & utiles fore in Domino judicarent,per Luſitaniam dumtaxat, & ſuſcepta inde navigatione,in Indias,& Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, tam ipſi ſic tranſmittendi quàm alii ſupradictorum Ordinum Religioſi in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum à ſuis Magiſtris, Miniſtris, vel Prioribus generalibus, ſeu aliis Superioribus electi, & approbati, tam ad Japonicas prædictas, quàm ad alias proximas,& adjacentes,etiam Chinæ, & finitimorum regnorum,& terræ firmæ Indiæ Orientalis Inſulas, regiones,& provincias accedere poſſent.

§.3. Cæterum omnibus,& ſingulis Religioſis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis eſſent, ſub excommunicationis majoris, à qua nonniſi à Romano Pontifice,præterquam in mortis articulo abſolvi poſſent,necnon privationis vocis tam activæ quàm paſſivæ, ac dignitatum,adminiſtrationum, & officiorum quorumcumque,necnon inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda ac exercenda pœnis ipſo facto abſque ulla declaratione incurrendis interdixit,& prohibuit, ne ex inſulis Philippinis nuncupatis,ſive qualibet alia Indiarum Occidentalium,vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium tunc habebantur, parte ad illas pertinente, in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes, & finitimas Inſulas, Provincias, & regiones prædictas, etiam quorumcumque privilegiorum eis, vel ſuis Ordinibus à dicto Clemente, & Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis,ſub quibuſcumque tenoribus,& formis,in genere vel in ſpecie, etiam ſuper facultate prædicandi verbum Dei per univerſum Mundum, eatenus conceſſorum, ſeu in poſterum etiam concedendorum,approbandorum, & innovandorum,niſi in illis de prohibitione hujuſmodi, & interdicto ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, cum ſufficienti derogatione fieret, aut quovis alio prætextu, & quæſito colore proficiſci, & tranſire auderent, vel præſumerent,& ſi qui eatenus, vel in poſterum ſecus facerent, poſtquam moniti eſſent, ſtatim ſub eiſdem pœnis,omni mora,& excuſatione ceſſante,ad dictas Inſulas Philippinas, vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti & redire omninò tenerentur, & ad id per quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ſub eiſdem & aliis eorum arbitrio infligendis pœnis cogi & compelli poſſent, prout in dictis Gregorii ac prædicti Clementis prædeceſſorum deſuper etiam in forma Brevis, ſub Dat.Romæ apud S.Petrum,ſub annulo Piſcatoris,die 12. Decembris 1600. Pontificatus ſui Anno 9. confectis literis plenius continetur. *Prohibuitque ne ex Inſulis Philippinis, vel aliis Indiarum Occidentalium partibus in Japonicas vel alias finitimas regiones tranſirent, ut in ejus conſt. §.3.*

§.4. Cum autem, ſicut ex inſinuatione Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici accepimus,experientia compertum ſit,quod prohibitio accedendi ad Indias, & Civitatem Goan aliàs quàm per Luſitaniam,nec qui ſperabatur ex ea fructum protulit, neque Catholicæ fidei propagationis negotio utilis fuit: Nos pro paſtoralis officii noſtri debito,ut tantum opus Dei omni ſublato impedimento liberè peragi poſſit, quantum humilitati noſtræ ex alto conceditur providere volentes,dictarumque literarum Gregorii & Clementis prædeceſſorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, omnibus,& ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris,Miniſtris, ſeu Prioribus generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus, nunc & pro tempore exiſtentibus, ut cum neceſſitas poſtulaverit, quoſlibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ, & eruditionis religioſos, quos nimirum ad prædicta officia, & munia idoneos & utiles fore in Domino judicaverint,ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes, etiam per aliam viam quàm per Luſitaniam in Japonicas, & alias illis proximas,adjacentes,& finitimas Inſulas, Provincias, & regiones prædictas, ſervata in reliquis dictarum litterarum Clementis prædeceſſoris forma in omnibus, & per omnia,& non aliter,tranſmittere liberè,& licitè valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. *Sed hac nihilominus quia per Luſitaniam accedendi ad Indias prohibitio, ex inſinuatione Regis Hiſpaniarum, nihil [illegible] profecit, ideoque ab hoc Pontifice ut Dei opus liberius peragi valeat revocatur, & ad prædicta loca etiam quàm per Luſitaniam (ſervata in reliquis forma conſt. Clementis VIII.) ire permittitur.*

§.5. Non obſtantibus interdicto,& prohibitionibus,ac literis dictorum prædeceſſorum,aliiſque præmiſſis,necnon Apoſtolicis,ac in ſynodalibus,provincialibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus,& ordinationibus, necnon prædictæ Societatis Jeſu,aliarumque Religionum,Provinciarum, & regionum prædictarum juramento,confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus,privilegiis quoque,indultis & literis Apoſtolicis illis, eorumque Prælatis, Superioribus, & perſonis etiam particularibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, *Contrariiſque derogat.*

aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes hac vice ſpecialiter, & expreſsè in quantum noſtris prohibitioni & interdicto, aliiſque præmiſſis adverſentur, harum ſerie derogamus, & derogatum eſſe, & cenſeri, neque illa eis ullatenus ſuffragari volumus, & declaramus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis hujus Bullæ credi jubetur.*

§. 6. Et quia difficile foret præſentes literas ubicumque uſus venerit oſtendi, & publicari: Volumus ut earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici, vel alicujus dd. Religionum Secretarii ſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel cujuſvis ex Generalibus prædictis ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D. P. A. 4. die 11. Iunii.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Junii 1608. Pontif. noſtri Anno 4.

---

## XCI. Inſtitutio Congregationis Piorum Sacerdotum, Oratorii Ieſu Chriſti Domini noſtri nuncupandæ, in Regno Franciæ, ab Henrico Epiſcopo Pariſienſi, & Maria Francorum Regina, ad reſtituendam augendamque fidem Catholicam promotæ.

*Aliam, ſed diverſam Oratorii Congregationem inſtituit in Vrbe Gregorius XIII. in ejus conſt. 191. Copioſus, ut ſuprà.*

Ad propagandam Catholicam fidem Congregationem erexit Gregorius XV. in ſua conſtit. 26. Inſcrutabili, cum duabus ſeqq. Conſtitutionibus, in quarum prima aſſignantur proventus, in ſecunda verò conceditur, quod litteræ, & ſcripturæ omnes pro ipſa Congregatione gratis tradantur Miniſtris ejuſdem.

*Edita A. D. 1615.*

**P A V L V S E P I S C O P V S,**
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

SAcroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam Dei unigenitus Jeſus Chriſtus D.N. auctor ipſe piorum operum fundavit, regimini ſuprema diſpoſitione præſidentes, pro nobis commiſſi gregis Dominici proſpero ſtatu, & animarum ſalute ſolliciti eſſe compellimur, & ea ſincerè tenemur amplecti quæ ad incrementum Religionis pertinent, & ad virtutum ſpectant ornamentum, ac piæ Chriſti fidelium Congregationes inſtituantur, & exinde uberiores fructus bonorum operum, in illis locis præſertim ubi id magis expedire dignoſcitur, in dies per pia & ſpiritualia exercitia accreſcant, & iis exercitiis devotæ ac Domino famulantes perſonæ, animarum ſuarum ſalutem eodem Domino miſerante facilius conſequi, cæteriſque Chriſti fidelibus vitæ ac morum exemplo proficere valeant ad ſalutem.

*Henricus Epiſcopus Pariſien. & Maria Francorum Regina, ad reſtituendam fovendamque Eccleſiaſticā diſciplinam ſupplicāt Pōtifici pro inſtitutione Cōgregationis Piorum Sacerdotum in eo Regno, ejuſque regimen Petro de Berulle presbytero Pariſien. committi.*

§. 1. Sanè exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris noſtri Henrici Epiſcopi Pariſien. ac chariſſimæ in Chriſto filiæ Mariæ Francorum Reginæ petitio continebat, quod aliàs cum ipſa Maria Regina pio devotionis zelo ducta, ut aliquo devotionis ſuæ monumento immenſarum gratiarum munera quibus eam bonorum omnium largitor optimus decoravit teſtari poſſit, diſciplinam Eccleſiaſticam, undique ferè in Regno Franciæ hæreſum bellorumque præteritorum injuria, tum in Religione, tum etiam in moribus non parum depravatam ac corruptam, in primævum, & priſtinum ſuum ſtatum, devotioniſque & pietatis ſplendorem ſalubri aliqua ratione reſtitui plurimùm deſideret, & id re ipſa in conſultatione cum viris gravibus & piis, ac præſertim cum d. Henrico Epiſcopo pluries habita maturè diſcuſſa, utilius & fructuoſius quàm ex inſtitutione alicujus Congregationis piorum ſacerdotum, quorum ſtudium & officium ac munus ſacerdotale, juxta ſanctum atque pium illius inſtituendum debite exequen. & adimplen. ſit omninò directum, inſtituen. exequi poſſe non videatur, ipſaque Maria Regina unam devotam piorum, ac probatæ vitæ Sacerdotum, quorum principale inſtitutum ſingulas actiones ordini ſacerdotali convenientes & eſſentiales amplecti exiſtat, Congregationem in ipſo Regno, & præſertim in civitate Pariſienſi, ubi illa non parum deſiderari videtur, erigi & inſtitui, curamque erectionis, & inſtitutionis hujuſmodi dilecto filio Petro de Berulle presbytero Pariſienſi, cujus miniſterium felici progreſſui, & directioni ipſius Congregationis maximè profuturum eſſe in Domino confidit, per Nos committi & demandari ſummoperè deſideret, pro parte eorumdem Henrici Epiſcopi, & Mariæ Reginæ Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Congregationem piorum ac probatæ vitæ ſacerdotum perpetuò erigere, & inſtituere, illiuſque curam dicto Petro committere & demandare, ut præfertur, ac aliàs de Apoſtolicæ poteſtatis providentia conſulere dignaremur.

*Hic Ideo Pontifex Congregationē Oratorii Ieſu Chriſti D. N. nuncupan[illegible] pro piis Sacerdotibus inſtituit.*

§. 2. Nos igitur quibus cura & ſollicitudo cordi inſidet fidem, & religionem Catholicam propagare, divinique cultus augmentum, & ut Chriſti fideles ſinguli per viam ſalutis in hoc ſæculo gradientes, ad cœleſtia Regna pervenire mereantur procurare, præſertim ubi Catholicorum Principum vota id expoſcere, ac in Domino ſalubriter conſpicimus expedire: conſiderantes hujuſmodi inſtitutionem ſpecialiter ſacerdotes aut perſonas ad ſacerdotalem ſtatum aſpirantes, vel ſaltem eorum miniſterio neceſſarias, ac Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſacerdotalis dignitatis immediatum inſtitutorem tangere & reſpicere, æquum maximè, & rationi conſentaneum judicamus, ut qui hujuſmodi inſtitutum aggrediuntur ultra communem fidelium devotionem, ſpeciali & particulari devotioni Jeſu Chriſti Domini noſtri addicantur, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, & fons ſacerdotii in Eccleſia Chriſtiana. Hinc pio, & ſalubri d. Mariæ Reginæ deſiderio favorabiliter annuere, ac ipſum opus pium muneris Sedis Apoſtolicæ conſolatione confovere, necnon Chriſti fideles ad pia, meritoria, & ſalutaria opera exercenda, Eccleſias quoque, & ſacra Dei templa devotionis cauſa viſitanda æternis præmiis, ac ſpiritualibus muneribus, & peccatorum remiſſione invitare volentes, necnon Henricum Epiſcopum & Petrum prædictos, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, d. Petro apud Nos de religionis zelo, vitæ ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato noſtram & dictæ Sedis benedictionem impartientes, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & animarum ſalutem, unam ſub nomine Oratorii Jeſu Chriſti Domini Noſtri Congregationem, in honorem orationum quas in diebus carnis ſuæ fudit, ut ii, qui Congregationem ipſam ingredientur, eumdem Jeſum Chriſtum pro nobis in oratione poſitum, & pernoctantem revereantur, atque etiam inſtituti ad quod vocati ſunt moneantur, & præſertim ſemper hanc præcipuam omnibus communem, & omni tempore congruentem officii eorum partem, quæ in orationibus pro populo, ac in Dei laudibus celebrandis verſatur habeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſine alicujus præjudicio perpetuò erigimus & inſtituimus.

*Dictumque Petrum dep[…] tat Prapoſi[…] d. Congre[…] tionis Pio[…] Sacerdotum qui inſimu[…] religiosè […] vant, eor[…] ſit præcipu[…] inſtitutum […] perfectioni […] ſtatus ſac[…] dotalis tota[…] ter incūbere.*

§. 3. Dictumque Petrum in Inſtitutorem Præpoſitum generalem hujus piorum ſacerdotum, nulli antea religionis voto ſolemni addictorum, necnon & aliorum ad presbyteratus ordinem promoveri cupientium, & reliquorum ad familiaria officia neceſſariorum Congregationis Oratorii Jeſu Chriſti Domini Noſtri nuncupan. hujuſmodi,

hujuſmodi, qui ſimul & in Societate religiosè vivere, & in humilitatis ſpiritu, & piæ vitæ ſtudiis Altiſſimo famulatum exhibere, & impendere ſtudeant, quorum principale ac præcipuum inſtitutum ſit, perfectioni ſtatus ſacerdotalis totaliter incumbere, ſingulaſque actiones ordini ſacerdotali propriè & eſſentialiter convenientes, ſibi ab locorum Ordinariis, ubi ſtabilita fuerit præſcriben. & non alias, amplecti, Sacerdotum. Inſuper & aliorum ad ſacros ordines aſpiran. inſtructioni, necnon circa uſum ſcientiæ, ritus & mores propriè Eccleſiaſticos ſe addicere volentium.

§. 4. Cum plena & omnimoda facultate, poteſtate, & auctoritate eidem Petro per Nos ad id aſſumpto, & à dicta Maria Regina ſummopere commendato, ut prædictam Congregationem hujuſmodi, tam in civitate Pariſien. quàm in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis ad quæ à locorum Epiſcopis vocatus fuerit, & non alias, inſtituen. ac demùm pro felici ſtatu, & directione perſonarum, ac bonorum ſpiritualium, & temporalium ejuſdem Congregationis, ſeu Congregationum ſic erigen. tam circa receptionem & admiſſionem, numerum, ætatem, & qualitates in ipſa Congregatione recipien. & admitten. eorumque inſtructionem & diſciplinam, exercitia, ac modum, & formam divinorum officiorum, precum, & orationum, aliorumque ſuffragiorum recitan. & alia ipſis Congregationibus utilia atque neceſſaria, quæcumque ſtatuta, ordinationes, & capitula, licita & honeſta, ſacriſque Canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Concilii Tridentini decretis minimè contraria, à ſancta Sede Apoſtolica poſtmodum approbanda, confirmanda, ac per ipſarum Congregationum Præpoſitum, presbyteros, officiales, miniſtros, & coadjutores, ſub pœnis in eis apponen. adimplen. & obſervan. faciendi, edendi & condendi, factaque, edita, & condita, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate & viciſſitudine, ſeu alias videbitur, corrigen. limitan. immutan. alteran. ac etiam alia, ut præfertur, examinan. & approban. ac etiam ut præfertur adimplenda, & obſervanda, ex integro facien. & conden. aliaque omnia & ſingula à ſimilium Congregationum, necnon quorumcumque Ordinum approbatorum conſtitutoribus, aut aliis Superioribus, etiam generalibus, de jure vel conſuetudine, ſive ex privilegio, aut aliàs quomodocumque fieri, & exequi ſolita facien. & exequen. dicta auctoritate deputamus, & aſſumimus.

§. 5. Omneſque alias ad inſtar ſupradictæ per Nos ſic erectæ, canonicè erigen. Congregationes, quas ab ea Pariſienſi, & à dicto Præpoſito generali quócumque locorum ſtabilitæ fuerint, in omnibus dependere volumus & intelligimus, ex nunc prout poſtquàm auctoritate prædicta erectæ fuerint, eiſdem auctoritate & tenore perpetuò approbamus, & confirmamus.

§. 6. Ita tamen quod Congregatio Pariſienſis ſaltem duodecim presbyteris conſtaret, ac tot redditus annuos habere debeat ex quibus unicuique presbytero hujuſmodi portio annua quadragintáquinque ducatorum auri de Camera obvenire poſſit. Cæteræ verò Congregationes decem ad minus presbyteros, ac eoſdem redditus annuos, vel quæ Sedis prædictæ Legatus, aut pro tempore exiſtens Nuncius Apoſtolicus, & Epiſcopus loci, ac dictæ Congregationis ſic erectæ Præpoſitus generalis, pro loci qualitate ſufficere judicaverit, habere debeant.

§. 7. Et poſtremo eiſdem Congregationibus ex nunc prout etiam poſtquam inſtitutæ & erectæ fuerint, ut præfertur, pro illarum dote & dicti Petri, necnon Præpoſiti generalis & presbyterorum eorundem pro tempore exiſtentium ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione, omnia & ſingula res, bona, fructus, redditus, & legata, ac eleemoſynas, tam per dictam Mariam Reginam quàm alios quoſcumque Chriſti fideles dictis Congregationibus quomodolibet relinquenda, donanda, & elargienda (ita quod liceat dicto Petro, vel alii præpoſito generali & presbyteris dictarum Congregationum pro tempore exiſtentibus, illorum omnium corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, per ſe vel alium, ſeu alios dictarum Congregationum nomine liberè apprehendere, & perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque eorundem percipere, exigere, levare, recuperare, ac in dictarum Congregationum uſus, & utilitatem convertere, Diœceſani loci vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita) etiam perpetuo applicamus.

§. 8. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac literis Apoſtolicis quibuſcumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, in genere vel in ſpecie per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem prædictam, ejuſque Legatos quavis cauſa & occaſione, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac etiam conſiſtorialiter & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum, & forma in illis tradita obſervata, nihilque penitus omiſſo inſerti forent, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogat quibuſcumque.*

§. 9. Ceterum ad augen. fidelium devotionem, animarumque ſaluti conſulen. & ut Chriſti fideles ad hujus inſtituti exercitium animentur atque invitentur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus confiſi, omnibus, & ſingulis presbyteris qui perpetuis futuris temporibus dictam Congregationem ingredientur & in ea recipientur, eorumque coadjutoribus, & oblatis, aliiſque miniſtris, die eorum & cujuſlibet ipſorum ingreſſus, receptionis ac profeſſionis, ac in mortis articulo, ſi pœnitentes & confeſſi ac ſacra communione refecti fuerint, plenariam indulgentiam, & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem eiſdem auctoritate & tenore miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Poſtremò eiſdem Præpoſito, presbyteris, coadjutoribus, oblatis & aliis miniſtris prædictis, qui Congregationibus publicis vel ſecretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, aut pium aliquod opus circa functiones ſuas exercuerint, toties pro quolibet præmiſſorum piorum operum, & ut magis ad ſui inſtituti opera animentur, & ſuavius ad ea invitentur, ſexaginta dies de injunctis eis vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, etiam Apoſtolica auctoritate & tenore hujuſmodi miſericorditer relaxamus, necnon tam ipſis quàm omnibus aliis Chriſti fidelibus, qui etiam verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti eorundem presbyterorum Eccleſias, aut Oratoria, in Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis feſtivitatum, ac in quo Eccleſiæ, ſeu Oratoria dd. presbyterorum in unaquaque diœc. ſeu loco proximo vice, populo aperientur diebus devotè viſitaverint, ſimili Apoſtolica auctoritate tenore præſentium etiam Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum ſuorum remiſſionem concedimus, & elargimur, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. *Indulgentias perſonis d. Congregationis elargitur.*

Datum Tuſculi anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1615. ſexto Idus Maii, anno 8. *Dat. P. A. 8. 10. Maii.*

---

XCII.

Confirmatio Conſtitutionum Congregationis Clericorum ſæcularium de Oratorio nuncupatæ, & à B. Philippo Nerio in Urbe fundatæ. Et prohibitio, ne quævis Congregatio ordinationes ſub denominatione dicti B. Philippi promulgare, aut ejuſdem Inſtituti domos in Urbe inſtituere poſſit.

*Congregationem iſtam Gregorius XIII. approbavit, ut in ejus conſtit. 101. Coſtitus, hic ſupra, ubi notavi.*

Alia, ſed diverſa in Regno Franciæ mox inſtituta eſt Congregatio Oratorii, ut legere eſt in conſt. præced.

*Edita An. D. 1612.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

CHriſti fidelium quorumlibet, præſertim Altiſſimo in humilitatis ſpiritu famulantium votis, quæ felicem eorum proſperamque directionem, & gubernium concernunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Congregatio Oratorii in Urbe ſuas ordinationes ſtatuit, & pro confirmatione Papæ ſupplicavit.*

§. 1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Præpoſitus & presbyteri Congregationis Oratorii, in Eccleſia S. Mariæ in Vallicella nuncupata de Urbe inſtitutæ, quod ipſi quaſdam conſtitutiones, & ordinationes pro felici dictæ Congregationis regimine, & ſpirituali progreſſu conſcripſerunt, illaſque non ſemel examinatas, ac etiam mandato noſtro recognitas, in unum volumen redegerunt, tenoris ſubſequentis.

### CAP. I.

*De Oratorio, & Oratione.*

*Declarationē ſeu appendicē ad hoc Caput vide hic infr. poſt cap. 12.*

VErè locum orationi deſtinatum Oratorium dicimus; nam familiaris in ipſo nota divini Verbi tractatio, poſt hæc tractanda, jam adulta & in Eccleſiam noſtram tranſlata nomen minus accommodatè retinuit Oratorii, in quo ſcilicet tam exteri quam noſtri quotidie veſperi, poſt orationem quam dicimus mentalem, conſuetas Litanias recitant, aut ſingulis ter hebdomadis, quæ eſt voluntaria corporis caſtigatio, ſupplicio flagellorum ſeſe afficiunt. Feſtis item diebus à Kalendis Novembris uſque ad ſanctam Chriſti Domini reſurrectionem, non modo ſupplicationibus, ſed etiam familiari cohortatione, & muſico concentu excitantur ad Cæleſtia contemplanda. A Reſurrectionis viciſſim Dominica uſque ad Kal. Novembris, poſt officium veſpertinum, in Eccleſia à noſtris decantatum, & auditum ſermonem in ſuburbanum quempiam locum; vel (ſi per calores æſtivos non liceat) in templum aliquod ad has rerum divinarum tractationes intra Urbem convenire ſolent. Singulis præterea diebus Dominicis, niſi noſtro ſit in templo concionandum, mane lectis Litaniis, & ſermone opportuno de documentis præſertim Evangelicis familiariter habito, declarantur ex externis qui ſeptem primarias Urbis Eccleſias, ac tres domos infirmorum publicas hoſpitales infra hebdomadam aliquando viſitent. Harum omnium cura rerum Præfectum attingit Oratorii, è noſtris conſtitutum ſacerdotibus, vel adjutorem, ut alteruter his ritibus præſit, ſalutique confluentium conſulat externorum, quibus etiam præſenti ope pietatis officia in valetudinariis erga ægrotos feſtis diebus proponat exercenda. Ex exteris item fratribus idoneos ad certa Oratorii munia deligat, & in primis Rectorem, caveatque ne ulla ex parte conſtitutioni derogetur, quam Congregatio his verbis expreſſam voluit.

Præfectus Oratorii noſtri nullo modo permittat exteris officialibus in eo conſtitutis, ut in aliquid ſe rerum aut negotiorum ingerant ad ipſum locum vel inſtitutum quoquo modo pertinentium, quod ipſe non eis præſcripſerit; nullum enim hujuſmodi jus aut poteſtatem habere poſſunt. Ne quid præterea innovetur ibi hactenus obſervatum, de rebus præſertim gravibus ad Oratorium ſpectantibus quibuſcumque Præpoſitum Congregationis noſtræ conſulat, penes quem rerum Oratorii & Congregationis eadem eſt gubernatio.

Hæc ſatis, ut appareat qua via ſint externi frequentiores in Oratorio ad contemplationem, & amorem divinorum promovendi. Noſtris autem ejuſmodi inſtituto magis deditis id etiam maximè adhibendum quod à B. Philippo patres edocti ad hunc modum conſtituerunt.

Horas ſuas quilibet habeat meditationibus præſtitutas, in quibus majores quotidie progreſſus faciat, Deum celeſtiaque amando, & appetendo, quod Superiores pro ſua charitate ac prudentia ſæpius unumquemque admonere, & qui hujuſmodi ſtudiorum fructus conſtet, animadvertere debebunt: habeant igitur quæ orationi & meditationi ſeponant ſtata tempora, & præter hortatorem Præpoſitum quem audiant, etiam ſacerdotem ſacris familiæ noſtræ confeſſionibus audiendis præfectum, qui pro ſua quemque prudentia ad hæc divina ſtudia vel ſegniorem incitare ſolet, vel nimis incitatos, cum fuerit conſentaneum, moderari.

Ceterùm ob alias plurimas occupationes ſibi proximiſque ſalutares, aliud nullum mane vel die orandi tempus ac ſpatium ſibi præfinitum capiunt & conſignatum, quàm quod arbitratu quiſque ſuo ejuſmodi meditationibus, & ſacris precibus piè, ſancteque dederit. Ad Veſperum autem, ſicuti dictum eſt, in Oratorium publicum externis etiam quibuſque viris patens, & expoſitum, ad orationem unde nomen accepit, ſeduli convenire debent. Sed de omni orationis, & flagellorum in Oratorio ritu & conſuetudine, deque piis externorum officiis, infra poſt alias conſtitutiones, in hujus capitis appendice agendum eſt.

### CAP. II.

*De Ecc[leſia] & divin[is] officiis.*

COngregationis noſtræ Sacerdotes, utpote divinorum adminiſtri, in Eccleſia feſtis præſertim diebus frequentes adſunt, alii confluentibus divina myſteria præbent, alii ad ſacras confeſſiones audiendas intenti, à prima luce ad horam uſque prandii è ſubſelliis ſuis nonniſi neceſſitate impulſi recedunt. Sacrum omnes quotidie peragunt, & ceteri inſerviunt, potiſſimùm Clerici, qui cum res ipſa ſacra ſolemniori ritu, & muſico concentu celebranda eſt, bene mane deſcendentes in ſacrarium, ſacerdotes pia diligentia ſacris veſtibus ornant, & ſolemni ſacrificio præſentes ac diverſa munera obeuntes, ab ipſa Sacrorum cuſtodia aut Eccleſia dum datur divinis opera, nunquam recedunt, de rebus autem ad Eccleſiam ſpectantibus hæc ſunt noſtris propoſita decreta.

In Eccleſia noſtra nullæ erunt ſtatuæ vita functorum, ſive ex marmore, ſive ære, ſive gypſo, aut alia materia.

Diebus feſtis ſemper ſolemni apparatu, tam Miſſa quàm Veſperæ celebrabuntur. Erunt etiam Veſperæ ſolemnes in Vigiliis Corporis Chriſti, Nativitatis B. Mariæ Virginis, & Conſecrationis Eccleſiæ noſtræ ad X. Kal. Junii, cujus octavæ redditur officium, & infra eam gratiſſima nobis recurrit memoria dormitionis Beati Philippi Patris noſtri, ad VII. Kalend. Junias. Præterea infra octavam Corporis Chriſti Veſperas quotidie decantamus.

Singulis ſimiliter annis IV. Kalend. Februarii dies feſtus Sanctis Papiæ, & Mauro martyribus ſolemni apparatu celebratur, & mane ejus diei feſti res ſacra, Diacono & Subdiacono miniſtris peragitur. Veſperæ in Vigilia & ipſo die feſto muſico concentu decantantur. Porrò in Vigilia etiam matutinæ Laudes ante cœnam, coram ſacris eorum Reliquiis, à Sacerdotibus & Clericis noſtris unà recitantur, ut debitus honor patronis Eccleſiæ, & Congregationis exhibeatur.

In tranſlatione vero, quæ contigit III. Idus Febr. idem ſervatur. Miſſa tamen & Veſperæ ſolemniter non decantantur.

Dies etiam feſtus Sancti Gregorii Papæ, Congregationis, & Eccleſiæ noſtræ Patroni, IV. Idus Martii, eſt nobis tam in primis Veſperis, quàm in Miſſa admodum ſolemnis.

Alios item Sanctos, quorum ſacris Reliquiis vel inſignioribus aucti ſumus, Eccleſiaſticis officiis ſingulariter veneramur; nam IV. Nonas Maii Nereum, Achilleum, & Domitillam martyres, duplici.

VII. Nonas Julii Patermuthium, Copretem, Alexandrum martyres, quibus dicatum eſt Altare, ſemiduplici.

VI. Kal. Auguſti Pantaleonem martyrem, ſemiduplici.

XI. Kal. Novembris Urſulam, & Socias, Virgines & martyres, ſemiduplici.

XIX. Kal. Jan. Spiridionem Epiſcopum, & Confeſſorem, ſemiduplici ſimiliter proſequimur.

Quamvis

Quamvis verò noſtri in Eccleſiaſticis officiis, Veſperis dierum feſtorum exceptis, Eccleſiam non frequentent; cum tamen habetur aliqua ſingularis celebritas anniverſaria, ut die feſto Purificationis B. Mariæ Virginis ad candelas; in capite jejunii ad Cineres, Dominica Palmarum ad olivas; conſuetis majoris Hebdomadæ diebus ad matutinas, Miſſam, aliaſque ſolemnes ejus temporis ceremonias; die inſuper feſto omnium Sanctorum ad Veſperas, præter conſuetas etiam defunctorum, item ad matutinas, ſicut manè ad Miſſam; nocte tandem Nativitatis D.N. Jeſu Chriſti ad matutinas, & Miſſam in Chorum Eccleſiæ convenire ſolent.

Sed jam ab hiſce feriis veniamus ad funera.

Cum enim aliquis è noſtra Congregatione è vita deceſſerit, ſinguli Sacerdotes tres Miſſas celebrabunt pro vita functo: qui verò Sacerdotes non fuerint, novem coronas recitabunt, in loco verò ubi defuncti corpus fuerit præſens, recitabitur officium defunctorum, ſi manè fuerit, celebrabitur Miſſa ſolemnis; ſin minus ſequenti die Diacono, & Subdiacono miniſtris, ſex candelis accenſis in Altari, & quatuor facibus juxta corpus. Abſoluto autem officio, duæ ex illis remaneant uſque ad ſepulturam, quod ſi abſens obierit, privatim recitabitur à Sacerdotibus nocturnum officium defunctorum. Miſſa verò ſolemnis, ut ſuprà: ſingulis item annis infra octavam omnium Sanctorum celebrabitur Miſſa ſolemnis pro defunctis noſtræ Congregationis.

Sine conſenſu Præpoſiti & Deputatorum res ſacra non celebrabitur ſolemni apparatu pro vita functis exteris, videlicet Diacono & Subdiacono miniſtris, nec id ipſi facilè concedent, niſi mortuus Prælatus extiterit, aut eximiæ dignitatis, & honoris inter laïcos, aut certè valdè benemeritus de noſtra Congregatione.

Nullum recipietur à Congregatione noſtra legatum de re ſacra perpetuò peragenda, niſi fortè juſtiſſima cauſa intercedat, & ex conſenſu Patrum expleti decennii.

Quæ autem hoc in loco de ſacris confeſſionibus videntur ponenda, hæc habemus. Singulis diebus ferialibus aliquis ex Sacerdotibus ad hoc muneris delectis morari debet in Eccleſia ad confeſſiones audiendas. Feria verò quarta, & ſexta manè uſque ad horam prandii omnes, & feſtis pariter diebus omnes excubare.

Nemo tamen eorum admittitur ad audiendas confeſſiones ſine Patrum conſenſu, qui exegerint decennium in noſtra Congregatione.

## CAP. III.

IN Eccleſia noſtra, die Sabbato ad vacandum excepto, quatuor quotidie, niſi etiam dies feſti ſint, cum aliquis tantum unus ſermocinari ſolet, è Sacerdotibus noſtris qui fuerint ad hoc oneris muneriſque delecti, ordinata ſucceſſione, verba ad vulgi præſertim captum accommodantes, & nullam prorſus pompam, vel vanum populi applauſum declinantes, genere dicendi verè fructuoſo audientium animos paſcunt. Sanctorum præſertim exemplis, ac probatis hiſtoriis ſermonem confirmantes. Vitandæ enim ſunt eis quæſtiones difficiles, dogmatum tractatus, & quæcumque ſcholas decent magis quam Oratorium. Eſt autem ejus conſuetudinis, qui providè negotium id curet, ſtato tempore ad Eccleſiam deſcendere, & inter alia quæ paranda ſunt, horologium arenarium juxta ſedem ſermoncinantium ponere, & librum aliquem de ſalutaribus ſcriptum præceptis, aut de Sanctorum dictis, & factis, ubi octo, aut decem auditores præſentes viderit lectitare, cum verò quindecim, vel ut ſummum viginti, ære campano hora conſueta ſignum dare, quo ille quidem audito cui primò dicendum eſt, ad locum feſtinat, & poſtquam legentem pauliſper audierit, ligneam ſedem ſex vel octo circiter graduum aſcenſu ſublimem conſcendit, arenarium horologium juxta poſitum invertit, quod ſemihoræ ſpatium præfiniat, & nullo uſus procemio, ab argumento præſertim quod in libro lectum eſt ſermonem orditur. In medio ejus ſermone ſurgit cuſtos ad ſignum eadem grandiori campana iterum dandum, quo habito alter dicturus ſecundo loco huc properat, & tantiſper expectat dum primus finem dicendi fecerit. Eodem penitus modo ſecundo ſuccedit tertius, & tertio quartus, nec horum cuiquam amplius hora dimidia datur, nec horologio ſolum, ſed tintinnabulo cum opus eſt, ad finiendum admonentur.

Sermonibus abſolutis ſacer concentu muſico canitur hymnus, quo expleto is qui dixit ultimus, ad orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem ter ſecretò recitandam invitat, & concio dimittitur. At Dominicis cæteriſque diebus feſtis, eorum unus quibus ad dicendum ſunt ejuſmodi dies conſignati, in Eccleſia poſt veſpertinum officium decantatum ſermonem haber, cui ſemihoram aliquantulum præterire, non tamen certas jam enarratas dicendi leges, liberum eſſe debet. Eiſdem diebus à Kal. Novembris uſque ad celeberrimum Chriſti Domini reſurrectionis diem, ſicut etiam Dominicis, manè toto anno ab aliquo ex noſtris ſermo in Oratorio habendus eſt, ſed hac de re aliàs, nunc ſatis eſt referre noſtras conſtitutiones huc pertinentes.

Ad ſermonem habendum in Oratorio nullus admittetur ex noſtris, abſque conſenſu Patrum qui decennium expleverint in Congregatione.

Ex exteris verò nullus invitandus ad concionem habendam in Oratorio vel Eccleſia, niſi ex Præpoſiti, & quatuor Deputatorum conſenſu.

## CAP. IV.

*Status Congregationis Oratorii perpetuus.*

NUnc ſtatum, & formam Congregationis noſtræ penitus immutabilem in promptu ponimus duobus decretis expreſſam. Horum primum his verbis ſancitum eſt.

Cum noſtra Congregatio ſolo charitatis mutuæ nexu, neque ullis aſtricta votorum, juramenti, aut promiſſionis hujuſmodi vinculis, olim per beatum Patrem Philippum Nerium fuerit divina inſpiratione inſtituta, atque hæc fuerit ejus, & omnium Congregationis Patrum mens ſemper unanimis, ac ſit, ut ita perſeveret, decretum eſt, ſi quando aliqui ex noſtris putaverint ab hoc ſtatu recedendum, & alligare Patres, fratreſque ullis votorum jurisjurandi aut promiſſionis vinculis, etiamſi iſti majorem partem conficiant, ut ſit ipſis quidem liberum, quam velint ingredi Religionem, ſed altera pars, quamvis numero longè impar, habeat omnia bona Congregationis quocumque loco poſita, quandiu perſeveraverit in hoc ſtatu, nec alteri quicquam dare, vel acquiſitum, vel acquirendum teneatur. Sic enim conſervabitur in Eccleſia Dei circumdata varietate. Hactenus decreti verba, ut inde etiam appareat parentem optimum in Chriſto noſtrum adduci non potuiſſe, ut ſuos alia via filios duceret qui pro Chriſtiana charitate religioſos homines tam religioſè coluit, & pro ſingulari prudentia Sanctiſſima tot Ordinum inſtituta votorum vinculis religare ſe volentibus, eo tempore ad omnem Chriſtianæ diſciplinæ præſtantiam ſatis eſſe noverit.

Alterum decretum eſt. Ne quis prætextu ampliandæ Congregationis eam diſſipet, atque ut confuſio vitetur quam multitudo parere ſolet, arctiuſque inter ſe, qui ſunt è Congregatione amoris vinculo colligentur, quem quotidiana conſuetudo conciliat, ac mores cujuſlibet ipſorum ex hoc cognoſci poſſint, & notorum vultus cuncti revereantur, ſtatutum eſt ne Congregatio alibi ullum locum recipiat, neque alterius Congregationis regendæ ſuſcipiat onus. Si quæ verò aliorum locorum Collegia, & Congregationes noſtra inſtituta obtinuerint, & ſervare voluerint, non ſint illa quidem noſtræ annexa, neque Clerici eorum ſint è Congregatione Oratorii Romani, quemadmodum eſſe debent inſtituti, ut unaquæque domus aut familia, noſtræ formam imitata, ſeparatim ab iis ſe per ſe regat & moderetur.

## CAP. V.

*Præpoſiti, & quatuor presbyterorum deputatorum electione & munere.*

AD Congregationis, rerumque ad ipſam ſpectantium gubernationem, & curam Præpoſitus primùm eligitur, quem etiam Patrem appellamus, deinde quatuor preſbyteri deputantur, de quorum omnium electione, & munere ſic decernit Congregatio.

Nullus Præpoſitus eligetur, qui in noſtra Congregatione quindecim annos non permanſerit, quo temporis ſpatio Deputati vel Miniſtri ſit functus officio, & qui ætatis ſuæ annum quadrageſimum ſaltem attigerit.

Electio

Electio Præpoſiti pertinebit ad omnes Sacerdotes Congregationis, qui exacto decennio fuerint admiſſi ad jus ſuffragii ferendi. Laïci verò certò ſciant, ſe nihil ad electionem Præpoſiti, Deputatorum, Præfectorumque juris habere, munia aſſignata ex præſcripto dumtaxat obituri.

Tam Præpoſitus quàm Deputati, & cæteri Officiales eligi poſſunt etiam abſentes.

Præeſſe debet in electione, abſentiaque Præpoſiti, quaſi Superior, qui primum è ſacerdotibus noſtris tenet poſt Præpoſitum in Congregatione locum.

Fiet autem Præpoſiti electio hoc modo. Qui erit à ſecretis, ſingulis electoribus ſchedulas dabit, in quibus ſcriptum vel typis impreſſum ſit nomen eligendorum, ut illas in vias conjiciant, videntibus duobus ad id muneris deputandis. Eductus autem iiſdem duobus cernentibus à Secretario clara voce legetur, & electus is erit Præpoſitus, in cujus electionem convenerint Electores medietate plures. Hunc ſanè modum eligendi, donec conſentiant, decies repetere poſſunt, poſt decimum verò ſcrutinium, ſi necdum in unum pars major media conſpiraverint, compromiſſum fiat, ut ſcilicet quinque ſolùm ex electoribus Præpoſitum è duobus tantummodo deligant, in quo plura ſuffragia ex quacumque diſquiſitione hactenus collecta concurrerint, quod exemplo declaratur. Si enim duo vel plures octavum ſibi numerum in ſuffragiis obtinuerint, vel unus aut plures octavum, alii verò ſeptimum; tunc cæteris omnibus rejectis horum tantum delectus electoribus habendus eſt. Ipſi autem electores quinque compromiſſarii, quibus ſcilicet datum eſt arbitrium deligendi Præpoſitum, in ipſa tunc ſimul Congregatione ii ſunt deputandi, ut ſinguli ad eam electionis poteſtatem plures ſibi ſuffragantes habeant (non enim plura medietate ſuffragia in ipſis deligendis requiruntur) & ex illis conſtituantur, qui non fuerint inter primos eligendos numerati; his enim duobus eo tempore nulla ad hujuſmodi electionem relinquitur facultas, ſed activa ſimul, ut dicitur, & paſſiva voce privantur.

Si quando tandem ſchedulis eductis compromiſſarii pares extiterint, electus habeatur qui debito in Congregatione ſibi loco aliis pariter concurrentibus præſtat.

Tres annos duret Præpoſiti munus, & confirmari poſſit tertio quoque anno Congregationis arbitrio. Ad eandem menſam unà cum cæteris accedet & aſſidebit, niſi impediat invaletudo.

Nihil ſingulare habeat in Eccleſia, menſa, cubiculo, domi, foriſve præter locum primarium, & laïcum ex noſtris à Deputatis aſſignandum, qui omnem in ejus obſequium conferat operam.

Circa rem familiarem, & bona Congregationis, adminiſtratione utatur accurata, præſtetque noſtris ad victum, & veſtitum neceſſaria. At verò pauperibus, aut aliis qui non ſunt ex noſtra Congregatione, quolibet menſe nummi aurei ſummam poterit elargiri. In majori quidem ſumma quotieſcumque ejuſmodi largitionum ſe dederit occaſio, quatuor Deputatorum requiret conſenſum, cum verò decem nummos aureos excedere contigerit, totius Congregationis. Idem in aliis cujuſlibet completi operis aut negotii ſervet impenſis extraordinariis, & ad victum aut quotidianum familiæ noſtræ uſum nihil attinentibus.

Totius Congregationis gubernandæ, omniumque curandorum quæ ad eam ſpectant, prima poteſtas ſit penes Præpoſitum, ad ipſum enim ſolum pertinebit Congregationem, cum opus fuerit convocare, tractanda proponere, ritè conſtituta perficienda curare, exigere quoque rationem actorum vel agendorum à ſingulis noſtrorum, quibus eſt aliquod munus vel onus quomodolibet ubique locorum mandatum, & videre ut ſingula rectè expediantur. Convocabit ad hoc Congregationem quatuor Deputatorum ſaltem qualibet hebdomada, ſine quorum conſenſu nihil aget quod ſpectet ad univerſalem gubernationem Domus, & eligendos, aut amovendos officiales. A Præpoſito enim, & quatuor Deputatis cæteri officiales, & miniſtri triennium duraturi eligentur, excepto Confeſſario, ad quem eligendum plures ex electoribus convenire debent in ipſa Congregatione proximè poſt Præpoſitum, & Deputatos electos, horum enim nullus ei muneri præficiendus eſt.

Domeſticis autem officiis præfecti, quos Officiales dicimus, ſuis omnibus ſatis noti ſunt qui ſequuntur.

Sacerdos à Confeſſionibus.

Corrector ex ſenioribus, qui ſecretò corripiat errantes.

Miniſter, qui rebus domeſticis adminiſtrandis, Præpoſiti ſententia conſulta, & explorata, det operam.

Præfectus Sacrarii, cujus paternæ curæ Sacrarii miniſterio aſſignati committuntur, ſicut Miniſtro cæteri Laïci omnes.

Cuſtos Sacrarii.

Præfectus Oratorii, & Adjutor.

Præfectus Sermocinantium in Eccleſia.

Præfectus Ceremoniarum.

Præfectus Muſicæ.

Receptatores hoſpitum duo.

Monitor precum, quas debemus commendati in menſa Veſperi.

Tyronum Præfectus.

Cuſtos depoſitæ pecuniæ.

Negotiorum domeſticorum Procurator, & adjutores.

Bibliothecarius, & adjutor, qui non permittant è communi Bibliotheca libros extrahi.

Miniſter infirmorum, & adjutores.

Præfectus ædificiorum, & adjutor.

Præfecti corrigendis legentiũ erroribus in menſa duo.

Aromatariæ Præfectus, & Aromatarius.

Pecuniarum exactor, & diſpenſator.

Cuſtos Supellectilium.

Cellæ Penuariæ cuſtos.

Cellæ Vinariæ Cuſtos.

Cuſtos Triclinii.

Janitores.

Hos præſertim Congregatio ſingulos hujuſmodi conſtitutione voluit admonitos.

Nemo munus à Congregatione, ſeu Præpoſito, & Deputatis demandatum recuſet, ſed omni animi demiſſione ſuſcipiet: quod ſi aliqua ex cauſa ſibi recuſandum judicabit, poſtquam ea quæ ſenſerit, debita modeſtia ſemel aut iterum expoſuerit, nec Præpoſitus & Deputati approbaverint, injunctum munus ſine ulla amplius excuſatione accipiet.

De Deputatis autem cum Præpoſito eodem tempore eligendis hæc habentur.

Poſt electionem Præpoſiti ſtatim eligentur ei quatuor ex preſbyteris, qui decennium tranſegerint in Congregatione, ex quo ſunt admiſſi ad primam probationem, & jus habeant eligendi à tota Congregatione, de quorum conſenſu, ut dictum eſt, cuncta à Præpoſito agentur quæ ad univerſalem Congregationis gubernationem pertinere ipſe judicaverit.

Ab eiſdem ergo preſbyteris omnibus exacto decennio eodem modo quo ſuprà ad tertium ſcrutinium eligentur quatuor Deputati, ſinguli ſeparatim in eadem Congregatione; poſt tertium verò ſcrutinium, nullo facto compromiſſo duo eligantur, in quos plura fuerint ſuffragia in illa trina diſquiſitione collata, ſi verò plures pariter concurrant eligendi, duo tantum cæteris rejectis ad electionem pervenire poſſunt, illi ſcilicet qui aliis de more præire debeant in Congregatione. Exemplum proponimus. Si ſcrutinio ter peracto, in octavum alter ſuffragiorum numerus pervenerit, alter verò in ſeptimum, hos dicimus duos, cæteris omni ſuffragio privatis ad Deputati munus per ſcrutinium provehendos: quod ſi plures ſeptimum illum numerum obtineant, ille ex eis ſcrutinio ſimiliter eligendus erit excluſis aliis, qui debeat eis in Congregatione antecedere: ſi rurſus paria duorum fuerint eligendorum ſuffragia, is ſimiliter habeatur Deputatus, qui ex inſtituto alterum inter noſtros ſit ſolitus anteire.

Unus à quatuor Deputatis triennii præteriti (tres enim annos durat cujuſque munus) aut etiam ſi placebit, duo confirmentur in tres alios annos, qui poſt illos confirmari amplius non poſſint.

Ex deputatis item eligetur aliquis à Secretis ex ipſorum conſenſu deputatorum, qui ſingula decreta à Congregatione univerſali, vel à Præpoſito, & quatuor Deputatis, in libro ad hæc conficiendo notabit, & literas ad quos continget, ſcribet. Literæ autem omnes quæ negotia continent, in alio libro ſunt exſcribendæ.

Deputatorum erit præterea cum Præpoſitus deceſſerit vel finierit ejus munus, ſeniorem prædictum monere, qui ejus vice interim fungatur, ut convocet ad electionem Præpoſiti convocandos: quod ſi ille negligat, ipſi convocabunt.

Si nemine diſſentiente ipſis videbitur ceſſatio muneris concedenda, vel indicenda Præpoſito ob juſtam cauſam, quatuor è Sacerdotibus exacti decennii advocabuntur: quod ſi his videbitur, iidem convocent Congregationem à qua deponatur, & eligatur novus Præpoſitus, ſicut jam ſupradictum eſt, eo modo tamen ſervato in Præpoſito deponendo, qui in ejiciendis tenendus eſt.

Singulis annis menſe Januario aliquis ex Deputatis cum altero non deputato, rationem omnium expenſarum quæ toto anno fiunt ſigillatim inibit, eamque initam in publica Congregatione referet, ut appareant omnibus quæ ſuperiori anno factæ ſunt expenſæ, pateatque ſingulis contractumne ſit æs alienum, & quota ſit ſumma rei familiaris, & bonorum omnium noſtræ Congregationis.

## Cap. VI.

*...undis ...grega- ..., & ...is ex*

NOſtræ Congregationis Patres Beati Philippi Inſtitutoris optimi morem ſequuti, non niſi homines probatæ vitæ, maximè idoneos & quaſi ad inſtitutum natos recipi volunt ad ſuorum numerum aggregandos, etiam ad hunc modum factis decretis.

Minores duodeviginti annis, ac majores quadragintaquinque ad primam probationem non recipiantur, neque ii quos canones ab ordinibus arcent, niſi in ordine laïcorum ſint omnino permanſuri, non infimæ valetudinis, non ii qui ingreſſi ſunt aliquam Religionem, non niſi bonæ apud omnes famæ, qui Oratorii noſtri frequentes fuerint auditores & orationibus interfuerint, & ſæpius alicui ex noſtris Sacerdoti ſoliti fuerint confiteri, & experimentum ceperint inſtituti noſtri. In his tamen omnibus, ſi ita videatur patribus qui decennium expleverint, in Congregatione poterit diſpenſari.

Duo ex noſtris presbyteris à Congregatione eligentur, qui diligentem adhibeant curam circa eos qui admittendi ſunt in Congregationem, ut vel antequam admittantur, eorum vita & mores omni ſtudio explorentur; eapropter crebra cum illis inibunt colloquia, unà cum ipſis verſabuntur, nec his contenti, ab illis etiam certiores reddantur qui ejuſdem erunt patriæ, & quibuſcum anteacto tempore quàm recipiantur fuerint verſati. Referre autem debent duo electi ad Congregationem iterum convocandam, quæcumque de illis habuerint, ſi quo modo ſcire interſit, antequam ſecretò ſuffragia ferantur.

Præter duos patres, quos eligendos ad id muneris diximus, alii etiam patres diligenti cura exquirent quæ hactenus præfati ſumus, & num animo veniant permanendi ſemper uſque ad vitæ obitum in Congregatione, non alio prætextu quàm ut Deo inſerviant, & obſervent noſtræ Congregationis inſtituta ſeu conſtitutiones, quas propterea antequam recipiantur, legendas patres offerent, quo rem totam maturiori conſilio deliberent.

Quomodo autem oporteat admittendos expeditas habere res ſuas familiares & domeſticas, habetur cap. 8. Antequam enim per ſecreta ſuffragia admittantur, debent eſſe expediti ad vivendum nobiſcum, & habitandum, ne ſic admiſſi extra Congregationem degant, præter tempus dierum aliquot, ut ad ſummum quindecim.

Admiſſi ad primam probationem non continuò tyronibus aggregabuntur, ſed menſem veluti hoſpites in noſtris in ædibus morabuntur, ut interim omnia noſtra cognoſcant, ac maturius deliberent, & è contra ipſorum periculum fiat, ſi prompti ſint in omnibus parere, vel in humillimis ac duriſſimis; ſi exercitationibus ſanctarum meditationum, & ſacramentorum ſint à ſe ipſis devoti, non contentioſi, non pertinaces, non ſuperbi ulla omnino in re, adverſus majores aut etiam minores.

Si bonum ſui ſpecimen dederint, poſt menſem eorum nomina in libro ad hæc deſtinato notabuntur, & inde annus primæ probationis incipiet, per quod anni ſpatium ſi fuerint in vitæ laudabilis ratione verſati, in ſecunda probatione biennium conſiſtent, alioquin dimittentur à Præpoſito, & Deputatis, quorum eſt munus ad primam & ſecundam probationem admittere. Exacto autem triennio, ſi laudem ſimili modo probatæ vitæ habuerint in convictu, ut eſſe poſſint è Congregatione, nominatim decernendum eſt. Aggregabuntur ergo per ſecreta ſuffragia, poteruntque deinceps ad omnia miniſteria, excepto Præpoſiti, & Deputati munere eligi: jus autem ipſi alios eligendi poſt decennium ſolùm habebunt, niſi de conſenſu Deputatorum Præpoſitus hoc jus ex cauſa ſtatuerit differendum.

Quod ſi quis eorum, alia nulla intercedente cauſa, niſi oblivionis aut modeſtiæ, ad tempus non petierit, quod à Congregatione fuiſſet acceptus, cum in noſtrorum catalogum admiſſus referetur, ab eo tempore cenſeatur aggregatus, quo expletum fuerit conſuetum triennium, vel decennium.

Admittere ad Congregationem, & omnia ſupradicta pertinebit ad Sacerdotes expleti decennii, & ſtabitur majori parti ſuffragiorum; ad primam tamen & ſecundam probationem, ut dictum eſt, ad Præpoſitum & Deputatos.

Nemo poſſit expelli è Congregatione, niſi primùm in unum locum congregati fuerint omnes Presbyteri, qui decennium exegerint in Congregatione, numerandum à die qua ſunt admiſſi ad primam probationem, & ſinguli ſuum ſuffragium dederint, & quod duæ è tribus partibus ſtatuerint, id fiat. Quod ſi in tres partes non poterit fieri Presbyterorum æqua diſtributio, tunc ſervabitur ratio quæ eſt octo ad tredecim aut quatuordecim, ita ut octo exempli gratia conficiant duas partes, ſive tredecim ſint Presbyteri, ſive quatuordecim.

Nemo poſſit expelli è Congregatione niſi propter iteratam gravemque pertinaciam, vel grave delictum; ſed qualia ſint ſingula hujuſmodi, ſtabitur judicio duarum partium è tribus, numerandarum ut ſuprà.

## Cap. VII.

ADmiſſi ad primam probationem, ſive Clerici, ſive Sacerdotes, donec fuerint expleto triennio noſtris adſcripti, ejus curæ commendantur qui id muneris in Congregatione ſuſtinet. Is ad fructum animarum omnia referens, præter virtutum ſingulare ſtudium, quarum maximè compotes eſſe noſtros oportet, curet alia quædam proponere, quæ ſunt hactenus obſervata, ut videlicet: *Tyronum inſtitutione.*

Sacro quotidie inſerviant.

A ſtudiis literarum Superioris arbitrio abſtineant. Hæc enim moderanda primum, ut Divina ſapientia imbuti diſcant amare neſciri.

Ad menſam ſigno dato ſine ulla mora conveniant, ibique ex præſcripto Miniſtratoris vel Lectoris Officio fungantur.

Singuli miniſtrent vel legant ſingulis diebus aut hebdomadis, tam prima quàm ſecunda prandii vel cœnæ hora, qui verò ex eis Sacerdotes fuerint, ad primam non niſi mane miniſtrare ſolent.

Lectionem ſimiliter in Eccleſia, ut cuique ſua fuerit conſtituta hebdomada, ſermonibus præmittant, interſint dum habentur, atque etiam curent, ne quid omittatur eo tempore quod eſſe ſolet inſtituti. Eam verò miniſtrandi & legendi conſuetudinem, jam aggregati ad decennium uſque retineant vel circiter, Superiorum arbitrio, Præpoſiti ſcilicet & Deputatorum.

Ubi

Ubi finem ſermones habuerint, quorum quotidie duos vel ſaltem unum audierint, ut etiam valetudini quadam ex parte inſerviant, in aliquam ambulationem veniant.

Veſperi ad orationem in Oratorium ſe conferant.

A prandio & cœna, animi recreandi gratia per horæ ſpatium eorum quiſque in unum cum aliis locum adveniant, & omni mitigata ſeveritate, vultu hilariori, modeſtè tamen ſic ſe gerat, ne alium vel joco tangat.

Si quis eorum per janitorem accerſatur ab aliquo, ſtatim ad portam domus deſcendat, ſe paucis expediat, & neminem externorum in cubiculum ſuum, vel omnino in ædes noſtras, inſcio Superiore admittat.

Nec domo, nec ſoli, niſi facultate ab eodem data aliquando exeant.

Nulla externorum negotia, vel quæcumque in Congregatione degentibus, ſeu conſuetudine, ſive decreto aliquo ſunt denegata, ſine Præpoſiti etiam licentia adminiſtrent, aut conficiant.

Ab adminiſtratione Sacrorum, ipſoque Sacrario Feſtis diebus, vix neceſſitate cogente recedant.

Altare cujus quiſque curam ſuſcepit, ut tempori congruit, ex viciſſitudine Eccleſiaſtici myſterii ornet.

Ter in hebdomada aſſignato Confeſſario peccata ſua confiteantur, & qui non fuerint Sacerdotes, ejus arbitrio Euchariſtiam accipiant.

Curent, ſi quid erraverint, ut ſpontè ſe correctioni ſubjiciant.

De Congregatione autem ad quam convenientes in aliqua ſe culpa eſſe demonſtrant, extat hujuſmodi noſtrorum conſtitutio.

Congregatio culparum Tyronum, id eſt eorum qui nondum triennium in noſtra Congregatione exegerint, ſive Sacerdotes ſint, ſive Clerici, ſingulis fiet hebdomadis, ut ſcilicet ad omnium communem veniant, & ea hebdomada in qua non habetur communis, privatim apud illum cujus curæ ſunt commendati, ad ſuas culpas coarguendas congregentur.

Adhibere etiam, loco accuſationis jam dictæ, aliquando ſolent probati cujuſque auctoris lectionem, ex qua ſaluberrimis viciſſim documentis per communicationem & divinorum collationem imbui poſſint.

## Cap. VIII.

*Præcipuis Cõgregationis obſervationibus.*

AD excolendos diviniore diſciplina ſuorum animos, & ad Chriſtianam, veramque pietatem magis conformandos, hæc præſertim interpoſita decreta ſervat Congregatio.

Ter in hebdomada ſua peccata Sacerdoti ad hoc delecto quilibet confiteatur, niſi aliqua interdum de cauſa permittatur ab ipſo quiſpiam aliter facere. Hanc tamen conſuetudinem à B. Philippo Patres inſtituti perutilem ad ſalutem æternam volunt & prædicant. Ad Euchariſtiam ſimiliter ſumendam ſe paret, ſumatque ſi videatur eidem cui confeſſus fuerit.

Congregatio (ut dicimus) culparum decimoquintoquoque die perpetuò fiat, in qua non modò Sacerdotes intererunt, ſed clerici, laïcique omnes noſtræ Congregationis, & à noviſſimis ad primos quiſque commiſſam à ſe aliquam in conſuetudine familiari culpam, etiam levem, flexis genibus accuſat, & quoquo modo alicujus animum offenderit, petit ab illo veniam. In hac tamen accuſatione publica, nulla earum rerum mentio eſt, quarum ſecreta apud Sacerdotem debet eſſe confeſſio.

Nemo ex Sacerdotibus alios corrigat, qui decennium Sacerdotii non expleverit in Congregatione.

Statuto igitur die Congregatis omnibus, invocato primùm, ut moris eſt, à Præpoſito in Sacris precibus Spiritu Sancto, ille è Sacerdotibus cujus eſt ex ordine alios corrigere, (ſolent enim in hujuſmodi munere ſibi invicem ſuccedere) in ſella ad Præpoſiti dexteram locata vocatus aſſidet, & perbrevi ſermone ad inflammandos in Deum animos utiliter præmiſſo, fungitur in ſpiritu lenitatis Officio Correctoris, ac dum clericos corrigit, & Sacerdotes, caput detegit, quod in laïcis corrigendis non ſolet. Præpoſitum inſuper corrigendum detecto capite ſtans admonet.

Laïci & clerici ubi ſuas culpas accuſaverint, correcti, & à Præpoſito de aliqua vitioſa conſuetudine emendanda vel laudabili retinenda, quambreviſſimè etiam admoniti ſimul diſcedunt. Singuli deinde Sacerdotes, qui adhuc infra triennium approbationem expectant, ſeſe culpant: his pariter abeuntibus remanent cæteri Sacerdotes, quorum accuſatione expleta, & correctione adhibita, Præpoſitus Deo gratias agit precibus conſuetis.

Præſcribetur autem forma, ut dici ſolet, pœnitentiarum, quam in illis conſcribendis nullo modo tranſgredi liceat. In ſchedulis autem ſcriptæ eodem die quo fuerint accuſatæ culpæ, veſperi in triclinio ſub cœnæ finem per manus è ſacculo ſingulis diſtribuantur.

Hac diſtributione facta, ut fortè obvenerint, ordinatim & apertè legat coram omnibus quiſque ſuam.

Eligetur præterea, ut ſuprà diximus, aliquis ex ſenioribus, qui Correctoris Officio fungatur. Hujus erit unumquemque è noſtra Congregatione, etiam Deputatos & Præpoſitum clam corrigere, quod tamen munus omni manſuetudine & animi lenitate exequetur, ſeipſum, ut ait Apoſtolus, conſiderans, ne & ipſe tentetur, itaut ſe potius & vitia ſua corrigere videatur, ut hac ratione fratres ad meliorem frugem reducat.

Quod domeſticæ tandem diſciplinæ ſtudium poſtulat, ea hebdomada in qua nulla eſt communis accuſatio culparum, Laïci omnes noſtræ Congregationis cuivis miniſterio aſſignati, apud Miniſtrum convenire debent, ut ab illo erudiantur, & ad tenendam ſalutis æternæ viam benignè inſtituantur.

Ad hæc, ne noſtri inflammentur avaritia, vel ambitione prolabantur, ne modeſtiam leniter abjiciant, vel temerè auctoritatem teneant, his quæ ſequuntur conſtitutionibus aliqua ex parte cautum eſt.

Quo Deo diviniſque rebus expeditiſſimè quicumque admittuntur in Congregationem, ſe tradere poſſint, id maximè videbunt in primis, ne quid litigioſum ſit ullo modo in rebus familiaribus quas habent, ſciantque cujuſlibet anni redditus expendendos in bonos, quos ipſi judicaverint, uſus, neque quicquam cumulandum, ne quis ſcilicet è noſtra Congregatione ullam curam ponat in divitiis parandis, immò verò ex cenſu pro ſuis cuique facultatibus in commune commodum Congregationis liberè conferendum eſt. Quod à noſtris adeo ſervatum eſt hactenus, ut ſi quis ob inopiam id non præſtiterit vel præſtare intermiſerit, ſtatim atque de ſuo abundantior quoquo modo factus eſt, pecuniam pro rata portione dare, ac ſolvere non deſinet, ita eis conveniens ac conſentaneum ſemper viſum eſt ſtipendiis propriis militare, & à rebus etiam Congregationis tanquam ab alienis abſtinere, quibus ipſa debet in primis non habentes unde vivant, ſuſtentare ſuos. Nec propterea pecuniam imperat Congregatio, dum exigit quod ab hilari datore ex inſtituto pro victu offertur, idque etiam prout cujuſque facultates ferunt.

Poſſunt etiam Præpoſitus & Deputati, partem vel totum aſſignatorum proventuum remittere, ſi eis videatur aliqua de cauſa id faciendum.

Omnia ſecularia negotia interdicuntur noſtris, niſi aliquid juſta de cauſa mandetur expediendum à Præpoſito, & quatuor Deputatis. Nulli ex noſtris, quamvis fuerit requiſitus, profiteri licebit ſub aliqua Congregatione vel Societate extra Domum, vel aliquod onus ſuſcipere ſine conſenſu Congregationis.

Cum ſint multi in Eccleſia Dei, qui audiendis Monialium confeſſionibus aut dant operam, aut dare optimè poſſunt, propterea ne quis ab inſtituto Congregationis noſtræ proprio poſſit abduci, ſtatutum eſt, ne noſtrorum aliquis ſeſe obliget aut dedat confeſſionibus audiendis, moribus reformandis, rebuſque earum gerendis. Idem dicimus de Seminariis, Collegiis, Congregationibus, Societatibus, aut aliis Univerſitatibus, rebuſve earum quomodolibet tractandis.

Nemo Epiſcopus, Præſul, aut alia, quæcumque ea ſit, dignitate ornatus, recipiatur in ædes Congregationis, ut in iis unà cum noſtris moraturus habitet, etiamſi id fiat ad aliquod tempus.

Nulla

Nulla Eccleſiaſtica beneficia petere aut accipere unquam omnino poſſint, habita olim, ſi reſidentiam perſonalem non requirant, poterunt retinere.

Dignitates ullas nemo poſſit accipere, niſi Pontifex jubeat.

Nec licebit, abſque Præpoſiti & quatuor Deputatorum conſenſu, frequentare Curias, neque officia vel beneficia pro ſe vel pro aliis expoſcere.

Nulli ſit proprius famulus: ſi qua aliquem neceſſitas premet, deferet ad Præpoſitum, qui unà cum quatuor Deputatis, quid ei opus ſit, curabit.

Nec ſinat quis pueros ingredi cubiculum ſuum, niſi ducātur ab aliis, qui teſtes interſint, reliquos admodum parcè admittant, ſed vocati deorſum ad illos ſe conferant.

Non admittatur aliquis ad quoſcumque ordines Eccleſiaſticos abſque conſenſu Sacerdotum qui decennium exegerint in noſtra Congregatione. Eodem modo nec ad ſermones habendos, vel ad confeſſiones audiendas, ſicut alibi dictum eſt.

Nemo librum imprimendum det abſque licentia Præpoſiti, & Deputatorum.

Nulla lex à Sanctiſſimo confirmanda proponatur, niſi priùs in ea conſenſerint Presbyteri exacti in Congregatione decennii.

Quando lex aliqua univerſalis conſtituenda eſt, Sacerdotes omnes interſint qui expleverint triennium, votumque conſultivum habeant, deciſivum verò tantum qui decennium compleverint.

Cum aliquid gerendum proponitur, antea publica & libera de ea re habeatur à Patribus conſultatio, deinde aliquot tranſactis diebus ſuffragia erunt ſecreta niſi fortè rei neceſſitas, utilitas, vel etiam aliquando modicitas, expediri ſtatim poſt conſultationem, de Congregationis ſententia per ſecreta ſuffragia cogant. Sed ſicut dictum eſt, licet Sacerdotes omnes admittantur qui exegerint triennium in Congregatione, votumque conſultivum habeant, deciſivum tamen ſolummodo illi, qui decennium expleverint.

CAP. IX.

...iu, & ...tudine ...iari.

HAs præterea conſtitutiones & obſervationes ad externam noſtrorum hominum modeſtiam exhibemus, Ipſi ad interiorem animi virtutem habendam adhibere non negligant.

Nemo ex Fratribus noſtris aut Patribus ſericum quicquam in ſuis veſtibus gerat, præter breve, preſſumque verticis operculum confovendo capiti, & velum interiori pileo inſuendum.

Forma item veſtium ſemper ſervabitur conveniens Clericis ſecularibus.

Noſtri laïci gerent veſtem demiſſam uſque ad genua, paulò vero inferius pallium.

Qui ex domeſticis impenſis veſtiuntur, quoties opus fuerit, miniſtrum adeant, vel ipſo abſente, Præpoſitum, eique proponant quibus indigent: ipſi autem ad ſubveniendum expoſiti, quo charitatis affectu valent, eorum petitionibus ſatisfaciant.

In veſtitu, inceſſu, ſermone, actione, geſtuque omni decorum ſervent, modeſtiamque omnem ſinguli præ ſe ferant; nulla tamen appareat noſtrorum actio, ut dicitur, ſingularis, à vulgari & communi bonorum & ſimplicium virorum more diſcrepans.

Quamquam verò noſtrorum eſt conſuetudo peculiaris, ut ſe invicem honore prævenientes, & ſibi invicem obſequentes, quiſque velit ad demittendum animum, infimum inter alios tenere locum; ne tamen perturbetur quaſi cujuſdam anteceſſionis aut ætatum ordo, præſertim publicè ſedendo & incedendo, aliiſque actibus hujuſmodi, ex Sacerdotibus præcedent illi qui priores fuerint Sacerdotes ex quo admiſſi ſunt in Congregationem, ita tamen, ut ſi quis ex Clericis exacti triennii, promotus fuerit ad Sacerdotium, tyronibus Sacerdotibus, illis videlicet qui nondum triennium in Congregatione exegerint, præferantur. Laïci autem ſemper Clericis poſtponentur.

Poſt prandium & cœnam morabuntur omnes noſtræ Congregationis homines in loco deputato per horæ unius ſpatium: quo elapſo omnes in ſuum cubiculum ſeſe conferant.

In electione vacantium cubiculorum, erit optio penes ſeniores Sacerdotes, niſi aliter viſum fuerit Præpoſito & Deputatis.

Domo non egrediatur quiſquam ex noſtris ſine permiſſu Præpoſiti, niſi expleverit decennium in Congregatione; exacto enim triennio ad hoc uſque tempus, illos vel maximè Sacerdotio nondum præditos, Præpoſitus per ſe vel per alium peculiari quadam cura ad virtutum progreſſus juvare ſolet.

Invitatus ad prandium vel ad cœnam extra domum nemo accedat abſque permiſſu Præpoſiti.

Nemo externorum ad prandium vel ad cœnam inſcio Superiore invitetur, multo etiam minus hoſpitio, niſi uno omnium conſenſu Præpoſiti & Deputatorum.

Ex exteris aliquem nullus Patrum aut Fratrum invitet ad prædia quæcumque noſtræ Congregationis, nec recipiet ut ſecum ibi moretur, ſine conſenſu Præpoſiti Congregationis.

Nullus abeſſe ultra menſem à Congregatione permitatur à Præpoſito, ſive in patriam profecturus ſit, ſive aliò, niſi de conſenſu etiam Deputatorum.

Nullus è noſtra Congregatione in baptiſmate aut alio Sacramento quempiam ſuſcipiet.

His aptè congruenterque addenda ſunt etiam nonnulla, quæ diuturna conſuetudine recepta & probata ſtudioſe retinentur à noſtris. Litanias enim in Oratorio veſperi ſinguli Sacerdotes recitant.

In divinæ Sacrificio Miſſæ, non ſolum ſinguli quotidie Clerici Laïcique deſerviunt, ſed Sacerdotes complures, laude quidem digni ſunt adminiſtri.

Menſæ, præter laïcos & clericos qui perpetuò miniſtrant alterni, ſinguli etiam Sacerdotes veſpere ſingulis diebus miniſtratores adſunt.

Neque deſunt ex noſtris, qui ſe frequenter ad domos infirmorum hoſpitales conferant, ut opera ſua ægrotantes juvent.

Domi verò cum quis noſtrûm ægrotaverit, omnes frequentes adſunt, ſubveniunt, conſolantur, inſerviunt, confirmant quamdiligentiſſimè.

Cum autem morti proximus quis fuerit, ſigno dato conveniunt omnes, tam Sacerdotes quàm cæteri, ut divinam morienti miſericordiam unanimes expoſcant.

Si quando alterum quis verbo offenderit, veſperi inter cœnandum, re dubia jam explicata, flexis in medio triclinio genibus, id faciens, ſi verum, veniam ab illo petit, quem offenderit. Is vero aſſurgens, idemque faciens, culpam in ſe ſaltem convertit, quod occaſionem dederit: injurioſus autem merita afficitur à Præpoſito pœna, aliquando levi, aliquando nulla.

Pœnæ autem, quæ culpis in Congregatione bis in menſe accuſatis imponi ſolét, ſunt hujus ferè generis. Trium priorum Sacerdotum, aut noviſſimorum pedes in menſa deoſculari. Pſalmum, cujus initium, De profundis, ſubmiſſa voce, extenſis brachiis, vel Pſalmum Miſerere, conjunctis manibus medio in triclinio recitare. In noviſſimo menſæ loco recumbere. Humi ſedendo cibum capere. Auxiliares preces ab ingredientibus triclinium flexis genibus flagitare, vel eaſdem petere ad delenda ante obitum pœnitendo peccata. Ante menſæ accubitum aliquid à ſingulis recumbentibus eleemoſynæ nomine petere. Secundæ menſæ miniſtrare, vel in ea Lectoris officio fungi. Sacram Beatæ MARIÆ Virginis coronam pro ſummo Pontifice, aut pro beneficiis in Congregationem noſtram, aut pro mortuis noſtris recitare. Infirmos qui ſunt in domibus hoſpitalibus inviſere, & aliæ his perſimiles.

CAP. X.

*Triclinio, & communi menſa.*

ASſumenda tandem eſt tractatio menſæ ad pium in Triclinio convictum inſtructæ, ubi ſingulis noſtrū idem genus, eadem portio cibi, potioniſque ſuppetit. Legitur ipſa Italicè quandoque inter cœnandum, arbitratu Præpoſiti vel miniſtri, hoc ferè ſcripta exemplo.

Cum primum prandii aut cœnæ datum fuerit ſignum, unuſquiſque noſtrum in omni prorſus opere, ac negotio ceſſans, ad triclinium ſe confert. Inter eundem ſilentium facit, etiam dum à menſa ad locum pervenerit in quem homines noſtri ad animum recreandum cōvenire debent.

In ipſo primum ingreſſu capite inclinato veneratur Imaginem Sacrā è conſpectu propoſitam, deinde cōſueto reverentiæ ſigno ſalutans alios, modeſtus, ac ſilens propè

menſam, ut ſuò ſtat quiſque loco, nec epulas appoſitas, nec alios ingredientes curioſè circumſpicit.

Præpoſitus vel qui ejus abſentis locum obtinet, poſtquam tantiſper expectaverit, dum ex cubiculis convenire huc omnes potuerint, clarè, ac diſtinctè ex præſcripto S.R.E. menſæ benedicit, & in primo loco ipſe Præpoſitus aſſidet, deinde alii, ut quotuſquiſque ſolet in Congregatione præcedere. Siquis vero tardior, lectione tamen Latina nondum abſoluta, advenerit, ſtans propè januam orat pauliſper tacitus, & Præpoſito reverentiam exhibens, proximè poſt alios omnes aſſidet. Præpoſito enim abſenti, reverentiæ & obſequii cauſa, non autem aliis proprius relinquitur in menſa locus. Poſt latinam tamen menſæ lectionem non ingredietur, donec ad menſam iterum inſtructam conſueto ſigno convocetur, ut ad benedictionem & gratiarum actiones omnes conveniant. Excipiuntur tamen Confeſſarii, quibus permiſſum eſt feſtis diebus, etiam abſoluta menſæ lectione, ad prandium venire. Menſæ initio donec Præpoſitus ad cibum capiendum ſe expediat (antequam enim incipiat, duos ad ſummum verſus lectionis attendit) nemo quicquam attingit in menſa. Caveant etiam ne ſtrepitus à principio nimius audiatur.

Singuli ex noſtris iis contenti erunt quæ ipſis apponuntur in menſa, nihil præterea expoſcentes, vel per ſe ipſi deferentes, niſi Præpoſiti vel Miniſtri fruantur licentia, qui & promptiores largientur, & providebunt quæ opus eſſe, & expedire unicuique judicaverint. Si earum rerum, quæ in menſam inferri ſolent & apponi, aliquid cuiquam deerit, ipſe quidem per ſe à miniſtris exiget, ejus tamen curæ potius erit, qui propior conſidet.

Fit in menſa ſilentium ſemper, modò non incurrat exceptio, ſit enim loquendi poteſtas proponenti vel reſpondentibus ad rem dubiam explicandam.

Præterea denuncianti poſt cœnam noſtrorum precibus commendandos, Præpoſito demum vel Miniſtro, cum quid occurrerit quod Lectori committi non potuerit nec differri debeat, alioquin ſilentii lex, qua etiam Præpoſitus aſtringitur, eſt obſervanda.

Nemo in menſa literas legat, nec janitor eas deferat, vel alicui quicquam denunciet comedentium. Quod ſi qua imminens urgeat neceſſitas, negotium cum Præpoſito, aut cum eo qui in illius locum ſuccedit, collatum priùs exequitur ex conſenſu. Idipſum ſervet, donec ex triclinio eò perventum fuerit, quò animi cauſa noſtri omnes conveniunt.

Poſt epulas ablata menſa ſinguli, ſurgente Præpoſito, ſurgunt, & egreſſi ita ſtant propè menſam, ut ſi commodè id fieri poſſit, qui ſedentes extremos occupabant locos, ſtantes occupent medios, & qui ſedebant medii, ſtent extremi, ſinguli recto conſiſtentes ordine. Præpoſitus ſolus dignitatis cauſa paululum à cæteris disjungitur. Hic igitur ſitus & ordo, quo Deo optimo maximo gratiæ referuntur. Quibus peractis egrediuntur bini ex triclinio, ut qui in menſa primus poſt Præpoſitum ſedebat, ipſi egredienti ſe adjungat, ac cæteri deinceps eodem ordine.

Nemo in triclinio vel in proximo veſtibulo, ubi ſolum ad abluendas manus licet conſiſtere, aliquam præterea moram faciat.

## Cap. XI.

*Lectore, & Lectione ad menſam.*

NOn ſolum corpori, ſed etiam menti proprius ſuppeditari debet in menſa cibus. Sacra igitur ante alios libros leguntur Biblia, deinde pia quæcumque commentaria vel monumenta, poſtremò Superioris arbitrio, liber alius, in quo vel probatæ Sanctorum Hiſtoriæ, vel ſalútaria documenta Italice habeantur. Lector autem ante prandium, vel cœnam, in ſuggeſto ſe libroſque parat ad legendum, ſtat nudato capite dum preces adhibentur ad menſam, & ubi verſum illum protulerit, Jube domne benedicere, expectaveritque donec omnes conſederint, ipſe etiam ſedens, tecto ac recto capite, clara voce, diſtinctè atque explicatè legit. Lectione jam in ſuas partes ſapienter diſtributa, ab ultima non ceſſat, niſi juſſus à Præpoſito, nec ei id jubet, niſi ultra dimidium prandium vel cœnam. Quod ſupereſt in menſa temporis, in quæſtione, ut moris eſt, ponenda, ac reſponſionibus declaranda traducitur. Lectoris erit non modo in menſa quos diximus legere libros, ſed ad rem dubiam ponendam invitare. Singulis item hebdomadis, ſemel ut minimum, eorum qui benefici fuerint in noſtros, ſcripta nomina recitare, quæcumque tandem verbis aut ſcriptis à Præpoſito ſeu Miniſtro juſſus fuerit, referre. Nihil enim præterea legere aut nunciare debet, quam quod ſibi fuerit ab ipſis impoſitum. Correctus Lector verba correctoris eodem ſyllabarum ſono, quo ille pronunciavit, repetat. Corrector autem ad hoc electus, vocabulum ſolum in quo erratum eſt, corrigere modeſte, nec alia verba interponere curet.

Legendi finem Lector faciet, cum Præpoſitum audierit verba illa pronunciantem, Et reliqua. Tunc ille prolato verſu, Tu autem Domine miſerere nobis, & Sacerdote clara voce admonito, cui ſit res dubià ex ordine proponenda, deſcendit, & exhibita Præpoſito reverentia aſſidet in menſa ut comedat.

## Cap. XII.

*Rebus dubiis in menſa proponendis.*

POſt lectionem continuò unus aliquis ex Sacerdotibus (id enim ipſi ſinguli, quorum eſt expletum in Congregatione triennium, præſtare ſolent) ſingulis diebus mane & veſpere ex literis Sacris moralem diſciplinã, vel ex præceptis optimæ mentis & conſcientiæ aliquid proponit, quod poſſit in dubium vel controverſiam venire: cavet tamen, ne quid arduum, obſcurum, aut nimis exquiſitum ponat, quo minus valeant ſinguli reſpondere. Si quando tamen aliquis non aliud reſponderit, quàm ſe aliorum communi judicio ſtare, datur id modeſtiæ potius quàm inſcitiæ. Is autem cui muneris ejuſmodi dies obvenerit, etiamſi Lector, ut moris eſt, non commonefecerit, per ſe proponit. Si quis tamen externorum ad menſam vocatus adſit, nonniſi jubente Præpoſito vel alio in ejus locum conſtituto; neque enim tunc Lector, ut alias, ipſum præmonere debet. Abſenti is ad proponendum ſuccedit, qui proximus poſt illum in menſa ſedere conſuevit. Si quis etiam tardior ad proponendum videatur, quòd oblivione vel negligentia acceſſerit imparatus, Præpoſiti eſt expoſcere altiori voce, aut vicinioris convivæ ſubmiſſa commonefacere. Duæ quidem quæſtiones eſſe ſolent, quæ dubitationem habentes ponuntur in menſa, explicant alterutram ſinguli, ſolus qui proponit, ut omnem dubitationem ultimus tollat, præmeditatus ad utramque reſpondet. Reſpondentium is primus eſſe debet, qui proponenti proximum inferiorem locum in menſa tenet, deinde alii Sacerdotes expleti in Congregatione triennii eodem ordine. A reſponſis, quæ debent eſſe quambreviſſima, recedat omnis apparatus, & oſtentatio. Proponitur enim explicandum quod dubium eſt omnium nomine, ut quiſque quaſi diſcipulus à Præceptore interrogatus reſpondeat, etiam is qui propoſuit.

### Appendix.

DE ipſis tamen conſtitutionibus hæc habentur.

Si quid ambiguum fuerit in noſtris conſtitutionibus, Præpoſitus & Deputati declarabunt, nullo tamen modo poſſit eas immutare, derogare, aut aliqua ex parte innovare, vel novas condere.

### Appendix primi Cap. conſultò ſepoſita.

IN Oratorio noſtro ad Veſperum quotidie, dato ſigno, lampade ac luminibus accenſis, horologio item arenario ſuper altare poſito ante Sacram B. Virginis MARIÆ Imaginem à ſolemni Chriſti Domini Reſurrectionis die uſque ad Kalendas * Novembris hora diei XXIV. ex Kal. autem * Novembris ad Sanctum Paſcha prima noctis orationi præfinita eſt. Feſtis vero diebus etiam ſecunda, habetur enim ſermo, ſitque concentus muſicus.

** Septembris*
** à Kal. Novembris.*

Eſt autem orandi ritus, ut ibi dimidiam horam taciti in oratione, ut dicitur mentali, traduxerint, accenſis ab Æditu o reliquis in Altari luminibus, & ſigno dato, Sacerdos ad quem per hebdomadam pertinet, Litanias incipiat, & preces conſequentes, alternis etiam multitudinis congregatæ vocibus recitandas, ſibi ſolas reſervans orationes. Cum vero ad pacis orationem pervenerit, cujus eſt initium, Deus à quo ſancta deſideria, &c. duo confeſtim ex Oratorii Fratribus vel miniſtris Sacras clementiſſimi JESU ex Altari ſumentes imagunculas, Sacerdoti primum genuflexo oſculandas præbent. Exoſculanti autem, dicentique hinc atque inde, Pax tecum, inclinato ipſi capite

reſpondent

reſpondens, Et cum ſpiritu tuo. Deinde ſingulis qui ſunt in Oratorio cum ſalutatione qua Sacerdos uſus eſt, eas ad Oſculum ſanctum offerunt. Ceteris interim orationibus abſolutis, petit ab omnibus clara voce ut à Deo jugem in ejus cultu,& ſervitute perſeverantiam precentur, quinquies ſecretò Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem recitantes, dicit enim, Petamus quæſo nobis in Divinis perſeverantiam, recitantes, &c. His adhibitis precibus, petit iterum ut pro ſummo Pontifice, Cardinalibus, aliiſque Sacerdotum primariis, pro Chriſtianorum Principum concordia, Fidei propagatione, & hæreſum extirpatione, atque improborum hominum obtinenda converſione utrumque bis repetant. Tum inde ſemel pro fratribus Oratorii vita defunctis, precantes illis requiem ſempiternam. Poſtea verſu illo prolato, Dominus det nobis ſuam pacem, Antiphonam Beatæ MARIÆ pronunciat, vel Salve Regina, vel aliam tempori magis congruentem. Tandem, qui pacis oſculo per Sacras Imagines primùm alios, deinde ſeipſos invicem ſalutarunt, quæcumque acceperint eo tempore orationibus commendanda, referunt Sacerdoti, qui omnes adhuc obſecrat, ut velint pro ejuſmodi rebus Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem ſemel repetere, & Sanctiſſimum JESU nomen quinquies invocare. Ea prece completa, cum ipſe verſum pronunciaverit, Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum, & ad oſculum uſque terræ ſeſe omnes inclinaverint, Oratorium dimittitur.

Hic perpetuus eſt Orationis uſus, exceptis ſecunda, quarta & ſexta feriis, tota præterea majori Hebdomada. His enim diebus ob memoriam flagellorum, quibus innocens pro nobis Chriſtus Dominus cæſus fuit, ſe omnes in Oratorio flagellis cædunt. Eſt autem conſuetudinis & inſtituti (niſi hujuſmodi dies feſti ſint, aut hebdomadæ Reſurrectionis Domini noſtri JESU CHRISTI) ut poſt horæ dimidiæ tacitam orationem, quam mentalem appellant, ſtatim aliqui ex Oratorii Cuſtodibus vel Curatoribus, flagella ex funiculis crebris contexta nodis diſtribuentes, miſſis foras (ſi qui ſint) pueris, januis, feneſtriſque diligenter clauſis, lucernula tantum accenſa, quæ ſit intra ejus artificii laternam ſuper Altare tunc poſitam, ut tantum inde Chriſti cruci affixi nitida, nihil tamen fulgoris emittens appareat imago, cæteris extinctis luminaribus, tenebras obducant. Tunc Sacerdos clara, lugubrique voce pronunciat verſum, Jube domne benedicere.

Paſſio Domini noſtri JESU CHRISTI ſit ſemper in cordibus noſtris.

Recordemini Fratres chariſſimi quod Dominus noſter JESUS CHRISTUS fuit pro nobis venditus, oſculo traditus, ad Annam primùm, deinde ad Caïpham Pontificem ductus, & poſtremò in Prætorium ad Pilatum, ubi fuit ad columnam ligatus & flagellatus, ſpinea corona coronatus, ac veſte purpurea circumdatus, alapis percuſſus atque conſputus, & Judæis traditus, ut crucifigerent, ad Calvariæ locum deductus, & crucifixus, & cum eo crucifixi ſunt latrones duo, unus à dextris, & alter à ſiniſtris: & cum dixiſſet, Sitio, porrexerunt ei acetum, quod cum accepiſſet, dixit: Conſummatum eſt, & inclinato capite emiſit ſpiritum: (hic ſinguli ſibi pectus pugno tundunt) deinde unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua, & de cruce depoſitus fuit in monumento novo ſepultus, tertia autem die reſurrexit à mortuis. Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias. Sequitur:

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, &c.

Ad hæc verba arreptis funiculis nudatum corpus tamdiu verberant, donec Pſalmi L. nempe Miſerere, cum verſu Gloria Patri, &c. & Pſalmi 129. cujus initium, De profundis, in cujus fine dicunt, Requiem æternam, &c. verſus alterni devotè pronuncientur. Inſuper orationes, Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, & Deus qui culpa offenderis, &c. ad cujus finem fit, ſigno dato, flagellorum finis. Sacerdos autem ad orationem Dominicam, & ad ſalutationem Angelicam quinquies repetendam hortatur, deinde bis pro Pontifice, &c. & ſemel pro fidelibus defunctis, &c. ad eundem planè modum, quo aliis diebus orare ſolent, in quibus abſtinent à verberibus. Hoc interim ſpatio ſinguli in tenebris, & ſilentio ſuis ſe veſtibus induunt. Poſt hæc Cantici Simeonis, videlicet, Nunc dimittis ſervum tuum Domine, &c. verſus alternos recitant. Parat interim ſe cuſtos, ut cum illa verba audierit, Lumen ad revelationem gentium, &c. laternam aperiens, lumina rurſus accendat. Sequitur Sacerdos orans, Da pacem Domine, &c. & oratione illa abſoluta, Deus à quo ſancta deſideria, &c. offeruntur ad pacis oſculum Imagines Sacræ eodem penitus ritu, quo aliis feriis. Auditis interim orationibus aliis conſequentibus, ſubdit orans, Dominus det nobis ſuam pacem: Reſpondent, vitam æternam. Amen. Poſtremò Sanctam Virginem Deiparam ſalutant Antiphona conſueta, ut anni tempus aptè congruenterque poſtulat, itemque cætera, ut in aliis feriis, in quibus nullus eſt flagellorum uſus.

## CAP. XIII.

Exercitationibus, in quibus verſari ſolent Dominicis diebus.

ÆDituus vel quivis alius Cuſtos, maturè diebus Dominicis fores Oratorii manè aperit. Lector ſuccedit ad lectitandum libru optimi cujuſpiam argumenti ac ſalutaris tractationis, donec frequentiori concurſu facto, Præfectus vel adjutor flexis genibus ad piè meditandum aliquid proponit, poſtea Litanias ac cæteras orationes proſequitur, ſicut Veſperi moris eſt quotidie facere. His abſolutis, unus aliquis Sacerdotum qui ad audiendas confeſſiones non ſunt deputati, ex Evangelio Sermonem habens ad diem recurrente, ſimplici ſtylo, ad peccata cavenda, ad optimos mores retinendos, ad omnem denique conſervandam pietatem, hora non ampliùs dimidia adhortari ſolet auditores. Sermone habito, & oratione Dominica, Angelicaque Salutatione repetita, interrogat Præfectus, adſitne aliquis qui noverit quempiam ex fratribus ægrotare, ut ſtatim ad hoc muneris delectos, vel quos maluerit, mittat, qui languentem viſitent, conſolentur, mœrore vel inopia ſublevent, ad peccatorum confeſſionem, atque ad dolorem patienter placideque ferendum hortentur. Infirmi fratris nomen & habitatio ſcribitur in tabella, ne viſitationis, & orationis prætermittatur officium. Septem deinceps ex fratribus ad ſeptem Urbis Eccleſias, religione & ſacris Pōtificiis Indulgentiis toto Orbe celebres, ac tres ad tria publica infirmorum hoſpitia mittuntur, ut quiſque ſuam, quæ ſortito obtigerit, vel Eccleſiam, vel domū hoſpitalem ſemel infra hebdomadam viſitet. Feſtis enim diebus ad hæc pietatis officia ferè omnes commeant. In his autem exercitationibus impendunt ferè horam cum dimidia. Die autē Dominica quæcumque ultima menſis erit, præmonentur ut ad Synaxim ſe præparent, ad Euchariſtiā ſe ſumendam, hoc enim Sacramento prima quavis die menſis Dominica ſe communiunt, & à prādio Oratorio vel in ſchedulis compendiaria quædam documenta ſcripta, vel Sanctorum Imagines chartaceæ diſtribuuntur, ut ſuam quiſque accipiat, & quid per Sanctum cujus imago ſibi obtigit, à Domino petere debeat, ſubſcriptum in illa cognoſcat.

## CAP. XIV.

Aliis à prandio exercitationibus, tam in Dominicis, quàm in aliis feſtis diebus.

POſt officium Veſpertinum feſtis quibuſque diebus in Eccleſia noſtra decantatum, & ſermonem habitum, ſtatim ex Presbyteris noſtris ac Laïcis, cum externis Oratorii fratribus, aliiſque plurimis ad ſuburbanum peculiarem locum frequentes conveniunt, ubi ſuper herbā conſidentes, primum qui muſici ſunt, pium aliquod ſacrumve carmen concinunt, deinde quiſpiam ſermonem non minus pietate quam elegantia ornatum, ab Oratorii Præfecto in ſcriptis traditum, recitat memoriter. Quo habito rurſus concinunt. Surgit poſt hæc Oratorii Præfectus, vel alius cui ſit à Patribus demandatum, qui aliquod ad piè chriſtianeque vivendum quambreviſſimè proponens argumentum, alterum ad dicendum invitat, ac deinceps tertium, immò ſi tempus id poſtulet, etiam quartum, qui omnes ad rem propoſitam pari brevitate ac pietate, ad ſuam & audientium utilitatem ſermocinantur. Cum fuerit dicendi finis, hymnus concinitur, ac demùm omnes ad propria, vel ad Oratorium revertuntur. Dum verò per æſtivi caloris moleſtias ad hujuſmodi loca non licet exire, in aliquod Templum ad eas exercitationes ſeſe conferunt. At hyeme ex Kalendis Novembris uſque ad Sanctum Paſcha, Feſtis diebus veſperi ad Salutationis Angelicæ ſignum in Oratorium itur. Durat dimidiam horam

mentalis oratio, Litaniæ recitantur, vel à muſicis concinuntur. Oratio Dominica, Angelicaque Salutatio ad ſolitum numerum repetuntur. Antiphona Sanctæ Mariæ Virginis pro temporis opportunitate mutata canitur, pium aliquod canticum muſicis legibus concinitur. Sacerdos ex noſtris, quotuſquiſque eſt in ſerie ſermocinantium, Dei verbum adſtanti populo, qua poteſt utilitate ac facilitate, per dimidiæ horæ ſpatium miniſtrat, rurſus concentus efficitur. Ter prece conſueta oratur Deus, Virgoque Deipara ſalutatur, ac cœtus dimittitur.

## Cap. XV.

*Externorum in Oratorio munere.*

EX externis Oratorii Fratribus eligitur à Præfecto in primis Rector, qui aliorum officiis præſit. Æditui vel cuſtodes duo aut quatuor, qui Oratorium ſcopis verrant, lampades & candelas accendant, flagellorum, horologii, & Altaris ornandi curam gerant. Duo item vel quatuor ægrotantium curatores, qui infirmos fratres viſitent. Aliqui etiam eliguntur, qui oblatam ſpontè pecuniam, vel ægrotantium fratrum, vel domorum hoſpitalium, vel demum Oratorii commodo, ſincere ac diligenter attribuant, nec omnino accipiant, niſi quam ſciunt ſponte oblatam, ut illud Apoſtoli dictum revera ſervetur: Non veſtra, ſed vos. A ſecretis etiam aliquis deligitur, qui in libro quæcumque tractantur, notat. Præterea Lector, qui pias lectiones diebus feſtis præmittit orationi. Ad infirmos item qui ſunt in valetudinariis, quolibet feſto die perferunt corporis refectioni utilia, Medico probata.

Expenſarum autem Rectori & Oratorii Præfecto ſingulis menſibus, immò quoties eis libuerit, rationes ex præſcripto referant. Nihil enim juris aut poteſtatis eſt hominibus exteris, & laïcis in Oratorii rebus, præter adminiſtrationem à Præfecto Oratorii traditam.

## Cap. XVI.

*Horum electionis Ordo.*

QUarto quoque menſe eliguntur exteri Fratres ad ejuſmodi munera, hoc planè modo. Oratione Dominica & Salutatione Angelica recitatis, his Præfectus ſolet precibus Divinum auxilium invocare, videlicet: Veni creator Spiritus, reple, &c. Reſpondetur: Et tui amoris, &c. Verſ. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Reſp. Et renovabis faciem terræ. Oratio. Deus, qui corda fidelium, &c. Actiones noſtras, &c. Declaratis & publicatis recitatur hymnus, Te Deum, &c. Antiphona Beatæ Mariæ. Oratio, Gratiam tuam, &c. Antiphona, Da pacem, &c. Oratio, Deus, à quo ſancta deſideria, &c. Item oratio Dominicæ eo tempore occurrentis, vel Sancti cujus feſtum celebrari contingat. Electis pia aliqua documenta aut obſervationes breviſſimè leguntur.

## Cap. XVII.

*Admonitione Inſtitutoris hujus Congregationis.*

CUm ſit Congregationi noſtræ liberum, omnes graviter delinquentes vel ſtatum ejus perturbantes, de convictu & familia ſuorum dimovere ac depellere; cum ſatis item perſuaſum ſit vix quemquam ſuæ negligentem ſalutis diu permanſurum, ubi & progreſſus ad virtutes & perfectorum pia æmulatio eſſe debet, Beatus Inſtitutor aſſeruit, neminem penitus per has conſtitutiones obligare ad peccatum velle. Ipſe Deus arbiter, præmia pro pietate daturus æterna, ſit ſua nobis benignitate propitius. Amen.

*Qui Pontifex dictas ordinationes approbat.*

§. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Præpoſitus & Presbyteri prædicti plurimùm cupiant conſtitutiones & inſtitutiones hujuſmodi pro firmiori earum ſubſiſtentia, & inviolabili obſervatione, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum votis in præmiſſis annuere, aliaſque deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur deſiderii hujuſmodi juſtitiam attendentes, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum dumtaxat præſentium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conſtitutiones & ordinationes prædictas, ſicut præfertur examinatas & recognitas, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris quàm facti, & quoſvis alios etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui in præmiſſis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Illaſque omninò ſervari præcipit.*

§. 3. Decernentes modernos & pro tempore exiſtentes Præpoſitos, & Presbyteros dictæ Congregationis, ab eis prout illæ quemlibet eorum adſtringunt, nullo unquam tempore reſilire poſſe aut debere, ſed ad plenariam earum obſervationem teneri, & obligatos eſſe, & ad id pœnis in conſtitutionibus & ordinationibus hujuſmodi contentis cogi & compelli poſſe.

*Et ita, ac non aliter judicari mandat.*

§. 4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariiſque derogat.*

§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Congregationi, illiuſque Præpoſito & Presbyteris, & quibuſvis aliis Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 7. 24. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Februarii 1612. Pont. noſtri anno 7.

*Sequitur prohibitio de qua ſuprà in rubrica.*

*PAULUS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Congregationis petitio prohibitionis de qua ſ. p.*

§. 1. CUm dilecti filii Præpoſitus & Presbyteri Congregationis Oratorii S. MARIÆ in Vallicella nuncupatæ de Urbe, quibus pridem à Sede Apoſtolica indultum fuit ut pro felici regimine dictæ Congregationis ſtatuta & ordinationes ab ipſis obſervan. facere & condere valerent, indulto hujuſmodi inhærentes, ſtatuta & ordinationes condiderint, quæ de mandato noſtro reviſa, & per nos Apoſtolica auctoritate confirmata fuerunt. Et ſicut accepimus, in diverſis locis aliæ Congregationes ad inſtar primodictæ erectæ fuerint, quæ à primodictæ Congregationis regulis declinare noſcuntur.

*Pontificis prohibitio.*

§. 2. Nos primodictæ Congregationis inſtitutum in ſuo vigore perpetuò manere cupientes, Motu proprio, non ad præpoſiti, & Presbyterorum prædictorum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ne de cætero quævis Congregationes ubivis locorum inſtitutæ, conſtitutiones & inſtituta ſub denominatione B. Philippi Nerii primodictæ Congregationis Fundatoris promulgare audeant, minuſque in Urbe aliæ domus ejuſdem inſtituti abſque prædictorum Præpoſiti & Presbyterorum licentia inſtitui poſſint, ſub pœnis arbitrio noſtro imponendis, & per contrafacientes ipſo facto incurrendis, tenore præſentium prohibemus.

*Contrariorum derogatio.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

*Dat. P. An. die 26. J.*

Dat. Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die 26. Junii 1612. Pont. noſtri anno octavo.

---

## Renovatio Conſtitutionum Clementis Papæ VIII. circa Officium duorum Aſſiſtentium Prioris generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, unà cum earum declarationibus. XCIII.

*De hoc Ordine habes etiam hic ſuprà conſtit. 80. Paſtoralis; ubi alia indicavi.*

Revocatio

**Revocationem verò omnium gratiarum, exemptionum, Indultorum, ac Privilegiorum quomodolibet conceſſorum Aſſiſtentibus Ultramontanis abſolutis ab eorum officio, habes inf. in S. D. N. Urbani VIII. conſt. 61. Romanus, tom. 4.**

*...ta An. D. 1614.*

## *PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...mium.*

PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum unicuique conſervetur, proinde nos tenorem quarumdam literarum in forma Brevis fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri ſuper deputatione, ac Officio duorum Aſſiſtentium Prioris generalis Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini pro tempore exiſtentium, confectarum, in Secretaria noſtra, tunc ipſius Clementis prædeceſſoris repertum, ex minuta originali de verbo ad verbum tranſcribi, & præſentibus annotari fecimus, pro eo quod hujuſmodi tenore dilecti filii Joannes Vincentius Spinola Genuenſis, ac Alphonſus Nunio de Andalucia dicti Ordinis profeſſores, & dilecti etiam filii Nicolai à Sancto Angelo, ejuſdem Ordinis Prioris generalis Aſſiſtentes, ſe indigere nobis ſignificari fecerunt, qui quidem tenor talis eſt, videlicet.

*...itur hic ...a conſti... Clem. ... quia ho... tantū illa ...tri potuit. ...dium d. ...ſtitutionis ...m. V.II.*

Clemens Papa Octavus. Ad perpetuam rei memoriam. De proſpero Regularium Ordinum, & perſonarum ſtatu, & regimine, pro noſtri paſtoralis officii debito ſollicitè cogitantes, ad ea libenter intendimus per quæ recta, & felix, quam quærimus, gubernandi ratio inducatur.

Cum itaque ſacras religioſorum domos in Eccleſia Dei à Sanctis Patribus piè ſancteque inſtitutas, quæ unius Superioris gubernio ſubſunt, majores in via mandatorum Domini progreſſus facturas confidamus, quando eidem Superiori viri aliqui religionis zelo, morum exemplo, rerumque experientia præſtãtes, ad gubernii onus ſuſtinendum conſiliarii adjungantur, & adjutores aſſiſtant. Nos qui Religiones ipſas noſtris temporibus, reſtituta in his priſtinæ regularis diſciplinæ norma, & obſervantia, pietate, charitate, zelo, ſanctitate, aliiſque regularibus virtutibus fulgere maximè cupimus, id attente conſiderantes, & Ordinem Sancti Auguſtini Fratrum Eremitarum nuncupatum, quem in viſceribus gerimus charitatis, paternè reſpicientes, ipſius ſuperiori levamento fore ad ejus Ordinis, qui benedicente Domino quaſi fœcundus ager uberes fructus emittens, per univerſi Chriſtiani Orbis partes copiosè diffuſus eſt, curam gerendam, & regiminis pondus ſuſtinendum, Ordini verò commodum & utilitatem non modicam aliquorum Aſſiſtentium, præſtantium ſcilicet Religioſorum, operam allaturam judicavimus.

*...itutio ...um Aſſi... ...um Prio... ...neralis.*

§. 1. His igitur, & aliis rationabilibus de cauſis, quas mature ac diligenter perſcrutati ſumus adducti, hac noſtra quam perpetuò valere volumus conſtitutione decernimus, ut in ipſo Ordine Sancti Auguſtini duo ex ejuſdem Ordinis Patribus, in Prioris generalis Aſſiſtentes nuncupati in perpetuum conſtitui, & deputari debeant, qui Aſſiſtentes (hac prima vice dumtaxat excepta, qua nos ipſi illos, ut infra deputare voluimus) in Capitulo generali ejuſdem Ordinis deputentur, eorum vero alter Citramontanus, alter Ultramontanus, ſed uterque in ſacra Theologia Magiſter ac Sacerdos, & in quadrageſimo ſaltem ſuæ ætatis anno conſtitutus, vitæque innocentia, rerum uſu, ac doctrina maximè commendatus eſſe debeat, quorum conſilio Prior generalis, ut facilius & accuratius univerſa Ordinis negotia, quæ ad ſuum pertinent officium, expedire poſſit, aſſidue uti debeat, ipſique Aſſiſtentes in decernendis Ordinis negotiis perpetuò eidem aſſiſtant, illumque quocumque ierit, comitentur, & aſſocient, & Generalis ipſe abſque eorum conſilio nihil decernere valeat.

*...m electio ...um ſpe... vide hic ..., §. 17.*

§. 2. Ipſorum Aſſiſtentium officium ad ſexennium tantum duret, quo finitò alii duo ſimiles in Capitulo generali hujuſmodi, ut prædicitur, eligi debeant. Sed ſi intra ſexennium Aſſiſtentes prædicti aut alter eorum deceſſerint, vel ipſorum officium per dimiſſionem vel amiſſionem, aut alias quomodocumque vacare contigerit, tunc aliorum aſſiſtentium, qui uſque ad tunc futurum generale Capitulum durent, in deficientium locum ſubrogatio, & electio ad Romanum Pontificem, Sedemque Apoſtolicam ſpectent, & reſervata exiſtant.

*Sedi Apoſt. immediatè ſint ſubjecti.*

§. 3. Aſſiſtentes hujuſmodi eorum officio durante Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti ſint.

*De criminibus inquiratur.*

§. 4. Si vero interim crimen aliquod, quod abſit, commiſerint, propter quod eorum officio de jure privandi ſint, tunc proceſſus informativus contra illos à Priore generali, de licentia tamen Cardinalis Protectoris ipſius Ordinis fieri, & ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, Sedemque Apoſtolicam tranſmitti debeat, ad quos ejus cauſæ cognitio, & definitio pertineat, exacto verò Aſſiſtentis officio, Priori generali immediatè ſubjecti remaneant.

*Quam auctoritatem habeant.*

§. 5. Hi præterea Aſſiſtentes in omnibus prædicti Ordinis negotiis votum habeant conſultivum, Priorque generalis pro illorum expeditione in hebdomada ipſis Aſſiſtentibus negotia hujuſmodi communicare, eorumque conſilium ſuper illis requirere debeat. In quibuſdam tamen gravioribus caſibus, veluti in Vicarii generalis nominatione, Provincialium privatione, aut legum, ſtatutorum, & decretorum, quæ ad univerſum Ordinem ſpectent promulgatione, in Commiſſariis generalibus alicubi inſtituendis, Viſitatoribus Provinciarum deputandis, pœna triremium, & carceris ultra annum, aut exilii ultra biennium irroganda, aut vocis activæ, & paſſivæ privatione, aliiſque ſimilibus, ſi aſſiſtentes prædicti fuerint concordes, & in voto contrario prædicti Generalis, tunc ſine retardatione executionis voti ipſius Prioris generalis ejus rei cognitio ad Sedem Apoſtolicam devolvatur: ſi verò contingat vota eſſe diverſa, tunc ea ſententia præferatur, quæ à Generali magis probabitur.

*Et quam præcedentiam.*

§. 6. Ceterum iidem Aſſiſtentes pro tempore, dum eo munere funguntur, in quibuſcumque locis & actibus ejuſdem Ordinis locum habeant immediatè, præſente Priore generali ante omnes alios Priores Provinciales, & etiam Procuratorem Generalem Ordinis, abſente Priore generali, locum poſt ipſum Generalem Procuratorem, ſed ante omnes alios habere debeant. Finito vero officio habeant locum immediatè poſt Aſſiſtentes pro tempore exiſtentes.

*Hoc melius hic infra declaratur.*

*Quoad ſalarium ſtipendium.*

§. 7. Utque pro ejus muneris qualitate congrue ſuſtẽtari poſſint, eiſdẽ Aſſiſtentibus dum in officio fuerint cõgrua ad eorũ ſuſtentationẽ ſtipendia ex communib. Provinciarum, & domorum ejuſdem Ordinis redditibus, per Cardinalem Protectorem, & Priorem generalem prædicti Ordinis decernendis, & ſtabiliendis aſſignari debeant, & per eos exigi, & in eorum uſus, & utilitatem converti poſſint.

*Ad hoc vide declarationem hic ſeq.*

*Electio Aſſiſtentium pro hac prima vice.*

§. 8. Hac igitur prima vice dilectos filios Jacobum de Cortona, & Petrum Mantrique ejuſdem Ordinis Profeſſores, & in ſacra Theologia Magiſtros, in prædicti Prioris generalis Aſſiſtentes, Jacobum nimirum nationis Citramontanæ, & Petrum Ultramontanæ, pro primo ſexennio auctoritate Apoſtolica tenore præſentium conſtituimus, & deputamus.

*Præceptum obſervandi ſupradicta.*

§. 9. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis, & privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis, moderno & pro tempore exiſtenti Ordinis Priori generali, ac univerſis, & ſingulis aliis Superioribus, & Religioſis, ut præſentes literas & in eis contenta quæcumque obſervẽt, & ab omnibus ad quos ſpectat, obſervari curent, & faciant, nec à quoquã moleſtari patiantur tam prædictos à nobis electos, quam pro tempore futuros Aſſiſtentes hujuſmodi, ſed illos eorum officio fungi, ac omnibus & ſingulis præmiſſis pacificè frui, & gaudere permittant, & faciant.

*Derogatio contrariorum.*

§. 10. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, dictique Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, Priori generali, & aliis Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Julii, milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Hujus Pauli V. Pont. ... ...tio ... conſtitutionis.*

§. 11. Ceterum ut earundem literarum tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat,

Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eandemque vim, eundem vigorem dictus tenor in omnibus, & per omnia habeat, quem haberent literæ originales prædictæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, in judicio ſive alibi, ubi fuerit exhibitus vel oſtenſus, ac illi pariter ſtetur ſicut eiſdem literis originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſa. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari.

*Dat. P. A. 10. die 27. Nov.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Novemb. 1614. Pont. noſtri anno 10.

*Edita An. D. 1615.*

*PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuicuique conſervetur, proinde nos tenorem quarumdam literarum in forma Brevis fel. record. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri ſuper deputatione, ac officio duorum Aſſiſtentium Prioris generalis Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini pro tempore exiſtentium confectarum, in Secretaria noſtra, tunc ipſius Clementis prædeceſſoris repertum, ex minuta originali de verbo ad verbum tranſcribi, & præſentibus annotari fecimus pro eo quod hujuſmodi tenor Dilecti filii Joannes Vincentius Spinola Genuenſis, ac Alphonſus Nunio de Andalucia dicti Ordinis profeſſores, & dilectus etiam filius Nicolaus à ſancto Angelo ejuſdem Ordinis Prioris generalis aſſiſtentes, ſe indigere nobis ſignificari fecerunt, qui quidem tenor talis eſt, videlicet.

Clemens Papa Octavus, ad perpetuam rei memoriam.

*Inſeritur hic ſervanda cōſtitutio Clementis VIII. quæ vix hodie haberi potuit.*

§. 12. Quæ à nobis alias provide ſtatuta, & ordinata ſunt, firmiter perpetuò obſervari cupientes, ea cum opus eſt confirmamus, & innovamus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cum itaque alias pro feliciori regimine Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini decreverimus, ut in ipſo Ordine Sancti Auguſtini duo ex ejuſdem Ordinis Patribus in Prioris Generalis Aſſiſtentes nuncupati in perpetuum conſtitui, & deputari deberent, qui, &c.

Omittitur reſiduum relationis, quia ipſa bulla eſt quæ præcedit ſupr. §. 1. & ſeqq.

*Clement VIII. primam ejus conſt. hic ſupra inſertam omnino exequi mandat.*

§. 13. Cum autem Capitulum generale prædicti Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, in proximè futuro Feſto Pentecoſtes Romæ Deo favente celebrandum ſit: Nos præmiſſa omnia juxta ordinationem noſtram hujuſmodi tam in prædicto Capitulo quàm deinceps in perpetuum obſervanda eſſe cenſentes, literarumque prædictarum tenorem, ac ſi ad verbum infererentur præſentibus pro expreſſo habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia ac mera deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictas literas, ac omnia in illis contenta de novo, quatenus opus ſit, perpetuò confirmamus, approbamus, & innovamus, ac juxta illarum ſeriem, & tenorem in prædicto futuro, & aliis capitulis generalibus prædictos duos Aſſiſtentes, alterum ex Citramontana, & alterum ex Ultramontana natione eligi, & deputari, aliaque præmiſſa in omnibus, & per omnia obſervari, & executioni demandari ſtatuimus, & ordinamus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ Præſidenti, ac Definitoribus, & Fratribus vocalibus ejuſdem Capituli generalis, ceteriſque ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, ut præmiſſa omnia obſervent, & obſervari curent, & faciant.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§. 14. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac omnibus illis quæ in prædictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Hujus Pontificis Pauli V. renovatio de bulla Clementis VIII.*

Datum Anconæ ſub annulo Piſcatoris, die 27. Aprilis 1598. Pont. noſtri anno ſeptimo.

§. 15. Ceterum ut earundem literarum tenor ſic inſertus omnimodam rei ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eandemque vim & eundem vigorem dictus tenor in omnibus & per omnia habeat, quem haberent literæ originales prædictæ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, & ubicumque, in judicio ſive alibi ubi fuerit exhibitus vel oſtenſus, ac illi pariter ſtetur, ſicut eiſdem literis originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ: per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari.

*Dat. P. A. 10. 17. Novem.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 27. Novemb. 1614. Pont. noſtri anno 10.

*Opportunum duxi hic ſubinſerere, quæ circa prædictam primam Clement. VIII. conſtitutionem, Cardinalis Ordinis Protector conſulto eodem Pontifice declaravit.*

*Antonius tituli Sancti Stephani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis Saulius nuncupatus, ac totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Protector. Dilectis nobis in Chriſto Patribus, Magiſtro Andreæ Fivizanio, Priori Generali, Procuratori totius Ordinis, Provincialibus, Definitoribus, Prioribuſque localibus, ac ceteris omnibus ejuſdem Ordinis Fratribus: Salutem, &c.*

*Cardinalis Saulius Protector Ordinis refert editiones præcedentis conſt. Clement. VIII.*

§. 16. CUm alias menſibus proximè elapſis, Sanctiſſ. D. N. Clem. Papa VIII. pro bono regimine, ac feliciori totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini gubernio, per Breve Apoſtolicum duos viros probos, ac experientia præſtantes, dilectos Patres, videlicet Magiſtrum Jacobum Cortonenſem Italum, & Magiſtrum Petrum Manrique Hiſpanum, Reverendo Patri Priori generali adjunxerit, & in Aſſiſtentes deputaverit, quorum conſilio, & voto Prior ipſe generalis univerſa Ordinis negotia, quæ ad ſuum pertinent officium, accuratius expedire poſſet, & valeret, cum auctoritate, ſtipendio & præeminentia quadam, de quibus in dicto Brevi ſub annulo Piſcatoris confecto die 5. Julii 1593. latiùs continetur, ad quod, &c.

*Et etiam nulla dubia ſuper eo.*

§. 17. Cum ſit etiam, quod eo publicato, circa nonnulla in dicto Brevi contenta, quæ non modicam perturbationem in toto Ordine generare poſſe videbantur, dubitari contigerit, quæ tum ipſi perſpeximus, tum ab aliis admoniti fuimus.

*Et modo conſulto ipſo Pont. declarat, renovat ... circa præcedentiam Aſſiſtentium prædictorum.*

§. 18. Et propterea ad tollendas omnes dubitationes, menteſque ac animos nonnullorum ſedandos, præfatum Sanctiſſimum D. N. conſulendum duximus, ut voluntatem ſuam nobis in omnibus patefaceret. Qui ſpecialiter in infraſcriptis nobis vivæ vocis oraculo mentem ſuam declaravit & expreſſit, unnquam ſuæ intentionis fuiſſe, nec eſſe quoad præcedentiam dictorum Aſſiſtentium qui de præſenti ſunt, & in poſterum erunt, finito eorum officio poſt ſexennium, velle in aliquo præjudicare Priori generali, ipſius officio functo vel dimiſſo vel abſoluto ab eo, nec Generali Procuratori totius Ordinis, dum fuerit in actu ſuæ procurationis, minuſque Provincialibus actu exiſtentibus in ſua Provincia, nec Definitoribus in Definitorio ipſo actu permanentibus, nec etiam Prioribus localibus Conventuum generalium in ſuo Conventu actus Priorales exercentibus. Sed illam clauſulam ibi, Finito autem officio, &c. quoad locum quem habituri ſunt inter fratres dicti aſſiſtentes, ita intelligendam eſſe, ut poſt ſexennium, finito eorum officio, præfati Aſſiſtentes præcedere debeant omnes, & quoſcumque fratres, cujuſcumque ſint gradus, ordinis, dignitatis, honoris & conditionis, exceptis ſupradictis, Priore generali ab ejus officio abſoluto, Procuratore totius Ordinis ſuum officium actu exercente, Provincialibus in ſua Provincia cum effectu exiſtentibus, Definitoribus actu in ipſo Definitorio permanentibus, ac Prioribus localibus Conventuum generalium priorales actus in ſuo Conventu pertractantibus. Qui omnes in occurrenti caſu dictos Aſſiſtentes, eorum officio finito, præcedere debeant, & non aliter. In ceteris omnibus dicto Brevi in ſuo robore inviolabiliter permanente.

*Et ſecundo circa ... ſtipendia.*

§. 19. Quo verò ad ſtipendia, præfatis Aſſiſtentibus pro eorum congrua ſuſtentatione ex communibus totius Ordinis redditibus aſſignanda, & in ipſorum uſus convertenda, idem Sanctiſſimus D. N. declaravit, ſuæ intentionis pariter fuiſſe, & eſſe, ne detur locus proprietati, & ad hujuſmodi ſuſpicionem penitus tollendam, per eoſdem Aſſiſtentes, ea lege & hac conditione dicta ſtipendia

exigi

exigi poſſint in ſuos uſus utilitatemque dicto ſexennio durante converti, dummodo eorum officio finito, in Capitulo generali de habitis, & receptis expenſiſque per eos factis fidelem computum reddant, cum reliquorum ſatisfactione, & effectuali conſignatione eorum quæ ſupererunt, quæve non expenſa vel malè erogata apparebunt, ad quæ omnia peragenda voluit eoſdem omninò teneri, & obligatos eſſe.

*...hujuſmodi ...larationem ...rvari præ...pit.*

§.20. Hanc igitur Sanctiſſimi D.N. voluntatem, declarationem, intentionem, ac mentis ipſius atteſtationem, ne de cætero ſuper his dubitari contingat, vobis omnibus notam fieri cupientes, has noſtras patentes literas manu noſtra ſignatas, & ſigillo parvo munitas, vobis exarandas, ſcribendaſque curavimus. Vobis omnibus auctoritate noſtri officii, immò verius S.D.N. vivæ vocis oraculo nobis facto diſtrictius præcipiendo, ut prædicta omnia obſervetis, ac inviolabiliter à cæteris omnibus obſervari mandetis, atque curetis. Valete in Domino.

Datum Romæ in Palatio noſtræ ſolitæ reſidentiæ, 5. Idus Novembris, Anno Domini 1593.

*Decretum capituli Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Recineti anno Domini 1602. Præſidente Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D.D. Octavio S. R. E. Cardinali Bandin celebrati, circa officium duorum Aſſiſtentium.*

*Capitulum ...nerale cir...a officium ...ſſiſtentium ...crevit ut ...*

§.21. NE dignitatis memoria poſt officii functionem ſordeſcat, viſis literis Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Domini D. Antonii Cardinalis Saulii Ordinis noſtri Protectoris, ad Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Dominum D. Octavium Cardinalem Bandinum, ſub 23. Aprilis hujus Anni, declaratur quod tam Reverendiſſ. Pater totius Ordinis Vicarius Generalis Apoſtolicus, quàm Reverendi Patres aſſiſtentes, poſt abdicationem officiorum, jus habeant ferendi ſuffragium in comitiis generalibus, & loco poſt electos potiantur. Quod perpetuis temporibus ſervandum decernitur. Nova autem Patrum Aſſiſtentium electio ad Diffinitorium generale pertineat.

---

XCIV. Quod Monaſteria Congregationis Monachorum Cæleſtinorum Ordinis S. Benedicti, obſervata ſuorum redditaum quantitate, per Abbates, aut Priores gubernentur, in eiſque, & non in aliis illorum membris familia conſtituatur.

*Iſtam Congregationem inſtituit Celeſtinus V. ut ſuprà in ejus conſt. 1. lib. 1. ubi alias conſtitutiones ſtatum hujus Congregationis concernentes tibi indicavi, præter iſtam, quam hoc die 14. Septembris 1616. habere potui.*

*...ita An. D. 1616.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

AD ſacram Beati Petri Sedem, meritis licèt imparibus, divina providentia vocati, circa ſtatum Congregationum ad divini cultus augmentum, & Religionis propagationem piè inſtitutarum ſollicitis ſtudiis intendentes, illa libenter ſtatuimus & decernimus, per quæ Congregationes ipſæ majora tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ſuſcipere valeant incrementa.

*Decernit hic ...ut quæ Mo...naſteria per ...Abbates gu...bernentur.*

§.1. Hinc eſt quod nos, felici proſperoque Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cæleſtinorum ſtatui, & ſalubri directioni, quantum nobis ex alto conceditur, proſpicere volentes, matura deliberatione deſuper habita, ſupplicationibus etiam nomine totius Congregationis prædictæ nobis humiliter porrectis inclinati, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quod omnia prædictæ Congregationis Monaſteria, quorum redditus & proventus ad congruam duodecim Monachorum, computatis tam profeſſis quam oblatis & famulis, ex quibus ſaltem ſex Sacerdotes eſſe debeant, ſuſtentationem ſufficiunt, ab uno ex prædictis Monachis, ſpectatæ tamen virtutis & diſciplinæ, ſub titulo Abbatis,

*Quæ verò à Prioribus.*

§.2. Alia verò Monaſteria, ex quorum redditibus ſex dumtaxat, computatis omnibus ut ſuprà, congruè ali, & manuteneri poſſunt, per Priores canonicè eligendos juxta dictæ Congregationis inſtituta gubernentur, excepto tamen Monaſterio S. Spiritus de Majella, quod primum omnium Monaſteriorum dictæ Congregationis fuiſſe aſſeritur, & idcircò ab Abbate gubernari poſſe volumus, etiamſi prædictum Monachorum numerum non habeat, dummodo non minus quàm decem Monachi, ut ſuprà in eo alantur.

*Et qui Priores in locũ Abbatum decedentium ſuccedant.*

§.3. Priores autem Abbatibus decedentibus Monaſteriis majoribus, per gradum prout eorum virtutum merita, & adminiſtrationis ratio poſtulare videbuntur, canonicè ſimiliter, ut prædicitur, præficiantur.

*Abbatum & Priorum privilegia declarat.*

§.4. Omneſque Abbates & Priores ſupradicti gaudeant omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus & præeminentiis, quibus gaudent alii Abbates & Priores ejuſdem Congregationis, quocumque jure, ſine tamen præjudicio jurium Abbatis generalis & aliorum, qui Abbatis generalis munere functi fuerunt, eis juxta dictæ Congregationis ſtatuta competentium, & ita quod propter præmiſſa Monaſteriorum ſtatus in aliquo non alteretur.

*Alia Monaſteria minora in Capitulo prædictu majoribus uniri mandat, & familiam ibi retineri vetat.*

§.5. Alia verò Monaſteria ſeu domus, & membra ejuſdem Congregationis, prædictis Monaſteriis majoribus unita & annexa ſint & eſſe cenſeantur, juxta diſtributionem in proximè futuro Capitulo Diffinitoriali faciendam. Et in ipſis minoribus Monaſteriis ſeu domibus ac membris ſic unitis, nulla in poſterum conſtituatur familia, ſed in illo, ſeu illa unus dumtaxat Monachus Sacerdos quadraginta annorum major, ac probatæ vitæ, cum uno Converſo ſeu Oblato collocetur, qui ſint & cenſeantur ex familia Monaſterii, cui domus ſeu membrum illud unitum & annexum fuerit, ac in ea Eccleſia celebrent, & bonorum ac redditaum curam reſpectivè habeant.

*Si verò in formã Monaſterii majoris redigantur, ſub titulo Abbatia vel Prioratus reſtitui mandat.*

§.6. Si verò fortè contigerit, ut aliquod, ſeu aliqua ex minoribus Monaſteriis prædictis, vel domibus ad formam Monaſterii majoris redigantur, competenterque dotentur, ita ut duodecim in eo Monachi, vel ſaltem ſex ali poſſint, ut præmittitur, tunc cum Capituli generalis conſenſu, & Protectoris licentia reſtituatur ſub Abbatis vel Prioris titulo reſpectivè gubernanda.

*Clauſ. præſervativas appoſuit.*

§.7. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de nullitatis vitio notari ſeu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, ſeu invalidari, aut in jus vel controverſiam vocari nullatenus poſſe, ſed ab omnibus, quos concernunt & concernent quomodolibet in futurum, obſervari debere.

*Decretum irritans addit.*

§.8. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, ac Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis ... derogat.*

§.9. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ord. & Congreg. prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſum habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Dat. F. A. 1... die 19. Jan.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Januarii 1616. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

## XCVI. Inſtitutio Congregationis Monachorum Ordinis Ciſterciénſis, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, & Principatu Cataloniæ, & Regno Navarræ, ſub perpetua tamen obediētia Abbatis, & Capituli generalis Ciſtercii.

*Hujuſmodi Ordinis Monachorum Ciſtercii erectionem, ejuſque privilegia & alia indicavi ſuprà in conſtit. 1. Paſchalis II. Deſiderium, lib. 1.*

*Edita An. D. 1616.*

### PAVLVS PAPA V.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Procemium.*

PAſtoralis officii cura nobis, meritis licet imparibus, ex alto commiſſa, qua ſingulis Eccleſiis, Monaſteriis & Regularibus locis adſtringimur, Nos admonet & inducit, ut circa ſtatum Monaſteriorum, & locorum Regularium prædictorum, ac præſertim eorum in quibus ex aliquo defectu regularem obſervantiam deformatam eſſe percipimus, ſalubriter dirigendum operoſis ſtudiis jugiter intendamus, & ad ea per quæ meliori eorum directioni & reformationi, perſonarumque ibi divinis obſequiis & beneplacitis dicatarum ſaluti & quieti conſulitur, noſtræ vigilantiæ partes, cum id præſertim per Catholicos Reges deſiderari cognoſcimus, propentius impartimur, prout ſalubriter in Domino conſpicimus expedire.

*Capitulum generale apud Ciſtercium celebratum, unam Congregationem Monaſteriorum & locorum Ord. Ciſtercienſis in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, & Principatu Cathalonia exiſtentiū per Vicarium generalem, Viſitatores, & Diffinitores regendam inſtituit.*

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, multa Monachorum Ciſtercienſis Ordinis Monaſteria in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, ac Principatu Cathaloniæ conſiſtentia, tum propter locorum diſtantiam, tum etiam propter aliorum dicti Ordinis negotiorum pondus, rarò à ſuo Abbate generali perſonaliter viſitentur, idque non mediocre prædictis Monaſteriis, in quibus propterea regularis minuitur obſervantia, neque ſicuti decet, ab ipſorum Religioſis divinus cultus exercetur, detrimentum contrahere manifeſtum ſit. Et hæc dilecti filii Abbas generalis, & Capitulum generale Ciſtercien. de Anno Domini 1613. apud Ciſtercium Cabilonen. Diœceſis celebratum providè animadvertentes, cupienteſque felix & proſperum Monaſteriorum, & Regnorum, & Principatus prædictorum regimen & gubernium, in iiſque diſciplinæ regularis obſervantiam, ac divini cultus augmentum, ubi deciderint, ſalubri ratione reſtitui, viſis prius in Capitulo generali actis communicationum & deliberationum, quas dilecti pariter filii Abbates & Priores dictorum Monaſteriorum ſuper hujuſmodi negotio in Civitate Cæſarauguſtana coram Ven. Fratre Archiepiſcopo Cæſarauguſtano congregati, ſub die 27. Januarii & aliis forſan ſequentibus diebus Februarii menſium ejuſdem Anni inter ſe habuerant, unam omnium Monaſteriorum, & aliorum regularium locorum dicti Ordinis, in Regnis & Principatu prædictis Congregationem ab uno Vicario generali, Diffinitoribus & Viſitatoribus, qui Patres regiminis vocari deberent, regendam, & gubernandam, modis & formis ſequentibus inſtituendam cenſuerint.

*Auctoritas tamen Abbatis & Capituli generalis, & quatuor primariorum Abbatum Ordinis integra remaneat.*

§. 2. Ita videlicet quod Congregationis hujuſmodi erectione non obſtante, auctoritas, ſuperioritas & juriſdictio Abbatis & Capituli generalis, & quatuor primariorum Abbatum totius Ordinis Ciſtercienſis pro tempore exiſtentium in omnibus & per omnia ſalva & integra remaneret, & Vicarius generalis, Diffinitores, Viſitatores, Abbates & quicumque dictæ Congregationis Superiores, atque ſubditi pro tempore exiſtentes, generalem & quatuor primarios Abbates prædictos, necnon Capituli generalis pro tempore deputatos Commiſſarios, Congregationem noviter erigendam hujuſmodi, ſeu ejus Monaſteria & loca, in capite & in membris, in ſpiritualibus & temporalibus reformare volentes, reverenter recipere & admittere tenerentur, eodem planè modo, ac ſi Monaſteria & loca prædicta nunquam in Congregationem hujuſmodi reducta forent.

*Quodque Capituli ſtatuta ſervare, contributiones ſolvere, & ad illud duos Abbates, cum ſtatutis interim in Capitulo Provinciali editis tranſmittere teneantur.*

§. 3. Quodque etiam tenerentur ipſius Capituli generalis ſtatuta, & diffinitiones in omnibus ſervare, & contributiones Ordinis, ſubſidia quoque charitativa pro illius neceſſitatibus per Capitulum generale pro tempore imponenda perſolvere, necnon quoties Capitulum generale hujuſmodi celebrabitur, duos Abbates nomine totius hujuſmodi Congregationis, illius expenſis, cum omnibus decretis & ſtatutis, quæ de quadriennio in quadriennium in eorum Capitulo Provinciali pro bono Congregationis regimine conficerent, ut ea ab ipſo Capitulo generali approbarentur & confirmarentur, vel ſi juſtum foret, rejicerentur & abrogarentur, tranſmittere.

*Vicarius, Viſitatores & Diffinitores prædicti, ſtatim electi, Abbati, & Capitulo generali nunquam contraire jurent.*

§. 4. Vicarius quoque generalis, Viſitatores & Diffinitores, prout forent capitulariter electi, illico publicæ fidelitatis juramentum Ordini, id eſt Capitulo & Abbati generali Ciſtercien. quod nihil unquam directè vel indirectè illis contrarium facerent vel fieri procurarent, aut procurari permitterent, præſtare pariter tenerentur.

§. 5. Utque Vicarius generalis, Diffinitores, & Viſitatores prædicti ita eſſent quadriennales, quod eorum nullus ultra quadriennium quavis ex cauſa continuare poſſet, Abbates verò omnes perpetui forent.

*Eorum officium quadriennale tantum duret, Abbates vero perpetui ſint.*

§. 6. Porrò ut vacatione alicujus hujuſce Congregationis Monaſterii pro tempore adveniente, Vicarius generalis, Diffinitores & Viſitatores ſeſe non in vacante, ſed in aliquo alio Monaſterio vel loco congregare, ibique tres Monachos ex vacantis Monaſterii ejuſdem Congregationis profeſſis, quos ad vacantem Prælaturam digniores eſſe cognoſcerent, eligere, ſicque electos per aliquem Abbatem ſeu Priorem nihil de perſonis electis ſcientem, cum literis clauſis, Conventui & Monachis Monaſterii vacantis capitulariter congregatis, ut ex tribus unum in ſuum Abbatem eligerent, præſentare ſeu præſentari facere deberent. Conventus verò & Monachi interim inter ſe colloquia habere, aut ex Capitulo diſcedere, donec electio, cui deberet ipſe Abbas ſeu Prior præſidere, cum literis clauſis, ut præfertur, mittendis, per vota ſeu ſuffragia ſecreta perfecta foret, non permitterentur.

*Eorumdemque electio juxta formam hic præſcriptam fieri debeat.*

§. 7. Quodque etiamſi contingeret, Abbatem generalem Ciſtercien. futuram hujuſmodi Congregationem eo tempore quo Capitulum Provinciale dictæ Congregationis celebrandum eſſet viſitare, liceret ei ipſi Capitulo præſidere perſonaliter, idque etiam eſſet de quatuor primariis Abbatibus, necnon à Capitulo generali pro tempore deputato Commiſſario, ſi ipſorum aliquem eo tempore in illis partibus adeſſe contingeret.

*Abbas ſuper generalis vel quatuor primarii Abbates Ordinis vel Commiſſarius à Capitulo generali deſtinandus, perſonaliter Capitulo Provinciali præſidere poſſint.*

§. 8. Aliaque decreverunt & ordinaverunt, prout in ſcriptis deſuper factis plenius dicitur contineri.

*Aliaſque nonnullas ordinationes dictum Capitulum generale deſuper ſtatuit.*

§. 9. Quare nos ſupradictis ordinationibus ab Abbate & Capitulo generali prædictis, ut præfertur, præſcriptis per aliquot ex venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, doctrina, prudentia, pietate & rerum uſu præſtantibus, juſſu noſtro diligenter examinatis, ſupplicationibus Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarū Regis Catholici nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, unam omnium & ſingulorum Monaſteriorum, & aliorum regularium locorū dicti Ordinis Regnorū Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarū, ac Principatus Cataloniæ conſiſtentium Congregationem, per unum Vicarium generalem, dignitate tamen Abbatiali inſignitum, ex Monaſteriis dicti Ordinis prædictorum Regnorum ac Principatus, & pro hac prima vice ex Regno Aragoniæ in Civitate Cæſarauguſtana, convocatis priùs per dilectum filium Vincentium Longueſpec Monaſterii B. MARIÆ de Laude, Tornacen. Diœceſis, Abbatem aut alium à Generali prædicto deputandum Commiſſarium, pro prima Dominica menſis Octobris Anni ejuſdem Domini 1616. proximè futuri, aut alio commodiori die, omnibus & ſingulis tam perpetuis quàm triennalibus Abbatibus, ac Prioribus & Adminiſtratoribus de Vervela, & Eſçarpe Monaſteriorum dicti Ordinis Tiraſſonen. & Illerden. reſpectivè Diœceſis, necnon Procuratoribus omnium & ſingulorum aliorum dicti Ordinis Monaſteriorum Regnorum Aragoniæ, Valentiæ, Principatus Cataloniæ, & Majoricarum, divino prius implorato auxilio, auctoritate Abbatis & Capituli generalis Ciſtercien. illis à Sede Apoſtolica attributa, ac ſucceſſivè in Capitulo Provinciali dictæ Congregationis de quadriennio in quadriennium ordine ſucceſſivo in Regno Aragoniæ primò, & deinde in Principatu Cataloniæ,

*His Capituli generalis ſtatutis hic Pontifex diligenter examinatis, ad preces Regis Hiſpaniarum dictam Congregationem modo hic expreſſo erigit.*

lonia, & [illegible] in Valentiæ Regno prædictis, perpetuis futuris temporibus celebrando, per Vicarium aut Commiſſarium prædictos, ac tres Diffinitores, unum ex Aragoniæ, ac alium ex Valentiæ Regnis, & reliquum ex *Principatu Cataloniæ*, poteſtate atque auctoritate æquales, necnon duos Viſitatores *Patres regiminis* nuncupandos, Abbates vel non Abbates, ſed probatæ vitæ Religioſos, ex Conventibus Monaſteriorum Regnorum & Principatus prædictorum, per Vincentium aut Commiſſarium hujuſmodi, pariter pro hac prima vice, & deinde in ſingulis futuris Capitulis *Provincialibus* ut ſuprà celebrandis per ſchedulas & vota ſecreta ab illius capitularibus ferenda, nominandi, regendi & gubernandi, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, ſine cujuſque præjudicio, & ſalvis infraſcriptis erigimus, & inſtituimus.

§. 10. Ac inſuper quod de cætero omnia & ſingula dicti Ordinis Monaſteria in Aragoniæ, & Valentiæ, ac Majoricarum *Regnis*, ac *Principatu Cataloniæ* conſiſtentia prædicta, cum primùm illa, & eorum ſingula per ceſſum vel deceſſum, aut quamcumque aliam dimiſſionem vel amiſſionem, ſeu privationem, vel promotionem ad alicujus Eccleſiæ regimen, aut aliquam aliam dignitatem illa ad præſens obtinentium vacare contigerit, non niſi per Abbates quadriennales per ejuſdem, Congregationis Vicarium generalem, & *Definitores* tantùm *nominandos*, & modo quo ſuprà per Monachos eligendos regi & gubernari debeant, & ad hunc effectum ex nunc prout ex tunc in ſingulis Monaſteriis prædictis cum vacaverint, ut præfertur, nomen, titulum & denominationem Abbatum perpetuorum, & triennalium, ita quod de cætero perpetuis futuris temporibus Monaſteriorum eorumdem Abbates perpetui, aut triennales vocari, denominari ſeu cenſeri, aut Monaſteria ipſa alicui in titulum conferri vel commendari nullatenus poſſint, & ſi de eiſdem Monaſteriis, & eorum ſingulis aliter quàm per electionem hujuſmodi de quadriennio in quadriennium, ut præfertur, faciendam pro tempore diſpoſitum fuerit, aut qui in Abbates electi extiterint, electionem ſuam ad vitam, ſeu aliud tempus ultra quadriennium confirmari, aut illis præfici, vel ſibi de illis provideri, aut aliter de eis diſponi contigerit, tunc & eo caſu hujuſmodi electiones, confirmationes, proviſiones, coadjutorum deputationes, & quævis aliæ dictorum Monaſteriorum diſpoſitiones nullæ, irritæ & inanes exiſtant, & eſſe cenſeantur, ipſique Vicarius generalis & Definitores quadriennio elapſo ad novi Abbatis electionem in ſingulis Monaſteriis hujuſmodi, modo quo ſuprà procedere poſſint & debeant. Necnon Monaſteria prædicta, & eorum ſingula, illa videlicet, quæ per Abbates triennales ex nunc, alia verò quæ per Abbates perpetuos regi & gubernari conſueverant, ex nunc prout ex tunc, cum vacaverint, ut præfertur, itaque donec vacatio hujuſmodi venerit, cæteris omnibus conditionibus & legibus ejuſdem Congregationis iidem Abbates perpetui adſtricti ſint, & ſi eos aut eorum aliquem ad alicujus Eccleſiæ regimen, aut aliam dignitatem promoveri contigerit, in Congregatione per præſentes erecta nullum officium conſequi poſſint, ad quadriennium reducimus.

§. 11. Cæterum quod nullo unquam tempore quovis quæſito colore, prætextu vel ingenio, etiam ſub ſpecie majoris reformationis, Congregatio per præſentes erecta, ab obedientia Generali ſuo debita diſcedere, aut aliquod ex illius Monaſteriis ab eadem Congregatione ſegregare tentet, ſeu tentare, minuſque Caſtellæ ſive Portugalliæ Congregationibus dicti Ordinis, aut alicui eorum ſe adjungere, adhærere aut uniri ſe facere, vel procurare præſumat.

§. 12. Inſuper quod à Capitulo generali pro tempore deputatus Commiſſarius, Abbas vel non Abbas, cujuſcumque nationis fuerit, dummodo dictum Ordinem expreſsè profeſſus ſit, in viſitandis hujuſce Congregationis Monaſteriis, & ad deputationes & privationes Prælatorum cauſa cognita, ut licentioſè vivendi tollatur occaſio, procedere valeat.

§. 13. Quodque poſſint ejuſmodi Congregationis per præſentes erectæ Religioſi, aliquando ab illius Superioribus circa res graves, quas primum Generale dicti Ordinis celebrandum Capitulum declarabit, ad Generalem appellare, quodque Generalis ipſis unum vel plures Judices deputare etiam reſpectivè poſſit.

*Generali Ordinis in reb. gravib. appellare permittit.*

§. 14. Præterea quod contributiones prædicto Ordini per prædicta Monaſteria, illorumque Abbates & Conventus pro tempore exiſtentes debitæ, per Capitulum generale taxentur, & omnes in unam ſummam reducantur, ut ſimul & ſemel in Anno, ei qui à Generali mandatum vel commiſſionem eas recipiendi habuerit, in poſterum & in perpetuum à Vicario Congregationis per præſentes erectæ, etiam pro tempore exiſtente tranſmitti debeant.

*Contributiones à generali Capitulo taxandas per d. Congreg. ſolvi præcipit.*

§. 15. Ac quod quotieſcumque hujuſmodi Congregationis Monaſteria ab aliquo Commiſſario à generali Capitulo prædicto deputando viſitari contigerit, Monaſteriorum Congregationis per præſentes erectæ ſumptibus id fiat.

*Commiſſarii à d. Capitulo eligendum d. Congreg. Monaſteria ejus ſumptibus viſitare decernit.*

§. 16. Ad majorem verò unionem hujus Congregationis ſic erectæ, cum capite & aliis membris ejuſdem Ordinis, & ut ſumptibus parcatur minimè neceſſariis, eadem Congregatio in Curia Romana proprium Procuratorem non habebit, ſed opera & miniſterio Procuratoris generalis dicti Ordinis utetur, quem Capitulum generale, ſeu Abbas generalis ejuſdem Ordinis nominaverit.

*Congregationi hanc opera procuratoris generalis Ordinis in Curia Romana uti jubet.*

§. 17. Rurſus quod ſi ipſa Congregatio Abbatem unum ex ejuſdem Congregationis Monaſteriis, quem loco duorum ex præſcripto prædictarum ordinationum Capituli generalis ſufficere, & eo infirmo, aut quavis alia ratione impedito, alium mittendum eſſe declaramus, ad Capitulum Generale quoties celebrabitur non mitteret, pœnam triplicatæ contributionis totius ſummæ unius anni ſuis Monaſteriis impoſitæ, generali Capitulo acquirendam, ipſo facto abſque alia ejuſdem Capituli declaratione incurrat.

*Congregationi ceſſanti ad Capitulum generale unum Abbatem mittere pœnam imponit.*

§. 18. Poſtremò quod ſi in electionibus Abbatum, Vicariorum, Diffinitorum & Secretarii, ipſos Vicarios, Diffinitores, Viſitatores & Secretarium ſic electos, & Abbates, quorum nominatio ad dictum Philippum Regem ſpectare aſſeritur, ex privilegio Apoſtolico cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, & quemlibet ipſorum fidelitatem dicto ordini ab eis ut ſuprà præſtandam, in manibus Præſidentis in Capitulo Provinciali, ut præfertur celebrando, ſeu alicujus perſonæ per Vicarium pro tempore exiſtentem nominandæ, non præſtitiſſe ac juraſſe conſtiterit, electiones de ipſorum, & cujuſlibet eorum perſonis factæ, nullæ & irritæ ſint, auctoritate & tenore prædictis perpetuò pariter ſtatuimus, decernimus, & ordinamus.

*Vicariis & aliis Officialibus in Capitulo Provinciali d. Congreg. juramentum fidelitatis Ordinis præſtare ceſſantib. electiones eorum irritas declarat.*

§. 19. Ac demum pro meliori Regni Navarræ Monaſteriorum regimine, non intendentes eidem Philippo Regi, nec Monaſteriorum eorumdem Abbatum perpetuitati, neque eorum præeminentiis, privilegiis & prærogativis competentibus per præſentes in aliquo derogare, nec aliquo modo præjudicare, ne ſola remaneant per Vincentium Abbatem prædictum, ſeu alium Commiſſarium deſtinandum, convocatis omnibus, & ſingulis Monaſteriorum dicti Regni Abbatibus & Prioribus in eorum Congregatione in Civitate Cæſarauguſtana, aut alio commodiori loco habenda, procurabit ut Congregationem per præſentes erectam ngrediantur, ac uniantur, & quod eandem Congregationem ingreſſi, ac illi uniti, & in ea noſtra auctoritate per dictum Vincentium Abbatem, aut alium Commiſſarium à prædicto Generali deſtinandum recepti & admiſſi, ſuum etiam quarto loco poſt Regnum Valentiæ, & ordine quartum Diffinitorem habeant, ac ex tunc in ipſa Congregatione quatuor Diffinitores exiſtant, ac Vicarius Generalis, etiam ex Abbatibus, necnon Definitores, aliique Officiales ex Religioſis Monaſteriorum Regni Navarræ hujuſmodi, cum conditionibus ſuperius pro Monaſteriis Regnorum Aragoniæ ac Valentiæ, Majoricarum, & Principatus Cataloniæ, illorumque Abbatibus, necnon Conventibus præſcriptis, ſine tamen præjudicio juriſpatronatus ejuſdem Philippi Regis, quod ex privilegio pariter Apoſtolico illi competere aſſeritur, cui non eſt in aliquo derogatum, eligi poſſint, ac præterea Abbates triennales, cæteroſque Officiales, qui nunc in Monaſteriis

*Ad hanc Congregationem Monaſteria Regni Navarræ uniendа, & quartum Diffinitorem eligendum, Vicariumque generalem, &c. annuit.*

ſteriis congregandis inveniuntur, in officiis & dignitatibus ſuis uſque ad adventum Vincentii Abbatis, aut alterius Commiſſarii prædicti, & concluſionem Capituli Prouincialis perdurent. Poſtea verò officia omnia etiam Monaſteria electiva temporalia vacare etiam decernimus, ita ut ad novam Abbatum electionem modo quo ſuprà, ſecundùm ſupradicti Generalis decretum quoad fieri poterit procedi debeat, excepto quod è tribus per Vicarium & Diffinitores prædictos nominatis in Monaſteriis de Vervela, Rueda, Eſcarpe, & Labaix eorundem Regnorum & Principatus, quæ de jurepatronatus ejuſdem Philippi Regis exiſtere, ut ſuprà aſſeritur, idem Philippus & ejus ſucceſſores Hiſpaniarum Reges quem maluerint in Abbatem nominare poſſint, prout & ſicut antea nominabant.

*Vicario, Diffinitoribus, & Viſitatoribus d. Congreg. quæcumque pro ejus regimine ſtatuta condendi, in generali tamen Capitulo Ciſtercien. examinanda, facultatem tribuit.*

§.20. Præterea ut pro felici & proſpera Congregationis prædictæ, illiuſque Monaſteriorum & perſonarum directione, regimine & gubernio, Vicarius generalis, Diffinitores & Viſitatores prædicti, in Capitulo generali ſingulo quoque quadriennio celebrando, quæcumque ſtatuta, ordinationes & decreta, ſalubrem Congregationis & illius Monaſteriorum hujuſmodi ſtatum, reformationem & gubernium concernentia, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon Concilii Tridentini decretis, & ipſius Ordinis regularibus inſtitutis minimè contraria, & ab omnibus ad quos quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervanda, in dicto tamen Capitulo generali Ciſtercien. præſentanda & examinanda, ac approbanda, condere atque edere, ipſaque ſic condita & edita, pro rerum, temporum & perſonarum qualitate, & viciſſitudine, prout dicto Capitulo generali viſum fuerit, immutare, corrigere, & in melius reformare, caſſare, & penitus ſeu in parte abolere, & illorum loco alia de novo edere & condere liberè & licitè poſſint & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus.

*Supradicta omnia inviolabiliter obſervari præcipit.*

§.21. Denique ſalvis & firmis remanentibus per Nos diſpoſitis ſtatutis & decretis, omnes & ſingulas ordinationes ſuperius inſertas, & à Capitulo generali pariter ut præfertur præſcriptas, auctoritate & tenore præmiſſis approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omneſque & ſingulos, tam juris quàm facti ac ſolemnitatum, etiam quantumvis ſubſtantialium defectus, ſi qui forſan deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Ac ſupradicta omnia, ut præfertur, diſpoſita, ſtatuta, decreta, & ordinata, ab omnibus & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit perpetuò, firmiter & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere.

*Clauſulas hujus conceſſionis præſervativas appoſuit.*

§.22. Præſenteſque literas nullo unquam tempore de nullitatis vitio, etiam ex eo quod cauſæ propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, aut aliis verificatæ & approbatæ, vel intereſſe habentes vel prætendentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, in jus vel controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, gratiæ vel facti remedium impetrari, neque ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, vel quoſcumque alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, dictamque Sedem, etiam in craſtinum aſſumptionis eorundem ſucceſſorum ad ſummi Apoſtolatus apicem, vel alias etiam motu proprio, ac etiam conſiſtorialiter, & de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium pro tempore exiſtentium conſilio, ſub quibuſcumque tenoribus, & verborum formis, ac ex quibuſvis cauſis pro tempore faciendis, etiamſi de illis, ac eiſdem præſentibus, earumdemque toto tenore ac dat. ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum, & eum in quo antequam emanarent erant ſtatum reſtitutas, repoſitas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque data per Vicarium, Diffinitores & Viſitatores prædictos, vel quoſcumque alios intereſſe habentes eligenda conceſſas, ſemperque validas & efficaces fore & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, ac Vicario, Diffinitoribus & Viſitatoribus, aliiſque intereſſe habentibus prædictis perpetuò ſuffragari.

*Decernit [...] ...is.*

§.23. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales, etiã de latere Legatos, ac dictæ Sedis Nuntios judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, &c. attentari decernimus.

*Contrariis omnib. [...] gat.*

§.24. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis vel edendis ſpecialibus vel generalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac etiam Monaſteriorum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam per modum ſtatuti perpetui, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam iteratis vicibus, ac etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & efficaciſſimis clauſulis, in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod illis etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, & quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias, ac inſolitas clauſulas in ſe continentes, derogari non poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores, formas ac datas, & decreta in eis, appoſita, ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentib. pro ſufficienter expreſſis & inſertis habẽtes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque cõtrariis quibuſcũque.

*Hujus [...] matu[...] [...] m. n. a.*

§.25. Volumus autem quod præſentium tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Abbatiarum vacantium quindenn[...] Rev. Cam[...] perſolvi [...]*

§.26. Volumus etiam quod occurrente vácatione ſingulorum Monaſteriorum, quorum Abbates perpetui exiſtunt, & quadriennales per præſentes fiunt, primo & deinde ſingulis quindecim annis, commune & alia jura debita juxta illorum taxam in libris Cameræ Apoſtolicæ deſcriptam, cum effectu per eos ad quos ſpectabit reſpectivè perſolvi omninò debeant, alioquin Monaſteria ipſa eo ipſo vacent, & vacare cenſeantur, ipſæque præſentes literæ quoad ea nullæ ſint, nec eis ullo unquam tempore ſuffragentur.

*Dat. P[...] die 19 Ap[...]*

Dat. Romæ apud S. Petrum, &c. die 19. Aprilis milleſimo ſexcenteſimo decimoſexto, Anno undecimo.

Joannes Garſia Cardinalis Millinus.

Metellus Cardinalis Senen.

Philippus Cardinalis Philonardus.

---

## XCVI. Unio Congregationis Clericorum Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Avenionis inſtitutæ, Congregationi Clericorum Soſmachæ, ſive S. Majoli Papien. unà cum capitulorum inter eaſdem Congregationes initorum comprobatione.

*De hac ſecundodicta Congregatione, habes in hoc opere conſtit. 21. Pauli III. ſuprà lib. 1. ubi alia aliorum Pont. reſcripta illius ſtatum concernentia tibi indicavi, præter conſt. poſtea ab iſto Pont. editam, quæ eſt hic ſuprà. Illam verò primam Congregationem ſcias Anno 1592. inſtitutam, & inde à Clem. VIII. die 23. Decembris approbatam fuiſſe, ſed ejus bullam authenticum uſque modò habere non potui.*

*Edita A. D. 1616.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordi[...]*

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio, ad ea per quæ piorum hominum Congregationes,

nes in militanti Eccleſia, præſertim ad legem Chriſtianam rudibus exponendam, providè ſanctéque inſtitutæ majoribus in dies proficiant incrementis, ſedulò intendimus.

§.1. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Antonius Vigerius Præpoſitus, ac Clerici ſeculares Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Civitate Avenionen. canonicè inſtitutæ, quod ipſi feliciori ejuſdem Congregationis ſtatui & augmento conſulere volentes, eandem Congregationem Congregationi Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ, aliàs S. Majoli Papien. per nos uniri & incorporari deſiderant, & propterea infraſcripta Capitula cum dilectis etiam filiis Præpoſito & Clericis Regularibus dictæ Congregationis Soſmachæ ſtatuerunt, quæ à venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus negotiis Regularium præpoſitis recognita & approbata fuerunt, tenoris ſequentis, videlicet.

§.2. Conventiones firmatæ ac ſtabilitæ inter Clericos Regulares Congregationis de Somaſcha, & Patres Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Galliæ, pro unione facienda utriuſque Congregationis. Quod quidem negotium à Sanctiſſimo D. N. fuit commiſſum Sacræ Congregationi Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium Præpoſitorum.

### Cap. I.

IN primis igitur, Doctrinæ Chriſtianæ Patres, eorumque ſucceſſores in perpetuum ſecum retinebunt inſtitutum docendi Doctrinam Chriſtianam parvam mediocrem & magnam juxta laudabilem eorum conſuetudinem quam inviolabiliter ſervabunt, & in iis Domibus quas nunc poſſident, & in iis quas in poſterum poſſidebunt in toto Regno Galliæ.

### Cap. II.

REverend. Pater Cæſar de Bus, vir pietatis eximiæ, Congregationiſque Patrum Doctrinæ Chriſtianæ in Regno Galliæ primus parens & inſtitutor, habeatur in Religione pro authore, ut revera fuit hujus ſanctiſſimi inſtituti, Doctrinam Chriſtianam in dicto Regno Galliæ Populos edocendi.

### Cap. III.

PAtres Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia vocari deinceps poſt factam unionem debebunt Patres Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Somaſchæ, ſeu Sancti Majoli Papiæ, & privilegia omnia erunt communia.

### Cap. IV.

SUb obedientia vivent Præpoſiti generalis de Somaſcha, qui ſemel ſingulis trienniis per ſe vel per alium ab eo deſtinandum eos viſitabit. Cæterum eorum regimen & gubernatio in toto Regno Galliæ, in domibus tam acquiſitis quàm acquirendis, ſit penes Superiores Gallos: & Provincialis ſimiliter Gallus eligendus per Capitulum generale de Somaſcha eis inſtituatur. Qui quidem erit unus ex duobus vel tribus Patribus nominatis, ſive propoſitis à Capitulo Provinciali ipſius Provinciæ Galliæ tempore debito congregato.

### Cap. V.

CUjus Provincialis auctoritas erit de loco ad locum perſonas mutare, Novitios per ſe vel per locorum Superiores ad profeſſionem admittere, Concionatoribus concionandi facultatem concedere, dummodo ab Epiſcopis locorum licentiam ſeu benedictionem ad formam Concilii Tridentini obtineant, & alia facere, quæ Viſitatoribus dictæ Congregationis Somaſchæ conceduntur. In reliquis autem tanta ſit ejus auctoritas, quanta à Capitulo Provinciali conceditur eidemmet. Debebit tamen Præpoſitum generalem ubi commodè poterit, conſulere, vel ſaltem de ſingulis magni momenti rebus certiorem facere. Provincialis ſtatim atque erit electus, cenſeatur eſſe & ſit ipſo facto de gremio Capituli generalis, in quo vocem activam, & paſſivam habeat. Ejus officium per triennium durabit. Ad Capitulum generale cum accedet, ſocium unum ſeu diſcretum, antea à Capitulo Provinciali electum deducet, qui quidem ſocius in Capitulo generali interveniet cum utraque voce.

### Cap. VI.

QUod ſi contingat Provincialis obitus, eo caſu Superior profeſſione ſenior cenſeatur electus.

*Provinciali de cætero quis ſuccedat.*

### Cap. VII.

AD Capitulum Provinciale ſpectabit, cum majori parte votorum nova loca, prævio tamen Epiſcoporum conſenſu, & ſervata forma Clementis Octavi, recipere, recepta deſerere, Superiores locales erigere vel deponere, reos ſi qui erunt, punire, aut innocentes abſolvere, curam Monialium ordinariam pro Confeſſionibus audiendis, de conſenſu & licentia eorumdem Epiſcoporum recipere, bona in univerſum in toto Regno Galliæ ipſi Congregationi relicta alicui loco particulari aſſignare, Novitios quadrageſimum annum excedentes, vel qui alterius Religionis habitum habuerint, & debitam tranſeundi facultatem à Sede Apoſtolica obtinuerint, ad probationem admittere, exemptiones diuturnas maximè ſenibus & Studentibus, ad tempus, non autem perpetuò, & ex cauſa impertiri, locum pro Capitulo Provinciali proximè congregando determinare.

*Ad Capitulum Provinciale quæ ſpectent.*

### Cap. VIII.

INſuper Capitulo Provinciali quod menſe Septembris præcedente Capitulum generale, convocandum erit, præter Provincialem, intereſſe debebit quilibet Superior localis una cum Socio ſeu Diſcreto à Capitulo Conventuali ejuſdem loci, dummodo ſex ſaltem ibi reſideant, eligendo.

*Qui ad d. Capitulum accedant.*

§.3. Quare pro parte primodictæ Congregationis fuit nobis humiliter ſupplicatum, quatenus unionem & incorporationem hujuſmodi facere, & eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos piis Clericorum prædictorum votis quantum cum Domino poſſumus annuere, illoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis, &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio dictam Congregationem Doctrinæ Chriſtianæ in prædicta Civitate Avenionen. inſtitutam, Congregationi Somaſchæ prædictæ, ita ut unum corpus Congregationis efficiant, ac Clerici dictæ Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ, regulas & conſtitutiones ſecundodictæ Congregationis Somaſchæ ab Apoſtolica Sede approbatas ſervent, & profiteantur, necnon Capitula prædicta adimpleantur & etiam ſerventur, ſalvis tamen limitationibus & modificationibus infraſcriptis, videlicet quod Provincialis prædictus exemptiones diuturnas hujuſmodi nonniſi ex cauſa alicujus impedimenti concedere poſſit aut debeat, Apoſtolica auctoritate tenorè præſentium perpetuò unimus & incorporamus.

*Et modò Papa prædictam unionem, & Capitula approbat, & ab omnib. Regulas Congregationis Somaſchæ ſervari præcipit, excepto quod Provincialis exemptiones diuturnas non niſi ex cauſa concedat.*

§.4. Necnon cum dicto Antonio, ut infrà quatuor menſes à die cœptæ probationis numerandos, integro non expectato probationis anno, profeſſionem per dictos Clericos Congregationis Somaſchæ hujuſmodi emitti ſolitam expreſsè emittere liberè & licitè valeat, auctoritate & tenore prædictis indulgemus, ac cum eodem deſuper diſpenſamus. Cæteros verò primodictæ Congregationis Clericos, antequam profeſſionem hujuſmodi emittant, annum probationis integrè complere debere.

*Ut profeſſio cum eo [illegible] determinat.*

§.5. Ac Clericos ſecundodictæ Congregationis in Galliam pro inſtructione dictorum preſbyterorum mittendos, in Statu Eccleſiaſtico Regni Galliæ locorum Superiores, etiamſi non ſint Galli, eligi poſſe ſtatuimus.

*In Statu Eccleſiaſtico Regni Galliæ, etiam ſi non ſint Galli, ſuperiores eſſe permittit.*

§.6. Decernentes præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula [illegible] decretum irritans.*

§.7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac utriuſque Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſin-

*Clauſula derogatoria.*

ſingulis,

gulis, eorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.8. Volumus etiam, ut præſentium tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 11. die 11. April.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, &c. die 11. Aprilis 1616. Anno undecimo.

---

## XCVII. Innovatio Conſtitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione B. MARIÆ Virginis editarum. Impoſitioque majorum pœnarum in tranſgreſſores à locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus puniendos.

*Attende quæ notavi inf. ad hujus Pont. Conſtitut. 105. Sanctiſſimus.*

*Edita An. D. 1616.*

### *PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

REgis pacifici, quamquam nullo noſtro merito, divina diſpenſatione vices gerentes in terris, ex muneris noſtri debito, pacis & concordiæ inter Chriſti fideles, præſertim Eccleſiaſticas perſonas, quæ aliis in viam pacis dirigendis, & in unitate ſpiritus continendis ſunt præpoſitæ, conſervationi ſedulò invigilare cupientes, ea quæ à prædeceſſoribus noſtris Roman. Pontif. ad ſcandalorum ſemina tollenda ſalubriter conſtituta ſunt, cùm hoſtis antiqui inſidiis, qui ab initio diſſidia ſerere cœpit, minimè obſervari, aut variis modis eludi dignoſcuntur, ut inviolata ſerventur, opportunis remediis, quantum cum Domino poſſumus, providemus.

*Sixtus IV. conſtitutionem edidit contra affirmantes, hæreticum eſſe aut peccatū mortale, credere vel tenere B. Mariam Virginem in ſua conceptione à peccati originalis macula præſervatā fuiſſe vel non fuiſſe, cum nondum id eſſet à Sede Apoſt. & Romana Eccleſia deciſum.*

*Hanc conſt. Sixti IV. vide in c. 2. de Reliq. & venerat. Sanctorum inter extrav. communes.*

§.1. Olim ſiquidem per felicis recordationis Sixtum Papam Quartum prædeceſſorem noſtrum, accepto quod nonnulli diverſorum Ordinum prædicatores, in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diverſas Civitates & Terras affirmare non erubuerant, & quotidie prædicare non ceſſabant, omnes illos qui tenebant aut aſſerebant glorioſam & immaculatam Dei Genitricē abſque originalis peccati macula fuiſſe cōceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos, ejuſdemque immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmabant, graviter peccare, ſed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos ſuper eiſdem ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum aſſertionibus & prædicationibus non levia ſcandala in mentibus fidelium exorta erant, & majora meritò exoriri formidabantur in dies, idem Sixtus prædeceſſor hujuſmodi temerariis auſibus, & perverſis aſſertionibus & ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poterant, obviare volens, hujuſmodi aſſertiones prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujuſmodi officium conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi ſermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpotè falſas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc reprobavit & damnavit, ac ſtatuit & ordinavit, quod prædicatores verbi Dei, & quicumque alii cujuſcumque ſtatus, gradus, aut ordinis & conditionis eſſent, qui auſu temerario præſumerent in eorum ſermonibus ad populum, ſeu aliàs quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per eum improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio quàm à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, nequirent abſolutionis beneficium obtinere. Similique pœnæ & cenſuris ſubjecit eos, qui auſi eſſent aſſerere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Glorioſam Virginem MARIAM cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum id eſſet à Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede diſcuſſum.

*Eam in[illegible] Conc. Trid. ſeſ. [illegible] Pœnas [illegible] in fin.*

§. 2. Hanc vero Sixti prædeceſſoris Conſtitutionem Oecumenica Tridentina Synodus poſtea innovavit.

*Pius Q[illegible] prohibuit [illegible] hoc articulo in popular[illegible] concionib. diſputar. vulgari [illegible] mone ſcri[illegible] vel dicta[illegible] ut in e[illegible] conſt. 114 [illegible] per ſtrcla. lib. 2.*

§. 3. Ac deinde ſimilis recordationis Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, ſtatuit, ordinavit & mandavit, quatenus nemo cujuſcumque ordinis vel dignitatis exiſteret, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum & mulierum multitudo convenire ſolet, de hujus controverſiæ alterutra parte diſputare rationibus vel Doctorum auctoritate, aſſerendo propriam ſententiam & contrariam refellendo vel impugnando, aut de hac ipſa quæſtione, cujuſvis pietatis aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumeret, qui contrafaceret ſuſpenſionis pœnam à divinis, abſque nova declaratione ipſo facto incurreret, ſi modò eſſet in ſacris conſtitutus, & quocumque præterea gradu ſive dignitate vel adminiſtratione fungeretur, illis omnibus foret ipſo jure privatus, & ad eadem vel ſimilia munera obtinenda vel obeunda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo etiam facto obnoxius foret, ſuper quibus niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente diſpenſari, ſive abſolvi non poſſet, & nihilominus aliis pœnis, ſi opus foret, à proprio Prælato pro delicti menſura infligendis ſubjectus eſſet, prout ſubjecit.

*Sed ſolummodo in Academiis & Capitulis, ubi nullo ſcandali occaſio ſubeſſet, permiſ[illegible]*

§.4. Cæterum quamdiu per Apoſtolicam Sedem altera pars diffinita non eſſet, oppoſitaque ſententia condemnata, liceret viris doctis in publicæ Academiæ diſputationibus, ſive Generalium aut Provincialium Capitulorum, vel ubi alias intereſſent qui rem capere poſſent, nec ſcandali ulla ſubeſſet occaſio, de illa quæſtione diſſerere, & argumentis utramlibet partem aſſerere vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicaretur, ſervarenturque illa omnia, quæ à dicto Sixto prædeceſſore ſtatuta ſunt, quorum ſingula etiam quantum ad alias pœnas duxit innovanda & innovavit, prout in Sixti & Pii prædeceſſorum literis deſuper confectis plenius continetur.

*Quia tamen [illegible] ſtatu[illegible] cis ſic[illegible] prà ſta[illegible] nova con[illegible] nes exortæ ſunt.*

§.5. Verùm licet hæc providè ſtatuta ſint, nihilominus ſicut accepimus, nonnulli in diverſis Chriſtiani Orbis partibus, interminatis quæſtionibus nimis intenti, diſſenſionum hujuſmodi jampridem Eccleſiæ diſciplinæ vigore reciſa germina coaleſcere procurant, indeque contentiones & rixæ non ſine Dei offenſa & ſcandalo plurimorum exortæ ſunt, & graviores in dies ne exoriantur periculum eſt, niſi à nobis opportunè provideatur.

*Hic Pont. prædictas Sixti IV. & Pii V. conſtitutiones innovat, & inviolabiliter obſervari præcipit.*

§.6. Quamobrem Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, conſtitutionum Sixti & Pii prædeceſſorum hujuſmodi veriores tenores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, eaſdem Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & etiam quoad earum pœnas quaſcumque etiam abſolutionis reſervationem innovamus, & inviolabiliter ab omnibus, etiam regularibus cujuſcumque Ordinis & inſtituti, & aliis quibuſcumque tam eccleſiaſticis quam ſecularibus perſonis, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis aut dignitatis, tam eccleſiaſticæ quam ſæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica & individua earum eſſet neceſſariò facienda mentio, obſervari præcipimus & mandamus, donec à Romana Apoſtolica Sede hujuſmodi controverſia fuerit diffinita.

*Tranſgreſſoribus pœnas auget.*

§.7. Ac præterea ſi quis quovis modo contravenerit, præter ſupradictarum conſtitutionum pœnas reſpectivè ipſo facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa & paſſiva in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione, privatus exiſtat, necnon concionandi & publicè legendi, docendi & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas ſimiliter ipſo facto incurrat, abſque alia declaratione, à quibus nonniſi à Nobis ipſis, vel ſucceſſoribus noſtris Roman. Pontificibus pariter abſolvi, ſeu ſuper iis diſpenſari poſſit: & nihilominus aliis pœnis noſtro & eorundem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis ſubjiciatur, prout eum ſubjicimus per præſentes.

*Et contra illos Epiſcopis, & cæt. ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus facultatem procedendi tribuit.*

§.8. Et contra hujuſmodi tranſgreſſores, etiam regulares cujuſvis Ordinis & inſtituti, etiam quomodolibet

exemptos,

exemptos,& alias quaſcumque Eccleſiaſticas & ſæculares perſonas, cujuſcumque ſtatus,gradus, ordinis aut dignitatis,tam Eccleſiaſticæ,quàm ſæcularis,ut præfertur, tam Epiſcopi & Prælati, Superiores, aliique Ordinarii locorum,quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant & inquirant, atque in eos ſeverè animadvertant. Nos enim iis & eorum cuilibet, contra eoſdem tranſgreſſores procedendi & inquirendi, ac pœnis coërcendi & puniendi liberam facultatem & auctoritatem eiſdem auctoritate & tenore tribuimus & impartimur,in eoſque,ut præfertur, procedere,inquirere & punire præcipimus & mandamus.

*Contrariis derogat.*

§.9. Non obſtantibus omnibus iis, & ſingulis, quæ tam Sixtus quàm Pius prædeceſſores prædicti in literis ſuis hujuſmodi voluerunt non obſtare. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Publicationẽ Romæ factã ubique ligare decernit.*

§.10. Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentes literæ,ſeu illarum exempla,ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixæ,omnes ita arctent & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Tranſumptis credi jubet.*

§.11. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis,manu Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P.A.12. die 6. Iulii.*

Dat.Romæ apud S.Mariam Majorem,ſub annulo Piſc. die 6.Julii 1616. Pont. noſtri Anno 12.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1616. indictione 15. die verò nona menſis Julii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, D. Pauli Divina providentia Papæ V. Anno 12. Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, per me Auguſtinum Bracherium Curſorem.*

*Silverius Pontirolus Magiſter Curſ.*

---

## XCVIII. Inhibitio, ne Monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cæleſtinorum, dignitates, gradus & officia, ſæculari favore, & illicitis viis procurent, pluribus in eos, eorumque fautores pœnis indictis.

*De hac Congregatione habes aliam hujuſmet Pont.conſt.94. hic ſup. ubi cæteras indicavi.*

*Edita An.D. 1616.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

QUoniam nemo debet aſſumere ſibi honorem niſi vocatus à Deo tanquam Aaron, & à regularis vitæ inſtituto valdè alienum eſt, ut religioſi viri, quos honorum & dignitatum gradus ſanctitate vitæ, ac aliis religioſis virtutibus potiùs promereri, quam appetere, eoſque gradus cum ad eos aſſumuntur,obedienter ſuſcipere, ſuſceptoſque humiliter adminiſtrare decet, mendicatis ſæcularium præſertim perſonarum ſtudiis,ad eos ſibi aditum patefacere contendant, unde magna in Eccleſia Dei ſcandala & damna exoriri ſolent.

*Prohibitio officia religionis cuique iſtis extra eam favoribus, illicitiſque viis procurandi, ſub multis pœnis in eos & eorum fautores inflictis.*

§.1.Nos qui pro muneris noſtri debito in hoc potiſſimùm laborare non deſiſtimus, ut Eccleſiaſtica regulariſque diſciplina priſtinæ obſervantiæ reſtituatur, hoc malum è Congregatione Cœleſtinorum Ordinis S.Benedicti,cujus proſperum regimen, & incrementum ad Eccleſiæ ſanctæ utilitatem ſinceris deſideramus affectibus,propellere cupientes,Motu proprio,& ex certa noſtra ſcientia,ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulos Monachos dictæ Congregationis, cujuſcumque gradus,ſtatus,conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes,functiones & alia officia dictæ Congregationis aſſequenda intenti, ad Principum ac Prælatorum, & aliarum quarumcumque perſonarum, tam ſæcularium quàm Eccleſiaſticarum, de gremio dictæ Congregationis non exiſtentium, etiam Card.honore,ac quacumque ſæculari dignitate,& excellentia,& etiam Imperiali,Regali,& Ducali fungẽtium favores recurrerint,vel etiam pactis,pollicitationibus,aliiſque viis illicitis directè vel indirectè, palam vel occultè ad Prælaturas,gradus,honores,dignitates,adminiſtrationes,functiones & alia officia præfata obtinenda aſpiraverint, vel aliis minùs legitimis & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiverint,aut etiam ſponte oblatis,& minimè conquiſitis uſi fuerint, illorumque complices & fautores,vinculo excommunicationis latæ ſententiæ,à qua non niſi per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes,præterquam in mortis articulo conſtituti,abſolvi queant, innodamus, ipſoſque, & eorum quemlibet ad quaſcumque Prælaturas,dignitates,officia,gradus,honores, adminiſtrationes, & munera in ipſa Congregatione obtinenda, perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, adminiſtrationibus, functionibus, & officiis hujuſmodi eo ipſo privamus, ac privatos voce tam paſſiva quàm activa carere decernimus & declaramus.

*Prohibitio ne Superiores dictæ Congregationis, ſuaſoribus extra ejus gremium exiſtentibus, quem ad offi. ia admittant.*

§.2. Atque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis etiam latæ ſententiæ pœna, omnibus dictæ Congregationis Monachis, Superioribuſque & prælatis quocumque titulo nuncupatis, etiam Abbati Generali, præſentibus, & futuris præcipimus,diſtrictéque mandamus, ne quempiam ullo tempore precibus, literis vel favoribus adducti,vel alias ad inſtantiam,ſeu requiſitionem vel contemplationem Principum, ſeu Prælatorum, aut aliorum quorumcumque,tam ſæcularium quàm Eccleſiaſticorum extra dictum gremium exiſtentium præfatorum ad cujuſvis generis Prælaturas,gradus,honores, dignitates,adminiſtrationes,functiones & officia dictæ Congregationis promovere audeant, ſeu præſumant.

*Declaratio quod electiones & promotiones aliter factæ ſint invalidæ.*

§.3.Decernentes electiones & promotiones ad Monaſteria,& Prioratus vel officia dictæ Congregationis contra præſentium diſpoſitionem, quod abſit, quandocumque faciendas, & pro tempore obtinendas, nullas prorſus, invalidaſque fore & eſſe, ac omnes & ſingulos in præmiſſis delinquentes ſententias & pœnas præmiſſas irremiſſibiliter eo ipſo incurrere.

*Et ita, & non aliter judicetur.*

§.4. Et ita per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,etiam S.R.E.Card. judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.5.Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis,ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus,& ordinationibus,necnon Ordinis & Congregationis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi prædictis Monachis vel quibuſvis aliis communiter aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Formam publicationis ...*

§.6.Ut autem harum literarum notitia ad omnes Congregationis hujuſmodi Monachos faciliùs deveniat, volumus illas pro hac prima vice in ſingulis dictæ Congregationis domibus regularibus, & deinde in ſingulo quoque Capitulo Generali, ſeu dieta dictæ Congregationis publicè legi, illaſque ut præfertur lectas,ſic omnes arctare,ac ſi unicuique intimatæ fuiſſent.

*Eandem ... fidem ...*

§.7. Illarumque exemplis etiam impreſſis, manu Scribæ dictæ Congregationis, vel Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Abbatis Generalis ipſius Congregationis, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ

obſignatis, eandem prorſus fidem haberi, quæ præſentibus haberetur, ſi eædem exhiberentur.

*D.P.An.12. die 27. Aug.* Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſc. die 27. Auguſti 1616. Pont. noſtri Anno 12.

---

## XCIX. Confirmatio nonnullarum Conſtitutionum, ſeu Ordinationum à Fratribus Eremitis Ordinis S. Auguſtini Congregationis Siciliæ, pro feliciori ejuſdem gubernio editarum. Necnon approbatio Unionis ipſius Congregationis prædicto Ordini antea factæ.

*Horum Fratrum materiam vide in ſecunda rubr. ad Conſt. 6. Alex. IV. Licet Eccleſia, ſup. tit. 1. & etiam infra adeſt 30. S. D. N. Urban. VIII. Romanus Pontifex.*

*Edita An. D. 1617.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*De an. 1581. unita fuit Ordini Eremitarum S. Auguſtini Congregatio Siciliæ ejuſdem Ord. ab ejus Vicario Generali Apoſtolico.*

§. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Antonius de Caſtroianne, & Paulus de S. Philippo, Eremitæ Congregationis Siciliæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, quod aliàs quondam Thaddæus Peruſinus, tunc Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini hujuſmodi Vicarius Generalis Apoſtolicus, eandem Congregationem prædicto Ordini univit, & incorporavit, prout in patentibus literis dicti Thaddæi, ſub die 1. Aprilis Anni 1581. deſuper expeditis pleniùs dicitur contineri.

*Subinde d. Congregatio nonnullas ordinationes pro feliciore ipſius ſtatu edidit, prout infra.*

§. 2. Subinde verò Eremitæ prædicti proſpero ejuſdem Congregationis regimini, & felici ſtatui conſulere cupientes, infraſcriptas ordinationes in prædicta Congregatione hactenus obſervatas, & quas de cætero obſervare intendunt, edidere tenoris ſubſequentis, videlicet.

§. 3. Congregatio ipſa & Fratres in illa profeſſi, omnibus legibus, ordinationibus, & conſtitutionibus, quæ in univerſo Ordine obſervantur, ſubjecti ſint, & inviolabiliter obſervent.

*De his quatenentur obſervare fratres profeſſi in d. Congregatione. De privilegiis, immunitatibus, &c.*

§. 4. Quod Fratres Congregationis omnibus privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, & gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus Ordini Eremitarum S. Auguſtini conceſſis, & in poſterum concedendis fruantur, & potiantur, dummodo ſint in uſu, neque ſacris Canonibus, aut Conc. Trid. decretis repugnent.

*De receptione novorum locorum.*

§. 5. Quod poſſint nova loca recipere, & Conventus fundare, tam in Regno Siciliæ, quàm per totam Italiam, ſervatis tamen decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, & de licentia Prioris Generalis, & Ordinariorum locorum.

*De Vicario gen. Congregationis.*

§. 6. Quod Congregatio gubernetur per Vicarium generalem, in Capitulo Congregationis ab iiſdem Fratribus eligendum, qui nullius Superioris Regularis juriſdictioni ſubjaceat, ſed tantum Priori Generali ſit immediatè ſubjectus.

*De auctoritate & juriſdictione Vicarii Generalis ſuper totam Congregationem.*

§. 7. Quod Vicarius electus habeat eandem auctoritatem, & juriſdictionem ſuper totam Congregationem, quam habent ſinguli Provinciales in ſua Provincia.

*De confirmatione Vicarii Generalis.*

§. 8. Quod Vicarius generalis electus legitimè, & canonicè, abſque repulſa à Priore Generali confirmari debeat, & Vicarius eligi ſemper debeat unus ex Congregatione, qui ejus vitæ aſperitatem profiteatur.

*De facultate Congregationi conſervanda eligendi Vicarium Generalem.*

§. 9. Quod Prior Generalis facultatem, quam habet Congregatio eligendi Vicarium, inviolatam conſervet, neque in Capitulo generali aliquid innovetur, quod ad ſubſtantiam dictæ facultatis eligendi pertineat, niſi priùs conſulta Sede Apoſtolica, ad quam Fratres, ubi ſe gravatos ſenſerint, recurſum habere poterunt.

*De exercitiis corporalibus Fratrum.*

§. 10. Quod horis, quibus vacant ab exercitiis ſpiritualibus, corporalibus exercitiis incumbant, intra tamen Monaſterii ſepta, & prout decet viros Religioſos pro vitæ ſuſtentatione. Quæ ſunt arte elaborata vendantur ab aliquo Converſo, ſeu Laïco, cui Prior injunxerit, & pretium in commune redigatur.

*De tranſitu ad alias Congregationes, & de receptione fratrũ Ordinis ad hãc Congregationem.*

§. 11. Quod nullus Frater Congregationis poſſit ad alias Congregationes ejuſdem Ordinis tranſire, ſine licentia Prioris Generalis, & quod in Congregatione nullus Frater Ordinis recipiatur, qui eandem vitæ aſperitatem profiteri nolit, per Capitulum Conventus approbandus.

*De facultate Prioris Gen. Ord. viſitandi Congreg.*

§. 12. Quod Prior generalis pro tempore exiſtens, Congregationem, & ejus Conventus per ſe, vel per aliam perſonam viſitare poſſit.

*De Jejuniis.*

§. 13. Quod Fratres Congregationis præter dies ab Eccleſia ordinatos, jejunent quarta, & ſexta feria, exceptis diebus feſtis Paſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, S. P. Auguſtini, & Omnium Sanctorum.

*De his qui jejunare non poſſunt.*

§. 14. Quod ſi quis ob aliquam cauſam jejunare non poterit, à carnibus, ovis, & lacticiniis abſtineat, niſi ſuperiori Conventus de conſilio Medicorum aliter videatur.

*De locis Eremitoriis longè à Civitatibus conſtruendis.*

§. 15. Quod loca Eremitoria, in quibus Fratres habitant, ſint ad minùs per unum milliare diſtantia à Civitatibus, Oppidis vel aliis locis habitatis.

*De veſtibus.*

§. 16. In veſtibus tam intraneis, quàm extraneis ſervetur omnimoda uniformitas, ita tamen, ut ſemper fiant ex vilioribus, quæ in locis, ubi fuerint Monaſteria, reperiuntur, &c.

*De victu, & aliis præſtandis Priori Generali viſitanti, aut alteri de ejus mandato.*

§. 17. Quod Prior Generalis, ſive Viſitator ab eo miſſus, præter victum quotidianum, nihil ultra petere, vel recipere poſſit, exceptis tarenis duodecim, qui Priori Generali ſingulo quoque anno exhibetur pro ſua collocta, &c.

*Poſtea inſerunt Pont. ut prædicta approbaret.*

§. 18. Cum autem (ſicut eadem expoſitio ſubjungebat) Eremitæ prædicti plurimùm cupiant, tam unionem, quàm ordinationes hujuſmodi, pro majori earum validitate & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ confirmationis robore communiri. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui unionem prædictam ac ordinationes præinſertas confirmat, prohibendo tamen, ut nova loca extra Regnum Siciliæ abſque Sed. Apoſt. expreſſa licentia recipere, aut fundare non poſſint.*

§. 19. Nos Eremitas prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Card. negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, Unionem, & Ordinationes hujuſmodi, ita tamen ut Eremitæ prædicti nova loca extra Regnum Siciliæ abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia fundare, vel accipere nullatenus poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

*Defectus ſupplet.*

§. 20. Ac omnes & ſingulos tam juris quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Clauſula præſervativa cum decreto irritanti ſuperaddit.*

§. 21. Decernentes præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis præfatæ Congregationis Eremitis, & aliis ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contraria tollit.*

§. 22. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, &c. juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 12. die 25. Janu.* Dat. Romæ apud S. Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris, die 25. Januarii 1617. Pontificatus Noſtri An. 12.

---

## Congregationis Fratrum Joannis Dei in Italia pridem inſtitutæ, & Hoſpitalia Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ comprehendentis, in veram Religionem erectio ſub tribus votis ſubſtantialibus, & quarto de juvandis Infirmis, ſub Regula S. Auguſtini.

*Similem erectionem hic idem Paulus fecit de alia eorumdem Fratrum Congregatione Hiſpaniæ, ut ſup. in ejus Conſtit. 69. tom. 3. Et confirmationem Conſtitutionum ab ipſa Religione editarum infrà in Conſt. 5. Ea quæ, & in alia Conſt. Romanus, præfinivit Iuriſdictionem Ordinariis locorum in iſtos Fratres, quam habes in num. 15.*

De

**De inſtitutione autem, & toto ſtatu horum Fratrum Io. Dei vide quæ ſup. ſunt notata ad Conſt. 143. Pii V. Licet, ſup. tom. 2. Communicationemque Privilegiorum Ordinibus Mendicantium conceſſorum huic Religioni feciſſe S.D.N. Urb. VIII. vide inf. Conſt. 18. Sacroſanctum.**

*...dita An. D. 1617.*

## *PAULUS PAPA V.*

### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmanus Pontifex circa ſacrarum Religionum, & Congregationum, ac etiam Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum ſalubrem directionem, & felicem progreſſum ex demandatæ ſibi Apoſtolicæ ſervitutis officio intentus, ea quæ deſuper à Prædeceſſoribus ſuis facta comperit, partim approbat & confirmat, partim verò aliis juſtis ita ſuadentibus cauſis alterat, & immutat, aliaſque officii ſui partes interponit, prout rerum, locorum, temporum, & perſonarum qualitate penſata conſpicit ſalubriter in Domino expedire.

*...fert quod ...merat cir... regimen ...Con... gregationis in ...a Clem. VIII. ſup. in ...a conſt. 44. ...m. 3.*

§. 1. Aliàs ſiquidem cum pridem Congregatio Joannis Dei in Urbe, ac diverſis Italiæ partibus Apoſtolica auctoritate recepta, & confirmata, cujus Confratres, pauperes infirmos, graviterque laborantes hoſpitio ſuſcipere, eiſque inſervire conſueverunt, valdè aucta eſſet, illiſque diverſa privilegia, & indulta ab Apoſtolica Sede, Romaniſque Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, præſertim quod per unum ex ipſis Confratribus Majorem nuncupatum Congregatio ipſa regeretur, quodque ab Ordinariis locorum exempti eſſent, atque illius Religioſi profeſſionem emittere, ac ad ſacros ordines promoveri poſſent, conceſſa fuiſſent, fel. rec. Clem. Papa VIII. prædeceſſor noſter accepto, quod ejuſdem Congregationis Confratres à primævo ſuo inſtituto paulatim recedebant, ac opus hoſpitalitatis eorum pauperum infirmorum, cui in primis incumbere tenebantur, intermittebatur, & multi Confratrum literarum ſtudiis intendebant, & ſacris ordinibus initiari, ut à ſervitio hoſpitalium excuſarentur, procurabant, per ſuas ſub die 12. Febr. MDXCII. in ſimili forma brevis expeditas literas ſtatuit & ordinavit, quod omnes & ſinguli Confratres prædicti locorum Ordinariis ſubeſſe deberent, quodque ab hoſpitalibus in quibus profeſſionem eatenus quilibet emiſiſſet, nunquam amoveretur, niſi ob incorrigibilitatem, ac de Ordinariorum, quibus dicta hoſpitalia ſubeſſent, nec etiam transferrentur de uno hoſpitali ad aliud, niſi pariter de Ordinariorum licentia, ac tam hoſpitalis, à quo, quàm Ordinarii ad quem transferretur, ac de cætero votum tantùm inſerviendi ipſis hoſpitalibus ſub prædicta Ordinarii obedientia emitterent. Subinde verò cum experientia compertum fuiſſet, Congregationis prædictæ hoſpitalia, & loca pia in Italia exiſtentia ſic ad invicem ſeparata, & alicujus communis Superioris, qui ea, eorumque Confratres ad primævi inſtituti obſervantiam reſtitueret, & eoſdem in ipſa conſervaret, regimine deſtituta, gravia incõmoda, & damna paſſa fuiſſe, & in dies pati, itaut niſi de aliqua regiminis forma eis provideretur, facilè evenire poſſet, ut Congratio ipſa in totum extingueretur, & corrueret, dictus Clemens prædeceſſor per alias ſimiles ſuas ſub die 9. Sept. MDXCVI. expeditas literas, eidem Congreg. Jo. Dei, ac ſingulis ejus hoſpitalibus, & locis in Italia jam receptis, & in futurum recipiendis, eorumque Confratribus, & perſonis tunc, & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, prærogativis, gratiis, facultatibus, indultis, & indulgentiis à fel. rec. Pio V. Greg. XIII. & Sixto V. aliiſque Romanis Pontificibus Congregationis Hoſpitalibus, & locis Hiſpaniarum, ac Hoſpitali S. Jo. Calabitæ in Inſula S. Bartholomæi de Urbe, ejuſdem Congregationis Jo. Dei in genere vel in ſpecie conceſſis, & confirmatis, citra tamen facultatem profeſſionem emittendi, & ſacros ordines ſuſcipiendi, & citra exemptionem à juriſdictione Ordinariorum locorum, quibus eos omninò ſubeſſe voluit, perpetuò uti, frui, potiri, & gaudere in omnibus, & per omnia poſſent, & valerent, perinde ac ſi ipſis nominatim, & æquè principaliter conceſſa fuiſſent, ita tamen ut Confratres in quocumque Italiæ loco jam recepti, ſtatim & deinceps recipiendi in Congregatione prædicta debito tempore votum inſerviendi eorum hoſpitalibus ſub Ordinarii loci obedientia in manibus ejuſdem Ordinarii, aut Majoris Confratris emittere, ac hoſpitalitatem pro iis infirmis, quos recipere, & curare conſueverant, quatenus fieri potuiſſet, exercere tenerentur, utque unus Confrater in Majorem ab omnibus Prioribus quorumcumque Hoſpitalium & locorum dictæ Congregationis in Italia exiſtentium, Romæ in Hoſpitali S. Joan. Calabitæ prædicto per ſecreta ſuffragia majoris partis vocalium eligeretur, cujus officium ad ſexennium tantum durare deberet, ita ut finito ſexennio, iterum eligi, aut confirmari, niſi lapſo altero ſexennio, minimè poſſet. Duo item Conſiliarii, & duo Viſitatores in eodem loco, ac eiſdem modo, & forma eligerentur, quorum Conſiliariorum, & Viſitatorum, necnon etiam ſingulorum Priorum officium ad trienniũ tantum duraret, & finito dicto triennio, ad idem officium nemo poſſet iterum eligi, vel in eo confirmari, niſi alterum triennium intercederet. Præterea quod Confratres hujus Congregationis Sacerdotes, aut in ſacris ordinibus conſtituti eſſe non poſſent, nec ad hujuſmodi ſacros ordines promoveri valerent, ſed juxta primævum eorum inſtitutum in ſimplicitate pauperibus infirmis, ut præfertur, inſervire deberent, etiam ſtatuit, & ordinavit. Et ſubinde pro parte Confratrum ejus Congregationis Nobis expoſito, quod omnes Domus regulares Congregationis prædictæ magna incommoda, & damna patiebantur, ex eo quod Confratribus prædictis aſcenſus ad ſacros ordines, ut præfertur, interdictus eſſet.

*...lias 13.*

*Et quid ipſemet Paulus decrevit infrà conſt. 55. eod. tom. 3.*

§. 2. Nos ſupplicationibus eorumdem Confratrum nobis humiliter porrectis inclinati, per ſimiles noſtras ſub die 1. Julii MDCIX. expeditas literas, quod in qualibet Domo dictæ Congregationis unus Confrater dumtaxat, arbitrio tunc pro tempore exiſtentis ejuſdem Congregationis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris, ad omnes etiam ſacros, & preſb. ordines à ſuo Ordinario, vel de ejus licentia, à quocumque maluiſſet Catholico Antiſtite gratiam, & communionem prædictæ Sedis habente ad titulũ Hoſpitalitatis hujuſmodi promoveri, & promotus in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare, dummodò tamen prævio diligenti examine ad hoc idoneus repertus foret, neque aliud ei obſtaret canonicum impedimentum, & ante ſex annos ſaltem Congregationis hujuſmodi regulam profeſſus fuiſſet, liberè, & licitè valeret, Apoſtolica auctoritate licentiam conceſſimus, & indulſimus, utque ſic promoti nullum officium, munus, aut adminiſtrationem in dicta Congregatione gerere, aut exercere poſſent, ſed Miſſis celebrandis, aut Sacramentis miniſtrandis tantummodo vacare deberent, & ſi eorum aliquem, ſuis ita exigentibus demeritis dictæ Congregationis habitu poſtea privari contigiſſet, ipſo facto, & abſque ulla declaratione ab ordinum hujuſmodi exercitio ſtatim ſuſpenſus eſſet, & eſſe cenſeretur, eadem auctoritate ſtatuimus, & alias prout in dicti Clementis prædeceſſ. & noſtris literis prædictis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

*Et modò eandem Congreg. Italiæ in Religionē [illegible] ſub [illegible] votis ſubſtantialibus, & quarto de [illegible] infirmis, ſub regula S. Auguſt. & juriſdictione Ordinarior. m. Hæc [illegible] clarantur [illegible] hic inf. [illegible] 15. Romanus.*

§. 3. Cum autem, ſicut dilecti filii Frater Major, ac Conſiliarii, Provinciales, & Priores ejuſdem Congregationis Italiæ nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pro feliciori ejuſdem Congregationis ſtatu atque directione, ac etiam ut Congregatio ipſa majoribus in dies ad divini numinis laudem, & gloriam, pauperumque infirmorum ſolamen, atque ſubſidium proficiat incrementis, ad emiſſionem trium votorum ſubſtantialium religionis, ultra quartum de juvandis infirmis hujuſmodi, per Nos admitti, & ut infra ſibi indulgeri, ac alias ſtatui, & ordinari ſummopere deſiderent: Nos qui ſimilia opera pia, & merita Deo accepta miniſterio noſtri paſtoralis officii libenter promovemus, piis Fratris Majoris, ac Conſiliariorum, Provincialium, & Patrum prædictorum votis benignè annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium ſacri Concilii Tridentini Interpretum, quibus

hujuſmodi negotium diligenter examinandum, & Nobis
referendum commiſimus,conſilio,& nobis attributæ po-
teſtatis plenitudine præſentium tenore perpetuò ſtatui-
mus & ordinamus,ut quotquot in poſterum ipſam Con-
gregationem Italiæ nuncupatam ingredi voluerint,anno
probationis expleto , ac aliàs juxta ſacrorum Canonum,
& Decretorum ejuſdem Conc.Trid.præſcriptum tria vo-
ta ſubſtantialia,Obedientiæ,Caſtitatis,& Paupertatis, ac
præterea quartum de juvandis Infirmis,in ſuorum Supe-
riorum manibus ſolemniter emittere,vel à Congregatio-
ne prædicta ejici debeant,qui verò in eadem Congrega-
tione ad præſens reperiuntur,ad vota,ut præfertur emit-
téda minimè cogi poſſint, ſed ſit in cujuſque optione aut
vota hujuſmodi emittere,aut cum priori voto de infirmis
juvandis in dicta Congregatione perſeverare, hujuſmodi
autem perſonas, quæ elapſo probationis anno , quatuor
vota prædicta ſolemniter emiſerint,verè ac propriè reli-
gioſos,ac proprios,& veros regulares eſſe,ac pro talibus
ab univerſis Chriſti fidelibus habendos , & recipiendos,
illamque veram,& propriam ſub Regula S.Auguſtini Re
ligionem eſſe, ac inter reliquas Eccleſiæ Catholicæ Re-
ligiones ſine cujuſque præjudicio eſſe connumerandam,
eamque ac ejus tam in Italia,quàm ſub juriſdictione Fra-
tris Majoris prædictæ Congregationis in Germania,Gal
lia, & Polonia erecta, & de cætero erigenda Hoſpitalia,
quæ ſub eadem Congregatione Italiæ comprehenduntur,
juriſdictioni Ordinariorum perpetuò ſubeſſe debere,ſal-
va tamen illius apud Nos,& Apoſtolicam Sedem Prote-
ctoris juxta illius facultates,ac Fratris Majoris pro tem-
pore exiſtentium auctoritate,& juriſdictione.

*Conſiliariorũ officium ad ſexennium durare ſtatuit.*

§.4. Prætera quod Conſiliariorum prædictorum, tam
in Capitulo generali ultimò celebrato electorum, quàm
de cætero eligendorum officium ad ſexennium duret, &
finito ſexennio hujuſmodi ad idem officium nemo poſſit
iterum eligi,vel in eo confirmari,niſi alterum ſexennium
intercedat , ſalvis aliàs , & illæſis remanentibus , & per
omnia tam Clementis prædeceſſoris, quàm noſtris literis
prædictis.

*Clauſulas præſervativas, & Decretum irritans apponit.*

§.5.Præſentes verò literas,& in eis contenta quæcum-
que nullo unquam tempore de nullitatis vitio notari,im-
pugnari,aut in jus, vel controverſiam revocari poſſe, ſed
ſemper validas,firmas,& efficaces exiſtere,& fore,ſuoſque
plenarios,& integros effectus ſortiri,& obtinere. Sicque
per quoſcumque Judices ordinarios,& delegatos, etiam
cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ubique judicari,
& diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his
à quoquam quavis auctoritate , ſcienter , vel ignoranter
contigerit attentari,decernimus,& declaramus.

*Contrariiſque derogat.*

§.6. Non obſtantibus inſtitutionibus Hoſpitalium, &
locorum hujuſmodi,necnon Apoſtolicis,ac in univerſali-
bus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis
generalibus,vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordina-
tionibus,privilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtoli-
cis ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis,ac
cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis,aliiſ-
que efficacioribus,& inſolitis clauſulis, irritantibuſque,
& aliis decretis in genere, vel in ſpecie , ac aliàs in con-
trarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmá-
tis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis,eorum te-
nores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, &
ad verbum inſertis habentes,illis aliàs in ſuo robore per-
manſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè de-
rogamus,cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P An.12. die 13. Febr.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem , ſub annulo
Piſc. die 13. Febr. MDCXVII. Pont. noſtri Anno duo-
decimo.

---

## C I. Erectio Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum , ad pauperes Scholares piè, & abſque ullo præmio docendos, & erudiendos.

*Hoc opus erudiendi , & docendi pauperes Scholares demandaverat hic idem Paulus Congregationi Clericorum ſæcularium B. Mariæ ſuprà in ejus conſtitut.81. n.1. ſed cum poſtea d. Congregatio renuiſſet regimen ſuſcipere, ideo erigit hanc Congregationem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, eique d. opus commiſit. Quam Congregationem poſtea Greg. XV. erexit in veram Religionem,ut infra in ejus conſt.14. In ſuprema, ubi alia notabo.*

*Edita An.D. 1617.*

### P A V L V S P A P A V.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

AD ea per quæ Chriſti fideles piis moribus , & do-
ctrina maturè imbuantur , ſolicitæ conſiderationis
dirigentes intuitum,ea quæ proinde interdum facta ſunt,
juſtis ita ſuaden. cauſis immutamus , ac aliàs ut pium, &
maximè laudabile opus pauperes erudien. & inſtituen.
hujuſmodi in dies magis ad Dei gloriam promoveatur,
officii noſtri partes favorabiliter interponimus , prout
perſonarum , & temporum qualitatibus penſatis conſpi-
cimus ſalubriter in Domino expedire.

*Hic Pont. regimen Scholarum Piarum in Urbe erectarum , & erigendarum delegavit Congregationi Clericorum ſæcularium B. Mariæ, ut conſtit. cit. in Rubr.*

§.1. Aliàs ſiquidem cum accepiſſemus , quod opus
Scholarum piarum à Nobis in Urbe noſtra ad pauperes
erudien.& inſtituendos erectarum uberes fructus ferebat,
Nos felici ejuſdem operis progreſſui conſultum eſſe cu-
pientes,curam,regimen,& adminiſtrationem dictarum in
Urbe erectarum,& aliarum Piarum Scholarum pro tem-
pore erigen.dilectis filiis Præpoſito Generali,& Clericis
ſæcularibus Congregationis B. Mariæ , cum certis tunc
expreſſis conventionibus inter eos,& dilectum etiam Fi-
lium Præfectum Scholarum hujuſmodi, de conſenſu Ve-
nerabilis fratris noſtri Benedicti Epiſcopi Præneſtin.Car-
dinalis Juſtiniani nuncupati,earumdem Scholarum Pro-
tectoris initis commiſimus , & demandavimus , & alia
prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis ſub die
quarta Januarii 1614. expeditis literis, quarum ten.præ-
ſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis
haberi volumus,pleniùs continetur.

§.2.Cum autem ſicut accepimus Clerici ſæculares præ-
fati bonorum ſtabilium poſſeſſione ſe abdicari nolint,pro-
pterea quod aliis muneribus,& exercitiis juxta regularia
ejuſdem Congregationis inſtituta Apoſtolica auctoritate
confirmata,ne vacent,impediri ſe ſentiant, & hujuſmodi
exercitiis potius operam dare , quàm prædictas Scholas
regere malint. Nos , ne tam pium , ac præſertim paupe-
rum liberorum Chriſtianæ educationi , & eruditioni
proficuum opus aliquod propterea detrimentum patiatur,
quantum cum Domino poſſumus , providere volentes,
Motu proprio,& ex certa ſcientia, ac matura deliberatio-
ne noſtris literas noſtras prædictas,omniaque, & ſingula
in illis contenta , Apoſtolica auctoritate tenore præſen-
tium revocamus, caſſamus, & annullamus, ac revocatas,
caſſatas, & annullatas, nulliuſque roboris, vel momenti
eſſe, & fore decernimus, & declaramus.

*Congregationemque ſpecialem Pauperum Matris Dei nuncupandam ab uno Præfecto regendam erigit, ut hic, non ultra milliaria ab Urbe extendi. Et ingredientium eorumque ingreſſi ſunt inſtitutum cenſet.*

§.3.Prætereain domo earumdem Scholarum Urbis præ-
dictæ unam Congregationem Scholarum piarum ab uno
Præfecto regendam,& gubernandam,quæ de cætero per-
petuis futuris temporibus Paulina pauperum Matris Dei
Scholarum piarum nuncupari,nec ultra viginti ab Urbe
milliaria extendi,neque ullum locum,in quo Scholæ piæ
non ſint, domibus Novitiorum exceptis , habere, & qui
eidem Congregationi nomen dare voluerint, finitis duo-
bus probationis annis,omnes tam ad ſacros etiam Preſby-
teratus ordines promoti,& clericali charactere dumtaxat
inſigniti, quàm fratres operarii tria ſimplicia vota, Pau-
pertatis videlicet,ac Caſtitatis,& Obedientiæ,ſuper qui-
bus à nemine,præterquam à Romano Pontifice pro tem-
pore exiſtente diſpenſari poſſit,emittere,ac gratis,& nullo
ſtipendio,mercede,ſalario,aut honorario accipien.pueros
in primis elementis,Grammatica,computo, ac præcipuè
in fidei Catholicæ rudimentis erudiendos, bonis, & piis
moribus imbuendos,ac demùm Chriſtiano more educan-
dos operam , laborem, ac ſtudium conferre debeant , ſi-
ne alicujus præjudicio de novo erigimus, & inſtituimus:
ita verò, quod qui ſimplex paupertatis votum , ut præ-
fertur , emiſerint , quandiu in prædicta Congregatione
permanſerint,cujuſcumque dominii,juris & proprietatis
incapaces ſint , idemque paupertatis votum ſummam in
iis paupertatem inducat , tam in particulari , quàm in
communi, ita ut nihil omninò juris habeant, ſed nec ha-
bere,aut acquirere quovis titulo poſſint in bonis, ſeu ad
bona , quæ vocantur immobilia , vel quæ pro immobi-
libus

libus habetur; huic verò paupertati omnia ad eorum uſum pertinentia,cibos,veſtes,ſuppellectilem,tam ſacram quàm profanam ſtatui, & inſtituto convenientia, domos verò, hortos contiguos domibus, Eccleſias, Sacriſtias, Oratoria,ac ſcholas,& hujuſmodi immobilia, quæ pariter uſui eorum deſtinantur,ſimiliter convenientia,ut præfertur, & præterea in dominio Romani Pontificis pro tempore exiſtentis,mobilia verò in dominio ipſorum, in communi tamen, eſſe debere ſimiliter decernimus, & declaramus. Dictarum verò in Urbe, & extra eam infra viginti milliaria erectarum, & pro tempore erigendarum piarum Scholarum, & Congregationis prædictæ ſic erectæ Præfectorum curam,regimen,& adminiſtrationem dilecto filio Joſepho Calaſantio, Scholarum prædictarum nunc Præfecto, ad noſtrum beneplacitum committimus, & demandamus,ita quod liceat Joſepho,& Congregationi hujuſmodi earumdem, & aliarum Scholarum hujuſmodi, ſimul atque erectæ fuerint, bonorum corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem præſentium vigore capere,& apprehendere, & illa in Scholarum prædictarum beneficium poſſidere. Inſuper duodecim ejuſdem Congregationis Clericis, qui votum paupertatis, ut præfertur,emiſerint,ut arbitrio nunc,& pro tempore exiſtentis apud Nos,& Sedem Apoſtolicam earumdem Scholarum Protectoris,ad omnes etiam ſacros,& Preſbyteratus Ordines à quocumque maluerint Catholico Antiſtite gratiam, & communionem ejuſdem Sedis habente, ad titulum paupertatis hujuſmodi promoveri,& promoti in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare,dummodo tamen ad hoc idonei reperti fuerint,neque aliud illis canonicum obſtet impedimentum, ita tamen quod ſi ex dicta Congregatione exire,ſive emitti contigerit, tamdiu ſuſpenſi ab executione Ordinum ſuſceptorum remaneant, quamdiu in redditibus tantum habuerint, quantum ad congruam eorum ſuſtentationem ſufficiat.

*Idem Congreg. facultatem tribuit Conſt. pro ejus regimine condendi. Quæ autem præſtita fuerunt, & à Greg. XV. comprobata, ut infra in ejus Conſt. 24. In ſupremo.*

§.4. Inſuper Joſepho, & Congregationi hujuſmodi de conſenſu dicti Benedicti Epiſcopi, & Card. ac pro tempore exiſtentis Protectoris, ut pro felici Congregationis prædictæ,illiuſque domorum, & Scholarum regimine quæcumque Statuta,capitula, ordinationes, & decreta neceſſaria,& opportuna, licita tamen & honeſta,ſacriſque Canonibus,& Conc.Trid. decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, per Apoſtolicam Sedem approbanda, & confirman. facere, & edere, illaque pro tempore,prout eis videbitur,& expediens fuerit,prævia ſimili approbatione,& confirmatione mutare,alterare,corrigere, & in melius reformare liberè, & licitè valeant, auctoritate, & ten. paribus concedimus, & indulgemus.

*Decretum quod hæc Bulla perpetuò valeat.*

§.5. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper,& perpetuò valida,firma,& efficacia fore,& eſſe,ſuoſque plenarios,& integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Præfecto, ejuſque ſociis prædictis in omnibus,& per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*Decretum irritans contrarium.*

§.6.Sicque per quoſcumque Judices ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio obſtantium.*

§.7. Non obſtantibus literis noſtris prædictis,ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P.A.12. die 6. Martii.*

Dat.Romæ apud S.Mariam Majorem ſub annulo Piſc. die VI. Martii MDCXVII. Pont.Noſtri Anno 12.

---

## CII. Quod Fratres Minores Conventuales Ordinis S. Franciſci ſemel in Menſe, prima die non impedita alio feſto novem lectionum, Officium de ipſo S.Franciſco,prout recitatur in die feſto ejuſdem,recitare poſſint,& valeant.

*Iſtum Franciſcum Sanctorum Catalogo adſcripſit Gregor. X. ut ſup.Conſt.2.Mira, tom.1.Ejuſque Feſtum de precepto ac ſub ritu duplici ſervari juſſit poſtea Sixtus IV.ut conſt.5.Præclara,ubi ſup.De Ordine verò ab iſto Sancto inſtituto,tibi adnotavi in Rubr.ad Conſt.5. Honor.III.Solet,ubi ſup.*



Hujuſmodi Fratribus iſtummet Paulus ambitum interdixiſſe videas inf. Conſt.18. Admonemur. Collegiumque in Inſula Melivitana pro eiſdem ſtudentibus inſtituiſſe in Conſt.25.In ſupereminenti.Et aliud pariter Collegium in Civitate Pragæ deinde inſtitutum fuit à Greg. XV. inf.Conſt.21. In ſuperem.

*Edita An.D. 1617.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

DOmini noſtri Jeſu Chriſti, qui Confeſſores ſuos æternæ Gloriæ præmio donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncti Nobis paſtoralis officii debito,ut eorumdem Chriſti Confeſſorum nomen amplioribus in dies honoribus decoretur,libenter procuramus, & Chriſti fidelium,præſertim ſub piis illorum inſtitutis Deo militantium, quæ peculiarem erga illos cultum reſpiciunt, votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.

*Supplicatio facta Pont.*

§.1. Cum itaque,ſicut dilectus filius Frater Bonaventura à Carpanzano, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, ad decorem, & utilitatem domus Dei univerſæ fundati, Nobis nuper exponi fecit, Fratres dicti Ordinis pro ſingulari quem erga dictum S. Franciſcum ejuſdem Ordinis, ut præfertur Fundatorem, gerunt devotionis affectu, Officium de eodem S.Franciſco, ut infrà recitare poſſe ſummopere deſiderent.

*Conceſſio de qua in Rubr.*

§.2.Nos piis eorumdem Fratrum deſideriis in præmiſſis benignè annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpen. & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris,& pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione,vel cauſa latis,ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, Supplicationibus dicti Bonaventuræ Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum conſilio, eiſdem Fratribus Minoribus Conventualibus, ut Officium de eodem S. Franciſco ſemel in menſe,prima die non impedita alio Feſto novem lectionum,prout ab ipſis recitatur in die feſto ejuſdem S. Franciſci, recitare liberè, & licitè poſſint,& valeant,Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur.

*Contrariorum abrogatio.*

§.3. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P. An.12. die 20 Mar.*

Dat.Romæ apud S.Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die XX. Martii MDCXVII. Pontificatus noſtri Anno 12.

---

## Confirmatio conſtitutionum Religionis Fratrum Joannis Dei, Ordinis Sancti Auguſtini. CIII.

*Iſtas Conſtitutiones non poſui, quia jam ſunt impreſſæ in libro particulari,quas denuò imprimere ſupervacaneum cenſui.*

Hujuſmodi Congregationem approbaverat antea Pius V. in ejus Conſt.143. Licet,ſup.tom.2. eamque poſtea in Religionem erexit hicmet Pont. ut in Conſt.2. Romanus,hîc ſup.ubi vide alia quæ notavi.

*Edita A.D. 1616.*

*PAVLVS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

EA quæ pro Congregationum in Eccleſia Dei,ad illius laudem,& gloriam,pauperumque ſolamen,atque ſubſidium providè ſanctèque inſtitutarum felici directione, ac gubernio ab eorum Superioribus in Capitulis generalibus facta,& ordinata fuiſſe dicuntur,ut firma, & illibata

perſiſtant, libenter cum à Nobis petitur, Apoſtolicæ confirmationis robore communimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Iſti Fratres condiderunt nonnullas cōſtitut. pro Cōgreg. regimine in Capitulo gen.*

§.1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti filii Frater Major, & Conſiliarii Congregationis Joannis Dei Italiæ, quod in Capitulo generali ejuſdem Congregationis in illius Hoſpitali S. Joannis Colavitæ de Urbe noviſſimè celebrato, quædam Conſtitutiones, ſeu Statuta, proſperum ipſius Congregationis ſtatum ac regimen concernentia, edita, & facta fuerunt.

*Quas ſupplicant Pont. ut confirmare dignetur.*

§.2. Quæ pro majori eorum firmitate, & obſervantia Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimum deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui modo eas approbat, & confirmat.*

§.3. Nos igitur Fratrem Majorem, ac Conſiliarios prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conſtitutiones ſeu Statuta hujuſmodi, dummodo ſint in uſu, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, noſtriſque, & Roman. Pont. prædeceſſorum Conſtitutionibus, regularibuſque dictæ Congregationis inſtitutis non adverſentur, nec revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa ſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

*Supletque defectus.*

§.4. Ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Ac eas ſervari mandat in Congreg. Ita, & non aliter judicari decernit.*

§.5. Ac conſtitutiones, ſeu Statuta hujuſmodi in eadem Congregatione perpetuò obſervari.

§.6. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

*Contraria tollit.*

§.7. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 12. 15. Aprilis.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſc. die XV. Aprilis MDCXVII. Pont. noſtri Anno duodecimo.

---

## CIV. Jubilæi indictio ad divinam opem in præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus implorandam.

*Similem indictionem fecit poſtea iſtemet Pontifex pro aliis tunc inſtantibus neceſſitatibus, ut hic infra Conſtitut. 17. Dominus. Aliamque pro imminentium in Europa Anno Sancto 1625. neceſſitatum arceſſione plenariam peccatorum indulgentiam viſitantibus Baſilicam S. Petri, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ Tranſtyberim conceſſit S. D. N. Urb. VIII. in conſtit. 59. Divina, ubi indicabo indictionem generalem Iubilæi præd. Anno Sancto. Aliud quoque jubilæum indixit anno 1628. ut in ejus Conſt. 82. Quod ab initio.*

Indictionem verò Jubilæi pro divino auxilio expetendo initio ſuorum Pontificatuum unuſquiſque Pont. edere ſolet, ut notavit Genitor meus ſup. ad Conſt. 1. Sixti V. tom. 2. & 1. hujus Pauli, tom. 3. præter quas etiam habes aliam Greg. XV. ut in ejus conſt. 2. Spiritus, & alteram ſub forma Orationis quadraginta horarum à S. D. N. Urb. VIII. editam in Conſt. 7. Æternus, hic infrà.

*Edita An. D. 1617.*

*PAULUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſt. Bened.*

*Cauſa hujus Conſt.*

ECce tribulationes apprehenderunt nos. Diaboli tentamenta graſſantur in nobis. Quapropter meritò nos terret timor divinæ iræ: Intelligimus enim preſſuras, & anguſtias ſecundùm peccata noſtra venire: tantoque magis hæc nos formido conturbat, quod non ſemel vidimus gregis curæ noſtræ commiſſi mala; ac perſonare Nobis aſſiduè videntur aures noſtræ divinis illis per Hieremiam pronunciatis vocibus; Fruſtra percuſſi filios veſtros, & diſciplinam non receperunt, iteraverunt vias ſuas, & malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Ita ut verendum ſit ne aggravet juſtus Dominus ſuper nos manum ſuam, & cognoſcamus quàm amarum ſit eum in iniquitatibus provocare. Quamobrem placemus Dominum in amaritudine animarum noſtrarum, & offerentes Deo ſacrificium contriti cordis, & ſpiritus humiliati, amplectamur in jejuniis, & lacrymis veram pœnitentiam, concludamus eleemoſynam in ſinu pauperis, ut hæc pro nobis exoret ad Dominum; ipſe enim viſitat facinora in virga, & in flagellis delicta, miſericordiam verò ſuam non diſpergit à nobis. Hanc miſericordiam ut conſequamur, ad tribunal gratiæ cum fiducia adire nos oportet unanimi oratione; memores multum poſſe apud Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, Patrem miſericordiarum unanimes voluntates, & concordes preces; Dominum enim dixiſſe novimus, Si duo ex vobis conſenſerunt ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Hoc autem ut fructuoſius, & majori cum ſpiritus ardore peragatur, ex veteri Eccleſiæ Romanæ, omnium Matris & Magiſtræ more, in præſentibus neceſſitatibus ad ejuſdem Eccleſiæ Theſauri largam diſpenſationem pro noſtro paſtorali officio confugiendum duximus.

*Hortatur Christianos ad hoc Iubilaeum aſſequendum.*

§.1. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, tam in Alma Urbe noſtra, quàm alibi ubique locorum conſtitutos auctoritate Apoſtolica paternè, enixeque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infraſcripta devotè peragendum & adimplendum, & ad pias, ac fervidas ad Altiſſimum preces effundendum, ut per viſcera miſericordiæ ſuæ Eccleſiam ſuam exaltare, eamque ab hoſtium conatibus & inſidiis defendere, hæreſim extirpare, Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare, ac præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſubvenire dignetur.

*Præſentibus Proceſſionibus hic deſcriptis indulgentiam elargitur ſervatis ſervandis.*

§.2. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam nobis Dominus, meritis licet minimè ſuffragantibus contulit, Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus in Alma Urbe prædicta degentibus, qui ſolemnibus proceſſionibus, quas à Capella noſtra publica Palatii Apoſtolici ad Eccleſiam S. Petri in Vaticano feria quarta, & ab Eccleſia S. Mariæ Angelorum ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Majoris feria ſexta præſentis hebdomadæ, unà cum Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, Chriſtianorumque Regum, & Principum apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratoribus, omnibuſque Prælatis, & Proceribus, univerſoque Clero, & populo agemus, interfuerint, vel qui præſenti, ut præfertur, vel ſequenti hebdomada S. Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſias, vel illarum alteram ſaltem ſemel viſitaverint, ibique devotè ut ſuprà, Deum oraverint, ac feria quarta, & ſexta, ac Sabbato ejuſdem præſentis, vel ſequentis hebdomadæ jejunaverint, & peccata ſua confeſſi in primo die Dominico, vel ſecundo, vel ſaltem alio dictarum hebdomadarum die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reverenter ſuſceperint, & eleemoſynas ad libitum, prout charitas ſingulis ſuggeſſerit, fecerint.

*Extra Urbem vero manentibus ſtatuit tempus aſſequendi.*

§.3. Cæteris verò omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus extra Urbem exiſtentibus, in quibuſvis Civitatibus, Terris, & Locis, qui proceſſioni ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, ſeu Officialibus, vel de eorum mandato, & ipſis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, prima vel ſecunda hebdomada poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ literæ pervenerint, indicendæ, & agendæ interfuerint, vel Eccleſiam, ſeu Eccleſias per eoſdem deſignan. ſaltem ſemel viſitaverint, ibique ut ſuprà Deum oraverint, ac feria quarta, ſexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eiſdem deputandis jejunaverint, pariterque peccata ſua confeſſi, ac ſanctiſſima

ma communione refecti fuerint, & eleemoſynas ſimiliter pro arbitrio ſuo fecerint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilæi viſitan. certas Eccleſias intra, & extra Urbem concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus, & elargimur.

*...tiam pro ...rantibus.* §.4. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad ſua ſeſe domicilia receperint, ſupradictis omnibus peractis, ut ſupra, eandem Indulgentiam conſequi poſſint, & valeant.

*...tum pro ...gularibus ...rmis, Car- ...atis, & ſi- ...itis.* §.5. Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus in Clauſtris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuſcumque tam laïcis, quàm religioſis, ſæcularibus, ſeu regularibus in carcere, aut captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut Confeſſarius, quem ut infra elegerint, prædicta omnia, & ſingula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere, quæ ipſi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

*...) cum fa- ...l ate eligen- ...ſibi conf. ſ- ...rum cum ...ſtate ab ...nd: ab ...expl catis ...ſeus. ...pprobat. ...nf. vide ...a ad ...it. 133. ...Roma ...up. tom. 2.* §.6. Cupientes autem omnes Chriſti fideles participes fieri hujus pretioſiſſimi theſauri, Univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus tam laïcis, quàm Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti licentiam concedimus, & facultatem damus, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quam cujuſvis Ordinis regularem ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à jure, vel ab homine quavis cauſa latis ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ etiam in Literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, atque alias per quaſcumque Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodocumque reſervatis in foro conſcientiæ, & hac vice tantum abſolvere, & liberare valeant.

*...ue commutandi, præ- ...ligionis ...Caſtit.* §.7. Et inſuper vota quæcumque (Religionis & Caſtitatis exceptis) in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis.

*Mandat hanc ...m. publi- ...à Præla- ...* §.8. Quapropter tenore præſentium, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcumque Ven. Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, & quibuſcumque Ordinariis locorum, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cùm præſentium literarum tranſumpta aut exempla acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent & publicari faciant, & Cleris, ac populis ſibi ſubjectis ſolemnes proceſſiones, & ſupplicationes indicant, & celebrent, Eccleſiamque, ſeu Eccleſias viſitan. deſignent.

*...ſit non- ...caſus ...quibus non ...lligit poſſe ...ſpenſari.* §.9. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquo modo contracta, diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ.

*Publicè de- ...nciatis hoc ...bilæum non ...ffragari de- ...at.* §.10. Neque etiam iis, qui à Nobis, & Sede Apoſtolica, vel ab aliquo Prælato, ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu alias in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi infra tempus celebrationis hujuſmodi Jubilæi ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.

*...traria re- ...* §.11. Non obſtan. conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolven. in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Jubilæi, Indulgentiarum, & facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, necnon regula noſtra de non conceden. indulgentiis ad inſtar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, ſive inſtitutorum Regularium juramento, &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, & Congregationibus atque inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut expreſſio habenda, vel quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis, ac formam eorum traditam pro ſervata habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, nominatim, & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.12. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus ut earumdem præſentium tranſumptis, vel exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis ubique locorum & gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis literis, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptis credi præcipit.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCXVII. Pridie Idus Junii, Pontificatus Noſtri Anno 13. *Dat. Pontif. Ann. 13. die 12. Junii.*

*Anno à Nativitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1617. indictione 14. die verò 12. Junii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Pauli Divina providentia Papæ V. Anno 13. Retroſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Sancti Ioannis Lateranen. ac Cancellariæ Apoſtolic., in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis Urbis per nos Auguſt. Braccherium, & Paulum Bartoccium Apoſtolicos Curſ.* *Publicatio.*

*Silverius Pontrolus Magiſter Curſ.*

---

## Prohibitio quod in actibus publicis aſſeratur Beatiſſimam Mariam Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam. C V.

*Ad hæc aliam ediderat ſanctionem Sixtus IV. in cap. 2. inter Extravagantes Communes de Reliquiis & veneratione Sanctorum, comprobatam à Concilio Trident. ſeſſ. 5. de Peccato originali, in fine. Et alteram Pius V. ut in ejus Conſtitut. 114. Super ſpecula, ſup. tom. 2. Et eas innovaverat hic idem Paulus, ut in ſua Conſtitut. 97. Regis, hic ſup. Quas omnes poſtea confirmavit, & dictam Prohibitionem extendit, & ampliavit etiam ad actus privatos Gregor. XV. in Conſtitut. 29. Sanctiſſimus, hic infrà. Quam poſtea declaravit non comprehendere Fratres S. Dominici in alia Conſtit. Eximii, ſub d. Conſtit. Sanctiſſimus, poſita.* *Edita An. D. 1617.*

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali coram S.D.N.D. Paulo Divina providentia Papa V. feria 5. die 31. Auguſti, anno à Nativitate D.N. Jeſu Chriſti 1617.

SAnctiſſ. D. N. Poſt longam, & maturam diſcuſſionem, auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, re accuratè, ac diligenter perpenſa, providè conſiderans quod quamvis in Conſtitutione fel. rec. Sixti IV. ſuper Conceptione Beatiſſ. Virginis Mariæ, pro ſubmovendis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, à Sancta Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Conſtitutione ſanctæ mem. Pii V. ſuper eadem re, quas ſimili- *Proœmium.*

liter Sanctitas ſua innovavit cum quibuſdam proviſionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſervatione, & relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi utramque partem, quod ſcilicet fuerit; vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur.

*Cauſa hujus Conſt.*

§. 1. Nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmativæ in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit cum peccato Originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa ſcandala, jurgia, & diſſenſiones.

*Prohibitio aſſerendi in actibus publicis B. V. Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali.*

§. 2. Propterea volens hujuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præſentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis ordinis, & inſtituti Regularibus, & aliis quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis, cujuſvis conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſariò mentio facienda, ut in poſterum, donec articulus hujuſmodi à Sancta Sede Apoſtolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

*Impoſitio pœnarum in contrafacientes.*

§. 3. Contrafacientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit Cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſua ipſo facto incurrendis.

*Permiſſio opinionis contrariæ.*

§. 4. Per hujuſmodi tamen proviſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupra diſpoſita.

*Prohibitio illam in actibus publicis impugnandi.*

§. 5. Ulterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mandans, quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent.

*Præſervatio dd. Conſtit. extra hos caſus actuum publicorum.*

§. 6. Inſuper voluit, & expreſsè mandavit, ut extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ Conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſerventur perinde ac ſi præſens Decretum non emanaſſet.

*Obſervantia hujus Conſt. & derogatio contrariorum.*

§. 7. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari, non obſtantibus in hac parte ſupradictis Conſtitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus.

*Juriſdictio Ordinariorũ, & Inquiſitorum in tranſgreſſores etiã exemptos.*

§. 8. Volens, & decernens pro obſervatione, & executione præſentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujuſmodi tranſgreſſores etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſeculares perſonas, cujuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſecularis, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeverè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi.

*Publicatio in Urbe omnes afficiat.*

§. 9. Voluit demùm, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quod præſens Decretum, ſeu illius exempla ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent. & afficiant perinde, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent.

*Tranſumptorum fides.*

§. 10. Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Andreas de Pettinis Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis Not.

*Publicatio Anno 1617. 12. Septemb.*

*Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1617. Indictione 15. die verò 12. menſis Septembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Pauli Divina providentia Papæ V. Anno 13. præſens Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, per me Franciſcum de Clericis Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſ.*

*Silverius Pontirolus Mag. Curſ.*

---

## Bulla erectionis, & conceſſionis Monaſterii pro Congregatione Monachorum Silveſtrinorum Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Auximana, cum approbatione ſanctitatis, & miraculorum S. Silveſtri Abbatis, fundatoris ejuſdem Congregationis. CVI.

*Iſtam Congregationem approbaſſe ſcito Innocent. IV. ſup. Conſtitut. 5. Religioſam, tom. 1. Ac de electione Priorum nonnulla ſtatuiſſe Paul. III. ut Conſtitut. 38. Expoſcit, tom. 1. Et denique hunc Pontificem d. Congregationem omnibus privilegiis, & gratiis Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium communiviſſe, & ornaſſe: vide etiam infr. in Conſtitut. ſeq. Religioſorum, quam modo poſui tanquam hujus Pont. & hic indicatam.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Venerabili Fratri Epiſcopo Auximano, ſive dilecto filio ejus Vicario in Spiritualibus Generali: ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Proœmium.*

SAnctorum virorum, qui dum in terris agerent, perfectum, ac pium Altiſſimo exhibuere famulatum, virtutes ac merita non ſolùm in Cœlis à Domino æternum conſequi præmium meruerunt, verùm etiam in terris ab Eccleſia Catholica quotidie magis, ac magis glorioſo laudum præconio celebrari conſueverunt.

*Recenſentur merita, ac laudes S. Silveſtri Abbatis fundatoris Monachorum Silveſtrinorum.*

§. 1. Et inter ceteros Cœli Cives non mediocri laude dignus habetur Sanctus Silveſter Cuzolinus, nobilis Auximanus, Congregationis Monachorum Silveſtrinorum inſtitutor, quem cùm multis virtutibus, & miraculorum inſignibus in Eccleſia celebretur, meritò Auximana Civitas Civem ſuum in Cœlis glorioſum, etiam in terris præcipua devotione colere, & venerari, novumque Templum, ac Cœnobium ad ejus honorem erigere contendit. Unde Nos conſiderantes cujus, quantique meriti apud Deum, & homines Sanctus hic abbas extiterit, qui ſupernæ aſpirationem vocationis ſequens, & ad propoſitum ſibi bravium infatigabiliter currens, honores Mundi ſpernens, ac gloriam, aſperam Montis Fani incoluit Eremum, ut uni Deo ſibique vacaret, è qua poſtea divino afflatus Spiritu exiens, brevi eos progreſſus fecit, ut ejus nomine per univerſum Picenum, & alias Provincias propagato, divini etiam Numinis gloriam amplificaverit. Novimus enim quanto pietatis ſtudio, quantoque cœleſtis amoris æſtu mortales ad omnia pietatis officia excitaverit: quibus virtutibus, humilitate, animi manſuetudine, in proximos charitate, abſtinentia, caſtitate, patientia, aliiſque multis floruerit: quæ & quot miracula per eum ille, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, patraverit, ſervi ſui merita, & ſanctitatem ſignis innumeris atteſtando. Nam de Sancto hoc viro etiam prophetiæ ſpiritu prædito, illud verè dici poterat, quod de ſe Chriſtus Dominus prædicabat: Cæci vident, Claudi ambulant, Surdi audiunt, Leproſi mundantur; ut fortaſsè nihil mirum ſit, quod illi Dei Mater Maria ſua ipſa manu, novo inauditoque, ſed indubitato poſt hominum memoriam gratiæ genere, Filium ſuum ſub auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento latentem,

tentum porrexit. Quapropter multa illi poſtea Templa erecta, & innumera ad ejus ſepulchrum vota ſuſpenſa ſunt, ut non immeritò felicis recordationis Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter, Sanctum hunc virum Martyrologio Romano juſſerit adſcribi, & Nos in ſanctorum Monachorum Abbatum numerum retulimus. Ejus verò memoria uſque ad hæc ſæcula in benedictione eſt, & hæreditas ſancta Nepotes ejus, eo quòd prædictam venerabilem Monachorum Congregationem de ſuo nomine Silveſtrinorum nuncupatam, ſub Regula S. Benedicti inſtituens, per piæ memoriæ Innocentium Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum approbatam, quam etiam Nos communicatione privilegiorum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium communivimus, ejus alumni religioſam, ac laudabilem agentes vitam, in agro Dominico operam ſuam ſtrenuè collocant, Chriſtianam pietatem ſana doctrina, & virtutum exemplis promoventes.

*...Innoc. ...ſit. eſt ...tom. I. ...Pauli ...Conſtit. ...bis ſub- ...ionem.*

§. 2. Pia igitur conſideratione hujuſmodi ad ea libenter intendimus, per quæ fabricarum Eccleſiæ, ac Monaſterii in eadem Civitate ad honorem ipſius S. Silveſtri noviter erigendi perfectioni, ac perſonarum in eo ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, ut bonarum artium, & Theologiæ Studiis vacare poſſint, commoditati, & utilitati cum divini cultus augumento valeat ſalubriter provideri.

*...ſa hujus ...ſtit.*

§. 3. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*...Pont. reſervavit ſibi ...nia beneficia vacatura.*

§. 4. Cum itaque poſtmodum Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ Auxim. per liberam reſignationem dilecti filii Joannis Baptiſtæ Blaxini, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc à triennio, & ultra obtinebat, in manibus noſtris ſpontè factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hac vicè diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis.

*...poſtea ei ...rè reſig- ...a fuit Pa- ...alis Ec- ...S. An- ...à D. Jo. ...illius ...tore.*

§. 5. Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Sebaſtiani Fabrini Generalis, & Maximi de Ubaldis Procuratoris Generalis Monachorum Silveſtrinorum hujuſmodi petitio continebat, dilecti Filii Communitas, & homines, ac populus Civitatis Auximanæ prædictæ, ob maximum pietatis, & devotionis ſtudium, quo S. Silveſtrum Abbatem Concivem ſuum, & Congregationis hujuſmodi auctorem, atque inſtitutorem ſemper proſecuti ſunt, diu multumque exoptaverunt eoſdem Silveſtrinos Monachos intra ſua mœnia evocare, atque complecti, & coacti inopia eorum Religioſorum hominum Monachorum, præcipuè quorum apud illos nulla extant Monaſteria, qui ſtudeant ſpiritualibus exercitationibus, concionibus, & ſermonibus de rebus divinis inſtituendis, conſcientiæ caſibus explanandis, Scripturæ ſacræ declarandæ, quique etiam operam collocent in Philoſophiæ, & Theologiæ diſciplinis tradendis, ac explicandis. Nemo enim in tanta Civitate eſt ſive Secularium, ſive Regularium, qui hujuſmodi munia obeant, & qui propterea dies, ac noctes Eccleſiæ pſallendo, Miſſarum ſolemnia celebrando, adoleſcentium animis Chriſtiana Doctrina imbuendis, & tum Confeſſionum audiendarum, tum etiam Euchariſtiæ Sacramentis adminiſtrandis, ea qua par eſt, religione, & diligentia inſerviant. Unde cum nullus nec capacior, nec commodior locus exiſteret, proximum Parochiali Eccleſiæ prædictæ ſupradictis Monachis Monaſterium à fundamentis extruxerunt, & in eo ſex eorundem Monachorum Religioſi ſub Prioris regimine, Regularique obſervantia degentes, maxima cum populi frequentia, ac Religionis progreſſu omnia ſupradicta munia peragunt, & proſequuntur, aliiſque pietatis, & charitatis operibus ſe exercent, & de cetero exercere, magiſque in dies augeri, & ampliari ad Dei omnipotentis gloriam, & animarum ſalutem deſiderant. Verùm quia habitationes Monaſterii hujuſmodi anguſtæ, & minus capaces ſunt, ut ibi prædicti, aliique Monachi eorum numero cupientes aggregari, recipi poſſint, pium hoc, & laudabile propoſitum ſatis commodè exequi, & adimplere nequeunt, niſi eis aliunde provideatur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Parochialis Eccleſia prædicta cum ejus domo rectorali, quæ anguſtiſſimæ exiſtunt, & maxima reparatione indigent, & intra ambitum ipſius Monaſterii comprehenduntur, Abbati, ſeu Priori, & Monachis prædictis, quibus illarum jam uſus conceſſus eſt, perpetuò concederetur, ac illius cura Parochialis, quæ viginti domorum circiter extitit, ad aliam Parochialem Auximanam vicinam, & tibi benè viſam transferretur, ac alia quæ ſequuntur fierent, ex hoc profectò dictorum Monachorum commoditatibus in tot piis, & laudabilibus operibus exercendis, illorumque hujuſmodi Congregationis augmento, & ſtabilimento, cum Dei laude, & ſervitio plurimùm conſuleretur, pro parte Sebaſtiani Generalis, & Maximi prædictorum aſſerentium, dictum Joan. Baptiſtam Eccleſiam Parochialem hujuſmodi à triennio, & ultra obtinuiſſe, ut præfertur, & aliunde cum infraſcriptis commodè vivere valere; fructus verò, redditus, & proventus ejuſdem Parochialis Eccleſiæ vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedere. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ipſius Parochialis Eccleſiæ decori, & divini cultus in ea incremento, inſtitutique regularis ipſius Congregationis propagationi opportuna ratione conſulere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*...um dictæ ...s hi ſup- ...arunt ...r. appli- ...ipſorum ...ſterio ...tatis, & ...am illius ...ferri in ...nam Pa- ...lem Ec- ...am.*

§. 6. Nos igitur certam de præmiſſis notitiam non habentes, ipſoſque Sebaſtianum Generalem, & Maximum, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi, ac Communitatis, & hominum, ac populi prædictorum ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ Frater Epiſcope, ſeu diſcretioni tuæ fili Vicari per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſtito priùs tibi de præmiſſis, in Parochiali Eccleſia prædicta, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſonæ, ſeu per ſimilem, vel aliam, vel liberam reſignationem dicti Joan. Baptiſtæ, vel cujuſvis alterius de illa in Romana curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem recolendæ memoriæ Joannis Papæ XXII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Execrabilis; vel aſſequutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici quavis auctoritate collati, vacet; etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Parochialis Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, nomen, titulum & denominationem Rectoris perpetuò dicta auctoritate noſtra ſupprimas, & extinguas.

*Idè Pont. mandat dictam Eccleſiam ſupprimi, & extingui.*

§. 7. Illiſque ſic ſuppreſſis, & extinctis, & ad hoc ut Eccleſiæ, illiuſque domus Rectoralis uſus perpetuò Abbati, ſeu Priori, & Conventui Monaſterii hujuſmodi liber omninò, & abſolutus remaneat, ab ipſa Eccleſia S. Andreæ omnem curam animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum nunc, & pro tempore exiſtentium, illiuſque exercitium, & uſum, etiam perpetuò eadem auctoritate noſtra abdices, & ſepares, necnon curam, & exercitium hujuſmodi ad aliam Parochialem Eccleſiam Auximanam vicinam, & opportunam, ac tibi beneviſam, accedente tamen dilectorum filiorum illius Rectoris, & Parochianorum conſenſu, ita ut illi, & ejus Rectori pro tempore exiſtenti de cetero ſubſint, & dictus Joan. Baptiſta ex nunc ab ipſius Eccleſiæ S. Andreæ ſervitio, & reſidentia apud eam facienda, ac omnibus, & ſingulis functionibus, officiis, exercitiis, oneribus, & obligationibus Parochialibus tuta conſcientia liber atque expenſus cenſeatur, ſimiliter perpetuò prædicta auctoritate noſtra transferas; ac eidem Eccleſiæ, ad quam prædictā curā transferri contigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra poſtquam cura prædicta

*Curam animarum transferri in aliam Eccleſiam, cum aſſignatione emolumentorum ex tali cura provenientium.*

tranſlata

tranſlata fuerit,omnia, & ſingula emolumenta incerta ex curæ animarum exercitio in primodicta Eccleſia provenientia, & lucrari ſolita, ac etiam decimas, poſt obitum tamen dicti Joan.Baptiſtæ, quæ illi ejus vita durante reſervatæ ſint,& eſſe cenſeantur ; ita quod liceat illius Rectori pro tempore exiſtenti , per ſe , vel per alium, ſeu alios ſuo, ac ſecundodictæ Eccleſiæ nomine emolumenta incerta ex nunc & poſt obitum dicti Joan.Baptiſtæ,& decimas hujuſmodi , quæ valorem annuum ſeptem ducatorum ſimilium , vel circa , ut etiam aſſeritur , conſtituunt, percipere, exigere, & levare , ac in ſuos uſus , & utilitatem convertere,pariter perpetuò auctoritate noſtra prædicta applices , & appropries.

*Eamque ſine cura prædicta unà cũ domo Rectorali, Reliquiis, ac ſupellectilibus, tam ſacris, quàm profanis, dd. Monachis & d. Monaſterio concedi, & aſſignari.*

§.8. Eccleſiam verò S.Andreæ ſine cura remanentem, cum illius domo rectorali hujuſmodi,cujus quidem domus valor in proprietate quinquaginta ducatorum hujuſmodi ſummam non excedit, & ex qua,ſi locaretur,uſque ad ſex ducatos hujuſmodi quotannis,ut pariter aſſeritur, perciperetur,Abbati,& Conventui prædictis, cum paramentis , & ornamentis Eccleſiæ primodictæ , illiuſque Sacriſtiæ , ac omni & quacumque ſacra, profanaque ſupellectili , Sanctorum corporibus , & aliis Reliquiis quantumvis inſignibus, & principalibus , cæteriſque rebus in primodicta Eccleſia , illiuſque Sacriſtia exiſtentibus, pro eorum uſibus, & exercitiis, itidem perpetuò eadem auctoritate noſtra concedas , & aſſignes : ita quod liceat Abbati , & Conventui Monaſterii , nunc , & pro tempore exiſtentibus,Eccleſiæ S.Andreæ,ac domus,aliorumque præmiſſorum hujuſmodi corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe, vel per alium,ſeu alios,eorum , & Congregationis hujuſmodi nomine apprehendere, & perpetuò retinere, illiſque uti, & gaudere,Diœceſani loci , vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita.

*Verumque beneficium ſimplex in illa, ſeu alia Eccleſia pro uno Presbytero ſeculari,ad ſubeunda onera prædictæ Eccleſiæ ſuppreſſæ inſtitui jubet.*

§.9. Prætērea in prædicta S.Andreæ, ſeu alia Eccleſia tibi beneviſa , unum perpetuum ſimplex, & perſonalem reſidentiam non requirens beneficium,ſub ejuſdem S.Andreæ, ſeu alia invocatione,pro uno Clerico, ſeu Presbytero ſeculari , perpetuò futuro illius beneficiato , qui reliqua primodictæ Eccleſiæ, illiuſque Rectoris, præter curæ animarum,& Sacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationis incumbentia onera ſupportare teneatur, etiam perpetuò,ſine tamen alicujus præjudicio,prædicta auctoritate noſtra erigas , & inſtituas.

*Pro ejus dote aſſignãdo omnia prædicta Eccleſiæ emolumenta, præter tranſlata.*

§.10. Illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote, & futuri beneficiati , onerumque illi incumbentium ſupportatione , omnia , & ſingula alia primodictæ Eccleſiæ bona,fructus,redditus, proventus, jura,& actiones, præterquam abdicata , tranſlata , conceſſa , & aſſignata , à primodicta Eccleſia diſmembrando, & ſeparando in perpetuum , auctoritate noſtra hujuſmodi applices , & appropries. Ita quod futurus beneficiatus prædictus eorum poſſeſſionem etiam apprehendere , illaque habere, percipere , & conſequi , ac in ſuos uſus , & utilitatem convertere abſque alicujus alterius licentia liberè poſſit, & valeat.

*Et hujuſmodi beneficium d. Joan. Bapt. ſi idoneus extiterit,cum ſuis honoribus, & oneribus conferri.*

§.11. Et nihilominus beneficium prædictum,cujus, & illi forſan annexorum fructus , redditus , & proventus quatuordecim ducatorum parium ſecundum æſtimationem prædictam valorem annuum,ut pariter aſſeritur,non excedunt,à primæva erectione,& inſtitutione hujuſmodi vacans , dicto Joan.Baptiſtæ , poſtquam tamen per diligentem examinationem dictum Joan. Baptiſtam ad hoc idoneum eſſe repereris , ſuper quo conſcientiam tuam oneramus , prædicta auctoritate noſtra conferas, & aſſignes, inducens per te, vel alium,ſeu alios eundem Joan. Baptiſtam, vel Procuratorem ſuum ejus nomine, in corporalem poſſeſſionem beneficii , ac annexorum , juriumque & pertinentiarum prædictorum ; ac defendens inductum , amoto exinde quolibet illicito detentore ; ac faciens Joan. Baptiſtam , vel pro eo Procuratorem prædictum ad beneficium hujuſmodi, ut eſt moris , admitti, ſibique de illius,ac annexorum eorundem fructibus,redditibus,proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integrè reſponderi , contradictores auctoritate noſtra prædicta, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

*In contrarium facientibus derogat.*

§.12. Non obſtantibus præmiſſis , & noſtra de exprimendo vero annuo valore ſecundùm æſtimationem prædictam, tam beneficii uniendi, quàm illius, cui fit unio, necnon piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri , aliiſque conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque : aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis , aut Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem , reſervationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum , quas quidem literas, & proceſſus habitos , per eaſdem , ac inde ſecuta quæcumque ad prædictam Eccleſiam S.Andreæ volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari.

§.13. Nos enim quoad reſignationem, prout eſt,ſi attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum , & quoad illam, & alia præmiſſa hujuſmodi, dictuſque Joan.Bapt. ad hoc repertus fuerit idoneus, ex nunc perinde irritum decrevimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari , ac ſi die datæ earundem præſentium dicto Joanni Bapt.ad id reperto idoneo de beneficio hujuſmodi mandaviſſemus provideri. *Clauſula præſervativa adjungit.*

Datum Tuſculi Anno Incarnationis Dominicæ 1617. 9. Kalendas Octobris , Pontificatus noſtri Anno tertiodecimo. *Dat. P.A. 23.Septem.*

*Sequitur extenſio cujuſcumque gratiæ , & privilegii Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium ad prædictam Congregationem, cum omnibus reſtrictionibus.*

*PAULUS PAPA V.* *Edita A.D. 1606.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Religioſorum virorum Altiſſimo famulantium profectui,quantum cum Domino poſſumus, paterna charitate proſpicere cupientes , privilegia , & gratias aliorum Ordinum , & Congregationum Regularium Religioſis conceſſa , libenter illis communicamus , & ad eos extendimus , cum id conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. *Procœmium.*

*Cauſa hujus Conſtit.*

§.1. Cum itaque, ſicut dilecti filii Jacobus Mercatus Magiſter Generalis , & Monachi Congregationis Silveſtrinorum , Ordinis S. Benedicti Nobis nuper exponi fecerunt , Congregatio præfata nulla,aut pauca privilegia , gratias , & indulta , quibus ipſius Congregationis Religioſi fruuntur , habeat , & propterea ut majori cum ſpiritus fervore , & animorum quiete Deo ſervire poſſit, cupiant Magiſter Generalis , & Monachi prædicti privilegia , gratias , & indulta hujuſmodi, tam Mendicantium , quàm non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus,ac eorum Monaſteriis, domibus,locis,& perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſa , ad eorum Silveſtrinorum Congregationem, illiuſque Monachos, & perſonas extendi , illaque eis communicari. Ideò pro parte dicti Jacobi Magiſtri Generalis , & Monachorum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum , quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Communicatio omnium gratiarum & privilegiorum cujuſcumque Ord. Mendicantium , & non Mendicantium, cum tribus reſtrictionibus.*

§.2.Nos igitur Congregationem Silveſtrinorum prædictam,ejuſque Monachos & perſonas quaſcumque ob eorum regularem diſciplinam ſpecialibus favoribus,& gratiis proſequi volentes , ac ſingulorum privilegiorum, & gratiarum,& literarum deſuper confectarum hujuſmodi tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, & quemlibet eorundem Religioſorum à quibuſvis excommunicationis,ſuſpenſionis,& interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris,& pœnis à jure,vel ab homine quavis occaſione,vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum,harum ſerie abſolventes,& abſolutos fore cenſentes,hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de conſilio Ven.Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſuper conſultationibus,& negotiis Epiſcoporũ,& Regularium deputatorum,omnia & ſingula privilegia, prærogativas,conceſſiones, facultates , exemptiones, immunitates , indulta , ceteraſque gratias ſpirituales, & temporales,

rales, ac tam conjunctim, quàm diviſim, & alias quomodolibet quibuſvis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Congregationibus, ac tam virorum, quàm mulierum Monaſteriis, domibus, & regularibus locis in quibuſcumque Mundi partibus conſiſtentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros hujuſmodi, ac Nos, & Sedem eandem, & per viam communicationis, vel extenſionis, aut aliàs conceſſa, ac quibus ſingulæ Congregationes prædictæ, earumque Monaſteria, domus, & loca, ac Superiores, Fratres, & Monachi, & perſonæ hujuſmodi de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, aut conceſſione Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum (quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ac ſacris canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ſeu particularibus Conſtitutionibus ejuſdem Congregationis Silveſtrinorum non contrarientur) ad prædictam Silveſtrinorum Congregationem, ita ut illa, ejuſque tam virorum, quàm mulierum hoſpitalia, Conventus, ſeu regulares domus, illarumque Priores, Superiores, Officiales, Fratres, Miniſtri, & aliæ perſonæ nunc, & pro tempore exiſtentes, præmiſſis omnibus, & ſingulis æquè, ac pariformiter, & ſine ulla prorſus differentia uti, frui, potiri & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant, ac ſi illa dictæ Silveſtrinorum Congregationis, illiuſque Monaſteriis, Hoſpitalibus, Conventibus, & domibus regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, Miniſtris, & aliis perſonis prædictis ſpecialiter, & expreſsè, ac principaliter, non autem ad inſtar, conceſſa; ac præſentibus de verbo ad verbum inſerta fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò extendimus, illaque omnia, & ſingula dictæ Silveſtrinorum Congregationi, illiuſque Monaſteriis, Hoſpitalibus, Conventibus, ac regularibus domibus, necnon Prioribus, Superioribus, Officialibus, Fratribus, Miniſtris, & perſonis prædictis quibuſcumque (exceptis tamen Privilegiis Monachorum S. Benedicti, per quæ eidem Ordini indulgentiæ conceduntur, ac etiam excepta facultate eligendi, & deputandi Conſervatores Religionis, & Monachorum) communicamus.

§. 3. Decernentes ſic, & non aliter, per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quocirca dilecto filio moderno & pro tempore exiſtenti dictæ Silveſtrinorum Congregationis Protectori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicans, ac dictæ Silveſtrinorum Congregationis Monachis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra præſentes, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos ipſæ literæ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere, non permittens eos, vel eorum aliquem deſuper contra præſentium tenorem per quoſcumque etiam locorum Ordinarios, quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel impediri: Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris, ac facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 5. Non obſtan. quibuſvis Apoſtolicis, ac in provincialibus, & in ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum, Congregationum, Monaſteriorum, & Regularium domorum, &c. juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque ſuperioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac Irritan. & aliis decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia; ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, ac inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo dictæ Silveſtrinorum Congregationis, vel illius Protectoris obſignatis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Fides tranſumptorum.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Novembris M D C V I. Pont. noſtri anno 2. *Dat. P. A. 2. 23. Novembr.*

---

## Quod Fratres Capuccini Ordinis Minorum S. Franciſci in publicis proceſſionibus ubique locorum Crucem propriam deferre poſſint. CVII.

*Horum Fratrum Inſtitutionis approbationem edidit Clemens VII. in ſua Conſt. 21. Religionis, ſup. tom. 1. ubi de eorum materia plenè notatum eſt. Et prohibit onem deferendi ipſorum habitum, vel conſimilem, edidit Gregor. XV. ut inf. in ejus Conſt. 15. Ex injuncto, ubi aliam ſimilem Greg. XIII. Conſt. habes inſertam. Quod verò iſti Fratres ſint verè Fratres Minores ex Ordine S. Franciſci, declaraverunt iſtemet Paul. in Conſt. 54. Eccleſia, hic ſup. & S. D. N. Urb. VIII. in Conſt. 68. Salvatoris, hic inf. ubi notabo.*

### PAULUS PAPA V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1617.*

PAſtoralis officii, quo divina diſpenſatione, nullo noſtro merito fungimur, ratio poſtulat, ut Religioſorum, maximè ſtrictioris Obſervantiæ, paci, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur, opportunè conſulamus. *Proœmium.*

§. 1. Cùm itaque, ſicut dilectus filius Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, nonnullæ rixæ & diſſenſiones inter Fratres d. Ordinis, & dilectos etiam filios Fratres Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, dum primodicti Fratres in proceſſionibus publicis ſub eorundem Fratrum Minorum Conventualium Cruce incedunt, interdum oriantur. *Cauſa hujus Conſt.*

§. 2. Nos omnem rixarum, & diſſenſionum prædictarum materiam ſubmovere volentes, dictoſque Fratres Minores Capuccinos nuncupatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Card. negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, eiſdem Fratribus Minoribus Capuccinis nuncupatis, quod ubique locorum in publicis Proceſſionibus hujuſmodi, Crucem propriam ad formam conſtitutionis fel. rec. Gregorii Papæ XIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Expoſcit Paſtoralis officii, &c. deferre poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus. *Indultum hiſce Fratribus deferendi Crucem propriam in proceſſionibus.* *Iſta Gregor. XIII. conſtit. eſt 48. ſup. tom. 2. Bullar.*

§. 3. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon utriuſque Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate *Clauſulæ derogat.*

alia

alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptorum fides.* §.5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*D.P. An. 13. die 12. Octob.* Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris, die 12. Octobris 1617. Pontificatus noſtri anno 13.

---

## CVIII. Innovatio, & declaratio conſtitutionum Sixti V. & Clem. VIII. de non alienandis bonis in Forenſes, ac Caſtris, & aliis Jurisdictionalibus, tam in Forenſes, quàm in Subditos, abſque præcedente Sedis Apoſtolicæ licentia in ſcriptis obtinenda.

*Hujus Sixti conſt. eſt ſup. tom. 2. & Clement. VIII. in tom. 3.*

Iſtorum Pontificum conſtitutiones noviſſimè confirmavit, innovavit, declaravit, & extendit etiam ad Caſtra diruta, Tenutas, & Prædia, etiam non Jurisdictionalia in confinibus loci Jurisdictionalis, & ad bona in Statu Eccleſiaſtico in confinio Principum exterorum ſita, necnon ad eorum locationes, aut cenſuum annuorum ſuper præmiſſis impoſitiones, vel jam impoſitorum venditiones, S. D. N. Urbanus VIII. infrà in ſua conſt. 65. Decernens, ubi etiam notabo.

*Edita An. D. 1617.* *PAULUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* PAſtorale munus, quod infirmitatem noſtram gerere divina clementia voluit, Nos admonet, ut ſicut rationis exigit ordo, Nos qui aliis ſua tribui procuramus, Sedis etiam Apoſtolicæ jura tueamur, & ſtatus, ac Subditorum noſtrorum utilitati, & tranquillitati conſulamus, ac proinde, ut ea quæ à Rom. Pont. prædeceſſoribus noſtris providè conſtituta comperimus, illibata perpetuò perſeverent, omnem ea eludendi viam Apoſtolicis declarationibus, ac novis diſpoſitionibus præcludimus, & Apoſtolico munimine roboramus, ac aliàs diſponimus prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Sixtus, ut in rub. prohibuit abſque licentia Sedis Ap. bona in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentia alienari in forenſes, & caſtra, fortalitia ac feudalia & jurisdictiones alienari in quoſcumque.* §.1. Siquidem licet olim fel. rec. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter, ut ditionis temporalis Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Subditorum conſervationi, & commodo proſpiceret, Civitates, Oppida, Caſtra, Feuda, Jurisdictiones, ac bona quæcumque ſtabilia, vel immobilia in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentia, abſque ſua & Sedis Apoſtolicæ licentia, quibuſcumque forenſibus, & extraneis eidem Sedi non ſubditis vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteuſim, feudum, livellum, pignus, ſeu precarium concedi. Necnon Civitates, Caſtra, & Oppida, multoque magis fortalitia, feudalia, & jurisdictiones in eodem ſtatu Eccleſiaſtico conſiſtentia, & conſiſtentes, tam in exteros, vel forenſes, quàm in alios quoſcumque, etiam ſubditos, niſi de expreſſa præcedente ſua, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis licentia, vendi, permutari, vel donari prohibuerit, ac alia ſtatuerit, & ordinaverit, prout in ſuis ſub dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kal. Julii, Pontificatus ſui anno 1. expeditis literis pleniùs continetur.

*Clem. VIII. ut in rubr. eam legem declaravit, & extendit.* §.2. Ac ſubinde à rec. mem. Clemente Papa VIII. ſimiliter prædeceſſore noſtro emanaverint literæ tenoris ſubſequentis, videlicet:

Clemens Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem, &c.

Tenor eſt ſuprà inſertus, in part. 2. Bullarii.

*Illa tamen malè interpretabantur.* §.3. Nihilominus, quia poſtmodum experientia compertum fuit, amplius providendum eſſe, ne tam ab extraneis, & forenſibus, quàm à ſubditis noſtris prohibitiones, ac conſtitutiones, & literæ eorundem Sixti, & Clementis prædeceſſorum variis, & alienis ab eorum mente interpretationibus ſubverti, & diverſis conventionibus, etiam palliatis, in iis quæ circa alienationem Civitatum, Caſtrorum, Oppidorum, & locorum jurisdictionalium, non niſi præcedente noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis licentia facienda, diſponunt, fraudibus eludi poſſint.

§.4. Nos tam ex iis, quæ in conſtitutionibus prædictis continentur, quàm ex aliis juſtis, & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, præmiſſis, & aliis infraſcriptis opportunis remediis occurrere volentes, necnon præfatarum Sixti, & Clementis prædeceſſorum hujuſmodi literarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione eaſdem literas Sixti, & Clementis prædeceſſorum approbamus, & confirmamus, illaſque innovamus, & inviolabiliter obſervari mandamus. *Illas ille Pont. ... bat, ... novat.*

§.5. Præterea eaſdem conſtitutiones, quatenus etiam in ſubditos bona alienari abſque Sedis Apoſtolicæ licentia vetant, declarantes, & quatenus opus ſit, etiam extendentes, conſtitutiones hujuſmodi in venditionis, permutationis, & donationis contractibus, etiam cum pacto de retrovendendo, ſeu retrocedendo, vel etiam reſervato noſtro, & Apoſtolicæ Sedis beneplacito, aut etiam correſpectivis, ſeu connexis, vel ſub locationis, aut alterius contractus nomine palliatis, ſuper præfatis Civitatibus, Caſtris, Oppidis, & multò magis Fortalitiis, & quibuſlibet locis jurisdictionalibus, vel feudalibus, intra limites Status Eccleſiaſtici conſiſtentibus, illorumque dominio, & poſſeſſione, jurisdictioneque, ac jurisdictionis exercitio quomodolibet, & quavis occaſione, prætextu, vel cauſa, etiam neceſſaria, etiam ſubhaſtationis, adjudicationis, & dationis in ſolutum, etiam judicialis faciendis obtinere, & inviolabiliter obſervandas eſſe, ita videlicet, quod noſtra, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis expreſſa licentia priùs in ſcriptis impetrari, & in actu celebrationis contractus realiter apud Notarium exhiberi, & dimitti debeat, & non aliàs, decernimus, ſtatuimus, & ordinamus. *Decl... & ... permuta... bus, do... nibus, ... reſervat... neplaci... dis Ap...*

§.6. Quod ſi quis ad aliquam alienationem devenerit contra formam præſentis conſtitutionis, alienatio, ſeu contractus ſint ipſo jure nulli, nullumque ſortiantur effectum: & nihilominus alienans, ac contrahens pœnam præfatæ Clementis prædeceſſoris conſtitutionis incurrat, nempe cadat ab omni jure ſuo, & intelligatur ipſo jure abſque alia declaratione privatus omni ſua poſſeſſione, ejuſque vita durante fructus, & commoditas, ut ſupra alienatæ rei, tranſlatæ, aut gravatæ ſpectent pleno jure ad Sedem, & Cameram Apoſtolicam, ita quod eo ipſo Camera Apoſtolica poſſit bona præfata propria auctoritate capere, & penes ſe retinere, viventibus ita contrahentibus, ipſis verò defunctis, eadem Caſtra, Oppida, & jurisdictiones, aliaque ſupradicta ad eos, ad quos de jure, ſi diſponentes ab inteſtato deceſſiſſent, vel contractus hujuſmodi facti non fuiſſent, pervenire deberent, omnino perveniant. *Contra... tibus ... inflig... contra... annulla...*

§.7. Tabelliones verò, & Notarios, etiam de numero participantium; & alios quoſcumque inſtrumenta, & ſcripturas hujuſmodi conficientes, & formam hujuſmodi non ſervantes, ſeu illas Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ non revelantes, nec exhibentes, pœnam falſi, ac privationis nedum exercitii, ſed officii, & tituli Tabellionatus, ac Notariatus, aliorumque Officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum exercenda, eo ipſo incurrere decernimus. *Notarii ... alio... num ... menta ... cienti... nas im...*

§.8. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. *Et ita, ... aliter ... ri manu...*

§.9. Injungentes, & mandantes eiſdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, ac Judicibus, nunc, & pro *Obſer... hujus ... Offic... injung...*

tempore

tempore in toto ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentibus, & eorum cuilibet, ut declarationem, extenſionem, decretum, inhibitionem, præceptum, mandatum, ſtatutum, & ordinationem noſtram hujuſmodi in eodem ſtatu Eccleſiaſtico ab omnibus ad quos ſpectat, & ſpectabit, perpetuò obſervari mandent, & faciant: Contradictores quoſcumque opportunis juris, & facti remediis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

*[...]mnibus [...]gat.* §.10. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ præfati Sixtus, & Clemens prædeceſſores in ſuis literis præfatis voluerunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*[P]ublicatio[...] Bulla, & [...] effectum [...]* §.11. Volumus autem, ut præſentes, poſtquam in valvis Eccleſiæ Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon in acie Campi Floræ affixæ, & publicatæ fuerint, quoſcumque tam præſentes, quam abſentes, & ubicumque etiam extra ſtatum noſtrum Eccleſiaſticum exiſtentes, perinde obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum nominatim intimatæ fuiſſent.

*[Tr]anſumptis [...] fides.* §.12. Ac etiam volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique locorum in judicio, & extra habeatur, quæ ipſiſmet præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*[...]ſanctionem [...]alem ſub[...]* §.13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum confirmationis, innovationis, declarationis, extenſionis, decretorum, inhibitionis, præcepti, mandatorum, voluntatum, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*[D.]P. An. 13. [die] 10. Nov.* Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnat. Domin. 1617. xii. Kal. Decemb. Pont. noſtri anno 13.

*[Pu]blicatio.* *Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1617. Indictione 15. die verò 19. menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. Noſtri D. Pauli Divina providentia Papæ V. Anno ejus decimotertio, ſupradicta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Ioan. Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon in acie Campi Floræ, per nos Auguſtinum Bracherium, & Pompilium Corſettum Apoſtolicos Curſores.*

*Silverius Pontirolus Mag. Curſor.*

---

## CIX. Confirmatio Statutorum, ſeu Capitulorum Confraternitatis Coquorum, ac Paſticeriorum ſub invocatione Annunciationis beatiſſimæ Mariæ Virginis in Eccleſia ſanctorum Vincentii, & Anaſtaſii de Urbe.

*De forma aggregandi Confraternitates habes ſup. in Clem. VIII. conſt. 115. Quicumque, hic ſup.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*[Exo]rdium.* PIas Chriſti fidelium Confraternitates ad pietatis, & Chriſtianæ charitatis opera exercen. canonicè inſtitutas, ut in eorundem piorum operum exercitio confoveantur, ſpecialibus gratiis libenter proſequimur, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Narratur [qu]od ab iſta [Con]fr. condita [fue]runt nonnulla Statuta [pro] felici ip[ſius] directio[ne], eaque [à] Nob. à Vic. [...]bis obtinue[ru]nt.* §.1. Sanè nomine dilectorum filiorum Officialium, ac Confratrum Confraternitatis Coquorum, ac Paſticeriorum nuncupatæ, ſub invocatione Annunciationis B. Mariæ Virginis in Eccleſia SS. Vincentii, & Anaſtaſii Regionis Arenulæ de Urbe canonicè inſtitutæ, Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi pro felici, proſperaque Confraternitatis hujuſmodi directione nonnulla ſtatuta condiderunt, illaque in unum volumen compilata, à dilecto filio noſtro in Urbe Vicario in ſpiritualibus Generali approbari, & confirmari obtinuerunt, tenoris ſubſequen. videlicet:

*[...] cap. eſt [...] ſubſequ[...].* *Capitoli della Venerabile Compagnia de Cochi, è Paſticcieri di Roma.*

Omittitur tenor Statutorum, quia poteris reperire apud ipſos Confratres.

§.2. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Officiales, & Confratres prædicti ſtatuta hujuſmodi pro firmiori eorum ſubſiſtentia, ac validitate Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri plurimùm deſiderent: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis in præmiſſis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Officiales, & Confratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta prædicta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

§.3. Ipſaque ſtatuta in eadem Confraternitate à modernis, & pro tempore exiſtentibus illius Confratribus perpetuò obſervari debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. *Cum clauſula perpetuæ obſervantia, & decreti irritanti.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. *Et derogatione contrariorum.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Decembris 1617. Pont. noſtri anno 13. *D. P. An. 13. die 10. Dec.*

---

## Extenſio Indulti recitandi Officium beati Philippi Benitii Florentini, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Profeſſoris, pro Regularibus, & ſecularibus civitatis Tudertinæ.

*Hunc Philippum pro Beato venerari, ac ejus feſtum ſub duplici Officio die 23. Auguſti quotannis celebrari poſſe conceſſerat Fratribus d. Ordinis Leo X. ut conſt. ſeq. Et poſtea Lectiones proprias in Matutinis diei feſti d. Beati recitandas approbavit iſte Paulus hic in conſtit. ſeq. Eximia. Ac deinde hujuſmodi conceſſionem ampliavit, & extendit ad omnes tam Regulares, quàm ſeculares perſonas Civitatis Florentiæ, ut in conſtit. ſubſeq. Domini noſtri. Quas omnes conſtit. hic poſui, tum quia opportunas cenſui, tum quia nondum antea reperiri potuerunt.*

*PAULUS PAPA V.* *Edita An. D. 1618.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

§.1. DOmini Noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in Cælis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto Nobis paſtoralis officii debito libenter procuramus, ut eorumdem ſervorum Chriſti honos, & veneratio in terris promoveatur; ideoque fidelium votis, quæ peculiarem erga illos cultum reſpiciunt, favorabiliter annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. *Exordium.*

§.2. Sanè nomine dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis noſtræ Tudertin. ac Aurelii Raphaëlis Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Procuratoris generalis, Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi ex ſingulari, quem erga B. Philippum Benitium ejuſdem Ordinis Profeſſorem gerunt, devotionis affectu, ac aliàs ad augendam fidelium erga illum devotionem, Officium de eodem B. Philippo aliàs à Nobis per noſtras in ſimili forma Brevis, ſub die 12. Octobris 1606. expeditas literas approbatum, in prædicta Civitate, ut infra recitari poſſe ſummoperè deſiderant: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut de opportuna ſibi in præmiſſis licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Inſtiterunt inſuper etiam Procurat. Ordo Servor. & Commun. Tudert. pro licentia recitandi officium de d. B. Philippo in Civitate Tudert. ubi ejus corpus requieſcit.*

§.3. Nos igitur piis Communitatis, & hominum, necnon Aurelii Raphaëlis Procuratoris votis hujuſmodi annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodo- *Quam iſte Pont. concedit pro omnibus regularibus & ſecularibus.*

libet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſen. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de Ven. Fr. noſtrorum S.R.E. Card. Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio, ut in Civitate prædicta tantùm, ubi ejuſdem B. Philippi corpus, ut aſſeritur, aſſervatur, Officium de d. B. Philippo per Nos ut præmittitur, approbatum, ab omnibus tam ſecularibus, quàm regularibus perſonis publicè privatimque in die ejus obdormitionis in Domino recitari liberè, & licitè valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceterìſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 14. die 14. Octob.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 14. Octobris 1618. Pont. noſtri anno 14.

*Sequitur Indultum, quod Fratres Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis pro Beato venerari poſſint Philippum Benitium d. Ordinis olim profeſſorem; ejuſque feſtum die 23. Auguſti ſub duplici officio quotannis celebrare.*

*Edita An. D. 1616.*

## *LEO PAPA X.*

*Dilectis filiis Priori generali, & Fratribus Ordinis B. Mariæ Servorum, ſub Regula S. Auguſtini, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*B. Philip. Benit. Fr. Ord. Serv. B. Mariæ, ante, & poſt obitum miraculis claruit.*

EXpoſuit Nobis nuper dilectus filius noſter Antonius tit. S. Praxedis presbyter Card. Ordinis veſtri Protector, ex parte veſtra, quod tempore quo inſtitutus fuit Ordo veſter Fratrum B. Mariæ Servorum ſub regula S. Auguſtini, B. Philippus patria Florentinus, ex gente Benitia, trans Arnum, tunc Prior generalis ejuſdem Ordinis, velut gemma rutilans, doctrina, humilitate, moribus, jejuniis, abſtinentia, plurimiſque miraculis Ordinem ipſum illuſtravit, tam eo in humanis agente, quàm etiam vita functo, ob plurima miracula, quæ (ut creditur) interceſſione ipſius B. Philippi pluribus in locis operatus eſt Altiſſimus, & præſertim Tuderti, ubi ejus corpus ſumma cum veneratione quieſcit, & pro Beato habitus eſt, & ad præſens habetur & colitur.

*Ideo ſupplic. huic Pont. ut Ordo in ſuis Eccleſ. poſſit ejus officia celebrare tanquam Beati.*

§.1. Et propterea pro devotionis affectu ſummopere deſideratis, inſtanterque efflagitatis, in veſtris Eccleſiis, & Oratoriis utriuſque ſexus d. Philippum pro Beato, ac Deo dilecto orationibus, & officiis, ac Miſſarum celebrationibus tam publicè, quam privatè venerari, ac preces effundere, ut apud Deum pro vobis intercedere dignetur.

*Ac in die obitus dupl. feſtū illud celebrare.*

*Hoc feſtum eſt in die 23. Auguſti, ut mox declaratur.*

§.2. Ac etiam, quod in die obitus d. B. Philippi liceat vobis à primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas incluſivè per omnes eccleſias, & monaſteria, ſeu domos Fratrum, & Monialium d. Ordinis veſtri, ipſi B. Philippo feſtum duplex cum campanis, & luminibus, & aliis cæremoniis, in feſto duplici fieri ſolitis, celebrare, ſeu celebrari facere poſſe, abſque ſuperſtitione, ſeu quaſi idololatriæ nota.

*Hic modo Pōt. utrumque concedit.*

§.3. Quare idem Cardinalis, qui ut præfertur Ordinis veſtri Protector exiſtit, & de præmiſſis ex mandato noſtro ad plenum ſe informavit, & Nobis retulit, ac humiliter ſupplicavit, ut veſtro pio deſiderio annuere dignaremur. Nos itaque ejuſdem Antonii Card. & veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis ut donec ad canonizationem ipſius Philippi deventum fuerit, cui ad præſens diverſis arduis negotiis præpediti vacare non poſſumus, in quibuſcumque eccleſiis, domibus, monaſteriis, Monialium Oratoriis utriuſque ſexus, totius Ordinis veſtri tantùm, tam in Italia, quàm extra, in quibuſcumque locis conſiſtentibus, liceat vobis abſque aliqua ſuperſtitionis vel quaſi idololatriæ nota, ac conſcientiæ ſcrupulo venerari, & in eccleſiis domorum ad eundem Philippum, ut pro vobis apud Deum interceſſor exiſtat, in orationibus, & officiis, ac Miſſarum ſolemniis, preces tam publicè quàm privatè, ſeu ſecretò fundere, voſque ipſius orationibus commendare; ac etiam quod à primis Veſperis ad ſecundas Veſperas incluſivè diei ipſius Philippi obitus, qui erit dies 23. menſis Auguſti, ſub duplici feſto Confeſſoris, cum Candelis, Campanis, Antiphonis, Verſiculis, Orationibus, cæteriſque cæremoniis in feſto duplici fieri ſolitis adhibitis celebrare poſſitis,

*Quinimò Paulus V. latius in hoc diſponit, ut notatum eſt ſup. in rubr.*

& valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ concedimus.

*Contrariis derogat.*

§.4. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim fel. record. Alexandri Tertii, & Innocentii Tertii prædeceſſorum noſtrorum, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

*Exemplis huius conſ. adhi. fides.*

§.5. Et quoniam difficile foret, præſentes literas ad diverſas Mundi partes tranſmittere, volumus, & earundem præſentium tenore decernimus, quod illarum tranſumptis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Protectoris dicti Ordinis, aut Prioris generalis ejuſdem munitis ea prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

*Declarat quod hæc ... canonizatio.*

§.6. Volumus autem, quod per præmiſſa præfatus Philippus in Catalogo Sanctorum annumeratus, & canonizatus publicè minimè cenſeatur.

*Dat. P. A. ... die 24. Jan.*

Datum Florentiæ ſub annulo Piſcatoris die 24. Januarii 1516. Pont. noſtri anno tertio.

*Sequitur amplificatio d. Indulti, ſcilicet quod lectiones proprias dicti Beati in Matutinis recitare poſſint, & conceſſio ſolemniter Officium de ipſa B. Virgine celebrandi ſingulis diebus Sabbati non impeditis.*

*Edita An. 1606.*

## *PAULUS PAPA V.*

*Dilectis filiis Priori generali, ac Fratribus Ordinis Servorum B. Mariæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Exordium.*

EXimia Ordinis veſtri in Deum pietas, & ſingularis devotio, quam in primis erga Beatiſſimam Virginem, cujus obſequiis ex prædicti veſtri Ordinis inſtituto præcipuè obſtricti eſtis, deinde erga beatum Philippum, qui ejuſdem Ordinis, dum vixit, Prior extitit generalis, & illum, qua fuit vitæ ſanctitate, ſuo nomine illuſtrat, ac decorat, vos gerere accipimus, ac Venerabilis fratris noſtri Hieronymi Epiſcopi Alban. Cardinalis Aſculani nuncupati, d. Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris preces, ac merita juſtè poſtulant, ut in his quæ ad ipſius Beatiſſimæ Virginis venerationem augendam, & ad Beati quoque Philippi memoriam in veſtro Ordine honorificentiùs recolendam pertinent, piis votis veſtris libenter annuamus.

*Leo X. conceſſit Ordini quod ſub duplici feſto feſtum B. Philippi Beati celebrare poſſit, ut ſup. ...*

§.1. Cum itaque vobis fel. record. Leo Papa Decimus prædeceſſor noſter, eundem beatum Philippum honorare ſtudens, duplex de eodem officium vos agere voluerit: Nos eundem beatum Virum amplius honorificare cupientes, ſupplicationibus veſtro nomine per dictum Hieronymum Epiſcopum, & Cardinalem Nobis humiliter porrectis inclinati.

*Et hic Pont. indulget, ut lectiones proprias d. Beati in matutinis recitare poſſint.*

*Iſtæ mox ſubjiciuntur.*

§.2. Vobis, ut in quibuſcumque veſtri Ordinis eccleſiis in Matutinis, Officii quod de beato Philippo ex indulto dicti Leonis prædeceſſoris recitare ſoletis, lectiones proprias infraſcriptas, ex vita ipſius beati Philippi per approbatos Auctores deſcriptas, deſumptas, ac juſſu noſtro per Venerabilem Fratrem Hieronymum prædictū Aſculanum, ac dilectos filios noſtros Cæſarem Baronium, Robertum Bellarminum, & Hieronymum Pamphilium nuncupatos, S.R.E. Cardinales examinatas, & approbatas recitare liberè, & licitè poſſitis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

*Utque in diebus Sabbati non impeditis ſolemne Officium de Beatiſſ. Virg. agere valeant.*

§.3. Ac præterea quoniam, ut dictæ preces pariter continebant, Officium Beatiſſimæ Virginis ex antiquo veſtri Ordinis more, uſque ad reformationem Breviarii fel. record. Pii Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri juſſu factam, recitare conſueviſtis, & eandem laudabilem conſuetudinem renovare deſideratis, religioſis deſideriis veſtris hujuſmodi annuentes, ut diebus Sabbati, aliquo feſto duplici, aut vigilia de præcepto non impeditis, & exceptis Sabbatis Adventus, & Quadrageſimæ, Officium ſolemne cum novem lectionibus de beatiſſima Virgine agere, & illud agendo, divini Officii obligationi ſatiſfacere, perinde ac ſi Officium Sabbati ageretis, ſimiliter liberè, & licitè valeatis, auctoritate, & tenore prædictis pariter concedimus, & indulgemus.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac novi Breviarii Romani editione, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Exemp. ...*

§.5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, manu Prioris, ſeu Vicarii generalis, ac ſigillo veſtri Ord.

obſigna

obſignatis eadem fides, quæ ipſis præſentibus haberetur, ubique locorum habeatur.

*D.P. An. 2. die 12. Octob.*

Dat. Romæ apud S.Marcum, die 12. Octobris 1606. Anno ſecundo.

*Subſequitur extenſio prædicti Indulti recitandi Officium de dicto Beato, ad omnes tam Regulares, quàm ſeculares in Civitate Florentina.*

*Edita A. D. 1615.*

*P A V L V S E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei.*

*Exordium.*

DOmini Noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto Nobis paſtoralis officii debito, ut eorundem ſervorum Chriſti honos, & veneratio promoveatur, libenter procuramus, & Chriſti fidelium votis, quæ peculiarem erga illos cultum reſpiciunt, libenter annuimus, ut conſpicimus ſalubriter in Domino expedire.

*Leo X. Ord. Servorum B. Mariæ conceſſit, quod in omnibus d. Ordinis Eccleſiis Officium de B. Philippo Benitio Florentino celebrari poſſit in die ejus obitus.*

§. 1. Sanè nomine dilecti filii Aurelii Raphaëlis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Procuratoris generalis, Nobis nuper expoſitum fuit, quod aliàs fel. record. Leo Papa Decimus prædeceſſor noſter Fratribus Ordinis præfati indulſit, ut in omnibus d. Ordinis Eccleſiis Officium de B. Philippo Benitio Florentino, olim d. Ordinis profeſſore, in die ejus obdormitionis in Domino celebrare poſſent, & valerent, prout in dicti Leonis prædeceſſoris deſuper expeditis in ſimili forma Brevis literis pleniùs continetur.

*Coſmus poſtea M. Dux Hetruriæ juxta deſiderium Ferdinandi prædicti prædeceſſoris, & alii hic nominati institerunt huic Pontifici pro feſti celebratione & extenſione d. indulti ad omnes perſonas Eccleſiaſticas Civitatis Florentiæ, unde ipſe oriundus eſt.*

§. 2. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, bon. mem. Ferdinandus, dum vixit, deſideravit, ac dilectus filius nobis vir Coſmus Hetruriæ ſibi ſubjectæ Magni Duces, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobis mulieres Chriſterna dicti Fernandi vidua relicta, ipſiuſque Coſmi mater, ac Maria Magdalena Archiduciſſa Auſtriæ, ejuſdem Coſmi uxor, necnon Ven. frater Alexander Archiepiſcopus Florentinus plurimùm cupiant, indultum hujuſmodi ad alias omnes tam regulares, quàm ſeculares perſonas Eccleſiaſticas civitatis Florentinæ, in qua d. Beatus Philippus natus & educatus fuit, extendi, ac diem feſtum celebrari poſſe.

*Idem ergo Pont. illis id concedit, & feſtum die 23. Aug. celebrari poſſe indulget.*

§. 3. Nos pium Coſmi Magni Ducis, & Chriſternæ Magnæ Duciſſæ viduæ, ac Mariæ Magdalenæ Archiduciſſæ, necnon Alexandri Archiepiſcopi præfatorum deſiderium plurimùm in Domino commendantes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorũ conſilio, omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis perſonis, tam ſecularibus, quàm regularibus, ut in die obdormitionis in Domino d. B. Philippi, qui ut aſſeritur, eſt 23. menſis Auguſti, ejus feſtum celebrare, & officium de d. Philippo ſub ritu ſimplici, juxta formam, & rubricas Breviarii Romani in civitate Florentina præfata tantùm peragi liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur.

*Derogatque contrariis.*

§. 4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac d. Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 11. die 31. Julii.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die ultima Julii 1616. Pont. noſtri anno 11.

---

## Beatificatio Paſchalis Baylon ex Diſcalceatis Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ S. Joan. Bapt. Regni Valentiæ. Cum indulto recitandi Officium, & celebrandi Miſſam pro Fratribus hujus Ordinis in Regno Valentiæ prædicto, ac in Oppido Villæ Regalis ejuſdem Regni, ubi ejus Corpus requieſcit.

*Edita A. D. 1618.*

*P A V L V S P A P A V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN Sede Principis Apoſtolorum, nullis licèt noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.



*Inſtantia facta Pont. pro hujus Viri Beatificat.*

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Miniſtri generalis, & aliorum Superiorum, necnon Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum Nobis nuper expoſitum fuit, quod bon. mem. Paſchalis Baylon, ejuſdem Ordinis dum vixit profeſſor, multis & eximiis virtutum, gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illuſtratus fuit: quapropter non ſolùm univerſus Ordo prædictus, ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, ac dilecti filii Noſtri Franciſcus S.R.E. Cardinalis Lermæ nuncupatus, necnon totius Regni Valentiæ Proceres Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut donec Canonizationis honorem, quem dicto Paſchali Baylon ob ejus excellentia merita aliquando divina adſpirante gratia, habitum iri ſperant, ab Apoſtolica Sede impetrent, idem Paſchalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem Officium, & Miſſa, ut infra recitari poſſit.

*Qui declarat ex voto S. Rituum Congr. quod ipſe Paſchalis de cætero Beatus poſſit nuncupari, ac die 17. Maii ab omnibus ſui Ordin. Fratribus in Regno Valentiæ Miſſa, & Officiũ celebrari, & in Eccl. Oppidi Villæ Regalis Miſſa à Preſbyteris celebrari ſimiliter poſſit.*

§. 2. Quare Nos, re prius per Venerabiles Fratres Noſtros S.R.E. Cardinales Sacris Ritibus præpoſitos, quibus eam examinan. mandavimus, maturè diſcuſſa, de eorundem Cardinalium conſilio hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Ut ipſe bon. mem. Paſchalis Baylon in poſterum Beatus nuncupari, atque de eo ſingulis annis die XVII. Maii, quo obdormivit in Domino, à Fratribus ejuſdem Ordinis in Regno Valentiæ commorantibus tanquam de Confeſſore non Pontifice, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani Officium recitari, & Miſſa celebrari, necnon in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis Oppidi Villæ Regalis in eodem Regno Valentiæ exiſtentis, ubi ejus corpus requieſcere aſſeritur, ab omnibus preſbyteris, tam ſecularibus, quàm regularibus Miſſa, ut ſupra ſimiliter celebrari liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

*Cum derogatione contrariorum.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P. An. 14. die 29. Oct.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 29. Octob. 1618. Pontificatus Noſtri anno decimoquarto.

*Sequitur extenſio conceſſionis præinſerti Indulti pro univerſis Religioſis utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis in Hiſpaniæ Regnis utriuſque Coronæ Caſtellæ, & Aragoniæ: & pro cuncto Clero in Oppidis, ubi dicti Beati corpus requieſcit, & natus fuit.*

*Edita An. D. 1616.*

*P A V L V S P A P A V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Refertur tenor præinſertæ conſtit. ac indulti recitandi Officium & Miſſam celebrandi.*

ALiàs pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Generalis, & aliorum Superiorum, necnon Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum nuncupatorum, Nobis expoſito, quod bon. mem. Paſchalis Baylon ejuſdem Ordinis, dum vixit, profeſſor, multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuerat, & idcircò non ſolùm univerſus Ordo prædictus, ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, ac dilecti filii noſtri Franciſcus S. R. E. Cardinalis Lermæ nuncupatus, necnon totius Regni Valentiæ Proceres Nobis humiliter ſupplicari fecerant, ut donec Canonizationis honorem (quem dicto Paſchali Baylon ob ejus excellentia merita aliquando divina adſpirante gratia, habitum iri ſperabant) ab Apoſtolica Sede impetrarent, idem Paſchalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem Officium, & Miſſa recitari poſſet: Nos re prius per Venerabiles Fratres noſtros ejuſdem S.R.E. Cardinales Sacris Ritibus Præpoſitos, quibus eam examinan. mandaveramus, maturè diſcuſſa, de eorundem Cardinalium conſilio hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bon. mem. Paſchalis Baylon in poſterum Beatus nuncupari, atque de eo ſingulis annis die 17. Maii, quo obdormivit in Domino, à Fratribus ejuſdem Ordinis in Regno Valentiæ commorantibus, tanquam de Confeſſore non

Pontifice, juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani Officium recitari, Miſſa celebrari, necnon in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis Oppidi Villæ Regalis in eodem Regno Valentiæ exiſtentis, ab omnibus Presbyteris, tam ſecularibus, quàm regularibus Miſſa, ut ſupra ſimiliter celebrari liberè, & licitè poſſet, & valeret, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, & indulſimus, prout in aliis Noſtris in ſimili forma Brevis, ſub die 29. Octobris anni 1618. expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur.

*Quod modo ſupplicatur Pont. ut extendere dignetur, ut hic.*

§.2. Cùm autem, ſicut dictus Philippus Rex, ac dilecti filii Miniſter Generalis, necnon alii Superiores, & Fratres ejuſdem Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pro eo, quem erga ipſum Beatum Paſchalem gerunt, devotionis affectu plurimum cupiant conceſſionem, & indultum, ac deſuper confectas literas hujuſmodi ad univerſum Ordinem Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia hujuſmodi, ac etiam ad prædictum Villæ Regalis, ubi ejuſdem Beati Paſchalis corpus requieſcere, necnon Turris Formoſæ Seguntinæ diœceſis, unde idem Beatus Paſchalis oriundus eſſe aſſeritur, reſpectivè Oppida per Nos, ut infra, extendi: Nobis idcircò humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis in præmiſſis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui illud extendit.*

§.3. Nos igitur de eorumdem Cardinalium conſilio poſterioribus hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem, & indultum, ac deſuper confectas literas hujuſmodi ad omnes utriuſque ſexus Religioſos dicti Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ in Regnis Caſtellæ, & Aragoniæ commorantes auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ampliamus: Necnon ut in Villæ Regalis, ubi ejuſdem beati Paſchalis Corpus requieſcere, ac Turris Formoſæ, ubi idem beatus Paſchalis, ut præfertur, natus, & educatus eſſe aſſeritur, Oppidis prædictis, ab omnibus utriuſque ſexus Regularibus, ac etiam Presbyteris, & Clericis ſecularibus, de eodem beato Paſchale juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani hujuſmodi, de communi Confeſſoris non Pontificis Officium recitari, & Miſſa celebrari reſpectivè valeat, auctoritate, & tenore prædictis concedimus pariter, & indulgemus.

*Contrariiſque derogat.*

§.4. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Ac tranſumptis fidem mandat.*

§.5. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P.A. 15. die 10. Febr.*

Dat. Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 10. Febr. 1620. Pont. noſtri anno 15.

## CXII. De Magiſtrorum Cæremoniarum, aliorumque Officialium S. R. E. Cardinalium Collegii Emolumentis, & Privilegiis.

*Hujuſmodi Emolumenta pro mercede provenienda ex Creatione, & Obitu dd. Cardinalium aſſignaſſe ſcite Pium IV. cujus conſtitutionem modò reperi, & quia eſt opportuna, hic ſubſequentem poſui.*

*Edita A. D. 1619.*

*PAULUS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Fides, & diligentia Magiſtrorum Cæremoniarum, ac Clericorum, & Officialium Sacri venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Collegii, eorumque aſſidui labores in rebus, & negotiis ejuſdem Sacri Collegii procurandis, eorumque præſertim, qui nunc in officio ſunt, à Nobis meritò requirunt, ut eorum jura & privilegia, quibus ex antiqua, & approbata conſuetudine potiũtur, & gaudent, noſtro patrocinio benignè tueamur.

*Recenſet ſummam pecuniarum à S.R.E. Card. ſolvi ſolitã Magiſt. Cærem. Secretario, Clerico, & Computiſtæ, in creatione, & obitu eorumdem.*

§.1. Sanè cum dilecti filii Magiſtri noſtri Cæremoniarum centum, Secretarius verò, ac Clericus, & Computiſta ejuſdem Collegii Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ſeptuagintaquinque ducatos auri de Camera à ſingulis Cardinalibus in promotionibus eorum ad Cardinalatus honorem, quinquaginta videlicet pro quolibet Magiſtrorum Cæremonialium hujuſmodi, ac vigintiquinque pro quolibet aliorum trium Officialium, ſeu Miniſtrorum præfatorum, in obitu autem ipſorum Cardinalium iidem Magiſtri Cæremoniarum quinquaginta, Secretarius verò, ac Clericus, & Computiſta præfati ſimiliter ſeptuagintaquinque ducatos hujuſmodi, videlicet vigintiquinque pro quolibet Magiſtrorum Cæremoniarum, ac pariter vigintiquinque pro quolibet eorundem trium Officiorum, ſeu Miniſtrorum ab ipſorum Cardinalium hæredibus accipere, & exigere conſueverint, dictique centum in promotione, & quinquaginta in obitu præfatis Magiſtris, ac ſeptuagintaquinque ducati ſimiles in obitu eorundem Cardinalium aliis tribus Officialibus ſeu Miniſtris, ut præfertur, ſolvi debeãt.

*Cauſa hujus Conſt.*

§.2. Nihilominus Nos, ne ex eo quod literæ Apoſtolicæ pro omnibus hujuſmodi Officialibus hactenus nullæ emanaverint, ſive ex eo, quod ad Cardinalatus honorem promoti poſt illorum promotionem Romam nondum venerint, ſive ex eo quod Cardinales ipſi extra Romanam Curiam deceſſerint, vel aliàs Magiſtris, & Officialibus, ſeu Miniſtris præfatis dictas ſummas illis, ut præfertur, debitas ſolvere recuſent, ſeu longius differant in eorum grave præjudicium: attendentes præfatos Cardinales officio Magiſtrorum, ac trium Officialium, ſeu Miniſtrorum præfatorum egere & uti, dictamque ſummam à Rom. Pontificibus tanquam mercedem, ſeu pro mercede illorũ ab immemorabili tempore conſtitutã eſſe.

*Quam prædictam ſummam à dd. R.E. Card. & ab eorum hæredibus omnimodè ſolvi debere ſtatuit.*

§.3. Et propterea indemnitatibus eorum conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, præfatis Cæremoniarum Magiſtris centum, ac Secretario, & Clerico, ac Computiſtæ ſeptuagintaquinque in promotione ad Cardinalatus honorem: necnon eiſdem Magiſtris quinquaginta, ac Secretario, Clerico, & Computiſtæ ſimiliter ſeptuagintaquinque ducatos auri de Camera præfatos poſt obitum ſingulorum Cardinalium hujuſmodi, etiamſi ad Cardinalatus honorem promoti Romam nondum venerint, & ſive in Romana Curia, vel extra eam, & ubicumque decedere contigerit, in ſupplementum mercedis ordinariæ eorundem Officialium, ſeu Miniſtrorum deberi, illiſque conjunctim per pro tempore exiſtentes Cardinales præfatos, ſeu eorum agentes, & hæredes reſpectivè, & aliàs ut præfertur, abſque mora ſolvi, & ex eis conſignari debere, ſine tamen præjudicio quorumcumque jurium Cameræ Apoſtolicæ quomodolibet debitorum, ac ſolvendorum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

*Executores deputat.*

§.4. Injungentes propterea dilectis filiis ejuſdem S.R.E. Collegii dictorum Cardinalium moderno, & pro tempore exiſtenti Camerario, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicicæ noſtræ generali Auditori, quatenus infra menſem à die promotionis eorundem Cardinalium computandum, etiamſi iidem Cardinales nondum, ut præfertur, Romam venerint, per dicti Collegii Depoſitarium, vel aliàs, prout melius expedire videbitur, centum Magiſtris Cæremoniarum, ac ſeptuagintaquinque Secretario, Clerico, & Computiſtæ; in obitu autem, ſeu poſt obitum præfatorum Cardinalium, ſive in dicta Curia, ſive extra eam, & ubicumque decedere contigerit, quinquaginta eiſdem Magiſtris, ac pariter ſeptuagintaquinque ducatos præfatos Secretario, Clerico, & Computiſtæ præfatis ab hæredibus eorundem Cardinalium, quibuſvis appellationibus, ſubterfugiis, & cavillationibus remotis, ut præfertur, perſolvi curent, & etiam cum effectu faciant, ac ſummarium, & expeditum jus illis adminiſtrent, omnibuſque remediis opportunis ſibi beneviſis, etiam cum invocatione auxilii brachii ſecularis, cogant, & compellant.

*Contraria removet.*

§.5. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis præfatis Cardinalibus, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcũque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis enoribus ſpecialis, & expreſſa mentio habenda foret, eorum tenores præſentibus pro ſuffi-

cienter

cienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*…P. A. 14. …3. Jan.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 3. Jan. 1619. Pont. noſtri anno 14.

*Sequitur aſſignatio dd. Emolumentorum proveniendorum ex Creatione, & Obitu dd. S. R. E. Cardinalium.*

*PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*…ſa hujus …ſtit.*

LIcet, ſicut Nobis conſtat, dum in minoribus eſſemus, ſæpè vidimus, & ipſimet experti ſumus dilecti filii Magiſtri noſtri Cæremoniarum à ſingulis S.R.E. Cardinalibus in promotionibus eorum ad Cardinalatus honorem centum, & in obitu, ſeu poſt obitum ipſorum Cardinalium ab hæredibus eorum quinquaginta ducatos auri de Camera habere, & conſequi conſueverint, dictique centum in promotione, & quinquaginta ducati in obitu hujuſmodi præfatis Magiſtris ſolvi debeant. Nihilominus nonnulli ex dictis Cardinalibus, ſeu eorum agentes, & ſucceſſores, neſcitur quo prætextu, dictam ſummam per eos, ut præfertur, debitam, eiſdem Magiſtris ſolvere recuſant, in eorum grave præjudicium.

*…uit centũ …promotione …Card. & …inquag nta …cat. auri de …am. in obitu …gulor. Car…nalium Ce…m. Mag. …nno ſolvi.*

§. 1. Nos igitur attendentes, præfatos Cardinales officio dictorum magiſtrorum egere, & uti, dictamque ſummam à Romanis Pontificibus tanquam mercedem, ſeu pro mercede eorundem Magiſtrorum ab immemorabili tempore citra conſtitutam fuiſſe, & eſſe, & propterea indemnitatibus eorum opportunè conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, centum in promotione ad Cardinalatus honorem, & quinquaginta ducatos auri de Camera prædictos in obitu, ſeu poſt obitum ſingulorum Cardinalium hujuſmodi, ſive in Romana Curia, ſive extra eam, ubicumque deceſſerint, vel decedere contigerit, præfatis Magiſtris deberi, ac ſibi per modernos, qui illos ſolvere recuſant, & pro tempore exiſtentes S.R.E. Cardinales, ſeu eorum agentes, & hæredes reſpective ſolvi, & eis conſignari debere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, volumus, & ordinamus.

*Executores …ius conſt. …quat.*

§. 2. Mandantes propterea dilectis filiis Guidoni Aſcanio, ſanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali de Sancta Flora nuncupato, noſtro, & ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Collegii dictorum Cardinalium modernis, & pro tempore exiſtentibus Camerariis, quatenus eiſdem Magiſtris Cæremoniarum de dictis ducatis ſic debitis, & ſolvi recuſatis, per Cardinales, ſeu eorum agentes & hæredes præfatos reſpectivè, plenariè, & integre reſponderi faciant.

*…ndat ſolvi …i modo …tu Magiſt. …frà men…m. appellat. …bterfug. ce…que ca…llat remotis.*

§. 3. Et nihilominus de cetero pro potiori cautela, infra menſem à die promotionis eorundem Cardinalium computandum, per dicti Collegii Depoſitarium, vel aliàs, prout melius expedire videbitur, centum: quinquaginta verò ducatos hujuſmodi in obitu, ſeu poſt obitum præfatorum Cardinalium, ſive in dicta Curia, ſive extra eam, & ubicumque deceſſerint, vel decedere contigerit, ut præfertur, ab hæredibus eorum Cardinalium, quibuſvis applicationibus, ſubterfugiis, & cavillationibus remotis, ipſis Magiſtris Cæremoniarum perſolvi curent, & cum effectu faciant, & ad id illos omnibus remediis opportunis ſibi benè viſis, etiam cum invocatione auxilii brachii ſecularis cogant, & compellant.

*Contrariorum …ogatio.*

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis: privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis præfatis Cardinalibus, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio habenda foret, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 4. …ie 10. Maii.*

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 10. Maii 1563. Pontificatus noſtri anno quarto.



## CXIII. Declaratio Iuriſdictionis Ordinariorum in Fratres Congregationis Ioannis Dei, ac ſpecialis ipſius præfinitio.

*Iſtam Congregationem Ordinariorum juriſdictioni ſuppoſuerant Pius V. ut in ſua conſtit. Licet 143. ſup. tom. 2. & Clem. VIII. ut conſt. 44. Romani.*

Inſtitutionem verò hujus Congregationis habes ſup. in d. conſt. 143. Pii V. ubi tibi indicatæ ſunt Erectiones in Religionem tam Congregationis Italiæ, quàm Hiſpaniæ, necnon de eorundem Majoris electione, ac Privilegiorum conceſſione, ubi vide, ac pariter alia nonnulla ad conſt. 64. & conſt. 100. hujus Pont. hic ſup.

*PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1619.*

*Exordium.*

ROmanus Pontifex ex ſupremo diſpoſitionis arbitrio ad hoc potiſſimùm ſolicitudinis ſuæ nervos intendit, ut Religionum omnium, præſertim ad curam infirmorum, & miſerabilium perſonarum inſtitutarum indemnitati conſulat, exemptioneſque, & alias gratias illis intuitu charitatis, & laborum per Sedem Apoſtolicam conceſſas, à noxiis, & obſtaculis quibuſlibet præſervet, aliaſque officii ſui partes ſolerter impendat, ſtatuat, & declaret, prout rerum, temporum, & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Congreg Fratris Joan. Dei inſervien. Infirm. multum profecit, & ideo variis privil. à Sede Apoſt. donata fuit.*

§. 1. Dudum ſiquidem, cùm Congregatio Joannis Dei ſub Regula S. Auguſtini in Republica Chriſtiana introducta, & ſubinde Apoſtolica auctoritate recepta, atque admiſſa fuiſſet, & gratia cooperante divina, per varias Mundi partes multiplicatis illius Fratribus, mirabiliter propagaretur, & quamplurima Hoſpitalia, tam in Italia, quàm in Hiſpaniis, aliiſque partibus ex congeſtis Chriſti fidelium eleemoſynis conſtruerentur, in eiſque innumerabiles Chriſti pauperes utriuſque ſexus, videlicet ſenes, mente captos, membrorum, & virium impotentia, atque debilitate laborantes, aliaſque miſerabiles perſonas pro eorum morbis & infirmitatibus, etiam incurabilibus ſublevandis, refovendis, & ſanandis continuè reciperet: diverſi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri præfatæ Congregationi nonnulla privilegia, gratias, & indulta benigne conceſſerunt. Volentes tamen, quod Hoſpitalia, & alia loca, & Fratres in eis pro tempore degentes, ſub obedientia Ordinariorum locorum, in quibus Hoſpitalia, & loca hujuſmodi conſiſterent, perpetuò ſubeſſent, & ſubjacerent.

*Eamque univit cum diſtinctione Provinciarum.*

§. 2. Et cum plerique Fratrum dictæ Congregationis tria vota ſubſtantialia, & quartum de juvando Infirmos emitterent, Generalem tamen, ac Conſtitutiones, aut certum vivendi modum non haberent, fel. rec. Sixtus Papa Quintus etiam prædeceſſor noſter omnia Hoſpitalia Joannis Dei nuncupata, tam in Italia, quàm in ceteris quibuſvis Provinciis, etiam Tranſalpinis exiſtentia, invicem univit, & ex eis unam Congregationem Confratrum Joannis Dei nuncupan. erexit, Provinciaſque diſtinxit.

*Clem. VIII. juſſit emittere votum inſervien. Hoſpit. Hæc conſt. eſt ſupr. tom. 3. Rom. §. 3.*

§. 3. Subinde piæ mem. Clemens Papa VIII. etiam prædeceſſor noſter, inter alia perpetuò ſtatuit, & ordinavit, quod de cetero Fratres dictæ Congregationis unum dumtaxat inſerviendi prædictis Hoſpitalibus ſub obedientia Ordinarii votum emitterent.

*Hic Pont. d. Congr. ſuppoſuit Ord. juriſd. tum aliquibus O dic. Iſtam conſt. habes d. tom. Rom. & alia Pii V. Licet 143. ut ſup. tom. 2. §. 4.*

§. 4. Poſtremò Nos ad ſummi Apoſtolatus apicem divina favente clementia aſſumpti, etiam ſtatuimus, & ordinamus, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus in Hoſpitalibus, & locis Regnorum Hiſpaniarum, quæ proprium Confratrem eorum regimini, & adminiſtrationi, ſub juriſdictione tamen & viſitatione Ordinarii loci, Præfectum habere conſueverant, Fratres ejuſdem Congregationis anno eorum probationis elapſo, aut aliàs juxta Sacrorum Canonum, & decretorum Concilii Tridentini præſcriptum, tria vota antedicta, videlicet Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis, & inſuper quartum votum ſerviendi Infirmis in ſuorum Superiorum manibus ſolenniter omninò emittere tenerentur, & ſubinde

*eos, qui ſic profeſſi forent, propriè Religioſos*, ac proprios & veros Regulares eſſe, & fore, ac pro talibus ab univerſis Chriſti fidelibus habendos, & recipiendos, ac Congregationem hujuſmodi veram ac propriam ſub Regula S. Auguſtini Religionem, & *inter reliquas Eccleſiæ Catholicæ* Religiones eſſe connumerandam.

Præterea eiſdem Hoſpitalibus dictorum Regnorum, ut deinceps in eorum ſingulis duo Fratres manere, & *ali poſſent, qui confeſſiones* tam *infirmorum*, quàm aliorum Confratrum, & Miniſtrorum ejuſdem Congregationis audire, & injuncta pœnitentibus pœnitentia ſalutari, eos à peccatis ſuis abſolvere, illiſque Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis Sacramenta miniſtrare liberè, & licitè valerent conceſſimus, & indulſimus, ac omnia Hoſpitalia & loca dictorum Regnorum, illorumque perſonæ, & ſuperiores, etiam quod perſonæ Religioſæ eſſent, ac etiam dictum Confratrem Majorem, & quemcumque alium pro tempore exiſtentem juriſdictioni, ſuperioritati, & correctioni Ordinariorum locorum perpetuò ſubeſſe, dictoſque Ordinarios in loca, & perſonas hujuſmodi quoad cauſas civiles, & criminales, ac mixtas, & tam in viſitatione, quàm extra, plenam facultatem & auctoritatem perpetuis futuris temporibus habere, ac rationem omnium & ſingulorum bonorum, proprietatum, & rerum, tam mobilium, quàm immobilium, decimas, primitias, novalia, & alia onera quomodolibet nuncupata, ſolita, & conſueta, quibuſcumque locorum Ordinariis, Monaſteriis, Domibus, Capitulis, Hoſpitalibus, parochialium Eccleſiarum Rectoribus, aliiſque perſonis, & locis, quibus ea colligendi jus competit, ſolvere teneri, & ad id per opportuna juris remedia (niſi privilegio, vel legitima præſcriptione eatenus obſervata munirentur) cogi, & compelli, nec deinceps contra juriſdictionem, & ſuperioritatem Ordinariorum, vel ſolutionem decimarum, primitiarum, novalium, & aliorum onerum præmiſſorum ullo unquam tempore quantumvis longiſſimo præſcribere, aut præſcripſiſſe dici vel cenſeri, quinimò ſi quando in Hoſpitalibus, & locis ſupradictis hoſpitalitas deficeret, eoſdem Ordinarios illa, eorumque bona per Fratres hujuſmodi, aut alias perſonas etiam ſeculares adminiſtrare, ita quod Hiſpitalia, & loca præfata, eorumque bona nullatenus unquam dictæ Congregationi incorporarentur, committere, & mandare poſſe, ac etiam debere voluimus, & decrevimus. Volentes etiam, quod dum dictorum Hoſpitalium adminiſtratio ad Fratres dictæ Congregationis pertineret, ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis rationem Ordinario ad præſcriptum Concil. Trident. reddere tenerentur.

Poſtremò pariter ſtatuimus, & ordinavimus, ut quot quot in poſterum dictam Congregationem Italiæ nuncupatam, ingredi vellent, anno probationis expleto, ac aliàs juxta Sacr. Canonum, & decretorum Conc. Trid. præſcriptum, tria vota ſubſtantialia hujuſmodi, ac præterea quartum de juvandis Infirmis, in ſuorum Superiorum manibus ſolemniter emittere, vel à Congregatione præfata ejici deberent, eos verò ſic profeſſos proprios, & veros Regulares eſſe, ipſamque Congregationem, ac ejus tam in Italia quàm ſub juriſdictione Patris Majoris ejuſdem Congregationis in Germania, Gallia, & Polonia erecta, & de cetero erigenda Hoſpitalia, quæ ſub eadem Congregatione Italiæ comprehenduntur, juriſdictioni Ordinariorum, ſalva tamen ejuſdem Congregationis apud Nos, & præfatam Sedem Protectoris juxta illius facultates, ac Fratris Majoris pro tempore exiſtentium auctoritate, & juriſdictione, perpetuò ſubeſſe debere, ac alias prout in diverſis tam noſtris, quàm ſupradictorum Prædeceſſorum Noſtrorum deſuper confectis literis plenius continetur.

*Et quia d. Ordin. hujuſmodi juriſd. nimis extendebatur.*

§.5. Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli locorum Ordinarii, in quibus dicti Fratres introducti reperiuntur, prætextu obedientiæ, cui iidem Fratres, ac Hoſpitalia, tam Italiæ, quàm Hiſpaniæ Provinciarum hujuſmodi, ut præfertur, ſubjecta exiſtunt, latè nimis ſe extendentes, nedum circa regimen, & gubernium Hoſpitalium ipſis Fratribus commiſſorum, ac Sacramentorum Eccleſiaſticorum in eis adminiſtrationem, atque in eiſdem Hoſpitalibus receptorum, & expoſitorum rationis redditionem, ſeu receptionem, verùm etiam privatam *dictorum Fratrum correctionem, & diſciplinam Regularem*, omnemque in eos juriſdictionem exercere conſueverint, Superioreſque dictæ Congregationis, ac Presbyteros, ſeu Capellanos, qui dictis Hoſpitalibus in divinis *inſerviant*, eligere, ac Medicos, Chirurgos, & alios Miniſtros, ac Officiales gubernio, & regimini ipſorum Hoſpitalium neceſſarios deputare, novitioſque recipere, ac generaliter omnia, & ſingula quæ ad Regularem *diſciplinam*, ac correctionem dictorum Fratrum ſpectant, quæque juxta Regularia inſtituta dictæ Congregationis à præfata Sede approbata, per Superiores ejuſdem Congregationis peragi debent, facere, & exequi intendant, ipſorumque Fratrum quietem circa præmiſſa diverſimode perturbent, ob idque Superiorum d. Congregationis auctoritas, ac illius Regularis inſtituti obſervantia evaneſcat, dictaque Hoſpitalia, ac Fratres in illis degentes in ſpiritualibus & temporalibus non levia ſuſtineat incommoda, ob idque operæ pretium ſit, ut tot tantiſque incommodis aliquo opportuno, & ſalubri remedio provideatur.

*Illam mod. terminat & declarat.*

§.6. Nos igitur cupientes, ut omnis difficultatis, & ambiguitatis materia, quæ deſuper oriri poſſet, prorſus tollatur, ac Congregationis hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon ſingularum literarum Apoſtolicarum tam à præfatis, quàm quibuſvis aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & Nobis ad favorem ejuſdem Congregationis emanatarum, necnon quorumcumque privilegiorum, & indultorum illi per Sedem prædictam quomodolibet conceſſorum veriores, & totos tenores, ac dat. præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, Motu proprio, non ad ipſius Congregationis, vel ejus Superiorum, aut alicujus alterius pro eis Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, ac ſcientia noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex Voto tamen Congregationis S.R.E. Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum, quibus negotium hujuſmodi maturè diſcutien. & referen. commiſimus, Congregationem Joannis Dei hujuſmodi, ac omnes, & ſingulos ipſius Congregationis domos, Superiores, etiam Majorem, ac Fratres, & perſonas, ac miniſtrantes, tam in Italia, quàm Hiſpaniis, aliiſque Mundi partibus conſiſtentes, & tam hactenus fundatas, quam de cetero fundan. in his dumtaxat, quæ regularia inſtituta juxta Conſtitutiones d. Congregationis Joannis Dei à Sede Apoſtolica approbatas, & confirmatas concernunt, à ſuperioritate, viſitatione, correctione, ac etiam obedientia Ordinariorum locorum, itaut Religioſis Congregationis Joannis Dei hujuſmodi Regularibus inſtitutis ſuis ſe conformare debeant, ſalvis in reliquis, tam Sacr. Canonum, & Conc. Trid. decretis, quàm Noſtris, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum literis in favorem Ordinariorum emanatis, quibus nullatenus derogare, quinimò eas in ſuo robore, & firmitate permanere intendimus, penitus, & omnino Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò eximimus, abſolvimus, & liberamus, ac eos in præmiſſis dumtaxat ab omnimoda Ordinariorum locorum juriſdictione perpetuò exemptos fore, & eſſe declaramus, ipſiſque Ordinariis & eorum cuilibet, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, ne deinceps in his, quæ obſervantiam, diſciplinam, & inſtituta regularia Congreg. Joannis Dei hujuſmodi, ut præfertur, concernunt, præterquàm in caſibus in ſacris Canonibus, & Conc. Trid. & literis Apoſt. præfatis quomodolibet contentis, ſe immiſcere, aut intromittere valeant, ſeu præſumant, diſtrictè præcipimus, & inhibemus.

*Clauſula præſervativa appoſita.*

§.7. Decernentes præſentes literas, etiam ex eo, quod Ordinarii locorum, ſeu quicumque alii quavis auctoritate, officio, ac etiam Cardinalatus honore fungentes, ac in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & cauſæ propter quas præmiſſa emanarunt, quomodolibet examinatæ, juſtificatæ, vel approbatæ non fuerint, nec præmiſſis conſen

conſenſerint, validas, & efficaces fore, ſicque, & non aliter cenſeri, & ita per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*...ecutores ...jus conſt. ...putat.*

§.8. Quocirca Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Hoſtienſi, & dilectis filiis noſtro, & Sedis Apoſtolicæ Nuntio in partibus Hiſpaniarum commorantibus, ac Curiæ cauſarum Cam. Apoſt. generali Auditori motu pari per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium ſeu alios præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Majoris, & Superiorum, ac Fratrum Congregationis Joannis Dei hujuſmodi, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra literas præfatas, & in eis contenta quæcumque hujuſmodi inviolabiliter obſervari, ac Fratres Congregationis Joannis Dei hujuſmodi illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per Ordinarios locorum, ſeu quoſvis alios contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, aut inquietari. Contradictores quoſlibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & pœnas etiam pecuniarias, aliaque juris & facti remedia auctoritate noſtra prædicta, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, auxiliumque brachii ſæcularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocando.

*...ntrariis ...ntibus de-...gat.*

§.9 Non obſtantibus præmiſſis, ac ſingulis literis præfatis, necnon fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodò non ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium trahatur, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Congregationis Joannis Dei, & Ordinis S. Auguſtini hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictæ Congregationi Joannis Dei, illiuſque ſuperioribus, & perſonis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu ſimili, ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & contrariis quibuſcumque, aut ſi dictis Ordinariis, ſeu quibuſvis aliis communiter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*...anſumptis ...lem dari ...bet.*

§.10. Cæterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus opus fuerit, deferri, volumus, ac etiam præfata Apoſtolica auctoritate decernimus, quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D.P. An. 12. ...e 16. Mart.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 16. Martii 1619. Pontificatus noſtri Anno decimoquarto.

---

## CXIV. De ambitu Fratribus Minoribus de Obſervantia Ordinis S. Franciſci, eorumque Superioribus interdicto.

Similem prohibitionem fecit hic idem Pont. Fratribus Conventualibus S. Franciſci, ut infrà in ejus conſtit. 116. Admonemur, & de tota Religione Franciſcana notavi ſuprà ad conſt. 5. Honor. III. tom. 1.

*Edita An. D. 1616.*

*P A V L V S P A P A V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ADmonemur Paſtoralis officii noſtri debito diligentius proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi, ſæculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus.

*Prohibitio ambitus, de quo in rubr.*

§.1. Quocirca motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dilectis filiis Miniſtro Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Prælatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam laïcarum, quàm Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis prædicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, Officia & adminiſtrationes, functiones, & prælaturas ejuſdem Ordinis concedere audeant: quinimò dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his mediis per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad alia, & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus. Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, ut non ſolùm in præmiſſis omnibus favores hujuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant.

*Contrariorum derogatio.*

§.2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Tranſumptorum fides.*

§.3. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*D.P. An. 14. die 18. Apr.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Aprilis 1619. Pontificatus noſtri Anno decimoquarto.

---

## CXV. Jubilæi indictio ad divinam opem in præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus implorandam.

*Non diſſimilem habes ſup. in hujuſmet Pont. conſtitut. 104. Ecce, ubi notavi, aliamque in exordio ſui Pont. hic ſup. Quod in omni, ut ab omnibus Pontificibus ſolet fieri pro divina ope initio Pontificatus imploranda, quam et ain fecit Gregor. XV. ut conſtitut. 2. Spiritus, & SS. D. N. Urbanus VIII. ſub forma Orationis 40. Horarum, ut conſt. 7. Æternus, ubi pariter alia tibi indicabo.*

*Edita An. D. 1619.*

*P A V L V S E P I S C O P V S,*
*Servus ſervorum Dei.*

*Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

*Exordium.*

DOminus ac Deus noſter excelſus, qui in omnibus operibus ſuis juſtus eſt, & miſericors, juſto licèt ju-

dicio viſitet in virga iniquitates noſtras,& in verberibus peccata noſtra, miſericordiam tamen ſuam non amovet à nobis: Temporalia enim emittens flagella, immenſa benignitate,& charitate ſua revocat nos ab iniquitatibus noſtris,ut ad pœnitentiam adducamur.

*Cauſa Indictionis hujus Iubilæi.*

§.1. Id verò Nos cogitantes, ſicut pro noſtra paſtorali cura maximo cordis dolore afficimur cernentes tantis,ac tam gravibus procellis interdum,ac præcipuè hoc tempore in inclyta Germania,& vicinis Provinciis agitari Eccleſiam Dei,ita etiam ſperamus in Domino, quòd ſi eum preſſuris nos in vias ſuas revocantem audierimus, dignos fructus agentes pœnitentiæ, de tribulationum procellis populum ſuum educet, & tranquillitatem Eccleſiæ ſuæ reſtituet. Hoc verò ut impetrare valeamus, in corde contrito, & humiliato orationibus ad Deum adeamus; ſcriptum eſt enim; Orabitis me,& ego exaudiam vos, quæretis me,& invenietis, cum quæſieritis in toto corde veſtro. Nec deſint orationi jejunia,eleemoſynæ,& alia pia opera, memores Danielis, cujus verba, ex quo die appoſuit cor ſuum, ut ſe affligeret in conſpectu Dei,exaudita fuerunt.Nam quod attinet ad eleemoſynas, eas peccata purgare, ac facere, ut inveniatur miſericordia,ſatis etiam divinis eloquiis admonemur.Quocirca ut quantum cum Domino poſſumus,fideles ad hæc alacrius peragenda invitemus, pro noſtro paſtoralis officii munere,ex ſolemni Eccleſiæ Catholicæ more, ejuſdem Eccleſiæ theſauros,quorum,licet nullis noſtris meritis, à Domino diſpenſatores conſtituti ſumus, proferre, & largiſſimè erogare decrevimus.

*Hortatur ad aſſecutionem hujus Iubilæi.*

§.2. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles,tam in Alma Urbe noſtra,quàm alibi ubique locorum conſtitutos, Apoſtolica auctoritate paternè, enixéque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infraſcripta devotè peragendum, & adimplendum,ac ad Deum patrem miſericordiarum orandum, ut per viſcera miſericordiæ ſuæ fidem Catholicam protegere,ab hoſtium conatibus,& inſidiis defendere, hæreſim extirpare, Principibus Chriſtianis pacem, & veram concordiam donare, ac præcipuè præſentibus Eccleſiæ neceſſitatibus ſubvenire dignetur.

*Iubilæum prædictum concedit iis qui interfuerint Proceſſionibus hic enumeratis, ac fecerint alia, ut hic.*

§.3. Quamobrem de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Nobis Dominus, meritis minimè ſuffragantibus, contulit, Univerſis,& ſingulis Chriſti fidelibus in Alma Urbe prædicta degentibus, qui ſolemnibus proceſſionibus, quas ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupata ad Baſilicam Sanctæ Mariæ majoris, & ab Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Anima pariter nuncupatam, feria quarta, & ſexta Nos ſequenti hebdomada unà cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Chriſtianorumque Regum, & Principum apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Oratoribus, omnibuſque Prælatis & Proceribus,univerſoque Clero,& Populo agemus,interfuerint, aut qui prædicta, vel illam ſequenti hebdomada eaſdem Eccleſias,vel duas illarum ſaltem ſemel viſitaverint, ibique devotè, ut ſupra, Deum oraverint, ac feria quarta, & ſexta, ac Sabbato ejuſdem, vel ſequentis hebdomadæ jejunaverint,& peccata ſua confeſſi fuerint, atque in primo die Dominico, vel ſecundo, ſeu altero alio dictarum hebdomadarum die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reverenter ſuſceperint, & eleemoſynas ad libitum, prout charitas ſingulis ſuggeſſerit, fecerint.

*Abſentibus formam conſequendi præſcribit.*

§.4. Cæteris verò omnibus, & ſingulis fidelibus extra Urbem exiſtentibus, in quibuſvis Civitatibus,Terris, & locis,qui proceſſioni ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, ſeu Officialibus, vel eorum mandato, & ipſis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, prima, vel ſecunda hebdomada, poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ literæ devenerint, indicendæ, & agendæ interfuerint, vel Eccleſiam,ſeu Eccleſias per eoſdem deſignandas ſaltem ſemel viſitaverint, ibique ut ſuprà, Deum oraverint,ac feria quarta,ſexta,& ſabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eiſdem deputandis jejunaverint, pariterque peccata ſua confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, & eleemoſynas ſimiliter pro arbitrio ſuo fecerint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in Anno Jubilæi viſitantibus certas Eccleſias intra,& extra Urbem concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus, & elargimur.

*Eamque ad Navigantes extendit.*

§.5. Navigantes verò, aut iter agentes, ut cum primùm ad ſua ſeſe domicilia receperint, ſupraſcriptis omnibus peractis, ut ſuprà,eandem Indulgentiam conſequi poſſint, & valeant.

*Necnon ad regulares, Infirmos, Carceratos, & ſimil. ut hic.*

§.6. Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus, in clauſtris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuſcumque tam Laïcis, quàm Religioſis ſæcularibus, ſeu regularibus in carcere,aut in captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut confeſſarius, quem ut infra elegerint, prædicta omnia, & ſingula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere,quæ ipſi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

*Facultatem eligendi Confeſſarium approbatum cum poteſtate abſolvendi à Caſibus reſervatis, ut etiam eligatur. De Confeſſariorũ approb. vide Conc. Trid. ſeſſ. ... c. 15. & ... 133. ... ſup. tom. ... cum ... tu.*

§.7. Cupientes autem, omnes Chriſti fideles participes fieri hujus pretioſiſſimi theſauri,Univerſis & ſingulis utriuſque ſexus tam laïcis, quàm Eccleſiaſticis ſæcularibus, & regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti licentiam concedimus, & facultatem damus,ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium tam ſæcularem,quam cujuſvis Ordinis regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à jure, vel ab homine quavis cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis,exceſſibus,criminibus,& delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis,ſive Nobis,& Sedi Apoſtolicæ etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & aliàs per quaſcumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodocumque reſervatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantum abſolvere, & liberare valeant.

*Et commutandi Vota, Religionis & Caſtitatis exceptis.*

§.8. Et inſuper vota quæcumque, Religionis, & Caſtitatis exceptis,in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis.

*Iuſſio hoc Iubilæi publicandi.*

§.9. Quapropter tenore præſentium in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuſcumque Veneralibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque Ordinariis locorum,eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum præſentium literarum tranſumpta, aut exempla acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias,& Diœceſes,Provincias,Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, & Clericis,ac Populis ſibi ſubjectis ſolemnes proceſſiones, & ſupplicationes indicant,& celebrent,Eccleſiamque ſeu Eccleſias viſitandas deſignent.

*Declaratio facultatum circa aliquos caſus.*

§.10. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquo modo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ.

*Denunciati quo Iubilæi ... aſſequi poſſe.*

§.11. Neque etiam iis, qui à Nobis, & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato,ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeu aliàs in ſententias,& cenſuras incidiſſe declarati,vel publicè denunciati fuerint, niſi infra tempus celebrationis hujuſmodi Jubilæi ſatisfecerint,aut cum partibus concordaverint,ullo modo ſuffragari poſſe,aut debere.

*Clauſulas derogatorias ponit.*

§.12. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolvendi in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur,ut nec etiam ſimiles,

vel

vel difficiles Jubilæi Indulgentiarum, ac facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, necnon regula noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum ſive Inſtitutorum regularium juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, & Congregationibus atque Inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut expreſſio habenda, vel quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac formam eorum traditam pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter, & nominatim, & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 13. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem præſentium tranſumptis, vel exemplis etiam impreſſis, manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis literis ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1619. Idibus Januarii, Pontificatus noſtri anno quartodecimo.

---

## CXVI. De ambitu Fratribus Minoribus Conventualibus Ordinis Sancti Franciſci, eorumque Superioribus interdicto.

*Similem prohibitionem fecit hic idem Paulus Fratribus de Obſervantia ſancti Franciſci, ut in ejus conſtitut. 114. Admonemur, hic ſuprà. Conſtitutiones Urbanas horum Conventualium noviter in Capitulo generali compilatas approbavit S.D.N. Urbanus VIII. ut inf. conſtit. 88. Militantis, & de tota Religione Franciſcana habes ſup. ad conſt. 5. Honor. Tertii, tom. 1.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Admonemur Paſtoralis officii noſtri debito diligentius proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſæculo renuntiarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus.

§. 1. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dilectis filiis Miniſtro Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci Prælatis nunc, & pro tempore exiſtentibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam laïcarum, quàm Eccleſiaſticarum extra d. Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & imperiali fulgentium, cuivis d. Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, & Prælaturas ejuſdem Ordinis concedere audeant.

Quinimò d. Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his mediis per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia, & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus.

§. 2. Inſuper dd. Religioſis, & Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, ut non ſolùm in præmiſſis omnibus favores hujuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſpontè oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant.

§. 3. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis Statutis, & Conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis. Aut ſi eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. 4. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Septembris 1619. Pontificatus Noſtri anno decimoquinto.

---

## CXVII. Contra Superiores Ordinis Fratrum Minimorum S. Franciſci de Paula, qui favores extra ſuum Ordinem attendentes, officia, dignitates, ac gratias concedunt, & contra Fratres dictos favores conquirentes.

*Congregationis iſtorum Fratrum approbationem fecit Sixtus IV. ut ſup. in conſtitut. 5. Sedes, tom 1. Regulam verò ipſorum confirmavit Iulius II. ut conſtitut. 10. Dudum in, ubi ſupra. Tranſitumque ad Capuccinos, & è contra prohibuit Pius V. in conſtitut. 45. Sedis, tom. 2. Qui etiam poſtea dictum Ordinem inter Mendicantium Ordines connumeravit in conſtitutione 49. Apoſtolicæ. Et poſtea Capitulum generale quolibet ſexennio celebrare, Officialiumque durationis tempus ſtatuit iſtemet Paulus in conſtitutione 6. Cum ſicut, tom. 3.*

Hunc verò Franciſcum de Paula inter Sanctorum numerum habemus fuiſſe relatum à Leone Decimo, ut ſuprà in ejus Conſt. 38. Excelſus, tom. 1. Ejuſque feſtum deinde ſub duplicis Officii ritu quotannis celebrari juſſit Sixtus Quintus, ut in ejuſdem conſt. 8. In Cœli, tom. 1.

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Admonemur paſtoralis officii noſtri debito diligentius proſpicere, ne Religioſis, qui Regularem vitam profeſſi ſæculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per mendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus.

§. 1. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dilectis filiis Correctori generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordinis Fratrum Sancti Franciſci de Paula Minimorum nuncupatorum Prælatis nunc, & pro tempore exiſtentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque perſonarum, tam laïcarum, quàm Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis dicti Ordinis Religioſo ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, officia, adminiſtrationes, functiones, & Prælaturas ejuſdem Ordinis concedere audeant, quinimò dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his mediis per conquiſitos favores, & ſuffragia aliquid ſibi procuraverint, ad talia, & ſimilia, ac etiam majora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus.

claramus. Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus ejuſdem Ordinis quibuſcumque ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, ut non ſolùm in præmiſſis omnibus favores hujuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant.

*Abrogatio Contrariorum.* §. 2. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*Fides tranſumptorum.* §. 3. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. 15. 6. Septembr.* Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 6. Septembris 1617. Pontificatus noſtri anno decimoquinto.

---

## CXVIII. Beatificatio Thomæ à Villanova, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Profeſſoris, & Archiepiſcopi Valentini, cum Officio, & Miſſa de communi Confeſſoris Pontificis.

*Hujus B. Thomæ feſti celebrationem ampliavit Gregor. XV. ut infrà in ejus conſtit. 5. Alias à fel. record.*

*Edita An. D. 1619.*

*PAULUS PAPA V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* IN ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licet inſufficientibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea, per quæ ſervorum Chriſti honor, & veneratio in terris promoveatur, juxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, libenter intendimus, & piis Chriſti fidelium, præſertim Catholicorum Regum id exoptan. votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Ad preces Ordinis Eremit. S. Auguſt. & Regis Cathol.* §. 1. Alias ſiquidem nomine dilectorum filiorum Prioris generalis, & aliorum Superiorum, necnon Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Nobis expoſito, quod bonæ memoriæ Thomas à Villanova, ejuſdem Ordinis dum vixit profeſſor, ac Archiepiſcopus Valentin. multis & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuerat, & proptęrea non ſolùm univerſus Ordo prædictus, ſed etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus, ac Venerabilis Frater Iſidorus Archiepiſcopus Valentinus, necnon dilecti filii Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Valentinæ, ac Deputati, Electi, & Sindici Regni, & Civitatis Valentiæ Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut donec Canonizationis honor dicto Thomæ à Villanova ab Apoſtolica Sede haberetur, idem Thomas à Villanova Beatus vocari, & de eodem Officium, & Miſſa, ut infra recitari poſſet.

*Hic Pontifex concedit Thomam de Villanova Beatum nuncupari, & 18. Sept. à d. Ordine Officium recitari, & Miſſam celebrari.* §. 2. Nos, re priùs per Venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandaveramus, maturè diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bonæ memoriæ Thomas à Villanova in poſterum Beatus nuncupari, atque ſingulis annis die 18. Septembris in toto Regno Valentiæ à Religioſis ejuſdem Ordinis S. Auguſtini, tam fratribus, quàm monialibus, & in dicta Civit. Valentin. ubi ejus corpus requieſcere aſſerebatur, & diœceſi Valentina, cujus per undecim annos Archiepiſcopus fuit, ut præfertur, ab omnibus utriuſque ſexus regularibus perſonis, ac etiam presbyteris, & clericis ſæcularibus, de eo tanquam de Beato, juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani de communi Confeſſoris Pontificis Officium recitari, & Miſſa celebrari reſpectivè poſſet, Apoſtolica auctoritate perpetuò conceſſimus, & indulſimus, prout in aliis noſtris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

§. 3. Cùm autem, ſicut pro parte Prioris gen. ac Superiorum, & Fratrum prædictorum denuò Nobis nuper expoſitum fuit, tam dictus Philippus Rex, quàm Ordo prædictus, necnon dicti deputati, Electi, & Sindici conceſſionem & indultum prædicta ad univerſum Ordinem S. Auguſtini hujuſmodi, ac etiam ad Oppidum Villænovæ de los Infantes nuncupat. Toletan. diœceſis, unde dictus Thomas oriundus eſſe aſſeritur, per nos auctoritate Apoſtolica extendi ſummoperè deſiderent. *Et ad eorumdem preces.*

§. 4. Nos ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc iterum porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum conſilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus ab omnibus utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis S. Auguſt. religioſis in Hiſpania, nempe in Regnis Caſtellæ, Aragoniæ, & Cathaloniæ commorantibus, necnon in Oppido de Villanova de los Infantes prædicto, ubi dictus Thomas natus, & educatus eſſe aſſeritur, ab omnibus etiam utriuſque ſexus regularibus, ac etiam presbyteris, & clericis ſæcularibus Officium, & Miſſa de eodem Thoma à Villanova, ſervata aliàs in omnibus, & per omnia literarum prædictarum forma, & tenore, recitari, & celebrari reſpectivè liberè, & licitè poſſit, & valeat, auctoritate prædicta tenore præſentium concedimus, & indulgemus. *Conceſſ. ſtam ampliat.*

§. 5. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem literis noſtris volumus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogat.*

§. 6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. *Concedit tranſumptis credi mandat.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 24. Septembris 1619. Pontificatus noſtri Anno decimoquinto. *D. P. An. die 24. Sep.*

---

## CXIX. Beatificatio Franciſci Xaverii, Sacerdotis Societatis Jeſu, cum facultate recitandi Officium, ac celebrandi Miſſam de communi Confeſſoris non Pontificis, quotannis die 2. Decembris.

*Iſtum Beatum Franciſcum unà cum Beatis Ignatio Loiola, d. Societatis Fundatore, Iſidoro Agricola Hiſpano, Thereſia Virgine, fratrum, monialiumque Carmelitarum Diſcalceatorum Fundatrice, Philippo Nerio, Congregationis Oratorii ſimiliter Fundatore, in Sanctorum numerum fuiſſe relatos ſcito à Gregor. XV. die 12. Menſis Martii, anni 1622. Attamen Bullas hujuſmodi Canonizationum non omnes habere potui, eas verò, quas habui, poſui, videlicet D. Thereſiæ, quam expedivit d. Gregorius XV. ut inf. in ejus conſt. 20. Omnipotens. SS. Ignatii Loiolæ, & Philippi Nerii, ob mortem d. Gregor. expedivit deſuper literas S. D. N. Urb. VIII. ut in conſtitut. 2. Rationi, & conſtit. 3. Rationi. Alias verò duas S. Iſidori, & hujus Sancti Franciſci non adhuc habere potui.*

De Societate Jeſu vide uberrimè notata ad conſtitut. 25. Pauli III. Regimini, ſuprà tom. 1.

*PAULUS PAPA V.* *Edita An. D. 1619.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* IN Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, piis fidelium

[illegible], quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.

§.1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis, ac Presbyterorum Societatis Jesu Nobis nuper expoſitum fuit, quod bonæ memoriæ Franciſcus Xaverius ejuſdem Societatis, dum vixit presbyter, multis, & eximiis virtutum, gratiarum, & miraculorum donis à Domino illuſtratus fuit. Quare [illegible] Præpoſitus & Presbyteri prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut donec Canonizationis honorem, quem dicto Franciſco Xaverio, ob ejus excellentia merita aliquando divina adſpirante gratia, [illegible] iri ſperant, ab Apoſt. Sede impetrent, idem Franciſcus Xaverius Beatus vocari, ac de eodem Officium, & Miſſa, ut infra recitari, & celebrari reſpectivè poſſit.

§.2. Quare Nos, re priùs per Venerabiles Fratres noſtros S.R.E. Cardinales Sacris Ritibus præpoſitos, quibus eam examinandam mandavimus, maturè diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ipſe bonæ memoriæ Franciſcus Xaverius in poſterum Beatus nuncupari, atque de eo die ſecunda Decembris, qua obdormivit in Domino, ab omnibus Religioſis dictæ Societatis ubique terrarum exiſtentibus in eorum Eccleſiis, necnon in omnibus Regnis Indiæ Orientalis, in quibus per undecim continuos annos Chriſtianam Religionem diſſeminavit, ac longè, latéque propagavit. Item & in Oppido Xavier nuncupato, Pampilonen. diœc. unde ipſe Franciſcus Xaverius oriundus eſſe aſſeritur, ab omnibus utriuſque ſexus regularibus, ac etiam presbyteris, & clericis ſæcularibus juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani de communi Confeſſ. non Pontif. Officium recitari, & Miſſa celebrari reſpectivè liberè, & licitè valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus.

§.3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.4. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 15. Octobris 1619. Pontificatus Noſtri anno decimoquinto.

---

CXX. Confirmatio Conſtitutionum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini Congregationis Diſcalceatorum Italiæ.

*Tenorem Conſtitutionum hujuſmodi ſedulò non pono, quia meum non eſt Religionum Conſtitutiones, & Statuta compilare, niſi fortè eſſet aliquid peculiare.*

Iſtam Congregationem approbaſſe Clementem VIII. vide ſup. tom.3. conſtit.63. Decet, habitumque determinaſſe, tranſitumque declaraſſe ad aliam Religionem, vide ibidem conſt.3. Paſtoralis. Et tandem ſcias, in d. Congregatione Provincias inſtituiſſe S. D. N. Urbanum Octavum, ut inf. in ejus conſt.58. Ad uberes, ubi alia notabo.

*P A V L V S P A P A V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

SAcri Apoſtolatus miniſterio per abundantiam Divinæ gratiæ, nullo licet merito noſtro, præpoſiti, ad ea, per quæ Chriſti fidelium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo, & in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium felici, proſperæque directioni conſulitur, libenter intendimus, & iis, quæ propterea facta fuiſſe dicuntur, ut ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter obſerventur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque pro felici [illegible] dilectorum filiorum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini Congregationis Diſcalceatorum Italiæ regimine nonnullæ conſtitutiones editæ, & illæ juſſu noſtro recognitæ, & examinatæ, ac in unum volumen compilatæ ſint, tenoris ſequentis, videlicet. *Iſti fratres nonnullas conſtitutiones & ordinationes condiderunt, quarum approbationem modò petunt ab iſto Pont.*

*Omittitur tenor ipſarum Conſtitutionum, quas in unoquoque Cænobio ipſorum Patrum videre poteris.*

NOs inviolabili earumdem conſtitutionum obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, conſtitutiones præfatas, omniaque, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, ac inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quàm facti, & quoſvis alios defectus, ſi qui in præmiſſis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, ſupplemus. *Qui eas approbat & confirmat ſupplendo omnes defectus, ſi qui ſunt.*

§.3. Decernentes, modernos, & pro tempore exiſtentes dictæ Congregationis Fratres ad plenariam earumdem conſtitutionum obſervationem, prout illæ eos concernunt, teneri, & obligatos eſſe, & fore, ac ad id etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis in conſtitutionibus prædictis contentis pœnis cogi, & compelli poſſe. *Illaſque omnino ſervari decernit.*

§.4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Et ita, & non aliter judicari mandat.*

§.5. Non obſtantibus felic. recordat. Julii Secundi, ſub data die 24. Septembris 1508. ac Leonis X. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ſub data 10. Julii 1533. ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogat.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 5. Maii 1620. Pontificatus noſtri Anno decimoquinto. *D. P. An. 15. die 5. Maii.*

---

Inſtitutio Collegii S. Antonii de Padua in Inſula Melivitana, & Domo regulari Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Franciſci, pro Studentibus ejuſdem Ordinis. CXXI.

*Aliud pro ſtudentibus ejuſdem Ordinis nuper erexit Gregorius XV. in Civitate Praga, ut hic infra in ſua conſtitut.21. In ſupereminenti. Et de tota Religione Franciſcana notavi ſuprà ad conſtitut.5. Honor. III. tom.1.*

*P A V L V S P A P A V.* *Edita An. D. 1620.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

IN ſupereminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, meritis licèt imparibus, diſponente Domino conſtituti, & intra mentis noſtræ Arcana revolventes, quantum ex literarum ſtudiis Catholica fides augeatur, divini nominis *Exordium.*

nis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, ac Juſtitia colatur, ad ea, per quæ literarum ſtudia hujuſmodi ubilibet excitentur, libenter intendimus, & in his ſollicitudinis noſtræ partes propenſius impartimur, prout locorum qualitate penſata conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. —

*Collegium ſtudii Philoſophiæ, & Theologiæ, ad petitionem Ordinis FF. Conventualium & Hoſpitalis S. Joãnnis Hieroſolymitani, pro d. Ordinis profeſſoribus, & in domo regulari ipſius, & Inſulæ Melivitanæ ſub invocatione S. Antonii de Padua ejuſdem Ordinis profeſſoris inſtituit, ad inſtar Collegii in Urbe à Sixt. V. in domo regulari ejuſdem Ord inſtituti. Hanc Sixti inſtitutionem habes hic ſup.*

§. 1. Cum itaque, ſicut dilectus filius Miniſter generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, in domo regulari ejuſdem Ordinis in Inſula Melivitana quamplures d. domus Fratres uberes in vinea Domini fructus producere noſcantur, ac in eadem domo cum ob Inſulæ hujuſmodi celebritatem, manſionemque ſatis perſpicuam, tum propter Turcarum, & Infidelium vicinitatem, unius Collegii ſtudii pro ejuſdem Ordinis in prædicta domo profeſſoribus, qui litteris, & præſertim Sacræ Theologiæ operam navent, erectio, & inſtitutio perutilis futura ſit: Nobis propterea tam Miniſter prædictus, quàm dilectus filius Alophius de Vvignacourt, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magnus Magiſter humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus Collegium hujuſmodi cum facultate aliquot Profeſſores ejuſdem Ordinis idoneos, gradu Magiſterii in Sacra Theologia decorandi, & alias ut infra erigere, & inſtituere, ac deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. 2. Nos piis, & laudabilibus Miniſtri, ac Alophii Magni Magiſtri prædictorum votis quantum cum Domino poſſumus, annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, necnon Militantis Eccleſiæ exaltationem, Divinique cultus, & Orthodoxæ fidei augmentum, ac Religioſorum prædictorum commoditatem, atque profectum in prædicta domo unum Collegium ſub invocatione Sancti Antonii de Padua, ejuſdem Ordinis Minorum Conventualium profeſſorum, ad inſtar Collegii S. Bonaventuræ per fel. rec. Sixtum Papam Quintum prædeceſſorem noſtrum in domo regulari Sanctorum Duodecim Apoſtolorum de Urbe ejuſdem Ordinis, ſub Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Kal. Januarii, Pontificatus ſui anno tertio erecti, & inſtituti: ita tamen, ut ſex dumtaxat primodictæ domus Religioſi à prædicto Miniſtro generali eligendi, ad Magiſterii hujuſmodi gradum, niſi poſtquam per debitum tempus Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ in Collegio per præſentes erecto operam dederint, & prævio rigoroſo examine ad id idonei reperti fuerint, ac aliquo diſputationum publicarum ſolemni actu, reliquiſque muniis ſolitis, & ex inſtituto d. Ordinis adimpletis, ſervatiſque aliis ſervandis, & non aliàs, ad Magiſterii in eadem Sacra Theologia gradum promoveri valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Clauſulas hujus inſtitutionis tranſcriptas ſubjicit.*

§. 3. Decernentes præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariiſque derogat.*

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D. P. An. 16. die 10 Julii.*

Datum Romæ apud S. Mariam majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Julii 1520. Pontificatus noſtri anno decimoſexto.

## GREGORIUS XV. PONT. CCXXXVIII.
### Anno Domini MDCXXI.



Gregorius Decimus quintus, Bononienſis, Alexander antea dictus, Pompeii de Ludoviſiis filius, presbyter Card. Tit. S. Mariæ in Tranſpontina, & Archiepiſcopus Bononienſis, creatus die 8. Februarii, & die 14. Coronatus, anno Domini 1621. Vixit annos duos, menſes quinque, diem unum. Creavit Cardinales undecim. Obiit Romæ die Sabbati 8. Julii 1623. corpus in Vaticana Baſilica principis Apoſtolorum temporario in tumulo repoſitum. Vacavit Sedes dies 21.

---

### Privilegia, & indulta pro Conclaviſtis, qui interfuerunt Conclavi, in quo iſte Pontifex electus fuit.

*Similia privilegia etiam conceſſerunt Conclaviſtis illius temporis Clem. VIII. ut in conſt. 16. Æquitati, ſuprà tom. 3. Et Paulus V. conſt. 3. Rom. ubi ſup. & noviſſimè S.D.N. Urb. VIII. ut conſt. 1. Circumſpecta, hic inf.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad futuram rei memoriam.* *Edita An. 1621.*

ROMANUS Pontifex ex ſua circumſpecta providentia eas conſuevit perſonas condignis præcipuè complecti favoribus & gratiis, quas ſibi, & Apoſt. Sedi devotas & obſequioſas, ac plurimis cognoſcit meritis adjuvari. *Exordium.*

*Cauſa huj. Conſt.*

§. 1. Hinc eſt, quod nos dilectos filios Conclaviſtas, qui in Conclavi, in quo divina favente clementia, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, Nobis & Fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus uti familiares, & continui commenſales inſerviendo interfuerunt, quique ea de cauſa labores, vigilias, & incommoda plura ſubierunt, habita ratione obſequiorum, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuſcumque meritis exornare volentes.

*Abſolutio Cenſurarum donatio millium ... rum ... rum ... claviſtis.*

§. 2. Ipſoſque Conclaviſtas, & quemlibet eorum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, etiamſi in illis per annum continuum inſorduerint, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes,

&

& abſolutos fore cenſentes,Motu proprio, non ad ipſorum Conclaviſtarum,ſeu alicujus eorum,vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam,ſed ex noſtra mera liberalitate Conclaviſtis prædictis ſcuta decem millia auri in abro ſtamparum, per tres ex prædictis Cardinalibus ſingularim in quolibet ordine antiquiores inter ipſos Conclaviſtas,& per capita ſingulorum Conclaviſtarum, non autem per ſingulas cellulas æquis portionibus diſtribuenda, gratioſè, & irrevocabiliter Apoſtolica auctoritate tenore præſentium donamus.

*...eantur Nobiles,Cives, & Familiares Papæ.*

§.3. Ipſoſque Conclaviſtas in veros, indubitatos, & non fictos familiares, continuos commenſales noſtros, ac eos, qui ex illis clerici exiſtunt, ſeu militiæ clericali adſcribi deſiderant, quoſque tres hujuſmodi Cardinales gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Notarios, ſine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium, recipimus, ac tam illos, quam alios Conclaviſtas ſingulos, qui ſigillatim ab eiſdem tribus Cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, ſacri Palatii & Aulæ Lateranen. Comites,& Milites, ac tam illos, quàm omnes, & quoſcumque alios Conclaviſtas indiſtinctè, qui nobiles non ſunt, nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus temporali dominio, & dictæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectis Cives eſſe voluerint, ſingulos in ea ipſa Civitate, quam ſigillatim quiſque eorum elegerit, & ad quam ab eiſdem tribus Cardinalibus ſe admitti petierit, veros Cives ad inſtar,& nulla prorſus differentia inter eos,& ſingulos alios veros,originarios, & antiquiſſimos etiā nobiles,& participantes cives ipſius Urbis,vel Civitatis,ita ut ipſum jus Civitatis ad quoſcumque illorū hæredes eodem modo tranſeat, creamus, conſtituimus & aſſignamus,& nobilitatis,& civitatis titulo,honore,& inſignibus decoramus,aliorumque familiarium, cōtinuorum commenſaliū Nobis actu in Palatio noſtro Apoſtolico inſervientium,ac illius Tinello comedentium,& bibentium, ac noſtrorum, & Sedis prædictæ Notariorum, Palatiique,& Aulæ prædictorum Comitum, Militum, & Nobilium, ac Civium hujuſmodi originariorum numero & conſortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis,& non fictis familiaribus,continuis commenſalibus,ac Notariis noſtris,Comitibus, Militibus, & Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, ac mandamus.

*Eorumque privilegiis ... indulgetur ... in privilegio, ... literæ ſub hoc nominibus impetrata ſubreptionis vitio careāt.*

§.4. Eiſque, ut in quibuſcumque impetrationibus, conceſſionibus, & literis, tam gratiam quàm juſtitiam concernentibus, ſe familiares, continuos Commenſales noſtros, Comites, Milites, Nobiles, & Cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, conceſſiones, & literæ ipſæ ſubreptionis vitio ſubjaceant, ſed validæ, & efficaces exiſtant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus,& quibuſcumque, ac prorſus ſimilibus antelationum antelationibus, prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, ſuſpenſionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus,quibus alii noſtri familiares tempore dictæ aſſumptionis noſtræ ad Summi Apoſtolatus apicem,ac quibus alii ejuſdem Sedis Notarii etiam de numero participantium exiſtentes, etiamſi habitum, & Rochettum Notariorum ipſius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ præfatorum Comites,Milites, & Nobiles,etiam originarii, ac antiquiſſimi Cives ejuſdem Urbis, vel Civitatis, quam,ut præfertur,elegerint, quique ex utroque parente verè nobili,& Cive originario,& antiquiſſimo procreati de jure,ſtatuto,conſuetudine, vel aliàs ex aliquo ſpeciali privilegio, ſeu aliàs quomodolibet, etiam quoad aſſecutionem quorumcumque Beneficiorum, etiam Eccleſiaſticorum,etiam per quaſcumque literas, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent,ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum,ubique locorum in Judicio,& extra,ſine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio,uti, frui,potiri, & gaudere liberè,& licitè valeant,realiter,& integrè in omnibus,& per omnia, etiamſi in Urbe, & Civitate hujuſmodi non habitaverint,perinde ac ſi de verè nobili genere ex utroque parente, nobili originario, & antiquiſſimo cive procreati forent,& hujuſmodi prærogativæ,privilegia,exemptiones,gratiæ,favores,conceſſiones,indulta,& jura,quæ pro aliis nobilibus, & civibus originariis emanarunt, & quæ ratione nobilitatis,& Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt,pro eiſdem Conclaviſtis in ſpecie emanaſſent,ſeu emanarent, & eis naturaliter de jure, ſtatuto, conſuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, auctoritate,& tenore ſimilibus indulgemus.

*A ſolutione Decimarum liberat, & eximit.*

§.5. Singuloſque Conclaviſtas prædictos à ſolutione, & exactione decimarum Eccleſiaſticarum ubique locorum, & ex quacumque quantumvis urgentiſſima, & inexcogitabili cauſa,& occaſione, etiam ad inſtantiam Imperatoris,Regum, & Rerumpublicarum, etiam Venetiarum, ac quorumcumque aliorum Principum impoſitarum,& imponendarum pro tempore liberamus,& eximimus,liberoſque,& exemptos fore,& eſſe decernimus.

*Remittit fructus malè perceptos ob non recitationem horarum Canonicarū.*

§.6. Ipſiſque Conclaviſtis ſingulis quoſcumque fructus, redditus, & proventus Eccleſiaſticos, etiam occaſione penſionum annuarum ipſis vel eorum alicui reſervatarum ratione omiſſionis recitationis Horarum canonicarum indebitè perceptos, cujuſcumque quantitatis fuerint,gratioſè remittimus, & condonamus.

*Diſpenſatque ſuper inhabilitate ad ſacros Ordin.*

§.7. Ac cum eis ſuper inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod cenſuris hujuſmodi ligati Miſſas,& alia Divina officia,dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis ſe immiſcuerint, ut illis,& aliis præmiſſis non obſtantibus ad omnes,etiam Sacros,& Preſbyteratus ordines alias rite promoveri,& in illis,ac in ſuſceptis per eos aliis rite ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare,etiam liberè,& licitè valeant,diſpenſamus.

*De ætate, & qualitate promovendorum ad ordines, habes in Conc. Trid. ſeſſ.23. c.11. & 12.*

*Legitimatio Conclaviſtarum baſtardorum.*

§.8. Ac eoſdem Conclaviſtas, ſi qui eorum defectum Natalium ex quocumque damnato, & illicito coïtu, etiamſi ex nobiliſſimis parentibus, & vilibus fœminis forſan procreati ſint, etiamſi legitimati aliàs exiſtant, legitimamus, omnemque ab illis geniture hujuſmodi maculam,ſive notam abſtergimus,& abolemus,ac Natalibus reſtituimus.

*Ac habilitatio ad ſucceſſiones, & hæreditates bonorum.*

§.9. Et cum eorum ſingulis, ut in quibuſcumque bonis paternis, & maternis, & aliorum conſanguineorum, ſeu cognatorum,vel aliorum quorumcumque, ſine tamen præjudicio venientium ab inteſtato, vel ex fideicommiſſo,ſeu aliàs de jure valida diſpoſitione ſuccedere, & alia donationis,vel alio quovis titulo conſequi,& habere,ac ad æquales portiones cum legitimis ſuccedere, eos ad omnia jura, legitimas,ſucceſſiones ex teſtamento, vel ab inteſtato, hæreditates, legata, libertates reſtituendo, & reintegrando realiter,& cum effectu.

*De ſucceſſionibus ... teſtam. ad favorem illegitimorum ... in conſt. 117. Pii V. Quæ ordini,ſup. to. 2. Ne non ad honores,& dignitates, vide prohibitionem Greg. XV. in conſt. 8 ... ſup. to. ... verò ad qualitates ... vendorum ad ... gnitates, vide Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.*

§.10. Ac ad dignitates, honores, & quæcumque alia officia ſæcularia,publica,vel privata,etiam aſſumi,illaque gerere,& exercere in omnibus,& per omnia,ac ſi de legitimo matrimonio procreati forent,ac eodem defectu non obſtante,ſi aliud canonicum eis non obſiſtat,aut clericali charactere,qui illo nondum inſigniti, ac ad omnes etiam ſacros, & preſbyteratus ordines,ſi nondum ad illos promoti ſint,promoveri,ac poſtmodùm charactere, & ordinibus hujuſmodi,illorumque privilegiis uti,ac in eiſdem ordinibus,etiam in Altaris miniſterio miniſtrare,ac quæcumque,& qualiacumque, cum cura,& ſine cura beneficia Eccleſiaſtica,etiamſi perſonatus,adminiſtrationes,& officia,etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Eccleſiis, ſeu parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, non tamen principales in Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi fuerint, ſi ſibi aliàs canonicè conferantur,aut ipſi eligantur,præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eiſdem, recipere, & retinere liberè, & licitè valeant.

*Expeditio literarum Apoſtolicarum pro ... Conclaviſtis gratis fiat.*

§.11. Omneſque, & quæcumque gratiæ, proviſiones, commendæ, & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ, etiam in forma Brevis pro illis expediendis, gratis ubique expediantur, tam de capienda poſſeſſione nomine Cameræ Apoſtolicæ, quàm in forma literarum Apoſtolicarum, ubi illis ſuper proviſionibus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum dari poterunt, prout noſtris familiaribus continuis commenſalibus, etiam gratis dentur, & concedantur, ac dari, & concedi omninò præcipimus, & mandamus.

*Indulta Conclaviſtarum circa penſiones transferendas uſque ad ſummam ſcutorum centum auri de Cameræ.*

§.12. Ac eiſdem Conclaviſtis, & eorum ſingulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitani, ſeu aliarum Eccleſiarum, aut perſonæ quæcumque Eccleſiaſticæ, tam in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum ſingulos eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas eis, & eorum ſingulis ſuper quibuſcumque fructibus, redditibus, & proventibus quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, ſeu fructus, redditus, & proventus hujuſmodi beneficiorum reſervatos, ſeu reſervandos, etiamſi alias ſemel vel pluries tranſlatæ, ſeu tranſlati fuerint, uſque ad ſummam centum ducatorum auri de Camera ſimilium in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, & poſtquam caſſatæ & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas, ſeu fructus, redditus, & proventus hujuſmodi, uſque ad ſummam prædictam uni, vel pluribus aliis perſonis Eccleſiaſticis per eoſdem Conclaviſtas, & eorum ſingulos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, ſimiliter eis, quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis eiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Conclaviſtis reſervatæ ſeu reſervati fuerint, etiam abſque beneficia ipſa obtinentium conſenſu, integrè perſolvendas, ac per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, & levandas reſervare, conſtituere, concedere, & aſſignare valeant, atque in poſſeſſione dictas penſiones exigendi, in qua ipſi Conclaviſtæ tempore tranſlationis per eos præſentium vigore faciendæ exiſtebant, in omnibus, & per omnia ſubrogati eſſe cenſeantur, etiam concedimus, & indulgemus, etiamſi ſimilem gratiam à prædeceſſoribus noſtris aliàs forſan obtinuerint, ſeu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulativè eos gaudere, & potiri volumus. Decernentes ipſas tranſlationes, & novas reſervationes, conſtitutiones, & aſſignationes penſionum, ſeu fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipſoſque beneficia, ſuper quorum fructibus, redditibus, & proventibus reſervatæ fuerint, obtinentes, ad illas perſolvendas efficaciter obligatos fore.

*Habitū Clericalē geſtare non tenentur ob dd. penſiones ſummam 200. ſcut. non excedētes, imò etiamſi ſemel contraherent, poſſ. retinere diſpenſat.*

§.13. Ac cum eiſdem Conclaviſtis, quod ratione quarumcumque penſionum annuarum eis, & eorum cuilibet ſuper quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, ut præfertur, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra ſummam ducentorum ducatorum parium pro qualibet nunc, & pro tempore reſervatarum, & reſervandarum habitum, & tonſuram clericales geſtare, & in illis, dummodo aliàs ipſi habitum decentem, & honeſtum deferant, incedere minimè debeant, nec ad id à quoquam deſuper cogi, ſeu compelli, minuſque aliquas ſententias, cenſuras, etiam privationis, ſeu ceſſationis ipſarum penſionum pœnas occaſione præmiſſorum incurrere poſſint, ſed eaſdem penſiones ad prædictam ſummam ducentorum ducatorum aſcendentes, & reſervatas, ut præfertur, etiamſi matrimonium contraxerint, cum unica tamen, & virgine, recipere, & retinere.

*De habitus geſtatione eorum qui penſiones obtinēt, & beneficia Eccl. vide in conſt. 2. Sixti V. ſub. to. 2. & ſeq. & Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6 & ſeſſ. 23. cap 6. & 17.*

§.14. Poſtremò, quod bona quæcumque ad dictos conclaviſtas, & eorum quemlibet ſpectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam canonicatuum & præbendarum, ac dignitatum, etiam majorum & principalium, etiam ſpeciali nota, & expreſſione dignarum quarumcumque, per eos alias obtentorum, & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quæſito colore, vel ingenio, ſeu eorum induſtria, licitè tamen acquiſita, & acquirenda, etiam in Urbe, ejuſque diſtrictu, & ubique exiſtentium ſpoliis minimè ſubjaceant: ſed Conclaviſtæ præfati, etiamſi Religioni alicujus Militiæ, etiam S. Joannis Hieroſolymitani adſcripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque perſonarum, etiamſi curiales eſſe deſierint, & in quocumque loco quantumvis remoto eos decedere contigerit, teſtari, & aliàs diſponere, iiſque ab inteſtato decedentibus legitimè eorum hæredes quicumque ſuccedere liberè, & licitè valeant, ſimili modo concedimus, & indulgemus.

*Spolia de ipſorum bonis fieri prohibet, ſed hæredes ſuccedere in d. d. bonis concedit.*

*Civibus, & incolis Urbis ho. cō. ✓ſerat Paul. V. in ſua conſt. 18. In eminenti, ſup. tom. 2. pag. 247. ubi plene notavi de materia Spoliorum.*

*Executores deputat.*

§.15. Præcipientes, ac mandantes dilectis filiis nunc, & pro tempore exiſtentibus S.R.E. Camerario, Theſaurario, Præſidentibus & Clericis Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & quibuſvis aliis ſpoliorum hujuſmodi Collectoribus, & Subcollectoribus, ac Militiarum præfatarum officialibus, aut Prioribus, ne in hujuſmodi bonis manus apponant, neque hæredes præfatorum Conclaviſtarum deſuper moleſtare audeant, ſeu præſumant, ac etiam decernentes donationes per viam teſtamenti, & codicillorum per ipſos Conclaviſtas de eorum bonis hujuſmodi faciendas, ſemper, & perpetuò validas & efficaces fore.

§.16. Nec eoſdem Conclaviſtas, eorumque aliquem ad præſentes literas in dicta camera inſinuandum, aut admitti, & regiſtrari petendum teneri, nec illas, etiamſi illæ intra tempus legitimum inſinuatæ, admiſſæ, ſeu regiſtratæ non fuerint, propterea minùs validas cenſeri, ſed ſuos plenarios effectus ſortiri debere.

*Regiſtrationem in Camera remittit.*

§.17. Ac eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis ſimilium gratiarum revocatoriis, vel quæ eas limitarent, ſeu moderarent, quæ à Nobis & dicta Sede pro tempore, & ex quibuſvis cauſis, etiam urgentiſſimis, etiam in favorem fidei, ac divini cultus augmentum, etiam conſiſtorialiter, vel aliàs quavis auctoritate hactenus, vel in poſterum emanaverint, minimè comprehenſas eſſe, ſed quoties illæ emanabunt, toties eaſdem præſentes in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & reintegratas eſſe, & cenſeri.

*Clauſula præſervativas appo.*

§.18. Sicque per quoſcumque Judices, & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Juſſio quod dd. literæ gratis expediantur.*

§.19. Et inſuper dilectis filiis Reſcribendario, & computatori literarum Apoſtolicarum, & aliis, ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna indignationis noſtræ, Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut literas Apoſtolicas prædictas ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, tam conjunctim, quàm ſeparatim, ac pro ſingulis quibus conceſſæ fuerunt, ac ſortiuntur, & ſeparatim cum omnibus & quibuſcumque derogationibus, decretis, & clauſulis in eis contentis, gratiis de mandato noſtro ubique, in omnibus officiis, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, Plumbique, & Regiſtri, abſque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compoſitionis facienda, omni contradictione, & dilatione ceſſantibus, ſignent, expediant, & expediri faciant.

*Contrariis derogat.*

§.20. Non obſtantibus præmiſſis, ac decreto eorumdem Notariorum numero, etiamſi ad illum nondum ſit deventum, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac una de inſordeſcentibus, & altera noſtris de præſtando conſenſu in penſionibus, ac felicis recordationis Pii IV. de ſimilibus, vel diſſimilibus gratiis in Camera Apoſtolica infra tres menſes præſentandis, & regiſtrandis, ac Pii V. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum contra illegitimos, necnon Pictavien. Concilii, & aliis Apoſtolicis, ac etiam in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum Ordinum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, ac etiam Urbis Romanæ, & aliarum Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Cameræ prædictæ, ac quarumvis Univerſitatum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, naturis, decretis, etiam novis reformationibus, & legibus, tam Pontificiis, quàm Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, & Sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ac locis quibuſcumque in genere, vel in ſpecie ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam vim contractus, & ſtatuti perpetui continentibus, ac etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, illis præſertim, quibus inter alia caveri dicitur expreſsè,

quod

quod Beneficia Urbis nonniſi perſonis, ſub certis modo & forma inibi qualificatis,& oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum, & Militiarum expreſsè profeſſis conferri, & commendari poſſint diſponentibus, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus,& contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum,quod interdici,ſuſpendi,vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

*...tran- ...ptorum.* §.21. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, & ſigillo ac manu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & ſubſcriptis eadem fides tam in judicio, quàm extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ.

*Nomina autem Conclaviſtarum qui in Conclavi hujuſmodi interfuerunt,ſunt hac, videlicet.*

VEnerabilis frater noſter Joannes Vincentius Spinola Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Epiſcopus Tagaſten. Sacriſta, & dilecti filii Paulus Alaleo Canonicus, Jo. Baptiſta etiam Alaleo, & Carolus Antonius Vaccarius clerici reſpectivè perpetui beneficiati,beneficiatus, & clericus reſpectivè nuncupati Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Petrus Ciammariconus perpetuus Beneficiatus Eccleſiæ Lateranenſis,Magiſtri Ceremoniarum,Mutius Riccerius Camerinen.Canonicus Eccleſiæ S. Angeli in foro piſcium,Collegii S.R.E. Cardinalium Secretarius,Raphael Pinchiarius Preſbyter Bononien. & Livius Sonantius Reatinus clericus, noſtri etiam dum Cardinalatus honore fungebamur.Stephanus Racanus Spoletanus, Hortenſius Baleſtrerius Fanen. diœc. Preſbyter,& Jo.Cæſar Troianus de Palliano clericus, ſeu laïcus Antonii Oſtienſis Saulii. Franciſcus Fuccius Tifernas,& Jo.Jacobus Baldinus de Apiro Camerinen.diœc.clerici Benedicti Portuen.Juſtiniani.Matthæus de Zannis laïcus Bononien. & Angelus Orius clericus Anconitanus Franciſci Mariæ Præneſtin.à Monte. Sebaſtianus Bruſſatus clericus Caſalen.& Cambius Artoſinus Forolivien.Miles Militiæ Sanctorum Mauritii,& Lazari, Franciſci Tuſculan. Sfortiæ. Cæſar Melottus canonicus Eccleſiæ S.Laurentii in Damaſo de Urbe, & Rodulphus Mancinus clericus Peruſinæ diœc.Alexandri Albanen.de Monte Alto,Venerabilium fratrum noſtrorum Epiſcoporum. Alphonſus Carandinus clericus conjugatus Mutinen.& Miles Militiæ Jeſu Chriſti, Petrus de Caſtro Toletan.& Tobias Aldinus Cæſenaten.clerici Odoardi nuper S.Mariæ in Via lata Farneſii.Franciſcus Cavalcantes perpetuus commendatarius Monaſterii S.Petri de Laderchia, alias de Riolo,Imolen. diœc. & Jo.Baptiſta Buttus clericus Aſſiſién.Octavii S.Laurentii in Lucina Bandini. Hieronymus Signorellus perpetuus Commendatarius Monaſterii S.Petri Vallis Daſinæ,Nucerin.diœc. Juſtinus Jacoponus Camerinen.& Palmerius de Palmeriis Tiburtin.diœc.clerici Bartholomæi S. Mariæ in Tranſtyberim Cœſii.Petrus Calabrinus Mutinen.& Stephanus de Roſis Cathacen.Presbyter,Bonifacii S.Petri ad Vincula Bevilacquæ.Badinus de Nores Nicoſien. Antonius Doctus Ferrarien. & Auguſtinus Mongardus clerici Montis Politiani,Roberti S.Praxedis Bellarmini. Fabius Tanianus Piſtorien.Gherardus Urbevetanus,& Nicolaus Accurſinus de Sancta Flora clerici,Jo. Baptiſtæ Sanctorum Marcellini,& Petri Deti. Emilius Sperellus Aſſiſien.& Franciſcus Thedeſchius laïci Imolen. Dominici Sanctorum duodecim Apoſtolorum Gymnaſii. Joannes de Zunega Pacen.& Gabriel Pratus clerici Aſten. Antonii S. Balbinæ Zapatæ. Jacobus Antonius Rigottus, Canonicus Tridentin. & Jacobus Franciſchinus clerici Veronen. Caroli S. Cæſarei Madrutii, Jacobus Benedictus Nicoſien.& Julius Saracenus Vicentinus presbyteri, ac Franciſcus Lambertus clericus Florentin. Joannis S. Marci Delphini. Octavius Baccius Canonicus Eccleſiæ S.Mariæ Majoris etiam de Urbe, & Carolus Falcinellus presbyter Peruſin.Scipionis S.Chryſogoni Burgheſii.Frãciſcus Adrianus Ceva Montis Regalis,& Antonius Criſolinus clerici à S.Sophia,Maphæi S. Honuphrii Barberini. Franciſcus Ferentillus nullius, ſeu Spholetan. diœc. & Petrus Roncius clerici à Campagnano Nepeſinæ diœc. Jo.Garziæ Sanctorum quatuor Coronatorum Millini. Jo.Ferrarinus Regien.& Franciſcus Baruffaldus clerici Cremonen. Marcelli SS. Quirici, & Julittæ Lantis. Claudius Ruthy Biſuntin. diœc. & Blaſius Factorius presbyteri Ariminen. Michaëlis Angeli S.Bartholomæi in Inſula Nazareth. Alexander Biſſius Florentin.& Joannes Criſentus laïci Corrigien. Fabritii S. Auguſtini Veralli. Claudius Suſannius perpetuus Commendatarius Monaſterii S.Michaëlis de Pola Polen.diœc.S.Benedicti, ſeu alterius Ordinis,& Franciſcus Landus presbyter Tyburtinus Jo.Baptiſtæ S.Cæciliæ Lenii. Alexander Viola presbyter Aquilan.& Jo.Paulus Leonardus clericus, ſeu laïcus Beneventanus Decii SS.Jo. & Pauli Caraffæ. Auguſtinus Joyonius presbyter S. Severini, & Gaſpar Morellus Romanus, Dominici Sancti Martini in Montibus Rivarolæ.Sigiſmundus Thaddæus Florentinus, & Joſephus Trullier Lingenſis, & Carolus Gurgas clerici Bitterren. Joannis S. Euſebii Bonſii. Bernardinus Zampa clericus de Sarnano Camerinen. diœc. & Lauretus de Franchis presbyter Neapolitan.Philippi S.Mariæ de Populo Philonardi. Cornelius Henricus Normanus Leodien.& Bartholomæus Junchettus de Mutiliano Clerici Faventin. diœc. Petri Paulis SS.Nerei,& Achillei Creſcentii. Jo. Alphonſus presbyt. Januen. & Jo. Antonius Paſiadeſcus laïcus, ſeu clericus Albinganen.diœc. Jacobi S. Mariæ de Pace Serræ. Rainaldus Magnus Sarſinaten. Canonicus prædictæ Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo, & Petrus Antonius Pugliolus presbyter Mutinen. Auguſtini S. Mariæ in Araceli de Araceli. Didacus de Sabedra Canonicus Compoſtellan. & Jo. de Rojas clericus Seguntin. Gaſparis S. Crucis in Hieruſalem Borgiæ. Franciſcus Maria Coſtacutus Januen. & Petrus Riccius presbyter Roman. Felicis S. Laurentii in Pane & Perna de Aſculo. Alexander Minerbetus Florentinus, & Horatius Piccinardus clerici Romani, Roberti S. Pudentianæ Ubaldini. Timotheus Vannius Viterbien. & Aurelius Martignonus clerici Mediolanen. Tyberii S. Priſcæ Muti. Petrus Palla Reatin. diœc.& Paulus Vicarellus clerici Urbevetani, Julii S. Sabinæ Sabellii. Michaël Angelus Anchianus clericus Lucen. & Antonius Botta clericus, ſeu laïcus Camerinen. Petri S. Thomæ in Parione Camporei. Simon Brunus Nonantulan. Sanctes Foroſo clerici Veronen. & Tyberius Fontius laïcus Eugubin.Matthæi Sancti Hieronymi Illyricorum Priuli. Gaſpar Luſignanus Conſtantinopolitan.& Delius Cornices clerici Narnien. diœc. Scipionis S. Suſannæ Cobellutii. Antonius Benedellus presbyter Nonantulan. & Jo. Thomas Guglielmus laïcus, ſeu clericus Piſauren. diœc. Petri S.Salvatoris in Lauro Valerii. Bernardinus Saracinellus Urbevetan.& Petrus Franciſcus Baſca laïci ſeu clerici, Julii S. Mariæ ſupra Minervam Romæ. Antonius Graſſellus clericus Nucerin. diœc. & Flaminius Maggius laïcus, Cæſaris S.Petri in Monte Aureo Gherardi.Lazarus Caraſinus Cremonen. & Jo.Bonus clerici Aſten. Deſiderii S.Clementis Scaliæ. Dionyſius Damianus Narnien. & Franciſcus Bevolus clerici Tifern. Stephani S. Mariæ in Via titulorum presbyterorum Pignatelli nuncupatorum. Petrus Franciſcus Bonjoannes preſbyter Firmanus prædictæ Eccleſiæ S.Mariæ Majoris præpoſitus,& Franciſcus Fracaſſinus laïcus Urbevetan. Andreæ S. Mariæ in Via lata Peretti. Joſephus Fontanella Regien.& Petrus Paulus Mecis cleric. conjugatus Campanen. diœc. Alexandri S. Euſtachii Eſtenſis. Clemens Merlinus clericus Forolivien. & Paulus Boſcus laïcus, ſeu clericus Bononien. Caroli Emanuelis Sancti Nicolai in Carcere Pii. Joannes Ruſtius Ruguſin. & Petrus Paulus Palmutius laïci, ſeu clerici Tudertin. Aloyſii

S. Angeli in foro piſcium Caponii, Everardus Medices Florentin. & Octavianus de Lotto clericus conjugatus, & Miles prædictæ Militiæ S. Stephani, Caroli S. Mariæ in Dominica Medices. Dominicus Fedinus canonicus prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ Majoris, & Emilius Feus Miles ejuſdem militiæ S. Stephani, Alexandri S. Mariæ in Coſmedin Urſini Diaconorum S. R. E. Cardinalium etiam nuncupatorum. Laurentius Bernardinus Lucen. Bernardinus de Lupis de S. Oreſto preſbyteri nullius diœc. & Angelus Colius laïcus, ſeu clericus Senen. bon. mem. Petri Epiſcopi Sabinen. Aldobrandini. Urbanus Paleonus Civitatis Realis, Reatin. diœc. & Gregorius de benedictis clerici Maceraten. Jacobi S. Stephani in Monte Celio Sanneſii. Franciſcus Maria Sinibaldus Foroſempronien. Antonius Ghirlandarius Florentin. & Pompeius Normilla clericus conjugatus, Venafr. Ladiſlai nuper ejuſdem S. Mariæ ſupra Minervam Aquini ſimiliter titulorum ejuſdem S. R. E. Preſbyterorum Cardinalium defunctorum. Frater Chriſtophorus Fucciarinus Peruſinus, Ordinis S. Auguſtini Magiſter in Theologia, cum dicto Jo. Vincentio Epiſcopo, Frater Ferdinandus Aſtoricen. diœc. de Matre Dei Ordinis Carmelitarum diſcalceatorum Confeſſarius. Cynthius Clemens Senogallien. Canonicus prædictæ Eccleſiæ Lateranen. & Camillus Gorus clericus conjugatus Phyſici. Proſper Cecchinus Chirurgus, Cæſar Magnolus Aromatarius, Joan. Baptiſta Gallus Urbinaten. & Jo. Matia Lolius Urbevetan. ejus Adjutores. Linus Blaſinus de S. Oreſto nullius diœc. Cuſtos Fontis. Gabriel Renzonus Feſulan. diœc. Secretarii ejuſdem Collegii Adjutor. Antonius Pacificus Camplen. diœc. Magiſtrorum Cæremoniarum Adjutor. Blaſius Zucchius, & Riccius Tonſius Barbitonſores, Andreas Boccalinus, & Alexius Mollia eorum Adjutores, Antonius Bernaſconus Cementarius, Jo. Volpetta Faber Lignarius, Jo. Auguſtin. Mediolan. Jo. Sorcius, Jo. ad Rotundam, Jo. de Remedio, Antonius Mercus, Dominicus Covaia, Hieronymus Tamanſinus, & Felicionus ſcopatores Conclavis.

*Decretum pœnale.*

§. 22. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, donationis, receptionis, creationis, conſtitutionis, aſſignationis, decorationis, aggregationis, liberationis, exemptionis, remiſſionis, condonationis, diſpenſationis, legitimationis, abſterſionis, abolitionis, reſtitutionis, decretorum, conceſſionum, indultorum, præceptorum, mandatorum, derogationis, voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*D. P. An. 1. die 15. Mar.*

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1620. Idibus Martii, Pont. noſtri Anno 1.

---

## II. Indictio univerſalis Jubilæi ad divinum auxilium initio ſui Pontificatus pro ſalutari Catholicæ Eccleſiæ regimine implorandum.

*Similem indictionem omnes ferè Pontifices proferre ſolent, ut dixi ſup. in conſtitut. 1. Sixti V. tom. 2. Eamque etiam poſtea promulgavit ſub Oratione quadraginta Horarum S. D. N. Urbanus VIII. ut infra in ejus conſtitut. 7. Æternus.*

*Edita An. D. 1621.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus ſervorum Dei. Vniverſis Chriſti fidelibus, ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Cauſa indict. hujus Iubil.*

SPiritus Domini, cujus inenarrabili providentia regimur, & gubernamur, ſe neminem ſuorum ſpernere, hoc tempore præcipuè demonſtravit, cum abundantiam miſericordiæ ſuæ in humilitatem noſtram derivare dignatus, in ſuprema B. Petri Sede nos collocando, univerſi gregis ſui curam, nullo meritorum ſuffragio nobis commiſit. In quo, ut divina agnoſcimus dona, ita etiam formidamus judicia. Quoties enim creditum munus mentis oculo circumſpicimus, toties oneris gravitas nos terret, virium noſtrarum infirmitatis conſcientia conturbat: gregem ſiquidem innumerabilem, per univerſum Orbem ſparſum, nobis creditum cernimus, & gregem quidem non auro, aut argento, ſed æterni Patris unigeniti Jeſu Chriſti Domini noſtri ſanguinis pretio acquiſitum, non paucis in locis non ſolùm Paſtoribus, ſed paſcuis etiam deſtitutum: hinc luporum inſidiæ non ceſſantes, illinc prædonum, & hoſtium violentia, mactare, & perdere adnitentium. Quapropter ad Dominum cum Propheta clamare compellimur: Exaltatus, humiliatus ſum, & conturbatus, terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me, ſicut aqua tota die, circumdederunt me ſimul, ac niſi ejus auxilium, qui noſtris humeris tantum pondus impoſuit, Nobis adfuturum conſideremus, animo planè concidemus. Sed quoniam benignus eſt Dominus, & non derelinquit ſperantes in ſe, infirmitatem noſtram, licèt tanto oneri longè imparem, gratiæ ſuæ virtute confortabit, ac tribuet ut ſufficere valeamus. Id verò ut impetrare ab æterno Paſtore mereamur, ad veſtras orationes, & bona opera confugere ex more Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum decrevimus. Vos enim, quibus noſtrà Paſtoralis impendenda eſt ſollicitudo, apud Deum pro Nobis intercedendo, non veſtram minus, quàm noſtram procurabitis ſpiritualem utilitatem. Quamobrem, ut majori cum fructu adminiſtrationi noſtri officii ſuffragari ad divinum auxilium conſequendum poſſitis, de theſauro Eccleſiæ, cujus Nos diſpenſatores ſumus, abundanter erogando, ad veram pœnitentiam, & pia opera vos incitandos duximus. Dignos itaque fructus pœnitentiæ faciamus, animas noſtras Domino humiliemus, & in hoc ſacro Quadrageſimali tempore, ubi eo durante publicatæ hæ noſtræ literæ fuerint, ad penſum ſanctæ inſtitutionis aliquid addamus, corda noſtra ſcindamus, & in oratione, jejunio, ceteriſque pietatis operibus unanimiter perſeveremus.

*Indict. Iubil. de quo in rubrica.*

§. 1. Quapropter in hac Alma Urbe noſtra à Capella noſtra publica Palatii Apoſt. ad Baſil. Principis Apoſtolorum in Vaticano, necnon ab Eccleſia S. Mariæ Angelorum nuncupata, ad Baſilicam S. Mariæ Majoris proxima hebdomada, quæ erit poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ, quarta, & ſexta feria reſpectivè ſolemnes Proceſſiones de more indicimus, ad quas Baſilicas Nos unà cum venerab. fratrib. noſtris S. R. E. Card. necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, quos in Romana Curia adeſſe contigerit, ac Chriſtianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos exiſtentibus, aliiſque Prælatis, atque Officialibus Romanæ Curiæ, univerſoque Clero, & Populo comitante, accedere, dictaſque Proceſſiones celebrare ſtatuimus. Ut autem divinam opem efficacius imploremus, & ſimul effuſis multorum precibus fructuoſius exaudiamur, omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles ubique exiſtentes enixè in Domino hortamur, & paterna charitate monemus, ut qui in hac Alma Urbe ſunt, dicta hebdomada, aut ſaltem altera ſequenti, qui verò extra Urbem in quibuſvis orbis Terrarũ locis exiſtunt, proxima, aut altera ſequenti hebdomada poſt præſentium notitiã, pias ad Deum preces effundant, ut Eccleſiam ſuam Sanctam tueatur, & protegat, hæreſes undique evellere, & extirpare, Fidem ſanctam Catholicã adaugere, & propagare, pacem, & veram concordiam largiri dignetur. Nobis verò vires tribuat, quibus ſuſceptum onus ad ejus nominis gloriam, fideliumque & animæ noſtræ ſalutem adminiſtrare valeamus, & ii quidem, qui in eadem Urbe hic præſentes ſunt, prædictas Principis Apoſtolorum, ac S. Mariæ Majoris Baſilicas, vel unam ex eis quam maluerint, qui verò alibi extra Urbem erunt, Eccleſiam, ſeu Eccleſias per locorũ Ordinarios, ſeu eorum Vicarios, aut de eorũ mandato, aut iis deficientibus per eos, qui inibi curam exercent animarum, deputandam, ſeu deputandas, quocumque ſibi beneviſo ejuſdem hebdomadæ die, vel diebus, ſaltem ſemel devotè viſitent, omnes præterea quarta, & ſexta Feriæ, & Sabbato ejuſdem, vel alterius ſequentis hebdomadæ jejunent, & quantum pro ſuo quiſque arbitrio judicaverit, eleemoſynas erogent, atque intra hoc ipſum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata ſua confiteantur, & die Dominico dictũ Sabbati diem proximè ſubſequẽte, vel alio dictæ ſequẽtis

hebdomadæ

hebdomadæ die arbitrio Confeſſarii Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum devotè percipiant, qui autem in navigatione, vel itinere fuerint, eo peracto, hæc ipſa faciant, & exequantur; qui verò regulares utriuſque ſexus in clauſtris perpetuò degunt, vel in carcere, aut captivitate detinentur, vel propter corporis infirmitatem, aut aliud quodcumque impedimentum, ſuperiùs expreſſa, ſeu eorum aliqua facere, ſeu adimplere nequiverint, Sacerdotis Confeſſarii approbati ab Ordinario, quem elegerint, arbitrio prædicta omnia, & ſingula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen tempus, differre valeant.

*Conceſſio plenar. Indulg.*

§. 2. Quæ omnia ut eo libentiùs præſtare ſtudeant, quo uberiùs ſpiritualibus muneribus, & gratiis à Nobis ſe refectos cognoverint, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Deus Nobis licèt indignis contulit, omnibus, & ſingulis prædictis, qui prædicta adimpleverint, pleniſſimam peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in Anno Jubilæi viſitantibus certas Eccleſias intra, & extra Urbem concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus & elargimur. Necnon eiſdem fidelibus, etiam cujuſcumque Ordinis, Congregationis & Inſtituti regularibus utriuſque ſexus, facultatem impartimur, eligendi ſibi Presbyterum Confeſſarium tam ſæcularem, quàm cujuſvis Ordinis, vel inſtituti regularem, ex approbatis ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à jure, vel ab homine quovis modo, vel cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus & delictis, quantumvis gravibus & enormibus, etiam in caſibus tam locorum Ordinariis, quàm Nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi conſuetis, atque aliàs etiam per quaſcumque Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodolibet reſervatis, in foro tantum conſcientiæ, hac vice dumtaxat abſolvere. Et inſuper vota quæcumque (religionis, & caſtitatis tantummodò exceptis) in alia pia & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis caſibus pœnitentia ſalutari, ac aliis injungendis, poſſint, & valeant.

*Juſſit ubique publicari dictum Jubilæum.*

§. 5. Mandantes inſuper venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſc. Epiſc. & aliis quibuſcumque Eccleſiarum Prælatis, & locorum Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, ut cum harum literarum tranſumpta, aut exempla acceperint, illa ſtatim per ſuas Provincias, Eccleſias, Diœceſes publicent, & publicari faciant, Cleroque & populo ſibi ſubjecto ſolemnes proceſſiones, ſicut Nos in prædicta Urbe indiximus, indicant, & celebrent. Per præſentes autem ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quomodolibet contracta non intendimus, nec etiam in foro conſcientiæ diſpenſare, neque ullam facultatem tribuere diſpenſandi. Ac declaramus has ipſas præſentes, quoad abſolutionem in foro conſcientiæ, & pœnitentiali tantùm, non autem in foro fori, ſeu contentioſo conſequendam, neque etiam quoad dictum forum conſcientiæ iis, qui ab aliquo Judice excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, ſeu in alias ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi intra tempus celebrationis hujuſmodi Jubilæi ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter hæreticis, aut ſchiſmaticis ſpecialiter declaratis, ſeu condemnatis ullo modo ſuffragari.

*Derogatio contrariorum.*

§. 3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus abſolvendi facultas in certis tunc expreſſis caſibus, ita ſpecialiter Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles Jubilæi, Indulgentiarum, aut facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari valeat, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, & inſtitutorum regularium juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, & Inſtitutis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, eorumque totis tenoribus, etſi ſpecialis, ſpecifica & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut expreſſio habenda, vel quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervan. foret, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac formam in illis traditam penitus pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§. 5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis vel exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1620. 6. Kal. Aprilis, Pontificatus Noſtri anno 1.

*Dat. P. An. 1. die 27. Mar.*

---

## Confirmatio Unionis Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Regno Siciliæ antea erectæ, Congregationi Italiæ eorumdem Fratrum. III.

*Multa hic opportuna tibi poſui ſubſequentia, videlicet conceſſionem Eccleſiæ B. Mariæ de Catena Civitatis Panormitanæ Fratribus hujus Congregationis Siciliæ, necnon quædam vivæ vocis oracula, ac literas Card. Protectoris ſuper d. Unione.*

Hujus Congregationis Inſtitutionem habes ſup. in Clement. VIII. conſtit. 63. tom. 3. & tranſitum ad arctiorem Religionem, & ad quam, in conſtit. 3. ubi ſup. Confirmationem autem Conſtitutionum Ordinis habes in Pauli V. conſt. 22. Sacris, hic ſup. Et poſtea ab iſtomet Greg. XV. fuit diviſa Provincia S. Auguſtini Hiſpaniarum in quatuor Provincias cum approbatione multarum Ordinationum pro eiſdem conditarum, ut inf. conſt. 63. Ad ſacram. Et noviſſimè S. D. N. Urb. VIII. erexit in Congregationem Italiæ horum Fratrum quatuor Provincias, ut inf. in ejus conſt. 58. Ad uberes, poſt quam tibi inſerui nonnulla Decreta à Sacra Congregatione Apoſtolicæ Viſitationis eorumdem ſtatum continentia, emanata de electione Provincialium, & quaſdam conſtitutiones, ſeu ordinationes pro Congregatione Italiæ iſtorum Fratrum edidit inf. conſt. 81. Aliàs pro parte. Ac poſtremò ſtatuta pro Congregatione Galliæ approbavit in alia conſt. 90. Ex injuncti.

*G R E G O R I U S   E P I S C O P U S, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1621.*

*Proœmium.*

PAſtoralis officii Nobis (meritis licèt imparibus) deſuper commiſſi cura poſtulat, ut ad ea, per quæ fidelium quorumlibet, præſertim Religioſorum, eorum maximè, quos una religio, & unum profeſſionis vinculum invicem copulavit, quieti conſulitur, ad hoc ut nulla eos diſſenſio diſſecet, nullave immutatio perturbet, ſed ipſi mutua charitate conjuncti cæteris exemplo proficiant, libenter intendamus, ac ea quæ propterea providè decreta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuò, & illibata perſiſtant, cum à nobis petitur, Apoſtolico munimine roboremus.

*Narrat introductam eſſe hanc Congr. in Regno Siciliæ à nonnullis Fr. hujus Ord. quibus Paul. V. conceſſit Eccl. S. Mariæ de Catena Panorm. Ac nonnulla ordinavit alia. Conceſſionem hujus Eccleſ. habes hic ſequentem.*

§. 1. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Religioſorum Congregationis Fratrum Diſcalceatorum Italiæ nuncupatorum, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini petitio continebat, quòd cum aliàs nonnulli Religioſi Ordinis Fratrum Eremitarum ejuſdem S. Auguſtini reformationem, & obſervationem regularem ad regulæ ipſius S. Auguſtini, necnon Decretorum felicis record. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri ſuper reformatione dicti Ordinis editorum præſcriptum in Regno Siciliæ introducere intenderent, rec. mem. Paulus Papa V. etiam prædeceſſor noſter ipſis, & aliis regularibus hujuſmodi ſub reformatione, & obſervantia prædictis vitam acturis, Eccleſiam S. Mariæ de Catena nuncupatæ Panormitan. quæ per beneficiatos ad nominationem Communitatis, & hominum

Civitatis Panormitan. quolibet anno mutari ſolitos regi conſueverat cum illius ædibus rectoralibus, ac juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, ad effectum ædes prædictas ad formam domus regularis Obſervantium Eremitarum ejuſdem S. Auguſtini reformatorum nuncupandorum reducendi, accedente tamen conſenſu Ordinarii, & quorumcumque intereſſe habentium, perpetuò conceſſit, ipſiſque religioſis, ut juxta inſtituta regularia Ordinis hujuſmodi Novitios abſque licentia Ordinariorum ad habitus ſuſceptionem, & profeſſionis emiſſionem, ſervatis in reliquis decretis dicti Clementis prædeceſſoris deſuper editis, admittere, & in quibuſvis Regnis, ac Provinciis Eccleſias, & ædes quaſcumque eis oblatas, de licentia Ordinariorum locorum pro fabricandis novis domibus regularibus reformatorum, juxta conſtitutionis, & Decretorum hujuſmodi formam, & non aliàs, non autem domos jam fundatas, ſeu inſtitutas alterius Provinciæ, vel Congregationis, quamvis ejuſdem Ordinis exiſterent, abſque expreſſa Prioris generalis dicti Ordinis licentia acceptare poſſent, & valerent, dicta auctoritate permiſit, & etiam conceſſit, cum declaratione tamen, quod religioſi hujuſmodi ſub obedientia, & correctione Prioris generalis prædicti Ordinis perpetuò remanerent, & calceati incederent, prout in literis Apoſtolicis deſuper ſub die 23. menſis Maii Anni Domini 1608. confectis pleniùs continetur.

*Novitios recip.*

*Domorum Regul. ædificationem, & aliter judicandi facultatem tollit.*

*Obedientiam.*

§.2. Succeſſivè cum in vim dictarum literarum S. Nicolai Tolentinatis, & S. Gregorii, ac aliquæ aliæ domus regulares Ordinis Reformatorum S. Auguſtini hujuſmodi in prædicto Regno erectæ fuiſſent; illarumque Religioſi unam Congregationem ſub invocatione S. Mariæ de Succurſu nuncupatæ, Regni Siciliæ facientes, ſub obedientia tamen ejuſdem Prioris generalis Deo famulari cœpiſſent.

*Poſtea in vim conſt. d. Pauli plures domus in d. Regno fuerunt erectæ facientes unã Congreg. ſub invocatione S. Mariæ de Succurſu Regni Siciliæ.*

§.3. Et deinde quamplures, & ferè omnes Religioſi Congregationis, & Regni Siciliæ hujuſmodi, ut perfectius Deo inſerviant, Procuratores ad effectum præfatam eorum Congregationem dictæ Congregationi Fratrum Diſcalceatorum Italiæ nuncupatorum, uniri petendum deputaſſent.

*Multi verò ejuſdem Cong. Fr. ad petendũ uniri hujuſmodi Cong. d. Cong. Italiæ plures deputarũt Procurat.*

§.4. Ac venerabilis frater noſter Antonius Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Saulius nuncupatus, totius Ordinis S. Auguſtini Eremitarum apud Sedem Apoſtolicam Protector, vivæ vocis oraculo à prædicto Paulo prædeceſſore habito, Congregationem Regni Siciliæ de conſenſu dictorum Procuratorum Congregationi Italiæ hujuſmodi univiſſet, & incorporaviſſet, Vicariumque generalem Diſcalceatorum Italiæ hujuſmodi ad ſupradictum effectum ad Regnum Siciliæ miſiſſet, illumque Fratres Siculi cum honore, & obedientia, tanquam ſuum Superiorem recepiſſent, & quamplures eorum in Capitulis generalibus dictæ Congregationis Italiæ ſuffragia tuliſſent, ac in Priores, Diffinitores, Viſitatores generales, & alios officiales, tam intra, quàm extra Provinciam Siciliæ electi fuiſſent, ac etiam habitum, Profeſſionem, Conſtitutiones, Cæremonias, Viſitationes, Correctiones, & omnia alia, tanquam verè incorporati, & uniti dictæ Congregationi Italiæ citra octo annos recepiſſent, & obſervaviſſent.

*Quorum opera à Card. Prot. habito vivæ vocis oraculo à d. Paul. fuit unita, & incorporata d. Congr. Italiæ, & illius Vic. gen. ad Reg. Siciliæ tranſmiſſus, qui Superior fuit ab illis Fr. receptus, atque ita fuit obſervat. octo Ann. ſpatio.*

§.5. Tandem nonnulli memoratæ Congregationis Siciliæ Religioſi, Procuratores fines eorum mandati exceſſiſſe, majoremque partem Religioſorum Congregationis Siciliæ deputationi, & Conſtitutioni præfatorum Procuratorum non interveniſſe, nonnullaque alia neceſſaria ad id adhibita non fuiſſe prætendentes, unionemque præfatam nullam eſſe aſſerentes, ſe ei oppoſuerunt.

*Hoc vivæ vocis oraculum habes hic ſeq. Tandem à nonnullis Fr. Cong. Siciliæ fuit obtentum de nullitate ipſius unionis.*

§.6. Quare negotio hujuſmodi ab eodem Paulo prædeceſſore ad Congregationem venerabilium fratrum noſtrorum S.R.Æ. Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum remiſſo, in eaque diu, maturéque diſcuſſo, partibus ipſis, videlicet dilectis filiis fratribus præfatarum Congregationum Italiæ, & Siciliæ, ac etiam dilecto filio Priore generali totius Ordinis S. Auguſtini, eorumque Procuratoribus & Advocatis ſemel, & pluries auditis, bonæ memoriæ Joanne tituli S. Clementis presbytero Cardinale Bonſio nuncupato referente.

*Quare d. Paulus hujuſmodi negotium examinandum remiſit Congr. Card. negotiis Regular. præpoſitorum.*

§.7. Eadem Sacra Congregatio Unionem Congregationis Siciliæ Congregationi Religioſorum S. Auguſtini Diſcalceatorum Italiæ, ut præfertur factam, validam eſſe cenſuit, eamque confirmavit, atque declaravit, ſupradictas literas fundationis, & erectionis Congregationis Siciliæ ejuſdem Pauli prædeceſſoris ſub eadem die 23. Maii 1608. hujuſmodi per dictam unionem expiraſſe, nulliuſque roboris eſſe, & fore, & Fratres Siciliæ, ac Italiæ hujuſmodi Congregationis Diſcalceatorum S. Auguſtini unam, eandemque Congregationem facere ſub eadem Obedientia, Legibus, Conſtitutionibus, Statutis, Juribus, Privilegiis, & quibuſcumque aliis, ſine aliqua differentia neque particularitate in perpetuum eſſe, & fore, quibuſcumque non obſtantibus. Ita tamen, ut omnes, & ſinguli Congregationis Siciliæ hujuſmodi Religioſi, qui in ea ante unionem præfatam profeſſionem emiſerunt, ad ſex menſes dumtaxat à notificatione facta, vel facienda, juxta Decretum dictæ Congregationis, ſub ultima Novembris 1609. & ejus literis ſub 19. Decembris menſium diebus 1620. annorum ejuſdem Domini, ad alias ejuſdem Ordinis Congregationes ſub obedientia ejuſdem Prioris generalis tranſire, in eiſque de cætero vivere, & illorum Regularia inſtituta obſervare teneantur. Illi verò hujuſmodi profeſſi ante unionem, qui talem tranſitum facere noluerint, & alii qui poſt unionem præfatam in Congregatione Diſcalceatorum Italiæ ſub eodem Vicario generali profeſſionem emiſerunt, in ea perpetuò ſimiliter remanere debeant, ac etiam teneantur, ac ſuperioritati, juriſdictioni, & obedientiæ Superiorum Congregationis Diſcalceatorum Sancti Auguſtini Italiæ hujuſmodi ſubjacere cogantur, ac alias, prout in Decreto dictæ Congregationis, cujus tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, etiam pleniùs continetur.

*Quæ d. unionem validam eſſe cenſuit, eamque confirmavit, & alia declaravit, ut hic.*

*Hoc Decr. & has literas habes infra poſitas.*

§.8. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ea quæ à Nobis, & Sede præfata confirmantur, & approbantur, firmius ſubſiſtant, & ab omnibus inviolabiliùs obſerventur, pro parte Religioſorum primodictæ Congregationis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Decretum prædictum approbare, & confirmare, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

*Nunc verò Congr. Italiæ ſupplicat Pont. ut Decr. Congr. Card. approbare velit.*

§.9. Nos igitur, qui Chriſti fidelium quorumlibet, Altiſſimo præſertim ſub ſuavi Religionis jugo famulantium vota inviolabiliter obſervari, ac in eis cum animi tranquillitate perſeverari ſinceris deſideramus affectibus, primodictam Congregationem, ac omnes, & ſingulos illius Religioſos, & Profeſſores ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eoſdemque Religioſos, & Profeſſores, ac eorum quemlibet, necnon primodictæ Congregationis ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ejuſdemque Decreti, ac quarumcumque aliarum ſcripturarum deſuper quomodolibet confectarum veriores, & totos tenores, ac dat. cum inde legitimè ſecutis quibuſcumque, necnon litis, & cauſæ, ratione oppoſitionis unioni hujuſmodi, ſtatus & merita præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto ejuſdem ſacræ Congregationis omnia, & quæcumque in eodem Decreto contenta, & inſerta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, omneſque & ſingulos, tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum, tam de jure, uſu, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet requiſitarum, in præmiſſis forſan omiſſarum defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Qui modò illud approbat & confirmat cum omnibus inde ſecutis, necnon ſupplet defectus ſi qui deſuper intervenerint.*

§.10. Et nihilominus ad tollendas omnes lites, dictas domos regulares S. Nicolai, & S. Gregorii Congregationi Diſcalceatorum Italiæ hujuſmodi, non obſtantibus prætenſionibus, & reclamationibus Prioris generalis totius Ordinis prædicti, auctoritate, & tenore præfatis, quatenus opus ſit, de novo unimus, annectimus, & incorporamus.

*Ac etiam domos Regulares in d. Regno jam erectas Congr. Italiæ annectit, & de novo incorporat.*

§.11.

§. 11. Decernentes, confirmationem, approbationem, defectuum ſuppletionem, novam unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi, ac præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, aut ab omnibus inviolabiliter obſervari, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, aut aliis contrariis diſpoſitionibus à Nobis, vel aliis Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris, ſub quibuſvis juſtiſſimis cauſis, etiam ad Prioris Generalis dicti Ordinis, aut quorumcumque aliorum inſtantiam, intuitum, vel contemplationem, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet emanatis, & emanandis, nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub poſteriori data per Religioſos Congregationis Italiæ hujuſmodi eligenda conceſſas eſſe, & cenſeri.

§. 12. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card, judicari, & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, præſertim felicis recordat. Sixti Quarti, & Julii Secundi, ac Leonis Decimi, necnon Julii Tertii Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, eidem Ordini ac illius Priori Generali, necnon quibuſvis illius Fratribus, & Religioſis, ſeu aliis perſonis in genere, vel in ſpecie ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis Decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, defectuum ſuppletionis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraìre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

11. Febr. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, pridie Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno primo.

*Sequitur conceſſio Eccleſia Beata Maria de Catena in Civitate Panormitana exiſtentis, iſtis Fratribus Congregationis Siciliæ, nuper in eo Regno inſtituta.*

An. D. 1608.

## *GREGORIUS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

COllapſæ Regularis diſciplinæ reſtitutioni pro Paſtoralis officii noſtri debito aſſiduè invigilantes, omnem adhibemus operam ut Religioni primævus Sanctitatis ordo reſtituatur.

§. 1. Cum itaque (ſicut accepimus) dilectus filius Dionyſius de Neapoli in ſacra Theologia Magiſter, & nonnulli ejus ſocii Ordinis Sancti Auguſtini Fratrum Eremitarum expreſsè profeſſi, reformationem, & obſervantiam Regularem ad præſcriptum Regulæ Beati Auguſtini, & Decretorum fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, ſuper reformatione dicti Ordinis Eremitarum S. Auguſtini editorum, in Siciliæ Regnum introducere intendant.

*Alii Fratres hujus Ordinis Obſervantiam ac Reformationem juxta B. Aug. Reg. in Regnis Siciliæ introducere intendunt.*

§. 2. Et nos d. Ordinis decus, integritatem, ſuique priſtini candoris reſtitutionem ſincero conſiderantes affectu, Dionyſio, & aliis Fratribus ſub reformatione, & obſervantia prædictis vitam acturis Eccleſiam S. Mariæ de Catena nuncupatam Panormitan. quæ ut accepimus per Beneficiatos ad nominationem Communitatis, & hujuſmodi Civitatis quolibet anno mutati ſolitos regi conſuevit, cum illius ædibus Rectoralibus, ac Juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, ad effectum ædes prædictas ad formam domus Regularis Obſervantium Eremitarum S. Auguſt. nuncupan. reducen. accedente tamen conſenſu Ordinarii, & quorumcumque intereſſe habentium, perpetuò concedimus.

*Pro quibus vel effectu Pont. cōcedit S. Maria de Catena Civitatis Panormit. unà cum domibus Rectoralibus, aliiſque pertinentiis, & c. de conſenſu tamen Ordinarii & aliorum intereſſe habentium.*

§. 3. Ac Dionyſio, & Fratribus prædictis, ut juxta regularia Inſtituta Ordinis hujuſmodi, novitios abſque licentia Ordinariorum ad habitus ſuſceptionem, & profeſſionis emiſſionem, ſervatis in reliquis Decretis d. Clementis prædeceſſoris deſuper editis, admittere.

*Et permittit ut Novitios ad habitum & profeſſionem ſine Ordinariorū licentia poſſint admittere, ſervata in reliquo conſt. 63. Clem. VIII. ſup. tom. 3.*

§. 4. Et in quibuſvis Regnis, & Provinciis Eccleſias, & ædes quaſcumque eis oblatas de licentia Ordinariorum pro fabrican. novis domibus Reformatorum, juxta formam ſimiliter Conſtitutionis d. Clementis prædeceſſoris, & non alias, non autem domos jam fundatas, ſeu conſtructas alterius Provinciæ, vel Congregationis, abſque expreſſa d. Prioris generalis licentia accipere poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium permittimus, & licentiam damus.

*Ac novas domos, non autem jam fundatas de Ordinariorum licentia accipere pro fabricandis eorum monaſteriis.*

§. 5. Cum declaratione tamen, quod Priori Generali prædicto ſubjecti remaneant, & aliquem gradum quovis nomine nuncupatum ſuſcipere non poſſint, ſed juxta tenorem Conſtitutionum Apoſtolicarum habeant gradus abſolutè ad Jus exponen. legen. interpretan. & concionan. & nomen Regentis, Reſpondentis, Magiſtri, Audientium, & Lectoris ſolus ipſe actus legen. diſputan. reſponden. & argumentan. Fratribus tribuat, & eo in actu tantum hujuſmodi nominibus frui, & gaudere poſſint: ſed omnes communi nomine Fratrum reformatorum nuncupatorum, & ſi Magiſterii, aut alio gradu inſigniti dictam Reformationem, ſeu obſervantiam ingredi petierint, aut voluerint, nomine tantùm Fratris appellentur.

*Declarat illi remanere ſubjecto Priori generali, nec poſſe aliquem gradum ſuſcipere, ſed nuda habeant officia exponen. legen. & ſimilia.*

§. 6. Inſuper perpetuò ſtatuimus & ordinamus, quod Superiores ipſorum Reformatorum, ſeu Obſervantium, ab ipſiſmet Reformatoribus, ſeu Obſervan. tantùm, ſervata tamen forma Conſtitutionum Ordinis prædicti, eligantur, & à Priore Generali totius Ordinis pro tempore exiſten. confirmentur: quodque ſi numerus domorum Reformatorum, ſeu Obſervantium hujuſmodi excreverit, Vicarius hujus Reformationis juxta Conſtitutiones prædictas eligatur, & in quibuſvis Capitulis eorum Prior primæ domus, in quam primùm Reformatio, ſeu Obſervantia regularis introducetur, vel primus Definitor, eorum quilibet pro ſuo biennio, quod à Priore Generali confirmatur, Præſidens exiſtat, liberum autem ſit Priori generali in certis caſibus Præſidentem nominare, & mittere non ſolùm ex prædicta Reformatione, ſed quemcumque alium, non tamen Regni Siciliæ, cùm pro quiete Fratrum Reformationis hujuſmodi ita expedire in Domino viſum fuerit.

*Statuit Superiores Refor. ab ipſis Reformatis, ſeu obſervan. eligi debere, & à Gen. confirmari, & ſi numerus domorum excreverit, Vicarium eligendum.*

§. 7. Omnes autem calceati incedant, ac panno groſſo, & vilis pretii, ſeu ferendina, ut vocant, etiam craſſa, juxte formam Conſtitutionum Ordinis prædicti, non autem alio panno ſubtiliori utantur, & in reliquis Conſtitutiones, Decreta, & Ordinationes à d. Clemente prædeceſſore editas, præſertim quæ Fratres dicti Ordinis nominatim concernunt, obſervent.

*Atque ſtatuit de habitu, & calceamentis in reliquo ſervan. conſtit. [illegible] d. Clem.*

§. 8. Denique ut reformatio hujuſmodi cum puritate cordis introducatur, Fratribus Reformatis prædictis, ut ea die qua poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ accipient, ſeſe invicem à quibuſvis peccatis, erroribus, & exceſſibus,

*In die qua accip. poſſeſ. d. Eccl. ipſi Fr. ut invicem ſe poſſint abſolvere ab*

*omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſt. reſervatis (hæreſi excepta) facultatem tribuit. Et viſitantibus ipſam Eccl. dictâ die confeſſis, ac ſacra com. refectis plen. indulg. elargitur.*

etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non tamen hæreſi, injuncta pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, abſolvere poſſint, & valeant, auctoritatem, & facultatem concedimus.

§. 9. Ac tam ipſis, quam aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui eodem die eandem Eccleſiam viſitaverint, ac ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione preces ad Deum pias effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

*Contraria tollit.*

§. 10. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & quibuſvis aliis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac etiam Motu proprio, vel conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſaque ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 3. die 23. Maii.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Maii 1608. Pont. noſtri anno tertio.

*Sequitur viva vocis oraculum factum Cardinali Protectori ab iſtomet Paulo ſuper unione atque incorporatione Congregationum Italiæ, & Siciliæ iſtorum Fratrum.*

*Antonius Card. Saulius Congregationis Reformatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum Italiæ nuncupatorum Protector.*

CUm Reverendus Pater Fr. Joſeph à Meſſana, unus ex Congregatione Diſcalceatorum illius Regni, qui Fratres Reformati Diſcalceati Ordinis Eremitarum S. Auguſtini S. Mariæ de Succurſu nuncupantur, Romam ex Panormo venerit, mandatum Procuræ ſecum afferens, ut Fratrum illorum omnium nomine unionem, & incorporationem cum Reformatorum ejuſdem Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Diſcalceatorum Italiæ nuncupatorum Congregatione, ut ſic uniti, ac incorporati Deo humiliùs, & ferventiùs poſſent inſervire, peteret: Nos noſtræ Protectionis munere fungentes, eorumque hujuſmodi piæ petitioni favere volentes, verbum hac de re cum S.D.N. Paulo Papa V. fecimus, ſua verò Sanctitas cum annuerit, Nos auctoritate ob noſtram eandem Protectionem nobis à Sanctitate ſua conceſſa, ſupradictos Siciliæ Fratres Reformatos Diſcalceatos cum Fratrum Italiæ Diſcalceatorum Reformatorum Congregatione omnibus cum clauſulis neceſſariis, atque opportunis unimus, atque incorporamus, Deum optimum Maximum precantes, ut hoc fidelium bono, & ſui ipſius nominis fieri cum gloria velit. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Romæ in ædibus noſtris die 7. menſis Maii 1611.

Antonius Cardinalis Saulius Ordinis Protector.

*Sequitur aliud vivæ vocis oraculum ſuper dicta unione confirmatorium primi, cum ſupplemento quorumcumque defectuum, ſi qui deſuper intervenerint.*

*Antonius Cardinalis Saulius totius Ordinis S. Auguſtini Protector.*

NOvem jam propè abierunt anni, cum ſic volentibus, atque poſcentibus Reverendis Nobis dilectis Fratribus in Sicilia Reformatis Diſcalceatis Eremitis S. Auguſtini Sanctæ Mariæ de Succurſu nuncupatis, eos Nos cum Reformatorum ejuſdem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum Italiæ nuncupatorum Congregatione, facto hac de re verbo cum S. D. N. Papa Paulo V. qui annuit, univimus, atque incorporavimus. Nuper extitere tamen ex Siculis Fratres nonnulli, qui iſtam Congregationum conjunctionem dirimere, atque etiam tollere cogitarint, invalidam illam, ac nullam eſſe jactantes. Aiunt namque Procurationis mandatum ad ipſam hanc Congregationem, unionem, atque incorporationem attinens Siciliæ & aliarum, non ritè, neque eo quo debuit modo, hoc eſt, non omnibus convocatis Fratribus, neque per campanæ (ut dicitur) ſonum fuiſſe confectum. Propterea nullas etiam eſſe habitus ſuſceptiones, & profeſſiones ab incorporatis ante lapſum probationis annum emiſſas. Nos omnia hæc S.D.N. narravimus. Sua verò Sanctitas diſſenſiones, & lites tollens, omnes tam præſentes, quam futuras, & defectus (ſi qui fuerunt) tam juris quàm facti ſuper præmiſſo Procurationis mandato, ſuper etiam habitus ſuſceptionibus, ac profeſſionibus prædictis ab incorporatis emiſſis, aliiſque omnibus nobis ſatis cognitis, juſtis de cauſis hic non expreſſis ſupplet, ipſarumque Congregationum unionem, atque incorporationem manere voluit. Itaque Nos ex auctoritate nobis, qui totius Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Protectoris munus gerimus, à Sanctitate ſua vivæ vocis oraculo conceſſa eam confirmamus (& quatenus opus ſit) denuò facimus, perpetuiſque futuris temporibus in omnibus juxta voluntatem, ac juſſum Sanctitatis ſuæ obſervari mandamus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Romæ die 5. Martii 1619.

Antonius Card. Saulius Protector.

*Subſequuntur Decretum, ac Literæ quibus conceditur facultas dd. Fratribus S. Nicolai, ac S. Greg. Panormit. ante d. Unionem profeſſis tranſeundi ad alias domos Conventuales extra d. Regnum per Priorem Generalem aſſignandas, infra ſex menſes à notitia præſentium decurrendos.*

*Ex Audientia Sanctiſſimi die ultima Novemb. 1619.*

SAnctiſſimus Dominus Noſter confirmationem hujuſmodi Unionis ab Illuſtriſſimo Cardinali Saulio factam probavit, ac (quatenus opus ſit) denuò uniri mandavit, cum Decreto, quod Religioſi, qui in Sancti Nicolai de Tolentino, ac S. Gregorii Panormitani domibus ante ſupradictam Unionem profeſſionem emiſerunt, ſi Congregationem Italiæ ingredi, illiuſque Reformationem, ac Regularia Inſtituta accipere noluerint, ad alias domos Conventuales, etiam extra dictum Regnum Siciliæ, eis per Priorem Generalem ejuſdem Ordinis deſignandas, ad ſex menſes dumtaxat à die notificationis præſentium inchoandos, tranſire poſſint, & valeant, literaſque ſub annulo Piſcatoris deſuper expediri mandavit.

*Ex Audientia Sanctiſſimi die 19. Decemb. 1621.*

Sancto Agoſtino Scalzi d'Italia. Al Generale Napoli.

HAvendo fatto ſupplicare alla Santità di N.S. li Scalzi di coteſta Religione che ſono in Sicilia, è che ſi trovano Profeſſi prima che da Noi col vivo oracolo della Santità Sua foſſero uniti alla Congregatione delli Scalzi d'Italia del medeſimo Ordine, di paſſare ad alcune di quelli Congregationi dell'iſteſs'Ordine, che più piacerà loro. M'ha la Santità Sua ordinato di ſcrivere a V.P. che a tutti quelli Scalzi ſuddetti, che dentro a ſei meſi da cominciarſi dalla notitia della preſente vorranno paſſare a qualſivoglia delle Congregationi di coteſta Religione, dia loro licenza di poterlo fare, con pigliare l'habito

bito della medeſima Congregatione, alla quale paſſarano, è reſtando ferma nel reſto l'Unione ſudetta, conforme al Decreto della S. Congregatione, per quelli che non ſi curano di fare ſimile tranſito, è per quelli, ch'hanno profeſſato doppo la ſudetta Unione, a quali reſtarano anco li Conventi di Palermo. E Dio, &c.

---

VI. **Privilegia, Indulta, Gratiæ, Facultates, Exemptiones conceſſæ Cubiculariis, qui Sanctitati Suæ inſerviebant.**

*Horum Cubiculariorum Collegium unà cum alio Collegio Scutiferorum Apoſtolicorum erexit Leo X. in ſua conſtit. 14 Romanus, ſuprà in Bullar. antiq. tom. 1. ubi nota, qua ſufficienter habes de ea materia. Sed poſtea in Bullar. novo ſedulò prætermiſſa eſt.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

VEnerabili fratri Galeotio Archiepiſcopo Baren. Domus, & Palatii noſtri Præfecto, ac dilectis filiis Petro Pavonio Ariminen. Cubiculi noſtri Præfecto; Clementi Leoni Bononien. Pincernæ; Franciſco Volparæ Bononien. Dapifero: Marco Antonio Gozadino Bononien. Mario Bovio Bononien. Eleemoſynario Secreto: Attilio Arioſto Bononien. Fratri Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, Foretio Majori, Carolo Lilio Romano: Joſepho Simoni Lucan. Bernardino Caſtellano Alban. Medico, Franciſco Cecchino Romano, Paulo Alaleoni Romano, Joanni Antonio Pavonio Ariminen. Erneſto Adalberto ab Herrach Viennen. Raphaëli Pinchiaro Bononien. Caudatario, Stephano Pinchiaro Bononien. Hippolyto Boncompagno Romano, Michaeliangelo Caſtello Bononien. Capellanis Secretis: Livio Sonantio Reatin. Thomæ Scribanario Bononien. Jacobo Domenichino Bononien. conjugato: Auguſt. Mirono Tiburtin. diœceſ. etiam conjugato, necnon Gaſpari Polonio Romano, Secretario noſtro domeſtico, ac reſpectivè Cubiculariis, & familiaribus, continuis commenſalibus noſtris Clericis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Circumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia devotos, & fideles ſuos, illos præſertim, qui grata familiaritatis obſequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id alias propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon ſpecialis benevolentiæ favoribus amplecti ſolet, prout perſonarum qualitatibus conſpicit convenire.

*...iſtis Cu- ...larii: cū- ...u privile- ...ſubſequē- ...ſcilicet, ...eat No- ...Sr is ...ſt. ſine ...udicio ...ticipan- ...n.*

§. 1. Hinc eſt, quod Nos ad grata familiaritatis obſequia, quæ vos, qui etiam continui commenſales noſtri exiſtitis, & quilibet veſtrûm nobis hactenus impendiſtis, & adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtitis, necnon vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonas veſtras etiam familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea eaſdem perſonas veſtras peculiaris favoris gratia, ac ſpecialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo ſublimare volentes: Vos, & quemlibet veſtrûm à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes: Motu proprio, non ad veſtram, vel alterius pro vobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera liberalitate, & certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

*...mites, No- ...es, & Equi- ...s.*

Vos, & quemlibet veſtrûm reſpectivè in noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios (ſine tamen præjudicio dilectorum filiorum noſtrorum Notariorum de numero participantium) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium recipimus.

§. 2. Ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, necnon Auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniumque & ſingularum aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Romanæ Eccleſiæ mediatè ſubjectorum cives, cum omnibus juribus, juriſdictionibus, prærogativis, & inſignibus debitis, & conſuetis creamus, ac conſtituimus, ac in numerum, & conſortium aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ hujuſmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictorum referimus, & conſcribimus.

*Eorumque privilegiis præter hic deſcripta, etiamſi habitum non deferant, utantur.*

§. 3. Vobiſque, etiamſi habitum, & Rochettum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati non deferatis, aut Civitates hujuſmodi non incolueritis, nec unquam in eiſdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus ceteri omnes Notarii noſtri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citra tamen exemptionem à Concilio Tridentino ſublatam, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque hujuſmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætenſa, itaut illis uti nullibi valeatis, ac irritum, & inane exiſtat quicquid ſecus per vos, aut quemlibet veſtrûm reſpectivè attentari contigerit.

*Etiam in aſſecutione Beneficiorū Eccleſiaſticorum.*

§. 4. Necnon Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, ac ſecularium, etiam ex perſonis Romanorum Civium originariorum vacantium aſſecutione & exercitio, tam in Urbe, quàm in Civitatibus prædictis, & alias ubique locorum, & gentium, necnon Seſſionum, & Conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, ac ſi privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujuſmodi pro vobis emanaſſent, uti, potiri & gaudere, ac in omnibus, & ſingulis Apoſtolicis, aliiſque literis, inſtrumentis, & ſcripturis publicis, & privatis deinceps nomine veſtro conficiendis, vos Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Roman. & aliarum Civitatum, & Terrarum prædictarum Cives, prout libuerit, inſcribere, & vos illis ſubſcribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expreſſionibus ſubreptitium, aut obreptitium, vel invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus cenſeatur, necnon honoris cauſa inſignia gentis noſtræ, ſive integrè, ſive cum veſtris reſpectivè compoſita, geſtare poſſitis, prout vobis placuerit, concedimus.

*Exemptio à decimis, & aliis impoſitionibus.*

§. 5. Et inſuper vos, veſtraque beneficia, & officia Eccleſiaſtica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, res, & jura, ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem R. E. mediatè, vel immediatè ſubjectis conſiſtentia, prædia, domos, poſſeſſiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia, & immobilia ac ſe moventia, necnon actiones, & jura præſentia, & futura, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, & cujuſvis etiam annui valoris, fructus, redditus, & proventus hujuſmodi ſint, vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis vendenda, ac pro veſtris, & familiarum veſtrarum uſibus emenda ab omnibus, & quibuſcumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, ſubſidiis etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio modo nuncupatis, angariis, parangariis, ceteriſque oneribus, & contributionibus, tam urbanis, quàm ruſticis, ordinariis, & extraordinariis, realibus, perſonalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum Mœniorum, & Pontium, Portarum, Moliturarum, & mercium cujuſcumque generis, tranſitus, ſeu paſſus, & vecturæ, etiam in aliud territorium, ſeu Provinciam, Terra, Mari, & Flumine, necnon equorum mortuorum, ſtabulationum Militum, inſtitutionis ſeminarii Eccleſiaſtici, aut quacumque alia quantumvis gravi, etiam graviſſima cauſa (pro ſubventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc & pro tempore impoſitis; ita quod vos, & quemlibet veſtrûm nihil omnino horum, aut aliorum ſimilium ſubire teneamini,

nec

nec per Cameræ Apoſtolicæ,aut alios Commiſſarios,ſeu vectigalinm,& tributorum hujuſmodi redemptores,conductores,& exactores, quocumque privilegio,exemptione, & facultate ſuffultos, aliàs quàm, ut præfertur, valeatis coarctari, (quandiu ſervitiis noſtris inſtiteritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

*Diſpenſatio ad duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis tribus tectis.*

§.6. Ad hæc vobiſcum, & cum quolibet veſtrum reſpectivè, ut quæcumque duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia, ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cardinalium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum Eccleſiarum conſiſtentia, etiamſi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, & principalis, Canonicatus, & præben. perſonatus, adminiſtratio,vel officium fuerit, & ad dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam juriſdictionalis immineat animarum,ſi alicui veſtrum aliàs canonicè conferantur, aut quiſque veſtrum eligatur, præſentetur, aut aliàs aſſumatur ad illa, & inſtituatur in eis, recipere, & dummodo illa (uno excepto) perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixeritis retinere.

*Necnon à reſidentia durante ſervitio Pontif. cum perceptione omnium fructuum, diſtributionibus quotidianis exceptis.*

§.7. Necnon etiam quandiu nobis inſervieritis tantum in beneficiis Eccleſiaſticis, etiam curatis, non tamen parochialibus,nec curatis cura animarum Parochianorum, per vos pro tempore reſpectivè obtentis, etiam de jure, ſtatuto,fundatione, vel privilegio perſonalem reſidentiã requirentibus, etiamſi dignitates in Cathedralibus,etiam Metropolitanis majores, ac Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint,perſonaliter reſidere non teneamini, nec ad id per locorum Ordinarios, aut Eccleſiarum earundem Capitula, ſeu quoſvis alios ad reſiden.interim in illis inviti compelli poſſitis,omneſque,& ſingulos veſtrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus,& proventus,durante ſervitio prædicto,cum ea integritate (diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperetis, ſi in eiſdem Eccleſiis ſive locis perſonaliter reſideretis, percipere,exigere,& levare.

*Facultas recipiendi Ordines etiam ſacros à quocumque catholico Antiſtite, etiam extra tempora, & ſine licentia Ordinarii.*

§.8. Ac interim, vel poſtmodum, ſi volueritis, hic in Romana Curia, vel extra eam à quocumque malueritis Catholico Antiſtite gratiam, & communionem ejuſdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam ſacros, & Presbyteratus ordines, aliquibus tribus Dominicis, vel aliis Feſtivis diebus, etiam extra tempora à jure ſtatuta,proprii Ordinarii, aut cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, ſi aliàs idonei ad id reperti fueritis, ſuper quo Antiſtitis conſcientiam oneramus, promoveri, & in illis promoti etiam in Altaris miniſterio miniſtrare.

*Indultum audiendi leges, & eas docendi, necnon Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in cauſis Eccleſiaſticis civilibus tantũ exercendi.*

§.9. Necnon etiamſi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, leges, & jura civilia etiam publicè in ſcholis, & Univerſitatibus ſtudiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigeſimum ætatis annum non exceſſeritis, audire, & ſi habiles, & ſufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujuſmodi facultate vos promoveri facere, ipſaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in cauſis Eccleſiaſticis civilibus tantum exercere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus.

*Licentia eligendi ſibi Confeſſarium cum facultate eos ab omnibus hic expreſſis abſolvendi.*

§.10. Liceat quoque vobis,& cuilibet veſtrûm aliquem idoneum,& ab Ordinario approbatum presb. ſecularem, vel cujuſvis Ordinis regularem in veſtrum eligere Confeſſorem, qui vita ejus comite, vos, & quemlibet veſtrum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, & per vos incurſis,& quibus vos etiam Apoſtolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamſi abſolutio Nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat,& quorumcumque votorum, & Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus,homicidii caſualis,manuum violentarũ in quaſvis perſonas etiam Eccleſiaſticas (non tamen Epiſcopos,vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus,ſeu conſilii,vel favoris ad id præſtationibus, jejuniorum omiſſionibus (non tamen recitationis Horarum Canonicarum, aliorumque divinorum Officiorum) & denique ab omnibus, & quibuſcumque aliis veſtris peccatis, criminibus, & exceſſibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò conſulenda foret, videlicet à contentis in literis die Cœnæ Domini publicari conſuetis, ſemel tantum in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reſervatis,aliiſque quibuſvis caſibus ſemel in anno,confeſſionibus veſtris diligenter auditis (ſine tamen alicujus præjudicio) prædicta auctoritate Apoſtolica abſolvere,& vobis pro commiſſis pœnitentiam injungere ſalutarem.

*Ac vo… mutand…*

§.11. Necnon vota quæcumque (viſitationis liminum ultramarinorum, & BB. Apoſt. Petri, & Pauli, Caſtitatiſque ac Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare.

*Indul… transf… penſion… in mort… ticulo … ad ſum… 300. du… de Cam.*

§.12. Vobiſque ulterius, & cuicumque veſtrûm reſpectivè,ut quicumque loci Ordinarii,vel Canonici Metropolitan.ſeu aliarum Eccleſiarum,aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ,tam in dicta Curia, quàm extra eam ad id per vos reſpectivè coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas vobis ſuper Menſarum Abbatialium, ſeu Capitularium,ac Epiſcopalium,& Archiepiſcopalium,ac quorumcumque aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis Ordinum,& Militiarum Regularium,etiam Hoſpitalis S. Joan. Hieroſolymitani, quomodocumque & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus etiam quotidianis, ſeu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones,diſtributiones, & pro tempore aſſignata, & reſervata, ac reſervanda, pro ſumma videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera,quoad ſingulos veſtrûm quandocumque alicui veſtrûm reſpectivè placuerit, ſimul vel ſucceſſivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuſlibet veſtrûm mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ,& extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus, ſeu illarum loco fructus,redditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi uſque ad ſummam,& quantitatem præfatam uni,vel pluribus aliis perſonis, etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque,& qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus,& expectantibus,ſeu clericali charactere inſigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus ad id ab eis ſpeciale mandatum habentibus,iiſdem modo, & forma quibus vobis aſſignatæ, aut reſervari,ſeu aſſignari conceſſæ,ſeu conceſſi fuerint, etiã abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium, etiamſi illas,vel illa aliàs caſſari, & reſervari de novo facien.facultatẽ non habueritis,ac penſiones,& fructus,redditus,provẽtus,jura,obvẽtiones,ac diſtributiones,& emolumenta hujuſmodi eiſdem pluries caſſatæ,& de novo aſſignatæ fuerint,uſque ad ſummam,& quantitatem prædictam, etiam literis Apoſtolicis ſuper reſervationibus, & aſſignationibus hujuſmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis,clauſulis,cautionibus, vinculis, obligationibus, cautelis,ac etiam cenſuris,& pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contẽtis integrè perſolvendas reſervare,conſtituere, & aſſignare valeant, auctoritate,& tenore prædictis de ſpeciali gratia indulgemus.

*Facult… ſtandi … vorem … conſang… neorum, … aliorũ … per priv… ſcriptur… uſque … ſummam … millium … cat. aur. Cam.*

§.13. Necnon etiam vobis, ut de omnibus,& ſingulis domibus,prædiis,poſſeſſionibus,terris,& locis,ac juriſdictionibus, ceteriſque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non ſint Altaris, vel Altarium Eccleſiarum vobis commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earundem Eccleſiarum divino cultui, ſeu uſui deputata, ſeque moventibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſtentibus, ac juribus, & actionibus ad vos ratione Eccleſiarum,etiam Cathedralium, etiam Metropolitan. quibus vos præeſſe forſan contigerit, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, dignitatum,& aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum,cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apo-

ſtolicis

ſtolicis in titulũ, commendam, adminiſtrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redditnum, & proventuũ Eccleſiarũ, loco penſionum annuarũ ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus vobis reſervatorum, & aſſignatarum, ac reſervandorum, & aſſignandarum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, & aliàs quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & penſionibus annuis, necnon veſtra, & cujuſlibet veſtrũm induſtria, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquiſitis, & acquirendis, ac alias etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & alia quavis occaſione, vel cauſa, ſeu contemplatione ad vos perventuris, etiamſi in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant, tam in dicta Curia, quàm extra eam ubique locorum, & penes beneficia ipſa exiſtentibus, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamſi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & ſupellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus, ac ſi ſpecificè, & ſigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro ſufficienter expreſſis, & declaratis haberi volumus, uſque ad ſummam ſex millium ducatorum auri de Camera, ac etiam de ipſis fructibus, redditibus, proventibus, & penſionibus debitis, & debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiamſi illorum ſolutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illa rata, quæ vobis debita erit, Conſtitutione, & declaratione ſuper fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forſan ad ſucceſſores in ipſis beneficiis ſpectare, & pertinere debeant, non obſtantibus, etiam cumulativè cum quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus facultatibus habitis & habendis, uſque ad ſummam quadringentorum ducatorum ſimilium dumtaxat, tam pro decentibus, & honeſtis impenſis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus ſervierint, etiam ultra ſervitii meritum, ac in veſtrorum conſanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & uſum aliàs pro arbitrio, & voluntate veſtris, & cujuſlibet veſtrum abſolutis teſtari, & teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quàm cauſa mortis, & aliis quibuſcumque modis, & titulis, ſcriptura etiam minus ſolemni, coram duobus, vel tribus teſtibus, aut etiam cedula manu veſtra ſcripta, vel ſubſcripta, & alias in omnibus & per omnia, prout, & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipſa Curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præſentis, vel aliarum vobis pro tempore conceſſarum ſimilium facultatum, aut quod in vim illarum teſtari, ſeu diſponere velitis, & intendatis ſemel atque iterum, aut pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, itaut quicquid teſtatum, geſtum, aut ordinatum, ſeu alias diſpoſitum à vobis fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, ac alias omni meliori modo valeat, & ſervari debeat, ipſaque teſtamenta, codicillos, diſpoſitiones, ordinationes, donationes, legata, & ſtatuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apoſtolica, & tenore præmiſſis plenam, & liberam concedimus facultatem.

*plementũ ium defe- m ſuper ſequutorũ ſequen- m.*

§. 14. Et inſuper ſtatuimus, ordinamus, vobiſque indulgemus, quod ſi contigerit vos ab inteſtato, & ſine ulla, vel minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum præfatorum diſpoſitione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra veſtra beneficia, vel alia loca debitæ à vobis reſidentiæ perſonalis, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, ab humanis decedere, omnia, & ſingula bona, res & jura, etiam ut præfertur qualificata, necnon ſpolia, cujuſcumque quantitatis, & valoris exiſtentia, etiam ex præfatis, & aliàs undecumque provenientia, ad Cameram Apoſtolicam, ſeu in dictis beneficiis ſucceſſores non pertineant, ſed ad hæredes veſtri ſanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares veſtros, arbitrio perſonæ ſeu perſonarum, quas ad id ſcripto nominaveritis, diſtribuantur, niſi de alia diſpoſitione, vel intentione veſtra ſcriptura etiam minus ſolemni ſecus appareret, quam tunc velut efficacem ipſæ perſonæ, vel alii Judices ſeu executores omninò exequi & adimplere, illique ſeſe conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujuſmodi teſtamenta, legata, donationes, diſpoſitiones, & alia forſan aliàs à nobis, etiam nulla, aut minus ſufficienti facultate ſuffultis, de hujuſmodi bonis, juribus, ac actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliiſque rebus ſupradictis, etiam in favorem conſanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde ſecutis, ac etiam ea quæ per vos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc, & è contra approbamus, & confirmamus, omneſque & ſingulos juris, & facti, ac ſolemnitatum omiſſarum, & omittendarum, necnon ſubſtantiales, alioſque defectus quoſcumque, ſi qui intervenerint, aut intervenerunt in eiſdem, etiamſi tales ſint, vel fuerint, quod ſpecialis, & ſpecifica de illis mentio præſentibus habenda eſſet, ſupplemus.

*Inhibitio contra moleſtantes.*

§. 15. Diſtrictius inhibentes quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon Cameræ præfatæ Præſidentibus, & Clericis, ac eorum, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cruciatæ ſanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, cæteriſque cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam quavis auctoritate, & poteſtate fungentibus, ſub excommunicationis majoris, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ne Univerſitates, Collegia, ac Loca, & Legatarios, hæredes, & perſonas, necnon teſtamentorum, voluntatum, & ordinationum hujuſmodi Executores præfatos directè, vel indirectè quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtare audeant quoquo modo, vel perturbare.

*Clauſula præſervativa.*

§. 16. Ac decernentes prædicta omnia, & ſingula, præſenteſque literas, & teſtamenta, donationes, codicillos, fideicõmiſſa, legata, ordinationes, derogationes, diſpoſitiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmiſſis facta ſunt, aut fieri contigerit, tam vigore præſentis, quàm etiã aliarũ conceſſionum vobis factarum, ac deinceps in genere, & in ſpecie faciendarum, cum inde ſecutis, & ſecuturis, etiãſi vos intra Curiam, aut in quacumque alia Mundi parte extra Eccleſias, & beneficia perſonalem reſidentiam requirentia, qualitercumque qualificata, per vos nunc & pro tempore obtenta, etiam pro veſtra ſola voluntate, & nulla ſubſiſtente cauſa reſiden. ab humanis decedere contigerit, ſub literis fel. rec. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri contra quoſcumque Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores, ceteroſque reſidentiæ perſonali prædictæ adſtrictos, extra illam quomodocumque decedentes, ſeptimo Kal. Dec. Pont. ſui anno 5. aut alio veriori tempore emanatis, & ſub quibuſcumque aliis conſtitutionibus, aut revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apoſtolicis, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ex quibuſvis cauſis quantumcumque maximis, urgentibus, & incogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac conſiſtorialiter, etiam à Nobis, & Sede præfata hactenus, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, & etiam ſub data poſteriori, etiam cum derogationibus, & regulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque & aliis decretis per vos eligendis, apponendis, & latiſſimè ſpecificandis repoſita, reſtituta, & plenariè reintegrata, ac de novo conceſſa, validaque & efficacia fore, necnon perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, & omnes effectus, qui de jure, ſtylo, conſuetudine, aut aliàs quomodocumque ſortiri poterunt, aut vim veri, legitimi, jurati, ſtipulati, validi, & efficacis contractus inter vos ex una, ac Nos, & Came[illegible] prædictos ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Eccleſiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut tranſlationem, vel aliam ſtatus, & perſonæ veſtræ mutationem, nec per ſimiles, vel diſſimiles gratias vobis conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & ſi quid in una ex facultatibus hujuſmodi defecerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios ac loca ad quos, ſeu quæ bona, jura, & actiones deve-

nient;

nient, vel quibus relinquentur, aut Executores prædictos ad tertiam, ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis præfatis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel fabricæ, aut beneficiis præfatis, etiam pro expeditione contra infideles, & quibuſvis aliis quantumlibet piis uſibus ſolvendum, ac cum iis deſuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, ſive indultum, aut informationem præſentium à Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia ſimili gratia, ſive ejus confirmatione vobis quomodocumque concedenda de præſenti mentionem aliquam faciendam minimè teneri, nec ad id ulla unquam neceſſitate cogi poſſe.

*Clauſula ſublata.*

§. 17. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores, & ejuſdem S.R.E. Card. necnon pro tempore exiſten. ejuſdem Cameræ Camerarium, Præſidentes, & Clericos in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum hujus conſtit. deputatio.*

§. 18. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Bononien. & Epiſcopo Ariminen. & dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta mandamus Motu ſimili, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoſcumque quavis auctoritate fungentes contra præſentium earundem tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, inquietari, vel perturbari, contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contrariorum derogatio.*

§. 19. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium ad judicium non trahatur, necnon Lateranen. Concilii, etiam noviſſimè celebrati, & de certo Notariorum numero, etiamſi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, ac de conſenſu præſtando in penſionibus, & quibuſcumque aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in poſterum edendis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac ſtylo in ſimilibus hactenus obſervato, ac recolendæ memoriæ Alexandri VI. tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum Cameræ præfatæ deberi inter alia diſponen. necnon ejuſdem Bonifacii VIII. per quam conceſſiones, & fructus in abſentia percipiendi ſine præfinitione temporis fieri prohibentur, necnon piæ etiam mem. Pii Papæ IV. etiam prædeceſſoris noſtri de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentibus in dicta Camera infra certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrandis, ita quod præſentes in eadem Camera nullo unquam tempore regiſtrare teneamini, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & aliis municipalibus, tam Urbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati exiſtitis, & quarumvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, & Hoſpitalium prædictorum, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ præfatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, etiamſi de illis ſervandis, & non impetrandis literis Apoſtolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet conceſſis utendo, vos per vos, vel Procuratores veſtros præſtiteritis forſan hactenus, vel vos in poſterum præſtare contigerit juramentum, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & Hoſpitalibus, illorumque Præſulibus, ſeu Oratoribus, & Superioribus, ac Magiſtris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliiſque prædictis, illorum Communitatibus, & Univerſitatibus, aliiſque perſonis, & particularibus, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum exactoribus, & appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus, necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Ordinariis, etiam eiſdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam conſiſtorialiter, ac de eorundem Card. conſilio, etiam per modum Statuti & Conſtitutionis perpetuorum, ac Motu, & ſcientia ſimilibus, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum inſtantiam, ſeu illorum contemplatione in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis; etiamſi in eis, ac ſtatutis, & ſtabilimentis præfatis caveatur expreſsè, vel tacitè, quod Urbis niſi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorundem filiis conferantur, quodque nonnullarum Eccleſiarum beneficia, niſi per perſonas illuſtres ſeu nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expreſsè qualificatos obtineri non poſſint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum & locorum hujuſmodi admitti, ſeu illarum privilegiis uti poſſint, niſi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, ſeu etiam in illis bona etiam ſtabilia forſan ad certum valorem aſcendentia poſſederint, ipſique Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujuſmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad ſolutionem, ſeu contributionem cogere, & compellere poſſint, ſeu debeant. Quodque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hoſpitalis, tam ex ejus inſtitutione, quàm ex ſtabilimentorum prædictorum diſpoſitione penſionibus Clericis ſecularibus, & aliis perſonis, etiam Apoſtolica auctoritate reſervandis gravari non poſſint, quodque ſtabilimentis, & privilegiis præfatis, etiam vigore implicitæ derogationis latiſſimè extendendæ, etiamſi per quaſcumque literas Apoſtolicas, & quaſvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas clauſulas derogari non poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi derogatio hujuſmodi de conſilio Cardd. eorundem fiat, & tum demùm Magiſtri, & Conventus prædictorum ad id accedat aſſenſus, ſintque literæ derogationis hujuſmodi etiam per dictum Magiſtrum ſubſcriptæ, ac illi, & prædicto Conventui per diverſas in forma Brevis, aut alias literas diverſis temporibus, cum certis intervallis præſentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & ſemper in omnibus, quæ ſic fient, etiam de ſimili conſilio derogationes, ſeu appoſita clauſula, quod illorum effectum ſortiantur de conſenſu Magiſtri, & Conventus prædictorum, non aliàs, nec alio modo. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat in genere, & in ſpecie, ad effectum præſentium ſufficienter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe decernimus. Quodque vos primam non feceritis in Eccleſiis hujuſmodi perſonalem reſidentiam conſuetam, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides transſumpt.*

§. 20. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadē prorſus fides in judicio, & extra

illud

Illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*An.1. 31.Mart.* Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die 31. Martii 1621. Pontificatus noſtri anno primo.

---

## V. Extenſio ſolemnizationis feſti cum officio, & Miſſa B. Thomæ à Villanova Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſoris, & Archiepiſcopi Valentini, pro univerſo Ordine prædicto utriuſque ſexus ubique Terrarum.

*Hunc Thomam beatificavit Paul. V. ſup. in ejus conſt. 118. In ſupremo.*

*An.D. 1621.* *GREGORIUS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

ALiàs à fel. rec. Paulo Papa Quinto prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet, In ſupremo, &c.

Omittitur reſiduum, quia ipſa conſt. Pauli eſt ſuprà.

§.1. Cum autem ſicut pro parte clar. mem. dicti Philippi Regis, tunc in humanis agentis, ac Prioris Generalis, necnon Superiorum & Fratrum, ac Deputatorum, Electorum, & Syndicorum prædictorum Nobis nuper fuit expoſitum, ipſi pro eo, quem erga dictum Beatum Thomam gerunt reſpectivè devotionis affectu, plurimum cupiant conceſſiones, & indulta prædicta ad omnes utriuſque ſexus Religioſos ejuſdem Ordinis ubique terrarum exiſtentes per Nos, ut infra extendi.

§.2. Nos piis eorum votis in præmiſſis annuere, illoſque amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio, quod ab omnibus utriuſque ſexus Religioſis ejuſdem Ordinis ubique terrarum exiſtentibus, Officium, & Miſſa de eodem Beato Thoma à Villanova, ſervata aliàs in omnibus, & per omnia literarum prædictarum forma, & tenore, recitari, & celebrari reſpectivè liberè ſimiliter, & licitè poſſit, & valeat, eadem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium etiam concedimus, & indulgemus.

§.3. Non obſtantibus omnibus illis, quæ dictus Paulus prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§.4. Volumus ſimiliter, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*P. An.2. 14.Maii.* Datum Romæ apud S.Petrum ſub annullo Piſcatoris, die 14. Maii 1621. Pontificatus noſtri anno primo.

---

## VI. Erectio Hoſpitii, & Collegii Gregoriani in Urbe pro univerſis Monachis ſub Regula S. Benedicti militantibus, unà cum privilegiorum conceſſione.

*De materia Monachorum diverſarum Congregationum Ordinis S.Benedicti, perquire multas Pontificias Conſtitutiones indicatas in Repertorio, v. Monachi. Et de Confraternitate Laicorum ſub invocatione SS. Benedicti, & Scholaſticæ inſtituta, habes ſup. in Pauli V. conſt.87. Paſtoris, tom.3. & inf. in hujus Pont. conſt.44. Pias Chriſti fidelium.*

*An.D. 1621.* *GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

SAlvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Dei Patris Unigeniti, qui ut Nos Religione claris vitæ probatæ exemplis comprobata cæleſtis patriæ cultores efficeret, de ſummis



Cœleſtis ad hujus Mundi infima deſcendere, & in ara venerandiſſimæ Crucis in pretium immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices curas, quæ Nobis ex Apoſtolatus officio incumbere dignoſcuntur; illam per quam Religio ipſa, præſertim S.Benedicti, quæ longa, & continuata multorum ſæculorum ſerie effloruit, multiplicatis illius cultoribus, quorum aſſiduis precibus, & fructuoſis operibus Deus ipſe propitiatur, noſtris temporibus amplificetur, ejuſque Religioſi ad Almam Urbem noſtram pro negotiis confluentes, ab inopia, & indecenti quæſtu revocentur, quantum cum Deo poſſumus, libenter amplectimur; & ut feliciter id ſubſequi valeat, ejuſdem officii partes, ut piiſſimi Paſtoris eſt, favorabiliter impartimur, prout etiam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotarum perſonarum ejuſdem Religionis pia vota ad hoc tendere, & in Deo conſpicimus ſalubriter expedire.

*Cauſa erectionis hujus Hoſpitii, & Collegii.* §.1. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Conſtantini Caietani, Abbatis Monaſterii Sancti Baronti, Ordinis S.Benedicti Piſtorien. diœceſis, Congregationis Caſinen. familiaris continui commenſalis Noſtri petitio continebat, quod licèt inter omnes diſciplinæ regularis Ordines is maximè conſpicuus eſſe dignoſcatur, qui à Sancto Benedicto Abbate fundatus, ſaluberrimiſque Inſtitutis excultus eſt: & quem olim tot Imperatores, tot Reges, tot Duces, tot Principes, Regalibus ſceptris, Regnorumque, & Provinciarum gubernaculis depoſitis, ingreſſos fuiſſe, vitamque Monaſticam in eo duxiſſe, ac ex quo tot Religioſos in S.R.E.Cardinales, & Prælatos aſſumptos, totque ad Summi Apoſtolatus apicem evectos fuiſſe conſtat, ut longa, & continuata multorum ſæculorum ſerie Eccleſia ipſa nullos alios, quàm familiæ Benedictinæ Alumnos, Summos Pontifices habuerit, ex eoque jam ab antiquiſſimis temporibus admirabili doctrina, & ſanctiore præditi viri propè innumerabiles prodierunt; nihilominus omnes Monachi ſub vexillo dicti Ordinis S. Benedicti militantes, non uni, & eidem Superiori ſubſunt, ſed in aliquibus regionibus particularium Monaſteriorum Abbatibus, & Prioribus, in aliis verò Caſinen. etiam, in aliis aliarum Congregationum Superioribus ſubſunt. Et hinc fit, ut cum in Alma Urbe noſtra nullum præfati Ordinis, niſi præfatæ Congregationis Caſinen. Cœnobium, ſeu Regularis locus exiſtat, ejuſdem Ordinis Monachi, qui ad illam devotionis, ſeu peregrinationis, ac liminum Apoſtolorum viſitandorum, ſeu etiam negotiorum, vel ſtudiorum cauſa ex omnibus Chriſtiani orbis partibus inceſſanter confluunt, ſi præfatæ Congregationis Caſinen. non modò ſecularium perſonarum more, eiſque promiſcui, in publicis Hoſpitiis, atque etiam privatorum ædibus vivant, quin etiam plerique conſumptis in longinquis itineribus, & peregrinationibus, ſive negotiis, quas aſportaverant pecuniis, ad inopiam redacti, ſeu morbo aliquo correpti, oſtiatim, & ad ſingula privatarum ædium veſtibula cum maxima monachalis habitus, atque ſtatus indecentia, Sacerdotaliſque dignitatis vilipendio mendicare cogantur. Alii etiam, quod peius eſt, ex rubore, & verecundia proprii ſtatus, & mendicitatis religioſum habitum non ſine gravi laïcorum ſcandalo deponant. Quorum infelicem ſtatum dictus Conſtantinus Abbas ſic in Alma Urbe noſtra reſidens, fraterna, atque Chriſtiana charitate miſeratus, tandem animi cogitationem ad operoſiorem, & diuturniorem, immò verò perpetuam extraneorum illorum Monachorum Confratrum ſuorum ſubventionem attollens, his incommodis opportuna ratione remedium afferri poſſe cogitavit, ſi in dicta Urbe aliquod Hoſpitium, ſeu Collegium, in quo omnes Monachi dicti Ordinis quarumcumque exterarum Regionum Romam devotionis, ſeu negotiorum, vel ſtudiorum cauſa adventantes recipiantur, & convivant, inſtituatur.

*Facultas ampla data ad effectum conſtituendi quorumcumque Benedictinorum Hoſpitium in Urbe D. Conſtantino Abbati Caietano à Card. Montalto, uti Congreg. Caſinen. Protect. per has patentes literas.* §.2. Hocque ſuo conſilio venerabilibus fratribus noſtris Alexandro Epiſcopo Albanen. Montalto, præfatæ Congregationis Caſinen. necnon Octavio Epiſcopo Prænestin. Bandino nuncupatis, S.R.E. Cardinalibus, Congregationis Burſfaldenſis in Germania ejuſdem Ordinis reſpectivè Protectoribus communicato, cùm eos non approbatores modò, ſed pii hujuſce ſui propoſiti laudatores habuiſſet, in eam rem alacriori ſtudio ſibi incumbendum

ratus, ab eodem Alexandro Epiſcopo Cardinale Literas Patentes obtinuit: quibus idem Alexander Epiſcopus Cardinalis ei, reſervato tamen Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ut in quocumque dictæ Urbis loco, & ſitu commodo, & decenti ſibi benè viſo, Hoſpitium, ſeu Collegium ad effectum recipiendi quoſcumque Monachos ex omnibus Mundi partibus in eandem Urbem devotionis, & negotiorum cauſa accedentes, conſtruere poſſet, facultatem conceſſit: ac omnia, & quæcumque Inſtrumenta ſuper acquiſitione ſitus ad id neceſſarii celebrata, & celebranda approbavit, ac Collegio, ſeu Hoſpitio ſic conſtruendo omnia bona, res, proprietates, & eleemoſynas ei relicta, & relinquenda applicavit, & appropriavit: ipſumque Conſtantinum Abbatem Collegii, & Hoſpitii hujuſmodi ſic erigendi, illiuſque fabricæ Miniſtrum, & Curatorem, cum facultate illius redditus tunc præſentes, ſi qui eſſent, & futuros exigendi, citra tamen illius bonorum alienationem, illiuſque lites, & cauſas defendendi, & ad illas unum, vel plures Procuratores ſubſtituendi, conſtituit, & deputavit.

*Qui Abbas diverſas domos, ſitus, & ædificia emit, ſuam ſupellectilem, & libros, aliaque ſuprad. Hoſpitio, & Collegio donat.*

§.3. Atque dictus Conſtantinus Abbas, hac licentia fultus, ſanctum hoc opus pia meditatione conceptum re ipſa aggredi ſtatuit, dataque ſibi certa ſpe & fiducia, quod ſi opus inſtitutionis dicti Hoſpitii, ſeu Collegii inchoaretur, quamplurimi Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Cathaloniæ, Portugaliæ, atque Poloniæ, necnon Lottaringiæ, Flandriæ, aliarumque Regionum, & Provinciarum Abbates, ad quorum notitiam dicti Conſtantini Abbatis intentio, nonnullorum Monachorum in Urbe degentium relatione devenerat, fabricæ opus promovere, & pro ſtabilienda illius dote adjutrices manus porrigere intendebant, diverſas domos, & ædificia, necnon ſitus acquiſivit à dilectis in Chriſto filiabus Victoria, Laura, & Lucretia quondam Laurentii de Caſtellanis, ac dilecto filio Tiberio quondam Pauli Arberini, tam per viam emptionis, quàm perpetuæ conductionis emphyteuticæ de pecuniis ex parſimonia, atque induſtria ſua licitè acquiſitis, ad opus dicti Hoſpitii, ſeu Collegii. Ad quod, ſi inſtituatur, omnem ſuam ſupellectilem, omneſque libros, quos magna in quantitate, magnique valoris habet, ut Monachi pro tempore in eo degentes ſtudere, rudioreſque ab eruditioribus, juxta cujuſque captum, ſeu capacitatem, tam publicè, quàm privatim doceri poſſint, alia que omnia ſua trāſportare, illaque ei donare, & relinquere intendit, & ex nunc, prout poſtquam dictum Collegiū, ſeu Hoſpitium inſtitutum fuerit, donat, & relinquit.

*Quidā Chriſti fideles ceſſerunt juribus ſibi competentibus in quadam domo.*

§.4. Et dilecti filii, Joannes Baptiſta, & Paulus fratres, quondam Marſilii de Mancinis, ſola pii hujuſce operis, licèt nondum inchoati fama ad charitatem excitati, jura ſibi competentia ſuper una eorum domo contigua, in eundem Conſtantinum Abbatem, nomine dicti Ordinis, ceſſionis titulo, gratis, & tam laudabilis operis intuitu tranſtulerunt, prout in diverſis publicis Inſtrumentis, ſeu aliis ſcripturis dicitur contineri.

*Hic Pont. approbat contractus emptionis, donat. &c. ac defectus ſupplet.*

§.5. Quare pro parte dicti Conſtantini Abbatis aſſerentis, ſe dictum Ordinem in Monaſterio S. Nicolai de Arena, Catanien. expreſsè profeſſum, & ex Civitate Syracuſan. oriundum exiſtere, ac primo dicto Monaſterio præeſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Hoſpitium, ſeu Collegium hujuſmodi inſtituere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quibus nihil unquam accidere poteſt optatius, nihil jucundius, quàm dum intelligimus hiſce noſtris temporibus Religioſos aliquos emergere, qui de ea, quam profeſſi ſunt, Religione non propaganda modò, ſed & exornanda ſolliciti ſunt, ſanctum in primis, & laudabile dicti Conſtantini Abbatis propoſitum plurimùm in Domino, gratiarum omnium auctore commendantes, ipſumque Conſtantinum Abbatem à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, eumque paterna benevolentia complectentes, ac ſperantes, quod ſi dictum Hoſpitium, ſeu Collegium inſtituatur, illius inſtitutio non ſolùm in divini cultus augmentum, præfatique Ordinis ornamentum, ut illius Monachorum [illegible] nem, ſed etiam in dicta Urbe noſtra ornatum, ac Chriſti fidelium ſpiritualem conſolationem ceſſura ſit. Necnon ſituum, ædificiorum, & locorum emptorum, conductorum, donatorum, & ceſſorum reſpectivè ſituationes, confines, vocabula, & denominationes præſentibus pro expreſſis habentes, necnon contractus emptionum, & conductionum, atque donationes, ſeu ceſſiones, ut præfertur, factas, ac etiam emptiones, & acquiſitiones aliorum ſituum, & bonorum ad uſum fabricæ dicti Hoſpitii, ſeu Collegii pro tempore faciendas, ex tunc prout poſtquam factæ fuerint, ea approbantes, & confirmantes, omneſque tam juris, quàm facti, ac ſolemnitatum quantumvis ſubſtantialium, & circa præmiſſa requiſitarum, ſeu requirendarum defectus, ſi qui jam intervenerint, aut pro tempore interveniſſe apparuerint, harum ſerie ſupplentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati.

*Facul... D. Conſta... no Abb. ... cedit, u... ſit conſtr... Hoſpitium... Collegium Gregorian... nuncupā... pro Mona... totius Or... S. Bened... Urbem ac... dentibus.*

§.6. Eidem Conſtantino Abbati, ut in dicta Urbe, ac ſitibus, ædificiis, & domibus à dilecto filio noſtro in dicta Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, & dicto Alexandro Epiſcopo Cardinale priùs approbandis, & viſitandis, unum Hoſpitium, ſeu Collegium pro receptione Monachorum extraneorum totius Ordinis S. Benedicti, & ſub ejus Regula militantium, ad Urbem devotionis, ſeu negotiorum, vel ſtudiorum cauſa pro tempore accedentium, unà cum refectorio, dormitorio, cellis, & partibus neceſſariis conſtruere, ſeu conſtrui facere liberè, & licitè poſſit, & valeat, licentiam, & facultatem Apoſtolica auctoritate concedimus, & impartimur.

*Collegii ... riorem ... in Abba... præſidem... ejuſque Vi... ger. nunc... ri præpoſit... jubet.*

§.7. Illudque ex nunc prout ex tunc & è contra, poſtquam conſtructum, & ad convenientem formam, ita ut in eo Monachi recipi, & habitare poſſint, reductum fuerit, in Hoſpitium, ſeu Collegium Monachorum extraneorum dicti Ordinis, Gregorianum nuncupandum, in quo adſit unus Superior, qui Abbas Præſidens, unuſque Vicepræſidens, qui Præpoſitus vocentur, & in quo Monachi dicti Ordinis ad eandem Urbem devotionis, ſeu ſtudiorum, vel negotiorum cauſa accedentes, recipi, ibique (durante eorum in dicta Urbe manſione) habitare, pernoctare, & quoad illius redditus ferre poterunt, charitativè tractari, eorum neceſſitates ſublevari, & in caſu infirmitatis curari poſſint, & debeant. Et quandiu inibi fuerint, Theologiæ, & Juris Canonici, aliiſque Liberalium Artium Studiis, ſub aliquibus ejuſdem Hoſpitii, ſeu Collegii profeſſoribus, tam publicè, quàm privatim vacare poſſint. Et ſub cura, gubernio, obedientia dicti Abbatis Præſidentis, qui in eos, aliaſque dicti Hoſpitii, ſeu Collegii perſonas & ſervientes Superioritatem exerceat, illiuſque bona gubernet, ac de redditibus in illius uſum diſponat, vivant, illique uti Superiori obedientiam præſtent, & aliàs ad inſtar quorumcumque aliorum Hoſpitiorum, ſeu Collegiorum quorumvis Ordinum, tam in dicta Urbe, quàm in quacumque alia Mundi parte, & regione inſtitutorum, perpetuò ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus.

*Quædam b... na per d. C... ſtant. A... relicta, & ... alios Chr... fideles re... quenda ... onerum ſu... portationi ... plicat.*

§.8. Illique ſic erecto, & inſtituto pro onerum illi incumbentium ſupportatione omnia, & ſingula res, proprietates, & bona in quibuſvis rebus conſiſtentia, illi tam per dictum Conſtantinum Abbatem jam relicta, ad valorem annuum centum ſcutorum monetæ circiter aſcendentia, quàm deinceps per quoſcumque alios dicti Ordinis Abbates, & conventus, ac alios Chriſti fideles quocumque intuitu, etiam per viam teſtamenti, codicillorum, donationis, etiam inter vivos, & cauſa mortis, ſeu cujuſcumque alterius diſpoſitionis, ac etiam in eleemoſynam, vel aliàs quādocumque, & qualitercumque relinquenda, elargienda, donanda, & eroganda, ex nunc prout ex tunc, & è contra, poſtquam relicta, elargita, donata, & erogata fuerint: ita quod liceat pro tempore exiſtenti dicti Hoſpitii, ſeu Collegii Abbati Præſidenti, & ab eo deputatis, illorum omnium corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios nomine dicti Hoſpitii, ſeu Collegii, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, fructuſque, jura, obventiones, & emolumenta exinde provenientia, necnon oblationes, & eleemoſynas eidem Collegio, ſeu Hoſpitio elargiendas percipere, colligere, levare, arrendare, & locare: ac in dicti Hoſpitii,

ſeu

ſeu Collegii, & Monachorum in eo pro tempore degentium uſus, & utilitatem, ac neceſſitates convertere (Vicarii Urbis hujuſmodi, & cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita) dicta auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

*[...]llegii, Abbatem, Præſidentem, Monachos, & alias perſonas [...] juriſdictione &c. Vicarii Urbis, & [...]riorum [...] Congreg. Caſinen. eximit.*

§.9. Necnon Hoſpitium, ſeu Collegium ac ejus Abbatem, Præſidentem, Præpoſitū, & Monachos, aliaſque perſonas, & bona tam mobilia, quam immobilia, cujuſcūque qualitatis, & quantitatis exiſtentia, ac ubilibet conſiſtentia, ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate præfati noſtri, & pro tempore exiſtentis in eadem Urbe Vicarii, ad inſtar aliorum locorum Regularium in dicta Urbe exiſtentium, ac Ordinis, ſeu Congregationis Caſinen. hujuſmodi Superiorum: *Ita tamen quod ſingulis annis ab uno, ſeu duobus* ex Procuratoribus generalibus Congregationum dicti Ordinis in Urbe præfata degentibus (qui, ſi quid correctione, aut reformatione dignum invenerint, ejuſdem Hoſpitii, ſeu Collegii Protectori pro tempore exiſtenti quamprimum referant) per turnum viſitari debeat.

*[...]llegium liberum à contributione, & [...] decimarū, aliorumque onerum.*

§.10. Necnon à præſtatione, contributione, & ſolutione decimarum, & quorumcumque aliorum onerum ordinariorum, & extraordinariorum ex quacumque cauſa impoſitorum, & imponendorum, penitus, & omninò eximimus, & liberamus.

*[...] Sedis Apoſt. protectione ſuſcipit, ac correctioni & omnimodæ juriſdictioni ſpirituali & temporali [...] Card. [...] & tempore [...] pro- [...] ſubmittit.*

§.11. Et ſub B.Petri Apoſtoli; ac noſtra, & Sedis Apoſtolicæ protectione, inviolabili cōſervatione ſuſcipimus, ac correctioni, & omnimodæ juriſdictioni in ſpiritualibus, & temporalibus dicti Alexandri Epiſcopi Cardinalis, & Protectoris pro tempore exiſtentis: qui etiam illius Defenſor, Conſervator, & Judex Ordinarius exiſtat: & coram quo, ſeu Prælato ab eo in Viceprotectorem deputando dumtaxat, omnes, & ſingulæ lites, quæſtiones, & moleſtiæ civiles, & criminales, ac mixtæ ſuper Hoſpitii, ſeu Collegii hujuſmodi bonis, rebus, juribus, actionibus, & perſonis movendæ, cum omnibus earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali, privativè quoad omnes alios dictæ Urbis Judices ordinarios, eorumque tribunalia cognoſci, & decidi debeant, ſubmittimus, & ſubjicimus.

*Statuit Abbatem præſidentem eligendum unum [...] Monachis [...] Collegii, vel ex [...] Ordinis S. Benedicti ad quinquennium, hac [...] vice [...] excepta [...] à D. Conſtantin. Abb. ad vitam deputari, illeque privil. &c. Abbat. omniū Ord. S. Benedicti fruatur.*

§.12. Statuentes, & ordinantes, quod dicti Hoſpitii, ſeu Collegii Abbas Præſidens à Monachis in eo pro tempore degentibus, ex eorum gremio, ſeu ex quocumque alio ejuſdem Ordinis Monaſterio in perpetuum, ſervatis de jure ſervandis, erigi: ejuſque officium ad quinquennium tantum durare, ac perpetuis futuris temporibus omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis, quibus præfati Ordinis, & Congregationum, ac præſertim Caſinen. Abbates utuntur, fruuntur, & gaudent, ſimiliter, & æquè principaliter, & abſque ulla prorſus differentia uti, frui, & gaudere debeant, hac prima vice dumtaxat excepta, qua eundem Conſtantinum Abbatem uti Fundatorem, & pii hujus operis Auctorem, in gratiam fundationis hujuſmodi, & laborum, quos illius cauſa ſuſcepit, ut peculiari quadam prærogativa ſe à Nobis cohoneſtatum fuiſſe lætetur, tenore præſentium in perpetuum Præſidentem, & Superiorem dicti Hoſpitii, ſeu Collegii ad ejus vitam, etiam cum facultatibus, privilegiis, atque honoribus, & quibuſcumque aliis ſimilium locorum, & Hoſpitiorum, ſeu Collegiorum Superioribus conceſſis, & competentibus, eadem auctoritate conſtituimus, & deputamus.

*Dat facultatem Protectori, quod poſſit cogere convicinos ad venditionem domorum & ſituum, ſoluto illorum pretio [...]antum.*

§.13. Ipſique, ac pro tempore exiſtenti dicti Hoſpitii, ſeu Collegii Protectori, ut attento quod illius conſtructio non ſolùm in divini cultus augmentum, ſed etiam in ornatum Urbis cedit, ſi pro perfectione, & ampliatione illius fabricæ aliis ſitibus, & ædificiis, ſeu fundis contiguis opus fuerit, ipſorum ſituum, fundorum, & ædificiorum dominos ad illorum venditionem, ſibi ad effectum illa dictæ fabricæ incorporandi, faciendam mediante ſolutione pretii à peritis æſtimandi, & non ultra, cogere poſſint, facultatem impartimur.

*Collegium, illiuſque ſitus, & ædificium à fideicom. hypothecis, &c. eximit, aliiſque derog.*

§.14. Et ne contingat tempore procedente Hoſpitium, ſeu Collegium præfatum, vel ipſum Conſtantinum Abbatem, & pro tempore exiſtentes illius Abbates, Præſidentes, & Monachos, occaſione ſituum, & bonorum pro dicta fabrica acquiſitorum, & acquirendorum aliqua damna, ſeu moleſtias pati, omnia, & ſingula ſitus, domos, fundos, ædificia, & loca in dictam cauſam empta, & emenda, ab omnibus, & quibuſcumque fideicommiſſis, ſubſtitutionibus, devolutionibus, hypothecis, & vinculis, tam notis, quam non notis, purificatis, & purificandis, ſi quibus quomodolibet ſubjecta ſint, aut eſſe dici, cenſeri, vel apparere poſſint, penitus, & omninò eximimus, & liberamus. *Ipſiſque fideicommiſſis ad effectum præmiſſum*, cum hoc, quod pretium bonorum emendorum in emptionem tot bonorum ſtabilium, ſeu locorum Montium non vacabilium de Urbe convertantur, & loco bonorum fideicommiſſariorū ad favorem inſtitutorum, ſubſtitutorum, & aliàs quomodolibet vocatorum ſuccedant, & fideicommiſſum, ſeu hypothecam, aut alia jura ſuper dictis bonis pro dicta fabrica emptis, & emendis habentes, aut prætendentes, non ad illa, ſed ad bona, aut loca Montium ex illorum pretiis emenda, agere, & actiones ſuas dirigere poſſint, ſpecialiter, & expreſsè derogamus.

*Card. Montaltum Collegii deputat Protectorem cum facultate decidendi cauſas, abſolvendi à cenſuris, condendi ſtatuta quæcumque.*

§.15. Ceterum eundem Alexandrum Epiſcopum Cardinalem, ac pro tempore exiſtentem Protectorem dicti Ordinis, in eorum, & dicti Hoſpitii, ſeu Collegii Protectorem: qui omnes illorum cauſas antedictas audiat, & decidat, cum facultate quos, quibus, ubi, quando, & quoties opus fuerit, citandi, & inhibendi, ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ac pecuniariis pœnis, aliaque neceſſaria, & opportuna faciendi, necnon quæcumque ſtatuta, & ordinationes, capitula, & decreta ipſius Hoſpitii, ſeu Collegii, illiuſque bonorum, & perſonarum directionem, adminiſtrationem, gubernium, & receptionem Monachorū extraneorum, eorumque vivendi normam concernentia, ac aliàs utilia, & neceſſaria, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, Decretiſque Concilii Tridentini, & Inſtitutis ipſius Ordinis minimè contraria faciendi, & condendi: ac quoties pro rerum, temporum, & perſonarum qualitate, ſeu aliàs expedire videbitur, immutandi, corrigendi, alterandi, moderandi, reformandi, & alia etiam ex integro condendi: quæ poſtquam correcta, & condita fuerint, eo ipſo Apoſtolica auctoritate approbata, & confirmata eſſe cenſeantur, pari auctoritate deputamus.

*Indulget [illegible] Hoſpitio, ſeu Collegio, ut poſſit gaudere privilegiis univerſi Ord. S. Bened. quibuſque Congregationib. & præſertim Caſinen. conceſſis, ad eorum inſtar.*

§.16. Denique eidem Collegio, ſeu Hoſpitio, ejuſque Abbati Præſidenti, & perſonis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus, ceteriſque gratiis, tam ſpiritualibus quàm temporalibus, quibuſvis aliis Ordinis præfati, & Congregationum, præſertim Caſinen. hujuſmodi Hoſpitiis, Collegiis, & Monaſteriis, tam in prædicta Urbe, quam in quibuſcumque aliis Mundi partibus, Civitatibus, & locis exiſtentibus, eorumque perſonis in genere, vel ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet nunc, & pro tempore conceſſis, & quibus illa, & illæ de jure, uſu, ſtatuto, conſuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariter, & paritormiter, ac æquè principaliter, & abſque ulla prorſus differentia in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi illa dicto Hoſpitio, ſeu Collegio, illiuſque perſonis ſpecialiter, & expreſsè, ac in individuo conceſſa eſſent, æquè perpetuò indulgemus.

*Dat facultatem [illegible] di quæ [illegible] Benedictinorum loca, [illegible] que ea [illegible] omnia privilegia communicandi.*

§.17. Illiſque ut quæcumque alia dicti Ordinis Hoſpitia, ſeu Collegia, Monaſteria, & Regularia loca, Hoſpitio, ſeu Collegio per præſentes erecto, de licentia illius Protectoris pro tempore exiſtentis aggregare, illiuſque omnia, & ſingula gratias, indulta, & privilegia eis per præſentes conceſſa, & deinceps tam principaliter, quam extenſivè, & communicativè concedenda, communicare poſſint, dicta auctoritate concedimus.

*Inhibet ne libri amoveantur à Collegii Bibliotheca.*

§.18. Poſtremò autem tam præfato Conſtantino Abbati, quam pro tempore exiſtenti Hoſpitii, ſeu Collegii Abbati Præſidenti, ceteriſque perſonis, tam Regularibus, quam ſecularibus ſub excommunicationis majoris pœna, ne ullo unquam tempore libros aliquos, qui tam ab ipſo Conſtantino Abbate, quàm quibuſvis aliis eiſdem Hoſpitio, ſeu Collegio pro illius Monachorū uſu donati, & aſſignati, ſeu empti, & in particulari Inventario, quod deſuper fieri debeat, deſcripti, & annotati fuerint, ex illius bibliotheca, Aniciana nuncupanda, mutare, vendere, aut

aut quoque modo diſtrahere audeant, ſeu præſumant, diſtrictiùs inhibemus.

*Decreti præſervativum.* §.19. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus; per Nos, vel alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſub quibuſcumque verborum expreſſionibus, & formis, etiam Motu proprio, ſeu ad quorumvis Imperatorum, Regum, aut aliorum Principum inſtantiam pro tempore factis, minimè comprehendi, ſed tanquam pro loci pii ad divini cultus, & piorum operum augmentum erectione conceſſas, ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub Dat. per Cardinalem pro tempore Protectorem, necnon Collegii, ſeu Hoſpitii hujuſmodi Abbatem, Præſidentem, & Monachos quandocumque eligenda, de novo conceſſas eſſe, & fore, ſuumque plenarium effectum ſortiri debere: ſicque ab omnibus cenſeri, atque ita, & non aliàs per quoſcumque Judices, etiam Palatii Apoſtolici cauſarum Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales judicari, & diffiniri debere.

*Contrariorum derogatio.* §.20. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris de Indulgentiis, & gratiis ad inſtar non concedendis, & ſi opus ſit, de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, exprimendoque vero valore, ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentis: ac felicis recordat. Greg. Papæ XIII. de ſolvendo augmento ex cauſa Retractus, vel Juris congrui, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Urbis, & Ordinis præfatorum, illiuſque Monaſteriorum, & Regularium Locorum, ac Urbis præfatæ, & quorumvis illius Tribunalium juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, reformationibus, uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dilectis filiis Ordinis, illiuſque Monaſteriorum, Regulariumque locorum hujuſmodi Superioribus, ac etiam Urbi, & Senatori, Populoque Romano, necnon Vicario, Gubernatori, Senatori, Conſervatoribus, Auditori Cameræ ejuſdem noſtræ Urbis, eorumque Locatenentibus, Viceſgerenti, Vicariis, Officialibus, & quibuſvis aliis Judicibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie per quoſcumque Romanos Pontifices, etiam prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem præfatam, Motu ſimili, ac etiam conſiſtorialiter, etiam iteratis vicibus in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.* §. 21. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo Protectoris pro tempore exiſtentis ejuſdem Hoſpitii, ſeu Collegii munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, ac ubique locorum, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi oſtenſæ, vel exhibitæ forent.

*Decretum irritans.* §.22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, defectuum ſuppletionis, conceſſionum, impartitionis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, appropriationis, exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, conſtitutionis, deputationis, derogationum, indulti, inhibitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. 1. die 18. Maii.* Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimoprimo, quintodecimo Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno primo.

---

**Erectio Officii perpetui ad inſtar aliorum officiorum Romanæ Curiæ vacabilis pro uno Notario ſpecialiter deputato ad formandum, privativè quoad alios quoſcumque Notarios, proceſſus coram S.R.E. Cardinalibus ſuper qualitatibus promovendorum à Summo Pontifice ad Cathedrales Eccleſias, & Monaſteria Conſiſtorialia, eorumque ſtatu. Ac dicti Officii conceſſio in perſonam Odoardi Tibaldeſchi, cum privilegiorum, & gratiarum elargitione.** VII

*Conſervationem hujuſmodi proceſſuum in partibus formatorum, & ad Romanam Curiam tranſmiſſorum addixit huic Officio poſtea iſtemet Pont. ut in conſtitut. ſeq. Pridem.*

De forma autem promovendi ad hujuſmodi Eccleſias, & dignitates, & qualitatibus promovendorum, ultra diſpoſita per ſacros Canones in cap. cum in cunctis, de election. & Conc. Trid. Decreta, ſeſſ. 8. cap. 1. & ſeſſ. 25. c. 1. de Reform. vide etiam in conſt. 6. Gregor. XIV. Onus, ſup. tom. 2. ubi alias conſt. indicatas habes.

*GREGORIUS PAPA XV.* *Edita An. 1611.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* Conſuevit Romanus Pontif. in ſupremo Apoſtolicæ poteſtatis ſolio, ex præpotentis Dei, cujus vices in inferiore Orbe hoc gerit, providentia conſtitutus, qui ſuos actus provida moderatione dirigit, ſi quid in publicum, vel privatum præjudicium aliquando proceſſiſſe, ac etiam ex defectu debitæ proviſionis, & animadverſionis inveteraſſe compererit, id de medio tollere, ac in literis etiam nonnunquam per novorum officiorum, viris fide, ingenio, induſtria, ſolertia, & diligentia pollentibus, qui officia ipſa fideliter, ut convenit, exercere, & ſuo muneri reſpondere ſciant, velint, & valeant, committendorum, ex debito ſui Paſtoralis officii providere, & in his quoque ejuſdem officii ſui partes interponere, prout rerum, temporum, & perſonarum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Cauſa hu[jus] erectionis.* §.1. Cum itaque, ſicut nobis innotuit, antea in formandis & inſtruendis proceſſibus, eis ſuper qualitatibus promovendorum per Rom. Pontificem pro tempore exiſtentem ad quarumcumque Cathedralium Eccleſiarum, Paſtorum ſolatio deſtitutarum, ac Monaſteriorum conſiſtorialium pro tempore vacantium regimina, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi ſtatu hic in Curia coram S.R.E. Cardinalibus etiam pro tempore exiſtentibus formari, & inſtrui conſueverunt, quod tamen maximè neceſſarium videtur, nullus certus hactenus deputatus, ſeu deſtinatus fuerit Notarius; ſed ad hoc munus Notarii plerumque in eo parum experti, qui promovendorum ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi regimina, &c. indebitè adhibiti fuerint.

*Erectio offi[cii] de quo in Ru[brica].* §.2. Nos, cui ab ipſo noſtri Pontificatus initio cordi fuit, abuſus quoſcumque, ab ipſa præſertim Rom. Curia, quantum in nobis eſſet, extirpare, atque evellere, & circa ea provida animadverſione, etiam per novorum officiorum viris fide, ingenio, induſtria, ſolertia, & diligentia, ut præfertur, pollentibus committendorum, ubi id opportunum, & conveniens fore cenſeremus, proſpicere. Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & mera deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine unum perpetuum Notariatus Officium, ad inſtar aliorum Rom. Cur. officiorum vacabile, cujus conceſſio, & omnimoda alia diſpoſitio, quoties illud per obitum, reſignationem, privationem, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, ad Nos, & Rom. Pontif. pro tempore exiſten. ſpectet, & pertineat, pro uno Notario, qui privativè quoad alios quoſcumque Notarios in formandis, & inſtruendis proceſſibus, quos ſuper qualitatibus promovẽdorum per Nos, & Rom. Pontificem pro tempore exiſten. ad quarumcumque Cathedralium Eccleſiarum Paſtorum ſolatio etiam pro tempore deſtitutarum, necnon Monaſteriorum

naſteriorum quorumcumque conſiſtorialium, ſimiliter pro tempore vacantium regimina, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi ſtatu hic in Curia coram S.R.E. Cardinalibus, aut eorum Auditoribus formari, & inſtrui deinceps perpetuis futuris temporibus contigerit, ipſis Cardinalibus, ſeu eorum Auditoribus aſſiſtere, & teſtium dicta, & depoſitiones in ſcriptis, per ſe, vel ſubſtitutum idoneum redigere teneatur, ac debeat, Apoſt. auctoritate tenore præſentium erigimus, & inſtituimus.

*...i aſſigna-*

§.3. Illique ſic erecto, & inſtituto, pro ejus congrua dote omnia, & ſingula emolumenta, regalia, & jura per alios Notarios, qui antea in formandis hujuſmodi proceſſibus eiſdem Cardinalibus, ſeu eorum Auditoribus, ut præfertur, aſtiterunt, ac dicta, & depoſitiones teſtium in ſcriptis redegerunt, percipi ſolita, & conſueta, eiſque propterea debita, perpetuò applicamus, & appropriamus.

*...ivilegiorum ...gratiarum ...ceſſio.*

§.4. Et inſuper Officium Notariatus hujuſmodi pro tempore obtinenti, ut in quibuſcumque ſeſſionibus, proceſſionibus, necnon equitationibus, etiam ſolemnibus Rom. Pont. & aliis quibuſcumque, unà cum ceteris Rom. Cur. Notariis, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtentibus, intereſſe, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, antelationibus, aliiſque prærogativis, & gratiis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Notarii de jure, uſu, conſuetudine, ſeu privilegio, aut aliàs etiam quoad exemptionem vectigalium, gabellarum, & pedagiorum quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æqualiter, & principaliter, ac ſine ulla prorſus differentia, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſit, & valeat, perinde ac ſi illa ſibi per præſentes ſpecialiter conceſſa fuiſſent, auctoritate, & tenore præmiſſis perpetuò concedimus, & indulgemus.

*...ſſio Odo... Tibal... ſibi ad d. ...ium.*

§.5. Et inſuper cupientes Officium prædictum, ſic per Nos erectum perſonæ idoneæ cum primùm concedere, de fide, induſtria, ſolertia, & diligentia, & non vulgari in arte Notariatus hujuſmodi peritia dilecti filii Odoardi Tibaldeſchi Clerici Spoletan. diœc. fide dignis teſtimoniis certiorati, Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Officium prædictum à primæva illius erectione hujuſmodi vacans, cum omnibus, & ſingulis illius honoribus, oneribus, ſalariis, & emolumentis univerſis, ordinariis, & extraordinariis, undecumque ex illius exercitio provenientibus, & illi propterea debitis, prædicto Odoardo, qui ob urgentes, quibus premimur, neceſſitates, in noſtram, & Sedis Apoſtolicæ ſubventionem ſummam ſcutorum mille perſolvit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & aſſignamus, ipſumque ad Officium hujuſmodi, illiuſque liberum exercitium, honores, & onera per eos, ad quos ſpectat, & pertinet, ſpectareque & pertinere poterit, recipiendum, & admittendum fore, & eſſe, eique de ejuſdem Officii juribus, regaliis, ſalariis, & emolumentis ſolitis, & conſuetis integrè reſponderi debere decernimus.

*Clauſula reſervativa.*

§.6. Præſenteſque ad probandum plenè, quod eadem ſumma in noſtram, & Sedis Apoſtolicæ ſubventionem converſa fuerit, aliaque præmiſſa ubique tam in judicio, quàm extra ſufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, neque ipſum Odoardum, ejuſque in dicto Officio ſucceſſores ad eaſdem præſentes in Camera noſtra Apoſtolica juxta Conſtitutionem piæ mem. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, ſub dat. octavo Idus Auguſti, Pontificatus ſui anno 6. editam, inter alia diſponentem, quod impetrantes gratias intereſſe dictæ Cameræ quomodolibet concernentes, illas in eadem Camera infra certum inibi expreſſum tempus præſentare, ſeu regiſtrari facere debeant, teneri, neque ad id ulla unquam neceſſitate cogi, nec propterea ipſas literas viribus carere, ſed eidem Odoardo, ejuſque ſucceſſoribus prædictis in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi juxta conſtitutionem prædictam præſentatæ, ſeu regiſtratæ, ac inſinuatæ, ac omnia ad id neceſſaria adimpleta fuiſſent, ſuffragari, necnon eaſdem præſentes literas ſub ea, per quam in principio Pontificatus cujuſvis Rom. Pont. caſſantur facultates, percipiendo pretium quorumvis Rom. Cur. officiorum in toto, vel parte, ac quævis diſpoſitiones per quemcumque Rom. Pont. prædeceſſorem de officiis vacantibus, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroſo, ac ſub quacumque verborum forma pro tempore factæ, & omnino ſub aliis quibuſvis conſtitutionibus, revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, & declarationibus generalibus, & ſpecialibus, etiam per Nos, & ſucceſſores noſtros Rom. Pont. ac Sedem prædictam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, & aliàs quandocumque, & quibuſvis cauſis, etiam pro tempore factis minimè comprehendi, ſed ab illis ſemper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo conceſſas eſſe, ac Odoardo, & ſucceſſoribus prædictis ſuffragari, necnon quemcumque de non tollendo jure quæſito, aliiſque Conſtitutionibus, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis, & edendis, ceteriſque beneficiis, quorum poſſeſſores longi temporis aliàs gaudere poſſunt, ac debent, & ſolent, pleniſſimè gaudere, præſenteſque vim validi, & efficacis contractus, ſolemni ſtipulatione interveniente, inter eos, & dictam Sedem, ſucceſſoreſque noſtros, & Cameram prædictam ex una, necnon prædictum Odoardum ex altera partibus, etiam ex cauſa oneroſa initi habere, nec illas, etiam ex eo quod dictus Odoardus, aut alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, aut aliàs quovis etiã enormis, vel enormiſſimæ læſionis prætextu, occaſione, vel cauſa, etiam graviſſima, & urgentiſſima, ac de neceſſitate exprimenda revocari, nec etiam pro eo, quod dicti Officii pretium juxta currentem illius valorem præſtitum, vel ſolutum, aut ex alia quacumque cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, aut alio quocumque defectu notari, neque propterea, ſeu alias ad viam juris reduci poſſe.

*Decretum irritans.*

§.7. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam Camerarium, & ejuſdem Cameræ Præſidentes, & Clericos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

*Contrariorum abrogatio.*

§.8. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra de non tollen. jure quæſito, aliiſque quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Urbis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 1. die 16. Julii.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 16. Julii 1621. Pontificatus noſtri anno 1.

*Sequitur Deputatio hujus Notarii ad conſervandum dd. proceſſus in partibus formatos, & ad Romanam Curiam tranſmiſſos, cum emolumentorum aſſignatione.*

De hoc vide S.D.N. Urbani VIII. conſtit. 63. Admonet, quam omnino ſuper hoc attendere debes.

*Edita An. D. 1621.*

*GREGORIVS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium, & narratio erectionis Officii Notarii, de quo in rub.*

PRidem cum informandis, & inſtruendis proceſſibus qui ſuper qualitatibus promovendorũ per Rom. Pont. pro tempore exiſtentem ad Eccleſiarum Cathedralium Paſtorum ſolatio deſtitutarum, ac Monaſteriorum conſiſtorialium pro tempore vacantium regimina, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi ſtatu hic in Curia coram S.R.E. Card. formari, & inſtitui conſueverunt, nullus certus eatenus deputatus, ſeu deſtinatus fuiſſet Notarius, ſed ad hoc munus Notarii plerumque parum experti adhiberentur. Nos huic incommodo opportuna ratione providere volentes, Motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & mera deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine unum perpetuum Notariatus Officium, ad inſtar aliorum Rom. Cur. Officiorum vacabile, cujus conceſſio, & omnimoda alia diſpoſitio, quoties illud per obitum, reſignationem, privationem, aut aliàs

quovis modo vacare contingeret, ad Nos, & Rom. Pont. pro tempore exiſten. ſpectare pro uno Notario, qui privativè quoad alios quoſcumque in formandis, inſtruendiſque proceſſibus, quos ſuper qualitatibus promovendorum ad Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum conſiſtorialium regimina, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi ſtatu hic in Curia coram S.R.E. Cardinalibus, aut eorum Auditoribus formari, & inſtitui deinceps perpetuis futuris temporibus contingeret, ipſis Cardinalibus, ſeu eorum Auditoribus aſſiſtere, & teſtium dicta & depoſitiones in ſcriptis per ſe, vel ſubſtitutum idoneum redigere teneretur, ac deberet, Apoſtolica auctoritate ereximus, ac inſtituimus.

*Et dotis ei aſſignata.*

§. 1. Illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus congrua dote omnia, & ſingula emolumenta, regalia, & jura per alios Notarios, qui antea in formandis hujuſmodi proceſſibus eiſdem Cardinalibus, ſeu eorum Auditoribus, ut præfertur, aſtiterunt, ac dicta, & depoſitiones teſtium in ſcriptis redegerunt, percipi ſolita, & conſueta, eiſque propterea debita, perpetuò applicamus, & appropriamus.

*Privilegiorũ- que illi conceſſorum.*

§. 2. Et inſuper Officium Notariatus hujuſmodi pro tempore obtinenti, ut quibuſcumque ſeſſionibus, necnon proceſſionibus & ſolemnibus equitationibus Rom. Pont. & aliis quibuſcumque, unà cum ceteris Rom. Cur. Notariis, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtentibus intereſſe, ac omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, antelationibus, aliiſque prærogativis, & gratiis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Notarii de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut aliàs etiam quoad exemptionem vectigalium, gabellarum, & pedagiorum quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterant quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æqualiter, & principaliter, ac ſine ulla prorſus differentia, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè poſſet, & valeret, perinde ac ſi illa ſibi per præſentes conceſſa fuiſſent, ſpecialiter conceſſimus, & indulſimus.

*Conceſſiones quoque de dicto officio facta Odoardo Tibaldeſco.*

§. 3. Et inſuper cupientes Officium prædictum ſic per Nos erectum, perſonæ idoneæ cum primùm concedere, fide, & induſtria, ſolertia, & diligentia, & non vulgari in arte Notariatus hujuſmodi peritia dilecti filii Odoardi Tibaldeſchi clerici Spoletanæ diœc. fide dignis teſtimoniis certiorati, Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris Officium prædictum à primæva illius erectione hujuſmodi vacans, cum omnibus, & ſingulis illius honoribus, oneribus, ſalariis, & emolumentis univerſis, ordinariis, & extraordinariis, undecumque ex illius exercitio provenientibus, & illi propterea debitis, prædicto Odoardo, qui ob urgentes, quibus premebamur, neceſſitates, in noſtram, & Sedis Apoſtolicæ ſubventionem ſummam ſcutorum mille perſolverat, ſimili auctoritate conceſſimus, & aſſignavimus, ipſumque ad officium hujuſmodi, illiuſque liberum exercitium, honores, & onera per eos ad quos ſpectabat, & pertinebat, ſpectareque & pertinere poterat, recipiendum, & admittendum fore, & eſſe, eique de ejuſdem Officii regaliis, juribus, & emolumentis ſolitis, & conſuetis integrè reſponderi debere decrevimus, prout in noſtris in forma Brevis, ſub Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 17. Julii 1621. Pontificatus noſtri anno primo, confectis literis pleniùs continetur.

*Motu eidem officio annectit curam conſervandi proceſſ. de partibus, de quibus in rubr.*

*Ad hoc vide S.D.N. Urb. VIII conſt. 52. Admonit.*

§. 4. Cumque à tempore erectionis, & inſtitutionis Officii hujuſmodi experientia docuerit, Nobiſque conſtet ex illius exercitio non ſolùm meliori proceſſuum hujuſmodi inſtructioni, ſed etiam illorum conſervationi, cujus in tanta Notariorum varietate, nulla antea ratio habebatur, conſultum eſſe, Nobis verò, & quidem non ſine animi noſtri diſplicentia innotuerit, proceſſus qui extra dictam Curiam in Germania, Gallia, Hiſpania, aliiſque Chriſtiani orbis Provinciis, & Regionibus ſuper qualitatibus promovendorum ad illarum partium Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum conſiſtorialium regimina, ipſarumque Eccleſiarum, & Monaſteriorum ſtatu in partibus ipſis formantur, & ad eandem Curiam pro literarum Apoſtolicarum expeditione tranſmittuntur, expeditione facta nullam prorſus rationem haberi, ſed illos uti nullius uſus aut conſiderationis chartulas vilipendi, diſtrahi, ac deperdi ſolere. Nos [illegible] expedite dictorum proceſſuum conſervationi providere, ut ſucceſſivis temporibus ſemper de illis, eorumque continentia apparere, & ad illos juſta caſuum occurrentium recurſus & relatio haberi poſſit; id autem nulla convenientiori ratione fieri poſſe videatur, quàm ſi hæc cura prædictum Officium obtinenti demandetur, hocque proceſſuum conſervandorum onus, & munus eidem Officio annectatur, ut penes unum, & eundem omnes omnium partium hujuſmodi proceſſus, quandocumque opus fuerit, reperiri poſſint. Motu ſimili, non ad ipſius Odoardi, aut alterius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus omnes, & ſinguli proceſſus, quos extra dictam Curiam, tam in Germania, Gallia, Hiſpania, ceteriſque Chriſtiani orbis Regnis, Provinciis, & Regionibus ſuper qualitatibus promovendorum ad quarumcumque Cathedralium Eccleſiarum nunc, & pro tempore Paſtoris ſolatio deſtitutarum, & Monaſteriorum conſiſtorialium ubivis conſiſtentium, & quovis modo vacantium, & vacaturorum regimen, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum hujuſmodi ſtatu formari, & ad dictam Curiam tranſmitti contigerit, poſtquam ab ejuſdem S. R. E. Cardinalibus ipſarum Nationum Protectoribus, Comprotectoribus, ſeu Viceprotectoribus, ſeu qui Eccleſias, & Monaſteria hujuſmodi in noſtro, & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis Conſiſtorio, ut moris eſt, & fuerit, propoſuerint, & ab ordinum Capitibus viſi, recogniti, approbati, & ſubſcripti fuerint, ab ipſis Cardinalibus, ſeu coram Auditoribus, & iis ad quos ſpectaverit, ante cedulæ conſiſtorialis ſubſcriptionem, ſeu ſaltem illius partibus conſignationem, prædicto Odoardo, quamdiu prædictum Officium obtinuerit, ejuſque in illo ſucceſſoribus, ad effectum illos conſervandi, tradi, & conſignari; ipſi verò Odoardus, & ſucceſſores illos ſic ipſis conſignatos, tanquam prædicti Officii proceſſus, & ſcripturas benè, & fideliter conſervare, & illorum durabilitati, & quoad fieri poteſt, & humana patitur conditio, perpetuitati providere, bonamque, fidelem, & diligentem illorum curam gerere, & ad effectum illorum, dum opus fuerit, facilioris perquiſitionis, & repetitionis notam, ſeu ut vocant rubricellam in libro ad hunc particularem effectum retinendo facere debeant, & ad id obligati exiſtant, & hoc conſervationis proceſſuum onus, curam, & munus prædicto Officio Notariatus per Nos, ut præfertur erecto, imponimus, & annectimus.

*Mercedem duorum [illegible] torum pro ſingulis proceſ[illegible] bus ejuſmodi per promovendos eidem Odoardo præſtari decernit.*

§. 5. Et quia ſua labori merces debetur, eidem Odoardo, ejuſque in dicto Officio ſucceſſoribus, ratione laboris eis ex dicta conſervatione proceſſuum acceſcentis, & pro illius ſalario, & mercede, juribus, & regalibus officii prædicti duos ducatos auri de Camera, pro ſingulo proceſſu ad dictam Curiam pro expeditione tranſmittendo, & eis in conſervationem tradendo, & conſignan. ipſis à quolibet ex promovendis ad Eccleſias, & Monaſteria hujuſmodi, ſeu Sollicitatoribus in dicta Curia tales expeditiones proſequentibus, realiter, & cum effectu, & abſque mora, ſeu dilatione aliqua ſolvendos aſſignamus, ipſiſque ut mercedem, ſeu ſalarium, ac jura, vel regalia duorum ducatorum pro quolibet proceſſu hujuſmodi ab ipſis promovendis, ſeu eorum agentibus, vel eorum nomine expeditiones in prædicta Curia proſequentibus, qui ad illorum ſolutionem omnibus juris & facti remediis opportunis cogi, & compelli poſſint, petere, exigere, & conſequi valeant, atque etiam debeant, licentiam, facultatem, & auctoritatem concedimus.

*Togam violaceam ipſius deferre indulget.*

§. 6. Ceterum pro majori Officii prædicti decore, & ut illud obtinentes peculiari aliqua prærogativa gaudeant, eidem Odoardo, ejuſque ſucceſſoribus, ut quamdiu Officium prædictum obtinuerint, veſtem ſeu togam violaceam deferre, ac violaceo colore induti quandocumque, & in quibuſcumque, tam publicis, quàm privatis actibus incedere poſſint, ſimili auctoritate indulgemus.

*Clauſulæ præſervativæ appoſit.*

§. 7. Præſentes verò, etiam ex eo quod intereſſe forſan habentes, ſeu habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, ſeu quibuſvis ex cauſis ſubreptionis, vel obreptionis vitio notari, impugnari, aut invalidari, ſeu ad viam,

&

& terminos juſto reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, vel ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus editis, & edendis comprehendi non poſſe, ſed ſemper uti ex titulo oneroſo conceſſas ab illis excipi, & quoties illa revocari, ſeu annullari, aut alias contrarias diſpoſitiones emanare contigerit, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum repoſitas, reſtitutas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per Odoardum, & ſucceſſores prædictos quandocumque eligenda conceſſas eſſe & fore.

*...ritium in... ...ns adjun...*

§.8. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, pari Apoſtolica auctoritate decernimus.

*...ntrariis ...gat.*

§.9. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon conſuetudinibus, uſibus, & naturis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, quæ etiam hic præſentibus pro repetitis, ac de verbo ad verbum inſertis habemus, & haberi volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*...P. An. 1. Decemb.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 7. Decembris 1621. Pont. noſtri anno primo.

---

VIII. Præfinitio nonnullarum Ordinationum pro feliciori gubernio Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum in Italia.

*Gregorii Decimitertii hic enunciatam conſtitut. habes ſup. tom. 2. & Clem. VIII. habes tom. 3. ubi vide, & alia tibi indicabo ad conſtitut. 13. S.D.N. Urb. VIII. Romanus, hic inf.*

*...dita An. D. 1621.*

*GREGORIUS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...œmium.*

ONeroſa Paſtoralis officii ſollicitudo, meritis licet inſufficientibus, Nobis ex alto commiſſa, crebrò Nos admonet, ac inducit, ut ad ſtatum Chriſti fidelium quorumlibet, præſertim Regularem vitam profitentium, ſalubriter dirigendum operoſis ſtudiis intendentes, ea quæ felici eorum gubernio, proſperæque directioni profutura noſcuntur, providè ſtatuamus, & ordinemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*...lus Cuſtos Reformatorū ...edat ad Capitulum ...vinciale, & vocem ha... ...at activā*

§.1. Ut igitur ordo Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum, per totam Italiam felicioribus in dies augeatur progreſſibus, Motu proprio, non ad ipſorum Fratrum Reformatorum inſtantiam, ſed de mera noſtra matura deliberatione volumus, & mandamus, ut ultra ea, quæ diſponuntur in conſtitutionibus fel. record. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum circa modum vivendi Reformatorum, Fratres Obſervantes Reformati amplius ad Capitulum Provinciale non accedant, niſi ſolùm ipſorum Cuſtos, qui etiam ſolus vocem activam tantùm habeat.

*Tranſitus Reformatorum ad obſervantes, & contrà quomodo, & quando datur.*

§.2. Non habeant in futurum præfati Reformati inter Obſervantes, ſeu de familia aliquam dignitatem, ſeu officium, & ſi aliqui de familia ob aliquam cauſam & ob quodcumque privilegium, ſeu facultatem tranſierint ad Reformationem, nullum officium, & dignitatem habere poſſint, niſi per ſex annos inter eos permanſerint, & laudabiliter cum eis vixerint; & illi, qui tranſire voluerint à familia ad Reformatos, debeant hoc obtinere in Congregatione, ſeu Capitulo, prout modò obſervatur. Et illi, qui talem licentiam obtinebunt, debeant facere annum novitiatus integrum, prout alii Reformati faciunt. Intimetur omnibus Reformatis in Congregatione, ſeu Capitulo Provinciali ad deducendas cauſas propter quas velint ad familiam tranſire, quibus aſſignetur terminus ad deliberandum, quo elapſo, nullus poſtea Reformatus ob quamcumque cauſam à Reformatis ad familiam tranſire poſſit.

*Iuriſdictio miniſtri ... Refor. ... vatur.*

§.3. Quoad juriſdictionem Miniſtri generalis in Reformatos ſervetur Conſt. ejuſdem Greg. prædeceſſoris.

*Procurator, & viſitatores Reformatorū à Card. Protectore eligunt regularem obſervantiam curant.*

§.4. Procurator Reformatorum eligatur à Cardinale Protectore pro tempore exiſtenti, qui debeat etiam deputare quatuor Viſitatores per totam Italiam de triennio in triennium, qui curent obſervari literas piæ mem. Nicolai III. & Clementis V. Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, concernentes obſervantiam regularem, & delinquentes corrigant, & puniant, prout eis magis expedire videbitur, certioreſque faciant Cardinalem Protectorem, & procuratorem generalem Reformatorum, ut & ipſi quod neceſſarium fuerit ad animarum ſalutem, procurent obſervari.

*Miniſtri provinciales Obſervantium ſuperioritatē non habeant in reformatos.*

§.5. Miniſtri Provinciales Fratrum de familia nullam habeant juriſdictionem, poteſtatem, & ſuperioritatem in Reformatos.

*Præmiſſa inviolabiliter obſerventur.*

§.6. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula perpetua, valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, & per præfatos Fratres Reformatos perpetuò obſervari debere.

*Clauſula præſervativa.*

§.7. Præſentes quoque literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ defectu notari, argui, ſeu impugnari, aut ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & fore, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas cenſeri. Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executorum deputatio.*

§.8. Quocirca ven. fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis per præſentes committimus & mandamus, quatenus quicumque illorum per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Reformatorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ipſiſque Fratribus Reformatis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos eorumdem præmiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Derogatio contrariorum.*

§.9. Non obſtan. quibuſvis conſt. & ordin. Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.*

§.10. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. I. die 10. Se...*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Septembr. 1621. Pontific. noſtri anno primo.

---

IX. Revocatio quarumcumque electionum de Judicibus Conſervatoribus hactenus factarum, & nova de eis, eorumque electionibus in poſterum faciendis diſpoſitio.

*De hac materia vide diſpoſitionem Bonif. VIII. in cap. 11. de reſcript. in 6. & etiam cap. 1. & 15. de Offic. deleg. in 6. necnon Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 15. de ref. & Leonis X. conſtit. 22. ſup. tom. 1. & Clem. VIII. conſtit. 3. ſup. tom. 3.*

Scias ſuper nonnullis verbis hujus Conſt. exortum fuiſſe

dubium, quod declaratum fuit per Congreg. Concil. Trident. Interpret. in quodam Decreto, quod hic ſubſequitur.

*Edita An. D. 1611.*

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter D. Gregorius divina providentia Papa XV. ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum moven. & de voto venerabilium fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, partim fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris ſui veſtigiis inhærendo.

*Hujus Clem. conſt. eſt ſup. num. 3.*

*Hic Pont. revocat omnes, & quaſcumque electiones Conſervatorum hactenus factas.*

§.1. Revocavit, ac nullas, & invalidas decrevit omnes, & quaſcumque judicum Conſervatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim literarum Conſervatoriarum, juxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, quàm in vim quorumcumque privilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum Apoſtolica auctoritate conceſſorum, ſeu aliàs quocumque jure, vel titulo hactenus factas pro quibuſcumque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut aliis quibuſvis piis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, etiam Mendicantium, ſeu Inſtituti, vel Societatis Regularibus locis quantumvis exemptis, etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis, cujuſvis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant.

*Statuit hujuſmodi electiones de cætero fieri, ut hic.*

§.2. In futurum verò Sanctitas ſua hac generali, & perpetuò valitura conſtitutione ſtatuit, & decrevit, ut Judices Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimilis rec. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris ſui, quæ incipit Statutum, ita ut vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in Conciliis Provincialibus, aut diœceſanis, juxta Decretum Concilii prædicti Judices electi, ſeu deſignati ſint.

*Deinde Bonif. VIII. cap. Statutum eſt, in 6.*

§.3. Quodque deinceps literæ Conſervatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ ſupraſcriptis tantum dirigantur, & ſi quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujuſmodi, omniaque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti.

*Ac Conſervatores aliter eligendos irritat. Eligentibuſque pœnas infligit.*

§.4. Et nihilominus qui ſecus, quàm juxta formam ſuperiùs præſcriptam, Conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere, nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis, ſeu deputatis uti auſi fuerint, Regulares quidem voce activa, & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeo ut habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice conſequi valeant, reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ coërceantur, & prædictorum omnium Conventus, Monaſteria, ac loca hujuſmodi, eorumque perſonæ, ac bona careant conſervatore ad annum, ita ut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſci ac diffiniri debeant.

*Confer. in Synodis provincialib. ab Ordinariis certo modo eligi debeant.*

§.5. Cæterum ut latiùs pateat Conſervatorum hujuſmodi deligendorum facultas, Sanctitas ſua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prædicta Conſtitutione ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas deſignari procurent, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum, uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum.

*Tempus ad elig. hujuſmodi Conſ. præfinit.*

§.6. Inſuper Sanctitas ſua, inhærendo hac in parte Decreto ſimilis record. Gregorii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris ſui, ſtatuit, & ordinavit, ut Regulares, ac perſonæ hujuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra ſex menſes à die publicationis in Urbe præſentis Conſtitutionis inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſervatores juxta formam ſuperiùs propoſitam.

*Electioneſque factas in Curia Ordinarior. in actis exhiberi mandat.*

§.7. Ejuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus hujuſmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſervatores ſecundùm formam præſentis Conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinariis conveniantur.

*Nomina de- illos infra quinquennium non mutari præcipit.*

§.8. Quodque Conſervatores hujuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, & aliis ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoveri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant.

*Conſervator. juriſdict. declarat.*

§.9. Ad hæc ſtatuit Sanctitas ſua, ut coram ipſis Conſervatoribus Regulares, ac perſonæ ſupraſcriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint, itaut memorati Conſervatores, in cauſis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantùm, in quibus rei extiterint, neque extra Civitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere præſumant.

*Conſer. hujuſmodi à manifeſtis injuriis deſerre ... re poſſe ... declaravit Cong. Conc. Triden. in quodam Decr. ſub an. 1611. & hic ſubſequitur.*

§.10. Si qua verò inter Judices Conſervatores hujuſmodi, & locorum Ordinarios controverſia ſuper competentia juriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma Juris electos ſuper juriſdictionis competentia fuerit judicatum.

*Controverſ. inter Conſerv. & Ordinar. per arbit. decidi jubet.*

§.11. Quod ſi qui Conſervatores, ſive in hac parte, ſive aliàs quomodolibet ſuos limites exceſſerint, per annum ab Officio Conſervatoris hujuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars quæ hoc fieri procuraverit, ſententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Conſtitutionis ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris, quæ incipit: Hac Conſtitutione, quam Sanctitas ſua in omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni non adverſantur, innovavit, & innovat.

*Confer. & litigantium ſuos limites excedentium pœna Bonifac. conſt. pœna declarat.*

*Hac Bonif. conſt. eſt cap. 15. de Offic. deleg. in 6.*

*Judices non ſuſpecti, quando à Principio peti poſſint, explicat.*

§.12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas ſua prohibere, quominus Regulares, & alii ſupradicti in caſibus à jure permiſſis petant Judicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus; dum tamen hæc tria copulativè concurrant: videlicet, ut Regulares, & alii prædicti ſint actores, non autem rei; utque agant contra laïcum, non autem contra Eccleſiaſticum, vel aliàs à juriſdictione ſæculari exemptum; atque ut cauſa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem laïcus, ut præfertur, eligendus Judex competens exiſtat.

*Obſervantiam præmiſſorum præcipit cum Decr. irritant.*

§.13. Quæ omnia & ſingula in præſenti Conſtitutione contenta Sanctitas ſua voluit inviolabiliter obſervari, decernens ſic in iis, cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcumque, &c. etiam Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, ſublata, &c. judicari, &c. necnon irritum, & inane, &c.

*Contrariis quibuſcumque plen. ſ. derogat.*

§.14. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac literis conſervatoriis, quas omnes ad formam præſentis Conſtitutionis reduxit, in favorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorum quorumcumque, tam ſæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, &

expreſsè

expreſsè derogavit, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.15. Cæterum, ut præſens Conſtitutio faciliùs omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit, & mandavit, ut non ſolùm in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiuſque exempla in iiſdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur.

## Placet, publicetur & deſcribatur. A.

*Lecta, & publicata fuit ſupradicta Conſtitutio in Cancellaria Apoſtolica ab altero ex Rev. P. D. Majoris Præſidentiæ Abbreviatoribus, die vigeſima menſis Septembris, Anno Incarn. Dominica Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimoprimo, Pontificatus verò prælibati Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Gregorii Papæ Decimiquinti, Anno Primo.*

*Et poſtmodum die, & anno ſupradictis in Quinterno ejuſdem Cancellariæ inter alias Conſtitutiones Apoſtolicas deſcripta, & annotata fuit.*

Nicolaus Urſinus Procuſtos.

*In Dei nomine. Amen. Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, Indictione quarta, die verò vigeſima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini N. Domini Gregorii Divina Providentia Papæ Decimiquinti, Pontificatus ſui Anno Primo, retroſcripta Conſtitutio Apoſtolica affixa, ac publicata fuit in Valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, per me Auguſtinum Bracherium, Apoſtolicum Curſorem.*

*Octavius Spada Magiſter Curſorum.*

*Sequitur aliquod Dubium ſuper iſta Conſtitutione exortum, cum ſua declaratione.*

In Conſtitutione de Conſervatoribus edita à ſanctæ memoriæ Gregorio Decimoquinto, ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii inter cætera ſtatutum eſt, ut coram Conſervatoribus Regulares conveniri quidem aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint, itaut memorati Conſervatores in cauſis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorſus juriſdictionem habeant, ſed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba ſublata ſit facultas, quam habent Conſervatores defendendi Regulares, & alios à manifeſtis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à ſuis poſſeſſionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, ejuſmodi verbis minimè ſublatam fuiſſe facultatem, quam habent Conſervatores defendendi Regulares à manifeſtis injuriis, ac violentiis, dummodò obſervent formam præſcriptam Conſtitutionibus Innocentii Quarti, & Bonifacii Octavi, relatis in cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.

C. Card. de Torres.

*Proſper Fagnanus S. Cong. Secr.*

---

*Indultum pro Religioſis Societatis Ieſu Officium recitandi, ac Miſſam celebrandi de Communi Confeſſoris non Pontificis, die 21. Iunii de B. Aloyſio Gonzaga d. Societatis Profeſſore.*

*GREGORIVS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

IN Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.

§.1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti Generalis, ac Preſbyterorum Societatis Jeſu Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi pro eo, quem erga Beatum Aloyſium Gonzagam ejuſdem Societatis, dum vixit, religioſum, gerunt devotionis affectu, Officium, & Miſſam de eo, ut infra recitari poſſe ſummoperè deſiderant. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis hujuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§.2. Nos igitur Præpoſitum Generalem, ac Preſbyteros prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum conſilio, ut de dicto B. Aloyſio Gonzaga die 21. Junii, quo ex hac vita migravit ad Cœlum, ab omnibus ejuſdem Societatis Religioſis ubique terrarum exiſtentibus, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani de communi Confeſſoris non Pontificis Officium recitari, & Miſſa celebrari reſpectivè liberè & licitè valeat, necnon etiam confluentibus eo die ad eorumdem Religioſorum Eccleſias Miſſam in illis de eodem B. Aloyſio Gonzaga, ut ſupra, celebrare liceat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus. *Hic Pont. concedit Religioſis d. Societ. officium, & Miſſam B. Aloyſii Gonzaga.*

§.3. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contrariis derogat.*

§.4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, Secretarii ipſius Societatis, vel Notarii publici manu ſubſcriptis, & perſonæ alicujus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel pro tempore exiſtentis Præpoſiti, aut Vicarii Generalis ejuſdem Societatis ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptis credi mandat.*

Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Octobris 1621. Pontificatus Noſtri Anno Primo. *Dat. P. An. 1. die 2. Octob.*

---

XI.

## Suppreſſio, & extinctio Parochialis Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ de Urbe in Monte Jordano, cum animarum curæ tranſlatione ad Eccleſias circumvicinas, & ex ejus proventibus duorum Canonicatuum in Eccleſia Sancti Laurentii in Damaſo erectione, ac ejuſdem reductio ad profanos uſus. Necnon ejuſdem conceſſio facta Congregationi Clericorum de Oratorio Urbis, pro ampliori Sacriſtiæ, ac Oratorii ædificatione, & propriæ Domus dilatatione.

*His duobus Canonicatibus, & duabus Prabendis ex fructibus hujus Eccleſiæ erectis hic idem Pont. poſtea applicavit etiam fructus ex altera Parochiali Eccleſia S. Nicolai in Agone ſuppreſſa provenientes, ut videre potes inf. conſt. 30. Dum ad Sacram.*

Iſtorum Clericorum Congregationem à Sancto Philippo Nerio inſtitutam approbaverat antea Greg. XIII. eique conceſſerat Parochialem Eccleſiam B. Mariæ in Vallicella de Urbe, ut ſup. in ejus Conſt. Copioſus, 101. ſup. tom. 3. Et hujus Sancti Bullam Canonizationis ab iſto Pont. factæ expeditam habes à S.D.N. Urb. VIII. ut inf. Conſt. 2. Rationi.

*GREGORIVS PAPA XV.* *Edita An. D. 1621.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Dilecto filio Noſtro in Vrbe, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus Generali ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

CUm ad uberes fructus, quos Preſbyteri Congregationis Oratorii in agro militantis Eccleſiæ producere non deſiſtunt, noſtræ conſiderationis dirigimus intuitum, dignum ducimus, ut ea, quæ pro dictæ Congregationis, illiuſque domorum, & Oratoriorum ornatu, & uſibus neceſſaria eſſe noſcuntur, favorabiliter concedamus, & *Exordium.*

alias

alias deſuper noſtri offici partes,etiam per conceſſionem Eccleſiarum interponamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Supplicatio horum Oratorianorum facta Pont. pro obtinenda licentia de qua in Rubrica,ex cauſis hic enunciatis.*

§.1. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti,& Presbyterorum Congregationis Oratorii in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis,& Sancti Gregorii in Vallicela de Urbe,dudum à Beato Philippo Nerio fundatæ petitio continebat, quod ipſe Præpoſitus & Presbyteri amplioris loci ſpatio pro eorum Oratorii, Sacriſtiæ, & etiam propriæ domus dilatatione, aut nova conſtructione indigentes,in vim facultatis à fel.rec. Paulo V.prædeceſſore noſtro eis conceſſæ,omnes ferè domos in utraque inſula, majori videlicet, & minori Montis Jordanis,intus plateam dicti Montis, & Eccleſiam prædictam ſitas, magna eorum impenſa emerunt, & alias in ipſis inſulis per eos nondum emptas domos vigore ejuſdem facultatis emere, ibique amplam ædificationem eorum uſibus,& neceſſitatibus congruentem,quamprimùm facere propoſuerunt. Cùm autem,ſicut eadem petitio ſubjungebat,in dicto ſitu parochialis Eccleſia Sanctæ Cæciliæ poſita,& à tribus partibus,ſeu lateribus ab eiſdem domibus hinc inde circumſpecta reperiatur, & ea propter dictæ ædificationis operi, & ornatui haud parvum incommodum, & impedimentum allatum ſit, huicque incommodo, & impedimento aliàs quàm per dictæ Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ demolitionem provideri non poſſit. Ipſa autem fonte baptiſmali careat, & in ſuis ſtructuris ſatis anguſta, & cura animarum illi imminens non valde numeroſa exiſtat,curaque hujuſmodi ad alias parochiales Eccleſias circumvicinas transferri, & ab earum Rectoribus commodè exerceri poſſit: pro parte Præpoſiti, & Presbyterorum hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum,quatenus in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Quibus permotus Pontif. mãdat Card. Vicario,ut ab Eccleſia S.Cæcilia animarum curam, proprietates, fructus,& ſimilia, exceptis jurib. Parochial. Parocho modò obtinẽti d.Eccl. reſervandis, cum conſenſu Diac. Card.S. Laur. in Damaſo abdicet, ſeparet,ac diſmembret.*

§.2. Nos igitur,qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri,tenerentur exprimere verum annuum valorem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, idemque ſervaretur in quibuſvis diſmembrationibus, conceſſionibus,& applicationibus de quibuſcumque fructibus, & bonis Eccleſiaſticis prædictis, Præpoſitum, ejuſque, ac Presbyterorum hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, & ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon aliarum conceſſionum,& aſſignationum præfatæ Congregationis hactenus quomodolibet factarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati,circumſpectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, te de præmiſſis diligenter informes, & ſi per informationem eandem ita eſſe repereris, à dicta Eccleſia Sanctæ Cæciliæ,quæ ab Eccleſia Sancti Laurentii in Damaſo de dicta Urbe, tanquam ejus Matrice dependet, & quam dilectus filius Angelus Baldus ipſius Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ Rector ad præſens obtinet, cujuſque fructus, redditus & proventus centum & viginti ducatorum auri de Camera, ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedunt, ut aſſeritur, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, poſtquam illa per ceſſum, etiam permutationis causâ, etiam in manibus Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel deceſſum, ſeu privationem, vel amiſſionem aliam quamcumque, aut Religionis ingreſſum dicti Angeli, ſeu aliàs quovis modo,etiam apud Sedem Apoſtolicam, etiam in aliquo ex menſibus Nobis, & eidem Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, Sedique præfatæ, per quaſcumque conſtitutiones Apoſtolicas,aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulas editas,& edendas nunc,& pro tempore reſervatis,aut collatoribus Ordinariis, etiam per eaſdem, vel quaſvis alias conſtitutiones, aut regulas, ſeu litteras alternativarum, vel alia privilegia, & indulta hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, aut jure ordinario, vel alias competentibus vacare contigerit, ſeu ſi in aliquo ex præmiſſis,vel alio quovis modo, & ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per liberam reſignationem dicti Angeli, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut Conſtitutionem piæ mem. Joannis Papæ xxij. etiam Prædeceſſoris noſtri,quæ incipit, Execrabilis; vel aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate collativa, & etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta,ipſaque Eccleſia Sanctæ Cæciliæ diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum etiam præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, omnimodam animarum dilectorum filiorum illius parochianorum curam, aliaque jura, officia,& onera parochialia univerſa,& illorum exercitium, necnon etiam omnia, & ſingula illius proprietates, fructus,redditus,& proventus,jura, obventiones, & emolumenta quæcumque,in quibuſvis rebus conſiſtentia,& undecumque provenientia, de conſenſu dilecti filii noſtri Alexandri Sancti Laurentii in Damaſo Diaconi Cardinalis de Montealto nuncupati, ſine tamen aliquo dicti Angeli præjudicio,præſertim quoad univerſa Parochialia ipſius Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ,liberamque,& omnimodam tam illius, quàm bonorum ejuſdem Adminiſtrationem, quæ præfato Angelo, quoad vixerit, eandem Eccleſiam Sanctæ Cæciliæ obtinuerit,plenè cedere,& competere valeant, auctoritate noſtra perpetuò abdices, ac reſpectivè ſepares,ac diſmembres.

*Diſtributionemque ad Parochiales Eccleſias circumvicinas arbitrio d. Card.S.Laurentii faciendam curæ.*

§.3. Necnon curam,jura,officia, & onera Parochialia, illorumque exercitium hujuſmodi, cum utriuſque ſexus Parochianis prædictis,pro ea parte videlicet, quæ ambas Inſulas prædictas complectitur,ad dictam Eccleſiam Beatæ Mariæ,& S.Gregorii, pro reſiduo verò ad alias Parochiales Eccleſias circumvicinas, juxta diſtributionem à dicto Alexandro Cardinali, ſeu pro tempore exiſtente ipſius Sancti Laurentii in Damaſo Diacono Cardinale, deſuper pro libero, & abſoluto ejus voluntatis arbitrio faciendam.

*Ac præ... Cleri... ut d. E... S. Laur... tanquam M... tricem ... lis ann... gn... do... p.o.*

§.4. Ita quod ipſa Eccleſia B. Mariæ, S. Gregorii, & prædicti moderni, ac pro tempore exiſtentes Præpoſitus, & Presbyteri dictæ Congregationis Eccleſiam Sancti Laurentii prædictam ratione Parochianorum dictas duas Inſulas pro tempore incolentium dumtaxat in Matricem, ad inſtar aliarum ſimilium Eccleſiarum recognoſcere, & ad illam perpetuis futuris temporibus in ſignum recognitionis hujuſmodi ſingulis annis die Sabbati Hebdomadæ Sanctæ Parochum,ſeu alium Presb. qui ibi ad Olei Sancti benedictionem, ut moris eſt, aſſiſtat, mittere teneantur,dicta auctoritate etiam perpetuò transferas.

*Necnon ... Canonicatus ad inſtar aliorum Canonicatuum in Eccl. S. Laurentii cum conſenſu Cardinalis, ac ... præbendas ſacerdotales ... gat & ... tuat.*

§.5. Ac in dicta Eccleſia S. Laurentii duos Canonicatus,& duas Præbendas Sacerdotales pro totidem Canonicis,qui apud eandem Eccleſiam S. Laurentii perſonaliter reſidere,ac ſtallum in Choro,locumque, & vocem in Capitulo habere,ac omnibus,& ſingulis privilegiis,quibus alii ejuſdem Eccleſiæ S.Laurentii Canonici utuntur, ſimiliter uti poſſint, & valeant de conſenſu dictorum filiorum Capituli prædictæ Eccleſiæ S.Laurentii,dicta auctoritate erigas,& inſtituas.

*Cum dote ... ſignatione deſcripta.*

§.6. Illiſque ſic erectis,& inſtitutis, pro illorum dote, ac illos pro tempore obtinentium ſuſtentatione omnia,& ſingula dictæ Parochialis Eccleſiæ S.Cæciliæ proprietates,fructus, redditus, & proventus, bona, canones, cenſus,& alia quæcumque, non tamen emolumenta ex exercitio curæ animarum provenientia, & exceptis tot bonis ſtabilibus, ſeu legatis pro celebratione infraſcriptarum Miſſarum, & Anniverſariorum eidem Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ, ſeu ipſius Rectori factis, ſeu relictis, ex quibus centum ſcuta monetæ annuatim percipi poſſint, quæ Eccleſiis, ad quas Miſſas, & Anniverſaria infraſcripta transferri contigerit, applicari debeant, auctoritate prædicta applices,& appropries.

*Facultatem quoque ... dat d. S. Laurentii Diac. Card. ut ... nes Miſſas ... preces, ... nes ... ſuffragia ... que in d. S.Cæcilia ... modo ... data a ... Eccleſiis ... beneviſ... transferat.*

§.7. Cæterum quia, ut aſſeritur, in dicta Eccleſia S. Cæciliæ ſeptingentæ Miſſæ, vel forſan plures celebrandæ à diverſis fidelibus fundatæ reperiuntur, eidem Alexandro, ſeu pro tempore exiſtenti S. Laurentii in Damaſo Diacono Card. tam Miſſas hujuſmodi, cujuſcumque numeri illæ exiſtant,& etiamſi aliquæ earum in cantu celebrari

lebrari

lebrari debeant, quàm omnia, & quæcumque Anniverſariorum, preces & alia ſuffragia in eadem Eccleſia Sanctæ Cæciliæ hactenus quomodolibet fundata, ad quaſlibet alias Eccleſias ſibi beneviſas transferendi, & illis pro arbitrio ſuo applicandi, dummodo tamen piæ ipſorum fundatorum diſpoſitiones inde in aliquo non lædantur, licentiam, & facultatem impartiaris.

§.8. Porrò ipſam Eccleſiam Sanctæ Cæciliæ ſic ab hujuſmodi cura, officiis, oneribus, & exercitiis Parochialibus, Miſſarumque, Anniverſariorum, precum, orationum, & aliorum ſuffragiorum hujuſmodi celebrationibus, & recitationibus liberam, & exemptam, ac ſine bonis, & fructibus remanentem, dictæ Congregationi, ita quod liceat illius Præpoſito, & Preſbyteris prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus, corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita, de conſenſu ejuſdem Alexandri Cardinalis, itidem eadem auctoritate ſimiliter perpetuò concedas, & aſſignes.

§.9. Poſtremò autem tibi pro tempore exiſtenti dictæ Urbis Vicario, quotieſcumque, & quandocumque poſt factum abdicationi, diſmembrationi, conceſſioni, & aſſignationi, aliiſque præmiſſis locum, à Præpoſito, & Preſbyteris dictæ Congregationis deſuper requiſiti fueritis, ipſam Eccleſiam Sanctæ Cæciliæ, extractis tamen priùs ex ea omnibus defunctorum ibi ſepultorum oſſibus, & corporibus, iiſdemque ad dictam Eccleſiam B. Mariæ, & Sancti Gregorii tranſlatis, & in ea decenter reconditis, ſervatis de jure ſervandis, profanandi, & ad profanos, non tamen ſordidos uſus reducendi.

§.10. Præpoſito verò, & Preſbyteris eiſdem illam ſic profanatam demoliendi, & ligna, lapides, aliaque rudera, & materialia inde provenientia in novas ædificationes prædictas, aut alios quoſcumque eorum uſus convertendi, & in & ſuper ſolo, ſeu ſitu ipſius Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ ſic profanatæ, & demolitæ fabricari faciendi.

§.11. Cum hoc tamen, quod in ſignum profanatæ, & demolitæ Eccleſiæ hujuſmodi, in Oratorio per dictam Congregationem de novo conſtruendo Altare majus in honorem, & ſub invocatione Sanctæ Cæciliæ, ac B. Philippi Nerii fieri, & illius iconis Imago ejuſdem Sanctæ Cæciliæ à parte dextera collocari debeat, licentiam pariter, & facultatem eadem auctoritate tenore præſentium tribuimus, & impartimur.

§.12. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, ſeu alios Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros ſub quibuſcũque verborum expreſſionibus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacumque poſteriori data, per Præpoſitum, & Preſbyteros ejuſdem Congregationis quandocumque eligenda conceſſas, ac ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectare poterit in futurum, perpetuò firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri.

§.13. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, & de Latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quiquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.14. Non obſtantibus priori voluntate noſtra, & ſingulis præmiſſis, ac Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, dictæque Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ, ac Miſſarum, orationum, precum, & ſuffragiorum hujuſmodi fundationibus; ejuſdemque Urbis, quatenus opus ſit, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1621. 7. Kal. Novemb. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

---

## Quod votum, ac juramentum, quæ Clerici Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe in ea perpetuò manendi emittunt, Romano Pontifici reſervata de cætero ſint.

XLI.

*Iſtam Congregationem unà cum Confraternitate Laicorum ſub invocatione Doctrinæ Chriſtianæ erexit Paul. V in conſtit. 36. Ex credito, ſuprà tom. 3. ubi vide.*

*GREGORIUS PAPA XV.* *Edita An. D. 1621.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

EX incumbenti nobis deſuper paſtoralis officii debito ad ea libenter intendimus, per quæ piorum Chriſti fidelium Congregationes ad divini nominis laudem, & gloriam, animarumque ſalutem piè & rectè inſtitutæ, ſub ſalubribus eorum regulis & inſtitutis perſeverent, & majoribus in dies proficiant incrementis.

§.1. Cum itaque, ſicut dilecti filii Præpoſitus & Clerici Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſia Sanctæ Agathæ Tranſtyberim de Urbe inſtitutæ, Nobis nuper exponi fecerunt, Clerici ejuſdem Congregationis elapſo Novitiatus anno, votum cum juramento in eadem Congregatione perpetuò manendi, libera & ſpontanea voluntate emittant.

§.2. Nonnulli verò ſuper voto ac juramento præfatis, invita etiam Congregatione hujuſmodi, diſpenſare, & illa commutare licitum putent, & de facto in ejuſdem Congregationis præjudicium diſpenſent, & commutent.

§.3. Nos præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, obviare, dictoſque Præpoſitum, & clericos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Quod de cætero cum Clericis ejuſdem Congregationis ſuper voto, & juramento præfatis, niſi per nos, aut Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem diſpenſari, aut votum & juramentum præfata commutari nullatenus poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium decernimus, & ordinamus; & facultatem ſuper voto, & juramento præfatis diſpenſandi, ſeu eadem vota commutandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervamus.

§.4. Inſuper omnia, & ſingula dictæ Congregationis privilegia, quatenus ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, neque ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis adverſentur, auctoritate & tenore præfatis approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

§.5. Decernentes quaſcumque voti, ſeu juramenti præfatorum diſpenſationes, ſeu voti, & juramenti eorumdem commutationes, contra præſentium tenorem quandocumque faciendas, nullas, irritas, & inanes, nulliuſque roboris, vel momenti.

§.6. Præſentes verò literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere, irritumque & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non

*Contraria tollit.*

§.7. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 1. 12. Novemb.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die duodecima Novemb. 1621. Pontificatus Noſtri anno Primo.

---

## XXI. De electione Summi Romani Pontificis.

*Aliæ de hac materia electionis Papæ à diverſis Pontificibus hactenus edita erant Conſtitutiones, quarum nonnulla ſunt in Corpore Iuris, ut videre poteris diſpoſitionem Symmachi relatam in cap. 2. diſtinct. 76. Nicolai II. cap. 1. diſt. 23. & Alexandri III. in cap. 6. de electio. Necnon Gregor. X. in cap. 3. eod. tit. lib. 6. ac Clem. V. in Clem. 2. Ne Romani, eod. tit. Alia verò quæ ſunt extra Iuris Corpus, omnes ſunt tibi indicata in Conſtit. 63. Pii IV. ſup. tom. 2. Quoniam verò circa uſum, obſervantiam, & executionem hujus Gregorianæ ſanctionis multa excitari poterant difficultates; ideò hic idem Pontifex ad eas præcidendas, ac pro faciliori ejuſdem Conſtit. obſervantia edidit Ceremoniale, ritus hujuſmodi electionis continens, ſeriò obſervandum, & nequaquam immutandum, ut hic infr. Conſtit. 19. Decet. Quæ omnia noviſſimè approbavit, & confirmavit Sanctiſſim. Dom. N. Vrban. VIII. ut in ejus Conſtit. 45. Ad Romani.*

*Edita An. D. 1621.*

GREGORIUS PAPA XV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exactiſſima cura & diligentia adhibenda eſt in electione ſummi Rom. Pontif. & ideò aliquot Roman. Pontificum, & Sanctorum Patrũ decreta pro ritè, & rectè peragẽda electione edita fuerunt. Sed ſalubriori remedio Pontifex iſte locum eſſe cognovit, propterea plenius deſuper, ut infra diſpoſuit.*

ÆTerni Patris Filius, Magiſter, & Legiſlator noſter Chriſtus Dominus, cujus omnis actio, noſtra eſt inſtructio, licèt portaret omnia verbo virtutis ſuæ, nec eſſet quicquam abſconditum ab oculis ejus, tamen priuſquam ad Apoſtolatus munus duodecim Apoſtolos eligeret, & nominaret, quod aliàs unquam feciſſe in ſcripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei: & antequam Beato Petro ovium ſuarum curam committeret, tertiùm repetita interrogatione, trinam extare amoris ejus æterni profeſſionem: Nos ſcilicet erudiens quanta diligentia, cautione, & cura in omnium Paſtorum electione adniti debeamus, ut boni eligantur, & fideles, præſertim verò in Beati Petri Succeſſores, qui orbis eſt lumen, Doctor gentium, & Paſtor Paſtorum. Quapropter ſatis etiam admonemur, nihil eorum, quæ ad electionis Romani Pontificis negotium cautiùs, & meliùs tranſigendum conducunt, omitti debere: ſalus enim non unius membri, ſed totius corporis agitur, cùm de capite conſulitur. Igitur etſi diverſis fel. rec. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, & Sanctorum Patrum decretis ſalubriter proviſum eſt, ut ejus electio ritè & rectè peragatur, & in ea non caro & ſanguis, aut humana ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum, dominetur, ſed Spiritus Sancti gratia omnia dirigantur, & gubernentur: nihilominus, ut dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, experientia compertum eſt, ſalubriori remedio locum non deeſſe. Nos igitur, quos poſuit Dominus, licèt nullis ſuffragantibus meritis, regere Eccleſiam ſuam, ne in extremo die prætermiſſi officii in re tanti momenti à Nobis ratio à diſtricto Judice exigatur, quod multorum etiam votis, & poſtulationibus multùm expetitum eſt, Sancti Spiritus adſpirante gratia, faciendum decernimus.

*Tres tantum electionis Papæ formas fieri poſſe decernit, ſcilicet per ſcrutinium, per compromiſſum, & per quaſi inſpirationem.*

§.1. Matura itaque cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione habita, de eorumdem Fratrum conſilio pariter, & aſſenſu, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſtatuimus, decernimus, & declaramus, in poſterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe, quàm in Conclavi, & eo clauſo, ac poſt celebratum in eo prima die Sacroſanctum Miſſæ ſolitum Sacrificium, cui Cardinales intereſſe, & in eo communicare conſueverunt, ac per ſecreta Schedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium, præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales ſimiliter in Conclavi præſentes, nemine diſſentiente, aliquibus ex eorumdem Collegio Cardinalium [illegible] aliquandi poteſtatem, ut vice omnium Eccleſiæ Catholicæ [illegible] de Paſtore, aut niſi [illegible] & ſingulis Cardinalibus, qui iidem in Conclavi [illegible] erant, nemine pariter diſſentiente, quaſi per inſpirationem, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, per verbum, Eligo, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce fieri non potuerit, expreſſum, fuerit celebrata.

*Et nomin[…] per viã ſcrutinii, vel ſcrutinii & acceſſus, & per viam compromiſſi ſe[…] ſum eligere poſſe.*

§.2. Numerum autem Suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium, ut electio per viam Scrutinii, ſive Scrutinii & acceſſus valida ſit, decernimus, & declaramus ita eſſe cenſendum, ut in duabus tertiis partibus Suffragium electi non numeretur, nec quiſquam, ſive Scrutinii, ſive Scrutinii & acceſſus, ſive compromiſſi via procedatur, ſe ipſum eligere, ſeu ſuffragium ſibi dare ullatenus poſſit. Electi tamen perſona, ſi in Conclavi ſit, debeat in numerum Cardinaliũ cõputari.

§.3. Rurſus nemo per viam Scrutinii, ſeu Scrutinii & acceſſus habeatur pro electo, niſi publicatis omnibus ſuffragiis, & electi, ſi numerum tãtummodo duarum ex trib. partibus habuiſſe compertum ſit, etiam ſchedulis apertis.

*In ſcruti[…] vel ſcrut[…] & acceſſu[…] ceſſariam […] ſuffragiorum publicatio[…]*

§.4. Ac ſi contingat plures in ſchedulis nominatos, duas tertias partes ſuffragiorum tuliſſe in ſuffragiorum paritate, neuter ſit electus, in imparitate verò, qui numero ſuffragiorum ſuperior erit, dummodo duas tertias partes etiam in uno ſuffragio excedat, electus cenſeatur.

*In ſuffra[…] rum pari[…] neminem e[…] ctum eſſe, […] in impari[…] electum […] qui ultra duas partes in uno ſuffragio ſuperior erit.*

§.5. Inſuper in unoquoque Scrutinio antequam Schedula in calicem mittatur, à quolibet Cardinale juramentum alta, & intelligibili voce fiat his verbis: TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME JUDICATURUS EST, ME ELIGERE QUEM SECUNDUM DEUM JUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRÆSTABO. Et hoc juramentum à nullo omittatur.

*Iuramentũ quolibet Car[…] din in forma ſuffragii p[…] ſtandi ſu[…] praſcribi[…]*

§.6. Suffragiorum autem Schedulæ hujuſmodi, tam Scrutinii, quàm acceſſus, ubi potuerit, impreſſæ omninò eſſe debeant, ubi non potuerit, unius tantùm manu ſcriptæ ſint, ita videlicet, ut tam impreſſæ, quàm ita ſcriptæ, ea omnia, quæ in Schedulis hujuſmodi exprimi ſolent, contineant, præter ſola nomina, ſeu denominationes eligentis, & electi, & infraſcripta ſigna, quæ omnia manu ejuſdem eligentis ſcribantur: & nomen quidem eligentis in prima parte Schedulæ, electi verò in ſequenti, & rurſus electi, quantum fieri poterit charactere alterato, ita ut cognoſci non poſſit: eaque Schedulæ pars, in qua erit eligentis nomen, claudetur, ac ſigillo ad hoc parato ac ſecreto, non autem eo quo quiſque uti ſolet, obſignetur. Ut autem videri poſſit, ne qui alicui acceſſit, eiſdem in Scrutinio ſuffragium dederit, Schedulæ omnes duobus aliis ſignis in ultima parte ſignentur, numero nempe aliquo, & brevi dicto ſacræ Scripturæ, vel alio hujuſmodi, quæ ſigna in utraque Schedula tam Scrutinii, quàm acceſſus eadem ſint.

*Qualiter quoque […] ſcriptionem & ſchedula[…] rum ſigna[…] ſuffragiu[…]*

§.7. Poſtea verò pars illa Schedulæ, ubi hæc ſigna erunt, etiam complicetur, & obſignetur, ne à Scrutatoribus videri poſſit, niſi poſtquam fuerit per Scrutinium & acceſſum electio perfecta, quo caſu Schedulæ acceſſus à Scrutatoribus ea in parte, ubi duo prædicta ſunt ſigna, aperiantur, iiſque inſpectis, & earum ſigillis, aliæ Schedulæ cùm iiſdem ſignis notatæ, & in Scrutinio datæ reperiantur, ut videlicet an duo hæc ſigna, & ſigillum eadem ſint cognoſcatur, & inde duo ſuffragia ab eodem Cardinali uni data non fuiſſe appareat.

*Complica[…] nem que […] gnationem […] aperitionem […] diſtarũ ſch[…] dularum.*

§.8. At ſi inter Schedulas Scrutinii nulla reperietur iiſdem ſignis notata, quibus ſchedula acceſſus ſignata erit, aut ſi quis eidem acceſſerit, quem in Scrutinio nominaverit, utroque caſu ſuffragium acceſſus nullum ſit. Subſcriptio autem, ſeu nomen eligentis reſignari non poſſit, niſi contingat, ut ſigillum, & alia duo prædicta ſigna ſint eadem cum ſignis, & ſigillo alicujus alterius Cardinalis, aut alia difficultate cogente.

*Quando ſu[…] fragium […] ceſſu nul[…] ſit declara[…] & quando ſchedula […] riantur in […] etiam par[…] ubi eſt no[…] eligentis.*

§.9. Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo à Cardinalibus ſcribatur, quomodo in folio impreſſo, ubi in Conclavi notari ſuffragia ſolent. Præterea ut ſecreto cautius conſulatur, Schedulæ ſuffragiorum conficiantur, una ſeu pluribus in menſis in media Capella conſtitutis ita à Cardinalibus remotis, & circumſpectis, ut quid ſcribatur ab aliis videri non poſſit. Si quis verò ad menſam accedere impeditus valetudine non

*Nomen ele[…] quomodo […] ſchedulis […] bendum, […] ubi debeat […] ri ſchedu[…] rum inſcrip[…] declarat.*

pote

poterit, is ſuffragium ſuum in loco ſuo ſecretè conficere debeat, & ad illud accipiendum ultimus Scrutatorum accedat.

§. 10. Et ut acceſſus ſecretè etiam peragatur, Scrutinio publicato, ſi electio per conſenſum duarum partium in eo non fuerit celebrata, ſtatim antequam ad alios actus deveniatur, Cardinales Schedulam pro acceſſu formatam prædictis in menſis conficere, ſicut in Scrutinio teneantur. Porrò uſus Schedularum pro acceſſu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis in Scrutinio voluerit, ejus nomen ſcribet: qui noluerit, ne cognoſci poſſit eum nulli accedere, in loco nominis ſcribat, nemini.

§. 11. Nulli autem tam in Schedula Scrutinii, quàm acceſſus plures nominare liceat, alioquin ſuffragium in quo plures fuerint nominati, nullum ſit; accedere tamen uni ex nominatis à ſe in dicta Schedula, vel alii, dummodo aliquod aliud ſuffragium in eodem Scrutinio tulerit, non prohibeatur, & in numerum Cardinalium in Conclavi præſentium numeretur.

§. 12. Neque in quolibet Scrutinio, niſi ſemel accedere liceat: neque per acceſſum ab alterius nomine, in Scrutinii Schedula facta recedi decernimus, & declaramus.

§. 13. Inſuper antequam Schedulæ, ſive Scrutinii, ſive acceſſus à Scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentiſſimè palam numerentur, & ſi plures repertæ fuerint, quàm ſint Cardinales in Conclavi præſentes, omnes comburantur, & iterum ad ſuffragia ſtatim deveniatur.

§. 14. Si quis autem aliquid ex ſupra expreſſis non ſervaverit, aut quomodocumque directè, vel indirectè in aliquo contravenerit, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat.

§. 15. Præterea ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquem infirmitas impediverit ad Scrutinium venire, ad eum adire debeant tres Cardinales, ſorte ante Scrutinium, ut infra, ad hanc rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum Diaconorum extracti, cum capſula perforata, ſed inani & palam à Scrutatoribus clauſa, cujus clavis ſuper altare remaneat, & Schedulam impreſſam illi deferre, ipſeque illam, ſicut alii Cardinales, prævio juramento ſupraſcripto, ſecretè conficere teneatur, deinde in capſulam conjiciat, eaque per eoſdem Cardinales relata, & aperta in calicem Schedula mittatur. Publicato deinde Scrutinio, ſi acceſſus faciendus erit, ut etiam infirmi accedere poſſint, unum ex foliis in quibus nomina Cardinalium, & ſuffragiorum numerus notantur, à tribus Cardinalibus prædictis ſumatur, & palam recognito numero ſuffragiorum, quæ quiſque in Scrutinio tulerit, ad infirmum unà cum alia impreſſa Schedula, pro acceſſu parata, & cum eadem capſula ab iis deferatur. Infirmus verò alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque & ſingula ſerventur, quæ de Scrutinii Schedula ſuprà ordinata ſunt, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna. At ſi quis ſcribere valetudine impeditus, per alium prævio juramento, ab eo qui ſcribet præſtando, de ſervando ſecreto quod ſub eadem excommunicationis pœna ſervari mandamus, ſubſcribere liberè poſſit.

§. 16. Ad hæc Scrutatores tres, ſicut & tres alii Cardinales, qui ad infirmorum ſuffragia deferenda proficiſcentur, ex omnibus Cardinalibus præſentibus in Conclavi, nulla ordinis ſervata diſtinctione, ſorte immediatè ante quodlibet Scrutinium per ultimum Diaconorum extrahantur, & qui ſemel extracti fuerint, in vas iterum conjiciantur; alioquin ſi quis contrafecerit, ſicut ſi Scrutatores, vel recognitores aliquid ſecreti in exercendo ſuo officio cognoverint, & illud revelaverint, eandem latæ ſententiæ excommunicationem incurrant. Finito Scrutinio, & acceſſu, ſive electio ſequuta ſit, ſive non ſit, tres alii Cardinales, ſorte pariter ut ſupra extrahendi, Schedulas omnes recognoſcere debeant, ſigillo tamen, & duobus aliis ſignis, ſi aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quæ omnes & ſingulæ Schedulæ, ſive ſequuta, ſive non ſequuta electione, poſtmodum ſtatim palam comburantur.

§. 17. Similiter ne electio protrahatur, ſtatuimus, & ordinamus, ut ſub ſimili excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda, Scrutinium bis ſingulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, manè ſcilicet poſt ſolitam Miſſam, & prima quidem die tantùm poſt Cardinalium ſacram peractam communionem, & pomeridiano tempore hora opportuna, poſt Hymnum Veni Creator Spiritus, & orationem de Spiritu ſancto; idemque ſi compromiſſi via eligatur, obſervari debeat, atque ad Scrutinium, cum tertiùm pulſata per loca ſolita Conclavis campanula de more fuerit, omnes, & ſinguli Cardinales convenire debeant, valetudine non impediti, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna.

*Pactiones, promiſſiones, ſigna, & alia tam reſpectu incluſionis, quàm excluſionis, &c. ſub pœna excommunic. prohibentur.*

§. 18. Cardinales præterea omnino abſtineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promiſſionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, aliiſque quibuſcumque obligationibus, minis, ſignis, contraſignis ſuffragiorum, ſeu Schedularum, aut aliis tam verbo quàm ſcripto, aut quomodocumque dandis, aut petendis, tam reſpectu incluſionis, quàm excluſionis, tam unius perſonæ, quàm plurium aut certi generis, veluti creaturarum aut hujuſmodi, ſeu de ſuffragio dando, vel non dando: quæ omnia, & ſingula, ſi de facto intervenerint, etiam juramento adjecto, nulla & irrita, neque ad eorum obſervantiam quemquam teneri, aut ex tranſgreſſione notam incurrere fidei non ſervatæ decernimus, & declaramus, & contrafacientes ex nunc excommunicationis pœna innodamus: tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus.

*Quia electionem Romani Pont. nullam reddant, Pœnaſque eligentium, & electorum contra hujus conſtit. formam tradit.*

§. 19. Quod ſi electio hujuſmodi alibi celebrata fuerit, quàm in Conclavi clauſo, vel aliter quàm per ſecreta Schedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium in Scrutinio, ſeu ſcrutinio & acceſſu, electi ſuffragio non computato, vel per viam compromiſſi, ab omnibus Cardinalibus ſimiliter in Conclavi præſentibus, nemine diſſentiente initi, & ita ut nemo ſeipſum elegerit: vel quaſi per inſpirationem, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, omnium pariter Cardinalium præſentium in Conclavi communiter, nemine itidem diſſentiente, per verbum Eligo, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & invalida eo ipſo, abſque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat: quin immò is non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus ſit, & habeatur, tam ipſe quàm eligentes, ejuſque fautores, & complices ſententiam excommunicationis, & anathema, aliaſque cenſuras & pœnas invaſoribus Sedis Apoſtolicæ à ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis impoſitas pariter ipſo facto incurrant, à qua ſicut ab alia quacumque in hac Conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu infra imponenda, & irroganda pœna excommunicationis, tam ipſi, quàm quilibet alius, ſive S. R. E. Card. ſive alia perſona cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, à nullo, neque etiam à Majori pœnitentiario, cujuſcumque facultatis vigore, præterquam à Romano Pont. niſi in mortis articulo abſolvi poſſit, & tam ipſe, ejuſque complices, & fautores, quàm alii quicumque, etiam S. R. E. Cardinales hujus Conſtitutionis in aliquo tranſgreſſores aliis graviſſimis pœnis teneantur, futuri Pontificis canonicè intrantis arbitrio irrogandis.

*Secretum in electione Papæ obſervari præcipit. Et mutationem, aut alterationem hujus conſt. Cardin. prohibet.*

§. 20. Poſtremò ſtatuimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus, ut S.R.E. Cardinales, quæcumque ſecretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare & cavere omninò teneantur, cum intentio, & mens noſtra ſit ut electionis hujuſmodi tam ſanctum negotium, ſi fiat per ſcrutinium, ſeu Scrutinium & Acceſſum, ut præfertur, ſecretiſſimè tranſigatur: ac proinde iiſdem omnibus, & ſingulis S.R.E. Card. & eorum ſacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel horum aliquod ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare, ſeu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præſumant quovis prætextu, cauſa, vel exquiſito colore, ſub eadem excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.

*Hujus conſt. executores Car. deputat.*

§. 21. Ut autem hujuſmodi noſtra Conſtitutio inviolabiliùs obſervetur, tres Card. qui ſingulis diebus Congregationibus agendis præpoſiti ſunt, & cum iis S.R.E. Camerarius illam in omnibus, & per omnia obſervari procurent, & faciant.

*Cardinales per hac ...*

§. 22. Volumus etiam, & decernimus, cenſurarum & excommunicationum prædictarum, & aliarum

quarumcumque prætextu, vel cauſa Cardinales à ſummi Pont. electione activa, & paſſiva excludi nullo modo poſſe, quas quidem cenſuras, & excommunicationes ad effectum hujuſmodi electionis tantùm, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſuſpendimus: decernentes eaſdem excommunicationes, & cenſuras eos ſolùm afficere qui deliquerint, non autem alios Conclavi durante, qui cum iis converſati fuerint.

*Qua in hujuſmodi electione advertere debent Card. admonet.*

§.23. Cæterum, etſi opus non eſſe in Domino confidimus, tamen pro officii noſtri debito, & rei de qua agitur gravitate, admonemus, hortamur, & in Domino obſecramus S.R.E. Card. ut attentè conſiderent perſonam, quam ſuſtinent, officium, & dignitatem, quàm Sacrum præterea, & quanti momenti ſit opus, quod tractant; & nihil quod ſe non deceat, nihil à re alienum committant, ſed cogitent quàm perniciosum futurum ſit univerſæ Eccleſiæ Chriſti ſanguine acquiſitæ, ſi malè adminiſtretur, ac proinde exuant omnes mundanas curas, & induant ſolum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, memores nihil prodeſſe homini, ſi univerſum Mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Denique animum advertant, ſe in Conclavi clauſos editiſſima in ſpecula conſtitutos eſſe, & factos ſpectaculum Deo, & hominibus, à Domino, cujus negotium gerant, ſupplicii, vel gloriæ ſempiternæ retributionem citiſſimè laturos.

*Conſt. & alias huic Conſt. contrarias expreſſe derogat.*

§.24. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fel. rec. Alexandri Papæ III. præd. noſtri, & in Concilio Lateranenſi edita, quæ incipit, Licet ad vitanda, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, etiam in Conciliis generalibus promulgatis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore Juris clauſis, quibus omnibus, & ſingulis, quatenus pariter opus ſit, eorum omnium, & ſingulorum tenores perinde ac ſi ad verbum exprimerentur, pro expreſſis, & inſertis habentes, pro hac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Vide reſtrictionem hic infra, §.26.*

*Quomodo, & quando juranda ſit per Card. iſta Conſt. ſtatuit.*

§.25. Volumus quoque præſentes noſtras coram omnibus in prima Congregatione poſt obitum Pontificis fieri ſolita, & deinde poſt Conclavis ingreſſum, & cùm quis ad Cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis ſimilibus Conſtitutionibus legi, & juramentum ſuper illius obſervatione præſtari: & ita præcipimus, & mandamus.

*Derogat. de qua in §.24. reſtringit, obſervantiamque hujus Conſt. ſucceſſ. Pont. indicit.*

§.26. Quibus Conſtitutionibus, & pœnis in eis contentis, niſi in ſuperius expreſſis, per hanc noſtram derogare non intendimus, ſed eas in ſui roboris firmitate relinquere. Sperantes etiam Rom. Pont. qui pro tempore canonicè eligentur, omni ſtudio curaturos, ut quæ noſtris hujuſmodi, & in eis ſalubriter ſtatuta ſunt, inviolabiliter, ac etiam, ſi opus fuerit, per pœnarum ipſarum contra tranſgreſſores executionem, obſerventur.

*Public. hujus conſt. in Urbe fieri, & factâ quoſcumque Card. etiam abſen. & futuros, & alios quoſcumque ligare præcipit.*

§.27. Denique volumus, eaſdem præſentes in Valvis Baſilicarum S. Jo. Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in Acie Campi Floræ per Curſores noſtros affigi & publicari, ac eorum exempla ibidem affixa dimitti; & deinde omnes, & ſingulos Cardinales, tam abſentes, quàm præſentes, modernos, & qui pro tempore erunt, & alios quoſcumque quorum intereſt, vel intereſſe poterit, quomodolibet in futurum afficere, & ligare, nullamque harum ignorantiam prætendere poſſe, ac ſi eis perſonaliter intimatæ forent, præmiſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

*Sanctionemque pœnalem adjungit.*

§.28. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statutorum, Decretorum, Declarationum, Mandatorum, Innodationis, Voluntatis, Admonitionis, Hortationis, Obſecrationis, Inhibitionis, Derogationis, Præcepti, & Suſpenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. 1. die 15. Nov.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, decimoſeptimo Kalen. Decemb. Pontificatus Noſtri Anno 1.

*Papæ ſubſcriptio.*

✠ Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

*Card. ſubſcriptiones.*

† Antonius Card. Saulius Epiſc. Oſtien. promitto voveo, & juro.

† *Franciſcus Maria Card. à Monte, Epiſc. Portuen.* promitto, voveo, & juro.

† Franciſcus Card. Sfortia, Epiſcopus Tuſculanus, promitto, voveo, & juro.

† A. Card. Montaltus, Epiſcopus Albanen. S.R.E. Vicecancellarius, promitto, voveo, & juro.

† Odoardus Card. Farneſius, Epiſcopus Sabinen. promitto, voveo, & juro.

† Octavius Card. Bandinus, Epiſcopus Præneſt. promitto, voveo, & juro.

†

† Andreas Card. Perettus, promitto, voveo, & juro.

† B. Card. Bevilaqua, promitto, voveo, & juro.

†

† F. tit. S. Praxedis, preſb. Card. de Sourdis, promitto, voveo, & juro.

† Ego Jo. Baptiſta tit. SS. Marcelli, & Petri, Card. Detus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Dominicus SS. Apoſtolorum preſb. Card. Gymnaſius, promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Carolus tit. S. Cæſarei preſb. Card. Madrutius, promitto, voveo, & juro.

†

† Ego S. tit. S. Chryſogoni preſb. Card. Burgheſius, Major Pœnitentiarius, promitto, voveo, & juro.

† Ego M. tit. S. Onuphrii preſb. Card. Barberinus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Jo. Garſia tit. SS. Quatuor Coronatorum, presb. Card. Millinus, promitto, voveo & juro.

† Ego M. tit. SS. Quirici, & Julittæ presb. Card. Lantes, promitto, voveo, & juro.

† Ego M. Angelus Tontus tit. S. Petri ad Vincula, presb. Card. Nazarenus, promitto, voveo, & juro.

† Ego F. tit. S. Auguſtini presb. Card. Verallus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Jo. Bapt. tit. S. Cæciliæ presb. Card. Lenus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Dominicus tit. S. Martini in Montibus, presb. Card. Rivarola, promitto, voveo, & juro.

† Ego P. tit. S. Mariæ de Populo, presb. Card. Philonardus, promitto, voveo, & juro.

† Ego P. Paulus tit. SS. Nerei, & Achillei, presb. Card. Creſcentius, promitto, voveo, & juro.

†

†

† Ego Gaſpar tit. S. Crucis in Hieruſalem, presb. Card. Borgia, promitto, voveo, & juro.

† Ego Robertus tit. S. Alexii presb. Card. Ubaldin. promitto, voveo, & juro.

† Ego Tiberius tit. S. Priſcæ, presb. Card. Mutus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Gabriel tit. S. Pancratii, presb. Card. de Treio, promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego Petrus tit. S. Thomæ in Parione, presb. Card. Camporeus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Matthæus tit. S. Marci, presb. Card. Priolus, promitto, voveo, & juro.

† Ego S. presb. Card. S. Suſannæ, S.R.E. Biblioth. promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego Guido tit. S. Jo. ante portam Latinam, presb. Card. Bentivolus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Petrus tit. S. Salvatoris in Lauro, presb. Card. promitto, voveo, & juro.

† Ego It. Federicus, presb. Card. de Zolrelen, promitto, voveo, & juro.

Ego

† Ego Cæſar tit. S. Petri in Monte Aureo, preſb. Card. Gherardus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Fr. Deſiderius tit. S. Clementis, preſb. Card. de Cremona, promitto, voveo, & juro.

† Ego Stephanus tit. S. Mariæ in Via, preſb. Card. Pignatellus, promitto, voveo, & juro.

† Ego L. Card. Ludoviſius, tit. S. Mariæ Transpontinæ, S.R.E. Cam. promitto, voveo, & juro.

† Ego Franciſcus tit. S. Matthæi in Merulana, preſb. Cardinalis Sacratus, promitto, voveo, & juro.

† Ego M. Ant. tit. S. Euſebii, preſb. Card. Gozadinus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Alexander S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis Eſten. promitto, voveo, & juro.

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Franciſcus, S. Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Boncompagnus, promitto, voveo, & juro.

† Ego Hippolytus S. Mariæ Novæ, Diac. Card. Aldobrandinus, promitto, voveo, & juro.

†

...licatio ...in Vr-

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, Indictione quarta, die verò vigeſima ſexta Menſis Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini N.D. Gregorii divina providentia Papæ XV. Pontificatus ſui primo. Introſcripta litera Apoſtolica publicata, & affixa fuerunt ad Valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earumdem literarum originalibus appenſis per aliquod temporis ſpatium, & exinde amotis, deinde dimiſſis earumdem literarum copiis affixis, ut moris eſt, per nos Auguſtinum Bracherium, & Brandimartem Latinum prælibati S.D.N. Papæ Curſores.*

*Octavius Spada Magiſter Curſorum.*

---

## XIV. Erectio Congregationis Clericorum ſæcularium Scholarum Piarum in Religionem Clericorum Regularium, cum emiſſione trium Votorum ſolemnium.

*Hanc Congregationem ad pauperes ſcholares piè, & ſine ulla mercede erudiendos, erexiſſe Paul. V. videas in ſua conſt. Ad ea 101. ſup. tom. 3. ubi notavi. Et poſtea iſte Pont. confirmavit conſtitutiones ab ipſa Congregatione editas, ut conſt. 17. Sacri, inf. Elegitque Ioſephum à Matre Dei in Miniſtrum Generalem, ut conſtitut. 35. Apoſtolici, inf.*

Ac demùm eidem communicavit omnia Privilegia, & quaſcumque gratias Relig. Mendicantibus conceſſa, & concedenda in Conſt. ſeq. Ad uberes. Necnon poſtea conceſſit Eccleſiã S. Pantaleonis de Urbe, ſublata priùs animarum cura, ut Conſtit. 45. Regimini. Noviſſimè verò eos à Proceſſionibus, & aliis actibus publicis exemit S.D.N. Urb. VIII. inf. Conſt. 100. Debitum.

...ta An. D. 1621.

GREGORIUS PAPA XV.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

...mium.

IN ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licèt imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea vigilantiæ noſtræ partes libenter interponimus, per quæ piæ Clericorum Congregationes in Eccleſia Dei, ad illius laudem, & gloriam providè, ſanctéque inſtitutæ, in perſeverantia laudabilium operum incitentur, ac majoribus in dies proficiant incrementis.

*...ph à Ma... Dei Pra... ...us Congr. ...ic. Pau... ...m Matris ...i Scholarũ ...rũ ſuppli... Papa pro ...u ſolem... ...ium.*

§. 1. Cum itaque, ſicut dilectus filius Joſephus de Matre Dei, Præfectus Generalis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum de Urbe, Nobis nuper exponi fecit, Clerici ejuſdem Congregationis tria ſimplicia, Paupertatis ſcilicet, Caſtitatis, & Obedientiæ vota emittant. Cumque perfectioris vitæ ſtudio ducti, ſimplicia vota prædicta per Nos ſolemnia declarari, Nobis humiliter ſupplicaſſent.

*Et illis id Cardd. negotiis Epiſcop. & Regular. Præp. commiſit, ipſique d. Cong. in Relig. trium votorum ſol. approbari cenſuerunt in quodam Decreto.*

§. 2. Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales, negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſiti, quibus negotium hujuſmodi maturè examinandum, & nobis referendum commiſimus, prædictam Congregationem nuncupatam Pauperum Matris Dei, olim Romæ fel. rec. Clem. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri auctoritate erectam, per ſanctæ mem. Paul. Papam V. Prædeceſſorem noſtrum confirmatam, & propè Eccleſiam ſancti Pantaleonis de Urbe modò degentem, in Religionem trium votorum ſolemnium approbari poſſe cenſuerint, prout in decreto deſuper ſub die xxxj. Auguſti proximè præteriti facto dicitur contineri.

*Quod Decr. bic Pont. approbat, ſuppletque omnes defectus, ſi qui eſſent.*

§. 3. Nos piis Joſephi, & Clericorum prædictorum votis hujuſmodi, quantum cum Domino poſſumus, benignè annuere, eoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§. 4. Decernentes, præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac Joſepho & Clericis prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*Irritanſque Decretum.*

§. 5. Atque ita per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariiſque derogat.*

§. 6. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 1. die 18. Nov.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Novembris 1621. Pontificatus Noſtri Anno primo.

*Sequitur elargitio & communicatio Congregationi Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, omnium exemptionum, indultorum, & privilegiorum quibuſcumque Ordinibus Mendicantium, eorumque locis, & perſonis quomodolibet conceſſorum, & concedendorum.*

*Edita A. D. 1621.*

GREGORIUS PAPA XV.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

AD uberes fructus, quos dilecti filii Miniſter Generalis, & Clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in Militanti Eccleſia, cujus regimini divina diſponente clementia præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem convertentes, ac uberiores ex ipſa Congregatione fructus in dies proventuros eſſe ſperantes, ad ea meritò libenter intendimus, per quæ Congregatio ipſa felicioribus in dies proficiat incrementis.

*Elargitio, & communic. privileg. & gratiarum, de qua in rubrica.*

§. 1. Ut igitur Miniſter, & Clerici prædicti eo ferventiùs in ſuo laudabili inſtituto perſeverent, quo majoribus ſe viderint favoribus, & gratiis munitos, providere volentes, ac ſingulares Miniſtri, & Clericorũ prædictorum perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie

abſolventes,& abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationi prædictæ, illiuſque Miniſtro, & Clericis,aliiſque perſonis,ut omnibus & ſingulis privilegiis,immunitatibus,libertatibus,facultatibus, exemptionibus,aliiſque gratiis,& indultis,tam ſpiritualibus,quam temporalibus,Ordinibus Mendicantium,illorumque Superioribus,Profeſſoribus, necnon Eccleſiis, Monaſteriis, Regularibus locis,etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut aliàs quomodolibet per quoſcumque Romanos Pont.prædeceſſores noſtros,ac etiam Nos quomodolibet conceſſis,& quibus ipſi,necnon Eccleſiæ,Monaſteria, & Regularia loca hujuſmodi de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut conceſſione Apoſtolica in genere,vel in ſpecie,ac tam conjunctim,quàm diviſim, ſeu aliàs quomodolibet utuntur,fruuntur,& gaudent,ac uti, frui,& gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum,dummodo tamen ſint in uſu,& non ſint revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa,nec ſacris Canonibus,& Conc. Trid. Decretis,aut conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo non ſolùm ad eorum inſtar,ſed pariformiter,& æquè principaliter, perinde ac ſi illis nominatim,& in ſpecie conceſſa fuiſſent, uti, frui & gaudere liberè & licitè valeant,Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus,& indulgemus, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones,gratias,& indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus.

*Clauſulas præſervativas appoſuit.* §.1. Decernentes, præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri,& obtinere,ac Præpoſito,& Clericis prædictis in omnibus,& per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*Et Decretum irritans.* §.3. Sicque per quoſcumque judices ordinarios & delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariiſque derogat.* §.4. Non obſtan.noſtra de gratiis ad inſtar non concedendis,ac quibuſvis Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,ac quatenus opus ſit,Ordinum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis,eorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus,cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*D.P. An.2. 15. Octobr.* Dat.Romæ apud S.Mariam Majorem,ſub Annulo Piſc. die 15.Octob.M.DCXXII.Pont.Noſtri Anno 2.

---

XV. Confirmatio,& innovatio Conſtitutionum Greg. XIII. & Greg.XIV. ſuper prohibitione delationis habitus Fratrum Capuccinorum, vel conſimilis habitus per alios Regulares. Necnon commiſſio, & demandatio Ordinariis locorum Regnorum Hiſpaniæ, Franciæ, aliorumque Regnorum, & Provinciarum Italiæ, ne aliis quibuſvis Religioſis,cujuſcumque Ordinis, Societatis,& Inſtituti Regularibus, ſub quovis prætextu in poſterum Nomen,vel Habitum ipſorum Fratrum Capuccinorum ſibi vendicare,vel uſurpare permittant, ſed ipſas editas Conſtitutiones per Eccleſiaſticas cenſuras,& pœnas obſervari faciant.

*Horum Fratrum Regulæ approbationem cum habitus præfinitione habes in Clem. VIII. conſt.21. Religionis, ſuprà tom.1. ubi videas quæ notavit Genitor meus.*

*Edita An.D. 1622.* *GREGORIVS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis Officio, ad ea per quæ Chriſti fidelium quorumlibet, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium quieti,& paci opportunè conſulitur, libenter intendimus, ac in his Officii Noſtri partes interponimus,prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Aliàs ſiquidem à fel.rec.Greg.XIII.& Greg.XIV. Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris emanarunt Literæ tenoris ſubſequentis,videlicet. *Greg.XIII. Greg.XIV. ſeriùs cum prohibuerunt delationem habitus ſimilis vel Capucii Fr.Capuccinorum.*

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Regularium perſonarum, præſertim exemplarem vitam in humilitatis, & paupertatis ſpiritu ducentium quieti, ac indemnitati pro commiſſo Nobis Paſtoralis Officii debito conſulere cupientes, ad ea removenda, quæ ipſis præjudicium adferre, & ſcandali materiam præſtare dignoſcuntur,curam noſtram libenter intendimus. Accepimus ſiquidem, quod licèt aliàs fel. rec. Paulus Papa V. Prædeceſſor Noſter, per ſuas literas inter alia diſtrictiùs inhibuerit quibuſvis perſonis, cujuſcumque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne Habitum per Fratres Ordinis Minorum Capuccinorum nuncupatorum geſtari ſolitum niſi ſub pro tempore exiſtentis Vicarii Generalis ejuſdem Ordinis obedientia, & cura permanerent, geſtare quoquo modo præſumerent,& piæ mem.Pius Papa IV.etiam Prædeceſſor Noſter literas Pauli Prædeceſſoris hujuſmodi, ita quod nullus, cujuſcumque conditionis exiſteret, non ſolùm habitum præfatum juxta literarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi tenorem,verùm etiam nec ita conſimilem, quod propter eum credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub præfati Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia,& cura permaneret,ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quoquo modo geſtare præſumeret,per alias ſuas literas confirmaverit, & approbaverit, ac etiam ad id extenderit: nihilominus multi Fratres Tertiarii nuncupati, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci nuncupatorum, in Regno Siciliæ degentes, Habitum ejuſdem panni,& coloris, quo ipſi Fratres Capuccini utuntur,geſtare, & ſalvo quod Capuccium rotundum more Fratrum Conventualium hujuſmodi deferunt, in reliquis ita conſimiles eiſdem Fratribus Capuccinis incedere præſumunt, ut paſſim à populo pro Capuccinis habeantur, reputentur, ac illis tanquam talibus eleemoſynæ & oblationes elargiantur, non ſine eorumdem Capuccinorum, qui ea ratione eleemoſynis hujuſmodi ab aliis ſuo nomine interceptis fruſtrati remanent, præjudicio, & incommodo, ſed etiam gravi dictæ plebis offenſione,& ſcandalo, dum quos diſciplinæ regulari ipſorum Fratrum Capuccinorum mancipatos credit, eis pecuniarum uſum, ac rerum commercium permitti intuetur. Quocirca Nos rationi conſonum eſſe rati, ut qui in obſervantia vitæ regularis uniformes non ſunt, iidem etiam habitus delatione diſtinguantur, in præmiſſis ad evitandas confuſiones & contentiones, quæ niſi habitus utrimque diſtinguantur oriri poſſent, providere volentes, ac ſingulas literas Prædeceſſorum hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque pro expreſſis habentes, & harum ſerie approbantes, & confirmantes, atque etiam innovantes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra ſtatuimus, & ordinamus,quod ex nunc de cætero perpetuis futuris temporibus hujuſmodi Fratres Tertiarii nuncupati dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Regno Siciliæ exiſtentes, & ſub obedientia, & cura dicti Vicarii Generalis Capuccinorum pro tempore exiſtentis non permanentes,ad inſtar aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis Minorum Conventualium ibidem degentium, non ſolùm Capuccium rotundum, ut præfertur, ſed etiam habitum ejuſdem coloris, cujus eſt habitus dictorum Fratrum Conventualium, videlicet burettini nuncupati, ut propterea à Capuccinis Fratribus facilè diſcernantur, deferre debeant, & teneantur, alioquin ſi ſecus fecerint, poſt ſex menſes ab intimatione præſentium, pœnas Conſtitutionum Pauli,& Pii prædictorum incurrant eo ipſo. Decernentes præſentes literas de ſubreptionis vitio, aut intentionis noſtræ,vel alio quopiam defectu,etiam ex eo quod intereſſe habentes vocati non fuerint, ſeu quocumque alio prætextu notari, impugnari, retractari,aut in jus,vel controverſiam revocari, ſeu adverſus eas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullo

*Iſta Pauli Conſt. eſt ... tom.1. ...* *Conſt. ... Pii habetur ad conſt. Greg. XIV. ſignatam Rubr.*

unquam

unquam attentare poſſe. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus univerſis, & ſingulis dicti Regni locorum Ordinariis, in quorum diœceſibus Fratres Tertiarii Ordinis Minorum Conventualium hujuſmodi pro tempore degent, per præſentes committimus, & mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Capuccinorum prædictorum, vel aliorum quorum intererit, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, faciant auctoritate Noſtra literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum, ſublato quocumque exemptionis privilegio, inviolabiliter obſervari, contradictores quoſlibet, & rebelles per prædictas, aliaſque ſententias, cenſuras, pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ipſas ſententias, cenſuras, pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ſtatutis, & indultis, & literis Apoſtolicis, etiam ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine ſimilibus, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quæ omnia adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, & contrariis quibuſcumque, aut ſi Fratribus Tertiariis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Tuſculi ſub annulo Piſc. die 4. Octob. MDLXXXI. Pont. Noſtri Anno 10. Gregor. Papa XIV. Ad perpetuam rei memoriam. B. Franciſci Confeſſoris Sodalitas.

*Omittitur reſiduum, quia illud habes in tom. 2. n. 2.*

§. 2. Cum itaque, ſicut dilectus filius Procurator Generalis eorumdem Fratrum Capuccinorum totius Ordinis hujuſmodi nomine Nobis nuper exponi fecit, nonnulli in Hiſpaniarum, Galliæ, & aliorum fortaſſe Regnorum, & Provinciarum, necnon in aliquibus Italiæ partibus nomen, & habitum eorumdem Fratrum Capuccinorum ſibi vendicent.

§. 3. Nos præmiſſis quantum cum Domino poſſumus, obviare volentes, ſupplicationibus ejuſdem procuratoris nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardd. negotiis Regularium Præpoſitorum conſilio, locorum Ordinariis in eiſdem Regnis, & Provinciis exiſtentibus per præſentes committimus, & mandamus, ne Nomen, vel Habitum præfatorum Fratrum Capuccinorum ab aliis quibuſvis Religioſis, ſeu cujuſcumque Ordinis, Societatis, vel Inſtituti Regularibus, ſub quovis prætextu in poſterum ſibi vendicare, aut uſurpare permittant, ſed Conſtitutiones Apoſtolicas dictorum Gregorii XIII. & Gregorii XIV. Prædeceſſorum hujuſmodi per Eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas obſervari faciant.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die nona Decembris MDCXXI. Pontific. Noſtri Anno primo. *Dat. P. An. 1. die 9. Dec.*

---

## Ampliatio, & extenſio facultatis conceſſæ Fratribus Minoribus Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum in Regnis Hiſpaniarum commorantium, nova loca erigendi, ſervata forma Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, cæteris non obſtantibus, ad Fratres ejuſdem Ordinis citra montes degentes. XVI.

*Hujuſmodi facultatis conceſſionem habes ſuprà in Pauli V. conſtitutione 27. Ad uberes, tom. 3. ubi notavi alia, ſed pleniùs cernas tibi aſſignata ad conſtitutionem Approbationis Religionis dictorum Fratrum per Clementis VII. conſtitutionem 21. Religioni, tom. 1. factam. Sed revocationem hujuſmodi licentiarum (earum tamen quæ effectum ſuum non ſunt ſortita) vide habitam per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Urbanum VIII. infrà in ſua conſt. 25. Romanus, ubi notavi Canones præſcribentes formam erectionis novorum locorum Regularium.*

*GREGORIUS PAPA XV.* *Edita An. D. 1621.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

ALiàs felicis recordationis Paulus Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas in ſimili forma Brevis ſub die quinta Septembris 1606. expeditas literas, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione ſuis, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Diſcalceatorum, ſeu Recollectorum nuncupatorum ſuperioribus, ut ubique locorum domos, & monaſteria, ſervata forma ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, de ſola licentia Ordinariorum, nullo aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis Regularium requiſito conſenſu, condere, fundare, & erigere valerent, licentiam, & facultatem conceſſit, & indulſit, prout in dictis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

*Paul. V. conceſſit his Fr. in Regno Hiſpan. facult. recipiendi nova loca, ſervata forma ſacror. Can. & Côc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de Regular.*

*Hæc Conſt. eſt ſup. tom. 3. num. 27. Ad uberes.*

§. 2. Nunc Nos ad uberes, & ſuaves fructus, quos citra montes commorantes in militanti Eccleſia, cujus regimini divina diſponente clementia præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem convertentes, ad ea quæ eorumdem Fratrum citra montes commorantium, & locorum Regularium augmento conducere poſſunt, libenter intendimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Itaque ultimò dictos Fratres Reformatos citra montes hujuſmodi ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Literas Pauli prædeceſſoris hujuſmodi cum omnibus in eis contentis clauſulis, decretis, ac derogationibus, ad prædictos Fratres Reformatos citra montes commorantes, ut præfertur, tenore præſentium extendimus, eorumdemque Fratrum citra montes commorantium Superioribus, ut ubique locorum citra montes domos, & monaſteria, ſervata forma ſacrorum Canonum, & Conc. Trid. de ſola Ordinariorum licentia, nullo aliarum perſonarum cujuſvis Ordinis Regularium requiſito conſenſu, condere, fundare, & erigere liberè, & licitè valeant, auctoritate Apoſtolica earumdem tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

*Hic Pont. præd. facultatem act[am] Fr. in Hiſpaniis commoran. conceſſam ad Fr. citra montes degentes extendit cum omnibus gratiis ... à dicto Paulo conceſſis.*

*Contrariiſque derogat.* §.3. Non obſtantibus omnibus illis, quæ idem Paulus prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 1. 23. Decemb.* Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatorio, die 23. Decemb. 1621. Pontif. Noſtri anno primo.

## XVII. Confirmatio Conſtitutionum, & Ordinationum à Congregatione Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum pro felici ejus regimine editarum.

*Iſtius Congregationis materiam vide indicatam hic ſuprà, conſt. 14. In ſupremo.*

*Edita An. D. 1621.* *GREGORIUS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* SAcri Apoſtolatus miniſterio per abundantiam divinæ gratiæ, nullo licet merito noſtro præpoſiti, ad ea per quæ Chriſti fidelium, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo & in humilitatis ſpiritu Altiſſimo famulantium felici, proſperæque directioni conſulitur, libenter intendimus, & his, quæ propterea facta eſſe dicuntur, ut ab omnibus quos illa concernunt, inviolabiliter obſerventur, Apoſtolici muniminis firmitatem adjicimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque, ſicut dilecti filii Præpoſitus, & Clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pro felici, & proſpero ejuſdem Congregationis ſtatu, atque regimine diverſas conſtitutiones fecerint, illaſque in unum volumen redegerint, tenoris ſubſequentis, videlicet:

*Omittitur tenor earum Conſtitutionum, quia illæ ſunt impreſſæ in libro particulari, qui aſſervatur in Archivio hujus Congregationis, & in quolibet illius Monaſterio habetur.*

Demum Capitulum generale ſupradictas Conſtitutiones immutare, aut infringere, niſi ex ſex Capituli partibus quinque concurrant, non poſſe, volumus, atque ſtatuimus, ad Omnipotentis Dei gloriam, & proximorum utilitatem.

*Confirmat conſtitutiones, & regulas Congreg. Clericorum Pauperum Matris D. & Scholarum Piarum editas.* §.2. Nos inviolabili dictarum Conſtitutionum obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictoſque Præpoſitum, & Clericos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Card. negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio Conſtitutiones prædictas, omniaque, & ſingula in eis contenta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti, & quoſvis alios defectus, ſi qui in præmiſſis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Omneſque hujus Religionis perſonas prædictas conſtitutiones obſervare debere decernit.* §.3. Decernentes, modernos, & pro tempore exiſtentes dictæ Congregationis Præpoſitum, & Clericos, aliaſque perſonas ad plenariam earumdem Conſtitutionum obſervationem, prout illæ eos concernunt, teneri, & obligatos exiſtere, & fore, & ad id ſub cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis in Conſtitutionibus prædictis contentis pœnis cogi, & compelli poſſe, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debère, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Quibuſcumque non obſtantibus.* §.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſ... hujus ... credi ...* §.5. Volumus autem, quod præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. A. die 31. Jan.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 31. Januarii, Pontificatus noſtri Anno 1.

## XVIII. De Exemptorum privilegiis circa animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, Sanctimonialium monaſteria, & prædicationem Verbi Dei.

*Tu ſcias nonnulla dubia ſuper iſta Conſtitutione exorta fuiſſe, ſuper quibus emanatæ ſunt declarationes Sacræ Congregationis Card. Concilii Tridentini Interpretum, ab iſtomet Gregor. & S.D.N. Urb. VIII. ejus ſucceſſore reſpectivè approbatæ, quæ hic ſubſequuntur.*

*Edita An. 1621.* *GREGORIUS EPISCOPUS,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa ... Conſt.* INſcrutabili Dei providentia univerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, præſidentes, paſtoralis noſtræ ſollicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantùm ſacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta, atque ut virginum Deo ſacrarum Monaſteria diligentiſſimè cuſtodiantur, & viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum.

*Concil. Tr. ſeſſ. 23. ... circa Con... ſorum id... tatem & ... probatio... diſpoſi...* §.1. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum eſt, nullum Preſb. etiam regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

*Et ſeſſ. ... cap. 11. ... circa ſanctimoniales ... tuit.* §.2. Necnon ut in monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares, quàm ſæculares ejuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus diœceſi ſunt ſita. Itemque ut Epiſcopi univerſi ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus monaſteriis ſibi ſubjectis Ordinaria, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes

*Et ſeſſ. ... cap. 4. ... prædicatio... Verbi Dei.* §.3. Atque ut regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia, contradicente autem Epiſcopo nullibi, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicare præſumant.

*Hic autem Pont. ſuper hujuſmodi Decr. ... adjungit ... ad Exempt. privat. ... animar. cu... ram, & Sacram. adminiſt.* §.4. Verùm quia experientia compertum eſt, Eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, ut decretis ejuſmodi aliquid adjungatur: matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quàm ſæculares quomodolibet exempti, ſive animarũ curam perſonarum ſæcularium monaſteriis, ſeu domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel beneficiis, ſive regularibus, ſive ſæcularibus incumbẽtem exerceant, ſive alias Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent, prævia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione, de facto, abſque ulla auctoritate ſe ingerant in his, quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt,

omnimodæ

commendis juriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur. Ad hæc tam regulares quàm ſeculares hujuſmodi, nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas juxta ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem monaſteriorum monialium, etiam regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

*[...] quoad [...] eſſiones.* §. 5. Confeſſores verò, ſive ſeculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad Confeſſiones monialium, etiam regularibus ſubjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & Adminiſtrantes bona ad eadem Monaſteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſive regulares extiterint, ſive ſeculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantùr, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoveant: iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, unà cum ſuperioribus regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem monaſteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, abſque ulla tamen ipſorum monaſteriorum impenſa.

*[...]t etiam [...]od Prædi[...]ntes.* §. 6. Ac demùm habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoſcumque exemptos, tam ſeculares, quàm regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint. Ita ut Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, in prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, uti ejuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

*[...]d hæc omn[...]ia vide de[...]larat. quæ [...]t ſubjiciun[...]r.*

*[...]itas, & non [...]iter judica[...] poſſe decer[...]it.* §. 7. Decernentes ſic per quoſcumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*[...]ontrariis [...]nibus ple[...]è derogat.* §. 8. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſvis alterius inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Convẽtuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque, tam ſecularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel Conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus de[illegible], etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quæ eiſdem præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Publicationẽ Romæ ſolemnem ſignari ſtatuit.* §. 9. Ceterùm quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis, earum exempla eo in loco relinqui.

*Tranſumptis credi mandat.* §. 10. Ac volumus, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Sanctionem pœnalem ſubjicit.* §. 11. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. Á. die 5. Febr.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii, Pontificatus noſtri anno 2.

*IN nomine Domini Amen. Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1623. indictione 6. die verò 8. Menſis Februarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Gregorii Divina providentia Papæ XV. anno ſecundo, retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen. Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earundem literarum originalibus appenſis per aliquod temporis ſpatium, & exinde remotis, deinde dimiſſis earundem literarum copiis affixis, ut moris eſt, per nos Coſmum Modium, & Alexandrum de Rocchis, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſores.*

*Octavius Spada Magiſter Curſ.*

*Subſequuntur hic aliquot dubia ſuper iſta Conſtitutione exorta, quorum reſolutiones mox ſubjicientur.*

## Poſita Conſtitutione fel. rec. Gregorii XV. de Exemptorum privilegiis, &c. Dubitatur.

i. AN liceat Epiſcopis viſitare Altaria regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, aut loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confeſſiones perſonarum ſecularium.

ii. An Epiſcopi poſſint Regularibus præſcribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel aliàs illorum privilegia reſtringere, ac moderari in ſacramentis adminiſtrandis.

iii. An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos, tam ſeculares, quàm regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius diœceſis?

iv. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

v. An per eandem Conſtitutionem, in illis verbis: Poſſit Epiſcopus unà cum ſuperioribus regularibus qua-

rumcumque Abbatiſſarum, &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur.

vi. An Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari?

vii. An ſuperiores Regulares ſimiliter ante ipſius Conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati, alia indigeant Epiſcopi approbatione pro Confeſſionibus ſanctimonialium ſibi ſubjectarum audiendis.

viii. An Confeſſiones, quas audiunt ſuperiores Regulares electi, ſeu deputati vel confirmati poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, atque irritæ, necne?

ix. An Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum.

x. An Regularis ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatus, Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii audire poſſit?

xi. An Confeſſores Regulares extraordinarii ſemel ab Epiſcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confeſſiones pro una vice infra annum ad præſcriptum ſacri Concilii Tridentini, poſſint virtute dictæ approbationis, pluries tanquam Confeſſores extraordinarii, earumdem Confeſſiones audire abſque nova Epiſcopi licentia?

xii. Cum in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, ut liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa ſuperiores Regulares admonere, ut amoveant Confeſſores Monialium, atque Adminiſtratores bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium, iiſque ſuperioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit, an ejuſmodi cauſam Epiſcopus ſuperioribus Regularibus ſignificare teneatur?

xiii. An eadem Conſtitutio qua parte ſupponit Epiſcopi juriſdictioni Regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem eorundem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò ſolùm in notoriis, & cum ſcandalo populi?

*Subſequuntur declarationes ad ſupradicta dubia à Congregatione Cardd. S. Concilii Tridentini Interpretum data, & ab iſto Pont. & Vrb. VIII. ejus ſucceſſore reſpectivè approbata.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Conſtitutionem ſanct. mem. Gregorii X V. de exemptorum privilegiis, nequaquam ſubjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, Epiſcoporum juriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis ſecularibus adminiſtrandis iidem Regulares delinquunt: ac propterea,

Ad primum dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim ejuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſecularium, nec loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi Confeſſiones perſonarum ſecularium audiuntur.

Ad ii. Hac in parte Conſtitutionem nihil novi juris induxiſſe, nec ullam novam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe: Ideoque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari. Quod ſi aliunde Epiſcopis hujuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem Conſtitutione ſublatam.

Ad iii. Cenſuit ejuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius diœceſis.

Ad iv. Non competere.

Ad v. Jus confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.

Ad vi. Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum Confeſſiones audire, niſi priùs ab Epiſcopo diœceſano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confeſſionibus Sanctimonialium audiendis abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quod ſi contingat, ut illorum facultas à Sede Apoſtolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Ad vii. Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe durante eorum officio, pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in Confeſſionibus audiendis illarum tantùm, quæ ſponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, ſeu dignitatibus, expleto jam tempore à Conſtitutionibus cujuſque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire, niſi priùs à diœceſano Epiſcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

Ad viii. Confeſſiones hujuſmodi nullas atque irritas eſſe.

Ad ix. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad x. Regularem ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatum, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii.

Ad xi. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis ejuſmodi illarum Confeſſiones audire; ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Ad xii. Non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularibus, ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſeriò oneravit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in diſtricto Dei judicio rationem reddituri.

Ad xiii. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi ſcandalo.

*Quæ Sacra Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. record. Gregor. XV. & S. D. N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt.*

A. Card. Caëtanus,

*Proſper Fagnanus S. Congr. Sec.*

*Subſequuntur, alia duo Dubia, ab eadem Congregatione declarata, & à Sanctiſſ. D. N. approbata.*

An Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſterium Monialium Regularibus ſubjectarum, ibique in loco colloquiis deſtinato cum Moniali colloquens, à diœceſano Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coërceri, & puniri poſſit? *Dub.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Poſſe. Quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus Dominus Noſter Urbanus VIII. ad ſe relatam approbavit. *Reſolutio d. Dub.*

An liceat Epiſcopo in vim Conſtitutionis ſanctæ mem. Greg. XV. de exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata? *Dub.*

Sacra

*…claratio Dub.*

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit, Regulares ex eadem Conſtitutione ita demùm teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ, eumque uſque ad præfinitum tempus expectare, ſi antea ipſe expreſsè declaraverit, ſe uti velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarumque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere. Poſt eam verò declarationem licere Epiſcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatiſſæ electionem procedunt.

Coſ. Card. de Torres.

*Proſper Fagnanus S.Congr. Secr.*

---

XIX. Approbatio Cæremonialis continentis uſus electionis ſummi Romani Pontificis ſeriò obſervandos, & nullo pacto immutandos.

*Pleniſſimam diſpoſitionem feciſſe huncmet Pont. de hujuſmodi electione vide ſup. in ſua conſt. 13. Æterni, pro cujus obſervantia poſtea editum fuit Cæremoniale, cujus tenorem habes hic inſertum.*

Noviſſimè autem tam Conſtitutionem de electione, quàm hujuſmodi Cæremoniale approbavit, & confirmavit S. D. N. Urbanus VIII. ut inf. in Conſt. 45. Ad Romani.

*…s An. D. 1621.* G.REGORIVS EPISCOPVS, *Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*…uſa hujus …ſtit.*

DEcet Romanum Pontificem, quæ ad Eccleſiæ Catholicæ felix regimen ſalubriter à ſe ſtatuuntur, ut quàm facillimè obſerventur, Paſtorali ſollicitudine providere, & ea, per quæ à ſe decreta debitum ſortiuntur effectum, ſtabilire. Siquidem poſtquam novam Conſtitutionem de Romani Pontificis electione, ob cauſas in ea expreſſas, divina aſpirante gratia edidimus, ne ejus uſus, & obſervantia, veteri Rituali Eccleſiæ Romanæ ferè inutili ob eandem Conſtitutionem reddito, proprii Cæremonialis directione deſtitueretur, novum, prout ſequitur, confici mandavimus. Quod cùm poſt nonnullorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium commiſimus, diligens, ut res poſtulat, adhibitum examen, confectum fuerit, & à Nobis approbatum, ut illud cum omnibus, & ſingulis in eo contentis inviolabiliter obſervetur, ex Noſtri Paſtoralis Officii debito providendum cenſuimus. Tenor autem illius eſt, qui ſequitur.

## CÆREMONIALE.

*De exequiis …mani Pontif…*

ROmano Pontifice vita functo, Cardinales, præſtito in prima Congregatione juramento de obſervanda Conſtitutione Gregorii Papæ XV. de reformatione conclavis, unà cum aliis Conſtitutionibus, quæ legi, & jurari in ea hactenus conſueverunt, exequias pro ejus anima, juxta ritum hucuſque obſervatum, per novem continuos dies facere debent, niſi fortè in illis novem diebus aliquod feſtum ex præcipuis, & magnis incideret, propter cujus obſervantiam exequias intermitti debere Cardinalibus videretur: hoc enim caſu in numero quidem novem dierum exequiarum intermiſſarum dies computantur: verùm impenſa quæ in omiſſis exequiis facienda eſſet, in pauperes Chriſti, juxta Pii IV. Conſtitutionem diſtribuenda eſt.

*…penſis exequiarum.*

Qua etiam Conſtitutione, ut exequiarum impenſis, quæ jam in immenſum excreverant, modus, & finis aliquis eſſet, cautum eſt, ne impenſæ illorum novem dierum decem ducatorum millium ſummam, computatis omnibus, præter regalia Populo Romano præſtari ſolita, excederent, & ut earum impenſarum diſtributio juſtè fieret, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni ſciliter ex quolibet Ordine, ac S.R.E. Camerario commiſſa fuit.

*Miſſa Spiritus ſancti in Baſilica S. Petri.*

Exequiis defuncti Pontificis completis, & interim conclavi opportuno præparato, Cardinales in Baſilica S. Petri, aut alibi pro temporis, & loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum ſacri Collegii, vel eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Miſſa de Spiritu ſancto celebratur, & in fine per aliquem Prælatum, aut alium virum doctum habetur oratio, in qua monentur, ut ſepoſitis omnibus privatis affectibus, ſolum Deum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ, & univerſali Eccleſiæ de Paſtore ſufficienti, & idoneo providere omni qua poſſunt brevitate, & diligentia curent, ad Apoſtolicarum Conſtitutionum, & ſacrorum Conciliorum præſcriptum.

*Ingreſſus Concl.*

Re divina peracta, clericus cæremoniarum capit Crucem Papalem, & procedit, quem Cardinales ſequuntur, Epiſcopi primùm, deinde Presbyteri, poſtremò Diaconi cum ſuis cappis violaceis. Crucem præcedunt familiares Cardinalium, & immediatè Cantores (Hymnum, Veni Creator Spiritus, cantantes:) poſt Cardinales ſequuntur Prælati, atque ita proceſſionaliter procedentes, conclave ingrediuntur, & cum ad capellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem (Deus qui corda fidelium) qua finita leguntur, & jurantur per Cardinales Conſtitutiones de Romani Pontificis electione, & unà cum eis Conſtitutio noviſſima Gregorii XV. Deinde Cardinales poſt ſermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negotium ritè, & rectè peragendum hortatur, ad cellas ſorte inter eos juxta Conſt. Pii IV. diſtributas, divertunt, & poſt prandium omnes rurſus ſimul congregantur, & officiales conclavis, & alii præſtant Sacro Collegio juramenta conſueta.

*Hora claud. Concl.*

Cardinales autem ingreſſi conclave non exeant, veſpere reverſuri, ſed in ipſo omninò permaneant. Ipſumque conclave, poſt ter juſſu Cardinalis Decani perſonatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, ſecunda circa ſecundam, & tertia circa tertiam, excluſis omnibus qui in conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claves Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, ac Magiſtro cæremoniarum, & Præfatis cuſtodibus conclavis juxta ſolitum aſſignentur.

*Conclaviſtæ.*

Deinde accenſis funalibus, tres Cardinales capita ordinum, & Camerarius unà cum Magiſtro cæremoniarum latebras, & angulos omnes conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui eſſe in conclavi prohibentur, intus remanſerit. In conclavi autem eſſe poſſunt familiares Cardinalium, & alii officiales, & miniſtri conclavis, qui in Conſtitutione Pii IV. recenſentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pro Magiſtris cæremoniarum, & alius pro Secretario ſacri Collegii, hac tamen conditione adjecta, ut famulus Magiſtrorum cæremoniarum, actu uni ex illis inſerviat, & per ſex menſes antè fuerit ejus continuus commenſalis, quæ conditio in famulo ſecretarii ſimiliter exigitur: omnium autem iſtorum conclaviſtarum, poſt prandium diei ſequentis fit recognitio, ne quis inter illos fortè eſſet ex iis, qui in conclavi eſſe non poſſunt: quæ recognitio ut certiùs fiat, jubentur conclaviſtæ omnes intrare capellam, & poſtea ſigillatim recenſentur.

*Colloquiis, literis, cibis & veſtibus.*

Clauſo conclavi, ſervari debent omnia, quæ de colloquiis, literis, & cibis, & quæ de non ingredientibus Cardinalibus, aut iiſdem, aut eorum familiaribus poſtquam ingreſſi ſunt exeuntibus, in Conſtitutione Pii IV. ſancita ſunt. Quod verò attinet ad veſtes, non ſolùm cùm ad electionem Cardinales procedunt, croceis uti debent, ſed juxta vetus cæremoniale, cum aliquid collegialiter agendum eſt.

*Capit. ante elect. & de voce activa Cardinalium.*

Porrò capitula, quæ ante electionem fieri ſolent à ſingulis Cardinalibus ſubſcribenda, etiam ad favorem conclaviſtarum fieri poterunt, vel ante ingreſſum conclavis, vel poſt ingreſſum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingreſſus, vel electio. Quoniam autem juxta Conſtitutionem Pii IV. Cardinales, qui ſaltem in ordine Diaconatus conſtituti non ſunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inſpiciendum

erit

erit antequam ad electionis negotium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus præſentibus ordine prædicto careant: nam ſi careant, à ſuffragio ferendo excludendi erunt, niſi privilegio Pontificio muniti ſint. De Cardinali autem, cui ante mortem Pontificis os fuit clauſum, aliquando dubitatum eſt, verùm à Pio V. fuit hæc dubitatio ſopita per ejus decretum editum 26. Januarii 1571. quo declaravit hujuſmodi oris clauſuram cæremoniam quandam eſſe ea de cauſa introductam, ut Cardinales antequam in Conſiſtoriis, & Congregationibus ſuffragium ferant, de modeſtia, quæ ab ipſis in his, & aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa ſummi Pontificis electionem verſatur: quæ declaratio Pii V. ſemper hucuſque obſervata fuit.

*Modo præcavendi nullitates electionis ab executoribus Conſt. Gregoriana.*

Quoniam autem ex Gregoriana Conſtitutione, ad actum electionis ſub pœna nullitatis devenire non poſſunt Patres, niſi clauſo conclavi: tres Cardinales, & Camerarius ejuſdem Conſtitutionis executores deputati providebunt, ut ſtatim poſt clauſum conclave, diligens per aliquos fiat inquiſitio ſuper ipſa clauſura, eaque in effectu reperta, curabunt ut de ea publicum fiat documentum per Magiſtrum cæremoniarum rogandum, & poſt hujuſmodi documentum, etiamſi conclave in totum, vel pro parte de facto apertum fuiſſe reperiatur, ſemper tamen clauſum, & pro clauſo cenſeri, & haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de conſenſu duarum partium Cardinalium præſentium, per ſecreta ſuffragia apertum eſſe declaretur. Hæc tamen declaratio electioni, quæ ante ipſam facta fuerit, nullatenus præjudicare debet, neque ob ipſam declarationem præcedens electio impugnari poteſt.

*Formis electionis.*

Manè ſequenti poſt clauſum præcedenti nocte conclave, poſt ſolitum campanulæ ſonum conveniunt Cardinales in eo præſentes, qui infirmitate non ſunt impediti, ad Capellam Paulinam, & ibi celebrata conſueta Miſſa, & facta Cardinalium communione, ſtatim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Greg. Conſtitutione, uno tantùm ex tribus modis, ſive formis peragendum eſt, alioquin electio nullitatis vitio ſubjacet.

*Prima forma eligen. Papam per inſpirationem.*

Primus modus eſt, qui quaſi per inſpirationem vocatur, quando ſcilicet omnes Cardinales, quaſi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter, & viva voce Summum Pontificem proclamant: circa quem modum, ex Conſtitutione Gregoriana, infraſcripta notari poſſunt.

Primùm, hæc forma electionis practicari poteſt ſolùm in conclavi, & eo clauſo. Secundò, debet fieri electio ſecundum hanc formam ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus in conclavi præſentibus. Tertiò, communiter, & nemine eorum diſſentiente. Quartò, nullo præcedente de perſona tractatu, & per verbum (eligo) intelligibili voce prolatum, aut ſcripto expreſſum, ſi voce non poſſit proferri: exemplum autem hujus poteſt eſſe hujuſmodi. Si aliquis Patrum, clauſo conclavi, nullo, ut præfertur, præcedente ſpeciali tractatu, diceret, Reverendiſſimi Domini, perſpecta ſingulari virtute, & probitate Reverendiſſimi D. N. judicarem illum eligendum eſſe in ſummum Pontificem, & ex nunc ego ipſum eligo in Papam. Deinde hoc audito, ſi cæteri Patres, nemine excepto, ſequentes primi ſententiam, eodem verbo (eligo) intelligibili voce prolato, aut ſi non poteſt, in ſcriptis expreſſo, eundem N. de quo nullus ſpecialis tractatus præceſſit, communiter eligerent, ipſe N. eſſet canonicè electus, & verus Papa ſecundùm hanc electionis formam, quæ dicitur per inſpirationem.

*Secunda forma eligen. per còpromiſſum.*

Secundus modus eſt per compromiſſum, quando ſcilicet Cardinales ad electionem per hanc formam, ſeu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi poteſtatem, ut vice omnium Eccleſiæ Catholicæ provideant de paſtore, cujus formæ praxis poteſt eſſe hujuſmodi. Primò omnes, & ſinguli Cardinales in conclavi præſentes, nemine eorum diſſentiente, in aliquos ex Patribus compromiſſum faciunt, exempli gratia in hanc formam. In nomine Domini Amen. Anno ab ejuſdem, &c. Menſe, &c. Die, &c. Nos Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S.R.E. Cardinales omnes, & ſinguli in cònclavi exiſtentes, videlicet N.N. (& ſigillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, & eligimus per viam procedere compromiſſi, & unanimiter, & concorditer, nemine diſcrepante, elegimus compromiſſarios N. N. & N. Cardinales, &c. quibus damus plenariam facultatem, & poteſtatem providendi S. R. E. de Paſtore, ſub hac forma videlicet (Hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes exprimant modum, & formam, ſecundum quam compromiſſarii debebunt eligere, & ſecundum quam electus debet cenſeri verus, & legitimus Papa, utputa, ſi electi ſint tres compromiſſarii, declarandum eſt, an ad hoc, ut electio ſit valida, priùs proponere debeant ſacro Collegio perſonam, vel perſonas ab ipſis nominandam, vel nominandas ad Pontificatum, an verò abſolutè debeant electionem peragere, an omnes tres debeant convenire in unam perſonam, an verò ſufficiat, quod duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, & alia his ſimilia.) His autem, vel aliis ſimilibus expreſſis, addi compromiſſo ſolet tempus, ad quod uſque volunt Cardinales poteſtatem compromiſſarios habere eligendi, & poſtea ſubjunguntur hæc verba. Et promittimus Nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem DD. compromiſſarii ſecundùm formam prædictam duxerint eligendum; vel alia ad formam compromiſſariis præſcriptam accommodata.

Secundò, completo hujuſmodi mandato, compromiſſarii ad partem in aliquo loco ſeparato ſe conferunt, & de electione facienda tractant, & ſolet inter eos præmitti proteſtatio, quod per quamcumque prolationem verborum ſuum dare conſenſum non intelligunt, niſi in ſcriptis illum expreſsè ponant. Et hæc proteſtatio videtur neceſſaria inter compromiſſarios, ut verbis humanis, & reverentialibus inter ſe ſine præjudicio uti poſſint.

*Tertia form. eligen. per ... plex Scrutinium, vel accessu.*

Tertiò, facta per compromiſſarios electione ſecundùm formam eis præſcriptam, & ſervatis iis, quæ Gregorius X V. in ſua Conſtitutione juſſit, electus per hujuſmodi viam compromiſſi, eſt canonicus, & verus Papa.

Tertius modus, ſeu forma electionis Romani Pontificis eſt, quæ vocatur per Scrutinium, vel per Scrutinium, & Acceſſum, cujus formæ ritus ſecundum Gregorianam Conſtitutionem, quæ vult non ſolùm Scrutinium fieri ſecretum, ſed etiam Acceſſum, continet tres actiones, alteram quæ Anteſcrutinium, alteram quæ Scrutinium, & tertiam, quæ Poſtſcrutinium appellari poteſt.

Anteſcrutinii actus ſunt quinque, videlicet Præparatio Schedularum Scrutinii & Acceſſus, Extractio Scrutatorum pro votis infirmorum per ſortem, Scriptio ſchedularum Scrutinii, Earum complicatio & obſignatio.

*Forma ſchedularum Scrutinii.*

Schedularum præparatio ad Magiſtros cæremoniarum pertinet, qui eas impreſſas, ubi fieri poterit, alioquin unius manu ſcriptas ſecundum formam inferius deſcribendam accipient, tam pro ſcrutinio, quàm pro Acceſſu, & ponent in duobus diſcis vulgò (bacili) nuncupatis, quos in menſa ante Altare collocabunt, ut inde poſſint Cardinales, cum opus fuerit, ſchedulas ſumere.

Forma autem Schedulæ Scrutinii quoad ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc eſt plus longa, quàm lata, longitudo ejus erit ferè palmi, latitudo autem dimidii palmi. Quo verò ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quæ brevitatis gratia facies nominari poteſt, tria continere debet. Primò in ſuperiori parte ſecundùm ejus latitudinem, duo hæc verba (Ego Card.) cum tanta ab invicem diſtantia, ut inter ipſa nomen proprium Cardinalis eligentis ſcribi poſſit, & paulò inferiùs duos circulos parvos, ad loca ſigillorum indicanda.

Secundò, in medio continere debet hæc verba.
Eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſ. D. Cardinalem.

*Forma ſchedula Acceſſus.*

Tertiò in parte inferiori alios duos parvos circulos, ad loca ſigillorum ſimiliter demonſtranda. Forma verò Schedulæ Acceſſus, eadem prorſus eſt, quæ Scrutinii, niſi quod in medio ejus, loco verborum (Eligo in ſummum Pontificem Reverendiſſ. D. meum Card.) ponuntur hæc verba (Accedo Reverendiſſ. D. meo D. Cardinali.) Verùm faciliùs, quæ dicta ſunt, percipientur ex infraſcriptis figuris, & exemplis.

EXEM

# EXEMPLUM FACIEI
## SCHEDULÆ SCRUTINII.

*Ego* *Card.*

*Eligo in Summum Pontificem*
*℞. D.meum D. Cardin.*

# EXEMPLUM FACIEI SCHEDULÆ ACCESSUS.

*Ego* *Card.*

*Accedo Reverendiſſ. D. meo.*
*Ego Card. D.*

In exteriori autem parte ſchedularum tam Scrutinii, quàm Acceſſus, quæ tergum nominari poteſt, duo ſunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impreſſores adhibent, & vulgari vocabulo, *Fregi*, nuncupant, quorum primum circa ſui medium continet hoc verbum, *Nomen*, impreſſum ſecundùm longitudinem ipſius limbi; alterum verò continet hoc verbum, *Signa*, ſimiliter impreſſum, ut præcedens. Hi autem limbi excogitati ſunt ad obſcurandum diaphanum paginarum, ne ſcilicet ad lumen nomina, & ſigna eligentium conſpici poſſint: ubi verò impreſſoris copia non fuerit, limborum defectus lineis ſuppleri poterit. Sed hæc fient clariora per infrapoſitam figuram tergi ſchedularum Scrutinii, & Acceſſus.

# EXEMPLUM TERGI
## SCHEDULARUM SCRUTINII, & Acceſſus.

Nomen.

(:) (:) (:)

Signa.

Scrutato-…bus, & In-…mariis.

Secundus actus Anteſcrutinii eſt extractio Srutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum: quæ extractio antequam ad Scrutinium procedatur, ſorte facienda eſt, hoc modo. In uno ſacculo, aut vaſe publicè ponantur tot ſchedulæ, vel ſi magis placet, ſphærulæ ligneæ palàm numeratæ, quot ſunt Cardinales præſentes in Conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primò Scrutatores tres, & poſtea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari poſſunt, de quorum omnium officio inferius ſuo loco ſcribetur. Quod ſi in extractione Scrutatorum, & Infirmariorum, ac etiam Recognitorum, de quibus ſuo loco dicetur, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus prædictis ſatisfacere non poſſint, alii non impediti, loco illorum extrahantur. Peracta verò extractione, ſchedulæ, ſeu ſphærulæ eorum, qui extracti fuerunt, in ſacculum, ſeu in vas iterum conjiciantur.

Tertius actus Anteſcrutinii, eſt ſchedularum Scrutinii ſcriptio, quæ fiet hoc modo. Ad duas, vel plures parvas menſas, quæ erunt cum atramento, & calamis paratæ in loco capellæ apto, ut qui ſcribunt conſpici poſſint, quid verò ſcribitur, non poſſit, accedent Cardinales per ordinem, incipiendo à Decano, & ibi ſedentes in ſcabellis paratis, ſchedulam quiſque ſuam acceptam priùs ex diſco, ſcribet hoc modo. Primò in prima parte in ſpatio inter verba (Ego Card.) ſcribet proprium nomen; deinde in ſecunda parte, nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantùm fieri poteſt, alterato, ut manus ſcribentis cognoſci non poſſit; & caveat, ne plures in ſchedula ſcribat, quia ſuffragium juxta Gregorianam conſtitutionem eſſet nullum. In tertia verò parte ſigna, hoc eſt numerum aliquem, & dictum aliquod Scripturæ, ſeu verbum, aut aliquid hujuſmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis ſubjecto, videre eſt.

# EXEMPLUM SCHEDULÆ SCRUTINII SCRIPTÆ

*Ego Bonifacius Cardin. Caëtanus.*

*Eligo in Summum Pontificem*
*R. D. meum Card. Baronium.*

18. *Gloria in excelſis.*

*Ego Robert. Cardin. Bellarminus.*

*Eligo in Summum Pontificem*
*R. D.meum Card.Baronium.*

18. *Gloria in excelſis.*




*De plicatione ſchedulæ.*

Quartus actus Anteſcrutinii, eſt ſchedularum complicatio, quæ ut expeditiùs peragi à Cardd. valeat poterit à Cæremoniariis Magiſtris, cùm eas præparant, fieri in hunc, qui ſequitur modum. Binæ fient plicaturæ ex utraque parte cujuſque ſchedulæ, ita ut nomen eligentis, & ſigna cùm fuerint ſcripta, maneant tecta ex utraque parte à limbis: deinde quod reliquum eſt, ita complicetur, ut ſchedula ferè ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata ſchedula, quæ hic exempli gratia ponitur, conſpici poteſt.

*Hic poni debet exemplum ſchedulæ complicatæ.*

Ceterùm Magiſtri Cæremoniarum ſchedulas non complicatas ut ſuprà, ſed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis, ponent in diſcis; & Cardinales poſtquam eas ut ſupra ſcripſerint, eò uſque ſolùm plicabunt, quò nomen, & ſigna eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum ſchedulas, ut infra dicetur, obſignaverint.

*Obſignatione ſchedulæ.*

Quintus, & poſtremus actus Anteſcrutinii eſt ſchedularum obſignatio, quæ ab unoquoque Cardinali facienda erit in tergo ſchedularum cum ſigillo ad hoc parato in loco parvorum circulorum, ubi cera fuerit poſita. Porrò ſigillum non debet eſſe ſolitum Cardinalis, ſed aliud, & ſecretè habitum, & ita ſimplex, ut facilè notari poſſit, veluti ſi in ſigillo ſculpantur aut tres numeri, aut tres literæ, vel literæ & numeri, vel una tantùm imago, & hæc Anteſcrutinio ſufficiant. Ceterùm, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferius ſuo loco dicetur.

*Scrutinio, & ejus actibus.*

Sequitur ſecunda actio, quæ nomine Scrutinii appellata fuit. Octo ſunt hujus actionis actus, videlicet Delatio ſchedulæ, Juramenti præſtatio, Poſitio ſchedulæ in calicem, Schedularum mixtio, Earum numeratio, Scrutinii publicatio, Schedularum in filum inſertio, Earumque depoſitio ſeorſum.

*Delatione ſchedulæ in calicem, & juramento.*

Delatio ſchedulæ, & duo ſequentes actus, qui meliùs ſimul deſcribuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam ſchedulam, poſtquam illam ſcripſerit, obſignaverit, & complicaverit, duobus primis digitis ſumet, ac elevata manu palam deferet ad altare, penes quod ſtant Scrutatores, in quo eſt calix magnus ad recipiendas ſchedulas paratus, & patena coopertus, ibique genuflexus aliquantulum orabit, deinde ſurgens, alta, & intelligibili voce jurabit in hanc formam, quæ in tabella ſuper Altari poſita deſcripta habetur: TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME JUDICATURUS EST, ME ELIGERE QUEM SECUNDUM DEUM JUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD IDEM IN ACCESSU PRÆSTABO. Poſt hæc, ſchedulam in patenam ponet, & per patenam mittet in calicem, quo facto, inclinabit ſe ad altare, & ad ſuum locum revertetur.

*Impeditis valetudine.*

Et hæc ſervanda erunt, ſi Cardinalis ad altare pergere poſſit: nam ſi ob infirmam valetudinem non poſſit, præſens in capella, & ultimus Scrutator diſcum cum ſchedulis ad eum deferet, ex qua Cardinalis infirmus unam accipiens, eam in loco ſuo ſecretè, ut ſupra dictum eſt, conficiet, deinde prævio juramento prædicto, ſchedulam obſignatam, & complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palàm deferet ad altare, & ſine oratione, & juramento in patenam ponet, & per eam in calicem mittet, quæ omnia obſervanda erunt

per

*[In]firmis.*

per ultimum Scrutatorem erga eos Cardinales, qui in Capella præſentes, ob valetudinem per altare pergere non poterunt: Si verò aliqui Cardinales infirmi ſint in ſuis cellis, tres Cardd. Infirmarii, ut ſupra extracti, ad eos accedent cum capſula altitudine unius palmi, in cujus ſuperiori parte ſit rima, ſeu foramen ejus magnitudinis, ut per illud ſchedula complicata poſſit per ſuam latitudinem intus capſulam tranſmitti; quam capſulam, antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palàm aperient, ut ceteri Cardinales poſſint eam inanem, & vacuam conſpicere, deinde claudent, & clavem ponent ſuper altare: deinde Infirmarii cum capſula clauſa, & cum parvo diſco tot ſchedulas continente, quot ſunt infirmi Cardinales, ad unumquemque eorum accedent; & infirmi acceptas ex diſco ſchedulas ſecretè ſcribent, obſignabunt, & complicabunt, & prævio jam dicto juramento, in capſulam per rimam mittent: quod ſi infirmi ſcribere non poſſint, alii eorum arbitrio deligendi, præſtito de ſecreto ſervando in manibus Infirmariorum juramento, prædicta facient, atque hi advertere debent, quod non ſolùm juramenti vinculo tenentur ſervare ſecretum, ſed etiam in excommunicationem latæ ſententiæ, ſi contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad capellam revertentur cum capſula, quam Scrutatores aperient, & ſchedulas in ea contentas palam numerabunt, & tot repertas, quot ſunt infirmi, ponent ſigillatim in patenam, & per patenam ſimul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur Scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias ſchedulas poſt Decanum conficere, & in calicem ponere, deinde dum ceteri Cardd. Scrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum ſuffragia, eò modo, quo proximè ante dictum eſt.

*[Per]mixtione.*

*Mixtione [sch]edularum.*

Quartus actus Scrutinii, eſt ſchedularum permixtio, quæ fiet per primum Scrutatorem, calice, in quo ipſæ ſchedulæ poſitæ fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

*Numeratione [sch]edularum.*

Quintus actus, eſt numeratio ſchedularum, quæ palàm fiet per ultimum Scrutatorem, capiendo ſigillatim unamquamque ſchedulam ex calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus ſit, calicem vacuum. Quod ſi numerus ſchedularum non reſpondeat numero Cardd. omnes comburendæ ſunt, & iterum, id eſt ſecunda vice, ad ſuffragia ſtatim eſt deveniendum: Si verò numerus ſchedularum numero Cardd. reſpondeat, proſequendi ſunt alii actus Scrutinii.

*Publicatione Scrutinii.*

Sextus actus, eſt publicatio Scrutinii, quæ per Scrutatores, qui ſedent ad menſam ante altare poſitam, fiet hoc modo: Primus Scrutator accipiet unam ſchedulam, eamque intactis ſigillis explicabit, & viſo in ea ſchedula electi nomine, eam tradet ſecundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perſpecto, eandem tradet tertio, qui illam alta, & intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales præſentes notare poſſint ſuffragium in folio impreſſo, quod penes ſe habebunt cum nominibus omnium Cardd. notabit autem juxta nomen Card. ex ſchedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris ſchedulis in calice poſitis, uſque ad ultimam. Quod ſi in Scrutinii publicatione inveniant Scrutatores duas ſchedulas ita complicatas, ut ab uno tantùm datas fuiſſe appareat, ſi quidem unus & idem in utraque electus fuerit, ſchedulæ prædictæ habebuntur, & notabuntur pro uno ſuffragio; ſi verò diverſi fuerint nominati, neutrum ſuffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana ſtatuitur de illa ſchedula, in qua plures nominati ſunt. Scrutinium tamen neutro caſu vitiatur. Ceterùm ſuffragia prædicta, finita ſcrutinii publicatione, poterunt à Patribus juxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam ſummam redigi, vel in ſeparato folio notari, hoc modo. Reverendiſſimus D. Cardinalis A. habet ſuffragia 20. & Reverendiſſimus D. Card. B. habet ſuffragia 15. & ſic de aliis, quod fit, ne Cardinales, cùm opus eſt, cogantur ſemper numerare ſuffragia, quæ juxta nomina Cardinalium notarunt.

*Schedularum in filum inſertione.*

Septimus actus Scrutinii, eſt ſchedularum in filum inſertio, quæ ut ſchedulæ ipſæ cautiùs conſervari poſſint, excogitata fuit. Hæc autem inſertio fiet per ultimum Scrutatorem, inſerendo ſchedulam unamquamque, poſtquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco ubi eſt verbum, Eligo.

*Poſtſcrutinio & opus abſtinens.*

Octavus, & poſtremus Scrutinii actus, eſt depoſitio ſchedularum ſeorſum, quæ ſimiliter fiet per ultimum Scrutatorem, qui, finita inſertione omnium ſchedularum in filum, capita fili nodo junget, & ſchedulas omnes ita colligatas, in alium calicem vacuum, vel in menſa ſeorſum ponet.

*Acceſſu.*

Sequitur tertia, & poſtrema actio, quæ Poſtſcrutinium appellata fuit, cujus actus, ſi ſecuta ſit electio per ſcrutinium, tres tantùm ſunt, videlicet, Numeratio ſchedularum, Recognitio ſuffragiorum, & ſchedularum combuſtio, de quibus inferius ſuis locis dicetur. Si verò per Scrutinium non ſit ſecuta electio, actus ſunt ſeptem, videlicet Acceſſus, Sigillorum & ſignorum apertio, Eorum annotatio, Suffragiorum examen, Suffragiorum ſcrutinii, vel ſcrutinii & acceſſus numeratio, Eorum recognitio, Et ſchedularum combuſtio.

*Differentiis ſchedularum Acceſſus, & Scrutinii.*

Primus itaque actus eſt Acceſſus, qui immediatè poſt ſcrutinium, hoc eſt, poſt depoſitas ſeorſum ſcrutinii ſchedulas fiet, niſi forte in ſcrutinio fuerit creatus Papa, tunc enim nullus fieri debet acceſſus. In quo quidem acceſſu eadem omnia ſervanda ſunt à Cardinalibus, quæ dicta ſunt ſervari debere in ſcrutinio peragendo tam in ſchedularum ſcriptione, obſignatione, complicatione, delatione, & poſitione in calicem, quàm in earum numeratione, publicatione, notatione ſuffragiorum, & inſertione in filum, ac depoſitione ſeorſum, exceptis tamen infraſcriptis. Primò quod Cardinales ſchedulas pro acceſſu ſumere debent ex diſco ſchedularum acceſſus. Secundò in ſchedularum acceſſus ſcriptione, ſi Cardinalis nemini velit accedere, debet in media ſchedulæ parte, loco nominis Cardinalis, qui ſcribendus eſſet, ſi ad eum fieret acceſſus, ſcribere, Nemini. Schedula autem acceſſus ſcribi, & obſignari debet cum eiſdem ſigillis, & ſignis ſchedulæ ſcrutinii, ſub pœna nullitatis ſuffragii ipſius acceſſus. Tertiò, quod non poteſt acceſſus fieri ad eum Cardinalem, qui in ſcrutinio ſaltem unum ſuffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipſomet Cardinali fuit in ſcrutinio nominatus. Quartò, quamvis in acceſſu non liceat plures nominare, ſicut non licet in ſcrutinio plures eligere, ſub pœna nullitatis ſuffragii, tam in acceſſu, quàm in ſcrutinio; nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter à ſe nominatis in ſcrutinio, dummodo ei ab alio aliquod ſuffragium, non tamen nulliter, ut præfertur, in ipſo ſcrutinio datum fuerit. Quintò quod in acceſſu non præſtatur juramentum, de quo ſupra, quia in ſcrutinio fuit jam præſtitum per illa verba: (Et quod idem in acceſſu præſtabo.) Sextò denique Infirmarii deferre debent ad infirmos ſchedulas acceſſus, & ſimul etiam unum folium impreſſum, in quo ſit notatus ſuffragiorum numerus palam recognitus, quæ quiſque Card. in ſcrutinio nominatus obtinuerit.

Secundus, tertius, & quartus actus Poſtſcrutinii ſunt Sigillorum, & Signorum apertio, Eorum annotatio, Suffragiorum examen, qui tunc ſolùm locum habere poſſunt, quando ſecuta eſt electio per ſcrutinium & acceſſum: fieri autem debent hoc modo.

*Inſpectione, apertione, & notatione, ſeu annotatione ſchedularum.*

Primus Scrutator ſchedulas acceſſuum, quos obtinuit electus, in ea parte ſolùm, quæ ſigna continet, aperiet, & inſpectis diligenter earum ſigillis, & ſignis, apertas, ac in filo, ut erant, inſertas tradet ſecundo Scrutatori, & ſecundus, eadem inſpectione facta, porriget tertio, qui alta, & intelligibili voce, ſigilla & ſigna prædictarum ſchedularum enunciabit, & annotabit in latere ſiniſtro folii impreſſa, ad hunc effectum parati, ſub verbis (Sigilla, & Signa Acceſſuum) quam etiam annotationem facient ceteri Cardin. ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo.

*Examine ſuffragiorum.*

Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inſpicientibus, pro acceſſuum prædictorum examine capiet ſchedulas ſcrutinii, & incipiens ab uno capite fili, in quo inſertæ ſunt, ſigillum primæ ejus ſchedulæ quæret in ſigillis acceſſuum notatis ſupra in folio impreſſo, & ſi illud in eo non invenerit, omiſſa ſcrutinii ſchedula, capiet ſecundã, ejuſque ſigillum ſimiliter quæret, quod ſi etiam non invenerit, capiet tertiam, & deinde ſequentes ſigillatim, donec ſigillum alicujus earum inveniat, eoque invẽto, ſcrutinii ſchedulã in ea parte, ubi ſigna ſunt, aperiet, & ſi nõ invenerit ſigna hujus ſchedulæ cõcordare cum ſignis acceſſus, ſchedulam illam omittet, & aliã capiet, ſicut paulò

*paulò ante de ſchedulis non concordantibus in ſigillo* dictum eſt : ſi verò invenerit ſigna concordata, oſtendet illa ſecundo & tertio Scrutatoribus, qui unà cum ipſis, poſt diligens examen ſuper identitate ſigillorum, & ſignorum ambarum ſchedularum, ſcrutinii ſcilicet, & acceſſus, inſpiciet, an idem, vel diverſi in utraque ſchedula ſint nominati; & ſi idem nominatus ſit, ſuffragium acceſſus nullum cenſebitur; ſi verò diverſi nominati ſint, ſuffragium acceſſus pro valido habebitur, & hoc caſu tertius Scrutator ſigillum, & ſigna ſchedulæ ſcrutinii, ac etiam nomen electi, qui in ea continetur, alta, & intelligibili voce enunciabit, & annotabit in latere dextero prædicti folii impreſſi, ſub verbis ( Signa ſcrutinii reſpondentia acceſſibus : ) notabit autem ea ex adverſo acceſſus concordantis in ſigillo, & ſignis; quam annotationem ceteri quoque Cardinales, ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo facient.

Sed hujuſmodi actus, qui explicatione difficiliores ſunt, quàm operatione, exemplo melius percipientur.

## EXEMPLUM

Folii impreſſi, in quo Acceſſus, & Scrutinii Sigilla, ac Signa concordantia annotantur.

*Litera Alphabeti indicant ſigillum.*

| *Sigilla, & Signa Acceſſuum.* | *Sigilla, & Signa Scrutinii, Acceſſibus reſpondentia.* | *Cardinales nominati in Scrutinio.* |
|---|---|---|
| A C D.43. Deus. | B R F.32. Bonitas. | Card. S. Euſeb. |
| B R F. 32. Bonitas. | R G I.50. Beatitudo. | Card. S. Sixti. |
| R G I.50. Beatitudo. | | |
| N S P.26. Gloria. | | |

*Monitio ad Scrutatores.*

Quòd ſi fortaſſe in iſta inquiſitione contingat duas, vel plures ſchedulas Scrutinii reperiri cum eiſdem ſigillis, & ſignis alicujus ſchedulæ acceſſus, tunc ſi in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia verò alius, primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus ſimiliter inſpicientibus, Scrutinii ſchedulas hujuſmodi, & ſchedulam acceſſus, in ea etiam parte, in qua eſt nomen eligentis, & accedentis aperiet, ut conſtare poſſit ſecundùm Gregorianam Conſtitutionem, de validitate, vel invaliditate acceſſus : ſi verò in aliqua hujuſmodi ſchedularum Scrutinii concordantium cum acceſſu, non ſit nominatus electus, debent eæ ſchedulæ omitti, & ad ſubſequens procedendum erit.

*De numeratione ſuffragiorum.*

Quintus actus Poſtſcrutinii, eſt numeratio ſuffragiorum, vel Scrutinii ſolius, vel Scrutinii & acceſſus, quæ fiet per Scrutatores ſemper, ſive ſit electio, ſive non, & ſi quidem ſecuta non ſit electio, ut ſciatur, quod in eo Scrutinio, vel Scrutinio & acceſſu, non habetur Papa: ſi verò ſecuta ſit, ut conſtet de canonica Pontificis electione; fiet autem hæc numeratio ſuffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam ſummam redigent ſuffragia, quæ quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, ſive in Scrutinio ſolo, ſive in Scrutinio, & acceſſu ſimul; & ſi invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes ſuffragiorum perveniſſe, non habetur Papa in illo Scrutinio, ſive Scrutinio & acceſſu : Si verò invenerint aliquem ex nominatis duas tantùm partes ſuffragiorum obtinuiſſe, aperient electi ſchedulam, etiam in parte, in qua eſt nomen eligentis; & ſi quidem ex ea apparuerit, electum alii ſuffragatum fuiſſe, electio ejus erit canonica; ſi verò conſtiterit, ſibi ſuffragium dediſſe, ejus electio ex diſpoſitione Gregorianæ Conſtitutionis nulla erit, ob defectum unius ſuffragii. Si denique plures invenerint, duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe, vel etiam ultra duas tertias, tunc in ſuffragiorum paritate nullus erit electus; in imparitate verò ille eſt canonicus Papa, qui ſuperat alium, etiam in uno ſuffragio.

*Recognitione, & Recognitorum extractione.*

Sextus actus Poſtſcrutinii, eſt Recognitio, quæ per Recognitores, ſive ſecuta ſit electio, ſive non, fiet inſpiciendo tam ſchedulas ſcrutinii & acceſſus, quàm ſuffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per hujuſmodi recognitionem conſtare poſſit, an Scrutatores ſyncerè, & fideliter muneri ſuo ſatisfecerint. Recognitores autem extrahentur ſorte, ut Scrutatores, & Infirmarii, ſtatim quidem poſt ſcrutinium, ſi ſecuta ſit in eo electio; ſi verò non ſit ſecuta, poſt ſcrutinium & acceſſum, *cùm ſcilicet Scrutatores ſuum impleverint munus per numerationem ſuffragiorum : & hæc extractio fiet, ſive ſecuta ſit electio in ſcrutinio & acceſſu, ſive non.*

*Schedularum Combuſtio.*

Septimus, & poſtremus actus poſtſcrutinii, eſt combuſtio omnium ſchedularum, quæ ſemper, & palam per Scrutatores fiet, ac ſtatim poſt recognitionem, ſive electio ſit ſecuta, ſive non. Et hæc omnia, quæ de ſcrutinii ritibus ſunt expoſita, ſervanda erunt diligenter à Cardinalibus in omnibus ſcrutiniis, ſive fiant manè poſt Miſſam, ſive Veſpere poſt Hymnum Veni Creator Spiritus. Atque hi ſunt Ritus ex præſcripto conſtitutionis Greg. Papæ XV. in electione Rom. Pontificis obſervandi.

*Approbatio prædicti Cæ[...] monialis.*

Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula in prædicto Cæremoniali ordinata, & quomodolibet contenta, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

*Juſſio il[...] omnino ob[...] vandi, & [...] nihilo imm[...] tandi.*

§.2. Eaque à Ven. Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, omnibuſque, & ſingulis aliis ad quos ſpectat, & ſpectare quomodolibet poterit in futurum, omnino obſervari præcipimus, & mandamus, ac Cæremoniale hujuſmodi in totum, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi prohibemus.

*Ac non a[...] ter judica[...] aut interp[...] tandi.*

§.3. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcumque, ac eoſdem S.R.E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere.

*Derogatio contrarior[...]*

§.4. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in primodicta conſtitutione volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis.*

§. 5. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adjectionis, præcepti, mandati, prohibitionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. [...] 11. Martii.*

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1621. 4. idus Martii, Pont. noſtri anno 2.

*Publicatio.*

*Anno à Nativitate D.N. Jeſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò 2. menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XV. anno ejus 2. retroſcripta litera Apoſt. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Ioan. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earundem literarum originalibus appenſis per aliquod temporis ſpatium, & exinde amotis, deinde dimiſſis earundem literarum copiis affixis, ut moris eſt, per nos Auguſtinum Bracherium, & Brandimartem Latinum, Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſores.*

*Octavius Spada Mag. Curſor.*

## Canonizatio S. Thereſiæ virginis, tam Fratrum, quàm Monialium Carmelitarum Diſcalceatorum Fundatricis : Ejuſque relatio in numerum Sanctarum Virginum, & ſuæ feſtivitatis inſtitutio die quinta menſis Octobris quotannis celebrandæ. XX.

*De primava inſtitutione Carmelitarum, & ſucceſſiva illius Regularum mitigatione, ac poſtremò Diſcalceatorum reformatione, attende quæ notavit ſuprà ad Honor. III. conſt. 8. tom. 1. & Greg. XIII. conſt. 64. tom. 2. Genitor meus.*

*GREGORIVS EPISCOPVS, Servus Servorum Dei : Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.*

OMnipotens ſermo Dei, cùm de ſinu Patris ad hæc inferiora deſcendiſſet, ut erueret nos de poteſtate tenebrarum, completo diſpenſationis ſuæ tempore, tranſiturus de hoc Mundo ad Patrem, ad propagandam per totum terrarum orbem electorum ſuorum Eccleſiam, quam ſanguine ſuo acquiſiverat, eamque verbo vitæ erudiendam, ad confundendam ſapientiam ſapientium, & deſtruendam omnem altitudinem, quæ adverſus Deum extollebatur,

tes, non multos nobiles elegit, nec multos ſapientes, ſed contemptibiles mundi, qui non in ſublimitate ſermonis, nec in humanæ ſapientiæ verbo, ſed in ſimplicitate, & veritate miniſterium ſuum, ad quod à diebus æternitatis prædeſtinati erant, adimplerent.

*Thereſia Virgo in diebus noſtris à Deo ſuſcitata, charismatiſque ſua gratia & miraculorum gloria illuſtrata eſt.*

§. 1. In ſequentibus verò generationibus, cum juxta præordinata tempora plebem ſuam per ſervos ſuos fideles viſitare dignatus eſt, plerumque parvulos, & humiles aſſumpſit, per quos Catholicæ Eccleſiæ ingentia præſtaret beneficia: quibus ipſe, juxta verbum ſuum, abſcondita à ſapientibus, & prudentibus regni cæleſtis myſteria revelaret, eoſque ſupernorum chariſmatum donis adeò illuſtraret, ut omnium virtutum, ac bonorum operum exemplis Eccleſiam foverent, ac ſignorum gloria clarificarent. In diebus verò noſtris fecit ſalutem magnam in manu feminæ: ſuſcitavit enim in Eccleſia ſua veluti novam Debboram, Thereſiam Virginem, quæ poſtquam mirabili victoria carnem ſuam perpetua virginitate, mundum admirabili humilitate, & cunctas adinventiones diaboli multis, maximiſque virtutibus ſuperaſſet, excelſiora moliens, & virtutem ſexus animi magnitudine ſupergreſſa, accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum, & inſtruxit exercitus fortium, qui pro domo Dei Sabaoth, & pro lege ejus, & pro mandatis ejus armis ſpiritualibus decertarent, quam Dominus ad tantum opus peragendum abundanter implevit Spiritu ſapientiæ, & intellectus, & theſauris gratiæ ſuæ adeò illuſtravit, ut ſplendor ejus, tanquam ſtella in Firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas æternitates.

*Et ideò uti Sancta venerari debet, ut cognoſcãt omnes Deum etiã his tẽporibus amicos ſuos, qui ejus Eccleſiã protegant, multiplicare.*

§. 2. Dignum igitur, & congruum exiſtimavimus, ut quam Deus, & unigenitus Filius ejus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quaſi ſponſam ornatam corona, & decoratam monilibus ſuis, in gloria miraculorum plebi ſuæ manifeſtare dignatus eſt, Nos quoque pro Paſtorali ſollicitudine noſtra in univerſali Eccleſia, cui licèt meritis minimè ſuffragantibus, præſidemus, tanquam ſanctam, & electam Dei, colendam, & venerandam Apoſtolica auctoritate decreverimus, ut omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus ejus, & cognoſcat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus noſtris miſerationes ejus: qui quamvis peccatis noſtris exigentibus viſitet nos in virga indignationis ſuæ, non tamen continet in ira ſua miſericordias ſuas, dum in afflictionibus noſtris novis nos præſidiis munit, & amicos ſuos multiplicat, qui Eccleſiam ſuam meritorum, & interceſſionum ſuffragiis protegant, ac defendant.

*Thereſ. anno 1515. parentibus, & genere præclaris orta, vitæ integritate emicuit, & ſuæ ſanctitatis ſpecimen dedit.*

§. 3. Atque ut univerſi Chriſti fideles intelligant, quàm abundè in ancillam ſuam effuderit Deus de Spiritu ſuo, ac propterea erga ipſam devotio in dies augeatur, inſigniores quaſdam ejus virtutes, & aliqua ex magnalibus, quæ in manu ejus operatus eſt Dominus, his literis duximus inſerenda. Nata eſt Thereſia Abulæ in regno Caſtellæ, anno ſalutis humanæ milleſimo quingenteſimo quintodecimo, parentibus ut genere præclaris, ita etiam vitæ integritate conſpicuis, à quibus in timore Domini educata, admirandum futuræ ſanctitatis in tenerrima adhuc ætate ſpecimen dedit: nam cùm Martyrum Acta perlegeret, adeo Sancti Spiritus igne cor ejus intra eam concaluit, ut cum fratre germano etiam puero domo aufugerit, ut in Africam trajiceret, ubi ſanguinem, ac vitam pro teſtimonio Jeſu Chriſti profunderet. Sed occurſu patrui revocata, cum optimam ſortem ſibi ereptam eſſe jugibus lachrymis deploraret, ardens martyrii deſiderium eleemoſynis, aliiſque operibus compenſavit.

*Ad 20. annũ perventa ſponſam ſe Chriſto dicavit, inter Moniales S. Mariæ de Mõte Carmelo profeſſa eſt, & graviſſimis morbis, multiſque vexata tentationibus, omnia ſuſtinuit. Chriſti Corpus in Euchariſtia mentis oculis intuita, cæleſtia gaudia recordans mente exceſſit.*

§. 4. Sed cùm ad vigeſimum ætatis annum perveniſſet, Chriſto ſe totam deſpondit, & vocationem, qua ab eo vocata erat, aggreſſa, ad Moniales S. Mariæ de monte Carmelo Ordinis Mitigati ſe contulit, ut plantata in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri floreret: profeſſione itaque in eo monaſterio emiſſa, cùm per duodeviginti annos graviſſimis morbis, ac variis præterea tentationibus vexata eſſet, nulliſque ſupernis conſolationibus reficeretur, adeò invictè, adjuvante Domino, omnia pertulit, ut probatio fidei illius omni pretioſior auro, quod per ignem probatur, inventa fuerit, in laudem, & gloriam, & honorem, & in revelationem Jeſu Chriſti.

§. 5. Et quoniã ad erigendum ſublime Chriſtianarũ virtutum ædificium fidei fundamentũ ponendum fuit, illud adeò ſtabile, ac inconcuſſum Thereſia collocavit, ut juxta verbum Domini comparanda ſit viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram: ea etenim firmitate Sacroſancta Eccleſiæ Sacramẽta, cæteraque Catholicæ religionis dogmata credebat, & venerabatur, ut majorem, ut ipſa ſæpius teſtificabatur, de quolibet rectitudinem habere non poſſet: hac fidei lucerna illuminata, Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus in Sacratiſſima Euchariſtia mẽtis oculis adeò clarè intuebatur, ut aſſereret nihil eſſe quod invideret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conſpexiſſent: tantum autem vivæ ſpei in Domino collocaverat, ut jugiter deploraret, quod tamdiu in præſenti mortali vita detineretur, quæ ſibi impedimẽtum afferret quo minùs ſemper cum Domino eſſet, nec rarò dũ in corde ſuo cæleſtis patriæ gaudia recogitabat, mente excedebat, & ad eorum fruitionem in carne rapiebatur.

*Divini amoris flamma exarſit, ejuſque incendio ſe vita exceſſiſſe dixit.*

§. 6. Sed inter cæteras Thereſiæ virtutes, præcipuè emicuit dilectio Dei, quæ adeò in corde ejus exarſit, ut Confeſſarii ipſius Thereſiæ charitatem, tanquam non hominis, ſed Cherubim propriam admirarentur, & celebrarent, quam etiam Dominus noſter Jeſus Chriſtus multis viſionibus, ac revelationibus mirabiliter auxit: quandoque enim data dextera, clavoque oſtenſo, illam in ſponſam ſuam adoptavit, atque his verbis alloqui dignatus eſt: Deinceps ut vera ſponſa meum zelabis honorem, jam ipſe ſum totus tuus, & tu tota mea. Aliquando etiam Angelum vidit ignito jaculo ſibi præcordia tranſverberantem, ex quibus cæleſtibus donis divini amoris flamma in ejus corde adeò exæſtuabat, ut maximè arduum votum à Deo edocta emiſerit, efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſet, & ad majorem Dei gloriam pertinere intelligeret. Quin etiam poſt mortem cuidam Moniali per viſum manifeſtavit, ſe non vi mortis, ſed ex intolerabili divini amoris incendio vita exceſſiſſe.

*Charitate proximum mirabiliter dilexit, ejuſque ſalutem ardenti deſiderio deſideravit.*

§. 7. Sed quàm perpetua charitate proximum dilexerit, multis argumentis manifeſtum fit, ſed præſertim ex ardẽti deſiderio, quo animarum ſalutem deſiderabat. Infidelium enim, & Hæreticorum tenebras perpetuis lachrymis deflebat, ac pro eorum illuminatione non ſolùm juges ad Deum preces fundebat, ſed & jejunia, flagellationes, ac alias carnis macerationes offerebat. Propoſuit etiã S. Virgo in corde ſuo nullum diem ſine charitatis officio tranſigere, in quo etiam Deus ipſi auxilium præſtitit, nũquam enim ei defuit, ipſo largiente, exercẽdæ charitatis occaſio.

*In dilectione inimicorum mirabiliter Chriſtum imitata eſt.*

§. 8. Mirabiliter autem imitata eſt Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum in dilectione inimicorum: nam cùm ingentes pateretur perſecutiones & adverſitates, diligebat tamen perſequentes, & orabat pro his, qui oderant ſe: quin imò detrimenta, & offenſiones, quas perpetiebatur, amoris, & charitatis ipſi eſcam miniſtrabant, adeò ut viri graves dicere ſolerent: qui amari à Thereſia vellet, damno, aut injuria ut eam afficeret, oportere.

*Et ſpiritu humilitate admirabiliter præfulſit.*

§. 9. Vota verò quæ in profeſſione Religionis Deo voverat, maxima cura, ac diligentia reddidit: nec enim tantummodo omnes exteriores actus ſuperiorum arbitrio maxima cum habilitate ſpiritus perficiebat, ſed firmiter etiam in corde ſuo conſtituit, eorum voluntati omnes etiam cogitationes ſuas ſubjicere, cujus etiam rei egregia exempla reliquit: nam Dominum Jeſum Chriſtum ſibi ſæpiùs apparentem aliquando à Confeſſariis juſſa, qui deluſam ab Angelo tenebrarum ſuſpicabantur, humiliter irriſit, ſprevitque, ſed non ſine magno tam profundæ obedientiæ præmio, quin etiam volumen, quod in Cantica Canticorum, inſigni pietate refertum ſcripſerat, ut Confeſſario obtemperaret, flammis injecit, dicere autem ſolebat, ſe in diſcernendis viſionibus, ac revelationibus decipi poſſe, in obedientia autem ſuperioribus præſtanda falli non poſſe.

*Paupertatem omnimodam dilexit.*

§. 10. Paupertatem adeò dilexit, ut non ſolùm labore manuum ſuarum victum ſibi compararet, ſed ſi quam monialem vilioribus indutam veſtimentis conſpexiſſet, illicò ſua cum illius commutare, ac ſi quando ſibi neceſſaria deficerent, mirificè lætaretur, & exultaret, gratiaſque Deo ageret, tanquam inſigne aliquod conſequuta beneficium.

*Integerrima caſtitate excelluit.*

§. 11. Sed inter cæteras ejus virtutes, quibus quaſi ſponſa à Deo ornata mirificè excelluit, integerrima effulſit caſtitas, quam adeò eximiè coluit, ut non ſolùm propo-

ſitum virginitatis ſervandæ à pueritia conceptum, uſque ad mortem perduxerit, ſed omnis expertem maculæ, angelicam in corpore, & corde ſervaverit puritatem.

*Divinis chariſmatibus anima ejus impinguata fuit.*

§. 12. Quas adeò inſignes virtutes mirifica humilitate cordis ornabat, cum etenim in dies divinis chariſmatibus anima ejus impinguaretur, ſæpius exclamabat ad Dominum, ut beneficiis in eam ſuis terminum ſtatueret, nec tam citò ingentium ſcelerum oblviſceretur.

*Contumelias ardentiſſimè ſitivit, honoreſque abhorruit.*

§. 13. Contumelias verò, & irriſiones ardentiſſimè ſitiebat, ac non ſolùm humanos honores, ſed noſci quoque ab hominibus abhorrebat.

*Invicta patientia fuit.*

§. 14. Invictam autem hujus S. Vignis patientiam illa vox atteſtatur, qua ſæpius ad Dominum exclamabat: Domine, aut pati, aut mori.

*Spiritu intelligentiæ illuſtrata Theologia libellos edidit.*

§. 15. Præter hæc omnia divinæ beneficentiæ munera, quibus hanc dilectam ſuam, quaſi pretioſis monilibus decoratam eſſe voluit Omnipotens, aliis etjam gratiis, & donis abundè ipſam locupletavit, adimplevit enim eam Spiritu intelligentiæ, ut non ſolum bonorum operum in Eccleſia Dei exempla relinqueret, ſed & illam cœleſtis ſapientiæ imbribus irrigaret, editis de myſtica Theologia, aliiſque etiam multa pietate refertis libellis, ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt, & ad ſupernæ patriæ deſiderium maximè excitantur.

*Ord. Carmelit. reformationem virorum, mulierumque præſtitit.*

§. 16. Quibus cæleſtibus inſtructa, ac illuſtrata muneribus, opus aggreſſa eſt maximum quidem, & cuicumque difficillimum, ſed Eccleſiæ Chriſti perquam utile, ac proficuum, reformationem enim exorſa eſt Ordinis Carmelitani, illudque non ſolùm in mulieribus, ſed & in viris egregiè præſtitit.

*Monaſteria adverſitatibus ſæculi ſuperatis multa extruxit.*

§. 17. Ædificatis non modo per univerſas Hiſpanias, ſed & per alias Chriſtiani Orbis partes, tam virorum, quàm mulierum monaſteriis, ſine pecunia, ſine proventibus, de ſola Dei miſericordia præſumens, nec modò omnibus humanis deſtituta auxiliis, ſed adverſantibus plerumque, ac contradicentibus Principibus, & poteſtatibus ſæculi; quæ tamen, Domino opus ſuum confirmante, radices miſerunt, incrementum ſuſceperunt, & demùm in domo Dei uberes proventus fructificarunt.

*Miraculis multis, ea vivente emicuit, quorum aliqua hic inſeruntur.*

§. 18. Tantas virtutes Thereſiæ plurimis, dum adhuc in humanis ageret, miraculis Deus illuſtravit, quorum nonnulla præſentibus literis duximus inſerenda. Cum in Conchenſi diœceſi maxima eſſet frumenti penuria, atque in monaſterio de Villa Nova de Xara vix tantum farinæ reperiretur, ut per integrum menſem ad victum decem & octo monialium ſatis eſſet, hujus S. Virginis meritis, & interceſſione Deus omnipotens, qui ſperantes in ſe enutrit, eám adeò abundare fecit, ut quamvis per ſex menſes ex ea aſſiduè panes ad refectionem ancillarum Dei fierent, nunquam tamen uſque ad novas fruges diminueretur. In vultu gravi eryſipelate, ac febri affligebatur Anna à Trinitate, monialis conventus Medinæ de Campo, cui Thereſia primùm blandita, deinde læſa membra leviter attrectans, bono animo, inquit, ſis filia; Deus ut ſpero te hoc morbo liberabit, ſtatimque febris, omniſque morbus ab ea abſceſſit. Alberta ejuſdem monaſterii Prioriſſa, pleuritide, ac febre, non abſque vitæ periculo laborabat: at S. Virgo Thereſia, tacto latere, quod morbo urgebatur, eam ſanam eſſe pronunciavit ac ſurgere juſſit, & illa perfectè ſanata ſtatim è lecto exſiliit laudans Deum.

*Thereſia tandem ſororibus ſuis paupertatem, obedientiam commendans, Eucharistia, ac extremæ unctione receptis Crucifixi effigiem manu tenens obiit.*

§. 19. Adveniente demum tempore, quo pro tot laboribus pro divino honore exhauſtis, ac tot bonis operibus in Eccleſiæ utilitatem perpetratis, coronam decoris in manu Dei eſſet receptura, gravi morbo Albæ decumbens, cum toto infirmitatis tempore frequentes, ac penè admirabiles de divina charitate cum ſororibus ſermones habuiſſet, ſæpius gratias Deo agens, quòd ſe Catholicæ Eccleſiæ aggregaſſet, commendans tanquam præcipua bona, paupertatem, ac debitam præpoſitis obedientiam, accepto humillimè ac cum cœleſti prorſus charitate ſacro peregrinationis ſuæ Viatico, ac Extremæ unctionis Sacramento, Chriſti crucifixi effigiem manu tenens, ad cœleſtem patriam evolavit.

*Et tunc mirabilis gloria Thereſiæ ſigna viſa fuerunt.*

§. 20. Pluribus verò ſignis manifeſtavit Deus, quàm ſublimem gloriæ gradum Thereſiæ elargitus in cœlis eſſet, multæ etenim moniales, religioſæ, ac timentes Deum, viderunt decorem gloriæ ejus. Alia etenim conſpexit ſupra tectum Eccleſiæ, & in choro, & ſuper decumbentis cubiculum multitudinem cœleſtium luminarium, alia Chriſtum Dominum magno coruſcantem ſplendore, ingenti Angelorum frequentia circumdatum, ejus lecto aſſiſtentem, alia plurimos albis amictos veſtibus ipſius cellam ingredientes, ac cubili circumfuſos, quædam etiam in ipſo tranſitus momento candidam columbam ex ipſius ore in Cœlum evolantem, alia ſplendorem, cryſtalli inſtar, feneſtra egredientem vidit, quin etiam quædam arbor calce, ac macerie obſtructa, ac jamdudum arida, quæ cubiculo proxima erat, præter omnem temporis, & naturæ rationem, repentè floribus onuſta, in ipſa tranſitus hora apparuit, corpus exanime, ſpecioſiſſimum, ac nulla ruga contractum, ac miro decoratum candore apparuit, ac unà cum veſtibus, ac linteolis, quibus ægra uſa erat, omnibus admirantibus, mirificum ſpirans odorem. Multa etiam magnalia, quæ meritis ancillæ ſuæ operatus eſt Deus, ipſius in Paradiſum tranſitum exultabilem reddiderunt, quædam etenim monialis dudum capitis, & oculorum infirmitate laborans, apprehenſæ mortuæ Virginis manu, ac capiti, oculiſque admota, ſtatim convaluit, altera item ejus exoſculatis pedibus, ſenſum odoratus amiſſum recuperavit, & corporaliter odorem unguentorum, quo ſacroſanctum ejus corpus à Domino perfuſum erat, percepit: corpus ejus abſque ullo prorſus medicamine ligneo loculo incluſum, altè effoſſa ad ſepulturam humo, ac ingentibus lapidibus, & calce oppleta ſcrobe ſepultum eſt, ſed è ſepulchro ejus odor adeo ingens, ac mirificus emanabat, ut decretum fuerit, ſacrum corpus exhumare, atque illud ſanè integrum, ac incorruptum, ac flexibile, ac ſi nuper tumulatum fuiſſet, repertum fuit, odorato liquore circumfuſum, quo perenniter uſque in præſentem diem, Deo ancillæ ſuæ ſanctitatem jugi miraculo atteſtante, deſudat: quare aliis veſtibus indutum, novaque arca incluſum, cum priora computruiſſent, eodem loco conditum fuit, lapſoque triennio, cum rurſus ipſius monumentum aperiretur, ut ſacrum pignus Abulam aſportaretur, ac deinceps frequenter juſſu Delegatorum Apoſtolicorum inviſeretur, ſemper incorruptum, ac tractabile, eodem odore, ac liquore perfuſum apparuit.

*Miracula ſunt alia clarit poſt mortem.*

§. 21. Sed & præcedentibus temporibus manifeſtavit Deus hominibus gloriam ſuam, præſtitis per interceſſionem ancillæ ſuæ frequentibus beneficiis, his qui ſe fideliter ejus precibus commendaſſent: puer etenim quidam quadriennis adeo contractus, ac detortus erat, ut nec pedibus inſiſtere, & cum jaceret, movere poſſet, eaque infirmitas, cum illi à nativitate fuiſſet, nullumque afferret doloris ſenſum, incurabilis prorſus videbatur, cumque per novem dies ad cubiculum, quod vivens Sancta Virgo inhabitaverat, allatus fuiſſet, ſenſit in ſe virtutem venientem, ac repentè ſanus, ac validus, ac ſuis pedibus ambulans, ſtupentibus cunctis, cœpit diffamare, ſe à matre Thereſia de Jeſu perfectam ſanitatem fuiſſe conſecutum. Sæviſſimis doloribus per biennium cruciabatur Anna à Sancto Michaële monialis, tribus cancris pectus ejus adeo affligentibus, ut non ſolùm motus omnis expers eſſet, ſed nec collum flectere, nec brachia poſſet attollere: cumque particulam reliquiarum Sanctæ Thereſiæ ſuper pectus appoſuiſſet, & toto cordis affectu ſe ejus patrocinio commendaſſet, non ſolùm omnis evanuit plaga à corpore ejus, ſed & alia etiam, quam in corde diu habuerat, infirmitate libera momento temporis effecta eſt. Adeo vexabatur Franciſcus Perez parochialis Eccleſiæ Rector apoſtemate, quod in os pectoris inſederat, ut brachio etiam contracto, à celebratione ſacroſancti Miſſæ ſacrificii per quinque menſes impediretur, humaniſque remediis deficientibus, ad divina confugit, & ad montes Dei elevans oculos, ſalutem conſecutus eſt: Epiſtolam enim Virginis Thereſiæ manu exaratam pectori admovens, conſecutus eſt ejus partis ſanctitatem, cumque deinde ſepulchrum Virginis viſitaſſet, ejuſque brachium, quod Albæ aſſervatur, proprio brachio, quod adhuc contractum erat, admoviſſet, in eo etiam divinam virtutem expertus eſt, reſtituta ſibi perfecta valetudine. Joannes de Leyna magno gutturis morbo adeo affligebatur, ut omnis reſpirationis via ferè intercluſa eſſet, jamque morti proximus animam agebat, cum ſudarium, quod Sanctæ Thereſiæ fuerat, ad morbi locum magna cum fiducia appoſuit, ſomnoque captus, ac paulò poſt experrectus,

ſe

ſe meritis Beatæ Thereſiæ curatum eſſe repentè ſanus exclamavit.

§.22. Cum igitur per univerſas jam gentes,& nationes ſanctitas Thereſiæ celebraretur,& nomen ipſius ad Chriſti fideles magno in honore eſſet, operante Domino per interceſſionem ejus tot mirabilia, quæ etiam in dies unà cum ipſius veneratione augebantur, fuerunt auctoritate Apoſtolica in multis Hiſpaniæ partibus formati proceſſus, ac ad ſanctam hanc Sedem tranſmiſſi.

§.23. Et inſtanter agente claræ memoriæ Philippo III. Hiſpaniæ Rege Catholico,negotio tam in Sacra Rituum Congregatione,quàm in Rota diligenter diſcuſſo,fel.rec. Paulus V.prædeceſſor noſter indulſit,ut in ejus honorem tanquam de B.Virgine divinum officium in toto Fratrum Carmelitanorum Ordine poſſet celebrari. Cumque idem Philippus Rex iterum apud prædictum Paulum ſimiliter prædeceſſorem noſtrum, pro Canonizatione B. Virginis Thereſiæ ſupplicaſſet, idem Paulus iterum negotium commiſit Cardinalibus Sac.Rituum Congregationis,qui novos proceſſus auctoritate Apoſtolica conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum bonæ memoriæ Bernardum Cardinalem de Rojas Archiepiſcopum Toletanum, ac Venerabiles Fratres Epiſcopos Abulen.& Salmantic. eadem auctoritate deputarunt, qui cum diligenter demandato negotio perfuncti eſſent, omnia Acta eidem Paulo V.prædeceſſori noſtro tranſmiſerunt.

§.24.Qui tribus Apoſtolici Palatii cauſarum Auditoribus,Franciſco Archiepiſcopo Damaſceno Locumtenenti, nunc S.R.E. Cardinali,Joanni Baptiſtæ Coccino Decano, & Alphonſo Manzanedo dedit in mandatis, ut ſumma cum diligentia dicta Acta examinarent, & quæ eorum ſententia eſſet, ad ipſum referrent. Qui omnibus accuratè, prout rei magnitudo poſtulabat, perpenſis, eidem Paulo V. prædeceſſori retulerunt, plenè juſtificari vitæ ſanctitatem,ac miracula Beatæ Virginis Thereſiæ, omniaque abundè conſtare quæ pro Canonizatione ejuſdem à Sacris Canonibus requiruntur, poſſeque ad ulteriora procedi.

§.25.Utque ea maturitate,quæ rem tantam decebat,negotium tranſigeretur, idem Paulus dilectis filiis noſtris S.R.E.Cardinalibus Sacris Ritibus præfectis ordinavit, ut prædictos proceſſus quamdiligentiſſimè rurſus inſpicerent,ac de tota cauſa accuratè cognoſcerent.

§.26.Cum verò idem Paulus humanæ peregrinationis viam compleviſſet, Noſque (nullis licet noſtris meritis) ſola divinæ gratiæ dignatione ad Eccleſiæ gubernacula vocati eſſemus,ad augmentum divini honoris, & S. Eccleſiæ utilitatem pertinere arbitrati ſumus,ut hujuſmodi negotium promoveretur,plurimùm etiam ad præſentium temporum calamitatem levandam intereſſe exiſtimavimus, ſi Chriſti fidelium devotio erga Sanctos, & electos Dei, qui pro nobis in tantis neceſſitatibus intercederent, augeretur. Mandavimus itaque prædictis Cardinalibus, ut quod illis à prædeceſſore noſtro prædicto fuerat injunctum quamprimùm exequerentur.

§.27. Quod cum illi ea diligentia,qua decebat, perfeciſſent, ac pro S. Virginis Canonizatione omnes unanimiter cenſuiſſent, Venerabilis Frater noſter Franciſcus Maria Epiſc.Portuen.Cardinalis à Monte, totius proceſſus ſummam,ac ſuam, Collegarumque ſententiam coram Nobis in Conſiſtorio noſtro expoſuit,quibus auditis,reliqui Cardinales,qui aderant,ad ulteriora fore procedendum communi ſuffragio pronuntiarunt.

§.28. Igitur cum in publico Conſiſtorio dilectus filius Joannes Baptiſta Mellinus, Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatus,pro ejus Canonizatione peroraſſet, ac nomine chariſſimi in Chriſto filii noſtri,Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici,ut ad eam procedere dignaremur humiliter ſupplicaſſet, Nos de re tanta venerabiles fratres noſtros S.R.E. Cardinales, & Epiſcopos in curia præſentes conſulendos eſſe reſpondimus,atque interim Cardinales, atque Epiſcopos præſentes vehementer in viſceribus Chriſti hortati ſumus, ut orationibus inſtantes, in jejuniis, & eleemoſynis animas ſuas coram Deo nobiſcum humiliantes,precibus à Deo Patre luminum expoſcerent, ut ex alto ſuper nos lucem ſuam,& veritatem ſuam emitteret,quæ nos ad voluntatem,& beneplacitum ejus cognoſcendum, & perficiendum deduceret. Itaque in ſemipublico Conſiſtorio, quod conſequenter celebratum eſt, vocatis non modò Cardinalibus, ſed Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in curia noſtra exiſtentibus, præſentibus etiam noſtris, ac Sedis Apoſt. Notariis, ac Sacri Palatii Apoſt. cauſarum Auditoribus, cùm pluta à Nobis de eximia ſanctitate ancillæ Dei, ac miraculorum frequentia, & celebritate, populorumque erga eam per univerſas Chriſtianas nationes devotione commemorata fuiſſent, expoſitis etiam inſtantiis, quæ coram Nobis non modò nomine maximorum Regum, ſed etiam chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, aliorumque complurium Chriſtianorum Principum fiebant,omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos ſuos honorificantem, Beatam Thereſiam canonizandam eſſe, atque inter SS. Virgines adſcribendam cenſuerunt,quorum omnium audito conſenſu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, & jubilavimus in ſalutari ejus, gratiam agentes Deo & Filio ejus Domino noſtro Jeſu Chriſto,quòd Eccleſiam miſericorditer reſpexiſſet,ac tanta gloria illuſtrare decreviſſet,Canonizationis itaque publicavimus diem, eoſdemque fratres,ac filios noſtros monuimus, ut in orationibus,& eleemoſynis perſeverarent, ut in tanto opere exequendo ſplendor Domini Dei noſtri eſſet ſuper Nos, qui opus manuum noſtrarum ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret. Demùm peractis omnibus, quæ ex Sacris conſtitutionibus, ac Romanæ Eccleſiæ conſuetudine peragenda erant, hodie in Sacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica, cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E.Cardinalibus,necnon Patriarchis, Archiepiſcopis,& Epiſcopis,Romanæque Curiæ Prælatis,Officialibus,& Familiaribus noſtris, clero ſæculari, & regulari, ac maxima populi frequentia convenimus, ubi repetitis pro Canonizationis Decreto petitionibus nomine ejuſdem chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Regis Catholici, à dilecto Filio noſtro Ludovico tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Cardinali Ludoviſio nuncupato,noſtro ſecundùm carnem nepote, per Nicolaum Zambeccarium Conſiſtorialis Aulæ noſtræ Advocatum prædictum, decantatis ſacris Precibus, & Litaniis, ac Spiritus ſancti gratia humiliter implorata: Ad honorem Sanctæ,& individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem,auctoritate omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, BB. Apoſtolorum, ac noſtra, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſc. Epiſcop. in Romana curia præſentium conſilio, ac unanimi conſenſu, bonæ memoriæ Thereſiam Virginem de Abula,de cujus vitæ ſanctitate,fidei ſinceritate, & miraculorum excellentia plenè conſtabat, & conſtat,Sanctam eſſe diffinivimus,ac Sanctarũ Virginum catalogo adſcribendam decrevimus, prout præſentium tenore definimus, decernimus, & adſcribimus, illamque univerſos Chriſti fideles tanquam verè Sanctam honorare,& venerari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & Altaria,in quibus ſacrificia Deo offerantur,ædificari,& conſecrari.& ſingulis annis die quinta Octobris,quo ad cæleſtem gloriam tranſlata eſt, ejus officium ut de Sancta Virgine ad præſcriptum Romani Breviarii celebrari poſſit.

§.29. Eademque auctoritate omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis eodem feſto die ad ſepulchrum, in quo corpus ejus requieſcit, viſitandum acceſſerint, unum annum, & unam quadragenam: iis verò qui in ejuſdem feſti octava, quadraginta dies de injunctis eis, ſeu quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus, ac relaxamus. *Indulgent. ac ejus ſepulchrum viſitantibus conceſſit.*

§.30.Poſtremò gratiis Deo actis,quod Eccleſiam ſuam inſigni hoc novoque luminari illuſtrare dignatus eſſet, decantata in S.Thereſiæ honorem ſolemni SS.Virginum oratione,ad Altare Principis Apoſtolorum Miſſam celebravimus cum ejuſdem S.Virginis commemoratione,omnibuſque Chriſti fidelibus tunc præſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam conceſſimus. *Omnibuſque qui [illegible] Canonizationi præſentes fuerunt.*

§.31. Decet igitur, ut pro tam inſigni beneficio omnes cum omni humilitate benedicamus,& glorificemus eum, quem decet omnis benedictio, & honor, & gloria. & poteſtas *Hortatur [illegible]*

*riſcandum Deum ob hujuſmodi peractam Canonizationem.*

poteſtas in ſæcula ſæculorum,aſſiduis precibus ab eo poſtulantes,ut per interceſſionem electæ ſuæ à peccatis noſtris faciem ſuam avertens, miſereatur noſtri,& reſpiciat nos,& oſtendat nobis lucem miſericordiarum ſuarum, & immittat timorem ſuum ſuper gentes,quæ non cognoverunt eum , ut cognoſcant , quia non eſt alius Deus niſi Deus noſter.

*Exemplis hujus bullæ ubique fidem dari jubet.*

§.32. Cæterum quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet , deferri, volumus ut earum exemplis etiam impreſſis,manu publici Notarii ſubſcriptis , & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem ubique fides habeatur , quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Sanctionemque pœnalem adjungit.*

§.33.Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum definitionis, decreti, adſcriptionis , mandati, ſtatuti, relaxationis & voluntatis infringere , vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. 2. 12. Martii.*

Dat.Romæ apud S.Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1621.quarto Id.Martii, Pont.noſtri Anno ſecundo.

*Papa ſubſcriptio.*

✠ Ego Gregorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

*Cardinalium ſubſcriptiones.*

† Ego Antonius Cardinalis Saulius Decanus.
† Ego Franciſcus Maria Cardinalis à Monte, Epiſc.Portuenſis.
† Ego Franciſcus Sfortia Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus.
† Ego Alexand. Cardinalis Montaltus , Epiſcopus Albanen. S.R.E. Vicecancellarius.
† Ego Octavius Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Bandinus.
† Ego Andreas tit.S.Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Perettus.
† Ego Joan.Baptiſta tit.SS.Petri, & Marcellini, Presbyter Cardinalis Detus.
† Ego Dominicus Card. SS. Apoſtolorum Gymnaſius.
† Ego Carolus tit. S. Cæſarei Card. Madrutius.
† Ego S.tit.S.Chryſogoni preſb.Card.Burgheſius.
† Ego M. tit. S. Onuphrii preſb. Card.Barberinus.
† Ego Jo.Garſia tit.SS.Quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis Millinus.
† Ego M. tit. SS. Quirici,& Julittæ presb.Card. Lantes.
† Ego Fabritius tit.S.Auguſtini presb.Card.Verallus.
† Ego Jo.Bapt.tit.S.Cæciliæ presb.Card.Lenius.
† Ego Dominicus S. Martini in Montibus, presb.Cardinalis Rivarola.
† Ego Gaſpar Card.Borgia,tit. S.Crucis in Hieruſalem.
† Ego Robertus tit.S. Alexii presb.Card. Ubaldinus.
† Ego Tiberius tit.S.Priſcæ,presb.Card.Mutus.
† Ego Gabriel tit. S. Bartholomæi in Inſula , presbyter Cardinalis de Treio.
† Ego S.presb.Card.S.Suſannæ,S.R.E.Biblioth.
† Ego Guido tit.S.Mariæ de Populo presb.Cardin. Bentivolius.
† Ego Petrus tit.S.Salvatoris in Lauro,presb.Card. Valerius.
† Ego It.Federicus,tit. S.Laurentii in Paniſperna Cardinalis de Zolleren.
† Ego Julius S.Mariæ ſupra Minervam Card.Roma.
† Ego Fr. Deſiderius tit. S. Clementis , Card. de Cremona.
† Ego Stephanus tit. S.Mariæ in Via,Card.Pignatellus.
† Ego Franciſcus tit. S. Matthæi in Merulana, presbyter Cardinalis Sacratus.
† Ego M.Ant.tit.S.Euſebii,presb.Card.Gozadinus.
† Ego Alexander tit. S. Mariæ in via lata Cardinalis Eſtenſis.
† Ego Carolus Emanuel S. Nicolai in carcere Tulliano Cardinalis Pius.
† Ego Mauritius S.Euſtachii Diaconus Card.de Sabaudia.
† Ego Carolus S.Mariæ in Dominica Card.Medices.
† Ego Ludovicus tit.S.Hadriani Cardin.de la Valette.
† Ego Franciſcus S. Angeli in foro piſcium , Diaconus Cardinalis Boncompagnus.
† Ego Hippolytus S.Mariæ Novæ,Card.Aldobrandinus.

## Inſtitutio Collegii S. Bonaventuræ in civitate Pragæ pro ſtudentibus Fratrum Minorum Conventualium ordinis S.Franciſci, cum applicatione annui redditus ab Imperatore Ferdinando II. eis aſſignati. XXI.

*Aliud pro ſtudentibus ejuſdem Ordinis erexit Paul. V. in Inſula Melivitana, ut habes ſup, tom.3. Conſtit.121. In ſupereminenti, Et de tota Religione Franciſcana lege ſuprà ad conſt.5. Honor. III. tom.1.*

*GREGORIUS PAPA XV.* *Edita An. 1621.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

IN ſupereminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, meritis licet imparibus, diſponente Domino conſtituti, & intra mentis noſtræ arcana revolventes,quantum ex literarum ſtudiis Catholica fides augeatur , divini nominis cultus protendatur,veritas agnoſcatur,ac juſtitia colatur, ad ea per quæ literarum ſtudia hujuſmodi ubilibet excitentur, libenter intendimus, & in his ſollicitudinis noſtræ partes propenſius impartimur,prout locorum qualitate penſata,conſpicimus ſalubriter expedire.

*Imperator Ferdinandus II. annuum redditum aſſignavit pro Collegi[...] Domo regulari S. Iacobi Pragen.Ordinis Fratrum Conventualium S.Franciſci erigen[...] pro collegialibus ejuſdem Ordinis profeſſoribus [...] iſto Pont. [...] ad ejuſdem Imperatoris petitionem [...] illud ſub invocatione S. Bonaventuræ privilegi[...] mili Colleg[...] S. Bonaventuræ in Urbe inſtituto [...]git.*

§.1. Cum itaque,ſicut dilecti filii Jacobi de Bagnacavallo, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum Miniſtri Generalis nomine Nobis nuper expoſitum fuit , chariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus,mille & ducentos taleros annuos monetæ illarum partium pro duodecim Baccalaureorum in domo regulari S.Jacobi Pragenſis,ejuſdem Ordinis,manutentione aſſignaverit : & propterea dictus Ferdinandus Rex in Imperatorem electus,tam ad Fratrum dicti Ordinis in prædicta domo ſtudentium commodum,& profectum,quàm etiam ad militantis Eccleſiæ exaltationem , ipſiuſque civitatis decorem in prædicta domo unum Collegium ſtudii pro uno Regente nuncupan. ac duodecim Baccalaureis , ſeu Collegialibus ejuſdem Ordinis profeſſoribus per Nos erigi,& inſtitui, aliaque ut infra indulgeri ſummopere deſideret. Nos piis , & laudabilibus dicti Ferdinandi Regis in Imperatorem electi votis in præmiſſis annuere volentes , ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati , ad omnipotentis Dei laudem,& gloriam, necnon militantis Eccleſiæ exaltationem,divinique cultus, & orthodoxæ fidei augmentum , ac Religioſorum prædictorum commoditatem , & profectum,in prædicta domo unum Collegium ſub invocatione S.Bonaventuræ,ejuſdem Ordinis profeſſoris,cum omnibus,& ſingulis privilegiis,prærogativis, & indultis Collegio S.Bonaventuræ ejuſdem Ordinis de Urbe conceſſis,auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò erigimus,& inſtituimus.

*Illique di[...] annuũ red[...]tum perpe[...] applicat.*

§.2. Illique ſic erecto , & inſtituto, pro ejus dote , ac unius Regentis,& duodecim Baccalaureorum,ſeu Collegialium inibi pro tempore exiſtentium ſuſtentatione , & onerum eis incumbentium ſupportatione mille,& ducentos taleros hujuſmodi , ita quod liceat eis corporalem, realem , & actualem illorum poſſeſſionem ſuo , & dicti Collegii nominibus propria auctoritate liberè apprehendere,& retinere, ac in ipſius Collegii uſus, & utilitatem convertere,auctoritate, & tenore prædictis etiam perpetuò applicamus,& appropriamus.

*Clauſulas hujus erecti[...]nis præſervativas ſubji[...]*

§.3. Decernentes præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere,& fore, ſuoſque plenarios,& integros effectus ſortiri, & obtinere, itaque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ubique judicari & definiri debere,ac irritum,& inane,ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariiſque derogat.*

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , necnon dicti Ordinis etiam juramento , confirmatione Apoſtolica , vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus , cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum

Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 5. Aprilis 1622. Pontif. Noſtri Anno ſecundo.

---

## XXII. Confirmatio privilegiorum, gratiarum, & indultorum tam ſpiritualium, quam temporalium conceſſorum Ordini, & Fratribus Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

*Hujus Ordinis inſtitutionem, ac approbationem Regulæ, cum omnibus aliis ipſum concernentibus, habes ſignatas ad conſt. 1. Innoc. III. Operante, ſup. tom. 1.*

*G R E G O R I U S P A P A X V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

INjuncti Nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut Sacrarum Religionum, in militanti Eccleſia ſuaves in Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſa, quò validius perpetuò ſubſiſtant, noſtræ confirmationis robore muniamus.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Petit Magiſter Generalis Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, quod variæ gratiæ conceſſiones, libertates, prærogativæ, favores, immunitates, exemptiones, facultates, & indulta dicto Ordini, illiuſque Superioribus, Fratribus, Monialibus, perſonis, domibus, Eccleſiis, & locis nunc, & pro tempore exiſtentibus, à diverſis Rom. Pont. Prædeceſſoribus Noſtris olim conceſſa, & à fel. rec. Clem. VIII. & noviſſimè Paulo V. Rom. Pont. ſimiliter Prædeceſſoribus Noſtris confirmata fuerunt. Cum autem majorem obtineant roboris firmitatem ea quæ Apoſt. auct. ſæpius muniuntur, & propterea dictus Ludovicus Magiſter Generalis privilegia, gratias, indulta, aliaque prædicta per Nos Apoſt. auct. etiam confirmari, & approbari plurimùm deſideret, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſt. dignaremur.

§. 2. Nos igitur Ordinem prædictum, ex quo uberrimi fructus in Eccleſia Dei ad illius laudem, & Chriſtianæ Reipublicæ, necnon Captivorum commodum, & utilitatem, ſicut accepimus, in dies proveniunt, ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, ac eundem Magiſtrum Generalem, & prædicti Ordinis ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, facultates, gratias, conceſſiones, & indulta, tam ſpiritualia, quàm temporalia, eidem Ordini, illiuſque Eccleſiis, Superioribus, Fratribus, Monialibus, Sororibus, & perſonis, necnon Eccleſiis, domibus, ac locis, bonis, & rebus quibuſcumque, ut ſupra conceſſa, & confirmata, dummodo tamen privilegia, & indulta, & alia prædicta omnia in uſu, nec revocata, aut ſub aliquibus revocationibus, & abolitionibus comprehenſa ſint, & Sacri Concilii Tridentini decretis, & conſtitutionibus, & ordinat. Apoſt. dictique Ordinis Regularibus inſtitutis non adverſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tam juris, quàm facti, & quarumcumque ſolemnitatum de jure, neceſſitate, aut aliàs quomodolibet requiſitarum, forſan omiſſarum, & quoſcumque alios, ſi qui deſuper in eis quomodolibet intervenerint, defectus.

§. 3. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiſcopo Burgen. & Epiſcopo Pariſien. ac dilecto filio Curiæ cauſarum Cam. Apoſt. Generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædicti Ludovici Magiſtri Generalis, ac omnium, & ſingulorum, quos concernunt, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque omnibus, & ſingulis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illos omnes, & ſingulos effectu earumdem præſentium pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos deſuper à quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. 4. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. pariter Prædeceſſoris Noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad Judicium non trahatur, aliiſque Apoſt. ac in univerſalibus, provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. *Contraria removet.*

§. 5. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. *Tranſumptis fidem dari mandat.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 18. Aprilis 1622. Pontificatus noſtri Anno ſecundo. *Dat. P. An. 2. die 18. April.*

---

## XXIII. Beatificatio Servi Dei Fr. Petri de Alcantara Ord. Min. Strictioris Obſervantiæ Diſcalceatorum Profeſſoris, Provinciæ S. Joſephi in Regno Caſtellæ Fundatoris, cum Officio, & Miſſa unius Confeſſoris non Pontificis, die 18. Octobris celebrando à tota Religione dictorum Minorum.

*De hujuſmodi Fratribus vide tibi pleniſſimè ſignata ad Conſt. 35. Clem. VIII. In ſuprema, ſup. tom. 1.*

*G R E G O R I U S P A P A X V.* *Edita An. D. 1622.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

IN Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in ſervis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. *Exordium.*

§. 1. Cum itaque, inſtantibus non ſolùm claræ memoriæ Philippo III. & chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo IV. Hiſpaniarum Regibus Catholicis, ſed etiam ferè omnibus Hiſpaniæ Regnis, Venerabiles fratres noſtri S.R.E. Cardinales ſacris Ritibus præpoſiti, de mandato noſtro cauſam ſervi Dei Petri de Alcantara Ord. Minorum Strictioris Obſervantiæ Diſcalceatorum nuncupatorum, ac Provinciæ S. Joſephi ejuſdem Ordinis Fundatoris juxta ſeriem relaxationis trium cauſarum Palatii Apoſt. Auditorum ad effectum canonizationis pluries examinaverint, ac multis deſuper habitis ſeſſionibus, referente dilecto filio noſtro Marco Antonio tituli S. Euſebii preſbytero Cardinale Gozzadino nuncupato, pleniſſimè conſtare de validitate proceſſuum, fama Sanctitatis, fide, puritate, cæteriſque virtutibus, non in genere ſolùm, ſed etiam in ſpecie, reliquiarum ac ſepulchri veneratione, pluri-miſque tandem miraculis pronunciaverint, cenſuerintque poſſe Nos, quandocumque voluerimus, eumdem Dei ſervum, juxta Catholicæ Eccleſiæ ritum, Sanctum atque in Cœlis regnantem declarare, omnibuſque fidelibus ſolemni canonizatione proponere venerandum. *Philippo III. & IV. Regibus Hiſp. inſtantibus, Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum examinato proceſſu Fr. Petri de Alcantara canonizari poſſe per hunc Pont. cenſuerunt.*

§. 2. Prædictus

*Philippus IV. inſtat officiũ, & Miſſam celebrari interim poſſe à d. Religione.*

§.2. Prædictus verò Philippus IV. Rex,& dilecti filii Miniſter Generalis,& Fratres Ord.prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut donec ad Canonizationem dicti Petri deveniatur, idem Petrus Beatus nuncupari, ac de eo tanquam de Confeſſore non Pont. Miſſa, ac Officium,ut infra celebrari,& recitari reſpectivè poſſit,indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui Pontifex id concedit.*

§.3. Nos ſupplicationibus hujuſmodi inclinati,de eorumdem Cardinalium conſilio, ut idem Dei ſervus Petrus de Alcantara in poſterum Beatus nuncupari, atque de eo tanquam de confeſſore non Pontifice die 19.Octobris,qua ipſius obitus memoria celebrabitur,ubique terrarum ab univerſa Religione Minorum Obſervantium utriuſque ſexus reſpectivè Miſſa celebrari, atque officium recitari poſſit.

In oppido verò de Alcantara nullius diœceſis,ubi natus,atque in altero de Arenas Abulen.diœceſis,ubi corpus ejuſdem requieſcere accepimus, omnibus tam regularibus quàm ſæcularibus Clericis, ſub ritu tamen ſemiduplici, idem omninò liceat.

Ac demùm in provincia prædicta S.Joſephi,cujus auctor extitit,ab ipſis dicti Ordinis Diſcalceatorum Fratribus,etiam cum Octava,veluti de Patrono,Officium pariter ac Miſſa juxta Breviarii, ac Miſſalis Romani rubricas celebrari poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus,& indulgemus.

*Quæcumque obſtantia tollit.*

§.4. Non obſtantibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem,ut præſentium tranſumptis,etiam impreſſis,manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur,quæ præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 2. 18. Aprilis.*

Dat. Romæ apud S.Petrum,ſub annulo Piſcatoris,die 18.Aprilis 1622. Pontificatus noſtri anno Secundo.

---

## XXIV. Quod Feſtum S. Annæ Matris Mariæ Virginis de præcepto ubique obſervetur.

*Hoc feſtum ſub duplici Officio, & die 26. Iulii celebrari decreverat Gregor. XIII. ſup.in ſua conſt.87.tom.2. Quin mò iſte Pontifex feſtum S. Ioachimi Patris ejuſdem B. Mariæ Virginis, ſub duplici Officio juſſit obſervari, ut infrà in ejus conſt.39. Apoſtolatus. Et mox S.R.E. Cardinales Sacrorum Rituum die 8. Maii 1621. decreverunt, etiam feſtum S.Ioſephi Sponſi ejuſdem B.Virginis,de præcepto deinceps celebrari. Et hic idem Pontifex illud approbavit, quod decretum apud hos Reverendæ Cameræ Impreſſores cuſum legitur.*

*Edita An.D. 1622.*

*GREGORIUS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium cum enarratione meritorum, & venerationis S. Annæ Matris Beatiſſimæ Virginis Mariæ.*

HOnor laudis, & cultus venerationis, qui Sanctæ Dei Genitricis parenti Beatæ Annæ in Sancta tribuitur Eccleſia,quàm merito fuerit Spiritu Dei dictante, cujus providentia Eccleſia regitur,& gubernatur, variis temporibus auctus, inenarrabilis Sanctiſſimæ ejus Filiæ dignitas & celſitudo ſatis ſupérque declarant,cum enim coronet parentes gloria liberorum, tanti dono partus à Domino dignatam matrem, tanquam honoris, & gratiæ cœleſtis abundantia ſimiliter decoratam, univerſa Eccleſia tam in Occidente, quàm in Oriente, præcipuo cultu, & religione proſecuta eſt: nec ſine magno credentium fructu, & religionis incremento, ut in Domino ſperare debemus, exhibitus, & amplificatus eſt hic honor: creſcente enim in eam fidelium devotione, etiam patrocinium,quod apud Deum per ſeipſam,& per Cæli Reginam ejus filiam gerit, earumdem augeri merito credimus,ſicut in glorioſæ parentis veneratione glorioſiſſimam ejus filiam honorari non dubitamus,tantoque magis ejus tutelam,& interceſſionem apud unigenitum filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nos promereri, quanto majoribus honoribus per noſtram erga ejus parentem reverentiam eam veneramur,& colimus.

*Propter quæ, & præcipuè, quod hoc Pont. erga eam devotionē gerit,*

§.1. Hæc Nos nobiſcum cogitantes,& peculiari etiam in Beatam Annam devotione incitati,Prædeceſſorum noſtrorum quoque in ejus augendo cultu religionem in Domino æmulantes, & gregis Nobis à Domino crediti ſpiritualis utilitatis augmento conſulere noſtri paſtoralis officii debito cupientes, B. Annæ Feſtum in univerſali Eccleſia Dei amplius honorandum cenſuimus.

§.2. Itaque hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione Feſtum S. Annæ ab omnibus Chriſti fidelibus, ſicut alia Feſta de præcepto celebrari,& obſervari,ab omnique illicito opere abſtineri,& ſub præcepto obſervationis feſtorum cōprehendi volumus,præcipimus, & mandamus.

§.3. In contrarium facien.non obſtantibus quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23.Aprilis 1622.Pont.noſtri anno ſecundo.

*Anno à Nativitate D.N. Ieſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò 23. menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D N.D. Gregorii divina providentia Papæ XV. Anno ejus 2. retroſcripta litera Apoſtolica affixa, & publicata fuerunt in acie Campi Floræ, ac aliis locis conſuetis Vrbis, ut moris eſt, per me Auguſtinum Braccherium Apoſt.Curſ.*

*Pro Mag.Curſ.Brandimartes Latinus Curſ.*

---

## XXV. Electio,& deputatio Ioſephi à Matre Dei in Miniſtrum Generalem totius Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, ut unà cum quatuor hic deſcriptis Sociis vocem habeat activam, & paſſivam, totumque corpus Religionis ad novennium repræſentet.

*De iſta Congregatione, & toto ejus ſtatu vide notata ad iſtius Pont.conſt.14. In ſupremo, hic ſup.*

*GREGORIUS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

APoſtolici muneris ſollicitudo,divina diſpenſatione, nullo licet merito noſtro,Nobis impoſita poſtulat, ut circa ſtatum religioſarum perſonarum quarumlibet invigilantes, ad ea,per quæ religioſæ perſonæ hujuſmodi in laudabili earum inſtituto perſeverare valeant, ſedulò intendamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Hinc eſt, quod Nos proſpero & felici dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum de Urbe regimini, quantum cum Domino poſſumus, conſulere,eoſdemque Clericos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes,& eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris,& pœnis à jure,vel ab homine quavis occaſione,vel cauſa latis,ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum,harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, dilectum filium Joſephum à Matre Dei, ejuſdem Congregationis Clericum, in Miniſtrum Generalem ipſius Congregationis ad novennium tantum, qui cum dilectis etiam filiis Petro à Nativitate, Viviano ab Aſſumptione, Franciſco à Purificatione, ac Paulo ſimiliter ab Aſſumptione, dictæ Congregationis pariter Clericis ſociis ſuis, vocem activam, & paſſivam habeat, ac corpus Religionis repræſentet, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus.

§.2. Necnon eidem Joſepho, ut tam ipſe, quàm ſui ſocii prædicta vota ſolemnia in manibus alicujus Prælati Eccleſiaſtici, eorum arbitrio eligendi, emittere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore præ-

dictis

[illegible] Pontem, & ſuccedentem [illegible]

§.3. [illegible] præſentes litteras validas, firmas, & [illegible] exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac [illegible] & aliis prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

§.4. Irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariorum derogatio.*

§.5. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quatenus opus ſit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Mariam majorem, ſub annulo Piſc. die 28. Aprilis 1622. Pont. Noſtri Anno 2.

---

XXVI. Erectio Sacræ Congregationis S.R.E. Cardinalium, necnon Prælatorum, ac Regularium virorum de Fide Catholica propaganda, una cum proventuum aſſignatione, privilegiorumque conceſſione, & præcipue quod Scripturæ gratis dentur.

*Poſtea pro ſubventione d. Congregationis omnes ſcripturas ejus ſtatum, aut res concernentes, gratis ipſius Miniſtris tradi decrevit hic idem Pont. ut ſua Conſt. ſeq. Cum inter.*

*Anno D. 1622.*

*G R E G O R I V S P A P A X V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

INſcrutabili divinæ providentiæ arcano ad Chriſti Eccleſiæ regenda gubernacula, nullis noſtris meritis à Spiritu ſancto vocati, præcipuas noſtri paſtoralis muneris partes eſſe intelligimus ſedulò invigilandi, & quantum Nobis ex alto conceditur, intentis ſtudiis adnitendi, ut oves miſerabiliter errantes ad Chriſti ovile adducantur, ac Dominum gregis agnoſcant, & paſtorem.

§.2. Quo ſcilicet divina adſpirante gratia, deſinant per infelicia paſcua infidelitatis, & hæreſum vagari, & aqua mortifera peſtilentiæ potari, ſed in loco paſcuæ veræ Fidei, ac ſalutaris doctrinæ collocentur, & adducantur ad vitæ fontes aquarum. Et verò quis non intelligit, omnem noſtram ſollicitudinem deſiderare, omnemque conatum à Nobis exigere opus adductionis animarum ad Eccleſiam Chriſti? quippe quod tanti fecerit Deus Mundi ſalutem, ut ipſum Unigenitum ſuum daret, Unigenitum illum, qui cum eſſet ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis ſuæ, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ut ſua nimia charitate ſervos, & malos ſervos Dominus redimeret pretio ſanguinis ſui.

§.3. Inæſtimabilis hujus charitatis imitatores eſſe profectò omnes debent, qui Chriſtiano nomine fideliter gloriantur, & membra Chriſti effecti ſunt, ut ejus verbi [illegible] ſint, non auditores tantùm: nam & per ſanctum A[illegible] ſuum monet: Eſtote imitatores ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.

§.4. Quod ſi hæc ad unumquemque Chriſtianorum ſcripta ſunt, quanto magis ad eos, qui in ſortem, & militiam Chriſti vocati, poſiti ſunt Epiſcopi regere Eccleſiam ſuam? quibus ſæpè per Prophetas ſuos gravibus verbis comminatur, ſi paſcentes ſemetipſos, gregem non paſcunt, & quod craſſum eſt occidentes, infirmum non conſolidant, ægrotum non ſanant, confractum non alligant, abjectum non reducunt, perditum non quærunt.

§.5. Quæ profectò voces ut omnes Eccleſiarum Rectores valdè ſollicitos habere debent, licèt in partem ſolicitudinis ſint vocati, ita multò vehementius Nos urgent, qui in plenitudinem electi, non ſolùm univerſo gregi, ſed etiam paſtoribus præpoſiti ſumus. Quocirca quod Apoſtolis omnibus à Domino mandabatur, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ, principaliter Petro incumbere, quibus prædicta [illegible] Principi [illegible] ſui [illegible] à Domino, ut paſceret oves ſuas.

*Et ipſe, ac [illegible] ejus ſucceſſores de omnibus mundi partibus inſipientes, & errantes convertere ad Deum.*

§.6. Quapropter & uni Petro vas illud quaſi linteum [illegible], quatuor initiis de cœlo ſubmitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli; quodque illa vox ſequuta eſt: Surge Petre, occide, & manduca; ut præfiguraretur Petri, & Succeſſorum ejus munus ex quatuor Mundi partibus homines varia impietate inſipientes congregandi, quod eos quaſi occidendo, hoc eſt, veteri via exuendo, & ex[illegible] manducando, ideſt in ſua membra, qui viſibile erat caput Eccleſiæ, convertendo, etiam membra Chriſti redderet, inviſibilis Eccleſiæ capitis, atque ita adipiſcerentur participationem generationis Chriſti, eamque adepti, quæ Chriſti ſunt, ſaperent, quæ Chriſti ſunt operarentur, ac demùm per gratiam Spiritus ſancti ejus in æterna paſcua transferrentur, potandi torrente inexhauſto voluptatis Dei.

*Et cùm his temporibus magnus ſit diſperſorum ovium numerus.*

§.7. Quantum verò his calamitoſis temporibus excreverit errantium, & diſperſarum ovium numerus, qui Eccleſiam Sanctam ejus Catholicam Chriſti ovile vel nunquam cognoverunt, vel cognitam Sathanæ dolis deſeruerunt, ſine lachrymis commemorari non poteſt. Si enim mentis noſtræ aciem convertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, jam tot ſeculis Agarenorum impuriſſima dementia captam, inſanique erroris, ac mendacii tenebris obcæcatam, miſeratione commoventur viſcera noſtra, cernentes tam multis, ac variis cæleſtibus donis olim celebres nationes, per ignorantiæ, & peſtilentis perſuaſionis ſtuporem humanitatem in beſtiarum naturam ferè mutaſſe, atque ad æterna incendia, Diabolo, & Angelis ejus parata, aliſque propagari. Et licet inter eas aliquæ ſint gentes in juſtitia detentæ, quæ Chriſti nomen invocant, tamen ita antiquarum hæreſum veneno ſunt infectæ, ut ſinceram veritatem pauciſſimæ agnoſcant, ac ferè omnes in multis, nedum in uno peccantes, factæ ſint omnium reæ. Ubi verò peccatis noſtris facientibus, inimicus homo ſuper bonum ſemen in ſeptentrionalibus partibus ſeminavit hæreſum zizania, ita dira contagia graſſata ſunt, ut animas innumerabiles jamdiu perdiderit, ac Provincias, & Regna Chriſto per ſummam injuriam erepta, ſuæ tyrannidi mancipaverit.

*Ideò ut hic Pont. ejuſque ſucceſſores majori curent vigilantia Catholicæ fidei propagationem, erigit Congreg. quorumdam Card. & Prælatorum ſemel in menſe coram eo, ac etiam Religioſorum virorum pro [illegible] dei Catholicæ propagatione cum ampliſſi poteſtate.*

§.8. Quamobrem etſi à fel. record. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris paſtorali vigilantia, ope, ſtudio, & induſtria elaboratum fuerit, ne tam multæ meſſi deeſſent operarii, & negotiatio hæc ſancta non negligeretur: nihilominus Nos, ut majori cum vigilantia, cura, & fervore opus proſequi poſſimus, & in poſterum ſucceſſores noſtri poſſint, nonnullorum Venerab. fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium peculiari ſollicitudini negotium committendum duximus, prout tenore præſentium committimus, & demandamus. Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Romanæ Curiæ Prælatis, & Religioſis viris, ac Secretario, prout Nos hac prima vice eos adhiberi voluimus, & nominavimus, in commune conſulant, tantæque rei nobiſcum invigilent, ac tam Sancto, & Divinæ Majeſtati maximè grato operi, quanto meliùs fieri poterit, incumbant: quod ut commodius præſtari poſſit, ſemel coram Nobis, ac bis ſaltem in domo antiquioris eorum quolibet menſe congregentur, omniaque & ſingula negotia ad Fidem in univerſo Mundo propagandam pertinentia cognoſcant, & tractent, & graviora, quæ in prædicta domo congregati tractaverint, ad Nos referant: alia verò per ſe ipſos decidant, & expediant pro eorum prudentia. Miſſionibus omnibus ad prædicandum, & docendum Evangelium, & Catholicam doctrinam ſuperintendant, miniſtros neceſſarios conſtituant, & mutent: Nos enim eis tam præmiſſa, quàm omnia, & ſingula alia deſuper neceſſaria, & opportuna, etiamſi talia fuerint, quæ ſpecialem, ſpecificam, & expreſſam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi, & exequendi plenam, liberam, & amplam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem, Apoſtolica auctoritate, earundem tenore præſentium concedimus, & impartimur.

*Eiſdem annuos redditus aſſignat, & adminiſtratores Card. [illegible] aſſeverat.*

§.9. Ut verò res tanti momenti, in quam magnos ſumptus fieri neceſſe eſt, per temporalium cum ſpiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento;

[illegible] private ſuppeditari jam mandavimus, & [illegible] liberalitate collata ſunt, & in poſterum non defutura ſubſidia in Domino confidimus, cum noſtrum, & hujus ſanctæ Sedis proprium ſit negocium, certos huic operi redditus ex Camera noſtra Apoſtolica in perpetuum attribuemus, eorumque adminiſtrationem iiſdem Cardinalibus committemus, prout in aliis noſtris expedien. literis plenius continebitur.

*Cardinales, quo ad nunciat.*

§.10. Cardinales autem, quos ſancto huic negotio præfecimus, ſunt qui ſequuntur: Antonius Oſtien. Saulius, Odoardus Sabien. Farneſius, Octavius Præneſtin. Epiſcopi Bandinus, Franciſcus S. Praxedis de Sourdis, Maphæus S. Onuphrii Barberinus, Jo. Garſias SS. Quatuor Coronatorum Millinus, Gaſpar S. Crucis in Hieruſalem Borgia, Robertus S. Alexii Ubaldinus, Scipio S. Suſannæ, Petrus S. Salvatoris in Lauro Valerius, Itelius Fridericus S. Laurentii in pane & perna de Zolleren. Ludovicus S. Mariæ Tranſpontinæ Ludoviſius, & Franciſcus S. Matthæi Titulorum Presbyteri Cardinales, Sacratus nuncupati.

*Prælatoſque & Religioſos viros.*

§.11. Prælati verò, dilecti filii Jo. Baptiſta Vives in utraque Signatura noſtra Referendarius, & Jo. Baptiſta Agucchius Secretarius noſter, ac Sedis Apoſtolicæ Notarius, & Dominicus à Jeſu Maria Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Profeſſor, & Vicarius Generalis.

*Et Secretarium.*

§.12. Secretarius verò à Nobis pariter deputatus dilectus filius Franciſcus Ingolus presbyter Ravennas V. I. D.

*Clauſulas præſervativas hujus erectionis apponit.*

§.13. Decernentes præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia eſſe, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter perpetuò obſervari debere.

*Decretum irritans addit.*

§.14. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contraria quæcumque removet.*

§.15. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & inſtitutis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctionem pœnalem adjungit.*

§.16. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum commiſſionis, demandationis, voluntatum, decretorum, conceſſionis, impartitionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. 2. die 22. Junii.*

Dat. Romæ apud S. Mariam majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1621. decimo Kal. Julii, Pontificatus Noſtri Anno 2.

*Subſequitur conceſſio emolumenti Annulorum Cardinalium pro ſubventione dictæ Congregationis.*

Hoc emolumentum eſt ducatorum quingentorum, ut videre eſt ſup. in princ. conſt. 7. Julii III. tom. 2.

*E[illegible] An. D. 1622.*

GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmanum decet Pontificem ex Paſtoralis officii debito ad ea, per quæ Congregationum quarumlibet, præſertim ad fidei Catholicæ propagationem inſtitutarum neceſſitatibus, & indigentiis occurritur, libenter intendere, ac in his ejuſdem officii ſui partes [illegible] ſalubriter expedire.

*Cam. Apoſt. ſolvi ſolita.*

§.22. Alias ſiquidem Nos certis [illegible] de cauſis emolumenta [illegible] Annulorum Cardinalitiorum, per hæredes S.R.E. Cardinalium vita functorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ſolvi ſolita, Baſilicæ Sancti Joannis Lateranen. de Urbe ad certum tunc expreſſum, & nondum elapſum tempus, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, & elargiti ſumus, prout in literis Apoſtolicis ſub annulo Piſcatoris deſuper confectis plenius continetur.

*[illegible] Annulorum S. Cardinalium defunctorum hic Pont. certum tempus Baſilicæ S. Jo. Lateran. applicavit.*

§.23. Nunc verò attendentes Congregationem Venerabilium fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, per Nos hodie pro fidei Catholicæ propagatione inſtitutam, ſufficientibus redditibus, & proventibus ad opus tam pium neceſſariis, & opportunis minimè ſuffultam reperiri: ac illi, ut onera hujuſmodi faciliùs perferri valeant, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, necnon emolumentorum hujuſmodi quantitates, ac valores etiam annuos, ſcripturarumque ſuper præmiſſis confectarum veriores, ac totos tenores, ac datas præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed de certa ſcientia, & mera liberalitate, ac matura deliberatione noſtris, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas donationes, elargitiones, applicationes, & conceſſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones de dictis emolumentis, ſeu eorum juribus, prædictæ, ſeu quibuſvis aliis baſilicis, vel aliis locis piis quomodolibet qualificatis, & nuncupatis hactenus quomodolibet, & ſub quorumvis verborum expreſſionibus, & formis perpetuò, vel ad tempus per Nos, ſeu quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, etiam Motu ſimili, ac Conſiſtorialiter factas, aliaque jura illis, ſeu etiam aliis Urbis baſilicis, vel locis piis hujuſmodi, ex prædicta donatione, vel alia etiam quantumvis juſta, & rationabili cauſa, vel occaſione competentia, ac quaſcumque literas Apoſtolicas forſan deſuper confectas, & in eis contenta quæcumque, quorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò revocamus, caſſamus, extinguimus, & annullamus, nulliuſque roboris, vel momenti fore & eſſe declaramus, necnon emolumenta Annulorum Cardinalitiorum hujuſmodi, quæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ſive iis, quibus applicata fuerant, ab hæredibus Cardinalium defunctorum debebantur, & ſolvebantur, prædictæ Congregationi, cum omnibus, & ſingulis juribus, & actionibus in perpetuum donamus, concedimus, & applicamus, ita ut liceat S.R.E. Cardinalibus nunc, & pro tempore exiſtentibus Congregationis hujuſmodi, ſeu ab illis Deputatis, vel eorum Miniſtris præfata emolumenta propria auctoritate, etiam per mandata ab antiquiore Congregationis hujuſmodi Cardinali, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, ac manu Regia decernenda, & relaxanda, exigere, levare, ac illa penes Montem Pietatis deponere, ſeu in tot locis Montium non vacabilium, aut aliàs quovis modò, arbitrio dictæ Congregationis, ad effectum illa in pios uſus, & neceſſitates ipſius Congregationis ſimiliter ejus arbitrio, & prout ipſis melius videbitur expendenda, [illegible]ganda inveſtire.

*Illa modò applicat Congregationi, in pios ejus uſus, & neceſſitates convertenda.*

§.24. Inſuper ut Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales, qui nunc vivunt, hoc pium, & laudabile opus adjuvare poſſint, volumus, & ſimiliter Apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus, quod ſi aliqui ex dictis Cardinalibus in eorum vita emolumenta ratione ſui Annuli Cardinalitii prædictæ Congregationi realiter, & cum effectu tradiderint, vel qui de cætero tradent, & aſſignabunt, hæredes Cardinalis ipſius vita functi, ſeu cauſam ab eo habentes, vel habituri, ad eorumdem emolumentorum præſtationem, vel ſolutionem minimè teneantur, nec ad id obligati ſint, minuſque ad id cogi, vel compelli poſſint, quinimò pro majori illorum ſecuritate, dilecti filii S.R.E. Camerarius, Theſaurarius, aut alii Officiales Cameræ Apoſtolicæ pro tempore exiſtentes, ad quos ſpectabit, ſtatim atque ipſis conſtiterit, Cardinales, ſeu hæredes hujuſmodi emolumenta prædicta eidem Congregationi, ut præfertur, ſolviſſe,

*Ob ſolutionem dictorum proventuum à viventibus Cardinalibus factam, eorumdem hæredes nequaquam deſuper moleſtari poſſe decrevit.*

ſolviſſe, eoſdem Cardinales, ſeu hæredes per cedulam publicam, etiam in ampliſſima forma ejuſdem Cameræ, etiam perinde ac ſi emolumenta hujuſmodi ſibi perſoluta fuiſſent, de ſolutis quietare, & in eventum cujuſcumque moleſtationis, eandem Cameram ad pecuniarum eorumdem emolumentorum ratione ſolutarum reſtitutionem obligare debeant. Nos enim eos ab alia emolumentorum hujuſmodi aſſignatione, traditione, & effectuali conſignatione abſolvimus, & quietamus, mandantes, & in virtute *ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo inhibentes* dilectis filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus ejuſdem S.R.E. Camerario, Vicecamerario, Theſaurario, ac Clericis Præſidentibus, necnon Cameræ Apoſtolicæ Commiſſario, & Officialibus, ne ex emolumentis hujuſmodi ullam pecuniarum quantitatem ad certam rationem pro quolibet centenario, & anno per eos forſan percipi ſolita, aut regalia; ut vocant, vel quicquam aliud quovis prætextu, colore, vel ingenio, etiam ratione ſtipendii, ſeu ſalarii prætendere, habere, conſequi, aut éxigere poſſint, ſed ut eaſdem præſentes literas firmiter, & inviolabiliter obſervent, ac ab omnibus inconcuſſe obſervari faciant, & procurent. Imò ſemper, & quandocumque illis conſtiterit prædictos Cardinales, ſeu ipſorum hæredes hujuſmodi emolumenta Annuli prædictæ Congregationi ſolviſſe, ſtatim, ſi petatur, quietantia in ampliſſima forma, tanquam ſi eidem Cam. Apoſt. ſoluta eſſent, expedire debeant & ipſa Camera in caſu moleſtiæ, ut præfertur, ad reſtitutionem ipſis Cardinalibus, ſeu eorum hæredibus faciendam teneatur. Non permittentes ipſam Congregationem, illiuſque perſonas, & Miniſtros ſuper dictorum emolumentorum conſecutione à quoquam publicè vel occultè, directè, vel indirectè quovis quæſito colore, vel ingenio impediri, moleſtari, aut inquietari.

*Clauſula ſervativa.* §.25. At decernentes præſentes literas, etiam ex eo quod Capitulum, & Canonici dictæ baſilicæ Lateranen. vel quicumque alii in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, vel alii ad quos forſan ſpectat & pertinet, ſeu pro tempore ſpectabit, & pertinebit, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, neque præmiſſis conſenſerint, ſeu conſentiant, imò forſan illis contradicturi ſint, ſeu quibuſvis aliis, quantumvis juſtis, juſtiſſimis, & rationabilibus cauſis, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, cogitato, vel incogitato notari, impugnari, retractari, annullari, in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus eas quodcumque juris vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, vel ſub quibuſcumque conſtitutionibus, & literis Apoſtolicis in contrarium, etiam Motu pari, & Conſiſtorialiter emanatis, & emanandis, vel ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimiliũ gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus nullatenus unquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum, ac eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data, per perſonas Congregationis hujuſmodi pro tempore exiſtentes eligenda conceſſas, ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, ſicque, & non aliter per quoſcumque judices ordinarios vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ipſius S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ac etiam Theſaurarium, Clericos Præſidentes, ac Commiſſarios, alioſque Cameræ hujuſmodi Officiales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in qualibet inſtantia judicari, & definiri debere, irritumque & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari; auctoritate Apoſtolica decernimus.

*Executorum deputatio.* §.26. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtien. & Portuen. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ prædictæ generali Auditori per Apoſtolica ſcripta Motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, quando, & quoties pro parte dictæ Congregationis, ſeu pro ea agentium requiſiti fuerint, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, quando & quoties opus fuerit, faciant integraliter obſervari. Non permittentes dictam Congregationem, ſeu pro ea Agentes hujuſmodi deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari, contradictores, & rebelles quoſlibet per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque juris, & facti remedia compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.

§.27. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri, quatenus opus ſit, de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, dummodo aliquis extra ſuam civitatem, & diœceſ. ultra tres dietas ad judicium non trahatur, necnon Simmachi, Pauli II. ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac Pii IV. de gratiis intereſſe Cameræ Apoſtolicæ quomodolibet concernentibus infra certum tunc expreſſum tempus in eadem Camera regiſtrandis, & in illius libris inſinuandis. Ita quod Congregatio hujuſmodi, aut alii ejus Miniſtri ad illas inſinuandum non teneantur, & nihilominus præſentes literæ eandem firmitatem obtineant, ac ſi in dicta Camera infra tempus ad id præfixum inſinuatæ, & regiſtratæ fuiſſent. Necnon noſtra, & Cameræ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædictæ Lateranen. ac quarumvis aliarum Urbis baſilicarum, vel piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, illarumque Capitulis, & Canonicis, ac aliis Superioribus, & perſonis, etiam Conſiſtorialiter, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, confirmatis, ac innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpécifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, latiſſimè hac vice harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.28. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quicumque de cætero perpetuis futuris temporibus in Sacrum Collegium dictæ S.R.E. Cardinalium per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros cooptabuntur, ſi præſentes fuerint, ſtatim; ſi verò à Curia abſentes, poſt ſuſceptionem bireti rubei, jura, quæ ratione annuli Cardinalitii, per eorum obitum Cameræ Apoſtolicæ debebantur, prædictæ Congregationi, ſeu ab ea Deputatis realiter, & cum effectu perſolvere teneantur. *Cardd. creandi, ſi præſentes fuerint, ſtatim; ſi verò abſentes, ſuſcepto bireto rubeo dicta jura ſolvere teneantur.*

§.29. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum revocationis, caſſationis, extinctionis, annullationis, donationis, conceſſionis, aſſignationis, declarationum, abſolutionis, inhibitionis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. *Sanctio pœnalis.*

Dat. Romæ apud S. Mariam majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1622. decimo Kal. Julii, Pontificatus Noſtri Anno 2. *Dat. P. An. 2. die 22. Julii.*

*Die Lunæ 8. Menſis Auguſti 1622.*

*Supradictæ literæ Apoſtolicæ in plenâ Camera Apoſtolica exhibitæ, & præſentatæ fuerunt, & de ipſius Cameræ decreto commiſſæ Perilluſtri, & Reverendiſſimo D. Hieronymo Seralupio, ejuſdem Cameræ Decano, & ſubſequenter die Mercurii 24. ejuſdem menſis Camera ipſa, citato prius admodum Illuſtri, & Reverendiſſimo D. Ioanne Benio, Sanctiſſimi Domini Noſtri & prædictæ Cameræ Generali Commiſſario, referente eodem Reverendiſſimo D. Decano illas admiſit, & in ejuſdem Cameræ libris regiſtrari mandavit, prout regiſtratæ fuerunt lib. 2 ſignat.* *Publicatio.*

*Sanctiſſimi D.N. Gregorii Papæ XV. pontr. me infraſcripto, ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ Notarium.*

*Ioannes Ferrinus.*

*Sequitur indultum pro d. Sacra Congregatione, quod literæ, & ſcripturæ omnes tradantur gratis Miniſtris ejuſdem Congreg.*

*Edita An. D. 1622.*

*G R E G O R I V S   P A P A   X V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Narrat iſte Pont. aliâ inſtituiſſe Congreg. ad propagandam fidem, ac diſſeminandam, & cauſas hujus conſt.*

CUm inter multiplices, & graviſſimas Apoſtolatus noſtri curas, quibus aſſiduè premimur, illa Nos præ cæteris maximè ſollicitos jugiter habeat, ut extirpatis hæreticarum pravitatum erroribus, Catholica fides ubique conſervetur, & propagetur, eaque de cauſa negotium propagandæ in univerſo Mundo ejuſdem fidei, nonnullorum Venerab. Fratrum noſtrorũ S.R.E. Card. qui in unum congregati tantæ rei Nobiſcum invigilent, peculiari ſollicitudini, juxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, nuper commiſerimus, & demandaverimus, dignum, quin potius debitum reputamus, ea Congregationi hujuſmodi concedere, per quæ faciliori onerum illi incumbentium ſupportationi opportunè conſulatur.

*Literas, inſtrumenta, chirographa, ac quaſcũque ſcripturas d. Congregationem, vel ejus intereſſe tangentes, gratis, & abſque ulla mercede expediri indulget.*

§. 2. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod de cætero perpetuis futuris tẽporibus quæcumque patentes, ſeu alio quovis nomine nuncupentur literæ, chirographa, inſtrumenta, teſtamenta, & aliæ quæcumque ſcripturæ, quocumque nomine cenſeantur, necnon quæcumque literæ Apoſtolicæ, tam ſub plumbo, quàm in ſimili forma Brevis, earumdemque literarum Apoſtolicarum ſupplicationes ſuper quibuſcumque negotiis, rebuſque, & bonis, tam mobilibus, quàm immobilibus ad ipſam Congregationem quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac demùm quocumque intereſſe eandem Congregationem quovis modo, & ex quavis cauſa concernente, pro tempore conficiendæ, & regiſtrandæ, necnon ſimiliter quæcumque literæ, quæ ex omnibus Mundi partibus eidem Congregationi ſcribentur, ac illæ, quæ ejuſdem Congregationis nomine extra Almã Urbẽ noſtram mittentur, gratis omninò, & abſque ulla mercede, aut alicujus rei, etiam quantumvis minimæ, ſolutione expediri, confici, regiſtrari, relaxari, tradi, & mitti debeant, tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

*Contrafacientibus pœnas injungit.*

§. 3. Ac in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub indignationis noſtræ, & aliis arbitrii noſtri pœnis præcipimus, & mandamus dilectis filiis Reſcribendario, ac Computatori literarum Apoſtolicarum, necnon Secretariis Apoſtolicis, & Brevium Apoſtolicorum Magiſtro, ac Scriptoribus, & Regenti Montium, Notariis, Tabellionibus, Poſtarum Magiſtris, aliiſque Officialibus, & Miniſtris quocumque nomine nuncupatis, etiamſi officia titulo, & cauſa merè oneroſis obtineant, ut literas prædictas, ac chirographa, inſtrumenta, & alias ſcripturas hujuſmodi ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, tam conjunctim, quàm diviſim, gratis de mandato noſtro ubique in omnibus, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, plumbique, & regiſtri, ac aliis quibuſvis officiis abſque aliqua pecuniarum exactione, etiam quantumvis minima, etiam per viam compoſitionis faciendæ, omni contradictione, & dilatione ceſſantibus, ſignent, expediant, regiſtrent, mittantque, & relaxent, ac ſignari, expediri, regiſtrari, mittique, & relaxari curent, & faciant realiter, & cum effectu.

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§. 4. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore, etiam ex eo quod prædicti & quicumque alii in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, ſeu alio quocumque prætextu, cauſa, & occaſione de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, ad jus, vel controverſiam revocari, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus ullatenus comprehendi poſſe, ſed ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

*Aliter judicandi facultatem tollit.*

§. 5. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contraria removet.*

§. 6. Non obſtant. fel. record. Pii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri de gratiis qualecumque intereſſe Cam. Apoſtolicæ quomodolibet concernentibus, in eadem Camera infrà certum tunc expreſſum tempus præſentandis, & regiſtrãdis, necnon quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac regula noſtra de jure quæſito non tollendo, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis fidem dari decernit.*

§. 7. Volumus autẽ, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Secretarii dictæ Congregationis, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, vel extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 14. Decemb.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcat. die 14. Decembr. 1622. Pont. noſtri Anno 2.

---

## Revocatio quarumcumque conceſſionum vivæ vocis oraculo factarum, exceptis oraculis factis S.R.E. Cardinalibus, & eorum manu firmatis. XXVII.

*G R E G O R I V S   P A P A   X V.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

ROmanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſiæ divina providentia conſtitutus, gratias, & indulta à ſe, & prædeceſſoribus ſuis conceſſa, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, juxta creditum ſibi Paſtoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Revocatio ... qua in rubr. ...*

§. 1. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectan. ac tam ad ſupplicationem partium, quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, à Sede Apoſtolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quantacumque, & qualitercumque, ex quavis, etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis Jeſu, ac Congregationibus quibuſlibet, ſive eorum, & earum reſpectivè Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus Generalibus, vel Provincialibus quocumque nomine nuncupatis, Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubjectis, cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſis, in iis videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua perpetuò fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus.

*Exceptio, ... qua in rubrica ... ter dicitur.*

§. 2. Firmis tamen, & in ſuo robore permanen. omnibus, indultis, & aliis conceſſionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum

quorumcumque

quorumcumque favorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Card. teſtimonium in ſcriptis præbuerunt.

§.3. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, ad jus vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

§.4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicãdi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquã quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter cõtigerit attentari.

§.5. Non obſtan. præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, ſub quibuſcumque ten. & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarũ derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritan. & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorũ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficiẽter expreſſis, & ad verbum inſertis haben. illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§.6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§.7. Quodque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Jo. Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Datum Romæ apud S. Mariam majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 2. Julii 1622. Pontificatus Noſtri Anno 2.

*Anno à Nativitate D.N. Ieſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò 1. menſis Septembr. Pontificatus Sanct ſs. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia Papa XV. anno ejus 2. retroſcripta Conſt. affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum S. Io. Lateran. Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Apoſt. Curſ.*

*Octavius Spada Mag. Curſor.*

---

## XXVIII. Contra hæreticos in locis Italiæ, & Inſularum adjacentium quovis prætextu commorantes, eorumque fautores.

*GREGORIVS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Edita An. D. 1622.*

ROmani Pontificis B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſoris munus exigit, ut pro incumbente Dominici gregis cura, & ſollicitudine Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones, eas præſertim quæ ad Sacroſãctæ Fidei Catholicæ conſervationem pertinent, quo ſuum perpetuum ſortiantur effectum, & inviolabiliter obſerventur, innovet & extendat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Clem. VIII.* §.1. Aliàs ſiquidem à fel. record. Clemente Papa VIII.



prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet: Cùm ſicut non ſine, &c.

*edidit conſtit. quæ eſt ſup. tom. 3.*

Omittitur reſiduum, quia habes ſup. tom. 3.

§.2. Nos inviolabili dictarum Clementis literarum, & in eis contentorum quorumcumque obſervationi, quantum Nobis ex Alto conceditur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Clementis prædeceſſoris literas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illaſque innovamus, ac inviolabiliter obſervari mandamus.

*Hic Pont. illã omninò præcipit obſervari.*

§.3. Inſuper ne ullus hæreticus in locis Italiæ, & inſularum adjacentium, neque etiam ſub commercii, mercimonii, aut alio quovis prætextu domicilium contrahere, ſeu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis conceſſam, ſeu habitare, aut morari poſſit, earumdem tenore præſentium prohibemus, ac reſpectivè ſtatuimus, & ordinamus.

*Et plenius modò diſponit contra hæreticos.*

§.4. Contra prohibitioni autem, ac ſtatuto, & ordinationi noſtris hujuſmodi non parentes, ſeu contravenientes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis exiſtentes, juxta formam juris procedatur, & puniantur.

*Contravenientibus pœnas infligit.*

§.5. Et ſimili modo eos, qui hæreticos prædictos receptaverint, eiſque quoquo modo contra præſentium literarum tenorem favorem, opem, ſeu auxilium præbuerint, uti fautores, & receptatores hæreticorum puniri.

*Illorum fautores uti hæreticos puniri jubet.*

§.6. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, delegatos, etiam S.R.E. Cardinales, & de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus.

*Et ita, & non aliter judicari mandat.*

§.7. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Quibuſcumque non obſtantibus.*

§.8. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes poſt duos menſes à die illarum publicationis computandos, omnes, & ſingulos ad quos ſpectat, arctent, & afficiant perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Publicationẽ in Vrbe omnes ligare decernit.*

Dat. Romæ apud S.M. Majorem, ſub annulo Piſc. die 2. Julii M.DC.XXII. Pont. Noſtri Anno 2.

*Dat. P. A. 2. die 2. Iulii.*

*Anno à Nativitate D.N. Ieſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò 1. menſis Sept. Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia Papa XV. anno ejus 2. retroſcripta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum S. Io. Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum S.D.N. Papæ Curſ.*

*Publicatio.*

---

## XXIX. Ampliatio, & declaratio prohibitionis aſſerendi B. Mariam Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali.

*Ad hæc vide quæ ſuperius notavi in conſt. 97. Pauli V. tom. 3.*

*In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali coram S.D.N. Gregorio divina providentia Papa XV. ac Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis DD. S.R.E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, feria 3. die 24. Maii, Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1622.*

*Edita A. D. 1622.*

SAnctiſſimus D. N. auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium contra hæreticam privitatem Generalium Inquiſitorum, decretum aliàs editum à fel. rec. Paulo V. ejus prædeceſſore tenoris ſequentis, videlicet.

*Paulus V. in decreto*

Sanctiſſimus Dominus Noſter poſt longam, & maturam diſcuſſionem, auditis votis Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, re accuratè, ac diligenter perpenſa, providè conſiderans, quod quamvis in Conſtitutione fel. rec. Sixti IV. ſuper conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ pro ſubmovendis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, à S. Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia conſtitutione Sanctæ memoriæ Pii V. ſuper eadem re, quas ſimiliter Sanctitas ſua innovavit cum quibuſdam proviſionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum obſervatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi utramque partem, quod ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia, & diſſenſiones. Propterea volens hujuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præſentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, & Inſtituti regularibus, & aliis quibuſcum, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis, cujuſvis conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſariò mentio facienda, ut in poſterum, donec articulus hujuſmodi à Sancta Sede Apoſtolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcumque actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; contrafacientes autem eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum, & ſua ipſo facto incurrendis. Per hujuſmodi tamen proviſionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupra diſpoſita. Ulterius ſub eiſdem cenſuris, & pœnis mandans, quod negantium opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Inſuper voluit, & expreſsè mandavit, ut extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & exactè obſerventur perinde, ac ſi præſens decretum non emanaſſet. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari, non obſtantibus in hac parte ſupradictis conſtitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c.

*Prohibuit in actibus publicis aſſerere B. Virg. conceptam fuiſſe in peccato originali, ut in conſt. indic. in rubr.*

*Quod hic Pont. extendit etiã ad actus privatos.*

§. 2. Hoc ſuo præſenti decreto ex eiſdem cauſis ad evitanda ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in Populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, & ut accepit, in aliquibus Religionibus jam ortæ ſunt ex ſermonibus privatis occaſione aſſertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, & ſcripta, mandans, & præcipiens omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne de cætero, donec articulus hujuſmodi à Sede Apoſtolica definitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen quibus à Sancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in ſupradicto fel. record. Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita.

*Et in reliquis ſervãdas eſſe aliorum Pont. conſtit.*

§. 3. Eademque Sanctitas Sua voluit, & expreſsè mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujuſmodi decretis non adverſantur, conſtitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pii V. ac Pauli V. ejus prædeceſſorum ſuper Conceptione Beatiſſimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, & exactè obſerventur perinde, ac ſi hujuſmodi decretum non emanaſſet.

*Et in divinis officiis celebrandis aliquem conceptionis nomine uti debere.*

§. 4. Et inſuper eadem Sanctitas Sua, cùm S. R. E. de Beatiſſ. Virginis Conceptione Feſtum ſolemniter, & Officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti regularibus mandat, ac præcipit, ut in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas Sua voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis conſtitutionibus, ac præfato decreto ſuorum prædeceſſorum ipſo facto incurren. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter obſervari.

*Contrariis deroga.*

§. 5. Non obſtan. in hac parte conſtitutionibus ſupraſcriptis, decreto præfato Pauli V. conſuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & ſingulis, quæ Prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare, ac aliis quibuſcumque in contrarium facientibus.

*Executores deputat contra omnes.*

§. 6. Volens, & decernens pro obſervatione, & executione præſentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujuſmodi tranſgreſſores etiam regulares, cujuſvis Ordinis, & inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſæculares perſonas, cujuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſeverè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi.

*Publicatio in Urbe omnes arctare debet.*

§. 7. Voluit demùm, ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, quod præſens decretum, ſeu illius exempla ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant perinde, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent, quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi fuerint exhibitæ vel oſtenſæ.

*Andreas de Pettinis S.R.E. & univerſ. Inquiſ. Not.*

*Publicatio in Urbe P. An. die 2. Iunii 1622.*

*Anno à Nativitate D.N. Ieſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò 2. menſis Iunii, Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D.N.D. Gregorii divina providentia Papæ XV. anno ejus 2. ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum S.D.N. Papæ Curſ.*

*Sequitur declaratio ſupradicti decreti.*

*GREGORIUS PAPA XV.* — *Edita An. D. 1622.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium*

EXimii, atque ſingulares fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Prædicatorum in militanti Eccleſia, cujus regimini, divina diſponente clementia, præſidemus, attulerunt, & in dies afferunt, promerentur, ut eoſdem Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis, quantum cum Domino poſſumus, libenter proſequamur.

*Paul. V. edidit decretũ quod eſt hic ſup. Hic Pont. illud ampliat, ut in §§. præcedentibus.*

§. 8. Aliàs ſiquidem fel. rec. Paulus Papa V. prædeceſſor noſter.

Omittitur reſiduum decreti hujus, quia eſt hic ſupra.

§ 9. Nuper verò Nos, ſub die videlicet 24. Maii 1622. in Generali Congregatione.

*Hoc decretum eſt quod præcedit.*

*Et modo illud declarat.*

§. 10. Nunc autem Nos eoſdem Fratres Ordinis Prædicatorũ, quos in viſceribus gerimus charitatis, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis,

à

à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, ut de cetero in quibuſcumque privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis, inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejuſdem Conceptionis B. Mariæ Virginis diſſerere, & tractare, abſque ullo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur.

*...non judicari ...decrevit.* §. 11. *Decernentes*, Fratres præfatos à quoquam quavis auctoritate deſuper moleſtari, perturbari, vel inquietari nullatenus poſſe, aut debere, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*...quibuſcumque non obſtantibus.* §. 12. Non obſtantibus ſingulis præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 2. ...18. Julii.* Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 28. Julii 1622. Pontificatus noſtri anno 2.

---

## XXX. Quod in excommunicationem, & cenſuras Eccleſiaſticas non incurrant, qui frumenta, & alias hujuſmodi Annonæ ſpecies, extra Statum Eccleſiaſticum certis caſibus extrahunt

*Contra hujuſmodi frumenta extrahentes extant nonnulla prædeceſſ. Pont. leges, quas tibi indicavi ſup. in conſtitut. 12. Pauli V. tom. 5.*

*...ita An. D. 1622.* G R E G O R I U S P A P A X V.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...ordinum.* ROmani Pontificis providentia circumſpecta, ea quæ juſtas ob cauſas interdum ſtatuta ſunt, cùm temporum ratio, & ipſa rerum experientia ſuadet, moderatur, & immutat, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

*Paul. V. & ...prædeceſſ. ...ra hos extrahentes frumenta plures ...ediderũ, ...videre eſt ...in d. ...l. cõſt. 12. ...3. cujus ...tenor hic ...titur.* §. 1. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Paulo Papa Quinto prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet.

Inter graviſſimas curas, quas pro noſtro munere aſſiduè ſuſtinemus, illa poſtrema non eſt, in quam Nobis totis viribus incumbendum eſſe ducimus, ut nimirum Almam Urbem noſtram, & univerſam Eccleſiaſticam ditionem Annonæ caritate jam diu, graviterque laborantem, quantum cum Domino poterimus, liberemus, &c.

*...tem Paul. ...am addi... ...conſt. ut ...d. Cujus ...nerea te... ...Prater... ...titur.* §. 2. Subinde verò per eundem Paulum prædeceſſorem accepto, à nonnullis dubitari, an per præinſertas ſuas, aliaſque literas, & proviſiones ſupradictas etiam prohiberetur, ne frumenta, blada, legumina, & id Annonæ genus, etiamſi in propriis bonis in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentibus eſſent recollecta, à locis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis, ad loca eidem Sedi mediatè ſubjecta, & à dictis locis ſic mediatè ſubjectis ad alia loca extra dictum Statum aſportarentur, & conducerentur, & idem Paulus Prædeceſſor Motu proprio, &c.

*...Hic modò ...gr. juſtis ...cauſis ex... ...munic. & ...nivas contra ...illos impo... ...tas in caſi... ...hic ex... ...ſſis non in... ...rere decer... ...* §. 3. Cum autem, ſicut accepimus, nonnullorum locorum Status noſtri Eccleſiaſtici Nobis immediatè ſubjecti perſonæ frequens admodum commercium cum perſonis ejuſdem Status Nobis mediatè ſubjecti, & è contra propter locorum vicinitatem, ſeu aliàs habeant, propterea eaſdem perſonas ſæpè cenſuris, & pœnis hujuſmodi in eorum perniciem animarum variis modis illaqueari contingat. Nos earundem perſonarum conſcientiarum ſecuritati, & animarum ſaluti, commodiſque paterna charitate, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.

*...mus caſus.* Quod de cetero omnes, & quæcumque perſonæ, quæ Annonæ in conſtitutionibus prædictis extrahi prohibitæ, etiam ſolummodo quantitatem, quæ ad neceſſariam ſuſtentationem ſuam & familiarum ſuarum, unius anni, ſive uſque ad novam meſſem ſufficiat, extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum hujuſmodi Nobis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectum ad Statum mediatè ſubjectum.

Necnon quod pauperes, qui faſciſculos ſpicarum in agris relictarum, unius diei labore collectos, pro victu, & neceſſitate tantùm ſua diurna. *Secundus caſus.*

Ac ſimiliter quod religioſi mendicantes, qui granum, & alia ſimilia pro eleemoſyna data pro victu Conventuum ſuorum communi. *Tertius caſus.*

Ac præterea quod ruſtici, & pauperes operarii, qui mercedem diurnam non niſi in grano, aut aliis Annonæ generibus hujuſmodi conſequi poſſunt. *Quartus caſus.*

Quique ad mercatus pullos, ova, fructus, vel alia ſimilia in parva quantitate ferunt, & ex pretio rerum prædictarum panem, farinam, & ſimilia pro ſuo, & familiarum ſuarum uſu, & neceſſitate dumtaxat ex locis Status prædicti, immediatè ſubjecti ad loca Status Nobis mediatè ſubjecti, aut etiam extra Statum noſtrum Eccleſiaſticum extraxerint, & aſportaverint, dummodo omnis dolus & fraus abſit à mercatura, excommunicationis pœnam, ac cenſuras Eccleſiaſticas non incurrant, decernimus, ſtatuimus, & ordinamus. *Quintus caſus.*

§. 4. Non obſtantibus prædictis Pauli Prædeceſſoris, & aliorum Rom. Pont. ejuſdem Pauli prædec. expreſſis literis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Admonemus autem, & in Domino hortamur omnes Chriſti fideles, ad quos ſpectat, ut noſtro hujuſmodi Paſtoralis indulgentiæ beneficio minimè abutantur, & agi meminerint de diſpendio ſalutis æternæ. *Contrariiſque derogat.*

§. 5. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur. *Tranſ. quoque credi mandat.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 30. Julii M.DC.XXII. Pont. noſtri anno 2. *Dat. P. An. 2. die 30. Julii.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XV. ejus anno 2. die verò tertia menſis Auguſti, retroſcripta litera Apoſt. affixa, & publicata fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Julium Martizelium & Brandimartem Latinum S. D. N. Papæ Curſores.* *Publicatio.*

*Octavius Spada Mag. Curſ.*

---

## XXXI. Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis Clem. VIII. circa novorum Conventuum Regularium erectiones editæ.

*Pleniorem diſpoſitionem in hoc decrevit Urb. VIII. ut infrà in ejus conſt. 25. Romanus. Quæ propterea omninò ſervari debet.*

G R E G O R I U S P A P A X V. *Edita An. D. 1622.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

§. 1. CUm aliàs fel. rec. Clemens Papa Octavus decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus cujuſcumque, præſertim Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ juriſdictioni ſubjectis erigendos impartiri non poſſe, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa ſervatis ſervandis cognita, in eiſdem Civitatibus, & locis novos hujuſmodi erigendos Conventus, ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe conſtiterit. Si verò ab eorum ſententiis ad Sedem Apoſtolicam provocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit, aut aliàs prout in decreto hujuſmodi pleniùs continetur. *Enunciatur tenor cõſt. 96. Clem. VIII. quæ eſt ſup. in 3. tom.*

Nn 4 §. 2. Verùm

*Quum Congr. Cardinalium Præpoſit. negotiis Regul. juſſu hujus Greg. innovavit.*

§.2. Verùm per piæ mem. Paulum Papam Quintum accepto, pleroſque ex Ordinariis prædictis, favore, vel nimia expoſcentium importunitate ad novos Conventus, ſeu Domus, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemoſynarum, ſeu reddituum cujuſcumque Monaſterii, Conventus, ſeu Domus ratione, Monachi, ſeu Fratres, aut Religioſi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Eccleſiis deſtituatur, ibique regularis diſciplina, ut convenit, conſervari non valeat. Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum DD. Card. negotiis Regularium Præpoſitorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujuſmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens decreti hujuſmodi veriores, ac totos tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habens, vivæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa X V. habito, decretum prædictum, quatenus opus ſit, innovat, & in uſum reducit.

*Ampliavitque & extendit. Hæc idem fecit poſtea S. D. N. Vrban. VIII. infrà in conſt. 41. cum ſæpè, in §. 14.*

§.3. Volens quod de cetero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium cujuſcumque, etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & inſtituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamſi de illis particularis, expreſſa, & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacumque Civitate, vel Oppido, ſeu quocumque alio loco non erigantur, niſi in eo ſaltem duodecim Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conventuum, ſeu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, ſeu Inſtitutorum hujuſmodi, non ſolùm in prædictis, ſed etiam in illis per quatuor millia paſſuum circumvicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliàs Ordinariis locorum conſtiterit, Religioſos Monaſterii, Conventus, ſeu Domus regularis ſic erigendi, ſeu erigendæ, abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu Domibus antea in Civitatibus, ſeu locis hujuſmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali poſſe. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujuſmodi inſtituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant, hujuſmodi duodecim Religioſos in Conventibus, ut præmittitur, inſtituendis commodè alere & manutenere valeant.

*Appellationē à decretis deſuper ſen. per locorum Ordinarios ad d. Congreg. ſpectare, eaque pēdente nihil innovare decrevit.*

§. 4. Si verò à decreto, ſeu decretis per Ordinarios prædictos in cauſis hujuſmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacram Congregationem unà cum toto negotio principali devoluta cenſeatur, appellationeque hujuſmodi pendente, nihil innovandum eſſe, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuſcumque in contrarium facien. non obſtantibus.

Romæ 17. Auguſti 1622.

Ant. Card. Saulius.

---

## XXXII. Privilegia, & indulta Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Capella Sanctitatis ſuæ Aſſiſtentium.

*Non diſſimilia privilegia conceſſit hujuſmodi Aſſiſtentibus Iulius III. ut Conſtit. 12. Romanus, ſup. tom. 1.*

*Edita An. D. 1622.*

*GREGORIVS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

Circumſpecta Romani Pontificis, gratiarum diſpenſatoris providentia eas conſuevit perſonas condignis præcipuè favoribus, & gratiis proſequi, quas ſibi, & Apoſtolicæ Sedi devotas, & obſequioſas, ac plurimis cognoſcit meritis adjuvari.

*Prælatos Capella Papæ aſſiſten. Nobiles, etiam de Nobili ... creat, ... Indultis, privilegiis ... donat.*

§.1. Hinc eſt, quod Nos Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Prælatos domeſticos noſtros, & in Capella noſtra Aſſiſtentes, eorum meritis, & obſequiis exigentibus, condignis favoribus, & gratiis proſequi, tituliſque & honoribus decorare volentes: Motu proprio, non ad ipſorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcorum, vel aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera noſtra liberalitate, & certa ſcientia eoſdem Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac eorum ſingulos reſpectivè Nobiles Apoſtolica auctoritate tenore præſentium creamus, & facimus, ac nobilitamus, Nobilitatiſque titulis & inſignibus decoramus, necnon aliorum nobiſcum numero, & conſortio favorabiliter aggregamus, ac pro nobilibus haberi, & nominari, ac reputari volumus, & mandamus, eiſque ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, derogationibus, mandatis, diſpenſationibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus alii nobiles, etiam de nobili Comitum genere, etiam qui Illuſtres reputantur, etiam ex utroque parente procreati, de jure vel conſuetudine, ac aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, etiam uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant verè, & non fictè in omnibus, & per omnia, ac ſi de illuſtri genere ex utroque parente procreati forent, ita quod inter eos & ipſos illuſtres, quoad nobilitatem, & alia ad illam neceſſaria, nulla penitus ſit differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

*Exemptio à ſolutione vectigalis vini pro ſex vegetibus.*

§.2. Necnon eos, & eorum ſingulos, dum in Curia præſentes erunt, à ſolutione vectigalis vini pro ſex vegetibus pro quolibet dumtaxat, de quibus eorum, & cujuſlibet ipſorum arbitrio diſponere valeant ad inſtar Cameralium, eiſdem auctoritate, & tenore eximimus, & liberamus, ac liberos, & exemptos eſſe volumus.

*Paniſque portionē dietim à Palatio Apoſtolico habendam aſſignat.*

§. 3. Inſuper eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & eorum ſingulis unam portionem panis, honoris nuncupati, ex Palatio Apoſt. dietim habendam, percipiendam, & conſequendam, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & aſſignamus.

*Notarios creandi facultatem tribuit.*

§.4. Ac illis & eorum ſingulis, ut tres viros, vitæ, ac morum probitate, aliiſque virtutum donis commendatos, qui noſtris, & Sedis Apoſtolicæ obſequiis inſiſtere proponant, in noſtros, & ejuſdem Sedis Notarios auctoritate noſtra Apoſtolica recipiendi, & admittendi, ac aliorum noſtrorum, & Sedis prædictæ Notariorum numero, & conſortio favorabiliter aggregandi.

*Eorumque privilegiis (exceptis ... adſcriptis) gaudere, ... abſque ... tione habitus indulget.*

§. 5. Illiſque, ut etiamſi habitum, & rochettum non deferant, nihilominus omnibus, & ſingulis favoribus, honoribus, privilegiis, gratiis, indultis, præ minentiis, exemptionibus, & prærogativis, quibus alii noſtri, & dictæ Sedis Notarii, tam de jure, quàm de conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ſimiliter uti, frui, & gaudere poſſint, & valeant. Sine tamen aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum de numero participantium præjudicio, & citra exemptiones à Sacro Concilio Tridentino ſublatas, & facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque ſimilia privilegia eiſdem Notariis de numero participantium conceſſa, ſeu ab eis prætenſa, quibus Notarii ab illis vigore præſentium creandi nullibi uti valeant, & ſi ſecus ab eis fieri contigerit, irritum, & inane exiſtat, indulgendi.

*Necnon Milites Auratæ militiæ cum ſuis privilegiis.*

§. 6. Necnon etiam alios octo viros habiles, & idoneos, ac qualitatibus ad hoc requiſitis præditos, Auratæ militiæ Equites eadem auctoritate creandi, & deputandi, illoſque aliorum militiæ hujuſmodi Equitum numero, & conſortio favorabiliter aggregandi, ac eiſdem ut torquem aureum, ac enſem, & aurata calcaria geſtare, omnibuſque, & ſingulis privilegiis, gratiis, indultis, & prærogativis, quibus alii Equites hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ſimiliter uti, potiri, & gaudere valeant, citra tamen exemptiones à dicto Concilio ſublatas concedendi facultatem auctoritate, & tenore præmiſſis impartimur.

*Collegari ... cultas ... di, & im... tandi ſta... ipſius Col... gii.*

§.7. Ac ulterius eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum ſingulis, ut in his, quæ ad eorum

Collegium

Collegium pertinere judicabunt, quæcumque Statuta, Capitula, & Ordinationes, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria facere, & edere, illaque pro tempore prout expedire cognoverint, mutare, corrigere, & in melius reformare.

*...dum ce- ...di, & ...l. Miſſam Oratorii hoc deſti- ...ii, vel de- ...ndis, cum ...latione ...faciendi ...pto au- ...di Miſsæ Eccleſiis.*

§. 8. Necnon pro ſpirituali eorum conſolatione, in privato domus cujuſlibet illorum, etiam in Alma Urbe noſtra exiſtentis, Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per dilectum filium noſtrum in eadem Urbe Vicarium in ſpiritualibus generalem prius viſitando, & approbando, unam Miſſam pro unoquoque die, & dummodo in domo hujuſmodi celebrandi licentia alteri conceſſa non fuerit, per ſe ipſos celebrare, ſeu per quemcumque ſacerdotem approbatum ſecularem, vel de Superiorum ſuorum licentia regularem, ſine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio, quoad eos qui extra Urbem fuerint, Paſchatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in ſua, ac cujuſlibet eorum familiæ præſentia celebrari facere, ita tamen ut familiares eorum ſervitiis non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus de præcepto minimè liberi cenſeantur.

*...ad in ſuſ- ...circa re- ...ationes, ...permuta- ...s benefi- ...um ſum- ...m quin- ...or. duca- ...m auri de ...n non ex- ...ntum.*

§. 9. Præterea eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & eorum ſingulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, ſeu aliarum Cathedralium Eccleſiarum, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in Romana Curia, quàm extra eam ad id per eos reſpectivè coram Notario, & Teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas illis, & eorum ſingulis ſuper menſarum Abbatialium, ſeu Capitularium, ac Epiſcopalium, & Archiepiſcopalium, ac quorumcumque aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſecularium, ac quorumvis ordinum, & militiarum regularium, etiam Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, ac diſtributionibus, etiam quotidianis, ipſis nunc, & pro tempore reſervatas, aſſignatas, ac reſervandas, & aſſignandas, pro ſumma videlicet quingentorum ducatorum auri de Camera quoad ſingulos eorum, quandocumque alicui eorum reſpectivè placuerit, ſimul, vel ſucceſſivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuſlibet eorum mortis articulo caſſare, & extinguere, ac poſtquam caſſatæ, & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper eiſdem fructibus, & redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, uni, vel pluribus aliis perſonis, etiam per eos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, & expectantibus, ſeu clericali ſaltem charactere inſignitis, & aliàs penſionum hujuſmodi capacibus, etiam eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus ad id ab eis ſpeciale mandatum habentibus, iiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac eorum ſingulis reſervatæ, & aſſignatæ fuerint, etiam abſque conſenſu eaſdem penſiones ſolvere debentium deſuper præſtando, uſque ad ſummam, & quantitatem prædictam, etiam literis Apoſtolicis ſuper reſervationibus, & aſſignationibus hujuſmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & pœnis in prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & contentis integrè perſolvendas reſervare, conſtituere, & aſſignare valeant, eiſdem auctoritate, & tenore de ſpeciali gratia indulgemus.

*...forma re- ...andi Be- ...a, reſig- ...ionſque ...ucidis ha- ...ſup. conſt. Gregor. I. Huma- ...um. 2.*

*...ultas diſ- ...endi de ...ibuſcũque ...nis uſque ...d ſummam ...lle ducato- ...m auri de Camera ad ...orem hic ...ſcriptorum.*

§. 10. Necnon eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac eorum ſingulis, ut de omnibus, & ſingulis domibus, prædiis, poſſeſſionibus, terris, & locis, ac juriſdictionibus, ceteriſque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non ſint altaris, vel altarium Eccleſiarum illis, & eorum cuilibet pro tempore commiſſarum, ſeu alicui ſpeciali earum ſervitio, vel miniſterio, aut aliàs divino cultui, vel uſui dedicata, ſeu ad ejus uſum confecta, ſeque moventibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſtentibus, ac juribus, & actionibus ad eos ratione quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Patriarchalium Eccleſiarum, quibus hactenus præfuerunt, & ad præſens præſunt, necnon ad quas eos forſan deinceps transferri, & quibus eos præfici, & præeſſe contigerit, necnon Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, dignitatum, ac aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſecularium, & quorumvis ordinum regularium, quæ etiam ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum, commendam, adminiſtrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerunt, obtinent, & obtinebunt, ac fructuum, reddituum, & proventuum Eccleſiaſticorum, necnon penſionum annuarum ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac eorum ſingulis reſervatorum, & aſſignatorum, ac reſervatarum, & aſſignatarum, reſervandorum, & aſſignandorum, reſervandarumque, & aſſignandarum, quos & quas perceperint, percipiunt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, ac aliàs quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, necnon eorum, & cujuſlibet eorum induſtria, labore, quomodolibet, & undecumque, licite tamen acquiſitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis, quæ exercuerunt, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occaſione, vel cauſa, ſeu contemplatione ad eos perventis, & perventuris, etiamſi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant, tam in dicta Curia, quàm extra eam ubique locorum, & penes beneficia ipſa exiſtentibus, quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamſi talia forent, quæ in generali appellatione bonorum, & ſupellectilium non venirent, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, præſentibus, ac ſi ſpecificè, & ſigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro ſufficienter expreſſis, & declaratis haberi volumus, uſque ad ſummam mille ducatorum auri de Camera, tam pro decentibus, & honeſtis impenſis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui illis viventibus inſervierint, etiam ultra ſervitii meritum, ac in eorundem Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & eorum ſingulorum conſanguineorum, & affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem, & uſum, & aliàs pro arbitrio, & voluntate eorum, & cujuſlibet eorum abſolutis, priùs tamen de omnibus bonis prædictis, ære alieno, & iis, quæ pro reſtaurandis domibus ſeu ædificiis conſiſtentibus in locis Eccleſiarum, vel beneficiorum per eoſdem Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac eorum ſingulos obtentorum culpa, aut negligentia eorundem Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ac eorum ſingulorum, aut illorum procuratorum deſtructis, vel deterioratis, necnon recuperandis aliis juribus earumdem Eccleſiarum, vel beneficiorum deperditis ex culpa, vel negligentia ſupradictis, fuerint opportuna, deductis, & ſine præjudicio literarum, ſeu conſtitutionum Apoſtolicarum ſuper reſidentia editarum, & jurium Cameræ Apoſtolicæ, quoad bona juriſdictionalia, teſtari, ac teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quàm cauſa mortis, ac aliis quibuſcumque modis, & titulis, ſcriptura, etiam minus ſolemni, coram duobus, vel tribus teſtibus, aut etiam cedula ſola manu illorum ſcripta, vel ſubſcripta, ac aliàs in omnibus, & per omnia, prout, & quemadmodum eis videbitur, etiam in ipſa Curia, & in mortis articulo, & nulla facta mentione præſentis, vel aliarum illis pro tempore conceſſarum ſimilium facultatum, aut quod in vim illarum teſtari, ſeu diſponere velint, & intendant, ſemel, atque iterum, aut pluries ſtatuere, diſponere, ac ordinare, itaut quicquid teſtatum, geſtum, aut ordinatum, vel aliàs diſpoſitum ab eis fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, & ſervari debeat, ipſaque teſtamenta, codicillos, diſpoſitiones, ordinationes, donationes, legata, & ſtatuta

pluries,

pluries, ac toties quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore præmiſſis plenam, & liberam concedimus facultatem.

*Defectus ſuper eiſdem diſpoſitionibus tam ſecutos quàm ſequendos ſupplet.*

§. 11. Et nihilominus quæcumque hujuſmodi teſtamenta, legata, donationes, diſpoſitiones, & alia de hujuſmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliiſque rebus ſupradictis, etiam in favorem conſanguineorum, & affinium prædictorum, ac aliàs quomodolibet ab eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum ſingulis facta, cum omnibus inde ſecutis, ac etiam ea, quæ per illos in futurum quomodolibet fient, ex nunc prout ex tunc, & è contra approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos juris, & facti, ac ſolemnitatum omiſſarum, & omittendarum, necnon ſubſtantiales, alioſque defectus quoſcumque, ſi qui intervenerint, aut intervenerunt in eiſdem, etiamſi tales ſint, vel fuerint, quod ſpecialis, & ſpecifica de illis mentio præſentibus habenda eſſet, ſupplemus.

*Inhibitio contra moleſtantes.*

§. 12. Diſtrictiùs inhibentes quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præſidentibus, & Clericis, ac eorum, necnon Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cruciatæ ſanctæ, ac aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, ceteriſque cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam quavis auctoritate, & poteſtate fungentibus, ne Univerſitates, Collegia, ac loca, legatarios, hæredes, & perſonas, necnon teſtamentorum, voluntatum & ordinationum hujuſmodi executores prædictos, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtare audeant quoquo modo, vel perturbare.

*Clauſula præſervativa.*

§. 13. Ac decernentes, prædicta omnia, & ſingula, præſenteſque literas, ac omnia, & ſingula in illis contenta, necnon teſtamenta, donationes, codicillos, fideicommiſſa, legata, ordinationes, derogationes, diſpoſitiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmiſſis facta ſunt, aut earundem præſentium vigore fieri contigerit, tam vigore præſentis, quàm aliarum conceſſionum illis factarum, ac deinceps in genere, & in ſpecie faciendarum, cum inde ſecutis, & ſecuturis, valida, firma, & efficacia fore, necnon perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, ac omnes effectus ſortiri, & obtinere, nec etiam per tranſlationem ad Metropolitanas, vel Patriarchales Eccleſias, vel quamlibet aliam ſtatus, & perſonæ ipſorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ac eorum ſingulorum reſpectivè mutationem, nec per ſimiles, vel diſſimiles gratias illis conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & ſi quid in una ex facultatibus hujuſmodi defecerit, id per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca ad quos, ſeu quæ bona, jura, & actiones devenient, vel quibus relinquentur, aut executores prædictos ad tertiam, ſeu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc illis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra infideles, & quibuſlibet aliis quantumlibet piis uſibus ſolvendum, aut cum iis deſuper componendum, vel ipſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & eorum ſingulos ad aliam particularem licentiam, ſive indultum, aut confirmationem præſentium à Nobis, vel Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia ſimili gratia, ſive ejus confirmatione illis quomodocumque concedenda de præſenti mentionem aliquam faciendum teneri, nec ad id ulla unquam neceſſitate cogi poſſe.

*Decretum irritans.*

§. 14. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Card. necnon pro tempore exiſtentes ejuſdem Cameræ Camerarium, Præſidentes, & Clericos in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores iſtius conſtit. deputat.*

§. 15. Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtien. & Portuen. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quandò opus fuerit, & quoties pro parte ipſorum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, ac eos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos per quoſcumque quavis auctoritate fungentes contra præſentium earundem tenorem quomodolibet indebitè moleſtari, inquietari, vel perturbari, contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas in ipſos etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

*Contr… tollit.*

§. 16. Non obſtan. præmiſſis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, necnon Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati de certo eorundem Notariorum numero, etiamſi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, & de conſenſu præſtando in penſionibus, & quibuſcumque aliis, etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in poſterum edendis Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac ſtylo in ſimilibus hactenus obſervato, ac recolendæ memoriæ Alexandri VI. tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia diſponente, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quarumvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, Collegiorum, Militiarum, & Officiorum dictæ Curiæ, ac Urbis, aliarumque Civitatum, & locorum Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & Hoſpitali, illorumque Præſulibus, ac Superioribus, Magiſtris, Præceptoribus, ac Militibus, Capitulis quoque, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliiſque prædictis, necnon illorum Communitatibus, ac etiam vectigalis vini hujuſmodi Exactoribus, & Appaltatoribus, ſeu redemptoribus, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam de eorundem Cardinalium conſilio, etiam per modum ſtatuti, & conſtitutionis perpetuorum, ac Motu, & ſcientia ſimilibus, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam, ſeu illorum contemplatione in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, etiamſi in eis ac ſtatutis prædictis caveatur expreſsè, quod Exactores, & Appaltatores vectigalis prædicti, vectigal hujuſmodi etiam ab exemptis exigere, ac illos ad ſolutionem, ſeu contributionem cogere, & compellere poſſint, ſeu debeant, quodque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hoſpitalis, tam ex eorum inſtitutione, quàm ex ſtabilimentorum diſpoſitione, penſionibus, Clericis ſecularibus, & aliis perſonis etiam Apoſtolica auctoritate reſervandis, gravari non poſſint, quodque ſtabilimentis, ac privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latiſſimè extendendæ, etiamſi per quaſcumque literas Apoſtolicas, ac quaſvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas clauſulas derogari non poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi derogatio hujuſmodi de conſilio Cardinalium eorundem fiat, & cum demùm Magiſtri, & Conventus prædictorum

ad

ad id annuat [illegible], ſinequibus tamen derogationis hujuſmodi etiam per dictum Magiſtrum ſubſcriptæ, ac illi, & prædicto Conventui per diverſas in forma Brevis, & alias literas diverſis temporibus cum certis intervallis præſentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & ſemper in omnibus, quæ ſic fient, etiam de ſimili conſilio derogationes, ſit appoſita clauſula, quod illarum effectum ſortiantur, de conſenſu Magiſtri, & conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo, Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat in genere, vel in ſpecie ad effectum præſentium ſufficienter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*[illegible] Aſſiſtentibus Canonicis, quibus privilegia ſuffragari [illegible].* §. 17. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod privilegia hujuſmodi infraſcriptis Aſſiſtentibus dumtaxat ſuffragentur. Nomina autem aſſiſtentium prædictorum ſunt hæc, videlicet: Aſcanius Conſtantinopolitanus, & Deiphebus Hieroſolymitanus Patriarchæ, Petrus Ardmacan. Galeatius, olim Baren. Attilius Athenarum, Ulpianus olim Theatin. Paulus Æmilius Amalphitan. Dominicus Januen. Philibertus Taurinen. Andreas Meſſanen. & Alphonſus Rhodien. Archiepiſcopi, Marinus Brixien. Paulus olim Iſernien. Berlingerius olim Ariminen. Jacobus Vercellen. Antonius Vigilien. Petrus Antonius Trojan. Joan. Baptiſta Nolan. Antonius Ceſatan. Alphonſus Anglonen. & Joan. Vincentius Tagaſten. Tiberius Eſin. Iſidorus Aſten. & Carolus Montis regalis Epiſcopi.

*Transumptis [illegible] dari [illegible].* §. 18. Volumus etiam, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*[illegible] An. 2. 17. Aug.* Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 17. Auguſti MDCXXII. Pontificatus noſtri anno 2.

*[Pu]blicatio [in] Camera [Ap]oſt.* Die quinta Septembris 1622. ſupradictæ literæ Apoſtolicæ in forma Brevis expeditæ, exhibitæ fuerunt in Camera Apoſtolica, & ex illius decreto commiſſæ per Illuſt. & Reverendiſſ. D. Hieronym. Vidonem ejuſdem Cameræ Clericum, & die 19. ejuſdem Menſis, citato prius R.P.D. Antonio Cicalotto, prædictæ Cameræ Generali Commiſſario, ex decreto ejuſdem Reverendiſſimi Domini Vidoni deſuper facto admiſſæ pro ducatis mille, ut in eis, quoad facultatem teſtandi, quo verò ad prætenſam exemptionem pro ſex vegetibus vini, cum clauſula, quatenus alias habeant ſimilem exemptionem, & exiſtant in illius quaſi poſſeſſione, & quoad facultatem diſponendi de bonis juriſdictionalibus, ſine præjudicio jurium Cameræ, & præcedente tamen licentia Sedis Apoſtolicæ, juxta formam Bullæ Sixti Quinti, & aliorum Summorum Pontificum, & non aliter, &c. ac aliàs, juxta formam proteſtationis dicti Domini Commiſſarii deſuper factæ, ad quam, &c. & regiſtratæ in libris ipſius Cameræ penes me illius Notarium exiſtentibus, nempè libro diverſorum, & ſeqq. Et in fidem, &c.

*Ioannes Baptiſta Cennus, &c.*

---

## XXIII. Confirmatio Privilegiorum omnium, & indultorum, tam per viam extenſionis, quàm alias conceſſorum, ac Communicatio ſingularum gratiarum, tam ſpiritualium, quàm temporalium, quibus Congregationes Caſinenſis, & Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſis fruuntur, & gaudent, Congregationi Lateranenſi Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini.

*De Congregatione Lateranenſi iſtorum Canonicorum vide quæ fusè notavit Genitor meus ad Conſtit. 2. Paſchal. II. Quanto, ſup. tom. 1. Et de Congregatione Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris, vide ad Greg. XII. Conſt. 1. [illegible], ubi ſuprà.*

GREGORIUS PAPA XV. *Edita An. D. 1622.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* INjuncti Nobis Apoſtolici muneris ratio poſtulat, ut Sacrarum Religionum gratos Domino fructus aſſiduè præſtantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa, quo validiùs perpetuò ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore libenter communiamus.

*Huic Congr. à diverſis Pont. nonnulla privilegia conceſſa fuerunt.* §. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus à Bononia Procurator Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen. Ordinis S. Aug. quod nonnulla Monachorum Congregationis Caſinen. Ordinis S. Benedicti, & alia diverſa privilegia, gratiæ, & indulta à diverſis Rom. Pont. Prædeceſſoribus noſtris eidem Congregationi Lateranen. tam per viam communicationis, & extenſionis, quàm aliàs conceſſa fuerunt.

*Pro quorum confirmatione & aliorum Congr. Caſinenſi hucuſque conceſſorum communicatione ſupplicarunt PP.* §. 2. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Jacobus prædictus plurimùm cupiat privilegia, gratias, & Indulta hujuſmodi pro eorum majori validitate, & ſubſiſtentia, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri; & alia privilegia eidem Congregationi Caſinenſi hucuſque conceſſa, dictæ Congregationi Lateranenſi concedi: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui omnia privil. tam per viam communicationis, quàm aliàs conceſſa eidem Congr. approbat & confirmat, & quatenus opus ſit, de novo concedit dummodo ſint in uſu, nec revocata, vel ſub revocationibus comprehenſa, nec ſacrorum Canonũ, vel Conc. Trid. decretis adverſentur.* §. 3. Nos igitur Jacobum prædictum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ipſumque, ac ſingulares dictæ Congregationis perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Omnia, & ſingula privilegia, gratias, & indulta prædicta per quoſcumque Rom. Pont. Prædeceſſores noſtros eidem Congregationi Lateranenſi, tam per viam communicationis, & extenſionis, quàm aliàs (ut præfertur) conceſſa, dummodo tamen ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ſacriſque Canonibus, & Conc. Trid. decretis, & Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtris conſtitutionibus non adverſentur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac (quatenus opus ſit) dictæ Congregationi Lateranenſi de novo concedimus.

*Aliaque Congregationibus Caſinenſium, ac Canonicorum Regularium S. Salvatoris quomodolibet conceſſa, eidem communicat.* §. 4. Præterea eidem Congregationi Lateranenſi, illiuſque Abbatibus, Superioribus, Canonicis, aliiſque perſonis, quod in omnibus, & ſingulis aliis privilegiis, gratiis & indultis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, tam eidem Congregationi Caſinenſi in hunc uſque diem, quam Congregationi Canonicorum Regularium S. Salvatoris Bononienſis, illarumque Abbatibus, Superioribus, & perſonis quibuſcumque, etiam ut præfertur, aut aliàs quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos conceſſis, ac quibus utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo ſimiliter ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, nec Sacris Canonibus, ac Concilii prædicti decretis, aut conſtitutionibus Apoſtolicis repugnent, pari modo uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis etiam concedimus, & indulgemus.

*Clauſulas præſervativas apponit.* §. 5. Decernentes præſentes literas perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac primodictæ Congregationi, aliiſque prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*Aliter judicata irritat.* §. 6. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non

*Contraria non obſtare decernit.* §.7. Non obſtante noſtra de gratiis ad inſtar non concedendis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 2. die 23. Aug.* Dat. Romæ apud S.M. Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Auguſti M.DCXXII. Pont. noſtri anno 2.

---

## XXXIV. Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis Pii Quarti, editæ contra Sacerdotes in confeſſionibus Sacramentalibus Pœnitentes ad turpia ſollicitantes.

*Hæc Pii Conſtit. eſt 51. tom. 2. ubi eſt à me indicata alia conſimilis conſt. Pauli Secundi.*

*Edita An. D. 1622.* *GREGORIUS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Prœmium.* UNiverſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cæleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò invigilare tenemur ut ab omnibus pravis contagiis conſervetur immunis, multoque majori ſtudio providere, ut omnis peſtis ab iis avertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, ne quod Evangelica ſcripta Nos admonent, ſale infatuato, non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

*Pontt. contra ſollicitantes ad turpia pœnitentes leges edixerunt.* §.1. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit, ut impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolùm inter Chriſti fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad ſacras audiẽdas confeſſiones deputatus, ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcircò Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis diaboli inſidiis arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur providendum duximus.

*Pius IV. ſuam deſuper edidit conſt. quæ eſt ſup. tom. 2.* §.2. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori generali. Cum ſicut nuper, &c.

Omittitur reſiduum, quia ipſa conſt. eſt ſup. tom. 2.

*Hic Pont. illã præcipit inviolabiliter obſervari.* §.3. Igitur ut literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorũ S. R. E. Card. contra hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, præinſertas literas hujuſmodi, ac omnia & ſingula in eis cõtenta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolùm in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſvis Chriſtiani orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.

*Immò plenius contra hujuſmodi ſollicitantes in confeſſionibus, & extrum occaſione diſponit.* §.4. Ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum regulares, cujuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque ubi confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in officio S. Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorũ, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum univerſi orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territoriis per has noſtras literas, etiam privativè quoad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuò Judices delegamus, ut ſuper his cõtra prædictos, ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, juxta Sacrorum Canonũ formam, necnon officii Inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circunſtantiis, ſuſpen. ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnõ vocis activæ, & paſſivæ, ſi regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſq; pœnas decernãt, eos quoque ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradãt.

*Cardinales Inquiſitores generales arbitrio probationum & pœnas procedu.* §.5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum, ob probationum defectum impunitum ſit, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus concurrentibus, præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſæculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi.

*Obſtantia tolluntur.* §.6. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor in literis prædictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Confeſſarii ſcientes aliis pœnitentes fuiſſe ſollicitatos, moneant eos, ut Inquiſitoribus vel Ordinariis denuncient.* §.7. Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis ut ſupra ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu ut præfertur tractantes, Inquiſitoribus ſeu locorum Ordinariis prædictis: quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

*Tranſumptis credendum.* §.8. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Publicatio in Urbe omnes afficit.* §.9. Quodque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Joan. Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*D. P. An. 2. die 30. Aug.* Datum Romæ apud S.M. Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1622. Pont. noſtri anno 2.

*Anno à Nativitate D.N. Jeſu Chriſti 1622. Indict. 5. die verò prima menſis Septemb. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papæ XV. anno ejus 2. retroſcripta Conſt. ſeu litera Apoſt. affixa fuerunt ad valvas S. Ioan. Lateran. & Principis Apoſtolorum Baſilicarum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum, Apoſtolicum Curſ.*

*Octavius Spada Mag. Curſ.*

---

## XXXV. Indultum Congregationis Fratrum Jeſuatorum S. Hieronymi, quod à locorum Ordinariis approbati poſſint in parochialibus Eccleſiis domorum Regularium ipſius Congregationis dumtaxat parochianorum cõfeſſiones audire.

*Alia*

*Alia de hac Congregatione indicavi ſup. ad Conſtit.11.Martini V. tom.1. & Conſt.16. Pauli V. tom.3. ubi videas. Quibus nunc addo quod S. D. N. Vrb.VIII. his Fratribus conceſſit, ut abjecto Caputio albi coloris, quod hactenus ſuper humeros geſtarunt, aliud coloris eorum habitus, ac formæ, qua cæteri Mendicantes utuntur, geſtare poſſint, hic inf. Conſt.31. Oneroſa.*

*...ta An.D. 1621.*

*G R E G O R I V S   P A P A   X V.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...ordium.* EX injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio, Chriſti fidelium ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium votis, iis præſertim, quæ ad divini cultus augmentum, & fidelium animarum ſalutem faciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*...ilium de ...rubr.* §.1. Volentes itaque dilectos filios Viſitatores generales, ac Fratres Congregationis Jeſuatorum S. Hieronymi ſub regula S.Auguſt. favore proſequi gratiæ ſpecialis, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum,harum ſerie abſolventes,& abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis per dilectum filium Joannem Antonium Gallum Cremonenſem, dicti Ordinis Procuratorem generalem, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati,omnibus, & ſingulis ejuſdem Congregationis Fratribus, qui à locorum Ordinariis approbati fuerint,ut in parochialibus Eccleſiis domorū regularium ipſius Congregationis dumtaxat parochianorum earundem Eccleſiarum ſacramentales confeſſiones audire,ac illis auditis injungendam abſolutionem impendere ſalutarem liberè, & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus,ac licentiam, & facultatem impartimur.

*...ogatio ...rariorum.* §.2. Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& cōſuetudinibus,privilegiis quoque,indultis,& literis Apoſtolicis quibuſvis ſub quibuſcumque tenoribus,& formis,ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes,illis aliàs in ſuo robore permanſuris,hac vice dumtaxat ſpecialiter,& expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tran...mptorum.* §.3. Volumus autem,ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis,manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat.P. An.2. ...30.Aug.* Dat.Romæ apud S.Mariam Majorem,ſub annulo Piſcatoris,die 30. Auguſti 1622. Pont.noſtri anno 2.

---

XXXVI. Confirmatio diviſionis Provinciæ S. Auguſtini Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum Hiſpaniarum in quatuor Prpvincias, ac electionis Vicarii generalis, multarumque Conſtitutionum, & Ordinationum per dictos Fratres in Capitulo emanatarum.

*Scias, iſtam Congregationem Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum S.Auguſtini Provincia Caſtella, eorumque bona, & Conventus diviſa, ac ſeparata fuiſſe à gubernio, & ſuperioritate Provincialis, & Fratrum Eremitarum Calceatorum d. Ordinis ejuſdem Provinciæ, auctoritate Clem. VIII. ut videre eſt in ipſius Conſt. quæ in principio iſtius Conſt. refertur. Et huic Congreg. nonnullas domos Regulares Provinciarum novi Regni Granat. ac Quiten. eorundem Fratrum univit S.D.N. Vrbanus VIII. inf. conſt.101. Vniverſalis.*

Vide etiam ea quæ tibi indicavi ad Conſt.3. hujus Pont. quæ incipit, Paſtoralis, hic ſup. Necnon ad Conſt.58. Ad uberes, S.D.N. Urbani VIII. hic infrà.

*G R E G O R I V S   P A P A   X V.* *Edita An.D. 1621.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* AD ſacram Beati Petri Sedem, meritis licèt imparibus, divina providentia vocati, ad ea, per quæ Chriſti fideles ſub ſuavi Religionis jugo, & ſtrictioris obſervantiæ regulis Altiſſimo famulantes, in laudabili eorum inſtituto perſeverare valeant, libenter intendimus, atque ea quæ propterea providè facta fuiſſe dicuntur, ut firma, & illibata perſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis robore communimus, aliaſque diſponimus prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Clem. VIII. editis Conſtitutionem tenoris ſubſequentis,videlicet.* §.2. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Clemente Papa Octavo prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet.

*C L E M E N S   P A P A   V I I I.* *Edita An.D. 1601.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* APoſtolici muneris Nobis licèt immeritis divina diſpoſitione commiſſi ratio poſtulat, ut Religioſorum quorumcumque, eorum præſertim, qui ſub ſtrictioris Regulæ obſervantia Altiſſimo famulari ſtudent, quieti, & proſpero regimini libenter conſulamus, eoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur,prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Archiep.Sipontinus auctoritate hujus Pont.diſmembravit, ac ſeparavit Fratres Recollectos, ſeu Diſcalceatos Ordin. Erem. S. Aug.Provinc. Caſtel.eorumque Conv. res,& bona à ſuperioritate & gubernio Provincialis, & fr. Erem. Calceator. d. Ord. ejuſdem Provinc.* §.1. Cum itaque, ſicut accepimus,Venerabilis frater Dominicus Archiepiſcopus Sipontinus, noſter, & Apoſtolicæ Sedis Nuncius,vigore commiſſionis,& facultatis per Nos ſibi ad hoc per noſtras in forma Brevis literas, ſub Dat. die 24.Martii 1601. expeditas, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus,attributæ, aſſentientibus, & petentibus dilectis filiis Priore Provinciali,& Fratribus Ordinis Eremitarum S.Auguſtini Calceatis Provinciæ Caſtellæ, ab eorum Provincia dilectos etiam filios Definitores, & Fratres Recollectos, ſeu Diſcalceatos ejuſdem Ordinis Eremitarum S.Auguſtini in prædicta Provincia Caſtellæ exiſtentes,eorūque Conventus Matriti,Talaveræ, Nabæ, Portilli,& Tovoſi, ac alios fundatos,& fundandos, necnon res, & bona quæcumque perpetuò ſeparaverit,& ſegregaverit,ac à gubernio,& ſuperioritate Provincialis,& Fratrum Calceatorum prædictorum exemerit,& liberaverit,ac alia circa ſtatum,& gubernium eorundem Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum diſpoſuerit, & ordinaverit, prout in ipſius Dominici Archiepiſcopi, & Nuncii patentibus literis deſuper expeditis, quarum etiam tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs dicitur contineri.

*Pont.Inſtantibus prædictis fr. d. ſeparationem, ac diviſionem approbat,& confirmat, ſuppleique defectus,ac quatenus opus ſit, de novo dividit.* §.2.Nos eorundem Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum quieti, & proſpero ſtatui ampliùs conſulere, eoſque,ut ſtrictiorem regularem obſervantiam, quam profitentur,ad Dei laudém,& Chriſti fidelium ædificationem, & animarum ſalutem,ut decet retinere, & obſervare poſſint, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, necnon Definitorem, & ſingulares Fratres Recollectos Diſcalceatos hujuſmodi à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis,& interdicti,aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis,ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolvētes,& abſolutos fore cenſentes,ſupplicationibus eorum nomine per dilectum filium Joannem de S. Hieronymo eorum Procuratorem generalem in Romana Curia reſidētem Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, reparationem, & diviſionem ipſorum Definitoris & Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum S.Auguſtini in quacumque Regnorum Hiſpaniarum parte exiſtentium à Provinciale,& Fratribus Provinciæ Caſtellæ Ordinis Fratrum Calceatorum Eremitarum S.Auguſtini à prædicto Dominico Archiepiſcopo,& Nuncio factas,& prout illas concernunt,literas patentes ejuſdem Dominici Archiepiſcopi, & Nuncii deſuper ex-

peditas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui in eiſdem intervenerint, ſupplemus: & nihilominus Definitorem, & Fratres Recollectos Diſcalceatos Regnorum Hiſpaniarum prædictos, eorumque Conventus, res & bona quæcumque, à Provincia, Provinciali, & Fratribus Calceatis d. Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, tam Provinciæ Caſtellæ, quàm aliarum quarumcumque Provinciarum, eorumque cura, gubernio, & ſuperioritate, auctoritate, & tenore prædictis, quatenus opus ſit, de novo dividimus, & ſeparamus, ac eximimus, & liberamus.

*Eoſque ſic ſeparatos cum ſuis Conventibus, in Provinc. S. Aug. Fr. Recollectorum diſcalceat. Hiſpan. nuncupandam inſtituit.*

§. 3. Ipſoſque Definitorem, & Fratres Recollectos Diſcalceatos, eorumque Conventus, tam hactenus receptos, quàm deinde recipiendos, in Regnis Hiſpaniarum exiſtentes, in Provinciam S. Auguſtini nuncupandam Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum Hiſpaniarum perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Et Prælatum d. Provinciæ Priorem Provinc. denominari, ejuſque electionem in Cap. Provinc. ſingulis trienniis juxta ipſorum inſtituta Regularia fieri mandat.*

§. 4. Ejuſque Provinciæ ſic erectæ, & inſtitutæ Prælatum de cætero Priorem Provincialem, ejuſque Provinciæ S. Auguſtini denominari, & in Capitulo Provinciali, tam hac prima vice, quàm deinceps quandocumque opus fuerit de triennio in triennium, juxta regularia eorundem Fratrum Recollectorum inſtituta, canonicè eligi debere volumus, & declaramus.

*Provinciam iſtam ſic erectam omnibus priv. &c. fratrib. Ere. Ord. S. Aug. cõceſſis, & præſertim Provinc. Caſtellæ gaudere indulget.*

§. 5. Ipſis verò futuro Provinciali, ac cæteris Superioribus, Fratribus & Conventibus ejuſdem Provinciæ S. Auguſtini, ut omnibus & ſingulis privilegiis, & gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, conceſſionibus, & indulgentiis, quibus aliæ Provinciæ, aut Provinciales, Conventus, & Fratres dicti Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & præſertim quibus dicta Provincia Caſtellæ, ejuſque Provincialis, atque Conventus, & Fratres uti, frui, potiri, & gaudere ſolent, & poſſunt, ac poterunt quomodolibet in futurum (ſalva regulari eorumdem Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum obſervantia) uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, concedimus, & indulgemus.

*Eamque, necnon Prior. Provinc. Conventus & fratres juriſdict. correctioni, & reform. Prioris Gen. totius Ordin. Erem. S. Aug. immediatè ſubjicit, & ſupponit.*

§. 6. Hanc autem Provinciam S. Auguſtini Fratrum Recollectorum Diſcalceatorum Hiſpaniarum, ejuſque Priorem Provincialem, Conventus, & Fratres nunc, & pro tempore exiſtentes, juriſdictioni, viſitationi, correctioni, & reformationi dilecti filii Prioris generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſt. immediatè ſubjicimus, & ſupponimus, ac ab ipſomet Priore Generali perſonaliter viſitari, & reformari poſſe, qui Prior Generalis in viſitatione hujuſmodi unum Definitorē eorundem Fratrum Recollectorum, ex antiquioribus, & alterū religioſum magis idoneum ex eiſdem Fratribus Recollectis, qui illū de ſtatu totius Provinciæ S. Auguſtini hujuſmodi informare poſſint, & debeant, aſſumere teneatur.

*Cum prohibitione tamen concedendi aliquam exēptionem, aut libertatem Frat. Recollectis, aut eorundem conſtitutionibus derogandi.*

§. 7. Verumtamen ipſum Priorem generalem neque ante, neque poſt hujuſmodi viſitationem, neque in ipſo actu viſitationis ipſis Fratribus Recollectis aliquam exemptionem, aut libertatem concedere, neque conſtitutionibus, & regularibus inſtitutis ejuſdem Provinciæ S. Auguſt. derogare, ſed illorum tranſgreſſores caſtigare, ac pœnis in eiſdem conſtitutionibus inflictis afficere poſſe.

*Vel aliquem non profeſſum Recollectorum habitum induendi, ſub excommunicationis majoris pœna.*

§. 8. Inſuper neminem, qui profeſſionem per eoſdem Fratres Recollectos Diſcalceatos emitti ſolitam, non emiſerit, eorum habitum ſub excommunicationis majoris pœna induere poſſe.

*Hujuſm. habitu indutum à quoquam privari poſſe decernit.*

§. 9. Et ſi quem non profeſſum hujuſmodi eo habitu indutum reperiri contingat, ipſo habitu exui, & privari à quocumque licitè poſſe.

*Tranſitum à Diſcalceat. ad Calceatos, ſive ad alium laxiorē Ordinē interdicit.*

§. 10. Neque etiam cuicumque Fratri Recollecto Diſcalceato profeſſo, ad Fratres Calceatos ejuſdem Ordinis, ſive ad quemcumque alium Ordinem laxiorem, ſine ſpeciali Sedis Apoſt. licentia tranſire licitum eſſe, & ſecus facientes pœnas per Apoſtolicas conſtitutiones & regularia ejuſdem Ordinis inſtituta inflictas eo ipſo incurrere.

*Aliter judicandi poteſtatē ſubtrahit.*

§. 11. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarū Palatii Apoſt. Audit. ac Sedis Apoſt. Nuncios, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſciēter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & ordinamus.

*Provinciam quæ præ[...] in aliis p[...] ter hic [...] preſſa, [...] ejuſdem in[...] tuta, & c[...] ſtituimus [...] bernari d[...] re ſtatuit.*

§. 12. Ceterum circa alia, quæ præſentibus non ſunt expreſſa, Provinciam prædictam S. Auguſtini, eorumque Conventus, & Fratres juxta regularia inſtituta, & conſtitutiones in Capitulis Provincialibus ejuſdem Provinciæ canonicè faciendas, gubernari debere ſtatuimus.

*Execu[...] hujus S[...] nis depu[...]*

§. 13. Quocirca prædicto Dominico Archiep. nunc, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſt. Sedis in eiſdem Regnis Hiſpaniarum Nuncio, ac Venerab. fratri Archiep. Toletano, necnon dilecto filio Curiæ cauſarum Cam. Apoſt. generali Auditori per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Provincialis & Fratrum Recollectorum Provinciæ S. Aug. fuerint requiſiti, ſolēniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia, & ſingula inviolatè perpetuò obſervari, & Provincialem, & Fratres dictæ Provinciæ S. Aug. eorundem promiſſorum effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*Contraria[...] movet.*

§. 14. Non obſtantibus fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Conc. gen. edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinat. Apoſt. ac ejuſdem Ordinis Fratrum Eremit. S. Aug. & dictæ Provinciæ Caſtellæ, etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſt. eidem Ordini ac Provinciæ, necnon Generali, Provinciali, ceteriſque perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A[...] die 11. Fe[...]*

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 11. Februarii 1682. Pontificatus noſtri anno 11.

*Poſtea d. Pr[...] vinc. S. Au[...] ob numeru[...] Conventuu[...] plures Pro[...] cias dividi[...] poſſe, ac exp[...] dire, ut g[...] bernaretur [...] uno illius V[...] cario gen. e[...] poſuerunt huic Pont.*

§. 15. Subinde verò pro parte tunc exiſtentis Procuratoris generalis ejuſdem Congregationis Nobis expoſito, quod numerus domorum, ſeu conventuum, & aliorum regularium locorum dictæ Provinciæ S. Auguſtini ſic (benedicente Domino) excreverit, ut Provincia S. Auguſtini in plures Provincias dividi poſſit, & ſic dictæ Congregationis damnum foret, ſi illa de cetero per unum illius Vicarium generalem regeretur, & gubernaretur.

*Qui diviſ[...] nem dictar[...] Provinciar[...] arbitrio Car[...] Saulii d. Or[...] Protectoris*

§. 16. Nos ſupplicationibus ejuſdem Procuratoris generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, dilectis filiis nunc exiſtenti Priori Provinciali, ac aliis ſuperioribus, & Fratribus dictæ Congregationis prædictam S. Auguſtini in plures Provincias, prout domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum opportunitas ſuaſiſſet, arbitrio tamen Venerabilis fratris noſtri Antonii Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis Saulii nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectoris, dividere.

*Electione[...] que Vic. Ge[...] ejuſdem Co[...] greg. ſine p[...] judicio tam[...] ſuperiorita[...] Prioris Ge[...] Ordin. fi[...] poſſe indu[...]*

§. 17. Necnon unum Vicarium generalem ejuſdem Congregationis, qui ipſi Congregationi præeſſet, eamque regeret, & gubernaret, canonicè eligere liberè, & licitè poſſent, ita tamen ut nullatenus præjudicarent ſuperioritati, & auctoritati Prioris generalis dicti Ordinis, ſed eidem Vicarius Provincialis, & Fratres Diſcalceati prædicti ſubjecti remanerent in omnibus, & per omnia, ſicut prius erant, Apoſtolica auctoritate licentiam, & facultatem conceſſimus & impartiti ſumus, prout in noſtris in

ſimili

ſimili forma Brevis, ſub die 5. Junii 1621. expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

*...Card. ...dato co... ...fuit ...gen.*

§.18. Cùm autem, ſicut accepimus, prædictus Ant. Epiſc. & Card. in vim, & executionem literarum noſtrarum hujuſmodi, Capitulum generale deſuper celebrari mandaverit, & dilectum filium Gabrielem de Conceptione ejuſdem Congreg. Procuratorem gener. in hujuſmodi Capituli generalis Præſidentem elegerit, conſtituerit, & deputaverit, dans illi auctoritatem dividendi Provincias, prout Capitulo generali prædicto expedire viſum fuiſſet, prout in ipſius Antonii Epiſcopi, & Card. deſuper confectis patentibus literis pleniùs dicitur contineri.

*...Pro... S. Aug. ...quatuor ...vinc. di... ...fuit. Et ...Gen. Pro... ...alibuſque ...rum Pro... ...& alii ...ciales ne... ...ſarii electi ...unt.*

§.19. In Capitulo autem generali hujuſmodi dilectus filius Hieronymus de Reſurrectione, ipſius Congregationis profeſſor, in ejuſdem Congregationis Vicarium generalem electus fuerit, ac prædicta S. Auguſtini in quatuor Provincias, videlicet S. Auguſtini in Regnis Caſtellæ novæ, & veteris, B. Mariæ de Pilar in Regnis Aragoniæ & Cathaloniæ, B. Thomæ de Villanova in Regnis Valentiæ & Bethicæ, ac S. Nicolai de Tolentino in Indiis Philippinis diviſa, necnon quatuor Provinciales, aliique Officiales neceſſarii electi.

*Poſtmodum ...Capit. mul... ...edita fue... ...t decreta, ...ut infra.*

§.20. Et poſtmodum pro felici, ac proſpero ipſius Congregationis regimine, & progreſſu conſtitutiones, & decreta edita reſpectivè fuerint, tenoris ſubſequentis, videlicet.

*...Officialiū ...ctione, & ...ſacienda.*

§.21. Quod omnes electiones, tam Vicarii generalis. Definitorum, & Procuratorum generalium Romanæ Curiæ, ac Regiæ, & Secretarii generalis, quàm Priorum Provincialium, & Conventuum, Rectorumque Collegiorum, fiant in Capitulis generalibus, tam ex præſentibus, quam ex abſentibus Congregationis.

*De Vic. Gen. ...tiam Con... ...gationem ...nuate.*

§.22. Item, quod Vicarius generalis toti Congreg. præſit, eamque regat, atque gubernet cum omnimoda poteſtate, ſicut habet Reverendiſſ. Generalis in toto Ordine, tam ex jure, quàm ex privilegiis, ſine tamen præjudicio ejuſdem Patris Generalis, & facultatum ſibi in dictam Congregationem conceſſarum, & competentium.

*De duratione officii Vicariatus Generalis.*

§.23. Quod officium, & poteſtas Vicarii generalis per ſex annos duret, quibus finitis, eo ipſo illius poteſtas, & auctoritas abſque alia renunciatione expiret, & novus Vicarius generalis eligatur, & niſi intermiſſo alio ſexennio, iterum in Vicarium generalem non eligatur.

*De Præſidente Capituli gen.*

§.24. Item, quod Definitor primus omnibus Capitulis generalibus dictæ Congregationis, quando eligendus eſt novus Vicarius generalis, præſideat uſque ad electionem novi Vicarii generalis.

*De diffinitoribus.*

§.25. Quod non fiant Definitores Provinciales, ſed tantum quatuor Definitores generales, ſinguli ex ſingulis Provinciis, quorum conſilio, & interventu ipſe Vicarius generalis uti debeat, tum in gravioribus controverſiis, cauſis, & appellationibus univerſæ Congregationis, & ſingulorum Fratrum expediendis, tum in Provinciarum ſingulorum Monaſteriorum, & domorum reformatione, ac ſingulari obſervantia dirigenda.

*De Vic. Generalis ac Definitoris generalis ſimul poteſtate.*

§.26. Item, quod Vicarius generalis ſine conſilio, & conſenſu Definitorii generalis nullum Religioſum ad pœnas graviſſimas, vel privationem habitus, & alia hujuſmodi condemnare poſſit.

*De negotiis ſingulis quibuſcumque ſex menſibus expediendis.*

§.27. Item, quod Vicarius generalis ad minus ſingulis ſex menſibus convocare, & congregare debeat quatuor Definitores generales ad diſcernendas, & judicandas cauſas Fratrum, & Conventuum, & ad tractandum de ſtatu, & reformatione totius Congregationis, & officia tunc temporis vacantia providenda, quæ uſque ad proximum Capitulum generale perdurabunt.

*De Definitoris Gen. Priorumque Provincialium duratione.*

§.28. Item, quod Definitores generales, & Priores Provinciales triennales ſint, & in eiſdem, vel ſimilibus officiis, niſi tranſacto altero triennio, eligi non poſſint.

*De Priorum, Rectorū, Procur. & Secretariorum Provincialium duratione.*

§.29. Item, quod Priores Conventuum, ac Rectores Collegiorum, Procuratores, & Secretarii Provinciales etiam durent ad tres annos, & niſi intermiſſo anno cum dimidio, in eiſdem vel ſimilibus officiis eligi non poſſint niſi novem Patribus Definitorii generalis, pro altero triennio eligi, convenire videbitur.

*De Secretariorū, & Procuratorum Gen. duratione.*

§.30. Item, quod Secretarii, & Procuratores generales, tam Curiæ Romanæ, quàm Regiæ, etiam durent ad tres annos, niſi Pater Vicarius generalis, & Definitores generales eſſe conveniens judicaverint, ut pro altero triennio eligantur.

*De Capituli generalis celebratione.*

§.31. Item quod Capitulum generale Congregationis tertio quoque anno celebretur Dominica tertia poſt Paſcha Reſurrectionis, illiuſque in ſingula triennia indicendi, & convocandi Vicarius gen. curam habeat.

*De Officialiū in d. Capitulis eligendorū numero.*

§.32. Atque in eodem Capitulo ſingulis trienniis novi Definitores generales, Priores provinciales, & Conventuales, Rectores Collegiorum, Procuratores generales, ac Secretarius generalis, necnon Procuratores, & Secretarii Provinciales eligantur, ſicque ſexto quoque anno in Capitulo generali novus Vicarius generalis eligi debeat, qui ſtatim confirmetur à Præſidente Capituli, abſque præjudicio conſtitutionis faciendæ à Patre Generali.

*De iis, qui convenire debent ad Capitulum generale, ac habentib. vocem in electione Vicarii generalis.*

§.33. Item, quod ad Capitulum generale dictæ Congregationis convenire teneantur præter Vicarium generalem præſentem, & abſolutum illius ſexennii tantum, quatuor Definitores generales, Procurator generalis Regiæ Curiæ, & Secretarius generalis, & ex unaquaque Provincia Provincialis cum Definitore, & Diſcreto electis in Capitulis Provincialibus, quæ fieri debeant ſuo tempore infra ultimum annum triennii, antequam celebretur Capitulum generale, qui omnes ſolummodo votem habebunt ad eligendum Vicarium generalem, quatuor Definitores generales, Secretarium, ac Procuratores generales, & Priores Provinciales.

*De his, qui habent vocem in electionib. Priorum, Rectorum, Procuratorum, & Secretariorum Provincialium.*

§.34. Item, quod ad eligendum Priores Conventuum, Rectores Collegiorum, Procuratores, ac Secretarios Provinciales ſolùm conveniant, & habeant vocem novem Patres, ſcilicet Vicarius gen. præſens, & abſolutus illius ſexennii, quatuor Definitores generales abſoluti, & Provincialis abſolutus illius triennii ſimul cum Definitore, & Diſcreto illius Provinciæ, de cujus officio fuerint, quæ providenda ſunt, quia majorem notitiam habebunt de ſtatu Provinciarum.

*De eo, quod agendum eſt in caſu mortis Vicarii generalis, vel abſolutionis ab Officio ante expletum tempus ſui muneris.*

§.35. Item, quod ſi Vicarius gen. ante finitum tempus ſui muneris à vita migraverit, vel ab officio amotus fuerit, Vicarius abſolutus, & eo deficiente, Provincialis, in cujus Provincia mortuus fuerit, toti Congregationi præſideat, locum, & poteſtatem Vicarii generalis habeat uſque ad Dominicam tertiam poſt Paſcha Reſurrectionis proximè futuram, in qua celebrari faciat Capitulum generale pro electione novi Vicarii generalis, & tunc noviter electus munus ſuum exerceat non ſolùm uſque ad Capitulum, in quo faciendæ ſunt omnes electiones, ſed etiam per ſequens triennium.

*De pœnis Vicario Gen. irreligiosè viventi, aut malè adminiſtranti infligendis.*

§.36. Item, quod ſi Vicarius generalis irreligiosè vixerit, vel in ſui officii adminiſtratione male ſe geſſerit, ad Definitorium generale in Capitulis generalibus ejus culpas corrigere, & caſtigare pertineat.

*De auctoritate Prioris Provincialis in totā Provinc. durante ſuo officio.*

§.37. Item, quod Priores provinciales (durante ſuo officio) eam auctoritatem, & poteſtatem habeant in tota Provincia, quam cæteri Provinciales habere conſueverunt, dummodo Inſtitutis dictæ Congregationis non adverſentur, vel à Capitulo gener. ejus poteſtas nō fuerit limitata.

*De officialib. in Provincia Indiarū Philippinarum eligendis.*

§.38. Item, quod in Provincia Indiarum Philippinarum propter magnam loci diſtantiam in ſuis Capitulis Provincialibus, quæ fieri debent ſingulis trienniis, eligantur Provincialis, quatuor Definitores provinciales, Priores Conventuum, & alii officiales, qui in ſimilibus Capitulis Provincialibus eligi ſolent, niſi aliter aliquando Capitulo generali videbitur expedire, ſervata ſemper conſtitutione generali totius Congregationis.

*De laïcis Cōgreg. ad Ordinem ſeu Clericatum non promovendis.*

§.39. Item, quod nullus Religioſus laïcus totius Congreg. poſſit aſcendere ad aliquem Ordinem, neque ad Clericatum abſque licentia Summi Pontificis, ſed quod ſemper maneant in ſui profeſſione.

*Nunc iſta Pōt. electionē Vic. Gen. diviſionem Provinciarum, ac decreta præinſerta omnia approbat, & confirmat. Supplet que defectus ſi qui intervenerint.*

§.40. Nos ad uberes, & ſuaves fructus, quos ejuſdem Congregationis profeſſores in militanti Eccleſia in dies afferunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, & ut eadem Congregatio majoribus proficiat incrementis, ac omnia, & ſingula præmiſſa ab omnibus, ad quos ſpectat, firmiter, & inviolabiliter obſerventur, quantum cum Domino poſſumus, providere, ac Gabrielem, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſia-

ſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præmiſſorum dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, electionem Vicarii generalis, ac diviſionem Provinciarum in Capitulo generali, ut ſuprà factas, necnon conſtitutiones, & decreta præinſerta hujuſmodi, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

*Ac prædictas quatuor provincias, in unâ provinciam S. Aug. nuncupãdam (quatenus opus ſit) de novo erigit & inſtituit.*

§.41. Et inſuper has quatuor Provincias, ſic ut præfertur diviſas, in unam Congregationem Fratrum Diſcalceatorum S. Auguſtini nuncupandam, & per unum illius Vicarium generalem, modo, & forma præmiſſis, regendam, & gubernandam, cum omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, & indultis eiſdem Fratribus tam in genere, quàm in ſpecie, ac aliàs quomodolibet, tam per Nos, quàm per alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſis, auctoritate, & tenore prædictis de novo, quatenus opus ſit, erigimus, & inſtituimus.

*Privilegia confirmat, ac gratiis, & indultis aliis fratr. S. Aug. conceſſis ipſos gaudere pari modo indulget.*

§.42. Necnon eiſdem Fratribus Diſcalceatis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, & indultis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, dummodo ſint in uſu, & non ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ac ſacri Concilii Tridentini decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis non adverſentur, & quibus alii Ordinis S. Auguſtini Fratres utuntur, potiuntur, & gaudent, pari modo uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

*Clauſulas præſervativas addit.*

§.43. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac Congregationi, & Fratribus prædictis in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*Ac ita, & non aliter definiri ſtatuit.*

§.44. Sicque ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſt. Auditores judicari debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contraria auffert.*

§.45. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi præcipit.*

§.46. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 2. die 31. Aug.*

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 31. Auguſti 1622. Pont. noſtri anno 2.

## XXXVII. Declaratio, & approb. Privileg. Not. Archiconfratern. Charitatis de Urbe, circa tranſmiſſiones Commiſſariorum in cauſis extra Vrbem, ad regiſtrationem Compoſitionum, liberationum, ac quarumcumque gratiarum à Sacra Conſulta conceſſarum.

*Approbationem hujus Confraternitatis, cum aliis Conſtitutionibus ipſius materiam tangentibus, videre poteris in Leonis X. Conſt. 37. Illius, ut ſup. tom. 1.*

*Edita An. D. 1622.*

GREGORIVS PAPA XV.
*Ad futuram rei memoriam.*

*Prœmium. Privilegium circa commiſſiones cauſarum extra Vrbem, & aſſignationes Notariorũ, emanatum per nõnulla decreta.*

Exigit creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, ut ad ea per quæ litibus, & controverſiis inter Chriſti fideles quoſlibet, præſertim in Alma Urbe noſtra degentes, vertentibus occurritur, libenter intendamus, ac deſuper ejuſdem officii partes favorabiliter interponamus, prout conſpicimus ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque, ſicut accepimus, propoſita alias ſub die 10. Dec. Anni Domini 1622. in Congreg. Venerab. Fatr. noſtrorum S.R.E. Card. negotiis Status noſtri Eccleſiaſtici Præpoſitorũ, cauſa privilegiorum Archiconfraternitatis S. Hieron. Charitatis nuncupat. de Urbe, inter cetera ſub die 9. Martii præſentis Anni decretum fuerit, quod Commiſſarii, ſive per literas in ſimili forma Brevis à Rom. Pont. pro tempore exiſtente, ſive per literas patẽtes ejuſdem Congreg. tranſmiſſi, teneantur aſſumere Notariũ d. Archiconfr. quodque in poſterũ non committatur cauſæ alicui Tribunali, niſi poſt tranſmiſſionẽ Commiſſariorũ, & viſo proceſſu per eos fabricato, & poſtmodũ Venerabilis frater noſter Octavius Epiſc. Præneſtin. Bandinus, & dilectus filius noſter Petrus Paulus tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. Card. Creſcẽtius nũcupati à Nobis in omnibus controverſiis occaſione præmiſſorũ ortis, & oriundis ſpecialiter deputati, infraſcripta decreta ediderunt, tenoris ſubſequentis, videlicet: Sanxerunt quod ad ſingulos infraſcriptos Commiſſarios jam tranſmiſſos, amotis Notariis aliorum Tribunalium, quos ipſi ſecum duxerunt, accedant Notarii officii Charitatis, qui apud eos in commiſſionibus ſcribant cum perceptione viaticorum, & aliorum ſolitorum emolumentorum à die quo iſtæ Commiſſiones inceperunt, videlicet ad Bulgarellum in cauſa Saxoferrati vulnerum, in alia Britonorien. exemptionis è manibus Curiæ, & in tertia Aſſiſien. homicidii de Sorbellis, pro quibus ſecum duxit juvenem ex officio Lucæ de Carolis Aud. Cam. Notarii. Et ad Colangelũ, qui pariter ducto ſecum alio juvene ex officio ejuſdem Lucæ de Carolis, Beneventum profectus eſt in cauſa Beneventana homicidii. Præterea ſtatuerunt, quod nullatenus cenſeatur illatum aliquod præjudicium privilegiis Charitatis, circa tranſmiſſionem Not. cum Commiſſ. tam per Breve, quàm per literas S. Conſultæ hactenus expeditas, etiamſi conſtaret hujuſmodi Commiſſarios aliquando ſecum duxiſſe alium Notarium, quàm Notarium officii Charitatis.

*Aliud P... le ... gratias ... concedendas.*

§.2. Inſuper decreverunt, quod regiſtrentur in actis Notarii Charitatis juxta morem conſuetum ſalviconductus, arreſta, compoſitiones, tranſactiones, liberationes, & gratiæ quæcumque remigantibus, aliiſve perſonis faciendæ per S. Conſultam, cum omnibus ſcripturis ad prædicta facientibus, niſi tamen cauſæ reorum, quorum occaſione præmiſſa facienda ſunt, reperiantur introductæ in Tribunali Auditoris Cameræ, aliàs omnia, & ſingula præmiſſa per alium Notarium rogata, & regiſtrata reſpectivè, nulla ſint.

*Pont. motu approbat Decreta dd. Privilegiorum.*

§.3. Nos inviolabili decretorum hujuſmodi obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, decreta prædicta Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

*Jubetque illa obſervari.*

§.4. Decernentes, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari.

*Sublata aliter judicandi poteſtate.*

§.5. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariis derogando.*

§.6. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. A. 2. die 20 Sept.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Sept. 1622. Pont. noſtri anno 2.

*Publicatio.*

*Die Lunæ 10. Octobris 1622. Hujuſmodi Breve Apoſtolicum fuit in Camera Apoſtolica præſentatum, & die Veneris vigeſima prima ejuſdem Menſis, referente Admodum Illuſtr. & Reverendiſſ. D Federico Cornelio dictæ Cameræ Clerico, & Judice, citato etiam ad hoc Reverendiſſ. D. Antonio Cicalotto Cameræ prædictæ generali Commiſſario, Camera ipſa illud admiſit, & in libris ejuſdem Cameræ regiſtrari mandavit, prout per me ejuſdem Cam. Notarium infraſcriptum regiſtratum fuit in libro diverſorum nuncupato, & in fidem, &c.*

*Aſtulphus de Tarano.*

## XXXVIII. Extinctio Curæ Animarum Parochiali Eccleſiæ S. Nicolai in Agone incumbentis, ejuſdemque applicatio

**applicatio Parochialibus Eccleſiis circumvicinis, ac ipſius Eccleſiæ cum Cameris Rectoralibus, & univerſa ſupellectili, tam ſacra, quam profana conceſſio Confraternitati ſub invocatione SS. Nicolai, & Catharinæ Nationis Lotharingorum, antea in Capella ipſorum Sanctorum nominibus dedicata in Eccleſia S. Ludovici de Urbe, Nationis Gallicanæ, ad pia opera exercenda inſtitutæ.**

*Fructus omnes ac redditus hujus Eccleſiæ ( præter venientes ex exercitio Parochiali ) appropriavit in §. 11. duobus Canonicatibus ac totidem Præbendis antea erectis in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, ex aliis redditibus Eccleſiæ Parochialis S. Cæciliæ de Monte Jordano nuper ſuppreſſa, Clericis de Oratorio Urbis tradita pro dilatatione Sacriſtiæ ac domus, ut ſup. in conſt. 11. Cum uberes.*

*lla An.D. 1612.*

*GREGORIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

*auſa hujus nſt.*

DUm ad ſacram beati Petri Sedem inſcrutabili ſuperni Patris providentia, in plenitudinem poteſtatis, meritis licet imparibus aſſumpti, mentis noſtræ dirigimus aciem erga grata, & accepta ſynceræ fidei, & propenſæ devotionis obſequia, quæ inter ceteras univerſi Orbis ad Almam Urbem noſtram confluentes, & in conſpectu noſtro degentes Nationes Dilecti filii Lotharingi veteris Auſtraſiæ Regni genus in Romana Curia pro illius, & Sedis Apoſtolicæ decore jam ab immemorabili ferè tempore eximia etiam integritate, & indefeſſa ſedulitate præſtare conſueverunt, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut eorum preces, illæ præſertim, quæ prodire dignoſcuntur ex intimo devotionis affectu, quem erga glorioſũ Dei Confeſſorem S. Nicolaum Epiſcopũ Lotharingiæ, ut accepimus, & Barriducis Ducatus Protectorem, & Tutelarem gerunt, apud Nos, & dictam Sedem ad exauditionis gratiam benignè admittantur, ipſique locum opportunũ, & cognitum pro eorum Confraternitatis, & ſpiritualium exercitiorũ commoditatibus in dicta Urbe ad inſtar aliarum Nationum in ea verſantium, ex noſtræ, & ejuſdẽ Sedis munificentia, & liberalitate, dictorum obſequiorum intuitu, & aliorum meritorum, quibus abundè eos ornatos eſſe Nobis conſtat, contemplatione conſequantur.

*Enarrat Pōt. vacare Parochialem Eccl. S. Nicolai in Agone per obitum illius Rectoris, quæ ab Eccleſ. S. Laurentii in Damaſo tanquam ejus Matrice dependet.*

§. 1. Cum itaque Parochialis Eccleſia S. Nicolai in Agone nũcupati de Urbe, quæ ab Eccleſia S. Laurentii in Damaſo de dicta Urbe, tanquã ejus Matrice dependet, & illi immediatè ſubjecta eſt, cujuſque dum pro tempore vacat, collatio, & omnimoda diſpoſitio ad pro tempore exiſtentem S. Laurentii Diaconum, ſeu Presbyterum Cardinalem ſpectat, & quam quondã Joan. Baptiſta Bellobonus ipſius Eccleſiæ S. Nicolai Rector, dum viveret, obtinebat, per obitũ ipſius Joan. Bapt. qui hodie, ſeu nuper in dicta Curia diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad præſens.

*Ait ſupplicatum fuiſſe à Confratribus Confraternitatis ſub invocatione SS. Nicolai, & Catharinæ Nationis Lotharingiæ, olim in una Capella Eccleſ. S. Ludovici Nationis Gallicanæ inſtituta, ut eidem Confraternitati ipſam Eccl. S. Nicolai, prævia curæ animarum tranſlatione, pro eorũ commoditate concedere velit.*

§. 2. Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Rectorum & Confratrũ Confraternitatis ejuſdem S. Nicolai Lotharingorum petitio continebat, dicta Eccleſia S. Nicolai ſeptuaginta domos, ſeu familias, vel circa dumtaxat ſub ſua cura, & Parochia habeat, & ad exercitium curæ animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum, & officiorum, ac onerum Parochialium valdè anguſta, & obſcura exiſtat, & in actu illius viſitationis præteritis annis factæ pro tali habita, & relata fuerit, dictique Parochiani, qui numerum quadringentorum & nonaginta, vel circa non excedunt, pro Miſſis, & aliis divinis officiis audiẽdis paſſim ad alias vicinas Eccl. accedere conſueverint, & proinde expediat ipſam animarum curam inde ad aliquam, ſeu aliquas ex vicinis commodioribus Parochialibus Eccl. transferre, & dictam Eccl. S. Nicolai alicui Congreg. ſeu Confraternitati, cujus cura in decenti ſtatu conſtruatur, & divinus in ea cultus manuteneatur, concedere. A longo tempore verò quamplurimi honeſtæ conditionis viri ex Lotharingiæ, & Barri Ducatibus oriundi in præd. Curia cum multa tum fidei, & probitatis, tum etiam pietatis, ac propenſæ erga Sedem prædictam devotionis laude verſati fuerint, & eorum multi diverſis Datariæ, & Cancell. Apoſt. muneribus, & officiis ſecundæ peritiæ, fidelitatis, & integritatis fama præfuerint, continuoque, & etiam nunc ip ipſa Curia non pauci ex dictis Ducatibus reperiantur, qui anteceſſorum ſuorum veſtigiis ſedulò inſiſtentes, parem cum eis laudem promereri indefeſſi animi, & corporis ſtudio felici æmulatione contendant, & qui præceſſerunt, perpetuum pietatis, & religionis ſui monumentum poſteris relinquere volentes, unam utriuſque ſexus Chriſti fidelium ex ejuſdem Ducatibus oriundorum Confraternitatem ſub invocatione SS. Nicolai, & Catharinæ in Capella ejuſdem S. Nicolai in Eccleſia S. Ludovici Nationis Gallicanæ de eadem Urbe ſita, Apoſt. auct. erigi, & inſtitui obtinuerint, & Confratres ipſius Confraternitatis pro tempore exiſtentes inter alia pietatis opera per eos exerceri ſolita, pauperes puellas dotare, & egenos ad dictam Urbem ex ejuſdem Ducatibus pro tempore accedentes eleemoſynis juvare, dictamque Capellam, quæ marmoreis lapidibus, & picturis inſignibus eleganter ornata, ac cruce, & candelabris argenteis, aliaque ſuppellectili ſacra abundè inſtructa eſt, per duos Capellanos, conſtituto eis menſtruo ſalario competenti, in divinis deſerviri facere conſueverint, aliquem verò locum nec in dicta Eccl. S. Ludovici, illiuſque Sacriſtia, & ædificiis, nec alibi habeant, in quo pro negotiis dictæ Confraternitatis pertractandis congregari poſſint, & ex hoc non leve incommodum experiantur: Rectores autem, & Confratres prædicti ſpeciali devotionis affectu erga ipſum S. Nicolaum, quem uti tutelarẽ, & Patronum omnis Lotharingiæ Provinciæ inſigni venerationis cultu proſequuntur permoti, dictam Eccl. S. Nicolai, præcedente tranſlatione curæ animarum hujuſmodi, Confraternitati prædictæ concedi ſummopere deſiderent, & ex hoc dictæ Confraternitatis commodis, & ipſius Eccl. S. Nicolai manutentioni, & ornatui, divinique cultus in ea augmento opportuna ratione conſultum futurum ſit.

§. 3. Et Venerabilis frater noſter Alexander, Epiſcopus Albanen. Cardinalis Montaltus nuncupatus, & S. R. E. Vicecancellarius, negotio ipſo prius de ejus mandato maturè, & prudenter diſcuſſo, ad tranſlationem curæ animarum, & conceſſionem Eccleſiæ S. Nicolai hujuſmodi utiliter deveniri poſſe judicaverit, illiſque ipſe ( dummodo tamen bona, & proprietates, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta univerſa ejuſdem Eccleſiæ S. Nicolai duobus Canonicatibus, & totidem præbendis nuper in dicta Eccleſia S. Laurentii Apoſtolica auctoritate erectis, ut infra applicentur ) conſentire propoſuerit.

*Et negotio prudenter diſcuſſo à Card. Vicecancellario, d. Eccleſiã concedendam cenſuit, applicatis tamen prius ipſius emolumentis duobus Canonicatibus, & duabus præbendis nuper in Eccleſ. S. Laurentii erectis.*

§. 4. Quare pro parte Rectorum, & Confratrum hujuſmodi aſſerentium, fructus, redditus, & proventuus dictæ Eccleſiæ Sancti Nicolai centum, & quinquaginta ducatorum auri de Camera, ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem ſecundùm exiſtimationem prædictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio hujuſmodi non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, idemque obſervaretur in quibuſvis applicationibus de quibuſvis fructibus, & bonis Eccleſiaſticis; quique divini cultus, ac piorum operum ſtudio incumbentium propagationem, & incrementum, præſertim in Alma Urbe noſtra vigere ſynceris exoptamus affectibus, ipſos Rectores, ac Confraternitatis hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex nunc à d. Eccleſia S. Nicolai, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per liberam reſignationẽ d. Joan. Baptiſtæ, vel cujuſvis alterius de illa in d. Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte

*Nunc verò Pont. ab Eccleſia S. Nicolai curam animarum, aliaque onera & officia Parochialia omnia abdicat.*

factam, aut Conſtit.fel.rec.Joan.Papæ XXII. prædeceſſ. noſtri,quæ incipit, Execrabilis, vel aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio jux- Lateranen.ſtatuta Concilii eſt ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia S.Nicolai diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, omnimodam curam animarum parochianorum hujuſmodi, ac officia, & onera parochialia illi quomodolibet incumbentia,illorumque jus,& exercitium univerſum Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò abdicamus.

*Abdicataque prædicta ad alias paroch. Eccl. arbitrio d. Card. cum ſuis juribus transfert.*

§.5.Sicque abdicata ad aliquam,ſeu aliquas parochiales Eccleſias circumvicinas arbitrio d. Alexandri Epiſcopi & Card. ita quod ipſius Eccleſiæ S.Nicolai nunc,& pro tempore exiſten. deinceps in perpetuum ad Eccleſiam, ſeu Eccleſias,ad quam,ſeu quas illos transferri contigerit,tanquam propriã, ſeu proprias eorum parochialẽ Eccleſiã ſeu parochiales Eccleſias,pro Miſſis,& aliis divinis officiis audiendis, ac Sacramentis Eccleſiaſt. percipien. tanquam veri, certi, & indubitati ejus ſeu earum parochiani accedere,& ad curam animarum in Eccleſia,ſeu Eccleſiis,ad quam ſeu quas tranſlati fuerint hujuſmodi, canonicè deputatum,ſeu deputatos Rectorem,ſeu Rectores pro tempore,uti verum,& propriũ Parochum, ſeu veros, & proprios Parochos recognoſcere, & obſervare, ac illi, ſeu illis debitam obedientiam,& reverentiã exhibere, ac jura parochialia,& conſueta præſtare debeant, & teneantur, d.auctoritate Apoſt. etiam perpetuò transferimus.

§.6.Et in ipſa Eccleſia S.Nicolai nomen,titulum,& denominationem, ac eſſentiã parochialis Eccleſiæ,illiuſque Rectoris ſimiliter perpetuò ſupprimimus & extinguimus.

*Ac denominationem, & tit. parochiale d. Eccleſia ſupprimit. Ipſam verò Eccl. ſic liberam cũ cam. Rectoralibus, aliaque ſupellectili omni, tam ſacra, quàm profana, aſſignat & concedit d. Confraternitati.*

§.7.Ipſam verò Eccleſiam S.Nicolai ab omni cura,officiis,oneribus parochialibus liberam, & exemptam, & de cetero non collativã effectam,illiuſque cameras Rectorales ſuper ea conſtructas,ex quibus ſi locarentur,decẽ ducati auri de Cam.ſimiles,vel circa,ut etiã accepimus, annuatim perciperentur,cum Sanctorum,& quibuſvis aliis reliquiis,ac omnibus,& ſingulis paramentis,& ornamentis,calicibus,crucibus,candelabris,campanis,libris,vaſis, univerſaque alia ſupellectili, tam ſacra, quàm profana, etiam ex auro,& argento,ac aliis rebus quibuſcumque in d.Eccleſia S.Nicolai ad præſens exiſten.& ad illius uſum comparatis, prædictæ Confraternitati, ita quod liceat ipſius Rectoribus & Confratribus nunc, & pro tempore exiſten. corporalem, & actualem Eccleſiæ S.Nicolai, ac camerarum prædictarum poſſeſſionem per ſe,vel aliũ,ſeu alios eorum,ac d.Confraternitatis nomine propria auctoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere.

*Eique à preſb. idoneis ab ipſo ponẽdis deſerviri facere.*

§.8. Dictæque Eccleſiæ S.Nicolai in divinis per preſbyteros idoneos à Rectoribus,& confratribus prædictis nunc, & pro tempore exiſten. ponendos, & pro libero, & abſoluto eorum arbitr. amoven. deſerviri facere.

*Necnõ dilatare, & in aliã formam reducere ut poſſint indulget.*

§.9. Illamque quotieſcumque, & quandocumque illis bene viſum fuerit dilatare, & ampliare, immutare, ac etiam in aliam formam reducere.

*Quotannis cereum unum 4. librarum in feſto S. Laurentii d. Card. in ſignum recognitionis ſolvere obligat.*

§.10. Ipſi tamen Rectores,& Confratres ſingulis annis in perpetuum cereum unicũ ceræ albæ ponderis quatuor librarum die feſto S.Laurentii d.Alexandro,& pro tempore exiſtenti ejuſdem Eccleſiæ S.Laurentii diacono,ſeu presbyt. Card.in ſignum recognitionis tradere teneãtur, dilecti filii noſtri moderni,& pro tẽpore exiſtentis Urbis prædictæ Vicarii,aut cujuſcumque alterius licentia deſuper minimè requiſita, ejuſdẽ Alexãdri Epiſcopi,& Card. expreſſo,dilecti verò filii moderni Rectoris,ſeu dilectorũ filiorũ modernorum Rectorum Eccleſiæ,ſeu Eccleſiarũ, ad quam,ſeu ad quas curã animarũ hujuſmodi transferri cõtigerit,ad hoc accedente conſenſu,auctoritate & tenore præmiſſis, itidẽ perpetuò concedimus, & aſſignamus.

*Redditus omnes ac alia quæcũque jura Eccl. S.Nicolai (exceptis iis quæ donavit & conceſſit d. Cofrat.) duobus Canonic.ac duabus præb.jam ... ctis in Eccl. S.Laur. ... fructibus ... reddit.Eccl. paroch.S.Cæcilia in m. Jordani ... ſuppreſſi. ... ò applica. & appropr.*

§.11.Poſtremò dictis duobus Canonicatibus,& duabus Præbẽdis noviter in d.Eccleſia S.Laurentii ex fructibus, redditibus,& proventibus olim parochialis Eccleſiæ S. Cæciliæ in monte Jordano de eadẽ Urbe,dictaque Apoſt. auctoritate erectis,pro uſu, & augmento diſtributionum quotidianarũ inter dictos duos Canonicatus,& præbendas noviter erecta,& ſuo tẽpore obtinenda, ac horis Canonicis,aliiſque divinis officiis in d.Eccleſia S.Laurentii ſuis loco,& tempore intereſſentes,æquis portionibus, & ratis dividendarum,ita quod uno eorum abſente, & non intereſſente,ejus portio,& rata alteri præſenti,& intereſſenti tantùm accreſcat, & accreſcere eo ipſo cenſeatur, omnia,& ſingula d.Eccleſiæ S.Nicolai & illi annexorum quorumcumque proprietates,prædia,domos, apothecas, canones, cenſus, rationes, aliaque bona & jura univerſa in quibuſvis rebus conſiſtentia, & undecumque provenientia, ac quomodolibet, & quovis nomine nuncupata, cameris tamen, & bonis mobilibus, aliiſque ſic ut præmittitur d. Confraternitati conceſſis tandummodò exceptis,quæ ſub hujuſmodi applicatione,& appropriatione comprehendi, aut venire non debeant, neque etiam cenſeantur, prævia illorum, quatenus opus ſit,ab eadem Eccleſia S.Nicolai opportuna diſmembratione,& ſeparatione,ita quod liceat dictos duos Canonicatus,& præbẽdas pro tempore obtinentibus, & eorum cuilibet per ſe ipſos,ſeu eorum alterum,eorum,ac dd.Canonicatuum,& præbendarum noviter erectorum nominibus corporalem realem,& actualem illorũ omnium poſſeſſionem,cujuſvis licentia etiam deſuper minimè requiſita,propria auctoritate liberè apprehẽdere,& apprehenſam perpetuò retinere,fructus quoque,redditus & provẽtus,jura,obvẽtiones, & emolumenta quæcumque exinde quomodolibet provenientia percipere,exigere,levare,recuperare,locare, arrendare,& adminiſtrare,eiſdem auctoritate,& tenore pariter, & perpetuò ex nunc applicamus & appropriamus.

*Hujus Eccl. S.Cæciliæ ſuppreſſionis bullam vide ſupra, Cum ubi retro.*

*Clauſulas præſervativas apponit.*

§.12. Decernentes præſentes literas,etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, aut habere prætendentes,illis non conſenſerint, ad eaque vocati, & cauſæ propter quas illa fiant vel facta ſint,corã prædicto Vicario Urbis,vel aliàs examinatæ,verificatæ,& juſtificatæ non fuerint,ſeu aliàs ex quocũque alio capite,vel cauſa,quantumvis legitima vel juridica,de ſubreptionis, vel obreptionis,ſeu nullitatis vitio,aut intẽtionis noſtræ,vel quopiam alio defectu notari,impugnari,retractari,annullari,vel invalidari,ſeu in jus,vel controverſiã vocari,aut ad viam,& terminos juris reduci,ſeu adverſus illas quodcũque juris,gratiæ,vel facti remedium impetrari, aut cõcedi nullatens poſſe, ſed illas ſẽper,& perpetuò validas, & efficaces eſſe,& fore,ſuoſque plenarios,& integros effectus ſortiri,& obtinere, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimiliũ gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationib.derogationib.aut aliis contrariis diſpoſitionibus,etiã per Nos,& ſucceſſores noſtros Rom.Pont.pro tẽpore exiſtentes,Sedemque prædictã,ſub quibuſcumque verborũ expreſſionibus & formis,ac cum quibuſvis clauſulis,& decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi,vel confundi,ſed ab illis ſemper excipi,& quoties illæ emanabunt,toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas,& plenariè reintegratas,ac de novo,& ſub quacumque poſteriori Dat. per Rectores, & Confratres dictæ Confraternitatis pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda conceſſas eſſe, & fore.

*Aliter judicandi facultatem tollit.*

§.13.Sicque per quoſcumque Judices ordinarios,commiſſarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes,etiã cauſarum Palatii Apoſt. Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Card.etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque,& inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores hujus conſt. deputat.*

§.14.Quocirca Ven.fratribus noſtris Oſtien.& Portuen. Epiſcopis, ac dilecto filio cauſarum Curiæ Cam.Apoſt. generali Auditori per Apoſt.ſcripta mandamus,quatenus ipſi,vel duo, aut unus eorum,per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi,& quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc, & pro tẽpore exiſten.Rectorum, & Confratrũ d. Confraternitatis, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes,eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,faciant auctoritate noſtra eaſdem præſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos nunc ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurũ, inviolabiliter obſervari, ipſoſque Rectores,& Cõfratres Eccleſiæ Sancti Nicolai, illius cameris Rectoralibus, necnon omnibus,& ſingulis paramentis, & ornamentis, calicibus,Crucibus,cãdelabris,campanis,libris,vaſis,univerſaque alia ſupellectili, tam ſacra, quàm profana eidẽ

Confraternitati

Confraternitati conceſſis ; dictos duos verò Canonicatus, & præbendas pro tempore obtinen. omnibus & ſingulis fructibus,redditibus,proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, ac aliis eiſdem duobus Canonicatibus,& præbendis,ut præfertur,applicatis, prædictis pacificè frui,& gaudere, non permittentes eos, ſeu eorum quemlibet deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari , contradictores auctoritate noſtra prædicta, appellatione poſtpoſita compeſcendo,ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus , illos ſententias, cenſ. & pœnas hujuſmodi incurriſſe, ſervata forma Conc.Trid. declarando,illoſque etiam iteratis vicibus aggravando,invocato etiam ad hoc,ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio.

*[illegible]* §.15.Non obſtant.priori voluntate noſtra prædicta,ac piæ mem.Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri , necnon quibuſvis aliis conſtit. & ordinat.Apoſt.ac quatenus opùs ſit , d. Urbis juramento , confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*[illegible]* §. 16. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis,abdicationis,tranſlationis, ſuppreſſionis,extinctionis, conceſſionis,aſſignationis,applicationis, appropriationis, decreti, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire.Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*...u.P.An.2. ...Octob.* Dat.Tuſculi,Anno Incarnationis Dominicæ 1622.tertio Nonas Octobris,Pontificatus noſtri anno 2.

---

## XXXIX. Inſtitutio feſtivitatis S. Ioachimi parentis Beatiſſ. MARIÆ Virg. ſub duplici officio die 20. Martii quotannis celebrandæ,& in Breviario, & Miſſali,& Kalend.impoſterum imprimendis deſcribendæ.

*Hic idem Pont. ſtatuit etiam feſtum S. Annæ Matris ejuſdem B. Mariæ Virg. de præcepto obſervari debere, ut ſup. in conſt. 24. Honor. & antea illud ſub die 26. Iulii, ſub dupl. officio agi juſſerat Greg. XIII. in ſua conſtit. 87 ſup. tom. 2.*

*...dita A. D. 1622.*

G R E G O R I V S P A P A X V.
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*...ordium.* APoſtolatus officium,nullo licet meritorum ſuffragio, Nobis ex alto commiſſum poſtulat,ut in ea per quæ ſancti Joachimi glorioſiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ parentis omni laude digniſſimi cultus, & veneratio in dies magis augeatur,mentis noſtræ aciem ſedulò intendamus.

*[illegible] feſtum S. ...achimi ſub ...upl.officio.* §.1. Motu itaque proprio,& ex certa ſcientia,ac matura deliberatione noſtris,déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine , quod de cætero perpetuis futuris temporibus ejuſdem S. Joachimi feſtus dies die 20. Martii celebrari ſolitus , Officio ſub ritu duplici,juxta rubricas Breviarii Romani , per univerſum Orbem ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam ſæcularibus, quàm regularibus,qui divinum officium recitare tenentur,celebrari,atque idcircò in Breviario,Miſſali,& Kalendario in poſterum imprimendis,ejuſdem S.Joachimi feſtum duplex deſcribi reſpectivè debeat, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus,& ordinamus.

*Deputatio ...ecutorum.* §.2.Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis,Archiepiſcopis, Epiſcopis,cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in univerſo terrarum Orbe conſtitutis præcipimus , & mãdamus,ut in ſuis quiſque Eccleſiis,Provinciis,& diœceſibus præſentes noſtras literas ſolemniter publicari, & ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis ſæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus omninò obſervari faciant.

*Derogatio contrariorum.* §.3. Non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis,cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides Tranſumptorum.* §.4.Volumus autem,ut præſentium tranſumptis,etiam impreſſis,manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 2.Decembris 1622. Pontific.Noſtri Anno 2. *Dat.P.An.2. die 2. Dec.*

---

## XL. Revocatio quarumcumque licentiarum legendi,& habendi quomodolibet libros prohibitos quibuſcumque perſonis,ab omnibus, etiam Romanis Pontificibus conceſſarum.

*Libri autem prohibiti qui ſint , vide in Indice deſuper edito, de quo ſupra in conſt. 77. Pii IV. tom. 2.*

G R E G O R I V S P A P A X V. *Edita An.D. 1622.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

APoſtolatus officium Nobis , nullo licet meritorum ſuffragio, divina providentia commiſſum poſtulat, ut ad ea vigilantiæ noſtræ partes propenſiùs intendamus, per quæ religio Catholica,ubi divinâ gratiâ illæſa viget, conſervetur,& ubi reſtitutione indiget,reſtituatur. *Exordium.*

§.1. Quapropter cum librorum prohibitorum lectio magno eſſe ſinceræ fidei cultoribus detrimento noſcatur, & ſicut accepimus , licentiæ libros hujuſmodi legendi nimis excreverint : Nos , ut huic malo maturè occurratur , & in poſterum quamcautiſſimè licentiæ hujuſmodi concedantur,quantum cum Domino poſſumus,providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia , ac matura deliberatione noſtris,déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes , & ſingulas licentias legendi , & habendi libros quoſcumque ob hæreſim , vel falſi dogmatis ſuſpicionem,vel aliàs quomodolibet prohibitos,quibuſcumque perſonis,cujuſcumque gradus,& conditionis exiſtentibus,etiam per literas Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam , & aliter quomodocumque & ex quacumque cauſa, tam per literas in forma Brevis , quàm aliter quomodocumque à Nobis , ſeu prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus,ſeu ab habentibus à Nobis,vel ab eis facultatem,& auctoritatem conceſſas,earum tenorem præſentibus pro expreſſis habentes,tenore præſentium revocamus,caſſamus,& annullamus,ac pro revocatis,caſſis,& annullatis haberi,nullique in poſterũ ſuffragari volumus. *Prohibitio habendi & legendi libros prohibitos.*

§.2. Quinimò libros per licentias hujuſmodi permiſſos legentes, aut habentes , pœnas in ſacris Canonibus, conſtitutionibus Apoſtolicis,& Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus & declaramus. *Contravenientibus pœnas imponit.*

§.3. Decernentes , ut præſentes literæ , poſtquam in valvis Baſilicarum S.Joan.Lateranen. ac principis Apoſtolorum de Urbe,& Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint , infra duos menſes ex tunc proximos, omnes, & ſingulos ad quos ſpectat, arctent,& afficiant,perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent,quodque dictis duobus menſibus durantibus , ii qui libros prohibitos hujuſmodi habuerint,eos ad Epiſcopum , ſeu Inquiſitorem, qui illos quantocitiùs comburere debeat,deferre, quique aliquos ſimiles libros prohibitos habere ſciverint , eos denunciare teneantur, neque de cætero ſimiles licentiæ niſi à Congregatione Sancti Officii , quæ ſingulis hebdomadis coram Nobis haberi ſolet, concedantur. *Hanc legem Pont. publicatam omnes ligare decernit.*

§.4.Ac quod earumdem præſentium tranſumptis,etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis , & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur , ſi forent exhibitæ , vel oſtenſæ. *Eiuſque tranſumptis ſidem ſervari mandat.*

Dat.Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris , die 30. Decembris MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo. *Dat.P.An.2. die 30. Dec.*

*Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Indictione ſexta, die verò ſecunda menſis Ianuarii , Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris , & D.N.D. Gregorii divina providentia Papæ XV. Anno eius ſecundo , Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ fuerunt ad Valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſ. & Principis Apoſtolorum de Vrbe,ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campi Floræ, ut moris eſt , per me Brandimartem Latinum Apoſt. Cur .* *Publicatio.*

*Octavius Spada Magiſter Curſorum.*

XLI. Revocatio quarumcumque præcedentiarum, ſeu paternitatum Fratribus Minoribus S. Franciſci de Obſervantia, præter conſtitutiones Ordinis auctoritate Apoſtolica confirmatas, conceſſarum.

*Hoc poſtea fuit etiam in vim hujus Conſt. decretum in Capitulo generali Romæ celebrato, & à S. D. N. Vrbano VIII. confirmatum, ut in Statutis pro Ciſmontana familia poſitis poſt conſt. 49. Sacroſanctam.*

Iſtorum Fratrum circa Prælatorum electiones nonnulla ſtatuiſſe Pium V. & Gregorium XIII. ſcias, quorum conſtitutiones indicatas habes ad conſt. 23. Leonis X. Ite & vos, ſup. tom. 1. ubi videas alias conſt. adnotatas.

*Edita An. D. 1623.* *GREGORIVS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* PAſtoralis officii Nobis divinitus injuncti aſſidua ſollicitudo nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea ſemper intendamus, per quæ regularium perſonarum, quæ relicto ſæculo, Dei obſequio ſeſe dedicarunt, quieti, felicique ſtatui, ac regularis diſciplinæ conſervationi conſulitur, ut regulares ipſæ perſonæ juxta regularia ſuorum Ordinum inſtituta tranquillis mentibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum.

*Revocatio de qua in rubr.* §. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, ex nimia privilegiorum, prærogativarum, atque exemptionum Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, qui in dicto Ordine aliqua munia obierunt, ſeu aliàs tam à Sede Apoſtolica, quàm ab ejuſdem Ordinis Superioribus conceſſarum multitudine, non levia inconvenientia oriantur, in regularis obſervantiæ, & diſciplinæ detrimentum. Nos inconvenientibus hujuſmodi, quantum cum Domino poſſumus, obviare cupientes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas Paternitates, & Præcedentias, quibuſvis dicti Ordinis Fratribus ex privilegio tam per Sedem Apoſtolicam, quàm dicti Ordinis Superiores ex quacumque cauſa, & ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis quomodolibet conceſſas, ſalvis tamen, & in ſuo robore remanentibus iis, quæ Fratribus prædictis ex diſpoſitione Statutorum dicti Ordinis Apoſtolica auctoritate confirmatorum conceſſa ſunt, tenore præſentium revocamus, caſſamus, & abrogamus, ac revocatas, caſſatas, & abrogatas eſſe, & fore, nec illas de cætero cuiquam ſuffragari poſſe decernimus.

*Clauſula ſublata.* §. 2. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

*Clauſula derogatoria.* §. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides tranſumptorum.* §. 4. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Dat. P. An. 2. die 3. Febr.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 3. Febr. 1623. Pontificatus noſtri Anno 2.

---

XLII. Communicatio, & extenſio privilegiorum, immunitatum, & exemptionum, gratiarum, & indultorum, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus quibuſvis aliis, tam Mendicantium quàm non Mendicantium Ordinibus, per quoſcumque Romanos Pontifices conceſſorum, & in futurum concedendorum, ad Sacrum Ordinem Carthuſienſem.

*De hoc Ordine, & ejus approbatione vide ſuprà in conſtit. 7. Alex. III. Cùm vos, tom. 1. Et inſtitutionem feſtivitatis S. Brunonis Confeſſoris, d. Ordinis Inſtitutoris, ac Officii ſub ritu ſemiduplici celebrandi, habes hic infrà, conſt. 44. Domini Noſtri.*

*GREGORIVS PAPA XV.* *Edita An. D. 1623.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Proœmium.* AD uberes, & ſuaves fructus, quos dilecti filii Prior generalis, & Monachi Ordinis Carthuſien. in militanti Eccleſia, cujus regimini divina diſponente clementia præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem convertentes, ac uberiores ex ipſo Ordine fructus proventuros eſſe ſperantes, ad ea meritò libenter intendimus, per quæ Ordo hujuſmodi felicioribus in dies proficere valeat incrementis.

*Communicatio de qua in rubr.* §. 1. Ut igitur Prior generalis, & Monachi prædicti eo ferventiùs in ſuo laudabili inſtituto perſeverent, quo majoribus ſe viderint favoribus, & gratiis munitos, providere volentes, ac ſingulares Prioris generalis, & Monachorum prædictorum perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Ordini prædicto, illiuſque Priori generali, & Monachis, aliiſque perſonis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibuſvis aliis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinibus, illorumque Superioribus, Abbatibus, Monachis, aliiſque Regularibus perſonis, necnon Eccleſiis, Monaſteriis, & regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extenſionis, aut aliàs quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam quomodolibet conceſſis, & in futurum conceden. & quibus ipſi, necnon Eccleſiæ, Monaſteria, & regularia loca hujuſmodi de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut conceſſione Apoſtolica in genere, vel in ſpecie, ac tam conjunctim, quàm diviſim, ſeu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen ſint in uſu, & non ſint revocata, aut ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ſacriſque canonibus, & Concilii Tridentini decretis, aut conſtitutionibus Apoſtolicis non repugnent, pari modo, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, perinde ac ſi illis nominatim, & in ſpecie conceſſa fuiſſent, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus, dictaque privilegia, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta primodicto Ordini, illiuſque Priori generali, & Monachis, aliiſque perſonis, necnon eorum Eccleſiis, Monaſteriis & regularium locis communicamus, illaque ad eos, & illa extendimus.

*Clauſula præſervativa hujus conſt.* §. 2. Decernentes, præſentes literas validas, firmas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac primodicto Ordini, illiuſque Priori generali, & Monachis, ac perſonis hujuſmodi omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

*Clauſula ſublata.* §. 3. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſula derogatoria.* §. 4. Non obſtant. noſtra de gratiis ad inſtar non conceden. ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5.

§.4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 3. Februarij MDCXXIII. Pontificatus noſtri anno 2.

---

XLIII. Confraternitatem SS. Benedicti, & Scholaſticæ à Paulo V. erectam, ob ejus incrementa in exercitio operum Charitatis, erigit in Archiconfraternitatem, cum facultate alias Confraternitates aggregandi, illiſque indulgentias, & gratias ſpirituales communicandi.

*Erectionem hujus Confraternitatis factam per Paulum V. habes ſup. in d. Pont. conſt. 87. Paſtoris, tom. 3.*

*G R E G O R I V S   E P I S C O P V S,*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

Pias Christi fidelium Confraternitates, ad pietatis, & charitatis opera exercenda, præſertim in Alma Urbe noſtra canonicè inſtitutas, ut in eorumdem piorum operum exercitio magis accendantur, & confoveantur, titulis, & gratiis amplioribus libenter decoramus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Euſtachii de Urbe, una pia utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub S. Benedicti, & S. Scholaſticæ invocationibus per fel. rec. Paulum Papam V. prædeceſſorem noſtrum Apoſtolica auctoritate erecta, & inſtituta fuerit, ac dilecti filii illius Officiales, & Confratres in quamplurimis pietatis, & charitatis operibus ſeſe exercere conſueverint, & in dies magis Deo dante exercere intendant.

§.2. Nos Confraternitatem prædictam, quo majora in dies ſuſcipere valeat incrementa, hoc ſpirituali dono illuſtrare, ac Officiales & Confratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem prædictam ſic ut præfertur erectam, & inſtitutam, in Archiconfraternitatem (ſine tamen cujuſquam præjudicio,) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium erigimus, & inſtituimus, ac in poſterum Archiconfraternitatem S. Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ nuncupari poſſe decernimus.

§.3. Præterea Officialibus, & Cōfratribus prædictis nūc, & pro tempore exiſten. ut quaſcumque alias Confraternitates ejuſdem denominationis & inſtituti canonicè erectas aggregare, illiſque omnes, & ſingulas Indulgētias, ac gratias ſpirituales, eorum Archicōfraternitati hujuſmodi dicta Apoſtolica auctoritate conceſſas, ſervata tamen forma Conſtitutionis piæ mem. Clem. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri deſuper editæ, ac ſine cujuſquam pariter præjudicio, communicare liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis facultatem concedimus, & impartimur.

§.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 4. Februarii MDCXXIII. Pontific. Noſtri Anno 2.

---

XLIV. Inſtitutio feſtivitatis S. Brunonis Confeſſoris Fundatoris Ord. Carthuſianorum, ſub ſemiduplici ritu, die 6. Octobris ubique terrarum celebrandæ, & in Breviario, Miſſali, & Calendariis impoſterum imprimendis apponendæ.

*De hujus Ordinis approbatione, & aliis eum concernentibus vide conſt. 7. Alexandri III. Cum vos, tom. 1. & communicationem Privilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium, vide hic ſup. conſt. 42. Ad uberes.*

*G R E G O R I V S   P A P A   X V.* *Edita An. D. 1623.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex injuncto Nobis paſtoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem ſervorum Chriſti debita veneratio in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis ſuis: Quamobrem fidelium quorumlibet, præſertim verò ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium votis, quæ peculiarem Sanctorum hujuſmodi cultum, & venerationem reſpiciunt, libenter annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Inſtitutio feſtivitatis S. Brunonis die 6. Octob. celebranda, ſub ritu ſemiduplici.* §.1. Supplicationibus itaque dilecti filii D. Bernardi Gazzi Ordinis Carthuſienſis Procuratoris generalis Nobis humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum conſilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus feſtum S. Brunonis ejuſdem Ordinis Fundatoris, die 6. Octobris, qua in cœlum evolavit, in Miſſali, & Breviario Romano reponi, Officiumque de eo ſemiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

*Deputatio Executorum.* §.2. Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis in univerſo terrarum orbe conſtitutis præcipimus, & mādamus, ut in ſuis quiſque Eccleſiis, Provinciis, & diœceſibus præſentes literas ſolemniter publicari, & ab omnibus Eccleſiaſticis perſonis, ſæcularibus & quorumvis Ordinum regularibus omninò obſervari faciant.

*Derogatio contrariorum.* §.3. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Fides Tranſumptorum.* §.4. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die xvij. Februarii MDCXXIII. Pontificatus noſtri anno 3. *Dat. P. An. 3. die 17. Febr.*

---

Suppreſſio curæ Animarum in Parochiali Eccleſia Sancti Pantaleonis de Urbe exiſtentis, & illius applicatio Eccleſiæ S. Euſtachii, de cujus menſa Capitulari extat dicta Eccleſia S. Pantaleonis, ejuſque conceſſio Congregationi Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum de Urbe, ut in ea liberiùs Inſtitutum ſuum exercere poſſint. XLV.

*Uſum perpetuum dictæ Eccleſiæ, ſine tamen Rectoris pro tempore exiſtentis præjudicio, conceſſerat eidem Congregationi Paulus V. ut in conſt. ſeq. ſed advertendum eſt, quod tunc illa Congregatio erat Clericorum Sæcularium B. Mariæ nuncupatorum, cui d. Paulus hoc opus erudiendi Scholares demandaverat in conſt. 81. ſuprà, tom. 3. Quæ cum poſtea renuiſſet d. opus adminiſtrare, ideo idem Paul. V. erexit aliam Congregationem Clericorum Regularium, cui d. opus commiſit, ut in conſt. 101. Pauli, Ad ea, ſup. tom. 3. quam poſtea iſte Pont. multis gratiis decoravit, ut in conſt. 14. In ſupremo, ſup. ubi vide quæ ſignavi.*

*G R E G O R I V S   P A P A   X V.* *Edita An. D. 1623.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* Regimini univerſalis Eccleſiæ, meritis licèt imparibus, diſponente Domino præſidentes, votis illis per quæ Congregationum, & aliorum locorum piorum quorumlibet, præſertim in Alma Urbe noſtra ſtudio piorum operum vacantium proſpero ſtatui, & opportunæ ſubventioni, cum divini cultus augmento, ac ipſa ſpirituali fidelium conſolatione valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. *Narratur reſervatio omnium Beneficiorum curam, & ſine cura vacantium, & vacaturorum Sedi Apoſt.*

§.1.

*Et ad præſens Eccleſia S. Pantaleonis in Regione Parionis de Urbe ex ſtentis, vacantis per reſignationem Alexandri Lucii, nuper Vicarii dictæ Eccleſiæ, ſponte in manu Pont. factam.*

§. 1. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Cum itaque poſtmodum perpetua Vicaria parochialis Eccleſiæ S. Pantaleonis regionis Parionis de eadem Urbe, cujus dum pro tempore vacat, nominatio perſonæ idoneæ ad dilectos filios Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ S. Euſtachii de dicta Urbe, cujus menſæ Capitulari ipſa Eccleſia S. Pantaleonis perpetuò unita exiſtit, ſpectare dignoſcitur, per liberam reſignationem dilecti filii Alexandri Lucii, nuper dictæ Eccleſiæ S. Pantaleonis perpetui Vicarii, de illa quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis.

*Cujus Eccleſia uſum jam antea conceſſerat Paul. V. ut in conſt. ſibi indicata in Rubr. his Clericis pro Scholarium commoditate.*

§. 3. Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpoſiti generalis, & Clericorum Congregat. Matris Dei nuncupatæ de d. Urbe, petitio continebat, quod d. Eccleſia S. Pantaleonis in regione Scholarum Piarum, in eadem Urbe dudum inſtitutarum ſita ſit, proinde quod aliàs fel. rec. Paulus Papa V. prædeceſſor noſter, Præpoſiti, & Clericorum hujuſmodi, quibus cura, & adminiſtratio dictarum Scholarum jam antea ab ipſo prædeceſſore perpetuò commiſſa, & demandata fuerat, ac Scholarium eaſdem ſcholas frequentantium commodis, & opportunitatibus, quo piis eorum exercitiis faciliùs vacare poſſent, providere volens, perpetuum uſum ipſius Eccleſiæ S. Pantaleonis Præpoſito, & Clericis prædictis conceſſerit, & aſſignaverit, prout in ſuis literis deſuper in forma Brevis confectis pleniùs continetur.

*In qua tamen ob cura animarum exercitium varia & non modica oriuntur impedimenta, præſertim in exercitiis ſpiritualibus ipſorum Clericorum.*

§. 4. Præpoſitus verò, & Clerici prædicti ipſa Eccleſia S. Pantaleonis ratione curæ animarum, quæ illi incumbit, & ibi exercetur, & prout eorum, & Scholarium prædictorum neceſſitas exigit, minimè uti poſſint, & ex hujuſmodi curæ exercitio varia paſſim impedimenta, & incommoda, præſertim in exercitiis eorum ſpiritualibus obeundis pati, & experiri ſoleant.

*Quibus provideretur, ſi dicta cura auferretur ab ipſa Eccleſia S. Pantaleonis, ac uniretur, ſeu transferretur ad Eccleſiam S. Euſtachii, cujus menſa capitulari addicta eſt Eccleſia S. Pantaleonis. Pro cujus ſuppreſſione dd. Clerici ſupplicarunt huic Pontifici.*

§. 5. Si igitur dicta Vicaria, cujus fructus & proventus in portione ſexaginta ſcutorum monetæ per Capitulum, & Canonicos prædictos annuatim perſolvi ſolita, ultra emolumenta ratione exercitii curæ, & adminiſtrationis Sacramentorum provenientia conſiſtunt, perpetuò ſupprimeretur, & extingueretur, ac ab ipſa Eccleſia S. Pantaleonis omnimoda animarum hujuſmodi cura abdicaretur, ſicque abdicata ad prædictam S. Euſtachii, quæ etiam parochialis exiſtit, in ea modo, & forma inferius expreſſis exercenda transferretur, & alia fierent, quæ ſequuntur, proculdubio incommoda, & impedimenta hujuſmodi opportuna, & ſalubri ratione, magno Scholarum, & Congregationis prædictarum bono tollerentur, & cura animarum prædictarum nullatenus negligeretur, ſed æquè benè, vel etiam melius, & fructuoſius quàm antea exerceretur, divinuſque cultus inde in dicta Eccleſia S. Pantaleonis non modicùm augeretur.

§. 6. Quare pro parte Præpoſiti, & Clericorum prædictorum aſſerentium fructus, redditus, & proventus d. Vicariæ quinquaginta ducatorum auri de Camera, ſecundùm communem æſtimationem, valorem annuum non excedere: Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus dictæ Eccleſiæ S. Pantaleonis uſum eidem Congregationi concedere, & aſſignare, aliiſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*Qui modò curam præd. ac Tituli denominationem ſupprimit, & extinguit.*

§. 7. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum æſtimationem prædictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, idemque obſervaretur in quibuſvis applicationibus de quibuſvis fructibus, & bonis Eccleſiaſticis, quique divini cultus augmentum, & propagationem ſinceris exoptamus affectibus, ipſum Præpoſitum, ac Congregationis hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat cōſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cēſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vicariam prædictam, ſive præmiſſo, ſive alio quoviè modo, aut ex alterius cujuſcũque perſonæ, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Alexandri, vel cujuſvis alterius de illa in Rom. Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem piæ mem. Joannis Papæ XXII. etiam prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Execrabilis, vel aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſt. quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tãto tempore vacaverit, quod illius collatio juxta Laterani Statuta Concilii, eſt ad Sedem prædictam devoluta legitimè, ipſaque Vicaria diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatũ præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pēdet indeciſa, dummodo illius diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, illiuſque, ac in ipſa Eccleſia S. Pãtaleonis perpetui Vicarii titulus, & denominationes Apoſt. auctoritate tenore præſentiũ perpetuò ſupprimimus, & extinguimus.

*Hac ex[…] gans Ex[…] bilis, e[…] Tit. de p[…] bend. & […] gnit.[…]*

*Curam[…] ipſam ap[…] cat Eccl[…] ſuprad. S. [Eu]ſtachii.*

§. 8. Illiſque ſic ſuppreſſis, & extinctis, ab eadem Eccleſia S. Pantaleonis omnimodã animarũ illius parochianorum curam, aliaque jura, officia, & onera parochialia univerſa, & illorum exercitium etiam perpetuò applicamus, ac illa omnia etiã, unà cum utriuſque ſexus parochianis prædictis, ad dictam Eccleſiam S. Euſtachii in ea, ut infra exercenda, & obeunda, ſimiliter perpetuò transferimus.

*Et Eccleſ[…] hujuſmodi […] Pantaleon[…] cum illius […] dibus, & […] tiis Par[…] libus, a[…] d. Congre[ga]tioni con[…]*

§. 9. Dictam autem Eccleſiam S. Pantaleonis ſic ab hujuſmodi cura, juribus, officiis, oneribus, & exercitiis parochialibus liberam, & exemptam, illiuſque ædes, ſeu ſtantias parochiales pro dicti Vicarii habitatione deſtinatas, & eidem contiguas, & cohærentes, quoad liberum, & perpetuum illarum uſum dumtaxat, dictæ Congregationi, ita quod liceat illius Præpoſito, & Clericis nunc, & pro tempore exiſtentibus corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem, quoad uſum hujuſmodi tantùm, per ſe, vel alium, ſeu alios eorum, ſeu prædictæ Congregationis nomine propria auctoritate ex nunc apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, Vicarii dictæ Urbis, vel alterius cujuſvis licentia minimè requiſita.

*Cum fa[cul]te ibidem […] cra facien[…] ac alia om[…] ſecundũ […] dem Congr[…] inſtitutu[…]*

§. 10. Necnon in ipſa Eccleſia S. Pantaleonis Miſſas, aliaque divina officia quæcumque celebrare, & decantare, ac ſpiritualia exercitia per Clericos ipſius Congregationis fieri ſolita ſimiliter facere, & aliàs eidem in divinis ex inſtituto ejuſdem Congreg. deſervire auctoritate, & tenore præmiſſis pariter perpetuò concedimus, & aſſignamus.

*Necnon […] ſtaurandi, […] etiam de n[ovo] à fundam[en]tis conſtru[…]*

§. 11. Et inſuper pro felici, proſperaque omnium præmiſſorum executione, directione, & complemento, quod Præpoſitus, & Clerici dictæ Congregationis nunc, & pro tempore exiſtentes, dictam Eccleſiam S. Pantaleonis quandocumque, & quotieſcumque voluerint, & illis beneviſum fuerit, pro libera, & abſoluta eorum voluntate, & arbitrio inſtaurare, reparare, accommodare, ampliare, ac in quamcumque aliam formam immutare, & etiam de novo à fundamentis conſtruere liberè, & licitè valeant.

*Cum obli[ga]tione ſolve[…] quotannis […] ſignum re[co]gnitionis […] jus Cent[…] nis 20. li[…] ceræ Vene[…] & duode[…] ſcuta mo[…] ipſi Eccleſ[…] S. Euſtach[ii]*

§. 12. In ſignum tamen recognitionis præſentis conceſſionis quotannis in perpetuum Capitulo, & Canonicis prædictis in die feſto S. Euſtachii viginti libras ceræ Venetæ, & duodecim ſcuta monetæ ſolvere.

*Proviſio c[…] cura anim[a]rũ exer[ci]ti[…] Capitulo, […] Canonicis […] Euſtachii […] mandatur.*

§. 13. Vicarius autem perpetuus dictæ Eccleſiæ S. Euſtachii nunc, & pro tempore exiſtens, curam animarum dictorum parochianorum, officiaque & onera ſic tranſlata exercere, & obire; Capitulum verò, & Canonici prædicti illi de coadjutore idoneo, & ad curam animarum exercendam ab ipſo Urbis præfatæ Vicario examinato, & approbato, qui ad nutum eorundem Capituli, & Canonicorum amovibilis ſit, ipſumque Vicarium perpetuum Eccleſiæ S. Euſtachii in exercitio curæ animarum illi incumbentis, & præſertim in caſibus animas parochianorum infra limites, ubi de præſenti Parochia S. Pantaleonis dictæ Eccleſiæ exiſtit, pro tempore habitantium concernentibus coadjuvet, providere teneatur.

*Calices, […] alia ſupel[le]ctilia Sacr[i]ſtia S. Pan[ta]leonis reſer[va]tur Capit[ulo] & Canoni[cis] S. Euſt[a]chii cum ex[…]*

§. 14. Omniaque paramenta, calices, & alia ſupellectilia ad Sacriſtiam ejuſdem Eccleſiæ S. Pantaleonis pertinentia Capitulo, & Canonicis cedere, & eiſdem poſt

dicti

dicti Alexandri ab ipſa Eccleſia Sancti Pantaleonis diſ-ceſſum conſignare, ac prædicta portio annua ſexaginta ſcutorum monetæ Vicario perpetuo dictæ Eccleſiæ S. Pantaleonis, ut præfertur ſolvi, & omnes aliæ expenſæ per dictos Capitulum, & Canonicos in ipſa Eccleſia S. Pantaleonis quomodocumque fieri ſolitæ penitus omninò ceſſare, illæque ad liberam diſpoſitionem eorumdem Capituli,& Canonicorum,tanquam proprii,& peculiares eorum redditus remanere debeant.

§.15. Et quotieſcumque Capitulum,& Canonici prædicti in die feſto ipſius S.Pantaleonis,primis Veſperis, & Miſſæ ſolemni in dicta Eccleſia S.Pantaleonis decantandis,ut illis mos eſt, intervenerint, Clerici dictæ Congregationis pro tempore exiſtentes illos honorificè recipere,& tanquam Dominos recognoſcere teneantur.

§.16. Prætereà dominium,& juriſdictionem dictæ Eccleſiæ S.Pantaleonis,quæ ad præſens dicti Capitulum, & Canonici habent, eiſdem Capitulo, & Canonicis,etiam unà cum omnibus redditibus, proventibus, & emolumentis, quæ dictus Alexander in ea tanquam perpetuus Vicarius ipſius Eccleſiæ S. Pantaleonis percipit, & aliis juribus quibuſcumque præſentibus,& futuris,quæ ad ipſos Capitulum,& Canonicos ſpectant,firmè,& continuatè remanere cenſeantur.

§.17. Et ſi dictam Eccleſiam S.Pantaleonis in toto,vel parte fabricari contigerit, etiamſi facies ejus non immutetur,in ea tamen inſignia, & arma S. Euſtachii in lapide marmoreo collocari.

§.18. Et Reliquiæ,quæ de præſenti in dicta Eccleſia S. Pantaleonis reperiuntur, apud eandem de cætero remanere,& in ea benè,& decenter ſub duabus clavibus,quarum unam Clerici dictæ Congregationis, alteram verò Capitulum,& Canonici prædicti habeant,cuſtodire, & obſervare, piaque & devota conſuetudo præbendi aquam bibendam,in quam Reliquiæ ejuſdem S.Pantaleonis immiſſæ ſint,in ipſa Eccleſia S.Pantaleonis hucuſque recepta, etiam impoſterum in eadem retineri,& ſervari.

§.19. Omnes verò,& ſingulæ expenſæ,quas tam in aptando dictam Eccleſiam S. Pantaleonis, quàm in tectorum, murorum,ſtatuarum,e latere,& ſilice pavimentorum manutentione, & aliàs circa dictam Eccleſiam S.Pantaleonis fieri contigerit,ad dictam Congregationem in omnibus, & per omnia pertinere debeant, illiuſque Præpoſitus,& Clerici nunc,& pro tempore exiſtentes, neque ob id, neque ex cauſa contributionis, vel quarumcumque aliarum impenſarum,quas in paramentis,& patenis,calicibus,linteaminibus, cera, oleo, & quibuſvis aliis rebus pro uſu,& ſervitio d.Eccleſiæ S. Pantaleonis neceſſariis, & decentibus ſubire opus fuerit, aliquid à Capitulo, & Canonicis prædictis prætendere.

§.20. Minuſque cuiquam ullum ſitum,aut locum,quantumvis minimum,ejuſdem Eccleſiæ S.Pantaleonis,aut Capellas,vel Altaria in illa exiſtentia Confraternitatibus,ſeu Congregationibus,aut quibuſcumque aliis,ſine dictorum Capituli, & Canonicorum licentia concedere, nec quidquam aliud,quod ullo unquam tempore juriſdictioni, & directo dominio Capituli, & Canonicorum prædictorum directè,vel indirectè præjudicare,vel obeſſe poſſit,facere queant,& ſi quid tale fecerint,id nullum,& invalidum eſſe cenſeatur eo ipſo,dictique Capitulum,& Canonici illud propria auctoritate revocare poſſint,& Capellæ,quæ in ipſa Eccleſia S. Pantaleonis fundatæ reperiuntur, ſive ſint de jurepatronatus, ſive non ſint, in primævis earum juribus remanere,& diſpoſitioni ordinariæ ſubjacere.

§.21. Eiſdemque Capitulo,& Canonicis jus ſepeliendi mortuos in dicta Eccleſia S. Pantaleonis competere debeat,dicta verò Congreg.illiuſque Præpoſitus,& Clerici pro tempore exiſtentes ibidem ſuas ſepulturas habere, in eiſque corpora, tam ſuorum pro tempore defunctorum, quàm aliorum,qui ibi ex particulari devotione condi voluerint,ſepulchra facere,& lapides cum ſcriptionibus hujuſmodi tantùm ſuperimponere valeant, & ſimiliter qui jus ſepulturarum in dicta Eccleſia S.Pantaleonis habent, illud eis reſervatum,& ſalvum eſſe cenſeatur.

§.22. Et ſi Congregatio,illiuſque Præpoſitus,& Clerici præfati à dicta Eccleſia S. Pantaleonis receſſerint, illamque ex quacumque cauſa reliquerint,eo caſu illam etiam quoad uſum,etiam unà cum omnibus fabricis, & ſtructuris,ac ornamentis in ea factis,menſæ Capitulari præfatæ, ut priùs,unita,& incorporata ſit,& eſſe cenſeatur,ac Congregatio,illiuſque Præpoſitus, & Clerici præfati ratione illorum quidquam prætendere, vel petere non poſſint, itidem perpetuò ſtatuimus,& ordinamus.

*Clauſula præſervativa hujus conſtit.*

§.23. Decernentes,præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium,vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus,limitationibus,derogationibus,aut aliis contrariis diſpoſitionibus,etiam per Nos,& ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, Sedemque præfatam, ſub quiſcumque verborum expreſſionibus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi,vel confundi,ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum,& validiſſimum ſtatum reſtitutas,repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data per Præpoſitum, & Clericos dictæ Congreg.pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda,conceſſas eſſe,& fore,eiſdemque perpetuò ſuffragari.

*Decretum irritans.*

§.24. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores,ac S.R.E.Cardinales,etiam de latere legatos,& Vicelegatos,dictæque Sedis Nuncios judicari & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Contrariorum derogat.*

§.25. Non obſtant.Lateranen.Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohibentis,aliiſque quibuſvis Apoſtolicis, necnon in ſynodalibus,provincialibuſque,& univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus,vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, ſi in aliquo obſtent, Vicariæ perpetuò per præſentes ſuppreſſæ,& extinctæ erectione, & inſtitutione, aliàs per recolendæ mem. Pium Papam V. ſimiliter prædeceſſorem noſtrum Motu proprio factis,ac dictæ Eccleſiæ S.Pantaleonis fundatione, & dotatione, illiuſque, ac dictæ Eccleſiæ S.Euſtachii juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus,cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Sanctio pœnalis.*

§.26. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis,ſuppreſſionis, extinctionis, abdicationis, tranſlationis, conceſſionis, aſſignationis, ſtatuti, & ordinationis, decretorum,& voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat.P.An.3. die 23. Febr.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XXII.vij.Kal.Martii, Pontificatus noſtri anno 3.

*Sequitur conceſſio uſus perpetui dictæ Eccleſiæ,facta per Paulum V.Congregationi Clericorum Sæcularium Beatæ Mariæ.*

*Edita An.D. 1614.*

## *GREGORIUS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

CHriſti fidelium quorumlibet,præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium votis, quæ ad promovendam, excitandamque eorum, & aliorum fidelium devotionem pertinere dignoſcuntur,libenter annuimus,eaque favoribus proſequimur opportunis.

*Demandavit curam dd. Scholarum Congr. Matris Dei.*

§.1. Cum itaque Nos nuper curam,regimen,& adminiſtrationem in Urbe erectarum Piarum Scholarum dilectis filiis Præpoſito, & Clericis Congregationis Matris Dei nuncupatæ, Apoſtolica auctoritate perpetuò commiſerimus,& demandaverimus, prout in noſtris inde confectis in ſimili forma Brevis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus,pleniùs còtinetur.

*Eidemque modo concedit perpetuum uſum Eccleſiæ S. Pantaleonis, ſine præjudicio illius Rectoris.*

§.2. Nos ut præpoſitus,& Clerici,ac dictarum Scholarum Scholares piis eorum exercitiis ſuo tempore faciendis meliùs,& faciliùs vacare poſſint, providere volentes, ſupplicationibus dilecti filii Alexandri Bernardi dictæ Congregationis Præpoſiti generalis,Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati,perpetuum uſum Eccleſiæ parochialis S.Pantaleonis,quæ è regione dictarum Scholarum Piarum in Urbe exiſtit, Præpoſito, & Clericis prædictis,

dictis, ſine tamen moderni, & pro tempore exiſtentis dictæ Eccleſiæ Rectoris, ac cujuſquam præjudicio, & dummodo ad id dilecti filii noſtri Odoardi Sancti Euſtachii Diaconi Cardinalis Farneſii nuncupati expreſſus accedat aſſenſus, dicta auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & aſſignamus.

*Super his moleſtari prohibet.* §.3. Decernentes, Præpoſitum, & Clericos prædictos deſuper à quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebitè moleſtari nullatenus poſſe.

*Contrariiſque derogat.* §.4. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An 3. die 23. Iulii.* Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 13. Junii M.DC.XIV, Pontificatus Noſtri Anno X.

---

## XLVI. Contra Maleficos, & Sortilegos cum diabolo pactum facientes, à fidéque apoſtatando alios lædentes.

*De hac materia habes ſuprà conſtit. 1. Innocentii Octavi, Summi, tom. 1. Leonis X. conſtit. 43. Honeſtis, Hadriani VI. conſtit. 2. Dudum, ibidem, & Sixti V. conſtit. 17. Cœli, tom. 2.*

*Edita An. D. 1623.* *GREGORIVS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.* OMnipotentis Dei Salvatoris noſtri, qui ut hominem à laqueis diaboli liberaret, Crucem ſubire dignatus eſt, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, in id ſummo ſtudio, juxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, incumbimus, ut gregem Dominicum inæſtimabili pretio redemptum, adverſus Sathanæ fraudes defendamus, ejuſdem officii partes deſuper interponendo, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

*Maleficos, & Sortilegos, de quibus in rubr. deteſtatur.* §.1. Sanè nonnulli ſuæ conditionis obliti, & ſolemnis ſponſionis ab iis factæ, cum in Chriſti gregem per ſacrum regenerationis lavacrum adſciti fuerunt, Sathanæ, cui renunciarũt, artibus, maleficiis, ſuperſtitionibus, ac nefariis inventis operam dare non verentur, quinimò magiſtrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus proſequitur, hominibus inſidiari nunquam ceſſat, proximũ variis modis lædere, animas verò ſuas perdere non timent.

*Graviſſimas eis pœnas infligit.* §.2. Quapropter, ut tam exitioſa ſcelera à Chriſti fidelibus arceantur, gravioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut conſtito quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficiis, ſive ſortilegiis unam, ſeu plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò, ſimiliter apoſtatando, pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit, licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, ſive perpetuis carceribus in Sancto Inquiſitionis officio, ubi ille exiſtit, fabricandis mancipari debeat.

*Delinquentes iſtos Epiſcopo, vel inquiſitori denunciari mandat.* §.3. Qui verò ſimilium delinquentium notitiam habuerint, eos Epiſcopo, ſive Inquiſitori denunciare teneantur.

*Contraria tollit.* §.4. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Tranſumptis credi jubet.* §.5. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

*Hanc legem in Vrbe publicatam omnes ubique ligare declarat.* §.6. Quódque eædem præſentes, poſtquam in valvis Baſilicarum Sancti Joannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

*Dat. P. An. 3. die 20. Mart.* Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Martii M.DC.XXIII. Pontificatus noſtri Anno 3.

*Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Indictione ſexta, die verò vigeſima tertia menſis Martii, Pontificatus S.D.N.D. Gregorii divina providentia Papa XV. anno ejus Tertio, retroſcripta literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranen. Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellaria Apoſtolica, & in acie Campi Floræ, per me Brandimartem Latinum Apoſtolicum Curſorem, &c.*

---

## XLVII. Abdicatio curæ Animarum à parochiali Eccleſia S. Andreæ de Funariis de Urbe, ac ejus tranſlatio ad aliam parochialem Eccleſiam Sancti Nicolai ſimiliter de Funariis, ſeu alteram viciniorem Eccleſiam, ejuſque conceſſio Confraternitati Sculptorum, & Lapidicidarum, ſub invocatione Sanctorum Quatuor Coronatorum in Urbe olim inſtitutæ.

*Formam conferendi parochiales Eccleſias præſcriptam habes in Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 13. & ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform. quam ſervari voluit, ac contra eam collatas damnavit Pius V. ut ſuprà in Conſt. 33. In conferendis, tom. 2.*

*GREGORIVS EPISCOPVS,* *Edita A. 162[…]*
*Servus Servorum Dei: Ad perpetuam rei memoriam.*

REgimini univerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino præſidentes, votis illis, per quæ Confraternitatum, & aliorum piorum locorum quorumlibet proſpero ſtatui, & opportunæ obventioni, cum divini cultus augmento, ac Chriſti fidelium ſpirituali conſolatione valeat ſalubriter provideri, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. *Exordium.*

§.1. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, & ſine cura, apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Pont. reſervavit ſibi … beneficia … cura, & … cura, va… tia, & va… tura.*

§.2. Cum itaque poſtmodum parochialis Eccleſia Sancti Andreæ de Funariis nuncupata de Urbe, quæ ab Eccleſia S. Marci de eadem Urbe, tanquam ejus matrice dependet, per liberam reſignationem dilecti filii Pompilii Salveſtrii preſbyteri perpetui beneficiati in Eccleſia Senenſi, & nuper primodictæ Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos, hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis. *Modo Ec… ſia paroc… lis S. And… de Funar… ab ejuſ… Rectore li… rè reſignat… fuit Pon…*

§.3. Et ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Gubernatoris, & Confratrum Confraternitatis ſanctorum Quatuor Coronatorum de dicta Urbe petitio continebat, quod primodicta Eccleſia fonte baptiſmali careat, & in ſuis ſtructuris, & ædificiis ſatis anguſta, curaque animarum illi incumbens exigua erat, & ad circumvicinas Eccleſias transferri, & ab illius Rectoribus pro tempore exiſtentibus commodè exerceri poſſit: Gubernator verò, & Confratres prædictæ Confraternitatis ex Sculptoribus, & Lapidicidis coâggregatis unicam Eccleſiam, ſeu Capellam dumtaxat pro omnibus eorum functionibus obeundis habeant, ipſaque Eccleſia, ſeu Capella in ſuis ſtructuris etiam anguſta exiſtat, ac monaſterio Monialium Sanctorum Quatuor Coronatorum adjaceat, ipſique Confratres commodè ad illam propter illius diſtantiam, tum devotionis cauſa, tum etiam pro negotiis eorum pertractandis accedere nequeant. *Ac Confra… tres Sancti… Quatuor … ronatorum … aſſerunt ha… bere unam … Eccleſiã … guſtam … Monaſteri… Monialium … dd. Sancto… Quatuor … ronatorum … eorũ funct… nibus obe… dis incom… dam.*

§.4. Et alia Eccleſia S. Leonardi de eadem Urbe dictæ Confraternitati aliàs conceſſa, prævia illius profanatione demolita, & palatio dilecti filii noſtri magiſtri Conſtantii Patritii Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarii incorporata reperiatur. *Aliamque Eccleſiam S. Leonardi … alias conc… ſam fuiſſe … eandemque demolitam … palatio de Patritiis incorporatam reperiri.*

§.5. Ipſique Gubernator, & Confratres certam pecuniarum ſummam pro pretio dictæ Eccleſiæ S. Leonardi in *Necnon … alteram …*

alterius

*... §. 5. ...*

literis Eccleſiæ divo Leonardo dicatæ, ſeu dicandæ acquiſitionem convertendam receperint, ſeu recipere debeant. Si igitur primodicta Eccleſia Gubernatori, & Confratribus prædictis, ut infrà concederetur, curaque animarum hujuſmodi transferretur, ex hoc proculdubio ejuſdem Confraternitatis commodis, & utilitatibus, ac primodictæ Eccleſiæ ornatui, divinique cultus in ea augmento opportuna ratione conſuleretur, nec parochiani illius quicquam detrimenti paterentur.

*Quare ſupplicavit Pont. ... Eccleſiā ... Andreæ ... Confraterni- ... conceda- ... & ex fru- ... unum ... ſimplex Be- ... ficium in- ... tuere, & ... opportu- ... providere ... gnetur.*

§. 6. Quare pro parte Gubernatoris, & Confratrum prædictorum afferentium fructus, redditus, & proventus primodictæ Eccleſiæ, ſuper quibus penſio annua 92. ducatorum auri de Camera dilecto filio Joanni Margarino Clerico Romano, illam annuatim percipienti, Apoſtolica auctoritate reſervata reperitur, centum & ſexaginta ducatorum ſimilium, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus primodictam Eccleſiam eidem Confraternitati concedere & aſſignare, ac unum perpetuum ſimplex beneficium Eccleſiaſticum, ut infra erigere, & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

*... modò ab ... Eccleſia ... inarii cu- ... , proven- ... , necnon ... omnia, ... alia jura ... ac ... membrat.*

§. 7. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum æſtimationem præfatam etiam beneficii, cui alia uniri peteretur, alioquin unio non valeret: quique divini cultus augmentum, & propagationem ſinceris exoptamus affectibus, ipſum Gubernatorem, ac Confraternitatis hujuſmodi ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati primodictam Eccleſiam, ſive præmiſſo, ſive alio quoquo modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Pompilii, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſpontè factam, aut conſtitutionem fel. rec. Joannis XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Execrabilis, vel aſſecutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici quavis auctoritate collati vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad ſedem prædictam legitimè devoluta, ac primodicta Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel aliàs generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, omnimodam illius parochianorum curam, aliaque jura, officia, & onera parochialia univerſa, & illorum exercitium, necnon omnia, & ſingula illius proprietates, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque in quibuſvis rebus conſiſtentia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò abdicamus, ſeparamus, ac diſmembramus.

*... De praben. ... dignit. c. 4. ... inter Joan. ... const. vel ... Extravagans.*

*... animar. ... ad Ec- ... ſiam S. Ni- ... lai de Fu- ... riis, ſi acce- ... ... vo- ... ipſius ... , aliam ... viciniorē ... Eccleſiam, cū ... juribus ... rochialibus ... ſuetis.*

§. 8. Necnon curam ipſam, jura, officia, & onera, illorumque exercitium hujuſmodi ad Eccleſiam S. Nicolai de Funariis etiam nuncupatam, primodictæ viciniorem, quatenus verò dilectus filius modernus Rector dictæ Eccleſiæ S. Nicolai curam hujuſmodi acceptare nolit, ad aliam ſimiliter prædictæ Eccleſiæ S. Andreæ viciniorem, cujus Rector curam hujuſmodi acceptare contentus ſit, ita quod parochiani primodictæ Eccleſiæ nunc, & pro tempore exiſtentes, ad præfatam S. Nicolai, ſeu aliam Eccleſiam, ad quam curam hujuſmodi transferri contigerit, tanquam propriam eorum parochialem Eccleſiam, pro Miſſis, & aliis divinis officiis audiendis, ac Sacramentis Eccleſiaſticis percipiendis, tanquam veri, certi, & indubitati illius parochiani accedere, ac illius Rectorem uti verum, & proprium parochum, & animarum ſuarum paſtorem recognoſcere, & obſervare, illique debitam obedientiam, & reverentiam exhibere, necnon jura parochialia ſolita, & conſueta præſtare debeant, & teneantur, dummodo ipſius Eccleſiæ S. Nicolai, ſeu alterius in ejus reſervationem vicinioris primodictæ Eccleſiæ parochi, & dilectorū filiorum modernorum primodictæ Eccleſiæ parochianorum ad id acceſſerit aſſenſus, dicta auctoritate earumdem tenore præſentium perpetuò transferimus, & cum ipſa Eccleſia S. Andreæ nomen, titulum, & denominationem, ac eſſentiam parochialis Eccleſiæ S. Andreæ, illiuſque Rectoris ſimiliter perpetuò ſupprimimus, & extinguimus.

*Prædictam Eccl. S. Andreæ ſic ab omnibus liberam, cum Sanctorum reliquiis ac univerſa tam ſacra, quam profana ſupellectili, necnon domo rectorali, ipſo rectore vita functo, eidem confraternitati concedit.*

§. 9. Et inſuper ipſam Eccleſiam S. Andreæ ſic ab hujuſmodi cura, officiis, juribus, & exercitiis parochialibus liberam, & exemptam, ac ſine bonis, & fructibus remanentem, cum Sanctorum, & quibuſcumque aliis reliquiis, ac omnibus, & ſingulis paramentis, & ornamentis, calicibus, Crucibus, candelabris, campanis, libris, univerſaque ſacra & profana ſupellectili, ex auro, & argento, & aliis rebus quibuſcumque in primodicta Eccleſia ad præſens exiſten. ex nunc prout poſtquam dictus Pompilius fuerit vita functus, domo, cameris Rectoralibus, & horto, & area in ea exiſtente, ex quibus, ſi locarentur, octo ducati pares vel circa, ut accepimus, annuatim perciperentur, prædictæ Confraternitati pro illius Eccleſia ad inſtar aliarum dictæ Urbis Confraternitatum regenda, & adminiſtranda, ita quod liceat Gubernatori, & Confratribus prædictis pro tempore exiſten. primodictæ Eccleſiæ ædium, & ſupellectilis hujuſmodi corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem per ſe, vel per alium ſeu alios, eorum, & dictæ Confraternitatis nomine propria auctoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere.

*In ſignum verò Eccleſia S. Leonardi demolita mādat, ut in icone Altaris majoris Eccleſia S. Andreæ iſtorum Sanctor. Imagines apponantur.*

§. 10. Ac in ſignum demolitæ Eccleſiæ S. Leonardi hujuſmodi, ac in ſatisfactionem obligationis, aliam ſub invocatione ejuſdem S. Leonardi Eccleſiam ex pretio ipſius Eccleſiæ demolitæ recuperando, in icone Altaris majoris Eccleſiæ S. Andreæ, Imagines S. Andreæ, & S. Leonardi patronorum collocare, Vicarii Urbis, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita.

*Necnon ſolvant unum cenſum redimibilem annuum, ut hic.*

§. 11. Ipſique Gubernator, & Confratres cenſum annuum, & redimibilem 200. ſcutorum in ſumma principali, redditus autem annui in ſcutorum monetæ Romanæ ſuper bonis primodictæ Eccleſiæ eadem auctoritate creatum & impoſitum, ex pecuniis redactis, ſeu redigendis ex pretio demolitæ Eccleſiæ hujuſmodi redimere, & extinguere, ac fructus hactenus decurſos, & non ſolutos ad ſummam 30. ſcutorum parium vel circa aſcendentes ſolvere debeant, & teneantur, itidem perpetuò concedimus, & aſſignamus.

*Modo unum ſimplex beneficium in dicta Eccleſia S. Andreæ, ac ſub ejuſdem ſancti denominatione erigit, & inſtituit.*

§. 12. Ceterùm in primodicta Eccleſia unum perpetuum ſimplex & perſonalem reſidentiam non requirens beneficium Eccleſiaſticum, ſub invocatione ejuſdem S. Andreæ pro uno clerico, ſeu presbytero ſæculari futuro in primodicta Eccleſia perpetuo beneficiato, eiſdem auctoritate, & tenore, ſine alicujus præjudicio perpetuò erigimus, & inſtituimus.

*Dotemque congruam aſſignat.*

§. 13. Illique ſic erecto, & inſtituto pro congrua, & competenti ejus dote, & illud pro tempore obtinentis ſuſtentatione omnia, & ſingula primodictæ Eccleſiæ fructus, redditus, proventus, bona, & alia emolumenta quæcumque (non tamen ex exercitio curæ animarum, quæ ad pro tempore exiſtentem Eccleſiæ primodictæ Eccleſiæ vicinioris, ad quam animarum curam prædictam tranferri contigerit, Rectorem, ſeu ſuperiorem pro cura ſic transferenda ſpectare debeant, provenientia, & exceptis domo, & cameris Rectoralibus prædictis, quæ ſub hujuſmodi applicatione comprehendi non debeant, prævia illorum à primodicta Eccleſia, quatenus opus ſit, diſmembratione) auctoritate, & tenore præmiſſis perpetuò applicamus, & appropriamus,

*Has literas perpetuò validas, & efficaces eſſe decernit.*

§. 14. Decernentes præſentes literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, unionum effectum ſuum non ſortitarum revocatoriis, aut aliis contrariis diſpoſitionibus per Nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes quomodolibet conceſſis, ac imposterum concedendis comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo antea quomodolibet erant ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo ſub quacumque poſteriori data per Gubernatorem, & Confratres præfatos pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda,

eligenda conceſſas eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

*Sicque per quoſcumque Iudices deſiniri debere mandat.*

§. 15. Sicque per quoſcumque Judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Card. & etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere: irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Obſtantia removet.*

§. 16. Non obſtan. præmiſſis, ac Lateran. Concilii noviſſimè celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus à jure permiſſis fieri prohiben. ac Apoſtolicis, necnon in provincialibus, ſynodalibus, univerſalibuſque Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Urbis, & Confraternitatis prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque.

*Decretumque pœnale ſuperaddit.*

§. 17. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abdicationis, ſeparationis, diſmembrationis, tranſlationis, ſuſpenſionis, extinctionis, conceſſionis, aſſignationis, erectionis, inſtitutionis, applicationis, approbationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

*Dat. P. An. 3. die 20. Mart.*

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1623. 13. Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno 3.

---

## XLVIII. Juriſdictiones, & facultates Scipionis Cardinalis Burgheſii, aliorumque pro tempore Cardd. Protectorum Venerabilis Hoſpitalis Pauperum Dementium de Urbe, cauſas cognoſcendi, necnon Officialium, & Miniſtrorum ſuorum.

*Hoſpitale hoc ad egenos dementes charitativè recipiendos, & alendos, inſtituit Pius IV. ut ſuprà in ſua Conſtitut. 37. tom. 2.*

*Edita An. D. 1623.*

*GREGORIUS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Exordium.*

EX injuncto Nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio votis, per quæ piorum locorum quorumlibet, præſertim in Alma Urbe noſtra inſtitutorum utilitatibus, & commodis conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis.

*Deputatio Card. pro tempore protectoris Hoſpitalis Dementium in Urbe, ejuſque, eorumque Officialium cauſas quaſcumque civiles, criminales & mixtas ſummariè &c. cognoſcendi.*

§. 1. Volentes itaque ne dilecti filii adminiſtratores, & alii Officiales Hoſpitalis Pauperum Dementium de Urbe per diverſa Tribunalia litigare cogantur, providere, ipſoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpen. & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſ. & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolven. & abſolutas fore cenſen. ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & ſingulas lites, quæſtiones, cauſas, & controverſias, tam civiles, quàm criminales, prophanas, & ſpirituales, meras, & mixtas, inter Hoſpitale prædictum, ſeu illius Adminiſtratores, & Officiales hujuſmodi, ipſoſque Dementes, ſeu quemcumque eorum ex una, & quaſcumque alias perſonas, cujuſcumque gradus, dignitatis, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſten. ſeu Univerſitates, Societates, Congregationes, & Monaſteria, aut alia loca pia ex altera partibus, coram quibuſvis Judicibus ordinariis, & extraordinariis, etiam delegatis, & S.R.E. Card. ac Cam. Apoſt. generali Auditore, Præſidentibus, & Clericis, necnon Vicario, Gubernatore, & Senatore Urbis prædictæ, illorumque Locatenen. hucuſque motas, & pendentes, de & ſuper ſtatu, & bonis Hoſpitalis, & Dementium prædictorum, necnon quibuſcumque aliis rebus, juribus, & actionibus, ac Hoſpitale prædictum, illiuſque Adminiſtratores, & Officiales prædictos, tam conjunctim quàm diviſim, ac tam activè, quàm paſſivè ſpectan. & pertinen. in quacumque inſtantia, in ſtatu, & terminis in quibus reperiuntur, ad Nos avocantes, illas omnes, & ſingulas, necnon quas in futurum moveri de novo contigerit, tam activè, quàm paſſivè, cum omnibus, & ſingulis ſuis incidentibus, dependen. emergen. annexis, totoque negotio principali, dilecto filio noſtro Scipioni tit. S. Chryſogoni presb. Card. Burgheſio nuncupato, moderno, & pro tempore exiſtenti Hoſpitalis, & Dementium prædictorum apud Nos, & Sedem Apoſt. Protectori, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, & quatenus opus ſit, executivè, & manu regia, abſque terminis ſubſtantialibus, ac alicujus telæ judiciariæ obſervatione, quacumque appellatione remota, etiam frivola, audiendas, cognoſcendas, deciden. & fine debito terminan. committimus, & cum poteſtate citandi, ac in Romana Curia, & extra eam per edictum publicum conſtito ſummariè de non tuto acceſſu, ac quibuſvis inhibendum fuerit, inhibendi, etiam ſub cenſ. & pœnis Eccleſiaſticis, atque etiam pecuniariis, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, ſuper quibus plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem eidem Scipioni Card. moderno, & pro tempore exiſtenti Protectori hujuſmodi concedimus.

*Derogatio contrariorum.*

§. 2. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſt. vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, uſibus, ſtylis, reformationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

*Dat. P. An. 3. 1. Aprilis.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 1. Aprilis 1623. Pontificatus noſtri Anno 3.

---

## XLIX. Extenſio, & nova conceſſio privilegiorum omnium, & facultatum à Greg. XIV. Capellanis Romani Pontificis tunc exiſtentibus conceſſarum pro Capellanis hujus Pontificis.

*Gregorii XIV. conſtitutionem, in qua continentur dicta privilegia, habes hic ad verbum relatam.*

*Edita An. D. 1623.*

*GREGORIUS PAPA XV.*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Cauſa hujus conſtit.*

GRata familiaritatis obſequia, quæ dilecti filii Carolus Antonius Vacarius Bononien. Cæſar Ferratinus etiam Bononien. Jo. Bernardinus ſimiliter Bonon. Simon Fabrius Nucerin. Jo. Franciſcus Sangiorgius Ceſal. Fauſtus Polius Spoletan. Robertus Pavonius etiam Spoletan. Fabritius Badeſius Romanus, Claudius Thomaſius Verulanus, & Paulus Maius Cephalud. reſpectivè Civitatum & diœceſum moderni Capellæ noſtræ Pontificiæ Capellani Nobis, & Apoſtolicæ Sedi hactenus impenderunt, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtunt, necnon vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum perſonas tam familiari experientia, quàm etiam fide dignorum teſtimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

*Greg. XIV edidit conſt. tenoris ſubſequentis, qua conceſſit Capellanis multa privilegia, & indulta, ut h...*

§. 1. Aliàs ſiquidem à fel. rec. Greg. XIV. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis, videlicet: Gregor. Papa XIV. ad perpetuam rei memoriam. Circumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia ſingulorum merita debita meditatione conſiderans, illos, prout æquum eſt, potioribus favoribus, & gratiis efficaciter proſequitur, & condignis honoribus attollit, quos ſibi devotos, & obſequioſos, & amplioribus

agnoſcit

agnoſcit [illegible] adjuvari. Ut quamprimum antehac Rom. Pont. intimos Capellanos, & familiares ſuos privilegiis, & muneribus Apoſtolicis, uti temporum, & perſonarum conditio tulit, in primis honeſtarunt, ita Nos ad præcipua virtutum merita, necnon erga Nos, & Romanam Eccleſiam devotionis affectum, ac grata familiaritatis obſequia, quæ infraſcripti Capellani, qui familiares, ac continui commenſales noſtri exiſtunt, Nobis hactenus impenderunt, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtunt, & quæ in noſtro, ac Sedis Apoſtolicæ conſpectu & familiari experientia, ac famæ laudabilis commendatione clarè dignoſcuntur, debitum reſpectum habentes, ac propterea perſonas eorum condigni favoris gratia, & ſpecialis honoris, ac excellentiæ & dignitatis titulo ſublimare volentes, ac dilectos filios Petrum Fulvium Romanum I. V. D. Petrum Mariam Anſelmum Cremonen. Petrum Antonium Paggiolum Mutinen. Thomam Oldoinum Cremonen. Benedictum Giorgeſcum Burgi S. Sepulchri I. V. D. Fauſtinum Fachinettum Patavinum. Cornelium Cantarinum Fanen. Jo. Baptiſtam Fortunam Foroſempronien. Jacobum Mitium Baren. Nicolaum Farmianum Ferrarien. Cæſarem Gorum de Setia Tarracinen. & Bernardinum Salvaranum Regien. reſpectivè Civitatum, & diœceſum Capellanos, ac familiares continuos commenſales noſtros, eorum meritis, & obſequiis ſic exigentibus, condignis honoribus, & gratiis, ac favoribus proſequi cupientes, ipſoſque & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad ſupradictorum Petri, Petri Mariæ Petri Antonii, Thomæ, Benedicti, Fauſtini, Cornelii, Jo. Baptiſtæ, Jacobi, Nicolai, Cæſaris, & Bernardini, vel alicujus ipſorum, aut aliorum pro eis ſuper hoc Nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, ac certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium Petrum, Petrum Mariam, Petrum Antonium, Thomam, Benedictum, Fauſtinum, Cornelium, Jo. Baptiſtam, Jacobum, Nicolaum, Cæſarem, & Bernardinum ſupradictos, & illorum ſingulos in noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Notarios recipimus, & Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, ſine tamen dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium præjudicio, necnon auratæ Militiæ equites, ac nobiles Romanos, & Urbis Romæ, omniumque & ſingularum aliarum Civitatum, terrarum, & locorum S.R.E mediate, vel immediatè ſubjectorum Cives creamus, & conſtituimus, ac in numerum, & conſortium aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ Comitum, Equitum & nobilium Romanorum, aliorumque Civium, Civitatum, & Oppidorum prædictorum referimus, & conſcribimus, ipſiſque, etiamſi habitum, & rochettum Notariorum d. Sedis juxta decreta Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati non deferant, aut Civitates hujuſmodi non incoluerint, nec unquam in eiſdem Civitatibus domicilium habuerint, ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii noſtri, etiam de numero participantium, necnon Comites, Equites, & Nobiles, necnon Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum Eccleſiaſticorum & ſæcularium, etiam ex perſonis Romanorum originariorum vacantium aſſecutione, & exercitio, tam in Urbe quàm Civitatibus prædictis, & aliis ubique locorum, & gentium, necnon ſeſſionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, ac privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta pro ipſis emanaſſent (citra tamen exemptionem à Conc. Trid. ſublatam, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque hujuſmodi privilegia à Notariis Sedis Apoſtolicæ, & Comitibus Palatinis prætenſa, ut illis ſuprà nominati Capellani familiares noſtri nullibi uti valeant, ac irritum, & inane exiſtat, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari) uti, potiri & gaudere, ac in omnibus, & ſingulis Apoſtolicis, aliiſque literis, inſtrumentis, & ſcripturis publicis, & privatis, deinceps eorum nomine conficiendis ſeſe Notarios, Comites, Equites & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Roman. & aliarum civitatum Cives, ut libuerit, inſcribere, & ſe illis ſubſcribere valeant, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expreſſionibus ſubreptitium, obreptitium, aut invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus, & per omnia cenſeatur. Et inſuper Petrum, Petrum Mariam, Petrum Antonium, Thomam, Benedictum, Fauſtinum, Cornelium, Jo. Baptiſtam, Jacobum, Nicolaum, Cæſarem, & Bernardinum prædictos, ac eorum ſingulos, ipſorumque beneficia, & officia Eccleſiaſtica quæcumque, quotcumque & qualiacumque, illorumque fructus, res, & jura, ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris, & locis eidem Rom. Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubjectis conſiſtentia prædia, domos, poſſeſſiones & bona patrimonialia, aliaque temporalia, mobilia, immobilia, & ſe moventia, necnon actiones, & jura præſentia, & futura, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, ac quanticumque, etiam annui valoris fructus, redditus, & proventus hujuſmodi ſint, vel fuerint ac etiam quæcumque ab ipſis vendenda, pro eorum, & familiæ uſibus emenda, ab omnibus, & quibuſcumque decimis, quartis, dimidiis, fructibus, ſubſidiis, etiam charitativis, necnon vulgaribus portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio modo nuncupatis angariis, parangariis, cæteriſque oneribus, & contributionibus, tam urbanis, quàm ruſticis, ordinariis, & extraordinariis, realibus, perſonalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum, & pontium, portarum, moliturarum, mercium cujuſvis generis, tranſitus, ſeu paſſus, & vecturæ, etiam in aliud territorium, ſeu Provinciam, terra, mari, & flumine, necnon equorum mortuorum, ſtabulationum, militum, inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici, aut quacumque alia quantumvis gravi, etiam urgentiſſima cauſa (pro ſubventione contra Infideles dumtaxat excepta,) nunc, & pro tempore impoſitis. Ita quod ipſi nihil omninò horum, aut aliorum hujuſmodi ſubire teneantur, nec per Cameræ Apoſtolicæ, aut alios Commiſſarios, ſeu vectigalium, & tributorum hujuſmodi redemptores, & exactores, quocumque privilegio, exemptione, & facultate ſuffultos alias quàm ut præfertur, valeant coarctari, quamdiu ſervitiis noſtris inſliterint, dumtaxat eximimus, & liberamus: ad hæc cum eiſdem, ut quæcumque duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel aliarum Eccleſiarum conſiſtentia, etiamſi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, & principalis canonicatus, & præbenda, perſonatus, adminiſtratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam juriſdictionalis immineat animarum, ſi eis aliàs canonice conferantur, aut eligantur, præſententur, vel alias aſſumantur ad illa, & inſtituantur in eis, recipere & dummodo illa omnia, uno excepto, perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixerint, retinere, necnon etiam quandiu Nobis inſervierint tantum in beneficiis Eccleſiaſticis etiam curatis, non tamen parochialibus, nec curatis cura animarum parochianorum per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, ſtatuto, fundatione, vel privilegio perſonalem reſidentiam requirentibus, etiamſi dignitates in Metropolitanis, vel Cathedralibus majores, ac in Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, perſonaliter reſidere non teneantur, nec ad id per locorum Ordinarios, aut Eccleſiarum earundem Capitula, ſeu quoſvis alios ad reſidendum interim in illis inviti compelli poſſint, omneſque & ſingulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus, & proventus, durante ſervitio prædicto, cum ea integritate (diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, ſi in eiſdem Eccleſiis, ſive locis perſonaliter reſiderent, percipere, exigere, & levare: necnon etiamſi presbyteri fuerint, ac dignitates, & officia obtinuerint, leges, & jura civilia,

*Abſolutio à quibuſcumque cenſuris.* (margin, partly cut off)

*Creatio Notariorum, Comitum, Equitum auratæ Militiæ.* (margin, partly cut off)

*Utantur privilegiis quibus cæteri Notarii ... in obtentione beneficiorum Eccleſiaſticorum utuntur.* (margin, partly cut off)

*Exemptio à decimis & aliis impoſitionibus.*

*Diſpenſatio ad duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis trium tectis.*

*Diſpenſatio à reſidentia durante ſervitio Papæ, cum perceptione omnium fructuum, exceptis diſtributionibus quotidianis.*

etiam publicè in Scholis, & Univerſitatibus ſtudiorum generalium, ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigeſimum ætatis annum non exceſſerint, audire, & ſi habiles, & ſufficientes reperti fuerint, etiam ad Doctoratus gradum in hujuſmodi facultate ſe promoveri facere, ipſaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in cauſis Eccleſiaſticis, civilibus tantùm, exercere liberè, & licitè poſſint, & valeant, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Liceat quoque ipſis, ac eorum ſingulis aliquem idoneum, & ab Ordinario loci approbatum preſb. ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis regularem in ſuum eligere confeſſorem, qui vita ejus comite, eos, & ipſorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, & per eos incurſis, & quibus ipſos pro tempore illaqueari contigerit, etiamſi abſolutio ad Nos, & ſucceſſores Rom. Pont. pro tempore exiſtentes ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & quorumcumque votorum, Eccleſiæ præceptorum tranſgreſſionibus, homicidii caſualis, manuum violentarum in quaſvis perſonas etiam Eccleſiaſticas, non tamen Epiſcopos, vel alios Superiores Prælatos, de præterito injectionibus, ſeu conſilii vel favoris ad id præſtationibus, Jejuniorum omiſſionibus, non tamen recitationibus horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum, & denique ab omnibus, & quibuſcumque aliis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantùcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò conſulenda foret, videlicet contentis in literis die Cœnæ Domini publicari conſuetis, ſemel tantùm in vita, & mortis articulo, in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reſervatis, aliiſque quibuſvis caſibus ſemel in anno, confeſſionibus illorum diligenter auditis, ſine tamen alicujus præjudicio, prædicta auctoritate Apoſtolica abſolvere, ac illis pro commiſſis pœnitentiam injungere ſalutarem, necnon vota quæcumque, ultramarina, viſitationis liminum Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, caſtitatis, & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare. Ac etiam eiſdem, eorumque ſingulis, quicumque locorum Ordinarii, vel Canonici Metropolitan. ſeu aliarum Cathedralium Eccleſiarum, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, tam in dicta Curia, quàm extra eam, etiam ad id per eos, aut eorum ſingulos coram Notario, & teſtibus fide dignis eligendi, ſeu eligendæ, quaſcumque penſiones annuas eis & eorum ſingulis ſuper menſarum Abbatialium, ſeu Epiſcopalium, aut Archiepiſcopalium, & quorumcumque aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, ac quorumvis Ordinum regularium, etiam S. Jo. Hieroſolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, proventibus, juribus, obventionibus, & diſtributionibus, etiam quotidianis, ſeu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, diſtributiones, & emolumenta ſibi tunc, & pro tempore aſſignata, & reſervata quandocumque, ſimul vel ſucceſſivè, in toto vel in parte, uſque ad ſummam trecentorum ducatorum auri de Camera, de eorumdem Capellanorum, vel cujuſlibet ipſorum conſenſu, in toto vel parte, etiam in mortis articulo caſſare, & extinguere, & poſtquàm caſſatæ, & extinctæ fuerint, alias ſimiles penſiones annuas ſuper fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, diſtributionibus, ſeu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura obventiones, & emolumenta hujuſmodi, etiam uſque ad ſummam prædictam uni, vel pluribus aliis perſonis, etiam per eoſdem Capellanos, & eorum ſingulos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, expectantibus, ſeu clericali charactere inſigniri volentibus, ſimiliter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eiſdem modo, & forma, quibus eiſdem Capellanis aſſignatæ, aut reſervari, ſeu aſſignari conceſſæ, ſeu conceſſi fuerint, etiam abſque conſenſu earumdem penſiones ſolvere debentium, etiamſi iidem Capellani illa alias caſſari, & reſervari de novo faciendi facultatem non habuerint, ac penſiones, & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac diſtributiones, & emolumenta hujuſmodi, etiamſi pluries caſſatæ, & de novo aſſignatæ fuerint, uſque ad ſummam, & quantitatem præfatam, & literis Apoſtolicis ſuper reſervationibus, & aſſignationibus hujuſmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuſcumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clauſulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam cenſuris, & prioribus reſervationibus hujuſmodi conceſſis, & conventis integrè perſolven. reſervare, conſtituere, & aſſignare, necnon ut iidem Capellani, & eorum quilibet de omnibus, & ſingulis omnibus prædiis, poſſeſſionibus, terris, & locis etiam juriſdictionalibus, cæteriſque bonis immobilibus, & mobilibus, quæ tamen non ſint altaris, vel altarium Eccleſiarum ipſis Capellanis noſtris prædictis commiſſarum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali earundem Eccleſiarum divino cultui ſeu uſui deputata, ſéque moventibus, cujuſcumque qualitatis, quantitatis, valoris, ſpeciei, pretii, & conditionis exiſten. ac juribus, & actionibus ad eos ratione Eccleſiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, ſæcularium, & quorumvis ordinũ regularium, quæ ex quibuſvis conceſſionibus, & diſpenſationibus Apoſtolicis, in titulum, commendam, adminiſtrationem, ac aliàs quomodolibet obtinuerint, obtinent, & obtinebunt, ac fructuum, reddituum, & proventuum Eccleſiaſticorum loco penſionum annuarum, penſionumque annuarum ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & provẽtibus eis reſervatorum, & aſſignatarum, ac reſervandorũ, & aſſignandarum, quos, & quas perceperint, percipiũt, & percipient in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ Officiorum, ac aliàs quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus, & penſionibus annuis, necnon eorum induſtria, ac labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquiſitis, & acquirendis, ac alias, etiam de muneribus, & officiis, quæ exercuerint, ac eos exercere contigerit, & alia quavis occaſione, vel cauſa, ſeu contemplatione ad eoſdem perventis, & perventuris, etiãſi in pecunia numerata, jocalibus, gemmis, aliiſque pretioſioribus rebus conſiſtant, tam in dicta Curia, quàm extra ubique locorum, etiam penes beneficia ipſa exiſtentibus, quorum omnium qualitates, & veros annuos valores, etiamſi talia forent, quæ generali appellatione bonorum, vel ſupellectilium non veniant, ſed ſpecialibus indigerent vocabulis, ac ſi ſpecificè, & ſigillatim exprimerentur, ac denotarentur, pro ſufficienter expreſſis, & declaratis haberi volumus: Ac etiam de ipſis proventibus, & penſionibus debitis, & debendis, ac nondum perceptis, & exactis, etiamſi eorum ſolutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illa rata, quæ illis debita erit, conſtitutione declaratoria ſuper fructibus, & pecuniis non exactis, quæ forſan ad ſucceſſores in ipſis beneficiis ſpectare, & pertinere debeant, non obſtare, etiam cumulativè cum quibuſvis aliis ſimilibus, vel diſſimilibus facultatibus habitis, & habendis, uſque ad ſummam ducentorum ducatorum auri ſimilium dumtaxat, tam pro decentibus, & honeſtis impenſis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus ſervierint, etiam ultra ſervitii meritum, ac in ipſorum conſanguineorum, & affinium, & quorumcumque piorum locorum favorem, uſum, ac aliàs pro eorum arbitrio, & voluntate abſolutè teſtari, ac teſtamento, codicillis, fideicommiſſis, legatis, donationibus, tam inter vivos, quàm cauſa mortis, & aliis quibuſcumque modis, & titulis, ſcriptura etiam minùs ſolemni, etiam coram duobus, vel tribus teſtibus, aut etiam cedula ſola eorum manu ſcripta, vel ſubſcripta, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout, & quemadmodum eis videbitur, etiam in ipſa Curia, & in articulo nulla facta mentione præſentis, vel aliarum eis pro tempore conceſſarum ſimilium facultatum, aut quod in vim illarum teſtari, ſeu diſponere velint, aut intendant, ſemel atque iterum, & pluries diſponere, ſtatuere, & ordinare, ita ut quicquid teſtatum, geſtum, ordinatum, ſeu aliàs diſpoſitum ab ipſis fuerit, etiam in vim ſimplicis diſtributionis, ac aliàs omni meliori modo valeat, & ſervari omninò debeat, ipſaque teſtamenta, codicillos, diſpoſitiones, ordinationes, donationes, legata, & ſtatuta, etiam

*Confeſſionale.*

*Facultas abſolvendi.*

*Commutan. vota.*

*Facultas transferendi penſiones etiã in mortis articulo uſque ad ſummam 300. ducat.*

*Facult… ſtandi … ad ſu… 200. … etiam p… vatam … pturam, cumulat… &c.*

pluries

pluries, ac toties quoties eis videbitur moderate, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo edere, etiam liberè, & licitè valeant, plenam & liberam concedimus facultatem: Statuentes nihilominus, & ordinantes, eiſque pariter indulgentes, quod ſi contingeret ipſos ab inteſtato, & ſine ulla, vel minus valida bonorum, & rerum, ac fructuum, redditųum, & proventuum prædictorum diſpoſitione in dicta Curia, vel extra eam, ac etiam extra ſua beneficia, aut alia loca debitæ ab eis reſidentiæ perſonalis, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, ab humanis decedere, omnia, & ſingula eorum bona, res, & jura, etiam ut præfertur qualificata, necnon Spolia cujuſcumque quantitatis & valoris exiſtentia, etiam ex prædictis, ac aliàs undecumque provenientia, ad Cameram Apoſtolicam, ſeu in dictis beneficiis ſucceſſores non pertineant, ſed ad hæredes ſanguinis eorundem integrè deveniant, & illis deficientibus, inter eorum familiares arbitrio perſonæ, ſeu perſonarum, quas ad id ipſi ſcripto nominaverint, diſtribuantur, niſi de illa diſpoſitione, vel intentione eorundem ſcriptura, etiã minus ſolemni, ſecus appareret, quam tunc velut efficacem ipſæ perſonæ, vel alii Judices, ſeu executores omninò exequi & adimplere, illiſque ſe conformare in omnibus, & per omnia debeant: Et nihilominus quæcumque hujuſmodi teſtamenta, donationes, legata, diſpoſitiones, & alia forſan aliàs ab ipſis, etiam nulla, aut minus ſufficienti facultate ſuffultis, de hujuſmodi bonis, juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliiſque rebus ſupradictis, etiam in favorem conſanguineorum, & affinium præfatorum, ac aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde ſecutis, ac etiam ea, quæ per ipſos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, approbamus, & confirmamus, omneſque, & ſingulos juris, & facti, ac ſolemnitatum omiſſarum, & omittendarum, necnon ſubſtantiales, alioſque defectus quoſcumque, ſi qui intervenerint in eiſdem, etiamſi tales ſint, vel fuerint, quod ſpecialis, & ſpecifica de ipſis mentio habenda eſſet, ſupplemus. Diſtrictius inhibentes quibuſvis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, necnon fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, aut Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, Subcollectoribus, ceteriſque cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, & quavis auctoritate, & poteſtate fungentibus, ſub excommunicationis majoris, aliiſque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ne Univerſitates, Collegia, & loca, ac legatarios, hæredes, & perſonas, necnon teſtamenti, voluntatum, & ordinationum hujuſmodi executores præfatos directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, vel ingenio moleſtare audeãt quoquo modo, vel perturbare, ac decernentes prædicta omnia, & ſingula, præſenteſque literas, ac teſtamenta, donationes, codicillos, fideicommiſſa, legata, ordinationes, erogationes, & diſpoſitiones, ac alia quæcumque, necnon quæ in præmiſſis facta ſunt, aut fieri contigerit, tam vigore præſentium, quàm etiam aliarum conceſſionum eis factarum, ac deinceps in genere, & in ſpecie faciendarum, cum inde ſequutis, & ſequuturis, etiamſi ipſos in prædicta Curia, aut quacumque alia Mundi parte, extra Eccleſias, & loca beneficiorum ſuorum perſonalem reſidentiam requirentium, qualitercumque qualificatorum, per eos nunc, & pro tempore etiam pro ſola voluntate, & nulla ſubſiſtente cauſa reſidentes ab humanis decedere contigerit, ſub literis fel. record. Pii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, contra quoſcumque Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios Prælatos, necnon parochialium Eccleſiarum Rectores, ceteroſque reſidentiæ perſonali prædictæ adſtrictos, extra illam quomodocumque decedentes, 7. Kal. Decembris, Pontificatus ſui anno 5. aut alio veriori tempore emanatis, & ſub quibuſcumque aliis conſtitutionibus, aut revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus Apoſtolicis, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ex quibuſvis cauſis, quantumcumque maximis, & urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac conſiſtorialiter, etiam à Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc, aut pro tempore factis, & editis, minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum, ac etiam ſub data poſteriori, etiam cum derogationibus, & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque & aliis decretis, per eoſdem Capellanos, & eorum ſingulos eligenda, apponenda, & latiſſimè ſpecificanda, repoſita, reſtituta, & plenariè reintegrata, ac de novo conceſſa, ac valida, & efficacia fore, necnon perpetua firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios, & omnes omninò effectus, qui de jure, ſtylo, conſuetudine, ac aliàs quomodocumque ſortiri poterunt, ſortiri, ac vim veri, legitimi, jurati, ſtipulati, ac validi, & efficacis contractus inter eoſdem Capellanos ex una, ac Nos, & Sedem præfatam, & Cameram Apoſtolicam ex altera partibus habere, nec etiam per promotiones ad Eccleſiam Cathedralem, etiam Metropolitan. aut tranſlationes, vel alios ſtatus, & perſonarum mutationes, nec per ſimiles, vel diſſimiles gratias ipſis conceſſas, & concedendas confundi, ſed ipſis accumulativè in omnibus, & per omnia uti, & ſi quid in una ex facultatibus hujuſmodi defuerit, per aliam ſuppleri debere, nec hæredes, legatarios, & loca ad quos, ſeu quæ bona, jura, & actiones hujuſmodi devenerint, vel eis relinquentur, aut executores prædictos ad tertiam, ſeu aliam illorum partem, quam etiam ex nunc eis, ac locis, hæredibus, legatariis, & donatariis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel fabricæ, aut beneficiis præfatis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibuſlibet aliis quantumlibet piis uſibus ſolvendum, ac cum eis deſuper componendum, vel eos ad aliam particularem licentiam, ſive indultum, aut confirmationem præſentium à Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus petendum, vel impetrandum, aut etiam alia ſimili gratia, ſine ejus confirmatione ipſis quomodocumque concedenda, de præſenti mentionem aliquam faciendam minimè teneri, nec ad id ulla unquam neceſſitate cogi poſſe. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem S.R.E. Cardinales, necnon pro tempore exiſtentem ejuſdem Eccleſiæ Camerarium, Præſidentes, & Clericos præfatos in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretãdi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter cõtigerit attentari. Mandãtes dilectis filiis noſtro Alexandro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Montalto nuncupato, literarum Apoſtolicarum Summatori, plumbique & regiſtri noſtri magiſtris, ſecretariis, & cæteris ad quos pertinet, ſub ſuſpenſione ab emolumentis ſuorum cujuſque officiorum, quam eo ipſo cenſeri volumus incurriſſe, ut nullo alio deſuper mandato, vel ordinatione, aut juſſione expectatis, aut ſigni, vel contraſigni exhibitione, quibuſcumque excuſationibus, & dilationibus poſtpoſitis, literas Apoſtolicas ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis, tam conjunctim, quàm diviſim pro omnibus, & ſingulis Capellanis ſupradictis, quocumque tempore, etiam in forma, Rationi congruit, gratis ubique, etiam ſine ſubſcriptione literarum earundem Scriptorum, Abbreviatorum, Secretariorum, aut aliorum Cancellariæ, & Cameræ Officialium, omni contradictione ceſſante, ſignent & expediant, ac expediri faciãt. Quocirca venerabilibus fratribus noſtris Oſtien. & Portuen. ac Tuſculan. Epiſcopis, Motu ſimili per Apoſtolica ſcripta etiam mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Petri, Petri Mariæ, Petri Antonii, Thomæ, Benedicti, Fauſtini, Cornelii, Jo. Baptiſtæ, Jacobi, Nicolai, Cæſaris, & Bernardini præfatorũ, vel alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciãt auctoritate noſtra præſentes literas, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari: necnon eiſdem Capellanis, vel eorũ procuratoribus, fructus, redditus & proventus prædictos, juxta indulti de illis percipiendis in abſentia, tenorem integrè miniſtrari, non permittentes eos deſuper per locorum Ordinarios, ac dilectos filios Capitula, & Capitulares perſonas Eccleſiarum, in quibus beneficia hujuſmodi forſan fuerint, ſeu quoſcumque alios quavis auctoritate fungentes, contra præmiſſa, aut eorum aliqua quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores

*Inhibitio.*

*Mandatum de expedien.*

*Deputatio Judicum executorum.*

Pp 3 quoſlibet

quoſlibet, & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtan. præmiſſis, ac fel. rec. Bonif. Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, ac alia ejuſdem Bonifacii, qua cavetur, ne quis extra Civitatem vel Diœceſim in quibus deputati fuerint, ad judicium trahatur, necnon Pii Papæ IV. ſimiliter prædeceſſoris noſtri de gratiis intereſſe Cameræ Apoſtolicæ quomodocumque concernentibus, infra certum tunc expreſſum tempus in eadem Camera præſentandis & regiſtrandis: Ita ut præſentes noſtræ literæ, etiamſi nunquam in eadem Camera regiſtrentur, perpetuò tamen valeant & ſubſiſtant: ac Lateranen. Concilii, etiam noviſſimè celebrati, etiam de certo Notariorum numero, etiamſi ad illud nondum deventũ fuerit, cui per hoc aliàs derogatum non intendimus, & de conſenſu præſtando in penſionibus, & quibuſvis aliis etiam per Nos, & Sedem præfatam quomodolibet editis, & impoſterum edendis Cancellariæ præfatæ regulis, ac ſtylo in ſimilibus hactenus ſervato, & piæ mem. Alexandri Papæ VI. etiam prædeceſſoris noſtri, tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum Cameræ præfatæ deberi inter alia diſponentis, necnon ejuſdem Bonifacii prædeceſſoris, per quam conceſſiones de fructibus in abſentia percipiendis ſine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædeceſſorum noſtrorum, & quibuſvis aliis Apoſtolicis in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus Imperialibus, & aliis etiam municipalibus, tam Urbis, quàm quarumvis aliarum Civitatum & locorum, etiam in quibus Cives originarii creati ſunt, ac quorumvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, Ordinum, & Hoſpitalis præfati, necnon quorumvis Collegiorum, & officiorum dictæ Curiæ, ac Regnorum, Provinciarum & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac præfatæ Cameræ, etiam juramento, cõfirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus & naturis, etiamſi de illis ſervandis, & non impetrandis literis Apoſtolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet conceſſis utendo, ipſi Capellani per ſe, vel eorum procuratores præſtiterint forſan hactenus, vel impoſterum eos præſtare contigerit juramentum, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dd. Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, & Hoſpitali S. Joan. Hieroſolymitani, illorũque Præſulibus, ſeu Adminiſtratoribus & Superioribus, ac Magiſtris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Ancianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus & locis, aliiſque perſonis, & particularibus, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum exactoribus, & appaltatoribus, aliorumque onerum Redemptoribus, necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, etiam ejuſdem S.R.E. Cardinalibus, ac dictæ Curiæ officialibus, illorumque Collegiis, ſub quibuſcũque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos & Sedem præfatam, etiam Conſiſtorialiter, & de ejuſdem S.R.E. Cardinaliũ conſilio, & per modum ſtatuti, & conſtitutionis perpetuorum, ac Motu, & ſcientia paribus, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Imperatoris, ac Regum, & Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum inſtantiam, ſeu illorum contemplatione in genere vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſſis, confirmatis & innovatis, & impoſterum concedendis, confirman. & innovan. etiamſi in eis, ac ſtatutis, & ſtabilimentis præfatis caveatur expreſsè vel tacitè, quod Urbis nonniſi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorũdem filiis, aliarum verò partium beneficia, niſi per perſonas illuſtres, ſeu nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expreſſo qualificatos obtineri, aut conferri poſſint, & nullus in Cives Urbis, aut Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujuſmodi admitti, ſeu illorum privilegiis uti poſſit, niſi prius in dd. Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverit, ſeu etiam in illis bona etiam ſtabilia forſan ad certum valorem aſcendentia poſſideat, ipſique Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujuſmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad ſolutionem, ſeu contributionem cogere, & compellere poſſint ſeu debeant, quodque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque d. Hoſpitalis S. Joan. Hieroſolymitani, tam ex ejus inſtitutione, quàm ex ſtabilimentorum præfatorum diſpoſitione, non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, ſed in commendam ad vitam concedem. revocabiliter concedi debeant, & ſic penſionibus Clericis ſecularibus, aut aliis perſonis Apoſtolica auctoritate reſervandis gravari non poſſint, quodque ſtabilimentis, & privilegiis præfatis, etiam vigore clauſulæ implicitæ derogationis latiſſimè extendẽdæ, etiam per quaſcumque literas Apoſtolicas, & quaſvis etiam derogatoriarũ derogatorias, efficaciores, & inſolitas clauſulas derogari non poſſit, nec derogatum cenſeatur, niſi derogatio hujuſmodi de conſilio dd. Cardinalium fiat, & etiam tunc demùm ad id Magiſtri, & Conventus præfatorum expreſſus accedat aſſenſus, ſintque literæ derogationis hujuſmodi etiam per dictum Magiſtrum ſubſcriptæ, ac ois, & prædictis Conventui per diverſas in forma Brevis, aut alias literas diverſis tẽporibus cum certis intervallis præſentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo ſemper in hujuſmodi, quæ ſic fient, etiam de ſimili cõſilio, & derogatione, appoſita clauſula, quod illa effectum ſortiantur, de conſenſu Magiſtri, & Conventus prædictorum, & non aliàs, aliter, nec alio modo. Quibus omnibus, & eorũ ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut certa exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & in eis caveatur expreſsè, quod illis nullatenus derogari poſſit, quodque clauſula implicitæ derogationis in reſcripto etiam Motu proprio emanato appoſita, aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat harum ſerie in genere, & in ſpecie ad effectum præmiſſum ſufficienter, expreſsè, Motu, & ſcientia ſimilibus derogamus, & derogatum eſſe decernimus: quodque prædicti Capellani primam non fecerint in Eccleſiis hujuſmodi perſonalem reſidentiam conſuetam, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula, in quibus de eis forſan fides facienda fuerit, loca deferre: volumus, & eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ, aut perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides etiam in judicio, vel alibi, ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 10. Septemb. M D X C I. Pontificatus noſtri anno 1.

§. 2. Nunc autem nos Carolum Antonium Cæſarem, Joannem Simonem, Jo. Franciſcum, Fauſtum, Robertum, Fabritium, Claudium, & Paulum præfatos, qui etiam familiares continui Commenſales noſtri exiſtunt, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu proprio, non ad illorum, vel aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ac certa ſcientia, omnia, & ſingula privilegia, facultates, conceſſiones, & indulta in præinſertis literis contenta, quatenus tamen ſint in uſu, Carolo, Antonio, Cæſari, Joanni, Simoni, Joan. Franciſco, Fauſto, Roberto, Fabritio, Claudio, & Paulo præfatis

Clauſula derog.

Qua om... modo iſte Pont. con... mat, & novo con... & indul... ſuis Ca... nis.

Apoſtolica

Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſimiliter concedimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes privilegia, facultates, conceſſiones, & indulta præfata, ac præſentes literas valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, necnon eiſdem Carolo, Antonio, Cæſari, Joanni, Simoni, Joan. Franciſco, Fauſto, Roberto, Fabritio, & Paulo in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari.

§. 4. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obſtantibus omnibus illis, quæ d. Gregorius prædeceſſor in præinſertis literis ſuis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 11. Aprilis MDCXXIII. Pont. noſtri anno 3.

---

## L. Comprobatio Erectionis Novitiatus Fratrum Congregationis Jeſuatorum S. Hieronymi in domo regulari SS. Ioannis, & Pauli de Urbe, à Petro Card. Aldobrandino illius Protectore pro regularis diſciplinæ reſtitutione, & conſervatione nuper inſtituti.

*Scias alia de hac Congregatione multa me indicaſſe ad conſt. 11. Martini V. tom. 1. & conſt. 16. Pauli V. tom. 3. ubi videre poteris. Et etiam in alia hujus Pont. conſt. 36. Ex injuncto, hic ſup.*

*GREGORIUS PAPA XV.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

INter multiplices paſtoralis officii curas, quibus aſſiduè premimur, illa Nos præ ceteris maximè ſollicitos habet, ut regularis diſciplinæ obſervantia in quibuſlibet Monaſteriis, & locis regularibus conſervetur, & ubi collapſa eſt, modis quantum cum Domino fieri poteſt, reſtituatur opportunis.

§. 1. Cum itaque, ſicut accepimus, bon. mem. Petrus Epiſcopus Sabinen. Cardinalis Aldobrandinus nuncupatus, Congregationis Jeſuatorum ſub regula S. Auguſtini, dum vixit, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protector, pro regularis diſciplinæ in prædicta Congregatione reſtitutione, & conſervatione in domo SS. Joannis, & Pauli de Urbe ejuſdem Congregationis unum Novitiatum octo ab hinc annis circiter ſub cura, gubernio, & regimine unius Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupat. profeſſoris erigi, & inſtitui obtinuerit: ex erectione autem, & inſtitutione Novitiatus hujuſmodi non mediocres in eadem Congregatione Jeſuatorum fructus cum divini cultus incremento prodierint.

§. 2. Nos inviolabili erectionis, & inſtitutionis Novitiatus hujuſmodi firmitati, ſimulque proſpero, & felici ejuſdem Congregationis Jeſuatorum ſtatui, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere volentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine erectionem, & inſtitutionem Novitiatus hujuſmodi tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris, quàm facti, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Et nihilominus Novitiatum prædictum in dicta domo regulari modo, & forma quibus erectus, & inſtitutus fuit, Apoſtolica auctoritate earundem tenore præſentium, quatenus opus ſit, de novo erigimus, & inſtituimus.

§. 3. Inſuper quod in novis domibus regularibus ejuſdem Congregationis Jeſuatorum, ad quas infraſcriptos Novitios profeſſos mitti contigerit, Prior, ſive Lector eorundem Novitiorum profeſſorum hujuſmodi, ſive alii ejuſdem Congregationis profeſſores, abſque expreſſo dilecti filii noſtri Hippolyti S. Mariæ Novæ Diaconi Cardinalis Aldobrandini nuncupati, moderni, & pro tempore exiſtentis ejuſdem Congregationis Jeſuatorum apud Nos, & Sedem eandem Protectoris conſtitui, ſive deputari, aut amoveri nullatenus poſſint, ſeu debeant, & in eventum, in quem Prior, ſeu Lector hujuſmodi abſque ejuſdem Hippolyti Cardinalis conſenſu deputatus ſit, ſeu eos deputari contingat, ab eorum officiis hujuſmodi per eundem Hippolytum Cardinalem amoveri, & alii in eorum loca ſubrogari poſſint, & valeant, auctoritate & tenore prædictis ſtatuimus, & ordinamus, necnon eidem Hippolyto Cardinali unam ejuſdem Congregationis domum regularem ſibi beneviſam, quæ à ſua, & pro tempore exiſtentis dictæ Congregationis Protectoris auctoritate immediatè dependeat, eligendi, in eamque Novitios, qui in prædicto Novitiatu educati fuerint, poſt annum circiter ab emiſſione profeſſionis per eos facta computandum, prout per multos annos fieri conſuevit, mittendi, in eiſdemque domibus regularibus, & earum qualibet Superiores cujuſvis patriæ, ſive Provinciæ conſtituendi, & deputandi plenam, & amplam facultatem auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & impartimur.

*Protectori tantum dat facultatem ... Priorem, & lectores d. Novitiorum.*

§. 4. Inhibentes propterea ſub excommunicationis, & aliis arbitrio d. Hippolyti Card. infligendis pœnis, omnibus, & ſingulis dictæ Congregationis Jeſuatorum profeſſoribus, ne contra erectionem, & inſtitutionem Novitiatus hujuſmodi, aut regularis diſciplinæ obſervantiam per dictum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum profeſſorem in d. Novitiatu introductam, & quam in aliis ejuſdem Congregationis Jeſuatorum locis regularibus, benedicente Domino, introduci contigerit, quovis quæſito colore, ingenio, vel prætextu venire, aut quicquam machinari, ſive attentare audeant, ſeu præſumant.

*Conſervationem d. Novitiatus & regularis diſciplinæ obſervantiam ſervari præcipit.*

§. 5. Necnon decernentes præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper, & perpetuò valida, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clauſulas preſervativas ſubdit.*

§. 6. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis Jeſuatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

*Contrariiſque omnibus derogat.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Aprilis MDCXXIII. Pontificatus noſtri anno tertio.

*Dat. P. An. 3. die 27. Apr.*

*FINIS TOMI TERTII.*